R-4911

Wigandt, Martin (O.P.)

Tribunal confessariorum et ordinandorum declinato probabilismo ... / opera ac studio ... Martini Wigandt ... — Quinta editio ... — * Matriti: ex

Typ. Emanuelis Román, 1717

II.4911

TRIBUNAL CONFESSARIORUM, ET ORDINANDORUM

DECLINATO PROBABILISMO.

COMPLECTENS

STYLO BREVI, CLARA, AC FIRMA SENTENTIA, OMNES Visitatiores materias Theologico-Morales, iuxta probabiliora, ac inconcussa Dogmata Angelici, ac Quinti Ecclesiæ Doctoris, D. THOMÆ AQUINATIS Ord. Præd. eiusquè Invictissimæ Scholæ.

SERVIENS

OMNIBVS THEOLOGIS MORALIBVS POTISSIMVM IIS, QVI SIVE PRO Animarum Cura; aut ordinum susceptione, sivè pro imponenda Theologiæ Moralis Studio, Coronide, vel defendendis Thesibus Moralibus, methodo Thomistica arguere, examinare, aut responsa darè cupiunt. Ipsis etiam pœnitentibus, cuiuscunque sint conditionis, perutile, ac necessarium,

OPERA, AC STUDIO

P. Fr. MARTINI VVIGANDT, ORD. PRÆD. SACRÆ Theologiæ Magistri, eiusdemqꝫ in Celeberrima, & Antiquissima Vniversitate Viennensi Doctoris, ac quondam Studij Generalis in Conventu Primi Moderatoris, seu Regentis.

CONTINENS

Sexdecim Tractatus, & octuaginta sex Examina,

CVI

R. P. LECTOR Fr. FRANCISCVS VIGAL, REGALIS CONVENTVS PRÆDICATORVM Valentiæ filius, (stylum Authoris secutus, & ipsissimam Doctrinam Sectans) addidit duos Tractatus, in decem Examina distributos, Propositionum Damnatarum omnes, & Bullæ Crucigeræ alias.

QVINTA ÆDITIO, CÆTERIS CLARIOR, ET CORRECTIOR.

MATRITI: Ex Typ. Emanuelis Roman, Anno M.DCC.XVII.



ILLVSTRISSIMO, ACREVERENDISSIMO

DOMINO DONNO DOCTORI

FRANCISCO VALERO

ET LÒSA,

ARCHIEPISCOPO TOLETANO,

Hiſpaniæ Primati Caſtellæ Maiori Cancellario, à Conſilio ſuæ Maieſtatis, &c.

ILLVSTRISSIE DOMINE. Auctor, *Se*, & *Verba Sua*, Sanc Sanctorum, Sacerdoti in æternum, Verboincarnato, dicit, & conſecrat, & de *Opere* omi laude maiori) *Silet*, vt quando, itteratis ſpplicationibus, onus de novo vulgandi accepi, me, Illud, Riligonem meam, & omnia, Sacerdoti Hiſpaniarum Summo, Primque Heſperiæ Patri, dicarem, & conſecrarem. Sed quia Dominatio Veſtra, non gloriatur in *Genealogijs*, ſed in *Cruce*; non in *Honore*, ſed in *Onere*, non in *Poteſtate*, ſed in *Ægeſtate*, qui gloriatur, ſolum in Domino glo-

ric-

rietur; ideò Dominationem Vestram solum attendo, gementem sub onere *Prælatvæ*, sub *Potestate* constitutum, *Vigilantem*, ac *Custodientem* vigilias *Noctis* super gregem suum, pascentemque Oves tas, & tanquam fidelis servus, & prudens, constitutus à Domino super familiam suam, dans illis in tempore tritici mensram; & non solum in tempore, sed etiam sine tempore, ac omni tempore secli, omnibus omnia factus, vt lucerna super candelabrum, illam docet, *Verbo, Vita, Doctrina, Literis*, ac quens glorioſum *Patronum Franciſcum*, glorioſis meritis, exemplis.

Num. 25. Longe erit Dominio Vestra ab ira, & furore Domini, Moysi Imperantis, vt, *Pncipes Populi ſuſpenderet contra ſolem*, ante quem, nihil post abscondi, nihil obscurari. Audiatur Origines: *Populus peat, & Principes ſuſpenduntur. Vides quid ſit conditio Primum Populi, non ſolum pro ſuis propijs arguuntur delictis, ſed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem, ne ipſorum ipa ſit, quod populus deliquit, ne forte non docuerint, ne forte non monuerint, neque ſoliciti fuerint arguere eos, qui initio culpæ derunt, vti, ne contagio diſpergeretur in plures.* Non, inquam terrebit Dominationem Vestram sententia ista, cum consilium Ioannis Chrysostomi, Iota vno non præteriente, exequaris: *brium, modeſtumque Epiſcopum eſſe opportet, eundemque perſpicacem, atque innumeros quoquo verſum oculos, circumferre, imò, qui non ſibi vni tantum, ſed multis vivat populis.*

Hom. 20. in Num.

Lib. 3. de Sacerdotio.

Conquerebatur Candor Ecclesiæ Bernardus de Episcopis, non Episcopis, sed lupis, sed vobis, vineam Domini demolientibus, & dicebat: *Intuere Epiſcopos, quomodo incedunt nitidi, & ornati, circumamicti vanitatibus. Vnde vero, hanc illis, exhuberare exiſtimas, veſtium ſplendorem, menſurarum luxuriem, congeriem vaſorum aurei, & argentei, niſi de bonis Sponſæ? Inde eſt, quod illa auper, & inops, & nuda relinquitur facie miſeranda, inculta, hiſpida, exanguis. Propter hoc, non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt defendere, ſed exponere; non eſt inſtituere, ſed proſtituere; non eſt paſcere gregem, ſed mactare, & devorare*, dicente illis Domino: *Qui devorant plebem meam, vt cibum panis, & quia comederunt lacte & locum eius deſolaverunt. Peccatorum pretia, exiguunt, & peccantibus, debitam ſolicitudinem non impendunt. Quem dens mihi de numero Præ-*

Serm. 77. in Cantic.

pos

positorum, qui non plus invigilet, subditorum vacuandis marsupijs, quam vitijs extirpandis? Sanctorum sortiti sunt ministerij locum, sed non zelum, successores omnes cupiunt esse, imitatores pauci. O vtinam, tam vigiles, reperirentur ad Curam, quam alacres currunt ad Cathedram!

Merito indignaris Bernarde! sed *hoc tempore*, ante oculos tuos cum gaudio propono, Præpositum Sanctorum successorem, & imitatorem, qui non circumamictus varietatibus, sed saco laneo, veste humili, cubili pauperi, mesuratum per omnia, & in omnibus, ita vt tota domus, & familia sua, magis redoleat Strictioris Observantiæ Claustrum, quam Magnificam Domum. Non invenies, in mensa sua luxuriem, vnde aves, & cibi delicatissimi avolarunt; neque vasa aurea, neque argentea, sed vilia, & durabilia, vt succurrat, ornet, ditetque sponsam suam Charissimam, quam diligit, quasi pupilam oculi sui. Prædicet hoc, thesaurus Eleemosynæ, rupta manu diffusus, ita vt dicere ausim, quod tempore brevi, aliorum impleverit tempora multa. Forte non dicent omnes hoc, vno ore, quia Iste faciẽs Eleemosynam, non *Canit tubam*, nec scit *Sinistra sua, quid faciat dextera sua*. Mundum calcat, vanitatem odit, divitias respuit, solumq; eas colligit, vt pauperes ditet, dicens cum D. Augustino: *Nec ego, qui Episcopus sum habere debeo, nisi tantum ad dispensandum, quia Bona Ecclesiarum patrimonium pauperum sunt::::Chariores mihi reputo pauperes, quam divites, quia habentes victum, & vestitum*, fideles omnes, *contenti esse debent, maxime nos Clerici, in cuius rei signum, capita tonsa, & rasa habere debemus, ne divitiarum capilli, occupent mentem servorum Dei.* Iste est Bernarde, qui *Zelum* Sanctorum sortitus est, non tantum, *Locum*; qui magis vigil reperitur ad *Curam*, quem alacris currat ad *Cathedram*; & qui non invigilat, subditorum vacuandis *marsupijs*, sed radicandis virtutibus, & *vitijs extirpandis*.

Serm. 31. ad Frat. in Hosp.

Hanc veritatem confirmat, Epistola Pastoralis, suis subditis scripta, in qua, *Zelum* animarum *Nitet*, Charitas *Resplendet*, Doctrina *Lucet*, desiderium bonorum *Emicat*, vbi, non tamquam Sacerdos, qui descenderat *eadem via* cum homine, sed vt Misticus Samaritanus, qui *alia incedebat via*, videns subditos suos, *Descendentes*, vel *Decedentes* ab Hierusalem Cœlesti, & Iericò terreno, approximantes, cum incidissent in latrones *Cœcitatem, Inconsiderationem, Passiones, & Diabolum*, qui eos

Luc. 10.

des-

despoliaverunt, & plagis impositis, abierunt, semivivis relictis, accipit *Oleum* lenitatis, & suavitatis, & *Vinum* punctionis, & reprehensionis, alligatque vulnera eorum, *agonizans* pro salute ipsorum æterna.

In Eadem Epistola num. 277. Confessarios monens, ita scribit: *Assi mismo, convendrà amonestar (prescindiendo de si basta, ò no, la menor probabilidad) el que procuren arreglar su vida à las opiniones que se acercan mas al cumplimiento de la ley; si no es que la prudencia dicte otra cosa, por la flaqueza, ò escrupulosa conciencia del penitente; no solo, porque las passiones nuestras, poco mortificadas, nos harán muchas vezes probable, lo que no lo es; porque nuestra voluntad, como hemos dicho con San Agustin*, tiene habilidad para hazer santo lo que ella quiere; (y) *si no tambien, porque si andamos tan escasos con Dios, quanto podemos (aunque dentro de los terminos de lo justo)* su Magestad nos medirà con la misma medida, (z) *y nos darà solos los auxilios de su Gracia, dentro de los terminos de lo preciso; y desdichados, si assi lo haze con nosotros su Magestad en vida, y mucho mas en la hora de la muerte, en la qual, à ninguno debe el don de la perseverancia.* Hæc Iste.

(y) Quod ex Lessio, Sanchez, et S. Augustino Epist. 28.

(z) Exitus malus ex vera fide, recta intentione, et probabili Lege. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5.

Hoc rectissimo, salutariquè consilio fundatus, ad pedes Dominationis Vestræ provolutus, *Theologiam hanc Moralem* in qua *Declinato Probabilissimo*, solum quod legi conformior est, sequitur, humiliter pono, vt Dominatio Vestra, qui mensuram *Tritici* dat (non *Ordeum*, non *Speltam*, non *Milium*, non *Palleas*) dignetur attendere ad eam, & ad *Petram* vnde excisa est, & iubeat, vt *Sedeat iuditium*, non deambulet, non ludat, non vagetur, sed attendat, & *Apperiatur liber*, & si quid fuerit inventum, laude dignum, recipiatur, & exequatur, Deoque gratiæ referantur. De hoc Hospitio Matritensi Ord. Præd. die 11. Octobris 1717.

ILLVSTRISSIME DOMINE

Dominationis Vestre, Humillimus, & Obsequentissimus Servus.

Fr. Ioannes Baptista Gascon
Ordinis Prædicatorum.

San-

SANCTO SANCTORUM,

SACERDOTI IN ÆTERNUM,

VERBO INCARNATO

Se, & verba ſua Auctor conſecrat.

ANCTE Sanctorum, Sacerdos æterne, Iudex Supreme; *VERBVM CARO FACTVM*; Benignis auribus percipè verba meà, quibus Sacerdotum tuorum *TRIBVNAL* ex ſua infirmitate, innacceſsibili adrepit, ſequè humillimè ſubſternit *MAIESTATIS TVÆ* Solio. Fælicitatem etenim quærit in ſuo principio, & centro. Redit ad fontem, vndè exivit. Ex alieno liberalis; quòd tuum eſt, *TIBI* tribuo. Verba, quæ, & quot amplectiter, tua ſunt, qui es Dux omnis Verbi. Doctrina meà, quæ in eis eſt, non eſt meà, ſed eſt illius *VERBI*, quòd è Crucis pulpito paucis verbis, *BENE SCRIPSISTI DE ME, THOMA*, omnia *THOMÆ AQVINATIS* verba cenſuravit; approbavit, iuſtificavit. *TV VERBVM* Patris es, Thomas (Adverbium Filij) *BENE* tuum eru; Erat Verbum bonum. Verba Thomæ à *VERBO* Patris probata ſunt, teſtimonio indefinito; ideòquè vniverſali. Ergo abſquè omni prorſus errore ſcripſit, qui cenſuratur, dum nec fallere, nec falli poteſt, qui cenſurat, & probat. Quidni proin *TRIBVNALIS* huius verba, infinitis *TITVLIS VERBO* Patris debita, ſingulari ſacrarem *TIBI* ſubmiſsione? Iudicium namquè eſt mundi, eà propter ad Supremum appellat *Iudicem*. *TRIBVNAL* Confeſſariorum eſt, Tu ligandi, atquè ſolvendi poteſtatem dediſti; aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit. Examen Ordinandorum eſt, Tu Summus es Sacerdos, cuius Sponſa Eccleſia eſt, ſicut caſtrorum acies ordinata? cuiquè Sacerdotij Character noſter eſt participium. *TV VERBVM* divinum es, munus, quòd offero, divina ſapit, quia Theologicum eſt. *TV VERBVM* practicum es, portans omnia *VERBO* virtutis tuæ, quò Cœli firmati ſunt: ideòquè Theologiam practicam *TIBI* dedico. Tu brevitatem amas. *VERBVM* es abbreviatum, hinc Theologiam abbreviatam immenſi quodammodò Theologici Moraliſmi Synopſin *TIBI* conſecro. *TIBI*, inquàm, qui ſcientiarum Dominus es, cuius Sàpientiæ non eſt numerus: qui Sapientia tua attingis à fine vſquè ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter in numero, pondere, & menſura. *TIBI*, qui ſcibilis vniverſi es *ALPHA*, & *OMEGA*; Theologorum omnium Vox, & Echo; Propherarum inſpirator; Apoſtolorum Magiſter; Evangeliſtarum Doctor; Doctorum vita. Doctores ſine hoc *VERBO* ſunt ſicut corpus ſine anima, in ipſo vivimus, movemur, & ſumus. Hoc *VERBVM* Doctorum Sol, & radius eſt, ſine quò *VERBO* ſunt ſicut Cœlum ſine Sole, ſicut Sol ſine radio. Hoc *VERBVM* Doctorum ignis, ardor, & flamma eſt, ſine quò *VERBO* ſunt ſicut ignis ſine ardore, vti ardor ſine flamma. Hoc *VERBVM* totius Theoſophiæ radix, medulla, & ſuccus eſt, ſine quò *VERBO* Theologi ſunt ſicut arbor ſine radice, radix ſine medulla, ſine ſucco. Tu, *O SVMME SACERDOS*, *VERBVM* es, quòd Davidem Citharœdum verbis implevit, & in momento Pſalmiſtam fecit. *VERBVM* es, quòd Amòs Paſtori armentario verba ad prophetandum, Daniel abiecto puero verba ad iudicandum, Petro Piſcatori, Saulo Perſecutori, Matthæo Teloneario verba ad prædicandum inſpiravit. Hoc *VERBO* inerudíti Piſcatores, nec periti in Grammatica, nec armati in Dialectica, verbis impleverunt mundum. Huius *VERBI* in carne viſibiliter nobiſcum verſantis verba erant gemmulæ, quibus nos perditos redemit: erant Lachrymæ, quibus nos immundos lavit: erant rores, quibus nos aridos irrigavit. Rem verbo. *VERBVM* quidem vnicum es, *O IESV*, quòd Pater in tota loquitur æternitate, attamen omnia loqueris, omnia vides, audis omnia, operaris omnia. Sine quò Verbo qui ſe putat aliquid ſcirè, nihil ſcit, ſed in omni ſcibili cæcutit, ſurdeſcit, obmuteſcit. Hæc verba ſunt, quibus balbuties meà *TE VERBVM* Patris deprædicat; quoniam autem, *O REDEMPTOR SANCTISSIME*, omni laude maior es, laudet *TE* pro me ſcientiæ tuæ abyſſus inſcrutabilis. Laudet *TE* pro me *TVA* altiſsima Sapientia, *TVA* latiſsima Miſericordia, *TVA* profundiſsima Iuſtitia, *TVA* incircumpſcrita Magnitudo. Tu verò, *SANCTE SANCTORVM*, *SALVATOR MISERICORDIOSISSIME*, dum ex nihilatis meæ abyſſo aſſurgens ad Auguſtiſsimum gloriæ tuæ Thronum *TRIBVNALIS* mei verba adgeniculatus depono, eà gratioſo recipè verbo. Verba mea Tuum petunt alloquium, & gratiæ Favonium. *TIBI* eà dicata volo, & conſecrata, qui ſolus potens es Verbo Zoilorum (quorum infinitus eſt numerus) confundere verba, contundere ora. Oculis miſericordiæ tuæ inſpice cordis mei ſenſa, quibus Opus hoc *TIBI* ſubmitto; affectum æſtima; non cenſum

Vitium emendet. Si *TRIBVNALIS* huius verba forsan aliquid sint asperiora vvo, non iustus in iudicium cum servo tuo, Domine, sed verbo misericors absterge. Laboris huic meo eadem quæro non aliam nisi *TE*, Domine. Tu laborem hunc meum propitio Sideris tui aspectu irradia, meque pro eò, quòd offero in tempore recipe ad *TE* in beata æternitate. Ita opto, & adorat *TE*, tua, *O JESV* Salvator, Sacerdos æterne.

Vilis Creatura, pulvis, & cinis.

Fr. MARTINUS VVIGANDT
Ord. Prædic.

FACVLTAS ORDINIS.

NOS Fr. *Dominicus de Bustamante*, Sacræ Theologiæ Magister, ac Provinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, Prior Provincialis, facultatem concedimus R. P. Præsentato Fr. Ioanni Baptistæ Gascon, in publican lucem vulgandi opus elaboratum, ab Adm. R. P. Magistro Fr. Martino Vvigandt, sub titulo: *Tribunal Confessariorum, & Ordinandorum*, cum certi simus, nihil contra bonos mores continere. In quorum fidem manu propria subscripsimus in nostro Conventu S. Dominici de Zamora, die 18. Septembris 1717.

Fr. Dominicus de Bustamante,
Prior Provincialis.

Registrata fol. 23.

Fr. Ferdinandus de Montenegro
Magister, & Socius.

CEN-

CENSVRA ADM. R. P. MAGISTRI Fr. EMANVELIS Garzo, Prædicatoris Regij, Diffinitoris Capituli Provincialis, & Prioris Conventus Hospitij Matritensis.

HÆC P. Fr. Martini Vvigandt Ordinis Prædicatorum, in Sacra Theologia Magistri, & in Viennensi Vniversitate Doctoris, mystica Legis, & Moralia probitatis opera, quæ denuò in lucem prodire, ad communem vtilitatem satagunt; studiosè vidi, & accuratè perlegi de mandato D. Nicolai de Peralta, Vicarij Matritensis, Prothonotarij Apostolici, & in Curia, facelloquè Regali, Iudicis meritissimi.

Et rectè Tribunal Confessariorum rescribitur, in quò non solùm Iudex, vt probè iurisdictionem exerceat, eruditur; sed & reùs quomodò ad illud accedere debeat, illustratur, in hoc ergo Tribunali, & gravitas rerùm, quà doctissimos quosquè erudire possit, inest; & facilitas, simplicitasquè methodi, quà imperitos, & rudes ad omne opus bonum informet, adest. Hic enim, non probabilitas sententiarum inquiritur, sed veritas declaratur, dum Probabilismus excluditur; nam sæpè in novitate doctrinæ, latet anguis malitiæ, quà lethale venenum propinatur animæ. Attendite, ait veritatis Regula: *A falsis Proferis, qui veniunt ad vos in vestimentis Ovium intrinsecus autem sunt Lupi rapaces*: O quoties vestita lænitatis Ovis apparet probabilis Sententia, quæ Catholicas dilaniat mores rabie Lupina! Sic Hilarius: *In multis vestitu Ovium, rabies Lupina conteginur.* Math. *cap.* 7. Hil. *in* 7. *cap.* Math.

Hoc periculo liberaris, si in lumine huius Tribunalis incedis, hic tibi via plana demonstratur, quà nisi ad dexteram, vel sinistram declines, ad Cœlestem Patriam pervenies; hic Lucerna pedibus tuis ponitur, ne in huius peregrinationis tramite offendas vnquàm ad Lapidem erroris pedem tuum; & vt omnia dicam: Hæc est lucida Viennensis Stella, in cœlo Dominicano micans, & de Sole Aquinate radios, veritatis decerpens, quæ vt olim altera Mages vsquè in Bethlem ad adorandum puerum IESVM, duxit; sine dubio te ad cœlestem Hyerusalem, vbi faciè, ad faciem Deum sicuti est, videas, perducet: Sic sentio, vt censeo, (salvo meliori) in hoc Hospitio Matritensi. die 18. Iunij anni 1717.

Fr. Emanuel Garzo.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Nicolàs Alvarez de Peralta, Prothonotario Apostolico, Juez Incuria del Tribunal de la Nunciatura de estos Reynos, y Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, por el Illustrissimo Señor Doctor Don Francisco Valero y Losa, (por la Gracia de Dios,) y de la Santa Sede Apostolica, Arçobispo de Toledo, Primado de las Españas, Chanciller Mayor de Castilla, del Consejo de su Magestad, &c. mi Señor: Por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima el Libro intitulado: *Tribunal Confessariorum, & Ordinandorum*, compuesto por el Padre Maestro Fray Martin Vvigandt, del Orden de Predicadores; atento, de nuestra orden, y comission ha sido visto, y reconocido, y no tiene cosa opuesta à nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres. Dada en Madrid, à veinte y ocho de Junio, año de mil setecientos y diez y siete.

Licenc. Peralta.

Por su mandado.
Lorenço de San Miguel.

EL

EL REY.

POR quanto por parte de Fray Juan Bautiſta Gaſcon, del Orden de Predicadores, reſidente en eſta mi Corte, ſe repreſentò en el mi Conſejo deſeava reimprimir vn Libro intitulado: *Tribunal Confeſſariorum, & Ordinandorum*, compueſto por Fray Martin Vvigandt, del miſmo Orden, al qual avia añadido dos Apendices; vno ſobre las Proposiciones Condenadas; y otro ſobre la Bula de la Santa Crùzada, el P. Fr. Francisco Vidal, del Convento de Predicadores de Valencia, y no hallandoſe yà dicho Libro; y ſiendo Obra muy vtil, y conveniente, ſe me ſuplicò fueſſe ſervido conceder al referido Fray Juan Bautiſta Gaſcon, licencia, y Privilegio, por diez años, para la impreſsion del expreſſado Libro, y viſta por los del mi Conſejo, ſe acordò dar eſta mi Cedula: Por la qual concedo licencia, y facultad al dicho Fray Juan Bautiſta Gaſcon, para que por tiempo de diez años, primeros ſiguientes, que han de correr, y contarſe deſde el dia de la fecha de eſta mi Cedula, el ſuſo dicho, ò la perſona, que ſu poder tuviere, y no otra alguna, pueda reimprimir, y vender el dicho Libro intitulado: *Tribunal Confeſſariorum, & Ordinandorum*, por el original impreſſo, que en el mi Conſejo ſe vìò, que và rubricado, y firmado al fin de Don Miguel Rubin de Noriega, mi Eſcrivano de Camara mas antiguo, de los que en èl reſiden, con que antes, que ſe venda ſe trayga ante ellos, juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſtà conforme à èl, trayendo aſsimiſmo fee en publica forma, como por Corrector, por mi nombrado ſe vìò, y corrigiò dicha reimpreſsion por el original impreſſo, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender: Y mando al Impreſſor, que imprimiere el dicho Libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que vn ſolo Libro con el original al dicho Fray Juan Bautiſta Gaſcon, à cuya coſta ſe imprime, para efecto de la dicha correccion, haſta que primero el dicho Libro eſtè corregido, y taſſado por los del mi Conſejo; y eſtandolo aſsi, y *no de otra manera*, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, en el qual ſeguidamente ſe ponga eſta licencia, y la aprobacion, taſſa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de eſtos mis Reynos, que ſobre ello diſponen: Y mando, que ninguna perſona ſin licencia del referido Fray Juan Bautiſta Gaſcon, pueda imprimir el dicho Libro, pena que el que le imprimiere aya perdido, y pierda todos, y qualeſquier Libros, Moldes, y aparejos, que el dicho Libro tuviere; y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis; y ſea la tercia parte de ellos para la mi Camara; la otra tercia parte para el Juez, que lo ſentenciare; y la otra para el denunciador: Y mando à los del mi Conſejo, Preſidentes, y Oydores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Caſa, y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Aſsiſtente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, Juſticias, Miniſtros, y perſonas, qualeſquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos mis Reynos, y Señorìos, y à cada vno, y qualquier de ellos en ſu Juriſdicion, vean, guarden, cumplan, y executen eſta mi Cedula, y todo lo en ella contenido; y contra ſu tenor, y forma no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la mi Camara. Dada en Madrid, à veinte y ſiete de Abril de mil ſetecientos y diez y ſiete.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro Señor,
Don Francisco de Ceſtejon.

SUMA

SUMA DE LA TASSA.

DON Miguel Rubin de Noriega, Eſcrivano de Camara del Rey nueſtro Señor mas antiguo, de los que reſiden en el Conſejo: Certifico, que aviendoſe viſto por los Señores de èl, vn Libro intitulado: *Tribunal Confeſſariorum, & Ordinandorum declinato probabiliſmo*, eſcrito por Fray Martin Vvigandt, Doctor de Theologia, que con licencia de dichos Señores ha ſido reimpreſſo, taſſaron à ſeis maravedis cada pliego, y el dicho Libro parece tiene ciento y ſetenta, ſin principios, ni tablas, que à eſte reſpeto monta mil y veinte maravedis, y al dicho precio, y no mas mandaron ſe venda, y que eſta Certificacion ſe ponga al principio de cada Libro, para que ſe ſepa el precio à que ſe ha de vender. Y para que conſte, lo firmè en Madrid, à onze de Septiembre de mil ſetecientos y diez y ſiete años.

D. Miguel Rubin de Noriega.

FEE DE ERRATAS.

PAG. 3. lin. 43. primus, lege *primò*. pag. 7. col. 1. lin. 58. habenſne, lege *habeſne*. pag. 79. lin. 59. intento, lege *intentio*. pag. 119. col. 1. lin. 39. conſtitutum, lege *conſtitutam*. pag. 126. col. 2. lin. 22. Authorem, lege *Authorum*. pag. 347. col. 1. lin. 26. remedium, lege *remedium*. pag. 374. col. 2. lin. 37. particulum, lege *perieulum*. pag. 378. col. 2. lin. 31. miſcer, lege *miſceri*. ibidem, lin. 32. neceſsitati, lege *neceſsitate*. *Cætera, eſſe aliquà, eſſe talià, facilimè intelligitur ex contextu, ex quò, genuinus, illorum verborum, ſenſus, patefiet.*

He viſto eſte Libro Intitulado: *Tribunal Confeſſariorum, & Ordinandorum*, ſu Autor Fray Martin Vvigandt, y con eſtas erratas correſponde al que ſirve de original. Madrid, y Agoſto 31. de 1717.

Licenciado Don Benito de Rio y Cordido.
Corrector General por ſu Mageſtad.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quæviam fundamentum, & ianua virtutum, omnisquè gratiæ, ac spiritualis conformitatis principium est conscientiæ puritas, ac cordis mundities, ad quàm principaliter, & præcipuè per puram veram, integram, & perfectam Confessionem peccatorum accedimur, merito *Tu*, quisquis es, Christi Sacerdos, in foro Poli Iudex, Doctor, & Medicus, *conscientijs* iudicandis, docendis, medendisquè præfectus, promovendæ cordium mundiciæ, ac virtutibus plantandis destinatus, merito, inquàm, in hoc omnium ponderosissimo Salutis negotio, in arcto æternitatis itinere, dictante prudentia, & imperante Charitate, indubiè dogmata, & medicamenta certa eliges præ minùs certis: sicut iter confecturus, ni desipiat, equum habilem eligit præ claudo; navim fitmam præ cariosa; viam securam præ incerta. Hinc Duce, ac Doctore tibi opus est, ne ingrediaris viam latam, quæ ducit ad pelagium. Angelo ergo Custodi te committe, & hic non sit alius, quam ille ipse, cuius in Opusculi 64. Proœmio ipsissima sunt hæc verba, quibus hanc ad te Præfationem exordior: non est is alius quàm *Angelicus Ecclesiæ Doctor Thomas de Aquino*, qui Clementis VIII. effato suos Tomos *sine ullo prorsus errore* conscripsit. Cuius doctrinam Urbanus VI. vocat *viridicam*. Ille *Thomas*, de cuius Tomis Innocentius Papa, *huius*, ait: *Doctoris Sapientia, præterita, exceptis Canonicis, tantam habet Scientiarum veritatem, vt nunquam, qui eam tenuerit, inveniatur à tramite veritatis deviasse*. Tutissima ergò sunt, & inconcussa huius Angelici Doctoris dogmata, ab eò, qui nec fallere, nec falli potest, è Cathedra Crucis censurata, & approbata: *Bene scripsisti de me, Thoma*. Quæ Sententia est indefinita, ore Dei prolata; æquivalens universali. Agnovit hoc præclarissimus ille Iesuita Petrus Labbe in hac Angelici Magistri prorumpens encomia: *Angelorum Discipulus, & pene æmulus fuit, multa ab Angelis didicit; quædam Angelos docere potuit. Aut Theologiam ad terras deduxit è cœlo, aut scivit in via, quòd videtur in patria.*

Ergo, benevole lector, & Conscientiarum moderator, ne in modernarum laxitatum lubricitate lebaris, ne in infinitarum probabilitatum labyrintho à vero debies, Ecce *Angelicus noster Præceptor* se tibi iungit, vt Custodem Angelum in hoc Tribunali Theologico-Morali, in quò remissis novitatibus antiquiorum Patrum, ac Doctorum; quorum lingua loquitur, seniora, ac sanora tibi portigit sensa. Quibus si parueris, in condonandis peccatis eris fidelis servus, & prudens. Accipè proinde, & amplectere hoc Angelico-Thomisticum animæ Tribunal, ab Angelo Custode Theologiæ per me, omnium Discipulorum eius infimum, & indignissimum, tibi erectum. Fateor vltro, quòd in hoc opere meum est, nihil est, nisi quòd in eò omnes materias Morales, Casuum Resolutioni servientes, contraham, ac more in Examine consueto, & vt dici solet, *propter Iuniores*, rudi, simplici, immò simplicissimo stylo, proponam: & iuxta illius (de quò Ioannes XXII. testatur: *Quæ Articulos scripsit, & miracula fecit*) nimirum altè fati Angelici Præceptoris mei mentem decidam. Etsi enim plurimas Casuum Summas, & Summulas, à *Thomistis editas, nec minùs extrancas*, videre sit, & quidem nonnullas nimis syncoparas, vt qui eis studet, sæpè nec sciti sui rationem reddere valeant: Vix tamen in hisce Germaniæ nostræ partibus *invenies* vnum Thomistam Dominicanum, omissis speculationibus, moralia omnia eà seriè, ac ordine, quò in *Summa Divi Thomæ Aquinatis*, sese sub & consequuntur, succincte tractantem. Et hinc Fratribus nostris, sive ad Theologiæ Moralis Coronidem, sive ad Animarum curam, rigorosumquè pro eà examen aspirantibus sæpè non modica se objicit difficultas. Cùm quanquè ex omni materia morali rigidè sint examinandi, vel omnes Tractatus ad manum non habent; vel, si habent, immensum chaos oculis cernunt, quo terrentur; vel si in Scholis eos audiverint, speculativis ad praxin non conducentibus subtilitatibus (in quibus non omnia possumus omnes) permixti sunt, immò abundant. Illis ergo hoc *Tribunal* nolui respergere, quòd purè practicum, & moræ rale est. Si paucula quædam inveneris, quæ tuum (respectivè) captum excedunt, v. g. de constitutivo peccati, & similia, oculos ad faciliora converte, & perpende, quòd teste Operis huius frontispicio pluribus debitor sim, & quòd ex his clarescant alia eis annexa. Observo, paucis exceptis, post binum brevem Tractatum Proœmialem, ordinem Quæstionum *Angelici Doctoris* in *Summa*; incipiendo à 1.2. & addendo, in quò loco S. D. de hac, vel illa materia tractet, v: possis, si placuerit ad fontem ipsum, ex quò hos rivulos deduxi, recurrere. Multis multorum DD. Authoritatibus, Sententiarumquè allegationibus (quæ iuniorem de huius, vel illius Sententiæ amplexu non ratò perplexum faciunt) chartam cum tua nausea, & sine fructu replere nolui, nisi fors, vbi Quæstio nonnihil controversa est. Sufficit tibi invicta Authoritas S. Thomæ, & Thomistarum. In Casibus, & Casibus gravioribus crebrò exprimam, quæ Sententia mihi minùs, quæ magis probabilis sit. Quæ tutior, non tamen semper probabilior, nec necessario sequenda. Quæ Sententia mihi probabilior, si & tibi talis videatur, tu, non ob meæ, sed Thomisticæ Authoritatis, ac rationes pondus, eam amplectere. Sin minùs, cave.

Dividitur hoc *Tribunal* in sedecim Tractatus. Hi subdividuntur in diversa particularia Examina. Hæ in Quæstiones, & Quæstiunculas pro materiarum diversitate.

Advertis indubiè, *Lector benevole*, scopum, & intentionem meam, quæ non alò collineat, nisi vt Theologorum Moralium præcipuè Sacerdotum, ad Curam Animarum aspirantium, profectui serviam, ne, sicut populus, sic sit Sacerdos, rudis, Legis Dei ignarus, stupidus, charactere sacerdotali indignus.

Audite hæc Sacerdotes, & auscultate iudicium Oseæ 5. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Oseæ 4. ait Dominus ad Sacerdotem Curatum, Sanguinem commissi Gregis de manu eius requirens. Vt ergo labia Sacerdotis custodiant scientiam Malach. 2. & ne, *dum cæcus* Sacerdos populo *cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadant* æternæ damnationis: Matth. 15. Pro subsidio cape hunc meum laborem, qui, si tibi placet, benè est; vtere eò ad famosiorum Casuistarum intelligentiam. Si displicet, vade tu, Zoile, & fac melius. Hoc vnicum suadeo, probabiliorismum amplectere, non quà meum, sed quà aliorum Sen- & Saniorum, quorum non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere. Cæterùm si quid in hoc Opus irrepsisset à genuino Matris Ecclesiæ, vel Angelici Doctoris sensu alienum, millies revocatum esto.

ABBREVIATA SIC LEGE.

S. T. Sanctus Thomas. *S. D.* Sanctus Doctor. *T.* Tractatus. *E.* Examen. *R.* Respondetur. *Q.* Quæro. *N.* Numerus. *C.* Concedo. *N.* Nego. *Dist.* Distinguo. *Mai.* Maiorem. *Min.* Minorem. *Conf.* Consequentiam. *NB.* Nota Bene. *In-vel potens.* Impotens, vel potens. *Sub, & consequuntur*, subsequuntur, & consequuntur. *Sen, & Saniorum*, senum, & Saniorum, & sic alia.

TRA-

TRACTATUS I.

ET PROOEMIALIS,

De Requisitis in Confessario.

NULLA est disciplina, vel ars, etiam illiberalis, ac mechanica, cuius in Magistrum antequam quis creetur, non sit Candidato subeundum examen; vel opere ipso, sive artefacto comprobandum, quòd eos in arte fecerit progressus, vt Magistrorum Catalogo possit meritò accenseri: *Nam sunt plerique* (ait S. Gregor. in Prolog. Pastor.) *qui dum meriti se nesciunt, quæ non didicerunt, docere concupiscunt: qui pondus Magisterij tantò leviùs æstimant, quantò vim magnitudinis illius ignorant.* Et his væ! & vel maximè Væ illis, qui se, inscitiamque suam meriti nesciunt, cum qua animarum curæ, muneri, angelicis etiam humeris formidando, se accingunt, sæpè quò stupidiores, eò ad id promptiores: quæstui temporali interdum magis, quàm spirituali inhiantes. Hinc non mirum, quòd animarum Curæ applicandi priùs citentur ad Tribunal, rigidè examinandi, an Magisterio digni, inque aliorum Doctores, ac Iudices sint creandi, necne. Pro quorum eruditione, sit.

EXAMEN UNICUM,

De Examine, Potestate, Virtutibus, Scientia, Officio, & obligatione Confessarij.

De quibus S. D. partim in Supplemento, 3. part. quæst. 8. & 18. & 19. partim in Opusc. 64. & 65. de Officio Sacerdotis.

* Num. 1. QUÆRO I. Ad Curam animarum aspirans, teneriſne te priùs sistere examini, in quo tenteris, ac iudiceris, an ad arduum, & tremendum hoc officium sis aptus, necne? *Respondeo.* Turtisimè; & probabilissimè verbis Concilij Trid. sess. 23. c. 15. *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi à peccatis accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si iis illis videbitur, aut aliàs idoneus iudicatur: & approbationem, quæ gratis detur, obtinuerit: privilegijs, & consuetudine quacumque, etiam immemoriali, non obstantibus.*

Ex his Concilij Tridentini verbis ad Quæsitum respondeo sub distinctione. Si cui legitimè est collatum beneficium curatum, seu habens annexam curam animarum, non indiget alio examine, approbatione, vel expositione: & sic fit in Parochis; eo ipso enim, quòd Episcopus talem censuerit idoneum pro administratione Officij Parochialis (quòd iudicium etiam solet fieri per examen) eum approbavit, & exposuit ad audiendas Parochianorum confessiones: nisi fortè in ea Diœcesi obstaret specialis Constitutio Synodalis, vt scribitur esse in Diœcesi Constantiensi. Verùm Religiosus, etiam exemptus, non Parochus, speciali examini se sistere tenetur.

* 2. *Sed quid*, si Religiosus ad Curam animarum, sive ad confessionum audientiam aspirans, sit Superior, seu Prælatus alicuius Monasterij, vel Provinciæ, si Licenciatus, vel Doctor Theologiæ, si Publicus Professor, honne eo ipso est liber ab examine? *Dico.* Non est, si Parochiali beneficio careat. *Ratio.* Quia Concil. Trid. vniversaliter definit, *nullum Sacerdotem, etiam Regularem, posse sæcularium, etiam Sacerdotum, confessiones audire, nisi, &c* vt antè. Ubi autem Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: vt aiunt Iura. Et licèt tali viro non desit scientia, fortè tamen deest experientia, & prudentia ad hoc conscientiæ forum necessaria: cuius proinde examen Episcopo committitur.

* 3 *Esto ergo*, Episcopis examen illud semper liberum? *Affirmo.* Iuxta quod revocando privilegia à seipso 1567. quoad hoc concessa definivit Pius V. anno 1571. octavo Idus Aug in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis providentia.* In quâ sic statuitur: Hac nostra pro tua Constitutione decernimus, & declaramus, decretum Concilij Trident. de Approbatione Regularium, audiendis confessionibus sæcularium præpositorum, observari debere etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, etiamsi sint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum suorum licentia, graduati vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Provincialibus Ministris, sæcularium Confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen, eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, & Diœcesi sea, prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterùm non examinari, ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari denuò posse, *hæc ibi.* De quibus redibit sermo infrà in *T. de Pœnitent.* circa Bullam Clementis X. quæ incipit: *Superna.* Vide *T.* 13. *E.* 5. *num.* 29.

* 4 *Sed nonne* Episcopus, eiusque Vicarius hoc examen Religiosis, graduatis, ac promotis, potest remittere? *Dico.* Potest remittere omnibus, de quorum sufficientia, & idoneitate se moraliter certum æstimat, præsertim Graduatis, promotis, ordinarijs Professoribus. *Ratio.* (*quia discretio* (*quæ est Mater virtutum*) *honestas*, & æquitas postulat, vt non examinentur tales, qui habent publicum suæ scientiæ testimonium. Et ideo notanter dicit Concil. Trid. cit. *si ita illis videbitur, aut aliàs iterum iudicetur.*

Hæc non considerant illi Examinatores, qui tam strictè iuris, immò strictioris observantiæ sunt, vt indifferenter omnes, sine personarum respectu, graduatos, Doctores, Priores, Guardianos, Provinciales, &c. examinent. Quâ tamen in rè ego eos neutiquàm carpo. Alij econtra discretiores Charactere Candidari respiciunt, ac sine examine idoneos declarant, quos vox Populi (quæ est vox Dei) canonizat. Nec immeritò, præsertim si tales sint, qui per complures annos, vel in Vniversitatibus, vel in Monasterijs Theologiam docuerunt. Sunt alij, qui (re iuris sui videantur ignorantes, vel prodigi) vnica quæstione Candidatum expediunt. Alij sunt Ordinarij, aut Generales Vicarij adhuc mitiores, qui Sacerdotes Regulares, nullo etiam gradu insignitos (modò offerant, vel mittant authenticam Superiorum attestationem de idoneitate domi per rigorosum examen explorata) ad confessionum audientiam admittunt: aliquando etiam absentes, per litteras rogari.

* 5 Hæc de rè in Constitutionibus nostris, *dist. 2. cap. 12 lit. B.* circa finem sic legitur: Declaramus in Capit. Bonon. 1564. ex Trid. Concilio sic fuisse statutum: Prælati Ordinis diligenter attendant, quæ per Reverend. Epist. operum observantiam à Sancta Synodo fuerunt statuta. Et si expositos ad confessiones, aut promovendos ad Ordines velint examinare, humiliter pareant, nequè ipsis contradicentibus etiam Electis nostris prædicare præsumant. Et si in aliquo horum duris aliquando cum Fratribus nostris agere videantur, æquo animo sustineant, nec de eâ re quæstiones habeant, aut lites intendant. Cæterùm si non ferenda gravamina interim occurrant, consulatur Reverendissimus Generalis Magister, vel illius Provinciæ Superior Prælatus: & secundùm eorum consilium de opportuno remedio provideatur. Hæc ibi. Vide infrà loco citato dictam Bullam Clemen. X.

* 6 *Quantam obligationem* habent Superiores Regularium, & Examinatores, qui sunt ex Ordine, vt non nisi idoneos Episcopis præsentent pro confessionum audientia? *Dico*: Scire hoc debent ex suis propriis Statutis. In nostro Ordine Romæ 1589. ex auctoritate Apost. Sixti V. vt patet in ordinationibus auctoritate Apost. editis, ordinat. 4. sancitum est sic. Nullus admittatur ad Sæcularium, vel Fratrum confessiones audiendas, nisi pariter per eum nequè examinatores, vel vbi ei non supperunt idonei Patres, per tres vel minus sufficientes iudicatus fuerit, præcipientes ipsis, sive Prædicatorum, sive Confessorum Examinatoribus respectivè sub eodem præcepto formali, eademquè excomunicationis latæ sententiæ pœna, vt per vota secreta sua dantes suffragia, seclusò omni particulari affectu, insufficientes excludant, & sufficientes, ac idoneos tantummodò admittant. Hæc ibi. Idem fuit confirmatum Romæ 1601. Conf. 5. Vallisoleti 1605. Conf. 3 & Parisijs 1611. Conf. 27. vbi ità additur: Volumusque eandem ordinationem inviolabiliter observari sub pœna excomunicationis tam à Præsicentibus Conventuum, ne quemquam aliter ad prædicandum, aut confessiones audiendum admittant: quàm à Prædicatoribus, & Confessarijs, ne aliter dictis officijs fungi *præsumant*. Hæc ibi. Idem vide in Constit. nostris, *dist. 2. cap. 12.*

* 7 *Tenenturne* Confessarij Regulares intra Ordinem sæpius se examini sistere? *Dico*, vt antè, scient hoc ex propriis Statutis in nostro Ordine Valentiæ 1647. Ord. 4. sic fuit statutum. Ordinamus, quòd qui imposterum approbandi erunt ad audiendas Confessiones tam Fratrum, quàm Sæcularium, & Monialium, nisi aliàs sint Graduati, vel in Studio Generali Prædicatores, vel Lectores instituti, tribus vicibus, de triennio in triennium, in aliquo Conventu, vbi vigeat Studium Theologiæ, examinentur: & solùm post terminum examen simpliciter approbati esse censeantur: declarantes, quòd aliàs quantùm ad formam, & secum examinis servetur vsus Provinciarum. Hæc ibi. Plura similia vide in nostro Fontana de Confessoribus, *lit. C.*

* 8 QUÆRO II. Quid est Cura Animarum? Quid Confessio? Quid Confessarius? & quò is approbandus? *Resp.* 1. Curare Animas, sub earum curam gerere est prædicare, ac docere eâ, quæ saluti sunt necessaria; ac tollere mortos animæ nimirùm peccata, administrando Sacramenta ad sanandas, seù curandas Animas à Christo instituta *Resp.* 2. Cura Animarum; seù potestas curandi est duplex. Vna ordinaria, quæ competit ex vi officij, v. g. *Episcopis, Parochis, &c.* alteri delegata, vti est in *Religiosis.* De quò redibit sermo in *T.* 13. *de Pœnit. Resp.* 3. Confessio definitur infrà *in dict. Tract.* quòd sit legitima, ac sacramentalis accusatio de proprijs peccatis ad eorum veniam virtute Clavium obtinendam coram Sacerdote facta.

Quæcumquè hic quæri, ac dici possent de Sacramento Pœnitentiæ, dilucidiùs in cit. *T.* 13. nimirum de essentia, institutione, necessitate, ac partibus eius in generali, materia, & forma, & de virtute Pœnitentiæ in *E.* 1. eiusdem *T.* vide ibid *n.* 2 *& seq.* De effectu pœnitentiæ in *E.* 2. *De contritione* in speciali in *E.* 3. De confessione, eius necessitate, & quiditate in *E.* 4. De qualitate confessionis in *E.* 6. De Sigillo Confessionis in *E.* 7. De satisfactione in *E.* 8. Quæ omnia ibi velut in proprio loco tractantur.

Resp. 4. Confessarius definitur, quòd sit, Sacerdos habens potestatem Clavium, vel prædictus, potestate

te ligandi, & solvendi in foro sacramentali, seù sacramentaliter confitentem; approbandus à Superiore in eodem foro. Quæ circa ministrum Confessionis, seù Confessarium dici possunt, vide *T.* 13. *E.* 5. *nu.* 1. Nimirum, quis sit minister, & quotuplex, ac quæ eius potestas, & quotuplex. Quid sit approbatio quid iurisdictio, à quò danda. De Confessarijs Regularium, item monialium; & similia plura ibidem tractantur.

* 9 QVÆRO III. Quid est Clavis, seù potestas Clavium, cuius meministi? Et quomodo differt à charactere Sacerdotali? Et à quò data est? Ante *Resp.* suppono dari in Ecclesia Claves. Quod S. Th. in Supplemento 3. *part. q.* 17. *art.* 1. *in sed cont.* probat ex illo Christi ad Petrum, Matth. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*: Hoc suppositio.

Resp. 1. Clavis benè definitur, quòd si potestas ligandi, & solvendi, quâ Iudex Ecclesiasticus dignos recipere indignos excludere debet à Regno. Ita S. D. *q.* 17. *art.* 2. *Declarat hoc ibidem.* Secundùm Philosophum in 2. de anima, potentiæ per actus definiuntur, undè cùm Clavis sit potentia quædam, oportet, quòd per actum, sive usum suum definiatur: & quòd in actu objectum exprimatur, à quò actus recepit speciem: & modus agendi, ex quò apparet potentia ordinata: actus autem potestatis spiritualis non est, vt Cœlum aperiat absolutè, quia iam est apertum (puta per Passionem Christi, vt dixit S. Th. *art.* 1. *ad* 1.) sed, vt quantùm ad hunc aperiat, quod quidem ordinatè fieri non potest, nisi idoneitate ejus (cui aperiendum est) pensata. Et ideò in prædicta definitione Clavis ponitur genus, scilicèt potestas, & subjectum potestatis, scilicèt Iudex Ecclesiasticus: & actus, scilicèt excludere, & recipere, secundùm duos actus materialis Clavis, qui sunt, aperire, & claudere: cuius objectum tangit in hoc, quòd dicit, à regno: modus autem in hoc, quòd dicit, dignos, & indignos, in illis, in quos actus exercetur, pensatur: Hæc ibi.

Idem explicat Angel. Doctor, *ibid. art.* 1. *in cap.* dicens: *In corporalibus Clavis dicitur instrumentum, quò ostium aperitur, regni autem ostium nobis per peccatum clauditur: & ideò potestas, quæ tale obstaculum removetur, dicitur Clavis*, puta metaphoricè, vt ibi. ait in fine corp. Adde ex eodem art. quòd Sanctissima Trinitas, seù Deus habet Claves auctoritatis, Christus Claves Excellentiæ, Ecclesia, seù ministri eius, Claves ministerij. Sicut ergo Clave materiali ostium aperitur, & clauditur, ita Clave hac spirituali, dignis, ideſt, verè pœnitentibus, Cœlum aperitur; indignis verò clauditur, seù clausum relinquitur. Ex quò patet, quare vocetur potestas ligandi, & solvendi, dignus enim absolutione, seù verè pœnitens, à vinculis peccatorum solvitur; indignus ligatur, seù manet, ac relinquitur ligatus. Vel vt paulò aliter ait S. D. *q.* 18. *art.* 3. *in cap.* Solvit Sacerdos, inquantùm peccata dimittit: ligat, inquantùm non absolvit, sed ligatos ostendit: solvit à pœna, quàm remittit: ligat ad pœnam, quæ remanet, & quàm imponit.

Resp. 2. Potestas Clavium, quæ est idem, quod potestas iurisdictionis, realiter moraliter distinguitur à potestate Ordinis, seù charactere Sacerdotali. *Ratio* videatur in *T.* de Pœnit. infrà *E.* 5. Vbi etiam dabitur definitio potestatis iurisdictionis.

Resp. 3. Potestatem Clavium Christus Ecclesiæ promisit, Matth. 16. illis verbis. *Tibi dabo Claves. Quodcumquè solveris, & ligaveris super terram, erit soluctum, vel ligatum, & in Cœlis.* Dedit autem actu Ioan. 20. quando Apostolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* Et tunc instituit Sacramentum Pœnitentiæ, vt dicetur *T.* 13. cit. *E.* 1. *num.* 2.

* 10 *Quare in plurali* vocantur Claves, cùm sit vna Clavis, quæ aperit, & quæ claudit; vna potestas, quæ solvit, & quæ ligat? *Dico* cum Ang. Doct. *cit. q.* 17. *art.* 3. *in cap.* in essentia, ac realiter esse vnam Clavem, ac potestatem, vocari autem in plurali Claves ex comparatione ad diversos actus, quorum vnus alterum præsuponit, & vterque auctoritatem, ac potestatem quandam exigit. Quorum actuum vnus, est iudicium discretionis de idoneitate confitentis, ob quàm potest solvi, & ad regnum recipi: vel de inidoneitate, ob quam ligatur, & à regno Dei excluditur, seù regnum ei non aperitur. Alter actus est ipsa actualis absolutio, seù apertio regni, aut receptio ad regnum, vel exclusio ab illo.

Explicat hoc noster Soto *in Tract. de Institutione Sacerdotum*, vbi cum S. Thoma; *q.* 17. *art.* 3. *ad* 2. aliam vocat Clavem scientiæ, aliam potestatis. Per priman non intelligitur scientia in quovis Confessario requisita, hæc enim proh dolor! Multis deest; undè eam non vocat scientiam, sed Clavem scientiæ, estquè ipsa potestas cognoscendi, inquirendi, & iudicandi dignum, vel indignum absolutione. Per Clavem potestatis intelligitur ipsa authoritas absolvendi, vel retinendi peccata; ac mittendi, vel excludendi à regno. Potest etiam distingui, quòd alia sit Clavis *Ordinis*, alia *Iurisdictionis*. Prima est ipse character Sacerdotalis, seù potestas Ordinis, nimirùm super Corpus Christi verum in Eucharistia consecrandum: quæ datur in Ordinatione. De altera patebit infrà loco citato de Pœnit. Ex his colligitur, quid sit, hoc vel illud dictum, aut factum subjicere Clavibus Ecclesiæ, est enim ac subjicere iudicio Confessarij, ac potestati ligandi, & solvendi per sacramentalem Confessionem.

* 11 QVÆRO IV. Quibus Virtutibus Confessarius debet esse instructus, vt dignè animarum curam gerat? *Resp.* Cùm Sacerdos in dimittendis hominum peccatis Dei Vicarium agat, ac Cœli Clavigerum, omnibus eum virtutibus instructum esse, maximè convenit. Sex tamen potissimum virtutes in eo resplendescere debent.

Primus virtus est Integritas mentis, nimirùm, vt sit *integer vitæ, scelerisquè purus*, mundus in conscientia, nulla censura innodatus. Dum ergo Sacerdos tanto huic ministerio, confessionali nimirùm se accingit, emundet priùs propriam conscientiam à sordibus peccatorum, maximè mortalium: ne, dum alios mundat, ipse sordescat.

Tenuis ne ergo confiteri, priusquàm confessionem excipias, si in mortali sis, & copiam Confessarij habeas? *Dico* esse de consilio, & me oprimè facturum: non tamen est de præcepto, sed sufficit elicere contritionem. De quò infrà *T.* 11. *E.* 4. *num.* 29. Vbi etiam patebit differentia, cur celebraturus Missam teneatur in eo casu priùs confiteri. De hac prima Confessarij virtute Ang. Doctor, *cit. Opusc.* 65. sic ait. *Mundus in vita necessaria est, vt in nullo eorum sit iudicandus, quæ in alijs est iudicare paratus: iuxta illud Domini: qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.*

Secunda virtus est mansuetudo, quia Confessor comparet tanquàm Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Vnde S. Thomas *in cit. Opusc.* 65. in fine: *Dum pœnitens confitetur, Sacerdos se exhibeat benevolum,*

affabilem, & humanum, vt pœnitens non impediatur in confessione: confortet ipsum, vtendo diversis experimentis ad sanandum ægrotum nunc leviando, & consolando per spem veniæ, & gaudium vitæ æternæ. Subdit autem S. D. si pœnitens suavibus non moveatur: *Postea terrendo per pœnas æternas, & incendia gehennæ ostendendo: sicut viderit expedire.*

Tertia est humilitas, qua etiam se ipsum peccatorem agnoscat, sibi suisquè viribus diffidat, & confidat tantùm in illum, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. *Quarta est Charitas*, quæ est vinculum perfectionis, *Coloss.* 3. & finis præcepti Charitas, 1. *Timoth.* 1. Et Amanti nihil difficile. *Quinta est Iustitia*, quâ dignos solvat indignos liget, in sensu ante explicato: cogatque pœnitentem, vt faciat, ac restituat, quod ex iustitia debet: ne se iniustitiæ reum faciat. *Sexta est Oratio*, seù sedulitas in orando. Nam *Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus flagellum*, ait S. August. Ex dictis, & dicendis patet, quid sit respondendum quærenti: Quæ, & quot sunt (præter potestatem absoluendi) requisita ex parte Confessarij, vt debitè hoc officium administret? Et solet responderi: Tria sunt, nimirum *Scientia Prudentia* (de quibus statim dicetur) *& bonitas*, quæ idem est ac iam explicata mentis integritas, complectiturquè reliquas prædictas virtutes.

* 12 QUÆRO V. Quæ prudentia, & scientia in Confessario requiritur? *Resp.* 1. Indubitatum est, singularem prudentiam, & scientiam in Confessario requiri. *Ratio* patet ex præfatione huius libri circa finem. Tum quia Dominus sanguinem commissi gregis de manu Sacerdotis requiret. Tum ne, dum cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadant. Tum tandem, quia triplex officium Confessario incumbens (cuius fiet mentio in R. ad *Q.* 8.) absque singulari prudentia, & scientia administrari nequit.

Resp. 2. Quanta scientia in Sacerdote sufficiat, vt sacramentum Pœnitentiæ sine peccato administret, per vnam certam regulam definiri non potest, sed debet relinqui arbitrio boni viri prudenter considerantis qualitatem loci, vbi confessiones sunt excipiendæ. *Ratio.* Quia potest quis in vno loco v. g. in pago, & pro hominibus simplicibus esse idoneus, qui in aliquo emporio, vel loco celebri non subsisteret ob frequentes casus in contractibus, iudicijs, matrimonijs, &c. Item maiori scientia debet pollere is, qui exponitur pro toto Regno, quàm qui tantum pro vna Diœcesi, non adeò protensa. Et minor scientia sufficit in eo, qui exponitur pro loco, vbi sunt multi viri litterati, quos possit consulere, quàm vbi nullus est talis.

Resp. 3. Duplex in præsenti scientia considerari potest. Una eminens, & perfecta, altera mediocris, & sufficiens. Prima etsi sit optima, non tamen est absolutè necessaria: altera verò omnibus necessaria est, & sufficit. *Declaratur.* Ad posteriorem scientiam requiritur, vt Sacerdos præter essentialia, ac integralia sacramenti Pœnitentiæ, sciat *Primò* dignoscere bonum à malo, & distinguere *inter lepram, & non lepram*, quia aliàs iudicabit bonum malum, & malum bonum. Hanc verò distinctionem scier ex eo, an actio sit con- vel difformis rectæ rationi, legi divinæ, præceptis Ecclesiæ, &c. *Secundò* vt sciat discernere inter peccatum mortale, & veniale, seu, vt Theologi loquuntur, *inter lepram, & lepram.* Quia non cognito morbo infirmum curare nequit. *Tertiò* noscere debet circumstantias speciem mutantes, & intracandem speciem notabiliter aggravantes, vel diminuentes. De quibus infrà. Undè S. Thom. in cit. Opusc. ait: *Inquirat diligenter Sacerdos circumstantias peccatorum, tempus, modum, locum, & casum, &c. vt pœnitentes ex ignorantia, vel verecundia non celent peccata. Quarto* à quibus peccatis possit absolvere, nempe. Hinc scire debet peccata, casus, ac censuras reservatas, saltem communiores. Et si, auditurus est Clericos, debet etiam scire, in quibus casibus incurratur ab ijs irregularitas, ac suspensio, & quomodo, aut per quem hoc vinculum possit tolli: qualiter ipsi Clerici in hoc vinculo se debeant gerere. *Quintò* scire debet, in quibus casibus sit iteranda confessio, & imponenda restitutio. *Sextò* quando pœnitenti absolutio sit deneganda, vel saltem differenda. *Septimò* debet esse instructus circa peccata cogitationis examinanda. *Octavò* quas, aut quantas pœnitentias debeat imponere, *vt ex errore non imponat falsa pœnitentias, per quas anima ad infernum trahuntur*, vt loquitur S. Thom. in *Opusc.* 65. Quòd vlteriùs sic explicat: Sacerdos consideret qualitatem peccati, & peccantis, vt, si est senex aut iuvenis, aut dives, aut pauper, debilis aut fortis, si est benè compos, aut compunctus, & alia: & omnibus benè consideratis imponat ei pœnitentiam, prout arbitrio suo viderit expedire. Ita tamen, quòd iuvenibus, maximè mulieribus non imponantur itinera, & vagationes propter ætatis fragilitatem: quia in eundo, & redeundo mulier iuvenis audit, & videt aliquid, per quòd colligit venenum mortis, & infundit alijs: quia non solum tactu, & eius affectu, sed & aspectu quæcunque appetitur, & quisque appetit concupiscentiam fœminarum. Masculis autem iniungat pœnitentiam, scilicèt, genuflexiones, & alias satisfactiones in Ecclesia faciendas, ad tollendam malam consuetudinem de non veniendo ad Ecclesiam diebus Dominicis, & festivis. Hæc *ibid. S. Thom* qui circa quantitatem pœnitentiæ statim subdit.

Sit autem Sacerdos ita cautus, vt non imponat pœnitentiam ita gravem, & austeram pœnitenti, vt pœnitens totum dimittat: sicut adolescens, qui tascem deiecit à tergo, quem super humeros portare non potuit: vt 26. *q.* 7. *Alligant.* Sed nec ita levem imponat, ne peccator contemnat peccatum, & vt ex levitate pœnitentiæ relabatur libentiùs in peccatum: vt 50. *dist. cap.* 1. Faciat ergo quoddam temperamentum ex misericordia, & severitate, vt pœnitentia non sit nimis dissoluta, nec nimis rigida: vt *dist.* 45. *Sunt namque.* Tamen tutius est ponere minorem debito, quàm maiorem, quia melius excusatur apud Deum propter multam misericordiam, quàm propter nimiam severitatem: vt 26. *q.* 7. *Alligant in fin.* quia talis defectus in Purgatorio supplebitur, 25. *dist. Qualis.* Sed tamen reiteranti peccatum gravior est pœnitentia iniungenda: vulnus enim iteratum, si incurratur, gravius est ad sanandum. Ut de pœn. dist. 4. Hæc S. D.

Nonò debet Confessarius in occurrentibus difficultatibus saltem posse dubitare, & in dubio doctiores, vel libros consulere. Si ergo occurrat casus, in quo Confessarius ex se ipso non est sufficiens ad resolvendum, moneat pœnitentem, esse rem non modici momenti, esse eam priùs benè ponderandam cum aliorum doctiorum consilio, an velit eorum iudicio stare, & proximè redire: quòd si affirmet, & absolutio commodè, ac sine nota differri possit, differatur: si non possit, absolvatur pro hac vice cum onere redeundi. De omnibus dictis punctis redibit sermo, in decursu huius Tribunalis in propriis locis.

Scientia eminens & perfecta vltra hæc omnia probè callet totam Theologiam moralem, & sacramenta-

talem, vtriusque iuris peritiam, & Constitutiones Synodales illius Religionis, in qua confessiones audit. Hæc non necessariò requiritur in omni Confessario, benè tamen in Episcopis per se ipsos iudicantibus, ac definientibus, in Vicarijs Generalibus, in Consiliarijs Ecclesiasticis, & similibus: quia ad hos Clerici, & Curati inferiores recurrunt.

Resp. 4. Ad prudentiam spectant diversa à Confessario observanda. *Primò* vt prudenter admoneat pœnitentem, vt sepositio omni humano timore omnia peccata cum suis circunstantijs exprimat. *Secundò* prudenter procedat in iniungendo pœnitentiam, secundum dicta: & in præscribendo opportuna remedia. *Tertiò* caveat Confessor, ne enorme peccatum audiens hæreat similis attonito, vel gestu, motu, suspirio, aliove simili modo det iudicium indiscretę displicentiæ, ne hoc pacto pœnitentem terreat ab enarrandis alijs enormibus delictis. *Quartò* ne audito vno, alterovè peccato, in ipso limine confessionis exaggeret, seu pœnitenti exprobret peccatorum gravitatem, miserum statum, &c. hoc enim commodiùs fit omnibus peccatis recensitis.

Resp. 5. Scientia in Confessario requisita, sive sit eminens, sive sufficiens, est triplex; scilicèt, Scientia potestatis, iuris, & facti. *Declaratur.* Ad scientiam potestatis spectat, scire, super quæ peccata, censuras, causas matrimoniales, ieiunia, iuramenta, vota solvenda, commutanda, vel dispensanda, habeat potestatem, & iurisdictionem. *Ad scientiam iuris*, puta, passivi (per quam intelligo notitiam obligationis, quàm ipse Confessarius habet ad certa officia in suo ministerio peragenda) ad hanc inquam spectat nosse, an & quando Confessarius obligetur pœnitentem de peccatorum numero, ac circumstantijs examinare, ad dolorem, si desit, excitare: restitutionè iniungere, sigillũ servare, quomodo possit defectus in confessionum audientia fortè commissos emendare, eodem iure tenetur scire ordinarios modos, quibus homo contra Dei, aut Ecclesiæ leges, contra proprium statum, & officium peccare potest. Item quomodo teneatur fungi triplici officio. De quo postea ad *Q.* 8.

Tandem *ad scientiam facti* spectat scire, an pœnitens commiserit mortale, vel veniale, vnum, vel plura. Pro cuius cognitione sciat. 1. *Quibus* peccatis ex genere suo insit malitia mortalis, vel venialis. 2. *Quæ* circunstantię speciem mutent, quæ verò intrà eandem notabiliter aggravent. 3. *Quæ* circumstantiæ ex mortali faciant veniale, vel econtra. 4. *Vndè* desumatur distinctio specifica, & numerica peccatorum. De quo vide infrà *T.* de vitijs, & peccatis.

* 13 QUÆRO VI. Teneturne Confessarius sub mortali se qualificare, aut peccatrix mortaliter, audiendo confessiones sine sufficiente scientia? *Resp.* Affirmativè. Patet tum ex illo 1. Cor. 14. *Qui ignorat, ignorabitur*, tum ex S. Th. *Opusc.* 65. vbi ex sententia Salvatoris adducit illud: *Si cæcus cæcum præsumat ducere secum, in foveam ductor primus cadit, inde secutor.* Item ibidem ait: *Certè cùm videbimus medicos corporum revolvere quotidiè, & legere libros physicales, & medicinales, in quibus docentur curare corpora moritura, magna stultitia est, non legere libros Sanctorum, medicinales animarum: in quibus docemur curare animas in æternum victuras. Maius est damnum vnius animæ, quàm de morte innumerabilium corporum. Vt* 24. *q.* 3. *Si habeas. Circa finem. Ratio.* Tum quia lex naturalis dictat, quemlibet teneri tanta pollere scientia, quanta requiritur ad suum munus rectè obeundum, vt patet ex *S. Tho.* 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. *in c.* Tum etiam, quia aliàs Confessarius se, & pœnitentem exponit periculo lapsus in foveam æternæ damnationis. Et hæc sententia est rutissima, & probabilissima. Sequitur ex his, quòd Superiores Confessariorum, sive Episcopi sint, sive Regulares, sub eodem onere teneantur suos subditos ad illam qualificationem compellere, exhortari importunè, opportunè. Cæteroquin vtriusque Væ! Quia Superioribus incumbit attendere, ne per suos animæ pereant.

* 14 *Nonne* illos Confessarios, qui se ineptos iudicant, approbatio, vel obedientia ad audiendas confessiones à Superioribus imposita, coram Deo excusat? *Dico*, quòd non. *Ratio.* Quia Superior scientiam non infundit, & obedientia illa supponit obligationem se qualificandi. *Sed si quis dubitet* de sua capacitate? *Dico*, potest stare iudicio examinatorum, qui eum idoneum censuerunt, vel vt talem approbarunt: nisi forte illam scientiam, quàm in examine ostendit, per negligentiam perdiderit. Item potest se conformare præcepto Superioris, si hic eum idoneum censeat, & sciat, Prælatum id muneris non iniungere ex passione, ira, &c.

* 15 QUÆRO VII. Quid sentis de eo, qui studiosè quærit ignorantem, & stupidum Confessarium? Vel de casu in quo non est alius? *Resp.* 1. ad 1. p. certum esse, quòd graviter peccet illi confitendo. *Ratio.* Etsi adsit debita materia, forma, & iurisdictio, attamen pœnitens videtur esse indispositus, ex eo, quod peccatorum suorum gravitatem videatur velle tegere, nec de illis ex animo dolere: cùm sciens, & volens absolutionem petat ab eo, quem scit esse inidoneum. Præterquam quòd antè probatum sit, talem confessiones audiendo moraliter peccare; cui peccato ille cooperatur. Ergo.

Resp. 2. Iuxta S. Anton. 3. *p. tit.* 17. *c.* 6. sunt tres casus in quibus imperitus Confessarius excusatur. *Primus est*, quando is, qui confitetur, est sibi ipsi valdè sufficiens, ad peccatorum suorum gravitatem cum omnibus circumstantijs Confessario explicandam: estque vir timoratæ conscientiæ. *Secundus est*, quando confitentes sunt personę spirituales, solitæ sæpiùs confiteri, & communiter solis venialibus subiacent. *Tertius est*, quando pœnitens est in articulo mortis, & non adest alius confessarius præter imperitum. *Addi potest*, idem esse de casu (extra articulum mortis) quo non esset copia peritorum Confessariorum, præstat enim, imperitum Confessarium confessiones audire, quàm populum longo tempore hoc sacramento destitui. Pariter idem est de Confessario Christianorum, qui vel vinctus, vel etiam soluti degunt apud infideles, v. g. Turcas, &c. si peritior haberi nequeat.

* 16 QUÆRO VIII. Quæ sunt munia Confessarij, ad quæ obligatur? *Resp.* Tria maximè sunt: nimirum officium Iudicis, Doctoris, & Medici. *Declaratur.* Præcipuum inter hæc tria est officium Iudicis, aperte à Christo indicarum illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Ex vi huius officij Confessarius aliquando (vt postea specialiter explicabitur) tenetur pœnitentem de peccatis examinare: an mortalia, vel venialia sint, iudicare: solvere, vel ligare: id est, absolutionem dare, vel denegare, aut differre; pœnitentiam, & (si casus petat) onus restitutionis imponere. *Vt Doctor* tenetur pœnitentem instruere in misterijs præcipuis fidei, in reformanda conscientia, ac in requisitis ad confessionem, si in eis deficiat. Tandem *vt medicus* tenetur vinum, & oleum vulneribus sauciati, seu pœnitentis infunderes id est, medicinas spirituales præscribere, remedia curandis animi morbis opportuna applicare, si non im-

imperando (quod non semper est necesse) saltem suadendo, monendo, &c. Undè à culpa excusabiles non sunt illi Confessarij, qui vix implicitè, vel explicitè se reflectunt, quò remedio pœnitentem à talis, vel talis peccati recidiva prætervent, sed auditis peccatis, etiam grandibus, pœnitentem cum vno, alterove *Pater*, & *Ave* dimittunt absolutum: si tamen coram Deo sit absolutus. Quales Confessarij proh dolor! Apud non paucos habent plausum, & accursum, sed ad suam, & pœnitentium perditionem.

* 17 *Sunne laudandi* illi Confessores, qui ex quadam Zelotypia ægrè ferunt, si sui pœnitentes confiteantur alijs? *Dico* esse meritò vituperandos. *Ratio*, Quia nemo venit ad Confessarium, nisi Pater Cœlestis traxerit illum, qui si eum trahat ad alium Confessarium, prior conqueri non debet. *Scribitur*, si pœnitens neglecto prudente Confessario, iret ad idiotam, ad hunc enim non traheretur à Pater Cœlesti, sed ad Angelo tenebrarum: iuxta dicta ad *Q.* 7. *Quæri hic possit*, quæ intentio ad absolvendum requiratur in Confessario. Sed hoc in *T.* de Sacram. in communi.

* 18 QUÆRO IX. Teneturne Confessarius omnia pœnitentis peccata audire, & in particulari determinatè semper iudicare, hoc vel illud est mortale, aut veniale? Vel licetne sub confessione, si longa sit, parum dormire? *Resp.* 1. Tutior, & probabilior sententia est, teneri Confessarium audire (quantùm possibile est) omnia peccata, nec licere sub confessionum audientia dormire, immò nec dormitare quidem studiosè, & ex intentione. Undè Confessor mortaliter peccat, si ob voluntariam dormitationem aliquod mortale non intelligat. *Ratio* desumitur ex Officio Iudicis, qui tenetur audire causam hominis rei, ne erret in ferenda sententia, & pœnitentia infligenda.

Hinc pœnitens advertens Confessarium dormitare, tenetur eum monere, vel tacere, vel non audita repetere: secùs non absolvitur. Aliud est, si non adverrat, & bona fide procedat: tunc enim ab auditis directè, & à non auditis indirectè absolvitur. Eadem est ratio de Confessario voluntariè distracto. De muto ex se patet, cùm non possit proferre formam absolutionis. Surdus absolvere validè potest, si peccata intelligat per signa, vel scriptum.

Resp. 2. Tutissimum est, si Confessarius (vtpote tantæ doctrinæ) in particulari exactè iudicet, quasi determinatè mentaliter dicendo: in hoc pœnitens peccavit mortaliter, in isto venialiter. Probabilius tamen est, non esse tam strictam Confessarij obligationem. *Ratio* 1. *p.* Quia tunc perfectius est iudicium. *Ratio* 2. *p.* Quia illud est moraliter impossibile. Contingit enim, quòd viri, etiam doctissimi, vix interdum possint tam exactum ferre iudicium. Ergo. Ex quò sequitur, quòd satis sit audire, & intelligere omnia peccata (licèt interdum dubitetur, an hoc vel illud mortale sit) vt in satisfactione imponenda possit pro possibili sufficienter recordari status pœnitentis.

Resp. 3. Non est opus angi, vel scrupulari Confessarium, si eò momento (quò pœnitentiam iniungere, & absolutionem dare vult) sine sua culpa non habeat distinctam singulorum peccatorum memoriam. *Ratio*. Quia hoc in Confessione longa, v. g. generali, præsertim per aliquot horas protracta, videtur impossibile. Hinc sufficit, quòd recordetur materiæ partis peccatorum, & cognoscat statum pœnitentis.

* 19 *Quid si ergo* pœnitens confiteatur peccata mortalia, quæ nec ipse, nec Confessarius dignosceret, sed tantùm putaret esse venialia? *Dico*. Si pœnitens verè de illis doleat, valida est confessio, & absolutio. *Ratio* Quia nihil deest, quod ad sacramenti valorem requiritur?

* 20 QUÆRO X. Teneturne Confessor pœnitentem examinare? *Resp.* 1. Si Confessarius videat, pœnitentem in se disponendo, & examinando moraliter sufficientem diligentiam adhibuisse (quod potest colligi, vel ex statu Personæ confitentis, vel ex tempore post priorem confessionem elapso) non est necesse eum examinare, nisi Confessarius certò sciret, vel probabiliter crederet, latere grave aliquod peccatum non expressum. *Ratio*. Quia esset multiplicare onia sine necessitate.

Resp. 2. Si pœnitens sit litteratus, non est facilè examinandus. Si tamen Confessor advertat, ex inadvertentia omitti aliquàm circumstantiam necessariò exprimendam, discrete est monendus, vt exprimat. *Ratio* 1. *p.* est quæ antè. *Ratio* 2. *p.* Quia aliàs in Confessor non satisfacit triplici officio antè mentionato, vt consideranti patebit.

Resp. 3. Dum homines rustici, rudes, & inepti se sistunt in confessionali sine vllo priùs facto examine, quod facilè quis advertit, dum subindè tacent, nec vllum peccatum exprimerent, nisi priùs interrogati, non debet Confessor facilè eos dimittere inauditos, sed brevibus, & discretis quæstionibus adiuvare. Præsertim circa illas materias, in quibus præsumitur illos magis delinquere, vt saltem speciem, & numerum confiteantur, licèt tam exactè omnia peccata non explicent. *Ratio*, quæ antè est data pro 2. *p. R.* 2.

Resp. 4. Confessor interrogando circa res impuras, cautè debet agere, ne in earum examine descendatur ad particulares modos, vel circumstantias: ex quò posset fieri, vt pœnitens in confessionali de similibus aliquid disceret, quod antè non sciebat, vel caperet occasionem turpis tentationis, aut scandali; vel etiam suspicionis, quasi Confessarius delectetur tali notitia, & examine. Ita Angel. Doct. *cit. Opusc.* 65. dicens: *Verumtamen dum Sacerdos inquirit de peccatis, aut de circumstantijs peccatorum, ita cautè inquirat, vt non instruat eum ad peccandum, quia nulli debemus parare laqueum*, 17. *dist. de viduis. Sub nullo. Ratio*. Tum ne paretur laqueus animabus. Tum ne Confessor ex Doctore sanctitatis fiat Doctor peccati.

Resp. 5. Interrogationes à Confessario factæ non sint molestæ, & longæ, nec fiant de illis, quæ non sunt ad rem, considerata qualitate, & statu Personæ. Hinc artifex non est interrogandus de quibuscumquè fraudibus, v. g. Sartor de ijs, quas alij sartores solent committere, si ipse sit vir timoratæ conscientiæ. *Ratio* est data pro R. 4.

* 21 QUÆRO XI. Debetne Confessor, confessiones excepturus, ad hanc functionem piè se disponere? *Resp.* Affirmativè, vt dignè hoc sacramentum administret; vndè in *Q. q.* requiruntur in eò variæ virtutes, & antè requisita fuit debita intentio, inferiùs in loco proprio explicanda. Præterea debet implorare assistentiam Spiritus S. *Ratio* patet ex arduitate, & sanctitate huius functionis.

* 22 *Debetne Confessor* suam functionem exercens stare, vel sedere, & pœnitens flectere, vel licetne inter ambulandum? *Dico*. Confessio sacramentalis facienda est Confessore sedente, pœnitente autem genuflexo, ac capite discooperto, nisi gravis necessitas, vel infirmitas excuset. Sacerdos celebraturus,

si vult confiteri, confiteatur antequàm sacras vestes saltem stolam, ac manipulum induat; pœnitens (idem est de communicaturo) si sit gladiatus, gladium deponat ad interim. *Ratio.* Quia ità decèt Iudicis authoritatem, & pœnitentis humilitatem: ne pœnitens videatur Cœlum velle intrare, vt dici solet, cum ocreis, & calcaribus.

* 23 *Requiriturne* specialis dispositio ipsius Confessionalis? *Ad hoc R.* cum S. Th. *in Opusc. cit.* dicente: curet autem sacerdos residere in tali loco, quando audit confessionem, maximè mulierum, quòd ab alijs videatur manifestè, sed à nemine audiatur, ne Laici, qui Clericis oppidò sunt infesti, & sunt proni ad suspicandum malum, ex siniſtra suspicione cordis percutiantur: sed à nullo audiantur, quæ ibi dicuntur, vt illud judicium soli Sacerdoti Confessori, & pœnitenti confitenti sit notum. Sufficit autem in illo divino officio testimonium Dei, & Sanctorum Angelorum, qui illic assistunt, & coram quibus illud judicium agitur. Hæc S. D. Optimè etiam ordinatum est, quod Confessionalia à lateribus Ecclesiæ extra Chorum, locis decentibus, cum fenestellis, crate aliqua distinctis, aptè collocentur. De hoc vide notas Const. *dist.* 1. *c.* 10. *lit. C.* circa finem.

* 24 *Estne singulare quid* observandum Sacerdoti in confessione mulierum? *Ad hoc R.* cum Ang. Doct. qui adhuc Novitius à fratribus suis, cum iterùm sæcularizare volentibus, violentè raptus, carceri inclusus, impudicam mulierem Virginitatis labefactandæ causâ immissam, titione fugavit, in trophæum victoriæ ab Angelis zona Virginitatis præcinctus: ille inquàm *in Opusc. sapiùs cit.* 65. sic angelicè discurrit: Caveat sacerdos, ne, dum audit confessionem mulierum, respiciat vultum earum, nec advertat qualitatem membrorum, propter quòd bonum est, & congruum, vt [illegible] teneat in confessione locum magis imum, & sacerdos magis altum, vt non de facili se videant mutuò; & insidiante diabolo, illâ impediatur in Confessione propter verecundiam, vel sacerdos insidietur ex illi cita cogitatione: propter quod etiam sacerdos expedita confessione juvencularum mulierum, non immoretur illa immiscere verba, quæ confessionem perturbent, vel non adjuvent: nec vltrà quàm necesse est excogitare confessionem earum, inquirendo viciosè motus membrorum, & vsus: quia, vbi talis esca jacet, antiqui hostis stimuli non desunt ad tentandum, 81. *dist. Oportet.* Nec recipiat sacerdos manus mulierum in manus suas, sicut aliqui stulti faciunt, vel fecerunt, nec aliquo modo tangat mulierem: quia bonum est omninò sacerdoti non tangere. *Vt* 32. *dist. Hospitalum.* Hæc S. D.

* 25 Magna ergo prudentia, & cautela Confessario est adhibenda in Confessionibus mulierum, etiam spiritualium, ac Religiosarum. In hujus rei testem adveco Sanctum Ignatium Loyolam; qui aliquando fassus est, tres Moniales, quarum aliqualem curam susceperat, plus sibi negotij facessivisse, quàm totius Societatis gubernium. Quamobrem meritò cavit, ne suâ Societas vnquàm haberet curam specialem talium personarum curam susciperet. *Beatus ille, qui procul negotijs.* Quilibet conscientiæ moderator cordi sumat illud S. Gregorij: *Ars artium regimen animarum.* Ergo peccatà generosè arguat, non accipiat personas, sed causas. Non blandiatur, vt noceat, quod diabolo est peculiarei sed corripiat, vt prosit, quod proprium est Dei, cujus Vicarius est Confessor.

TRACTATUS II.
ET PROOEMIALIS,
De Conscientia.

* Num. 1. Conscientia bona titulus est Religionis, ager benedictionis, hortus delitiarum, gaudium Angelorum, aula DEI, habitaculum Spiritus Sancti, liber signatus, ac in die iudicij aperiendus, ait *Hugo Victor. lib. 2. de an. c. 9.* In hoc libro probè versatis esse debet Confessarius, vt ritè suo fungatur officio: cùm (vt ex præcedenti Tract. & Examine constat) sit Conscientiæ Moderator, Iudex, Doctor, & Medicus. *Haurit aquam cribro, qui discere vult sine libro* hoc Conscientia. *De quo S. T. 1. p. q. 79. a. 13. & 1. 2. q. 19. a. 5. in 4. Sent. d. 24. q. 2. a. 4. & de Veritate q. 17. per quinque art. Et alibi.*

EXAMEN I.

De quidditate, divisione, & obligatione Conscientiæ, & in specie de conscientia erronea, & dubia.

* 2 QUÆRO I. Habensne conscientiam? *Respondeo.* Habeo, & habet eam omnis homo, quantumvis sceleratus. *Conscientia grave pondus*, vt agnovit ethnicus Cicero 3. *de nat. Deor.* quòd onus nemo non sentit. Conscientia piorum solatium, impiorum carnifex est. Hæc rodit, hæc mordet, accusat, testificatur. *Conscientia mille testes*, ait *Beroaldus.* Pro quo servit illud de Besso, quem post occisam matrem, refert Plutarchus, hirundinum nidos hasta deturbasse: quòd diceret, ab eis Parricidium suum evulgari, & garriri.

* 3 QUÆRO II. Quid, & quotuplex est conscientia? *Resp.* 1. Conscientia benè definitur à Thomistis, quòd sit *dictamen rationis, seu judicium intellectus practici, dictans, quid hic, & nunc sit agendum, vel omittendum*: ly *hic nunc* idem est, ac pensati, omnibus circumstantijs. Ita colligitur ex S. Thom. 1. *p. q. 79. a. 13. in c.* Vt patebit ex referendis. *Resp.* 2. Conscientia propriè loquendo non est potentia, sed actus. Ita S. D. *loc. cit.* *Ratio* datur ibidem tum in

sed

sed cons. quia conscientia potest deponi, non autem potentia: ergo in corp. ex ratione nominis, & etiam ex iis, quæ Scriptura communiter vitæ imponendi, conscientiæ arbitrium. Conscientia enim secundum propriorem vocabuli importum ordinem dicit propriè actum rationis ad aliquid. Nam conscientia dicitur esse alio scientia ad aliquid. Non autem scientia ad aliquid sit per habitum. Ergo ex ratione nominis patet, quòd conscientia sit actus.

Item apparet ex his, quæ conscientiæ attribuuntur. Dicitur enim conscientia mordere, ligare, vel instigare, vel etiam accusare, vel etiam remordere, sive reprehendere. In hæc omnia convenienter applicationem alicujus notitiæ cognitivæ, vel intellectivæ ad ea, quæ agimus. Quæ applicatio fit triplicitèr. Uno modo secundum quod recognoscimus aliquid nos scisse, vel non scisse. Et secundum hoc conscientia dicitur testificari. *Alio modo* applicatur, secundum quod per notitiam conscientiæ judicamus aliquid esse licitum, vel non licitum. Et secundum hoc dicitur conscientia ligare, vel instigare. *Tertio modo* applicatur secundum quod per conscientiam judicamus, quòd aliquid sit bonum, vel non bene factum. Et secundum hoc conscientia dicitur excusare, vel accusare, seu remordere. *Sed nunc.* Sed hæc omnia dicunt actum. Ergo.

* 4 *Ejus homo melioris ingenii, etiam melioris conscientiæ? Videtur* quòd sic, dicit enim, quòd conscientia sit actus intellectus, sed homo quo est ingeniosior, eò meliorem habet intellectum. Ergo & eo melior erit conscientiam. *Oppositum* dicendo, posse esse melioris conscientiæ naturaliter, physicè, & in se ipsa sumptæ, non verò sumptæ moraliter, & cum extensione ad volumatem, qualiter hic debet sumi: estque actus intellectus, non speculativi, sed practici, voluntatem connectantis. Hinc homines doctissimi sæpè primas habent conscientias in secundo sensu: in primo autem perfectas. Ex quo etiam, colligitur, cur conscientia dicatur bona, vel mala, cùm tamen bonum non sit objectum intellectus, sed voluntatis.

* 5 *Maneatne* in te conscientia si dormias? Videtur quòd non. Quia dixisti, quòd conscientia sit actus intellectus, sed homo in somno nullum habet actum intellectus. Ergo. *Affirmo*, quòd maneat in dormiente, idem est de homine dormiente. Ad *impugnat.* oppositum *dist. min.* nullum habet actum actualiter, & formaliter, *C. min.* virtualiter, propter semel factam, & non retractatam determinationem voluntatis ad operandum, *N. min.* & *N. cons.* Hinc S. *Thom. qu.* 13. *art.* 3. *ad* 3. *ait*: Actus etsi non semper maneat, manet tamen semper in sua causa, quæ est potentia, & habitus. Habitus autem, ex quibus conscientia informatur, etsi multi sint, omnes tamen efficaciam habent ab uno primo principio, scilicèt ab habitu primorum principiorum, qui dicitur Synteresis. Undè specialiter hic habitus interdum conscientia nominatur. Hactenus. Pro quo vide in Philosophia, quòd *Synteresis* sit habitus primorum principiorum practicorum, seu attingens illa; vti sunt: *Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omne bonum est faciendum, omne malum est fugiendum.* Sicut habitus attingens illa prima principia speculativa, *quodlibet est, vel non est*: *Omne totum est majus sua parte*, vocatur intelligentia.

Subdit *S. Thom. in fine corp.* Quia habitus est principium actus, & consuetum est, quòd causæ, & effectus per invicem nominentur, nomen conscientiæ attribuitur primo habitui naturali, scilicèt Synteresi. Et *ad* 1. ait: Quando conscientia dicitur spiritus, potest pro mente, quia est quoddam mentis dictamen. *Ad* 2. dicitur, quòd conscientia si non sit potentia, potest dici consequens. Unde ait: Impossibile dicitur esse in conscientia, non secundum habitudinem, sed secundum cognitionem in cognitione, si quando scilicet aliquis scit se esse ingeniosum. Hactenus.

* 6 *Quæ sit.* 3. Ad principale Q. conscientia ex parte objecti dividitur in bonam, veram, & rectam, quæ idem sunt: & in malam, falsam, & erroneam, quæ etiam idem sunt. *Declaratur.* Prima est, quæ revera attingit veritatem, bonitatem, seu rectitudinem operabilis: seu quæ judicat bonum, quòd in re est tale: & judicat malum, quod in re tale est. Altera est, quæ revera non attingit objectum, vt ait sonat, sed judicat bonum malum, & malum bonum.

Sed. 4. Conscientia ex parte actus, seu modo agendi dividitur in certam, probabilem, seu opinativam, & in dubiam, ac scrupulosam. *Declaratur.* Conscientia certa est, quæ absque omni prorsus formidine oppositi, & ex motivis certis & hoc objecto determinatè judicat esse bonum: de hoc autem, esse malum. *Probabilis*, seu opinativa est, quæ quidem determinatè judicat, hoc sit bonum, hoc est malum: attamen cum formidine oppositi, & ex motivis bonum probabilibus, & non certis. Dubia ita accepta est, quæ suspendit judicium, seu abstinet circa bonitatem, ac malitiam objecti, nullam partem determinatè adhærens: nec dicit ita, nec non. *Scrupulosa* est, quæ ex levibus, immò levissimis, & interdum quasi nullis rationibus, vel rationalibus, aut ex amentate fingitur, vel indebitè ad fugiendam aliunde malitiam, vel formidinem peccati.

* 7 QUÆRO III. Conscientia erronea, ac error quotuplex est, & obligans? *Resp.* 1. Est duplex, nimirum, vincibilis, ideoque culpabilis; & invincibilis, ac ideò inculpabilis. *Declaratur.* Error vincibilis est, qui potuit, & debuit adveni, seu qui sedulo studio, diligentia, vel alterius consilio potuit vinci, & hic à culpa non excusat, sive sit ignorantia juris quæ explicabitur infra *T.* 3. *c.* 1. *n.* 2. 2. sive facti. Error invincibilis est, qui vel oritur ex omnimoda inadvertentia, & oblivione naturali, seu omninò involuntaria: vel si advertentiam habuerit advertentiam, attamen sedulo etiam sufficiente studio, diligentia, & consilio vinci, aut deponi non potuit. Et hic error est omninò inculpabilis, potestque etiam vocari speculativus.

Resp. 2. Probabilius est, quòd conscientia erronea, sive sit vincibilis, sive invincibilis (modo non deposita) dictans determinatè, aliquid esse præceptum, vel prohibitum, cùm tamen non sit, obliget ad sui sequelam sub tali peccato, puta mortali, vel veniali, & ejusdem speciei, quale per conscientiam proponitur. Ita *Angel. Doct.* 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. universaliter pronuntians: *Omne, quod est contra conscientiam, peccatum est.* Et *Quodl.* 3. *a.* 27. ait: *Omnis conscientia, sive vera, sive erronea, sive in per se malis, sive in indifferentibus est obligatoria: ita ut, qui contra conscientiam agit, peccet. Ratio.* Operari contra præceptum Dei, quod revera est, vel esse certò, ac firmiter esse existimatur, est peccatum: quia lex naturæ dictat, Deo tanquam naturæ Authori, & supremo superiori esse obediendum; & licèt tale præceptum fortè in re non detur, tamen operans, quantum est de se, revera contendit in peccatum. *Subsumo*: Sed ita est de eò, qui operatur contra conscientiam erroneam, sive ex errore invincibili, sive vincibili: licèt enim vincibilis sit, nondum tamen est victa nec deposita. Ergo homo

fatis

huic conſcientiæ, Dei præceptum intimanti, ſe non conformando, quantùm eſt in ſe, illud contemnit: Ergo peccat.

Notanda hìc eſt 1. differentia inter errorem (idem eſt de ignorantia) ſeù erroneam conſcientiam, & rectam quoad obligationem. Nam, vt docèt S. D. *q.* 17. *de verit. a.* 4. Conſcientia recta ligat ſimpliciter, & per ſe, erronea verò ſecundùm quid, & per accidens. Quia recta ligat abſolutè, & in omnem eventum, erronea verò ſub conditione, ſeù ex ſuppoſitione, quia creditur eſſe recta. Nam operans abſolutè tenetur ad non operandum juxta illam, ex ſuppoſitione verò, quòd victa, & depoſita non ſit, tenetur operari ſecundùm illam. Vbi. Notanda ſecundò eſt differentia inter conſcientiam erroneam, invincibilem, & vincibilem, quòd licèt vtraquè obliget, prior tamen excuſet à peccato, non verò altera. Vndè ſive quis conſcientiam erroneam vincibilem ſequatur, ſive non; ſive juxta, ſive contra eam agat, peccat. Quia agit contra conſcientiam.

Oppono contra hanc ſecundam differentiam. Ergo talis homo ſit perplexus, quia non poteſt ſe juvare: peccat enim, quodcumquè agat. *Ad hoc* negatur illatum: Quia talis poteſt ſe juvare, nimirum illam conſcientiam, vtpotè vincibilem, deponendo: vti & poteſt, ac tenetur eam deponere, ſemel autem depoſita non ampliùs obligat. *Ergone* committitur tunc duplex peccatum, vnum nimirum non deponendo conſcientiam, quam tamen deponere tenetur: alterum, v. g. mendacij? *Dico* eſſe vnum peccatum. Quia ignorantia formalitèr non eſt peccatum, ſed cauſa peccati. Poteſt tamen interdum ignorantia eſſe ſpeciale peccatum, vt ſi quis ignoret ea, quæ omninò ſcire tenetur. De quò vidè in T. & E. priore ad *Q.* 6. *n.* 12.

Sed quid, ſi quis erroneè judicaret ſe teneri ad aliquod impoſsibile, v. g. incarceratus ad audiendam Miſſam. *Non peccaret.* Quia impoſsibilium non eſt obligatio. Error ergo debet eſſe circa materiam poſsibilem. *Obligatne* conſcientia erronea in vi legis æternæ (cujus infrà *T.* 6. *E.* 2. *n.* 1. dabitur explicatio) vtpote à quà omnes leges particulares derivantur? *Affirmo*, quòd obliget in virtute ejus, & derivetur ab illa, ſed putativè ſolùm, & erroneè.

* 9 QUÆRO IV. Conſcientia erronea obligatne contra præceptum Prælati? Sit exemplum, Religioſus habet conſcientiam ſibi dictantem, eſſe mandatum Prioris, vt viſitet infirmum, ſive præceptum illud in re detur, ſive non; Provincialis verò præcipit, ne vllus Religioſus eò die exeat è Conventu. *Reſp.* 1. Cum tutiore, & probabiliore ſententia, quòd ſi præceptum Prælati ſit ſuperiùs ad præceptum, ſeù obligationem, quàm conſcientia ſive vera, ſive erronea, ſive vincibilis, ſive invincibilis dictat, tunc obliget, & præferendum ſit præceptum Prælati, v. g. Provincialis in caſu poſito. Ita patet ex S. Th. 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. *ad* 2. *Ratio.* Quando concurrunt duò præcepta oppoſita, quorum vnum eſt majus altero, & ſervari nequit vtrumquè, ceſſat minùs, & ſervandum eſt majus; ſed ſic eſt in caſu poſito. Ergo.

Reſp. 2. Si conſcientia dictet aliquid tamquàm obligatorium de lege naturali, vel divina poſitiva, contra præceptum Prælati, tunc potiùs ſequenda eſt conſcientia, quàm præceptum Prælati: ſive error ſit invincibilis, ſive vincibilis, modò non ſit depoſitus. Ita S. Thom. *q.* 17. *de Verit. a.* 5. *in c. Ratio*, eſt, quę antè.

Reſp. 3. Quando dictamen conſcientiæ, & præceptum Prælati ſibi invicem repugnant, ſubditus ſub mortali tenetur quęrere rationes ad deponendam propriam conſcientiam, eamquè (dictis rationibus inventis) deponere, ac Prælato ſine conſcientiæ contradictione obedire. Ita S. Th. *loc. de Verit. Ratio.* Quilibet tenetur vitare periculum peccandi, juxta illud Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: ſed talis eſſet in periculo peccandi, vtpotè inter duò præcepta obligantia ſibi contraria. Ergo ſi conſcientiam ſuam cognoſcat eſſe erroneam, tenetur eam reformare, deponere, & amplecti conſcientiam rectam. Si verò id nondum cognoſcat, tenetur inquirere, an ſit erronea, nec ne. ex quò patet, quomodo conſcientia erronea ſit reformanda. De quò vidè *Q.* 5. *R.* 5. *& ad Q.* 6.

* 10 QUÆRO V. Quotuplex eſt dubium, aut conſcientia dubia? Licetne cum eà operari? Quomodo eſt reformanda? *Reſp.* 1. Conſcientia dubia, vel dubium *dividitur primo* in dubium poſitivè, & aliud negativè tale. *Primum* eſt, quando ex æqualibus medijs, & motivis poſitivis, pro vtraquè parte pugnantibus, ſuſpenditur judicium. *Secundum* eſt, quando judicium ſuſpenditur ex nullius motivi pro vtraquè parte apparentia. *Dividitur* 2. in dubium ſpeculativum, & practicum. Speculativum dicitur, non quaſi non ſit practicum, ſed quia procedit modo magis abſtracto, & vniverſali, ipſum operis exercitium cum omnibus circumſtantijs (à quibus hìc, & nunc pendet) conſideratum non determinando: vt ſi abſolutè quis dubitet, an in die jejunij liceat veſci ovis, & lacticinijs. Practicum eſt, quando dubitatur de operatione hìc, & nunc exercenda, vt ſi quis dubitet, an in hac patria, loco, tempore, itinere, ſervitio, occaſione id liceat. *Dividitur* 3. in dubium juris, & dubium facti, vt dum dubitatur de jure, ſeù lege, an exet, vel de ipſo facto. *Dividitur* 4. in dubium vincibile, quod eſt culpabile, ac invincibile, quod eſt inculpabile. Cujus intelligentia patet ex dictis de errore. *Dividitur* 5. in dubium rationabile, ortum ex ratione non futili, ſed prudente: & irrationabile, quod nulla, vel non prudente ratione nititur.

Reſp. 2. Probabilius eſt, non eſſe peccatum, operari cum conſcientia ſpeculativè dubia, habente annexum judicium practicum de honeſtate operationis. *Ratio.* Quia, qui ſic operatur, prudenter judicat, in his circumſtantijs ſe licitè, & honeſtè operari. Seù, cum dubio ſpeculativo ſtat rectum, & certum judicium de honeſtate. Exemplum ſit in milite: is enim ſpeculativè poteſt dubitare, an bellum, quod à Principe, cui ſervit, geritur, ſit juſtum: attamen practicè poteſt formare hoc judicium certum, nimirum, quòd ſibi liceat parere Principi ad bellum vocanti: cùm ipſius non ſit determinare, an bellum ſit juſtum, necne.

Reſp. 3. Tutiùs, & probabilius eſt, quòd operari cum conſcientia practicè dubia, ſit peccatum, & quidem tale ejuſquè ſpeciei, quale eſſe dubitatur ſive mortale, ſive veniale. *Ratio.* Tum, quia cum dubio practico non ſtat certum prudentiæ dictamen de honeſtate operis, quia ſuſpendit omne judicium. Tum etiam, quia, vt dictum eſt, *qui amat periculum, peribit in illo*, ſeù qui ſe committit periculo peccandi, peccat; quia eodem præcepto, quò prohibetur aliquod opus prohibetur etiam ejus occaſio, & periculum: de quò infrà *T.* 5 *E.* 2. *n.* 50. ſed homo, cum dubio practico operans, committit ſe periculo proximo peccandi. Ergo. *Min. prob.* Quia malitia actus eſt ei ſaltem interpretativè voluntaria, nam

perinde ipsi est, an actus sit honestus, vel turpis : cum non habeam majora motiva pro vna, quàm pro altera parte. Ergo ei perinde est, an Deum offendat, vel non. Ergo peccat.

Oppon. 1. Committere se periculo etiam prævisæ *sæpe est actus virtutis*, vt si quis disputet cum hæreticis, vt eos convertat : si quis ex charitate instruat meretrices, vt resipiscant. Ergo. *Secundò.* Nulla cognitio sufficit ad peccandum, nisi proponat obiectum, vt malum : sed conscientia practicè dubia non proponit obiectum, vt malum. Ergo non sufficit ad peccandum. *Ad* 1. R. Si in Domino confisus firmiter credas te evasurum, & periculo non succubiturum, bene agis : secus, peccas, & periculum fugere teneris.

Ad 2. *dist. maj.* nisi proponat vt malum vel certò, vel saltem dubiè, *C.* semper certò, *N.* & in *dist. min. N. conseq.*

* 11 *Resp.* 4. Ad principale *Q.* Practice dubitans antequam operetur, tenetur conscientiam reformare iuxta *n.* 5. *seq.* & dubium deponendo in conscientiam certam redigere, vel ab operatione abstinere. *Ratio.* Tum ratione periculi. Tum quia in tali dubio tutior pars est eligenda. *Resp.* 5. Dubium (idem est de errore) non potest deponi temerè, & pro libitu : nec ad levem favorabilis alicuius rationculæ apparentiam, etiam, sed ex rationabili fundamento : eique veritas diligenter inquirenda, quam si ex se, & proprio Marte non queat invenire, vt contingit *in illiteratis*, oportet libros, aut viros doctos, ac timoratos consulere, sicque vel ex aliquo tirudo, textu, vel Regula Iuris, aut gravi rationum pondere, prudentum iudicio, ad rationabilem dubij depositionem, conscientiam reformare. *Ratio*, quæ antè pro *n.* 4.

* 12 QUÆRO VI. Damnine universalia quædam Principia, ac Regulæ Iuris, iuxta quę conscientia erronea, vel dubia possit reformari ? *Resp.* 1. Sunt in primis illa vniversalissima principia : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quod tibi vis fieri, alteri feceris.* Verùm quia hęc principia plurimùm distant à practico dictamine prudentię ad conscientiam requisito, quòd procedit circa singularia : adeòque attendit ad omnes particulares circumstantias. Ideò. *Resp.* 2. Sunt adhuc alia principia, ac Regulę Iuris Canonici, ex prioribus deductæ, quæ ad dubia explicanda, & ad actiones nostras regulandas maximè deserviunt.

Prima Regula est : In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis. Ut si Petrus bona fide possideat agrum, posteà verò dubitatur, an revera sit illius, vel Cognati eius, expenduntur argumenta, & rationes vtriusque, ac reputantur pares, Petrus autem vltra has rationes pro se allegat possessionem agri, in hac pari causa ager adiudicandus est Petro. *Ratio* huius Regulæ patebit ex prob. 1. *R. ad Q.* 7. *Secunda Regula.* In dubijs tutior pars est eligenda. Dicitur autem pars tuta, vel tutior, in cuius electione nullum malum, aut peccatum est : vel si, quòd malum in ea lateat, erit tamen levius. Cæterùm illa particula ly *tutior pars* potest accipi dupliciter. 1. comparativè, ita vt altera pars, quæ est dubia, sit etiam tuta. 2. adversativè, ita vt vna pars nullatenus sit tuta. In hoc secundo sensu loquimur in præsenti, sicut pars dubia, seu non tuta sit relinquenda, & non dubia velut tutior amplectenda. *Ratio* huius explicationis, & distinctionis est. Quia si ly *tutior* deberet intelligi comparativè, hæc secunda Regula rarissimis materijs posset applicari : rarò enim vtraque pars tuta est. Vel si tuta est, regula opus non habet. De hac Regula redibit sermo in hoc *n.* ad *Q.* 8. in *n.* 3. ad *Q.* 3. *n.* 3.

Oppon. Gradus comparativus supponit positivum. Ergo sententia, tutiori opposita, est tuta. *Ad hoc dist. ant.* supponit in eo, quòd comparatur, *C.* in extremo comparationis semper, *N. ant. & cons.* Nam 1. Cor. 7. dicitur : *Melius est nubere, quàm uri*, & tamen vri non est bonum in gradu positivo. Sed sensus est. Si nubere, & vri inter se comparentur, vnum, scil. nubere est bonum, ac tutum, immò melius, & tutius adversative : vri verò est non tutum, immo malum.

Tertia Regula. Cùm partium, seu litigantium iura sint obscura, reo favendum est potius quàm actori. Hæc Regula vera est, tam in causa criminali, vt si vnus contra alium agat de homicidio, de quo est dubium, quàm in causa civili, vt si vnus agat contra alium ratione debiti, de quo dubitatur. Fundatur hæc Regula in prima, nimirum in fore possessionis, quo reus actorem in præsenti excedit. Est autem possessio, vel famæ, vel rei temporalis. Vide *E.* 3.

Excipit ab hac Regula S. Antoninus 1. *p. tit. n.* 20. quando causa, quam actor fovet, est favorabilis, seu pia, vt matrimonium, libertas, dos, testamentum, tunc enim favendum est potius actori, vt definitur *c. si quis accepit*, 33. *q.* 1.

Quarta Regula. Inspicimus in obscuris, quòd est verisimilius, vel quòd plerumque consuevit fieri. Vt, contraxit quis cum vidua, & longo tempore habitavit cum illa, quæ dicit se non esse cognatam. In hoc obscuro vidua præsumitur esse cognita, quia sic in matrimonio consuevit fieri.

Quinta Regula. In obscuris minimum est sequendum. Sensus est. Si iuxta præcedentem Regulam sciri nequeat, quòd sit verisimilius, inspiciendum est, quod est minimum. *Rationem* huius Regulæ dat S. Antonin. *loco citato.* Si cuis intellexit de maximo, non est dubium etiam sensisse de minimo, quia minimum continetur in maximo, non econtra. Hæc Regula locum habet. *Primò*, in pœnis, juxta illam juris Regulam. *In pœnis benignior est interpretatio facienda. Secundò.* In dubio de quantitate injungendæ pœnitentiæ ; præstat enim errare in mediocritate, quàm in excessu : & juxta S. Chrysost. melius est, habere reddere rationem Deo de nimia misericordia, quàm de nimia severitate. Sed vide de hoc infrà de pœnit. sacramentali, *T.* 13. *E.* 8. *n.* 1. *Tertiò.* Cùm quis in conscientia perplexus est inter duo mala, eligendum est minus : juxta sensum Regulæ sequentis. Quæ est.

Sexta. Ex duobus malis minus est eligendum. Intelligitur de malis pœnę, & damni, neutiquàm verò de malis culpæ, seu de peccato. De hoc enim procedit illud : *Non sunt facienda mala* (etiam minima) *vt eveniant bona. Septima est.* Dubia sunt in melioremm partem interpretanda. Quia quilibet est habendus bonus, donec probetur malus. De quo infrà, dum agetur de judicio temerario, *T.* 8. *E.* 1. *n.* 19.

* 13 QUÆRO VII. Circa primam Regulam. Estne melior conditio possidentis in materia justitiæ, id est, quando duæ partes litigant de jure, vel dominio alicujus rei. Seu, estne legitima possessio sufficiens titulus ; non solum in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ ad reformandam, seu practicè deponendam conscientiam dubiam de licita retentione, & vsu rei possessæ ? Exemplum hujus quæsiti antè est datum pro eadem Regula prima. *Resp.* Probabilius affirm. cum Gonet in Differt. de Probabilitate. Item cum nostro Hdephonso *in* 1. 2. *T. de Conscient. citante* 28. Doctores partim Thomistas, partim extraneos.

* Ratio

Ratio 1. Juxta adductam Regulam, quę *est* 65. *in* 6. In pari delicto, & causa melior est conditio possidentis, quia possidens (nimirum bona fide, vt supponitur) vltra jus dubium proprietatis (in quò ambo sunt pares) habet etiam jus possessionis, quò alter caret; quod jus, cùm ex natura sua sit quoddam exercitium, & complementum dominij, parit pro possessore præsumptionem juris, quòd sit dominus rei. *Subsumo*: sed si possessor deberet, v. gr. ægrum alteri cedere, vel cum eò dividere, non esset melioris conditionis, vt patet. Ergo. *Maj.* vltrius declaratur. Cùm jura ipsa in se sint cognitu difficillima, ad lites finiendas, & sumptus impediendos, ductu luminis naturæ homines inter se convenerunt, vt vbi jura sunt paria. & manifesta veritas nequit deprehendi, res adjudicetur illi, qui cùm sit æqualis jure, est potior possessione. Quod institutum toti hominum vniversitati est pervtile. *Ratio* 2. ex absurdo. Nam posito, hominem de dominio, & proprietate rei possessæ dubitantem (vt tutiorem partem teneat, & à peccati periculo se eximat) teneri ad restitutionem in foro conscientiæ, quæro, cui restituet? Indubiè illi, qui de jure proprietatis eum eò competit, & contendit: sed hoc non potest dici, quia & ille versatur in dubio, vt supponò. Ergo etiam ille tenetur deindè restituere, qui est vitiosus circulus. Vel vterquè debebit rem deserere, aut inter se dividire, vel pauperibus dare. Quod tamen nullo jure est præceptum, nec vlla praxi receptum, quia possessor habet meliorem titulum, non solùm quoad partem, sed etiam quoad totum. Ergo.

* 14 QUÆRO VIII. Tenetne eadem Regula, & data resolutio extra materiam justitię, seù in materia aliarum virtutum, v. g. temperantiæ, obedientiæ, Religionis, voti, censuræ, Sacramentorum, &c. vt si quis dubitet se feciſſe votum, aut juramentum, se teneri ad jejunium, vel de legitimitate sui Prælati, &c. an titulo libertatis, quàm possidet, possit dubium deponere, & non obedire, non jejunare, votum non implere sine peccato? *Resp.* Cùm tutiore, & probabiliore sententia nostri Goneti, Mercori, Vincentij Baronij, Prosperi Fagnani, & plurium aliorum contra modernos Probabilistas: Regula illa, *melior est conditio possidentis*, non tenet extra materiam justitię; sed in aliarum virtutum materia tenet; & teneri debet illud: *In dubijs pars tutior est eligenda*. Hinc in illis possessio libertatis non sufficit ad deponendum dubium.

Ratio 1. Ideò in materia justitiæ melior est conditio possidentis, quia in dubio possessor præsumitur esse verus dominus, qui enim rem suam alienat, censetur rei dominum facere eum, cui eam tradit, seù quem in ejus possessionem immittit. *Subsumo*: Sed nemo prudens ex titulo libertatis præsumit, sibi competere dominium, quò possit annullare legem, vel factum aliquod. Quæ enim, & quàm ridicula consequentia: Ego sum liber: Ergo lex non est lata, vel non est justa, quando de eà dubitatur. Quod est dubium Juris. *Item*: Ego sum liber. Ego homicidium non commisi, quando de eò dubitatur. Quod est dubium facti. Ego sum liber. Ergo votum non feci. Ergo matrimonium non contraxi, dum de eò dubitatur. Ergo in materia aliarum virtutum non licet amplecti partem benignam, seù favorem libertati, in casu dubij. Nor. tamen si cui incidat rationabile motivum, vi cujus dubium practicè deponere possit, deponat, si postea aliquod dubium maneat, erit merè speculativum, vt patet ex dictis ad Q. 5. n. 2. & 4.

Ratio 2. Pro certa lege stat possessio; sed est certa lex juris naturalis, & divini, quà homini prohibetur, ne se exponat periculo offendendi Deum. Ergo pro hac lege stat possessio. *Subsumo*: Sed quoties dubium est, ex parte minùs tuta est periculum offendendi Deum. Ergo lex vetans talis periculi tuscepti onem est in possessione. Ergo est servanda. Ergo vt periculum hoc evadatur, pars tutior est eligenda. *Confirmatur*. Sicut ex duobus malis minùs est eligendum, vt dictum est ad Q. 6. *Regula* 6. si nimirum eorum necessario eligendum sit: ita ex duobus objectis, quorum vnum necessario non est peccatum, de altero verò dubitatur, an sit peccatum, eligendum est illud, quod certò non est peccatum. Ergo. Hæc doctrina est vera tam de dubio juris, quàm facti, ac in vtroquè dubio pars tutior est eligenda: ne fortè fiat id, quod revera peccatum est.

* 15 Ex hactenus dictis sequitur: *Primò*. Dubitans se excommunicationem, aut irregularitatem incurrisse, si dubium non possit ex rationabilibus motivis deponere, tenetur à sacro ministerio abstinere, & se gerere vt excommunicatum, vel irregularem, ac petere absolutionem, vel dispensationem. *Secundò*. Dubitans, an lex sit lata, vel an justa, an lex excommunicationem imponens sit vsu recepta, debet judicare esse talem. *Tertio*. Dubitans, an casus sit reservatus, non potest ab eò absolvere. *Quartò*. Dubitans, an peccatum mortale commiserit, vel commissum confessus sit, tenetur illud sub dubio confiteri. *Quintò*. Dubitans, an beneficium sit nimis tenue tenetur officium recitare. *Sextò*. Dubitans de voto, ejusve obligatione, tenetur voto. *Septimò*. Dubitans de potestate Prælati, tenetur ei obedire. *Octavò*. Dubitans, an sive die Jovis, sive die Sabbathi sit tranlacta media nox, tenetur abstinere à carnibus. Pro quò.

Nota ex Gonet, quòd Adversarij inter diem Jovis, & Sabbathi, quoad obligationem jejunij media nocte planè ridiculam hanc dent differentiam, nimirum quòd in primo casu libertas vescendi carnibus stet pro die *Jovis*, in secundo verò præceptum abstinentiæ stet pro *Sabbatho*. Quæ differentia cum Gonet sic impugnatur: posset luxuriosus in sui favorem facilè respondere, quòd sicut *in dubijs melior est conditio possidentis*, ita etiam ex alia Regula, *odia sunt restringenda, & favores ampliandi*; sed est valdè odiosum, quòd quis obligetur ad castitatem, ad quam servandam se obligatum certò non scit, sed dubitat. Ergo non tenetur ad illam. In quò illaro quantum non latet venenum! Quantum peccati periculum! Offensa piarum aurium! Et tamen ex Adversariorum doctrina clarè sequitur. *Nonò*. Dubitans de valore matrimonij nequit debitum petere. Hæ tutiores, & probabiliores sequelæ contra Probabilistas (earum è diametro oppositum ex suis principijs inferentes) inferuntur ex doctrina, & fundamentis Probabilioristarum, quorum Catalogo adscribor. Et fundatur in bina Rationum Responsionis datæ ad Q. 8.

EXAMEN II.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

* 1 QUÆRO I. Vnde denominetur, & quis ſit ſcrupulus, ac conſcientia ſcrupuloſa, & quotuplex? *Reſp.* 1. Scrupulus conſcientiæ dicitur ab illo per metaphoram, deſumptam à ſcrupulo minutiſſimi, qui eſt exiguus lapillus in calceo nonnus, pedem vexans, & crucians. Sic ſcrupulus conſcientiæ eſt levis quædam ratiuncula ſuſpicio, & exiguum argumentum, formidinem, & apparentiam peccati vbi prorsum non eſt: facilem, inanem vanam, & nugas tales ſolito non ſanum animum.

Reſp. 2. Scrupulus eſt duplex, alius in ſpeculativis, & practicis *Prima* conſiſtit in falſa cognitione, quando nempe cognitionem ſpeculativam alicujus rei habemus quidem veram, ſed dubiam, cujus tamen dubij non ſtamus prudenti. *Scrupulus practicus* eſt, qui verſatur circa actiones, & res agendas in particulari. Et de hoc tanto ille ſolus proprie in ſcrupulis conſiſtit, in peccati agitur. Hic autem potuit eſſe, vel de præteritis, vt ſi quis angatur in pœnitentia Confeſſionis, an talem, vel talem peccatum omiſerit nempe. *Vel* de futuris, ſi timeat ne agat ea, quod aſtimat eſſe, an non ſit malum. *Vel* de præſenti, vt ſi angatur de eo, quod actu agit.

Reſp. 3. Scrupulus, propriè loquendo, non eſt idem, quod conſcientia ſcrupuloſa, nec eſt conſcientia. *Ratio.* Conſcientia eſt iudicium rationis practicæ, vnde conſcientia ſcrupuloſa, ſi ex ſcrupulis formata eſt tale iudicium, quo quis levibus motivis inductus cenſet, ſe hoc, vel illud abſque peccato non poſſe facere, vel non facere. *Subſumo*: Sed ſcrupulus propriè non eſt iudicium rationis, ſed ſolum levis ſuſpicio, & moleſta ſuſpicio, conſtitutiva ab-que ſubſidione rationis pertubans, & inquietans. Ergo. *Nota*: Conſcientiam ſcrupuloſam minus propriè aliquando ſumi pro rationabili, & rectè formato dubio, an hoc vel illud liceat. Vel, vt alij loquuntur, ſcrupulus aliquando vocatur formido orta ex iuſtis, & maximè vrgentibus cauſis, quæ alteram opinionem faciunt omninò improbabilem, vt cum quis ſine legitima authoritate pijra habens beneficia, angitur, an ſit licitum. Ex quo patet, a filijs huius ſeculi male vocari ſcrupuloſos, qui nolunt furari cum furantibus, adulterari cum adulterantibus, &c.

* 2 QUÆRO II. Liceatne agere contra ſcrupulos, & conſcientiam ſcrupuloſam? *Reſp.* 1. Non peccat qui agit contra ſcrupulos cognitos, vt tales. 2. *Item* aliquando eſt conſilij. 3. *Aliquando* præcepti, eos contemnere, & contra illos agere. Præſertim ſi accedit Confeſſarij, alteriuſve probi, ac prudentis viri iudicium. *Ratio* 1. 3. Qui in operando habet iudicium certum, ſaltem moraliter, vt poterit prudens de honeſtate operationis, non peccat: ſed agens contra ſcrupulos, quos vere novit eſſe tales, habet adhuc iudicium certum, & prudens de honeſtate operis, hoc enim non excluditur per ſcrupulos, cum in eis nullam ſit fundamentum, ſed levis, & inanis anxietas. Ergo non peccat, &c. Dixi. *Quos vere novit eſſe ſcrupulos*: ſi enim non novit vere eſſe tales, agendo contra illos peccat: quia agit contra conſcientiam. Poteſt autem eos cognoſcere vel indicio, vel oratione, vel penitentis conſilio.

Ratio 2. 3. Formidines multis modis motivas, *conſcientiam* inducentes, quietem tollentes, devotionem impedientes expellere, ſalutem eſt conſilij: ſed hoc fit agendo contra ſcrupulos cognitos vt tales. Ergo. *Ratio* 3. 3. Præcepti eſt, impedire eum fieri poſſit: gravia animæ bona damna, ſed ex ſcrupulorum angoribus ſæpe oriuntur gravia animæ damna, 2. 3 ergo præcepto, eſt poſſe ad illa peccata impedimenta (pericula proximo animæ, inhabilitas ad exequenda ea, ad quæ quis ſub peccato tenetur. Ergo qui ſcrupulorum pertinaciam aliter vincere nequit, tenetur contra eos agere per conſcientiam certam, licet ſcrupuli actu moverent in contrarium.

Ratio 3. 3. Non licet agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, ſed ex ſcrupulis formatam. *Ratio*. Quia nec licitum iudicium rationis practicæ, & in hoc agere contra conſcientiam, quod a re licet. Ergo. *Nota* ergo conſcientiæ, quam primum cognoſcitur, tanquam erroneæ eſt deponenda, qua deposita, prout quis contra eam operari: ſi autem tunc temporis aliquis timeat, ille eſt mere ſpeculativus. Et quo ante.

Opinio 1. In favorem ſcrupuloſorum S. Gregorius ait: *Eligenda minima eſt, ubi malum agendum eſt.* 2 *Item* dicta malus pars eſt eligenda. Ergo. 3. *Perfectiſſimum* eſt in eo ſtatu vivere, in quo quis non auderet mori, ſed ſi eligam in ordine mortis, nollem hoc, vel illud facere, de quo ſcrupuloſor. Ergo non modo.

Ad 1. 2da 3. *Tom. in Suppl.* 3. *q.* 5. 6. *art.* 4. *ad* 1. Agnoſcere culpam, ubi culpa non eſt, poteſt eſſe dupliciter. Uno modo, vt intelligatur quantum ad ſubſtantiam actus, & ſic non eſt verum, non enim ad bonam mentem pertinet, ſed ad errorem, vt ſe aliquem actum commiſiſſe agnoſcat, quem non commiſit. Alio modo quantum ad conditionem actus, & ſic verum eſt, quod Greg. dicit, quia iuſtus in actu, qui de ſe bonus videtur, formidat, ne aliquis defectus ex parte ſua ſuerit ut ſic dicitur *Job* 9 *Verebar omnia opera mea.* Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet, vt habeat formidinem, &, quam cordi tenet, lingua accuſet. Hæc lib. *Ad* 2. pars ex dictis, quomodo malus pars ſit eligenda, non enim requiritur certitudo ſpeculativa quam ſcrupuloſi plerumque quærunt ſed iudicij practici, & moralis. *Ad* 3. Malus verificatur de ijs, qui ſunt in ſtatu peccati moralis, vel in periculo eius: de alijs non eſt ſic.

* 3 QUÆRO III. Quæ ſint ſcrupulorum cauſæ, effectus, ſigna? *Reſp.* 1. Variæ ſunt ſcrupulorum cauſæ. *Prima* eſt naturalis profundam complexio, frigida, melancholica, timida, ex qua facilè oboritur ſuſpicio mali. *Secunda*. Debilitas capitis, orta vel ex melancholia, vel ex nimijs vigilijs, abſtinentijs, ſolitudine, &c. cauſans incertitudinem in ſemel facta determinatione. *Tertia*. Permiſſio divina in pœnam præcedentium peccatorum. *Quarta*. Tentatio diaboli. *Quinta*. Scrupuloſorum ſocietas, & converſatio. *Talis enim amicus ſcrutator, qualis eſt qui cum verſatur*, ait S. Hieron. *Sexta* eſt ignorantia, qua quis nekit diſtinguere inter licitum, & illicitum. *Septima*. Pertinacia proprij iudicij, prudentis viri conſilio acquiescere renuentis, & quæ eſt *Octava cauſa*, in moralibus omnimodam, & ſpeculativam certitudinem quærentis

Reſp. 2. Effectus ſcrupulorum ſunt, continua perturbatio, & angor, quo ſemper cruciantur in acquirenda in omnibus omnimoda certitudine in moralibus,

bus, in repetendis ferè quotidie confeſsionibus, iterandis horis Canonicis, Pſalmis, aut certis Pſalmi verſibus. Ex qua continua anxietate ſequitur deſperatio de vita rectè inſtituenda: immò aliquando tedium, quo tandem iugum Chriſti non ſuave ſed durum apprehendunt. In quibuſdam ſolet excuſsis ſcrupulis ſequi nimia laxitas. De nonnullis ſolet dici, quòd ſint ſcrupuloſi in confitendo, ſed non in agendo, ſeu committendo.

Reſp. 3. Scrupulorum ſigna potiſsimum ſunt tria. *Primum eſt*: Crebrimè de aliquo agendo, vel omittendo dubitare, ſuiſque dubijs interrogationibus alios (in re etiam futiliſsima) continuò incommodare. *Secundum*: Non ſolùm dubitare, ſed etiam exquibuſdam, non ſolùm infirmis, ſed & ridiculis argumentis ſibi perſuadere, aliquid eſſe illicitum. *Tertium*: Contra proprium, aut viri prudentis, & timorati iudicium adhuc hæſitare. Præſertim ſi contra prudentis viri conſilium hæſitatis, ſit idiota.

* 4 QUÆRO IV. Quomodo ſcrupuloſi hominis conſcientia eſt reformanda, ſeu quæ ſunt ſcrupulorum remedia? *Reſp.* Remedia eſſe diverſa. *Primum eſt.* Si ſcrupuli oriantur ex prima cauſa, adducta in *R.* 1. fiat vitiatorum humorum purgatio. Si ex ſecunda cauſa, ſubtrahantur occaſiones melancholiæ, & exhilarentur ſpiritus honeſtis recreationibus. *Secundum.* Si ſcrupuli putentur oriri ex tertia, & quarta cauſa, optima medicina eſt, devota, & continuata oratio. De qua vide S. Auguſt. ſuprà *T.* 1. *Q.* 4. de ſexta Virtute Confeſſarij. Sed hoc remedio (vt noſter Sylveſter ait) ſcrupuloſi parùm vtuntur, & malè. Item ſervit generoſa reſiſtentia diabolo facta. *Tertium.* Si oriantur ex quinta cauſa, fiat eius oppoſitum.

Quartum. Si ex 6. vel 7. cauſa naſcantur, ſtudio, & prudentiorum conſilio fugenda eſt ignorantia, & frangenda proprij capritij pertinacia. Vel vt Sylveſter in Summa, verbo Scrupulus, ſcribit. Quarta Regula eſt obedientia, non ſolum ad Prælatos, ſed etiam ad ſapientes, formando conſcientiam ſuper dictis eorum. Sicut in Ordine Prædicatorum Frater mortuus apparens ſcrupuloſo de ſuis ſcrupulis ſciſcitanti, dixit: Conſule diſcretos, & acquieſce illis: Similiter & diſcipulus B. Bernardi, non valens propter ſcrupulos celebrare, credidit ei dicenti: Vade, in fide mea celebres; & omninò liberatus eſt. Et ſi dicat ſcrupuloſus: Da mihi Bernardum in Prælatum, & credam ei, dicit Cancellarius, eum falli, quia non eſt obediendum Prælato, vt homini, ſed vt Deo, cuius vices quilibet Prælatus gerit, niſi contra Deum præcipiat, ſcilicèt apertè.

Quintum remedium eſt: Si ſcrupuli proveniant ex octava cauſa, fiat oppoſitum. Ubi vniverſaliter contra omnes ſcrupulos ſervit doctrina antè data ad *Q.* 2. *Sextum* eſt, non toties repetere confeſsiones, ſed poſtquam ſuo (ſi eruditus ſit, vel prudentis Confeſſarij iudicio Confeſsio generalis facienda eſſe videatur, non fiat niſi ſemel: ſicut nec audiatur pœnitens, ſi de peccatis iam confeſsis iterum, iterumque conſulere tentet: hoc enim modo ſcrupuli non extirpantur, ſed nutriuntur.

Oppono. Ergo talis pœnitens ſcrupuloſus exponitur periculo manendi fortè in quibuſdam peccatis. *Nego* hoc. Nam dato, quòd aliqua pecca.a non fuiſſet confeſſus, attamen ob grave ſuum damnum, & ob periculum perpetuò hærendi in tanta anxietate, excuſatur ab omnimoda integritate confeſsionis, cùm moraliter id non poſsit, vtpotè cum tanto ſuo damno, eo quòd ſemper nova peccata ei videantur pullulare, adeòque continuò creſcat ille angor, & ſæpè minores cauſæ ab integritate materiali confeſsionis excuſent. *Ex hoc* ſequitur, quòd ſcrupuloſus non debeat aliquid confiteri ſub mortali, niſi de quo certus eſt, & iurare poteſt, quòd ſit mortale: vt nec teneatur confiteri malas ſuggeſtiones, niſi certus ſit, quòd ijs conſentum, vel complacentiam præbuerit.

* 5 *Quomodo iuvandi ſunt*, qui vexantur ſcrupulis circa perſolutionem Breviarij, vel pœnitentiæ ſacramentalis? *Dico.* Si ab initio habuerint intentionem actualem (de qua alibi) cùm intentio virtualis ſufficiat, non tenentur, immò nec expedit repetere, quę orarunt, licèt in fine alicuius Pſalmi non recordentur, an principium, vel præcedentes Pſalmos, aut verſus recitarint; licèt enim repetant, plerumque æquè anguſtiantur. Eodem modo iuvandi ſunt, qui anxiantur circa defectum doloris de peccatis in confeſsionibus præteritis.

Septimum remedium eſt. Vt credulitas illa, qua ſcrupuloſus credit aliquid non eſſe peccatum, v. gr. dum credit ſe hunc Pſalmum oraſſe, hoc peccatum eſſe confeſſum, cogitationi venereæ non conſenſiſſe, &c. habeatur pro certitudine, vt docet noſter *Medina* 1. 2. qu. 19. ar. 6. dub. vlt. *Caietanus*, &c. Quia quòd apud ipſos eſt credulitas, apud ipſoſmet, ſi ſcrupulis impediti non eſſent, haberetur pro certitudine, ait Caietanus, & ex eo noſter Ildephonſus. *Octavum.* Vt ſcrupulosus caveat, ne ſcrupulo vincatur, eoque devictus formet practicum erroneum, vel dubium conſcientiæ dictamen. *Nonum.* Scrupuloſus, ſi vir doctus ſit, iſtdem vtatur conſilijs, & medijs, quę ipſe ſuggereret alijs contra ſcrupulos ſuis ſimiles.

* 6 Notandum; hæc omnia de ſolis ſcrupuloſis timoratæ conſcientiæ intelligenda eſſe; vt optimè, & piè notat egregius Thomiſta *Sylvius*. Nam ſi qui tantùm minorum malorum ſcrupulis angerentur, in maioribus verò eſſent laxi, culicem excolantes, & Camelum glutientes (quales erant Iudæi, non audentes introire in Prætorium Pilati *Ioann.* 18. & tamen non verentes Chriſtum innocentiſsimum, etiam ipſo feſto Paſchæ ad mortem quærere) hi aliter tractandi eſſent, monendo, vt & graviorum peccatorum (quæ committunt, & non curant) ſibi conſcientiam faciant, eaque magis deviteut, Sacramentum pœnitentię ſæpius recipiant, ſimul eis iniungendo ſpeciales, & graviores pœnitentias contra peccata, quæ non æſtimant, vti deberent. Idem eſt de illis ſcrupuloſis, qui in præteritis recognoſcendis, & futuris cavendis tepidi ſunt: tales enim atriori egent lixivio.

EXAMEN III.

De Conſcientia probabili.

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotúplex eſt conſcientia, vel ſententia probabilis, ſeu opinativa; & quę, ac quot ſunt principia probabilitatis? *Reſp.* 1. Probabile, ſeu opinio, vel ſententia probabilis eſt, quæ habet motiva: & argumenta aliqua, veritatem eius ſuadentia, cum formidine tamen alterius oppoſitæ opinionis. Ita S. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 9. dicens: *Opinio ſignificat actum intellectus, qui fertur in vnum partem contradictionis cum formidine alterius.* Opinio ergo, ſeu ſententia probabilis non habet evidentiam, ſicut ſcientia; nec certitudinem ſpeculativam, ſicut fides

sive Theologica, sive mere rationis opinionem, & rationibus dictum.

Resp. 1. Dubium primo de probabile omne quod à viro non ita peritum emanat, & consonat: ut verum sit omne falsum. Secundo intendit, quod si, quæ à viris non satis intelligentia asseruntur, propter id quod à probabilem affectu esse possit, ita non sunt ut ipsi credi, nequaquam sequitur, hoc modo ad omnia extendatur, quæ sunt in his omnibus auctoribus, quæ à viris intelligentia, & peritissimis asseruntur. Hinc probabile quod ex dicto alicujus Imperiti, & idiotæ quod ex, &c. colligit.

Resp. 2. Sententiam posse simpliciter quod non sit probabilem. Primo quidem, quia sententia ex probabili modo dicitur habitum, si in aliquo ejusdem sit, & similitudo sibi. Sed non omnium ita sit, & sunt multorum habitus dimittendi. Secundo probatur quod non sit, quia sic sententia vitæ habere ex probabili habitum. Hinc probabile quod ex, dicit ut improbabile, & falsum quod ex, &c. colligit.

Resp. 3. Sententiam posse simpliciter quod non sit probabilem. Primo quidem, quia sententia ex probabili modo dicitur habitum, si in aliquo ejusdem sit, & similitudo sibi. Sed non omnium ita sit, & sunt multorum habitus dimittendi. Secundo probatur quod non sit, quia sententia, vel opinio, ex non certo, quæ dicitur sit ex dicto probabilitatis, & probabile.

Resp. 4. Sententiam probabile modum modo, non ex dicto principio posse dici sic. Sed sententiam, id est, sententiam. Sententia probabile, id est, in sententia. Sententia probabile dicitur, quæ à viris peritis, & sapientibus, & sanctis, & doctis probabilis fuit dicta. Dicitur sententia, seu sententia, & sententia Doctorum, & quod dicitur, probabilis sententia. Doctorum igitur, qui pro dignitate sententiæ dignitatem, id est, pro sententia dictum, & dignus sapiens sententiam, & sententiam pro vita, & sententia dicta probabilis sapientiæ sententia dicta est dictum. Propterea ex probabili ex ex dicto in specie sententia.

Resp. 5. Rationes, & auctor, quæ dicitur probabilitatem sententiæ, ex diversis locis, seu principiis sumuntur petitur. Imo ex lege eaque explicatione, ac consensu Doctorum dicta sunt, sensus ex consuetudine, quæ non habent vi opinionis ingenii sapientis, sed id, & opinione sit in vocabulo pro lege vertitur. Tum ex potestate, de qua sententia præcedenti *Q.* 1. & *Q.* 2. vel certitudo, quæ dicitur sit melior opinio probabilis. Quam ex dicendum, quæ legem non habet, & lege subjecti lege potius sententiæ sententiam dicit est dictum. Quam ex dictum, dictum, dictus, quæ opinionem sequuntur, & sententiæ probabilis dictum. Sunt ex ita, natura, aut propriam à dictis dicti.

* 1 *Quæ fuerit* ex argumento à pari, ejus dicti fuerint ad confirmationem probabilitatem & certitudinem? Dico: Non sit, si nullis aliis argumentis utuntur, quam eorum sententiæ non à disciplinam sunt humanis conditionis. Si certitudo in his opinionis, quam Communi in his Theologis, & pro vitæ, sententiali, disputationis propositi, sit *dicendum* vel dicendum. Unico enim à nemine patitur *dubitare* de pluri præcepto, dictum pro dictum pluribus, & dictum. Quo sic probatur à pari. Nam non minus sententiæ vero, & præcepto sententiæ, vel Confessario, ergo sententiæ, sed præcepto sententiæ, vel, & sententiæ sententiæ. Quia in Theologia sententiæ probabilis argumentum à pari valde aptum est ad sententiam.

* 3 QUÆRO II. Facilne vitæ Auctor, seu Doctor sententiæ probabilis, probabilem, & in pejus probabilis, sequitur, & contra? Pro quo sit in I. 4. assignata principium, & quodnam sit principium? *Resp.* 1. Sententiæ de probabilitate sententiæ, probabilis sit dictum sententiæ dictum sententiæ sententiæ probabilis, quando vitæ Confessarius sententiæ vitæ, & non pejus sententiæ Doctorum sententiæ. Sic à sententiæ regulis. Imo probabilis sententiæ in sententiæ dictum sententiæ, & sententiæ sententiæ vitæ sententiæ sententiæ, & sententiæ præcedentis, & sententiæ probabilis sententiæ. Et sic est Doctor noster Augustinus, qui vitæ pro dictum sententiæ sententiæ, cuique dogmata Alexander VII. & Pius V. damnavit *sententiæ*, & sententiæ.

* 4 *Resp.* 2. Vi homo nobis, & superiores qui Doctorum hæc inde sententiæ hæc non potest, nec tamen sententiæ sententiæ probabilis probabilis, sententiæ sententiæ vitæ vitæ, sententiæ sententiæ sententiæ, pii, & doct. 1. 5. Parochi, ex Confessario, vel dictum. Nec hoc ab illo sequitur. *Antec.* 1. Tale homo confessio sententiæ probabilis sententiæ de dictum, quia in vitæ dicto, & pro ratione dictum probabilis sententiæ sententiæ sententiæ, quæ non potest sententiæ, & sententiæ probabilis probabilis sententiæ sententiæ, quæ sententiæ vitæ sententiæ. Ergo. *Antec.* 2. Hæc enim sententiæ grave, & sententiæ sententiæ probabilis sententiæ, & sententiæ, sententiæ dictum, sententiæ sententiæ sententiæ, & sententiæ, quæ ex sententiæ sententiæ, quæ sententiæ; quæ sententiæ, quæ sententiæ. Ergo.

* 5 *Quæ si dicat* pecto, vel potius sententiæ sententiæ, ex dictum sententiæ, ex Parochus, vel Confessarius non potest sententiæ, potius sententiæ pœnam, vel dictum sententiæ, eamque confessio non confessionis sententiæ. *Negat.* Licet enim pœnam sententiæ sententiæ, potius sententiæ sententiæ ex sententiæ sententiæ. *Ita.* tamen hæc probabilitatem non dicit sententiæ, & absolute sententiæ, ac sententiæ sententiæ Communitatis, seu homo sententiæ, & sententiæ, sententiæ sententiæ dictum sententiæ particularis sententiæ.

* 6 *Resp.* 3. Sententiæ sententiæ sive sententiæ, sive sententiæ Auctoris, quæ sententiæ dictum sententiæ sententiæ sententiæ, non sententiæ vitæ sententiæ pro communi vita, & pœnæ sententiæ probabilitatem & opinionem sententiæ pœnæ sententiæ. Ita communi, & probabiliter sententiæ S. Thom. *quæst.* 3. *a.* 10. Ioan. à S. Thom. Lugo, Gonet, & alibi. Thesibus contra Probabilitas, qui putant S. Thom. *in dict. quæst.* & *art.* pro se stantes, sed cum sententiæ Angel. Doctoris, cum dicat habere vitæ, quæ sententiæ sententiæ sententiæ. *Prop.* qui sententiæ sententiæ, quia à Magistro sententiæ, id est, quæ ad sententiæ pertinent. Sed potest hæc sententiæ vitæ. *Ita*, sententiæ sententiæ, & sententiæ, sententiæ sententiæ, & sententiæ sententiæ sententiæ Magistri.

Instat. Quia sententia vitæ Auctoris, communi aliquem repugnans, & pernicipandi, & sententiæ vitæ dictum. Nam vitæ pejus fugere, quam omnes alij, sententiæ sententiæ. Hinc Alexander VII. 1665. damnavit hanc propositionem: *Si liber sit alicujus pœnæ, & sententiæ, sine aliqua causæ probabilis: sententia est contra mentem ejus, & sententiæ Apostolicæ.* Vitæ opportunes post 2. 3. 10. notandas.

* 7 *Resp.* 4. Vi opinio sit probabilis, debet concurrere vitæque probabilitatis principium sententiæ ratio, & auctoritas. *Resp.* Si opinio habeat ra-

tio-

tiones ſed non patronos, ſeù defenſores; ſignum eſt, quòd ſint nimis leves, & nihil probent: ſi habet graves Authores, ſed non rationes, non eſt opinio, ſed fides, cui precisè aſſentitur propter auctoritatem dicentis Ergo.

* 8 *Reſp.* 5. Ad conſtituendam opinionem probabilem, ſimpliciter, abſolutè, & attenta rerum natura, principaliter deſervit ratio, ſeù motivum ex ratione petitum. Attamen defacto, & regulariter, præcipuè in moralibus, magis deſervit authoritas: *Ratio* 1. *p.* Quia authoritas in ratione fundatur. *Ratio* 2. *p.* Quia vtriuſquè partis rationes, & fundamenta ponderare, ac diſcutere, longum tempus requirit, paucis poſsibile, immò imperitis eſt impoſſibile: authoritas verò eſt obvia libros, vel doctos viros conſulere volentibus. Ergo.

Oppono 1. contra *R.* 3. Si liber ſit cenſuratus, & approbatus, ſaltem tunc ſententia vnius Authoris eſt probabilis pro communi praxi. 2. *Sententia* probabilis eſt, quæ non levi nititur fundamento, ſed authoritas vnius viri docti; & pij non eſt leve fundamentum; cùm cuilibet in ſua arte, quàm profiteur, ſit credendum. Ergo. 3. *Opinio* particularis, Doctoris, probabili ratione nixa, præferenda eſt opinioni multorum, ſi ſit in favorem cauſæ piæ, v. g. in favorem valoris matrimonij; vt docent Hoſtienſis, Abbas, Felinus, Decius, Maſcardus. Ergo. 4. Quòd aſſerunt plures quàm 16. Authores, hoc eſt probabile; ſed vnius gravis, & pij Doctoris authoritatem ſufficere ad probabilitatem extrinſecam, docent plures quàm 16. Authores à Caramuele, citati Ergo.

Ad 1. Negatur aſſumptum. Quia Cenſores librum aliquem approbantes regulariter non intendunt omnibus ſententijs in eò contentis aſſerere practicam probabilitatem, ſed tantùm teſtari, quòd non contineat aliquid contra fidem, bonos mores, & Eccleſiæ conſtitutiones. *Ad* 2. *diſt: min.* Si ſpectetur abſolutè, & ſecundùm ſe; *C. min.* ſi comparetur cum omni retrò antiquitate; & tota Doctorum vniverſitate, cui ſolus contradicit, *N. min. & conſ. Ad* 3: *diſt. ant.* in quantum eſt vnius Doctoris; *N. ant.* in quantum eadem opinio à pluribus alijs judicatur probabilior, *C. ant. & N. conſ.* Nam cauſæ piæ in omni jure, omniumquè ſententia ſunt favorabiles, & anteponendæ. *Ad* 4. dicitur 1. retorquendo argumentum. Quod aſſerunt plures quam 20. Authores, inter quos eſt Angelius Doctor, qui vnus pro 10. millibus reputatur, hoc eſt probabilius; ſed ſic eſt de ſententia noſtra. Ergo hæc non tantùm eſt tutior, & probabilior: quàm vnicè ſequendam eſſe; poſtea probabitur. *Secundò diſt. maj.* quoad illam particulam, *hoc eſt probabile*, d'ſtinctione data ad 2. *Tertiò* dicitur, multos ex illis DD. loqui juxta ſenſum *R.* 1. Vel de Doctore, qui eſt omni exceptione major, vt dictum eſt, eſſe D. Thomam Aquinatem.

Not. 1. loquendo de probabilitate extrinſeca, non eſſe precisè attendendum Doctorum numerum, ſed & eorum qualitatem, ſcientiam, eminentiam; poſſet enim quis incidere in tales, qui promoti ſunt apud illos, qui dicunt, aurum, & argentum ejus maneat apud nos, aſinus laureatus revertatur in patriam ſuam. Verumtamen cæteris paribus præſtat, quòd ſint multi. *Not.* 2. non eſſe nimium, quòd interdum creſcat numerus Authorum probabiliſtarum in favorem alicujus ſententiæ, dum in ſuis ſcriptis, & libris ſibi invicem adulantur, ſeſe extollunt, & vt muli mutuum ſcabunt, ait Gonet, vt patet in Diana, & Caramuele. Primus enim alterum deprædicat virum doctiſſimum, acutiſſimi ingenij, non ſolùm ſcolaſticæ, & moralis Theologiæ, ſed & politioris literaturæ peritiſſimum: è contra Caramuel; Dianam, vocat *Agnum Dei*, qui abſtulit peccata mundi per ſuum probabiliſmum. Addit, quòd quærenti, an hoc, vel illud liceat, ſufficiat reſpondere: *Diana dixit*. Sed cavendus hic eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali, ne nimium læxentur conſcientiæ. Quamobrem conſideretur, in quanto numero ſint ſententiæ per Sedem Apoſtolicam damnatæ, quarum damnationi cauſam dedit nimia ſentiendi licentia.

* 9 QUÆRO III. Quid ſentis de ſequela ſententiæ probabilis, concurrente, vel non concurrente ſententia æquè, vel magis probabili? Fateor, in præſenti quæſito maximè verum eſt illud Pachymeri *hiſt. lib.* 8. *Theologis inter ſe rixantibus, in periculo eſt populus.* Quantæ circa probabilitatem inter Theologos ſint rixæ, abundè notum eſt; & patebit ex dicendis. Ad omne periculum evadendum.

* 10 *Præmitto* 1. quòd aliud ſit, opinionem eſſe tutiorem, minùs tutam; probabiliorem. *Tutior dicitur*, quæ magis recedit à periculo peccandi, ſeù Deum offendendi. Vel, vt alij explicant; eſt illa, quæ favet præcepto, & ſtat pro legis obſervatione, ad quam movet; ſeù quæ negat actum eſſe licitum: ſic enim tollit omne periculum (etiam ſolùm materialiter) tranſgrediendi legem. Opinio, ſeù *ſententia probabilior* eſt, quæ (eò quòd nitatur firmioribus argumentis, ſivè ex ratione, ſivè ab authoritate petitis) appareat conformior veritati; ſeù verior: & quò validiores rationes, & quò graviores Authores pro ſe habet; eò probabilior evadit. *Minùs tuta* dicitur, quæ favet libertati contra legem, & dictat actum eſſe licitum; ſeù non imponit neceſsitatem abſtinendi ab actione, eſtquè in periculo, ac ſaltem materialiter contra legem agatur, cùm fortè à parte rei talis actus legi divinæ non ſit conformis, habeatquè tunc inhoneſtatem ſaltem materialem, excuſante invincibili ignorantia, non imputabilem ad culpam. Sicut econtra inhoneſtatem formalem habet actus, qui ſcienter eſt difformis legi.

Hinc ſententia minùs tuta ſæpè eſt ſimpliciter tuta, ſi nimirum ſit ſimul probabilior: ſic enim caret omni periculo inhoneſtatis ſaltem formalis. Item ſententia tutior ſæpè eſt minùs probabilis, ejuſquè oppoſita, ſeù minùs tuta eſt probabilior. Sicut in quorundam ſententia lapſus in peccatum mortale, habita copia Confeſſoris tenetur ſub præcepto ſtatim confiteri: in aliorum ſententia tenetur homo omni die Dominica elicere contritionem. Quæ ſententiæ indubiè ſunt tutiſsimæ, quia longiſsimè recedunt à periculo peccandi, etiam materialiter, & tamen non ſunt probabiliores; nec in praxi vniverſali ſervantur, licèt ſervari poſsint: econtra ſententia, quæ tenet, circumſtantias intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantes eſſe neceſſario confitendas, eſt tutior, & (vt infrà probabitur) probabilior ſimul. Ex quò patet, quòd eſſe tutiorem, & probabiliorem aliquando quidem, ſed non ſemper, & neceſſario in eadem connectantur ſententia.

* 11 *Præmitto* 2. quòd cuilibet Gonet eſt apud omnes ferè certum, poſſe aliquem licitè, & tutò ſequi ſententiam ex ratione; ſeù motivo intrinſeco ibi viſam minùs probabilem; attamen probabiliorem ex motivo extrinſeco, ſeù ex authoritate; ex qua ſit certa moraliter; & abſolutè hic; & nunc probabilior. Pro quo videatur *R.* 5. *ad* 2. 2. Similiter quamvis non liceat ſequi opinionem minùs probabilem in concurſu alterius cognitæ, vt probabilioris: ſi tamen

tamen opinio in se minùs probabilis videatur alicui probabilior, non peccat eam in praxi sequendo, quia excusat ignorantia invincibilis; & ita contingere potest in dispensationibus Papæ circa vota solemnia, ac matrimonium tantum. His præmissis.

* 12 *Resp.* 1. Dum homo tenetur operari, potest sine peccato sequi sententiam probabilem, quæ dicat aliquid licitè fieri posse: quando facta (iuxta conditiones rei, & personæ) sufficiens diligentia, alia tutior, & probabilior non apparet; licet fortè hæc opinio sit contraria, & difformis legi divinæ: modò huius difformitatis habeat ignorantiam invincibilem. Quæ an, & quomodo possit dari, dicetur infrà in *T.* 6. de legibus, *E.* 1. *n.* 17. Ita teneo cum communi, & probabiliori sententia *S. Thom. Quæst.* 8. *art.* 13. & 1. 2. *q.* 76. *ar.* 3. contra singularem, & improbabilem sententiam Vvendrochij Theologi Salisburgensis, & rigidorum Jansenistarum asserentium, quòd ignorantia, etiam invincibilis, à peccato non excuset, & probabilitas (licèt sententia probabilior non concurrat) nunquam possit esse tuta morum regula. *Ratio.* Iuxta communem paræmiam, *altera parte nemo tenetur*, nec Deus id exigit: sed in moralibus non est possibile habere semper evidentiam, & certitudinem perfectam, & mathematicam. Ergo.

Hinc Papa Alexander VIII. 1690 7. Decembr. inter 31. propositiones damnavit, & hanc num. 3. *Non licèt sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Hic ergo Papa damnavit in usu opinionum *probabilium* nimium rigorem; sicut Innocentius XI. Anno 1579. damnaverat extremum nimiæ indulgentiæ, & laxitatis, inter 65. propositiones damnando & hanc num. 3. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, consilii aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

* 13 *Resp.* 2. Potest homo aliquando sine peccato in operando sequi sententiam, quam respectu alterius iudicat probabiliorem, licèt non sit tutior, seu licèt non stet pro lege, sed faveat libertati. Ita probabilius Thomistæ. *Ratio.* Quia homo non semper tenetur eligere id, quòd à periculo peccandi magis recedit, si non sit consonum rationi, & veritati, vti antea in præmisso primo dictum est fieri in sententia tutiori, minùs tamen probabili. Ergo. *ant. pat.* tum in bino exemplo ibidem posito, tum etiam quia alias sequeretur, omnes illas opiniones, etsi improbabiles, vel saltem minùs probabiles (iuxta quas plures contractus sint illiciti) semper in praxi esse sequendas, utpotè tutiores; quòd tamen nullus asserere audet: quia per hoc tollerentur plurima hominum commercia; vix enim est actio, vel contractus aliquis, de quo non sit aliqua opinio damnans eum. Tum tandem quia suprà in *E.* 1. huius *T. Q.* 6. & *Q.* 7. probavimus, quòd in materia iustitiæ in pari delicto, & causa melior sit conditio possidentis, ita vt possessor, incipiens dubitare, an ager v. g. sit suus, vel Cognati sui, ex titulo legitimæ possessionis possit dubium deponere, nec teneatur eum dare, vel dividere cum Cognato, licèt hoc esset tutius. Ergo.

* 14 *Resp.* 3. Concurrentibus in materia morali (quæ subest periculo peccati, præsertim mortalis) duobus opinionibus æquè probabilibus, tenetur homo eligere tutiorem. Quæ resolutio tutior est, & probabilior, pro eaque stat tanta authoritas, quanta adduceretur pro *R. seq. Ratio.* In dubijs tutior pars est eligenda, vt habet axioma Canonistarum. *c. ad audientiam, de homicidio.* Vel, vt dicitur, *c. Juvenis, de sponsalibus. In his, quæ dubia sunt, quod tutius existimamus, tenere debemus.* Subsumo. Sed homo videns duas opiniones æquè probabiles, est in dubio, quænam sit vera. Ergo (cùm sciat, vnam earum necessario debere esse falsam) non potest tuta conscientia eligere, quàm voluerit, sed, relicta ea, quæ favet libertati, tenetur amplecti eam, quæ favet legi, & hæc est tutior.

Nec. dictum axioma non tantùm se extendere ad vnum alterumve casum, nec solùm esse de consilio, vt putant probabilistæ, dicentes, hominem esse in possessione libertatis, quâ non est spoliandus in dubijs, cùm in ijs sit melior conditio possidentis, ajunt ipsi: sed extendit se præfatum axioma ad omnem materiam, in quâ peccati periculum latet, maximè mortalis, quod homo in omni casu vitare tenetur, ni in æternum perire velit. Proindè illud axioma est de præcepto naturali, quò obligamur non solum vitare ea, quæ certò Deum offendunt, sed & quæ dubiè. Ceterum quòd non melior sit conditio possidentis in materijs aliarum virtutum, extra iustitiam, nec in ijs ratione possessionis libertatis liceat practicè deponere dubium, patet *ex R. ad Q.* 8. *in hoc T. E.* 1. De Judice in casu æqualis probabilitatis dicetur in Loc *E. ad Q.* 7.

* 15 *Resp.* 4. In omni materia morali, quæ subest periculo peccati, tenetur homo in conscientia, relicta sententia minus probabili, quæ libertati favet, sequi probabiliorem concurrentem, cognitam vt talem, quæ favet præcepto. Ita sentio contra modernos Probabilistas, iuxta quos quæcunque opinio, favens libertati (eo ipso quòd secundum se probabilis videatur, eo ipso quòd à viris doctis defendatur) potest esse regula morum, seu operationis, etiam in concursu tutioris, aut manifestè probabilioris.

Teneo hanc sententiam partim vt tutiorem, partim vt probabiliorem, tum ratione, tum authoritate. Fatentur multi Probabilistæ, suam sententiam ab intrinseco quidem, seu ex motivis rationum esse minus probabilem, contendunt tamen eam fieri probabiliorem ab extrinseco, seu ex pondere authoritatis. Ergo in primis concedunt, positam resolutionem esse probabiliorem ab intrinseco. Quòd verò etiam sit probabilior ab extrinseco, videre est in nostro Gonet *in Differtat. Theol. de opinionum probabilitate, art.* 2. vbi eum defendens ait, quòd noster *Mercerus*, eandem tenens, in libro de praxi opinionum pro ea referat 20. Authores, inter quos est noster Doctor Angelicus, qui vnus stat pro 10. millibus, & hic *Quæst.* 8. *a.* 13. agens de eo, qui habet plures Præbendas, hanc sententiam docet. De quo iterum *Quodlib.* 9. *a.* 5. docet, quæstionem, an sit licitum habere plures Præbendas, *periculosè determinari, quia ambigua est, dum Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire.*

* 16 Sed si in concursu sententiæ probabilioris, cognitæ, vt talis, liceret in praxi amplecti minùs probabilem, nullum in hoc esset peccati periculum: quia per probabilitatem homo excusaretur à peccato. Ergo hæc sententia est de mente S. Thomæ. Undè Amadæus Guimenius perpendens doctrinam Sancti Thomæ citat. Quodlib. 8. ait: *Hæc si vera sunt, vt operantibus ex opinione probabili.*

* 17 Angelico adstipulatur Doctor Subtilis in 3. dist. 25. q. 1. n. 8. clarè inquiens: *Cùm habeat duas opiniones contrarias perplexus sit, periculosè se determinat ad vnam, nisi re diligenter inspecta illam probabiliorem agnoscat.* Et in 4. dist. 11. q. 6. ait: *Cùm multis sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minus probabilem.*

Quia

Quid clarius? Iuxta eoldem Authores est *S. Bonaventura* Doctor Seraphicus, *Alensis* irrefragabilis, noster *Caietanus* ingeniosus, noster *S. Antoninus* consiliorum dictus, noster *Vincent. Baronius*, noster *Martinez de Prado*, noster *Araujo*.

Addit his non solùm multos alios Doctores domesticos, & extraneos, sed & praxim Rotæ Romanæ, & Congregationis Concilij. Universitatem Pictaviensem integras Religiones, Dominicanam, Sanctissimæ Trinitatis, Theatinam. *Item* authoritatem *Alexandri VII.* qui anno 1655. in Generalibus nostris Comitijs Romæ publicavit votum, ac desiderium suum ad cæteros nostros Theologos (quotquot in orbe terrarum sunt) deferendum, quo significabatur; *tedere Sanctitatem suam novarum opinionum hujus sæculi in materia morali, quibus Disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientijs cum gravi animarum periculo illuditur: maximèque velle, à Theologis nostris, in Ecclesiæ hoc morbo laborantis remedium, opus parare ex severiori, & tuta doctrina D. Thomæ, qua hac malorum licentia, quæ in dies grassatur, quasi cancris cohiberetur.*

* 18 Adducit idem Goner pro hac resolutione Authoritates S. Scripturæ, SS. Patrum Gregorij, Chrysostomi, Bernardi, &c. quę in ipso videantur.

* 19 In eiusdem nostræ sententiæ favorem præclarissimum librum anno 1694. publici iuris fecit modernus Reverend. Præpositus Generalis Soc. Iesu Thyrsus Gonçalez, in cuius Proœmio, seu introductione, *num.* 7. probat, sententiam illam Probabilistarum de usu opinionis benignę in concursu probabilioris perperam appellari Iesuitarum, tantumquè abesse, ut hæc doctrina prodierit ex Societate, ut potiùs ex Societate prodierint primi ejus impugnatores, ut alt *num.* 9. immò perpaucos fore in Societate Theologos (*num.* 46.) qui distinctiùs interrogati, an liceat in praxi sequi opinionem probabilem minùs tutam in concursu probabilioris, respondere audeant, id nobis licere: sed plerosquè responsuros, id nequaquàm licere.

* 20 *Ratio* 1. Defacto non licet sequi sententiam probabilem probabilitate quavis tenui, & exigua, ut patet ex propositione ab Innoc. XI. damnata, posita immediatè ante *R.* 2. Ergo nec quamcunquè aliam in concursu probabilioris. Vel si licet sequi aliquàm, licet sequi omnem. *Prób. conf.* Ideò iuxta Probabilistas relicta sententia probabiliori licet in praxi sequi probabilem, aliquam saltem, quia nititur fundamento, quod aliquibus DD. visum fuit prudens, & grave. Sed fundamentum cujuscunquè opinionis probabilis, etiam probabilitate tenui, illis DD. qui eam defenderunt, fuit visum prudens, & grave (ne dicantur à Probabilistis egisse imprudenter) licèt alijs non videatur tale. Sicut etiam sententia aliqua probabilior videtur vni, & non alteri. Ergo licet sequi vel omnem opinionem probabilem, vel nullam. Ex quò cum prædicto Gonçalez infertur, quòd licèt moderna probabilistarum doctrina per Decretum Innoc. XI. non sit tacta, videatur tamen illo infirmatum ejus fundamentum à priori.

Ratio 2. Ut aliqua operatio sit licita, & honesta; requiritur, quòd vltimum judicium, seu dictamen conscientiæ, quòd dirigitur, excludat formidinem, seu sit morali certitudine certum de honestate, & licititate actus, alias homo imprudenter agit, juxta illud Eccles. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile. Subsume.* Sed qui relicta sententia probabiliore in praxi, seu in operando sequitur minùs probabilem libertati faventem, non habet tale judicium. Ergo peccat. *Min. prob.* De illa opinione non habet intellectus judicium prudens, & certum, contra quàm rationes magis vrgent, quòd sit falsa, quàm quòd ex suis propriis motivis sit vera: sed sic est de sententia probabili in concursu probabilioris, vt constat, quia homo manifestè experitur, se vehementiùs inclinari ad assensum sententiæ probabilioris, & exercitè in eà cognoscit majorem verisimilitudinem, seu veritatis apparentiam, & aliunde scit duas contradictorias non posse esse simul veras. *Ergo.*

* 21 Contra hanc Rationem insurgunt Probabilistæ. *Primò* dicentes, eam laborare quadam ignorantia, nimirum distinctionis, quà benignioris sententiæ Patroni sententiam probabilem distinguunt in eam, quæ est certo probabilis; & in eam, quæ est solùm probabiliter probabilis. *Prima*, dicunt, est, quam esse probabilem, est certum: *Secunda*, quam esse probabilem, solùm *est probabile*. Certitudinem in prima, quòd sit probabilis, dicunt desumi; tum ex fundamentis, quibus innititur, tum ex *DD.* qui eam tuentur, & simul ex cæteris (saltem pro maiori numero) qui etsi oppositam teneant, affirmant tamen eam esse probabilem. Opinio solùm probabiliter probabilis, aiunt, est, quæ ab aliquibus *DD* non sanè pluribus defenditur, & à cæteris, saltem vt plurimùm non iudicatur probabilis. Primam sentiunt licere sequi in concursu probabilioris; non secundam.

Secundò insurgunt dicendo, quòd adducta ratio solùm probet, iudicium speculativum, & directum non esse certum de operationis licititate, attamen iudicium practicum, & reflexum de ea esse moraliter certum. Licet enim in concursu sententiæ probabilioris speculativè, & directè iudicem, hoc actio (*v. g.* pingere in die festo, offerre pecuniam pro Beneficio, non vt pretium, sed solùm vt motivum, &c.) probabiliùs est illicita: attamen de licititate actionis practicè certificor per iudicium reflexum; quòd fit diversis modis, *v. g.*

Prima reflexio sit formando hoc iudicium reflexum: Qui probabiliter incedit, tutò incedit, seu qui sequitur sententiam probabilem, tutò operatur: sed licèt sententia opposita sit probabilior, mea tamen, quàm sequor, est probabilis. Ergo tutò ago. *2. Mihi* licitum est id, quòd prudenter iudico, & quòd multi graves DD. sentiunt licere: sed hanc sententiam probabilem pro praxi prudenter tenent multi graves DD. Ergo. 3. *In* dubijs melior est conditio possidentis: sed in conflictu sententiarum sum in possessione libertati meæ. Ergo possum amplecti sententiam probabilem mihi placitam. 4. *Lex* non sufficienter promulgata non obligat, sed lex prohibitiva contractus, qui secundum probabilem sententiam non est vsurarius, licèt secundum probabiliorem talis sit, non est sufficienter promulgata, quia inter *DD.* controvertitur. Ergo non obligat. Ergo contra legem possum sequi sententiam probabilem libertati favorem. 5. *Idem* iudicium reflexum potest fieri de ignorantia legis, eo ipso enim, quòd lex disputetur, an extet, eius existentia non est certa. Sed

* 22 *Ad* 1. *Impugnationem* instaurando datam Rationem *R.* quòd dictam distinctionem non ignoraverim, sed probè noverim eam nihil evincere, nec argumentum solvere, sed in suo robore relinquere. Nam in primis certum est, quòd omne probabile sit incertum. Ergo certò probabile est certò incertum. Ecce quàm incertum argumentum, quòd objicitur. Deinde, dato, quòd sententia sit certò probabilis,

non tamen per hoc excedit fines probabilitatis, nec tollitur, quòd rationes contra eam vrgeant illam magis esse falsam, quàm veram, vt magis patebit ex dicendis. Ergo Ratio nostra manet in sui vigore.

Ad 2. Impugnationem *R.* committi in ea petitionem principij, quia hoc est in quęstione, ac disputatur, an hoc iudicium reflexum, prout ibi primo modo explicatur, sit moraliter certum. Qnomodo enim possum moraliter esse certus de honestate actus, si opposita sententia videatur mihi certior, & verior, quę dicit esse illicitum? Undè nego illam maj. *qui probabiliter incedit, tutè incedit.* Vel *dist.* non concurrente opposita sententia moraliter certiore, ac verisimiliore, *C.* ea concurrente, *N.* Ex quo patet ad primam reflexionem.

Ad secundam dist. min. vt paulò ante. Undè temeritas est, & non prudentia nisi carnis (quæ stultitia est apud Deum) amplecti partem minus verisimilem, quando adsunt maiora fundamenta ad iudicandum, quòd sit falsa, quàm quòd sit vera: quòd divinę legis transgressioni sit propior, quàm ab ea remotior. Profectò res hæc periculosa est. *Ad 3.* ostensum est suprà, quòd *maj.* tantum sit vera in materia iustitiæ, & non aliarum virtutum. *Ad 4. & 5. N. min.* quomodo enim est possibile, quòd tibi lex non sit sufficienter promulgata, aut quòd habeas eius ignorantiam, si tu ipse iudices, probabilius esse, quòd exret. Undè licèt *DD.* de legis existentia disputent, si tamen asserant, & tu cum eis sententias, verisimilius esse, quòd extet, inexcusabilis es.

Ratio 3. pro R. 4. Quòd mediat inter duo extrema, si vni comparetur, videtur esse alterum, sit Angeli, qui inter Deum, & hominem sunt medij, comparati Deo, sunt materiales, comparati nobis, sunt immateriales: tepidum comparatum calido videtur esse frigidum, comparatum frigido, videtur esse calidum. Sed opinio minus probabilis mediat inter improbabilem, & probabiliorem. Ergo licèt comparata improbabili, probabilis videatur; comparata tamen probabiliori, censetur improbabilis.

* 23 *Ratio 4.* Qui amat periculum, peribit in illo, id est, qui se committit periculo peccandi, peccat pro quantitate culpę mortalis, vel venialis: sed qui relicta sententia probabiliori, cognita, vt tali (præsertim si simul sit tutior) sequitur minus probabilem, & verisimilem, committit se periculo peccandi, vt patet ex dictis, præsertim ad secundam reflexionem Adversariorum. Ergo.

Ratio 5. sit purè moralis, & ad hominem ex nominato Gonçalez. Qui rectè operatur, potest coram supremo Iudice suæ operationis defensionem opponere, & modum suum operandi defendere: sed hoc nequit is, qui sequitur sententiam probabilem relicta probabiliori, cognita vt tali. Ergo. *Min. prob.* Iudici interroganti, cur secutus sit sententiam illam, maximè sibi favorabilem, cum viderit, oppositam esse absolutè, & simpliciter verisimiliorem authoritate, & ratione, si respondeat, Domine, secutus sum illam opinionem, quia 12. *Authores* graves illam vt gravem docuerunt, statim Iudex opponet: Serve nequam, hæc tibi responsio non prodederit. Quid referebat ad securitatem tuæ conscientiæ scire, quòd 12. *Authores* contractum illum defendebant vt licitum, si simul sciebas 20. *graviores* docere illum esse illicitum, & authoritas illorum maioris erat apud te momenti, cur minorem authoritatem maiori prætulisti? nonne sciebas, facilius esse, quòd decipiantur 12. *quàm* 20. *Doctores*? si respondeas: Domine, secutus sum opinionem illorum 12. Doctorum, quia nitebantur fundamento graví, & prudenti, vtpotè quo moti sunt viri sapientes, & probi, statim Deus reponet: Serve nequam, ex ore tuo te iudico, nam illud fundamentum ideò fuit grave, & prudens respectu illorum *DD.* quia ipsis apparuit verisimilius fundamento sententiæ contrariæ, tibi autem econtra fundamentum sententiæ contrariæ apparuit absolutè, & simpliciter, vt sensibiliter verisimilius, cur ergo contempsisti sententiam, quæ in tua æstimatione nitebatur fundamento maiori, vt sectareris sententiam, cuius fundamentum tibi apparuit minus verisimile? Ergo non motus es ad sectandam sententiam tibi favorabilem à momentis rationis, nec à pondere authoritatis, quia ipse agnoscebas maius authoritatis, & rationis pondus in sententia stare pro meo præcepto, & lege. Ergo in operando non meam legem, & voluntatem, sed carnem, & sanguinem consuluisti. Cur habens vrgentissima fundamenta ad tibi persuadendum, vetam esse sententiam, stantem pro mea lege, sectatus es sententiam tibi favorabilem, quàm esse falsam illa fundamenta tibi vrgentissimè suadebant, & pro cuius veritate minora tibi fundamenta apparebant comparativè ad fundamenta alterius? Quid ad hęc respondere potest homo ille? obmutescet planè, *& omnis iniquitas oppilabit os suum.* Ita ille.

* 24 Huius examinis, & iudicij rigorem expertus est ille Philippus Cancellarius Parisiensis, relicta probabiliore, & tutiore sententia sequens probabilem, & minus tutam de beneficiorum pluralitate. Qui (vt gravissimi Authores scribunt) in agone existens, admonitus, vt hanc sententiam dimitteret, & oppositam amplecteretur, dixit, velle se experiri vim probabilitatis opinionum, & videre, an hęc sufficiat ad damnationem. Expertus est, nam post paucos dies apparens in specie terræ vmbræ Episcopo Parisiensi, testatus est, se esse damnatum ob tres causas, & inter has allegavit sequelam probabilitatis de pluralitate beneficiorum. Quæ experientia vtinam multos cum effectu terreret, vt alieno damno saperent. *Ratio 6.* videatur in probatione *R. ad Q. 8 n. 29.* in hoc Exam. *Ratio 7.* videatur in prob. *R. ad Q. 9. ibidem n. 30.*

* 25 *Oppono 1. contra R. 4.* Omnes Thomistę Dominicani iurant in verba Angelici sui Magistri: sed sunt Thomistæ Dominicani, qui tenent, quòd liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliore, vt Ioan. à S. Thom. Barthol Medina, Ildephonsus, &c. Ergo hæc est mens S. Thomæ. 2. *Iugum* Christi suave est, & onus eius leve, *Matth.* 11. Item mandata eius gravia non sunt, 1. *Ioan.* 5. Sed sententia Probabilioristarum imponit iugum grave, & scrupulis plenum, onusque importabile, immò impossibile; quis enim semper poterit iudicare, maximè si de indoctis, vel mediocriter doctis loquamur, quæ sententia sit probabilior? deberent enim omnes rationes, omnia motiva, & authoritates pro, & contra expendi, ac librari: quod paucissimis est possibile. Ergo.

3. *Iura* inquiunt: Opinio benignior, & suavior præferri debet, *l. benignius, ff. de legibus.* Ergo. 4. *Non* tenemur amplecti id, quòd est melius, sed sufficit amplecti id, quòd est bonum, quia aliàs nemini liceret nubere, sed deberent omnes Religionem profiteri: quia status religiosus est perfectior: sed quamvis id, quòd est probabilius, sit melius; quod tamen probabile est, bonum est. Ergo sufficit. 5. *Quòd* licèt in scholis docere, hoc licèt sequi, & alijs consulere: sed opinionem probabilem licèt in scholis docere. Ergo. 6. *Eadem* est ratio de sententia probabili

bili, ac de probabiliori: ſed licèt ſequi hanc. Ergo & illam. *Prob. maj.* Sententia probabilior etiam non habet omninodam certitudinem, nec excludit formidinem de oppoſito. Ergo. *Conſ. pat.* quia ideò dictum eſt, non licere ſequi ſententiam probabilem, 7. *In* dubijs melior eſt conditio poſidentis: ſed ſententia Probabiliſtarum etiam multorum antiorum tractu eſt in poſſeſſione. Ergo.

* 26 *Ad* 1. vide ſolidas Thomiſtarum vindicias in noſtro Contenſon *Tom.* 3. *Diſſert.* 6. *cap.* 2. vbi ſolidè oſtendit, iniuriam Thomiſtis facere eum, qui probabilitatis Authores, aut defenſores eos nuncupat; tantam, quæ nunc graſſatur, laxitatum colluviem nullo veterum Thomiſtarum teſtimonio fulciri; ſed expreſsè damnari ab omnibus antiquis S. Thomæ Diſcipulis, quos ibi adducit, probatque omnes Thomiſtas uſque ad finem ſeculi decimiquinti noſtræ ſententiæ addictos eſſe, & de Angelica Dominican' Ordinis Schola, eiuſque ſenſu, non eſſe ferendum iudicium ex ſingularibus privatorum hominum, & iuniorum DD. ſententijs, ſed ex Thomiſtis antiquioribus, vtpotè ipſi Angelico Præceptori vicinioribus. Undè *diſt. min.* ſed ſunt Thomiſtæ, pauci, & iuniores, tranſeat; multi & ſeniores, ac ſaniores, *N. min. & conſ.*

Dixi, *tranſeat.* Quia etiam pauci illi Thomiſtæ (inter quos ſunt tres illi nominati) tot clauſulis, exceptionibus, ac Regulis ſententiam ſuam afficiunt, vt re ipſa à ſententia noſtra non differant, ſed ſequelam ſententiæ ſuo iudicio veriſimilioris tradiderint. Sæpè enim aliqua opinio ſpecificativè, ac in ſe eſt minus probabilis, attamen vt ſubiectivè exiſtens in mente operantis citrà culpam videtur magis probabilis ex motivo, quòd ſuo iudicio prævaleat motivis ſententiæ oppoſitæ; item ſententiæ, quę vni magis, alteri videtur minus probabilis; nec enim eundem in quovis intellectu habet ſtatum.

Ad 2. In primis obiecto textui oppono alium ex Matth. 7. vbi dicitur, quòd ſit *arcta via, & anguſta porta, quæ ducit ad vitam*: eſſet verò lata, & omninò ampla in ſententia Probabiliſtarum. Cæterùm iugum Chriſti, & eius mandata, vt explicat S. Auguſt. *non ſunt gravia amanti, ſed non amanti gravia ſunt.* Si quæ in eis ſit difficultas; vti eſt in dilectione inimicorum, in Confeſsione auriculari, &c. merita Chriſti nobis collecta, & parata eam alleviant.

Deinde *N. min.* Nemo enim negat, quemlibet hominem doctum, & indoctum, pro modulo ſuo, & iuxta ſuum captum teneri ſufficientem adhibere diligentiam, an res, quàm vult exequi (ſi dubium, vel ſuſpicio mali de ea illi occurrat) prohibita ſit, necne? quàm ſi adhibeat; legem implevit, à peccato, ſaltem formali, excuſatus. Vir indoctus, vt huic obligationi ſatisfaciat, debet conſulere doctos, ſibi non ſuſpectos de malè ſuadendo ex malitia, vel negligentia. Ruſticus, v. g. aut vetula, conſulat ſuum Parochum, aut Confeſſarium, vt dictum eſt *ad Q.* 2. ante *R.* 3. *in hoc Examin.* Qui ſi fortè erraret in conſulendo, conſilium petens, & iuxta illud agens, eſſet in conſcientia excuſatus: ipſe autem Confeſſarius, ſi ſibi non fideret, deberet ea de re doctiores conſulere.

* 27 Si homo rudis conſulat duos Confeſſarios, quorum vnus dicit rem eſſe licitam, alter illicitam, ſequatur ſententiam illius, cuius authoritas in ejus æſtimatione prævaleat, iſtius enim ſententia erit, quoad ipſum veriſimilior, ſeu probabilior, ſive ſit pro, ſive contra legem. Cæterùm vt vir doctus huic obligationi faciat ſatis, non requiritur, quòd omnes rationes antè conquiſitas, pro, & contra libret, Authores vtriuſquè ſententiæ diù, & ſcrupulosè expendat quantæ ſint authoritatis, ſanctimoniæ, ac pietatis, (hoc enim eſſet onus grave) ſed ſufficit, quòd facta diligenti veritatis inquiſitione, & fundamentis vtriuſquè ſententiæ expenſis, hęc ſententia (licèt ſi benignior, & libertati faveat) ipſi manifeſtè appareat veriſimilior. Undè objectio ſolùm probat, non teneri nos ad ſequelam ſententiæ probabilioris, quę abſolutè, & in ſe ſit talis, ad hoc enim requireretur dicta rationum, & Authorum libratio: nos verò contendimus ſolùm de eà, quæ nobis rationabiliter appareat probabilior. Si Confeſſori in ipſo Confeſsionali ex improviſo eveniat caſus, circa quem tam citò, quoad ſequelam opinionis probabilioris ſe reſolvere nequeat, differat, & pœnitentem redire jubeat.

Ad 3. *Reſp.* 1. Regulam exponi *in leg. Semper, ff. Novitat, de Reg. Juris*, nimirum tenere in dubijs facti, ſeù delicti, v. g. facti homicidij, & in infligendis pœnis, alijſquè caſibus ibi expreſsis: quia in dubio reo favendum potiùs eſt quàm actori, vt dictum eſt in hoc *T. E.* 1. *ad Q.* 6. *Regula* 3. Id ipſum patet ex Regula ſecunda ibidem adducta, quæ dicit, quòd in dubijs tutior pars ſit eligenda, tutiùs autem eſt, favere reo quàm actori; ſi enim faveo actori, expono me periculo condemnandi innocentem; ſi reo, ſum in periculo abſolvendi delinquentem; ſecundum verò tutiùs eſt primo. Sicut facilius Deo poſſumus reddere rationem de exceſſu in miſericordia, quàm de nimio rigore juſtitię: Deo enim proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, vti Eccleſia orat. *Secundò* dico, Juriſtas non in eodem ſenſu intelligere opinionem benignam, in quo eam intelligunt Theologi: hi enim per eam intelligant opinionem favorem libertati, & concupiſcentiæ contra legem: Juriſtę verò intelligunt opinionem piam, id eſt, favorem cauſis pijs, teſtamento, Religioni, Sacramento, Orphanis, viduis, egenis, pupillis, peregrinis. *Tertio dico*, ſenſum eſſe, quòd leges ſubinde patiantur Epikejam, id eſt, benignam interpretationem, attendendo potiùs ad mentem, quam ad verba Legiſlatoris, quando nim. in aliquo particulari caſu, non prævifo, nequit juxta verborum rigorem obſervari; vt patebit in *T.* 6. *de Legibus, E.* 5. *num.* 71.

Ad 4. *dist. min. pro* 2. Probabile eſt bonum, precisè, ac ſecundùm ſe ſumptum, ſeù non concurrente probabiliore, *C.* concurrente illo, *N.* Patet ex ante dictis *ad* 1. *&* 2. reflexionem. *Ad* 5. *diſt. min.* eodem modo. Vel paulo aliter ſic: Si illa opinio Profeſſori appareat veriſimilior, quàm oppoſita, *C. min.* ſecus, *N.* Dixi enim antea, quòd opinio, quę vnius judicio eſt minus probabilis, alterius judicio interdum ſit probabilior.

* 28 *Ad* 6. *N. maj. ad prob. diſt. ant.* Non habet certitudinem ſpeculativam, *C.* practicam, *N.* Eſt ergo differentia inter Probabilioriſtam, & Probabiliſtam, quòd primus facit quantum eſt in ſe, ſequendo ſententiam, quà veriſimiliorem non invenit; qui autem facit quod eſt in ſe, ſeù quantum poteſt, licèt erret, in omnium ſententia excuſatur ob invincibilem ignorantiam. Secus eſt de Probabiliſta, qui vltro fateri debet, veritatem magis vrgere contra ſe, quàm pro ſe. Addi poteſt, non nocere, quòd nec Probabilioriſta omni formidine careat: vult enim Deus, vt in timore, & tremore operemur ſalutem noſtram: aſt majores conſcientiæ remorſus meritò, & rationabiliter pati debet Probabiliſta, quia non facit quantum eſt in ſe, exponitque ſe periculo for-

malis peccari, vt constat ex dictis. Immò illa objectio probat nimium, nimirum nec probabilissimam sententiam sequi licere, ob eandem rationem.

Ad 7. dico 1. ex supradictis constare, illam regulam solùm habere locum in materia justitiæ, non aliarum virtutum. *Secundò dist. maj.* Si sit possessio legitima, & quieta, vtpotè quæ sola titulum facit, vt dicitur in *Tract. de Jure, & Justitia, C. maj.* secus, *N. maj.* & sic *dist. min. N. cons.* Probabilismus autem nunquàm fuit in possessione quieta, sed vbiquè terrarum à viris eruditis, & sanctissimis, Episcopis, Parochis, Doctoribus, &c. fuit turbatus, oppugnatus, immò è diversis Dioecesibus proscriptus, vti ad longum ostendit noster Contensonius *tit. Dissert. 6. c. 1.*

* 29 QUÆRO IV. Nonne sunt aliqui casus, in quibus benignioris sententiæ Patroni nobiscum tenent, sequendam esse probabiliorem, ac tutiorem? *Resp.* Sunt: nimirum si quæstio, vel opiniones contrariæ versentur circa valorem Sacramenti, aut existentiam facti delicti, v. g. homicidij, quod à tali, vel tali esse commissum alij testes affirmant, alij negant. De quò vide ante dicta *ad 3. oppos.* Item vbi intervenit speciale præceptum charitatis, justitiæ, vel Religionis, quò tenemur abstinere ab actione, quà probabile proximo, vel in temporalibus, vel in spiritualibus, periculum imminere prævidetur: tunc enim Adversarij nobiscum sentiunt, tenendam esse partem tutiorem, quæ sola in tali casu est practicè probalis, probabilior. Pro quò vide dicenda *ad Q. 11. in hoc E.*

Ratio. Illa solùm opinio est practicè probabilis, ex quà possum formare certam conscientiam de honestate, & deponere practicam formidinem de formali inhonestate operationis: sed talis in proposito est sola opinio tutior. Ergo hæc sola est amplectenda. *Min. prob.* Formalis inhonestas in hoc casu consurgit ex proximo periculo damni proximi, & invaliditatis Sacramenti, vel simili capite: sed qui in casu notato non sequitur sententiam tutiorem, committit se tali periculo proximo, cùm non sit certus, ne ex sua actione sequatur damnum, vel invaliditas Sacramenti. Ergo. *Maj. prob.* Eadem lege charitatis, justitiæ, vel Religionis, quà damnum proximi prohibetur, vel veri, ac certi Sacramenti confectio præcipitur, etiam prohibetur proximum periculum damni inferendi, aut verum Sacramentum non conficiendi: sed datur certa charitatis, justitiæ, vel Religionis obligatio ad damnum proximi vitandum, & ad verum Sacramentum conficiandum, & pro certa lege stat possessio. Ergo etiam est certa obligatio ad vitandum tale periculum.

* 30 QUÆRO V. Quam sententiam tenetur sequi minister Sacramenti in confectione ejus? *Resp.* In confectione Sacramenti extra casum necessitatis non licet vti materia, vel forma probabili, incerta, vel dubia, v. g. in administratione Baptismi adhibendo aquam rosaceam, vel cervisiam valdè tenuem (posito quòd hæc sit materia dubia) aut hanc formam, quæ est dubia: Baptizo &c. in nomine Christi: sed circa Sacramentorum substantiam tenetur minister sequi sententiam certiorem, tutiorem, & probabiliorem. Quod verum est de quocunquè Sacramento. *Ratio.* Tum quia opposita sententia inter 65. ab Innocentio XI. damnatas est prima. Tum etiam quia valor Sacramentorum non dependet à morali æstimatione ministri, sed requirit physicam positionem eorum, quæ à Christo sunt determinata. Tum tandem, quia ex præcepto Religionis tenemur cavere periculum frustrandi institutionem Christi, & ex præcepto charitatis tenemur vitare damnum, non minus spirituale, quàm temporale proximi: cui tamen is exponitur ex dubio valore Sacramenti. Ergo tenenda est sententia tutior, seù de valore Sacramenti certior, quæ nimirum Ecclesiæ praxi est recepta, & hæc sola est practicè probabilior, licèt fortè opposita esset probabilior speculativè.

Dixi 1. *Extra casum necessitatis.* Quia in casu necessitatis (vti praxis Ecclesiæ testatur) favor, & reverentia Sacramenti cedit favori periclitantis animæ, ac melius est, salutem hominis morituri facere dubiam, quàm omnino relinquere desperatam. Dixi 2. *circa substantiam Sacramentorum*, seù circa materiam, & formam, hanc enim Ecclesia supplere nequit, vti suplere potest jurisdictionem, hanc namquè dat Ecclesia. Hinc in *T. 13. de Pœnit. E. 5. n. 44.* dicetur, quòd, si quis sacerdos habeat jurisdictionem solùm probabilem, cum titulo colorato, à legitimo Superiore collato, nec desit aliquid ex jure divino requisitum, validè absolvat. In quò casu Ecclesia, seù Papa supplet defectum, id est, tribuit jurisdictionem.

Oppone. Ergo in aliquò saltem casu juxta Probabilioristas licet alicui (nim. dicto Confessario, qui & ipse fors Probabilioristà est) sequi sententiam probabilem de sua jurisdictione. *Ad hoc Resp. sub dist.* sententia probabiliore concurrente, *N.* secus, *C.* Vide dicenda loco citato.

* 31 QUÆRO VI. Quam sententiam tenetur sequi Medicus, vel Chirurgus in curando ægrotos? *Resp.* Per se loquendo in conscientia obligantur, relictis medijs incertis, ac probabilius, applicare certa, ac probabiliora. *Ratio* est ante data ad *Q. 4.* quæ hìc applicetur. *Ex hoc sequitur*, gravissimè peccare illos medicos, qui divitibus, vel potentibus parcentes, medicinam aliquam (de cujus virtute fluctuant) primò probant in infirmo non extremè decumbente in hospitali, aut in paupere monacho alicujus monasterij. Dixi in *Resp. per se loquendo.* Nam in casu, quò salus ægroti est omnino desperata, isquè certò præsumitur moriturus, potest ei applicari medicina, de quà dubitatur, an sit ob, vel profutura. *Ratio.* Quia dubia, & probabilis spes salutis est præferenda certæ morti. Porrò si eò non obstante ægrotus moriatur, per accidens est respectu Medici, ac præter intentionem eius: quia aliundè certò erat jamjam moriturus.

* 32 QUÆRO VII. Quam sententiam tenetur sequi Judex? Potestne judicare in favorem amici, præsertim stante æquali probabilitate? *Resp* 1. Judex sive inferior, sive supremus (quando opiniones versantur circa jus) tenetur semper sequi probabiliorem. *Ratio.* Omnis Judex (cùm non sit dominus rei, de quà controvertitur, v. g. agri, vel majoratus, sed solùm minister justitiæ) tenetur rem adjudicare illi, pro quò stat plenior probatio, fortior titulus, clarius jus, melior conditio possidentis: sed hæc non habentur, nisi vbi est sententia probabilior. Ergo. *Vid. pto R. 3. Not.*

Resp. 2. Si favor amici non sit privatus, sed juris, certum est, judici licere in favorem ejus judicare. *Ratio.* Quia jura docent, in dubijs reo potiùs favendum esse quàm actori, meliorem esse conditionem possidentis, judicandum esse pro causa pia, pro persona miserabili, pro valore matrimonij. Sed talis titulus potest stare pro amico. Ergo.

Resp. 3. Si (quod vix unquam fiet) jura partium vidican-

videantur omnino æquales, ſeù vtraquè pars controverſia æquè probabilis, ac neutra in jure mereatur ſpecialem favorem, non poteſt Judex ſalva conſcientia judicare in favorem amici. *Ratio.* Tum quæ eſt data pro *R.* 1. Tum etiam, quia hoc judicium eſſet ſcandaloſum, toti Reipublicæ damnoſum, judicibus corrumpendis, ac pervertendis aptiſſimum. Eſſet ergo in eò caſu (ſi Judex aliud medium non videat) partibus litigantibus imponenda tranſactio, ne Judex videatur eſſe acceptor perſonarum, ſeù reſpicere carnem, & ſanguinem.

Dixi in *R.* 3. *quod vix unquam fiet.* Vix enim fieri poteſt, vt ex vna parte non ſit plenior probatio, teſtes numero plures, vel integriores. Sed de hoc plura tradunt Juriſtæ. *Not.* inter 65. propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas eſſe hanc *num. 2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem.*

* 33 QUÆRO VIII. Quam ſententiam teneatur ſequi Medicus, & Judex conſcientiæ, ſeù Confeſſarius? *Reſp.* Probabiliorem. *Ratio* ſufficienter conſtat ex omnibus probationibus pro *R.* 4. *ad Q.* 3. *in hoc E.* poſitis. Specialem verò dat noſter Mercorus à pari ad mox dicta: Medicus in applicandis medicinis, & Judex in ferendis ſententijs, ſequi tenetur ſententiam probabiliorem, vt adverſarij admittunt, & ante probatum eſt: ſed Confeſſarius eſt Medicus, & Judex conſcientiæ ſui pœnitentis, immò quilibet extra confeſſionem, dum vult operari, eſt quodammodo Judex ſuæ conſcientiæ circa operis honeſtatem, ſeù an aliquis actus ſit licitus, vel illicitus. Ergo Confeſſarius, dum curat, & judicat ſuos pœnitentes, tenetur ſequi ſententiam magis probabilem: vti & quilibet homo in ferendo judicio practico de actus licititate. *Confir.* Abſurdum eſt, exactiorem exigere menſuram pro tribunali, in quò agitur de re temporali, nimirùm ſententiam veriſimiliorem, & magis fundatam, quàm pro foro conſcientiæ, in quò agitur de ſalute æterna animæ: ſicut meritò rideretur, qui pro ponderando plumbo ſtateram exigeret exactiorem, quàm pro auro. Ergo.

Nec obſtat dicere, eſſe diſparitatem, quia ex opinione ſolùm probabili Judicis, & Medici ſequitur, vel eſt periculum; ne ſequatur damnum tertij, quod non ſequitur ex eò, quòd quis ſequatur ſententiam probabilem de honeſtate alicujus actionis. Non, inquam, obſtat; quia ſicut ex primo ſequitur, vel ſequi poteſt damnum tertij, ita ex ſecundo damnum animæ, ſeù tranſgreſsio legis divinæ; & injuria Creatoris: cujus periculum homo etiam vitare tenetur à fortiori. Si quis dixerit eſſe tranſgreſsionem, & injuriam ſolùm materialem, dicam ego, etiam in priori caſu eſſe damnificationem ſolùm materialem, vel vtrobiquè formalem.

* 34 QUÆRO IX. Confeſſarius teneturne, aut poteſt abſolvere pœnitentem, qui juxta ſententiam minùs probabilem ſcienter fecit contractum, in probabiliori ſententiâ Confeſſarij docti, & prudentis, peccaminoſum? Vel poteſtne ſe accomodare ſententiæ pœnitentis? *Reſp.* cum tutiori, & probabiliore ſententia: Si pœnitens in ſuam opinionem ſemel, ac iterùm malâ fide ſit relapſus, non poteſt Confeſſarius eum abſolvere, niſi ſit paratus corrigi. Vndè tenetur eum monere, ac inſtruere de ſequela ſententiæ probabilioris, licèt antea etiam bona fide proceſſerit, & pœnitens tenetur parere. Nec poteſt Confeſſarius ejus ſententiam amplecti.

Ratio 1. & 4. *p.* ſufficienter patet ex ijs, quibus probatum eſt, non licere vſum ſententiæ probabilis in concurſu probabilioris, ex quo ſit, quòd ille pœnitens ſit indiſpoſitus. *Secunda pars*, quòd nimirum Confeſſarius debeat talem pœnitentem inſtruere, patet ex ſuprà in *T.* 1. ad *Q.* 8. explicato officio Confeſſarij, vt Doctoris, & Medici. *Ratio* 3. partis, quòd nimirum ille pœnitens teneatur parere, eſt 1. Pœnitens tenetur parere Confeſſario in omnibus, quæ illi jubet, clave non errante: ſed *in* caſu poſito clavis ſacerdotis non errat. Ergo. *Maj. pat.* quia Confeſſarius eſt à Chriſto inſtitutus Judex pro peccatorum cauſis in foro pœnitentiali diffiniendis. *Min.* etiam conſtat. Quia ſententiam veriorem, & probabiliorem ſuadendo non errat clavis ſacerdotis; ſi enim (vt Adverſarij contra nos aſſerunt) non erret ſuadendo minus probabilem, multo minus errat ſuadendo probabiliorem. *Ratio* 2. pro 3. *p.* Ægrotus per omnia tenetur amplecti certas medicinas medici, & reus tenetur parere juſtæ ſententiæ Judicis: ſed Confeſſarius eſt medicus, & Judex pœnitentis. Ergo.

Not. hoc, vel maximè verum eſſe, ſi Confeſſarius ſit vir doctus, & prudens: nec refert, an ſit proprius pœnitentis paſtor, vel non: in quo aliqui fruſtrà diſtinguunt, neuter enim poteſt contra ſententiam propriam, id eſt, non à ſe excogitatam, ſed quam ipſe cum gravibus DD. tenet vt probabiliorem, ſe accommodare ſententiæ minus probabili pœnitentis. *Confir.* ex eò, quia in præcedentibus probabimus, quòd ſententia minus probabilis favens libertati non maneat probabilis practicè reſpectivè ad operantem in concurſu probabilioris, quæ manifeſtè ei repreſentatur, vt veriſimilior ratione, & authoritate, ſed judicetur falſa. Ergo.

Oppono 1. Judicium Sacramenti Pœnitentiæ non eſt inſtitutum ad condemnandum, ſed ad abſolvendum reum legitimè ſe accuſantem: ſed ille reus legitimè ſe accuſat. Ergo. 2. *Confeſſor* debet credere pœnitenti pro ſe, & contra ſe dicenti; cùm ipſemet ſit reus, accuſator, & teſtis. Ergo.

Ad hoc R. 1. Inſtando rationem datam: Juxta *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *c.* 6. abſolutio eſt adinſtar actus judicialis, quo à ſacerdote ſententia pronuntiatur: ſed Judex non poteſt proferre ſententiam juxtà opinionem rei, quam reſpectu ſuæ ſententiæ judicat eſſe falſam. Ergo. Deinde *ad* 1. *N. min.* Ratio negationis eſt mox dicta. *Ad* 2. *Amp.* eſt verum de ijs, quæ ſpectant ad pœnitentem, vt talis eſt, id eſt; in queſtione facti, ſeu delicti, nimirum an hoc, vel illud peccatum fecerit, vel non? an hæc, vel illa circumſtantia adſit, aut non? falſum verò de illis, quæ ad eum, vt talem non ſpectant, id eſt, in quæſtione juris, an hoc, vel illud ſit peccatum an mortale? an veniale? an ſit, vel non ſit obligatio reſtituendi? an hæc, vel illa ſententia practicè ſit probabilis, &c.

* 35 *Sed quid*, ſi pœnitens vir probatus, & timoratus eſſet multò doctior Confeſſore, judicaretque ſine pravo affectu, ſuam ſententiam eſſe probabiliorem opinione, quam aliàs Confeſſor æſtimat veriſimiliorem? *Reſp.* In hoc caſu non ſum contrarius.

Oppono. Ergo iam in aliquo caſu Confeſſor poteſt ſe accomodare ſententiæ minùs probabili pœnitentis contra ſuam probabiliorem. *Diſtinguo*, in ſenſu compoſito, id eſt, propriam ſententiam retinendo, *N.* eam deponendo, & ſententiam pœnitentis velut veriſimiorem amplectendo, *C.*

* 36 QUÆRO X. Poteſtne Confeſſarius ſaltem diſſimulare, ac permittere, vt pœnitens, qui hactenus bona fide, & ſine ſcrupulo ex errore egit, maneat in ſua opinione minùs probabili, aut etiam in ſententia falſa, & improbabili, ſicque eum abſolvere, ne monitus

nitus scienter peccet, qui autè ob ignorantiam fortè non peccabat? v. g talem contractum iniendo, restitutionem non faciendo, talem occasionem non vitando: præsertim in casu, quo dubitatur, an admonitio sit profutura? *Resp.* cum veriore, & tutiore sententia Non potest. *Ratio* 1. Quia Confessor nequit absolvere aliquem, nisi judicet eum dignum, ac ritè dispositum ad absolutionem: sed hoc Confessor non potest judicare de homine illo, vpotè de quo præsumitur, quòd non velit intelligere, vt benè agat. Ergo. *Ratio* 2. Quia aliàs Confessor non satisfaciet officio Doctoris, ad quod tenetur, vt suprà dictum est. Ergo

Oppono S. August. cujus verba leguntur in Jure Canonico, *c. Si quis autem, de pœnit. dist.* 7. ait: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Ergo. *Ad hoc Resp.* 1. Opponendo ex jure: vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas vitæ relinquatur. *c. Qui scandalizaverit de Reg. Jur.* Item. Error, cui minimè resistitur, approbatur, *c. error. Secundò* dico, hæc verba non esse S. Augustini, & graves Authores, verba illa referentes, quoad hoc à Collectore Canonum esse deceptos, ait enim potiùs S. August. *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem*, id est, non ita exaggerarem pericula dilationis pœnitentiæ: agitenim de illis, qui pœnitentiam differunt vsquè ad finem vitæ, seù ad tempus vltimæ infirmitatis.

Tertiò dicò, illa verba non servire ad nostrum casum, sed magis quadrare ad probandum, quòd nullus ex lege charitatis obligetur ad faciendam correctionem fraternam, quando scit eam non esse profuturam. Nam verum quidem est, quòd is, qui solùm ex communi charitatis lege tenetur proximi errorem corrigere, potiùs debeat tacere, & dissimulare, si prævideat correctionem non profuturam, sed proximum potiùs indè scandalizandum, & capturum occasionem committendi novum peccatum. Verùm dispar est ratio de Confessario; tum quia ex vi officij ei incumbit docere pœnitentes, quorum animas de manu ejus requirit Dominus: tum etiam quia ex conscientia tenetur non absolvere indignos, ac indispositos, quales sunt, de quibus est sermo; quia nolunt intelligere, vt benè agant; immò ex veritate scandalum sumunt. *Vide de Adamum. T.* 16. *E.* §. *num.* 14.

* 37 QUÆRO XI. Quam sententiam teneatur sequi Princeps in bello, *in impositione tributi*, vectigalium, aut aliorum onerum, in mutatione monetæ, &c. Pro intelligentia ante R. Notat tria noster Hacquetius *in T. de Const. controv.* 21. *Primum est.* In consultationibus Princeps duo observet pro securitate conscientiæ. 1. Consiliarios habeat, non magis nobos, familiares, beneficiatos, sed magis timoratos, & sapientes, & dum materiam consilij proponit voluntatem suam non insinuet prævie per se, nec per alios, sed indifferenter, vt quilibet liberè veritatem exprimat. 2. In re gravi, existente opinionum diversitate, in eligendis opinionibus non sit contentus authoritate opinantium, sed petat sibi dici rationes, & fundamenta, ex quibus perpensis cognoscat, quid pro conscientia sit securius.

Secundum est. In impositione alicuius gravaminis, *v.g.* tributi, tria præcipuè sunt discutienda. 1. *Necessitas* Reipub. vt gravamen non excedat illam. 2. *Circa* Principis facultates, & bona, an sufficiant, necne; an ministris fortè viarpata. 3. *An* exactio fiat cum oppressione pauperum, & convertatur in eos vius, ob quos est imposita: vel an ministrorum malitia ea platur, aut dissipetur. Unde & Princeps tenetur bona sua vindicare, & Consiliarij Principem in impositione gravaminum excedentem admonere.

Tertium est. Causa minuendi valorem monetæ soler esse vitium ipsius, quia nimirum maiorem habet valorem moralem, & extrinsecum, quàm intrinsecum, & legitimum. Causa verò augendi valorem, in moneta, est vel inopia, & *defectus* pecuniæ in Regno, vel superabundans valor intrinsecus. Hic non disputatur de varijs causis, quæ subesse possunt pro mutatione monetæ, & de congruentijs, vel incongruentijs, quæ inde sequi possunt, sed solùm agitur de modo, quo formari possit conscientia, & rectum iudicium circa mutationem monetæ, augendo, vel decrescendo: quam mutationem à Principibus ob legitimas causas fieri posse, supponitur. His ex Hacquetio præmissis.

Resp. 1. In bello, & impositione tributorum, & novorum onerum non sufficit pro securitate conscientiæ Principis sola causa, & opinio probabilis, sed debet Princeps duci certa, & evidente necessitate in imponendis novis oneribus, ita vt propriæ facultates pro ea non sufficiant, & in bello sententia probabiliore. Hæc est tutior, ac probabilior, communiorque, etiam inter Adversarios, sententia. *Ratio* est data ad *Q.* 4. ex cuius resolutione hæc sequitur, vti & ex *Q.* 3. nam in bello, & dictis gravaminibus populus spoliatur re sua, quam possidet, cogiturque quòd suum est Principi dare. Ergo in solo casu probabilitatis, & dubij melior est conditio populi possidentis, quàm Principis tributum imponentis, ait dictus Author. *Confir. ex eadem:* Princeps non est dominus facultatum subditorum, sic vt pro libitu, aut ex quocunque motivo de illis disponere possit, sed solùm in ordine ad bonum commune, quando hoc sine dispendio facultatum subditorum conservari non potest. Ergo.

Resp. 2. Probabilius, & tutius est, quòd in mutatione monetæ (ex qua timetur damnum Reip.) non possit Princeps sequi sententiam probabilem relicta probabiliori. Est communis inter Doctores etiam Adversarios, & docetur à Sanct. Thom. *de Reg. Princ. c.* 13. & sequitur ex R. ad *Q. Ratio.* Quia in illa mutatione est periculum damni multitudinis, & Reip. in commutationibus, commercijs, & omnibus alijs pretio æstimabilibus, omnia enim hæc pecunia regulantur, & mensurantur, & si valor monetæ diminuitur, perdit tota Communitas de substantia in pecunijs possessa; si augetur, illud augmentum solùm est pro Rege, vel pro particularibus personis possidentibus. Ergo nisi sit evidens, & certa vtilitas Rei. quæ damnum illud compenset, non potest Princeps monetam mutare.

* 38 QUÆRO XII. Quam sententiam teneatur sequi subditus, dum Prælatus aliquid præcipit, de quo sunt contrariæ opiniones? *Resp.* 1. Superiori legitimè præcipienti debet subditus obedire in omnibus, in quibus manifestè non relucet peccatum; vel sunt omnia illa, de quibus est controversia inter DD. an sint licita, vel illicita. Ita docet S. Bernardus *in Tract. de præcept. & dispens.* dicens: *Sive Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reverentia deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* *Ratio.* Tum quia Superior est in possessione facultatis præcipiendi; tum quia ita secum fert ipsa natura obedientiæ. *Resp.* 2. Si subditus judicet, probabile esse, quòd actus aliquis imperatus sit malus, probabilius verò esse, quòd sit licitus, debet obedire. *Ratio*

est

eſt tum ex dictis, & probatis de ſequela ſententiæ probabilioris; tum etiam, quia oppoſita ſententia aperit viam ad eludenda præcepta Superiorum, ad enervandam vim Legum, & Conſtitutionum Eccleſiæ; quia ſubditus doctrina illa imbutus, in re (de qua ſunt contrariæ opiniones, an ſit licita, vel illicita) licèt poſsit, non tamen tenebitur obedire Superiori legitimè præcipienti. Quod eſt in maximum præjuditium obedientiæ, præſertim religioſæ, totiuſquè Religionis.

Reſp. 3. Quando ſubditus probabilius judicat, rem ſibi præceptam eſſe contra præceptum divinum, non poteſt obedire, nec Prælatus eum ad obediendum obligare, in ſenſu compoſito hujus judicij, ſeù retinendo illud. *Ratio.* Nemini licèt agere, nec poteſt quis obligari ad agendum contra ſuam conſcientiam: ſed hoc fieret in eò caſu, vt pater. Ergo.

Reſp. 4. In hoc caſu ſubditus non poteſt obedire formando hoc dictamen conſcientiæ: Obediendum eſt homini magis quàm Deo, licèt præcipiat contraria Deo. 2. Nec poteſt obedire judicando: Dei voluntas eſt, vt ſuæ leges tamdiù ſolùm obligent, quamdiù non adeſt probabilitas in contrarium. *Ratio* 1. *p.* Quia hoc eſſet impium, & ſtultum judicium. *Ratio* 2. *p.* Quia eſſet inaudita legum divinarum illuſio, & everſio.

Reſp. 5. In caſu R. 3. ſi in re præcepta manifeſtè non cernatur ratio peccati, debet ſubditus opinionem ſuam deponere, ſuumquè judicium judicio prudentis Superioris ſubmittere, & humiliter obedire, de licititate actus præcepti nullatenus dubitando, vel ſcrupulando, nec modò judicium ſuum ſuſpendendo, ſeu judicando, & determinando, probabilius eſſe licere (niſi apertè cernatur eſſe malum) quod Superior timoratus, & prudens ſine pravo affectu præcipit. Hoc nos docuit B. Humbertus Quintus Generalis Ordinis noſtri, *in Lib. 5. de eruditione Religioſorum*, dicens: *Quod à Superiore præcipitur, ſic accipiendum eſt, ac ſi à Deo præciperetur. Ratio.* Tum quia communiter dicitur, quòd obedientia debeat eſſe cæca. Tum etiam quia authoritas Superioris vicem Dei tenentis (quibus verbis inſinuatur diſparitas inter Superiorem, & quemcumquè alium Theologum, cujus ſententiæ non teneor me ſemper ſubmittere) ſat rationabiliter movet ſubditum, vt probabilius judicet, licitum eſſe, quod ille præcipit; licèt antè judicarit, ſententiam Prælati eſſe minùs probabilem, minùſquè tutam.

* 39 *Sed dic mihi*, hæc obligatio ſe ſubjiciendi judicio Prælati oriturne ex eius maiori doctrina, & ſapientia? *Minimè*, ſed ex eius munere, & authoritate, qua Deus eum Vicarium ſuum fecit, adeòquè ſpecialiter ei aſsiſtit, eumquè ſingulariter dirigit quod non poteſt dici de quocunque alio Theologo, vt mox dixi) adeòque non eſt præſumendus inhoneſta præcipere, niſi manifeſtè ratio inhoneſti cernatur.

* 40 QUÆRO XIII. Quàm ſententiam ſalva conſcientia poteſt tueri Advocatus? *Reſp.* Advocatus in iudicio fori externi poteſt ſalvâ conſcientia tueri ſententiam probabilem, etiam concurrente probabiliori, & ex æquè probabilibus viam amplectetur, ſeu quam maluerit. Ita habet communis opinio DD. *Ratio* 1. Quia Advocatus non fert ſententiam, nec decidit ius vti Iudex, ſed ſolùm proponit merita cauſæ loco ſui clientis, qui eſt actor, & litigans: ſed actor habet ius in foro externo exponendi ſuas rationes probabiles. Ergo etiam hoc licitè poteſt facere per Advocatum. *Quia hoc poteſt quis facere per alium, quòd poteſt facere per ſe ipſum*: vt habet Regula Iuris 86. *in 6. Ratio* 2. Cauſa, quæ à principio videbatur minùs probabilis, in decurſu litis ſæpè fit probabilior adidventis novis ſcripturis, teſtibus, aut aliqua adverſæ partis confeſsione, vel viſis, & ponderatis aliis Iuris Capitulis. Ergo licèt eum defendere.

Oppono 1. Quando ius eſt dubium, favendum eſt reo. Item: In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, vt habent Regulæ Iuris ſuprà adductæ. Ergo Advocatus nequit patrocinari cauſæ minus probabili contra reum, & poſſeſſorem. 2. *Non* licèt inclinare Iudicem in eam partem, contra quàm tenetur ferre ſententiam, quia hoc eſſet inducere ad peccatum: ſed Advocatus defendens cauſam minùs probabilem, ſic inclinat Iudicem. Ergo peccat. 3. *Saltem* id non licèt Advocato in cauſis gravibus, ſeu magni momenti, vti ſunt vita, fama, omnium bonorum poſſeſsio, magnus ſtatus, v. g. Maioratus. Ergo. *Prob ant.* Proximo in graviſsima, ſeù extrema neceſsitate exiſtenti, tenentur omnes, quantùm poſſunt, ſuccurrere, & Advocatus (de quo id ſpecialiter docet S. Thom. & cum eo omnes Theologi 2. 2. *q.* 71. *art.* 3.) patrocinium præſtare: ſed in caſu, quo periclitatur vita, fama, aut tota ſubſtantia proximi, ille eſt in graviſsima, ſeu extrema neceſsitate. Ergo omnes (etiam actor, & eius Advocatus) tenentur ei ſuccurrere. Sed cauſam probabilem defendendo contra eum, ei non ſuccurrunt, immò potius per talis cauſæ victoriam eum in talem neceſsitatem inducunt. Ergo peccant ſaltem contra charitatem.

Ad 1. *Reſp.* ibi ſermonem eſſe de Iudice, non de Advocato. *Ad* 2. *diſt. maj.* Non licèt inclinare poſitivè, & ſuadendo, vel quocunque modo efficiendo, *C. maj.* negativè, nimirùm ſolùm oſtendendo merita ſuæ cauſæ (quod eſt proprium Advocati officium) & in eius favorem ſine fraude argumenta, ac iura allegando, *N. maj.* quia aliàs tota forma iudiciaria tolleretur. Et ſic *diſt. min. N. conſ. Ad* 3. *N ant.* licèt enim aliqui DD. piè diſtinguant inter cauſas minoris, & maioris momenti, & aſſerantque licere Advocato tueri partem minùs probabilem in cauſis minoribus, non verò in maioribus antè nominatis, ſive civiles ſint, ſive criminales. Verùm noſter Idephonſus priorem ſententiam benè vocat magis piam, & valdè conſulendam: alteram verò in rigore Theologico ait videri ſibi magis probabilem ob allatas rationes. Undè ad *prob diſt maj* Si proximus ad iſtam neceſsitatem inducatur iniuſtè, aut ex infortunio, *C. maj.* ſi iuſtè, aut iuridicè ab habente authoritatem, *v. g.* à Iudice iuxta merita cauſæ; vti fieret in præſenti; *N. maj.* & ſic *diſt. min. N. conſ.* Exemplum eſt in eo, qui iuſtè damnaretur ad ſuſpendium, vel ad perpetuos Carceres, ſive vt fame pereat: in quò caſu non omnes tenentur illi damnato ſuccurrere eum liberando, vel panem offerendo. *Plura* de Advocato vide infrà *T. 9. E. 6. Q. 3. & 4. n. 7. 8. & 9.*

TRACTATUS III.

De vltimo fine hominis. De voluntario, & involuntario. De actuum humanorum circunſtantijs, ac moralitate.

Ex prima ſecunda Angelici Doctoris à Quæſtione 1. *vſque ad* 21. *inclusivè.*

COMMVNIS eſt parœmia: *Quidquid agis, prudenter agas, & reſpice finem*, maximè vltimum; quia ab eius bonitate intenta dimanat noſtrorum actuum humanorum bonitas. Qua de re inſtruit nos Angelicus Doctor *in* 1. 2. *q.* 1. *& ſeqq.* agens priùs de vltimo fine, ac beatitudine hominis, acturus poſteà de ijs, per quæ homo ad hunc finem poteſt pertingere, vel ab eo deviare: vti ſunt virtutes, & peccata. Sit ergo.

EXAMEN I.

De vltimo hominis fine, actibus humanis, & voluntario, ac involuntario in ijs reperto.

De quibus S. Doctor agit à Quæſt. 1. *vſque ad Quæſt.* 6. *inclusivè.*

* 1 CVm Confeſſarius erga pœnitentem Doctoris fungatur officio, ſi eum inveniat dictam Parœmiam, *Quidquid agis*, &c. minùs conſiderantem, de vltimo fine minùs ſollicitum, tenetur indubiè conſcientiæ Doctor Clientis conſcientiam tangere, illumque de hac vltima actionum noſtrarum meta erudire. Quare.

* 2 QVÆRO I. Quis eſt finis vltimus hominis, & in quo conſiſtit? *Reſpondeo* 1. Eſt æterna beatitudo, ad hanc homo creatus eſt ab eo, qui 1. Thimoth. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri*, eamque homo in omni actione ſua tenetur quærere. Per actus bonos eam obtinet, per malos ab ea deviat. Beatitudo eſt duplex, vna obiectiva, quæ eſt ipſe Deus, vt patebit ex R. 3. altera formalis, quæ eſt illa actio quâ priorem, ſeu obiectum beatificum nimirum aſſequimur actu, & in re. Hæc ex ſe patent. *Reſp.* 2. Beatitudinem formalem Scotiſtæ dicunt eſſe actum voluntatis, ſcilicèt amorem, Thomiſtæ verò probabilius tenent eſſe actum intellectus, nimirum viſionem Dei vt eſt in ſe, quæ ideò beatifica dicitur.

* 3 *Ratio Thomiſtarum eſt.* Beatitudo formalis eſſentialiter, & metaphyſicè ſumpta (ſicut ſumi debet) conſiſtit in tali actione, quæ ex intrinſeco ſuo conceptu eſt omnium prima con-ſeu aſſecutio, & poſſeſsio finis, ſeù ſummi Boni: ſed talis actio non eſt actus voluntatis, ſeù amor, ſed ſoliùs intellectus. Ergo. *Min. prob.* Illius potentiæ operatio eſt per ſe primò conſecutiva, & poſſeſsiva obiecti, cujus proprium munus eſt, obiectum ad ſe, & intra ſe trahere, ac intimè ſibi præſens facere: ſed hoc eſt proprium munus intellectus, non voluntatis. *Min. prob.* Ex Philoſophia conſtat, quòd inter voluntatem, & intellectum hæc ſit differentia, quòd voluntas ſit potentia cæca, ejuſquè actus ſolùm ſit pondus, & inclinatio in obiectum, à quò ipſa trahitur; econtra intellectus (de quò Ariſt. dicit, quòd *intelligendo* ſit omnia, quæ intelligit, puta, non in eſſe entitativo, ſed in eſſe intelligibili) per ſpecies trahit res intra ſe. Ergo voluntas non eſt attractiva, ſeù aſſecutiva obiecti, bene tamen intellectus.

Nota tamen, non negari à Thomiſtis, quòd actus voluntatis, nimirum amor, delectatio, & fruitio, beatitudinem formalem conſequantur tanquàm inſeparabiles proprietates, ſpectantquè ad ejus ſtatum, perfectionem, ſeù integritatem, & habeant ſe, ſeù Deum Beato vniant, per modum proſecutionis, ſivè proſecutivè, qui per actum intellectus ei jam fuit vnitus conſecutivè. Per quem intellectus actum etiam ipſa voluntas Beati ſatiatur radicaliter, (ſicut per actum voluntatis ſatiatur formaliter) eſſentia autem beatitudinis formalis conſiſtit in vnione illa conſecutiva, & ſatiatione radicali. Hinc & intellectus attingit Deum ſub ratione boni, non in quantum ly *ſub* dicit rationem formalem *ſub qua* (ſic enim ſpectat ad voluntatem) ſed in quantum *rationem formalem, qua* aſſequibilis eſt. Hæc ſpeculativa ſunt. Proinde pluribus talibus omiſsis, quæ in Aut. videantur.

* 4 *Reſp.* 3. Nulla res creata, vel creabilis poteſt eſſe vera creaturæ rationalis beatitudo obiectiva, ſed ſolus Deus. *Ratio.* Angel. Doctor hìc *q.* 2. *art.* 8. Beatitudinem definit, quòd ſit *bonum totaliter quietans, & ſatians appetitum*, nimirùm rationalem. S. Auguſt. 3. de Civit. quòd ſit *rerum omnium ſperandarum cumulata plenitudo.* Boetius l. 3. conſol. quòd ſit *ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus.* Subſumo: Sed nulli rei creatæ, vel creabili, nec toti rerum creabilium vniverſitati, ſeu collectioni dicta prædicata comperire poſſunt. Ergo. *Min. prob.* Creatura, quæcunque illa ſit, manet ſemper bonum particulare, limitatum, & mutilum: Item, cognito effectu ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam: ſed omne bonum creatum, ſive diviſivè, ſive collectivè ſumptum, quantacunque etiam perfectione polleat, eſt effectus Dei. Ergo poteſt, & potis appetitus extra tale bonum ſe extendere ad cognitionem, & amorem Creatoris. Ergo ab ea non ſatiatur. Undè optimè S. Auguſt. lib. 13. Confeſſ. cap. 8. ait: *Creatura rationali non ſufficit ad beatam requiem, quidquid Deo minùs eſt.*

* 5 QVÆRO II. Eſtne poſsibile, ab eadem voluntate ſimul efficaciter appeti plures vltimos fines totales, & adæquatos, ac ſimpliciter vltimos? Dicitur 1. in tit. *ab eadem voluntate, & ſimul*, quia de diverſis voluntatibus, vel etiam de eadem pro diverſo tempore, id non eſt negandum. Dicitur 2. *efficaciter*, id eſt, ſe, & omnia ſua referendo in vltimum finem; nam poſſe ſimul ferri in alium finem vltimum inefficaciter, & ſecundùm quid, patebit poſteà *Q.* 3. *n.* 7. ex dicendis de peccatis venialiter. Dicitur 3. *fines totales*, de partialibus enim id conceditur,

dirur, vt constabit ex dicendis; ad Oppon. 2. de pluribus Dijs Gentilium. Hoc præmisso.

Resp. esse impossibile, & manifestam implicantiam. Ita *S. D. hîc q. 1. art. 5. in c. Ratio.* Impossibile est. idem esse, & non esse. Quod Axioma est Aristotelis 4. *Metaph. tex* 9. & est primum omnium principiorum in Philosophia, in quod velut in fontem omnia alia reducuntur, & probantur, vt docet S. Thom. 2. 2. *q. 1. a. 7. in c.* dicens: *Omnia principia reducuntur ad hoc sicut ad primum. Impossibile est, simul affirmare, & negare*, nimirum idem prædicatum de eodem secundùm idem, seu secundum eandem rationem: alioquin enim duæ propositiones contradictoriæ essent simul verę, quod repugnat. *Subsumo*: Sed, si eadem voluntas posset simul efficaciter appetere plures fines totales, & simpliciter vltimos, sequeretur idem simul esse, & non esse. Ergo. *Min. prob.* Nam quilibet istorum finium esset simpliciter vltimus, & tota is, vt supponitur, & non esset, quod *prob* Finis simpliciter vltimus, & totalis est, qui *propter seipsum appetitur, & cætera omnia propter ipsum.* 1. Ethic. c. 2. vel vt ait S. Thom. citat. qui *ita implet totum hominis appetitum, vt nihil extra ipsum appetendum relinquatur*: sed si voluntas simul efficaciter appeteret plures fines simpliciter vltimos, & totales, *v. g.* finem *A.* & finem *B.* tunc propter neutrum expeterentur cætera omnia, neuter super omnia diligeretur, extra quemlibet aliquid appetibile restaret, nimirum alter finis. Ergo.

Oppono 1. Pater in divinis est finis vltimus simpliciter Item Filius, item Spiritus Sanctus. Ergo sunt tres fines vltimi simpliciter. 2. *Deus* est finis vltimus simpliciter, saltem apprehensus, si sit Deus falsus: sed Gentiles coluerunt plures Deos, vt Apollinem, Martem, Venerem, &c. *Item* 2. *Reg.* 17 celebratur Idolum speciem habens *Pavonis*, aliud speciem habens *Equi*, *Phasiani*, *Hirci*, *Galli*, *&c.* *Item* 1. Reg. 12. *vitulus aureus. Et Jud.* 16. Idolum formam *piscis* infernè, & speciem *formosæ mulieris* referens superne. Ergo.

Ad 1. *N. cons.* Sicut enim non sequitur: Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus Sanctus. Ergo sunt tres Dij; sed solùm sequitur: Ergo Deus est trinus; ita in præsenti non sequitur, esse tres fines vltimos: sed finem vltimum esse trinum. Ubi in memoriam revocanda est illa Regula Dialecticorum, quòd nomina numeralia primitivæ speciei, *v. g. duo, tres, tria, &c.* addita substantivo in concreto, vel adiectivo substantivè sumpto, multiplicent tàm formale, seu naturam, quàm materiale, seu suppositum: nomina verò derivativæ speciei, *v. g. binus, trinus*, &c sola supposita, sive personas multiplicent. Ex quo fit, quòd si ly *bonus* sumatur purè *adiectivè*, dicantur in divinis esse tres boni, secus, si sumatur *substantivè*.

Ad 2. *dist. min.* dicendo, quòd Gentiles coluerint plures Deos, vel eos subordinando vni tanquàm supremo, & vltimo, *v. g.* Jovi, vel si vnum ad alterùm non ordinaverint, non fuerunt fines simpliciter, & absolutè vltimi, ac totales (de quibus hîc est sermo) sed in certo tantùm ordine, & causa; *v. g. Mars* in Bello, *Venus* in Lascivia, seù Generatione, *Ceres* pro Terræ fecunditate, *Apolo* pro Scientia, *Neptunus* pro Arte Nautica. Vel vnus Populus hunc, alter illum Deum coluit: hîc verò loquimur de eâdem voluntate.

Nota, quòd hîc dicitur *secundùm rem*, etiam dicendum esse *secundùm intellectum*, nimirum nec intellectu, pura, sano, apprehendi posse plures fines simpliciter vltimos, ac totales, nisi omnem Deum, ac finem vltimum destruendo, & hoc ob rationem pro *R dictam.* Vide infrà in hoc *T. E. 3. n. 12.* An idem actus humanus possit simul esse bonus, & malus moraliter. Item de Politico, *ibid. n. 50.*

* 6 QUÆRO III. Quis est finis vltimus hominis mortaliter, vel venialiter peccantis? *Resp.* 1. Homo mortaliter peccans, derelicto Deo Creatore suo, Creaturam, & quidem seipsum sibi Deum, ac finem vltimum præficit: Ita S. D. *loco citando. Et de Verit. q. 28. a. 1. Ratio. Inordinatus amor sui est causa omnis peccati*, vt ait S. Thom. *infrà q. 77 art. 4* Et S. August. à S. D. *ibidem citatus inquit*: *Sicut amor Dei ædificat Civitatem Cœlestem, usquè ad contemptum sui, ità amor sui ædificat Civitatem Babylonis, usquè ad contemptum Dei.* Et Arist. 9. *Ethic. c. 4. & 8. Pravus sui gratia agit, & tantò magis, quantò pravior est.* Ergo homo mortaliter peccans pro fine vltimo habet seipsum. *Prob. cons.* Finis vltimus respectu agentis est, causa cuius, gratia, & amore cujus agit, quidquid agit: Sed homo mortaliter peccans gratia, & amore sui agit, quidquid agit. Ergo. *Min. pat.* tum ex verbis SS. August. & Thomæ. vti & Arist. tum ex eò, quia omnis inclinatio (vtpotè appetitus secundùm naturam) tendit in bonum illius naturæ, in quà radicatur: sed affectus hominis mortaliter peccantis est inclinatio naturæ sibi relictæ, sicut econtra affectus hominis justi, vi gratiæ, & charitatis, est inclinatio naturæ participativè divinæ. Ergo sicut hic nonnisi in bonum divinum, ita illa non tendit nisi in bonum proprium.

Ex his colligitur sensus verborum S. Hieron. *in Psalm.* 80 dicentis: *Cui Deus venter est, ei Deus rectus est Quscunquè vitia habemus, & quotcunquè peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem & concupivi, libido mihi Deus est; unusquisquè enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est.* Quę verba quidem probant, quòd peccator mortalis pro fine vltimo habeat creaturam, sed posset ex eis quis simul probare, quòd habeat simul plures vltimos fines, seù Deos, & quidem tot quot habet peccata.

Verùm juxta dicta peccator in omnibus suis peccatis est ipse sibi solus, & vnicus Deus. Distinguendum autem est inter finem vltimum *cui*, qui respectu hominis mortaliter peccantis est ipse peccator secundùm se, & in natura consideratus: sic enim quæcunquè bona vult, vltimatè sibi vult, & intuitu sui diligit vniversa, & inter finem vltimum *cujus gratia*, formalem, hunccquè vel in abstracto, qui respectu prædicti peccatoris est bonum proprium, & commoditas ipsius: vel in concreto, sicquè est ipsemet peccator, vt affectus, vel afficiendus tali bono. Hinc patet intelligentia verborum S. Hieronymi: loquitur enim de ira, libidine, cæterisquè vitijs in concreto, & non in abstracto, non enim libidinoso *libido*, sed ipse libidinosus *sibi Deus*, & vltimus finis est. Pro quò. *Nota*, non requiri inter finem *cui*, & *cujus gratia* distinctionem realem entitativam, sed sufficere realem formalem, quæ etiam in præsenti intercedit, petitquè, & potest peccator consequi seipsum in ratione finis; seipsum, inquàm, non materialiter, & in natura spectatum, sed sumptum formaliter, hoc est, vt affectum, vel afficiendum bonis creatis.

Resp. 2. Justus venialiter peccans præter Creatorem (in quem ratione gratiæ, & charitatis habitualiter conversus manet) non diligit creaturam velut finem vltimum simpliciter, sed secundùm quid tantùm

tum. Ita S. D. *citandus. Ratio.* Impossibile est, idem esse, & non esse, vt explicatum est in prob. *R. ad Q. 2.* Sed si justus venialiter peccans pro fine simpliciter vltimo non retineret Deum ratione gratiæ, & charitatis, sequèretur, idem esse, & non esse. Ergo. *Min. prob.* In primis homo sic peccans esset ratione charitatis, conversus in Deum, vt vltimum finem: deindè non esset, quia ratione peccati venialis haberet pro fine vltimo simpliciter creaturam. Quod, cum dicendum non sit, dicendum est, finem simpliciter vltimum (etsi finis secundùm quid vltimus in creatura collocetur) respectu hominis justi venialiter peccantis manere Deum: ita vt in aliquo verò sensu verum sit dicere, peccatum veniale in homine justo habitualiter referri in Deum, vt docèt S. D. 2.2. *q.* 24 *art.* 10. *ad* 2 dicens: *Quod amatur in peccato veniali* (puta ab homine justo) *propter Deum amatur habitu, etsi non actu.*

In quò autem hæc habitualis relatio consistat, non est vna omnium mens. Probabilius consistit in hoc, quòd in charitatis potestate sit, peccata venialia prohibere, ne fiant: quę etiam defacto impediret, si ejus finì adversarentur: quæ potestas est quidam modus relationis, & dominij indirecti; qui enim habet potestatem impediendi aliquid, ne fiat, quamvis defacto non impediat, censetur habere dominium super illud? *Nec obstat* dicere, charitas etiam potest prohibere, ne fiant peccata mortalia, & tamen ob hoc de his dici nequit, quòd habitualiter referantur in Deum. Non, inquàm, obstat. Quia vt aliquid dicatur habitualiter referri in Deum per charitatem, debet charitati posse coexistere: sed non possunt ei coexistere mortalia, vtpotè mortem animę afferentia, benè tamen venialia, vtpotè quę veniam facilè merentur, etsi enim hæc à Deo non nihil divertant, non tamen avertunt, nec amicitiam divinam tollunt. Ergo.

Oppono 1. contra *R.* 1 Si quis rationem vltimi finis, & summi Boni attribueret creaturæ, esset hæreticus: sed non omnis mortaliter peccans est hæreticus Ergo nec habet pro fine vltimo creaturam. 2. Homo mortaliter peccans ratione naturæ manet conversus in Deum. Ergo idem, quòd prius. Vel certè habebit duos vltimos fines simpliciter, quod antè negatum est.

Ad 1. *maj.* est vera, si quis creaturę rationem summi boni attribueret speculativè, formaliter, & in actu *signato*: secùs verò si solùm attribuat in actu *exercito*, interpretativè, seù ex parte modi operandi, vt communiter fit in peccantibus mortaliter. *Ad* 2. *con. ant. & N. utramquè cons.* Sciendum autem est, alium esse finem, in quem homo ordinatur naturali necessitate, seù ratione naturæ à Deo conditæ: alium verò in quem fertur libera voluntate. Priori modo homo, etiam mortaliter peccans, manet conversus in Deum, vt in vltimum finem: secundo autem modo per peccatum mortale à Deo, vt vltimo fine deflectit, & ad creaturam, seù ad seipsum se convertit: deflectit, inquàm, à Deo, etiam vt ab Auctore naturali. Suppositâ enim elevatione naturæ humanæ ad finem supernaturalem, is, qui directè peccat contra Deum, vt Auctorem *gratiæ*, etiam indirectè, & ex consequenti peccat contra eum, vt Auctorem *naturæ*. Ex quò *Sequitur*, quòd talis peccator simul habeat duos fines vltimos, & totales, sed diversi ordinis, & rationis mox explicatæ, quod non repugnat dictis ad *Q.* 2. quia ibi agitur de pluribus finibus ejusdem ordinis, & in quorum quemlibet homo vendit libera voluntate.

* 8 QUÆRO IV. Potestne homo suum verum finem vltimum, nimirum Beatitudinem obtinere, vel ab ea deviare per quascunque actiones? & quid sunt actus humani? *Resp.* Non potest. *Declaratur.* Triplex est genus actionum ab homine elicitarum. Aliæ sunt actiones convenientes homini secundùm gradum generícum, seu vt animal est, & dicuntur secundùm se potiùs *animales*, quia sunt ei cum brutis communes, vt ambulare, nutrire, crescere, & generare, &c. quæ secundùm se præcisè sumptæ non sunt ad propositum. Aliæ sunt *actiones humanæ* convenientes homini, vt homo est, & vt a brutis distinguitur: quæ distinctio fit per hoc, quòd homo per rationem, & voluntatem sit Dominus suarum actionum, quod idem est, ac agere ex prævia rationis deliberatione, seu habere facultatem, positis omnibus ad agendum requisitis actum ponendi, vel non ponendi. Et per tales actiones homo potest Beatitudinem obtinere, si sint de genere bonorum, vel ab ea deviare, si sint de genere malorum: solis enim actibus voluntarijs, & liberis debetur præmium, vel supplicium, seu vt habet axioma Theol. *In naturalibus*, id est, involuntarijs, & non liberis, *nec meremur, nec demeremur.* Tandem aliæ sunt *actiones hominis*, & sunt, quæ quidem absolutè ab homine, vt à principio proceduut; sed indeliberatè, vt si quis absque omni deliberatione aliquid oret, vel non advertens barbam fricet, nasum tabaco pabulet, &c. quas aliqui non malè vocant actiones humanas quoad substantiam, &, si deliberatè fiant, sunt tales etiam quoad modum. Qui modus addi etiam potest plurimis actionibus primi generis.

* 9 QUÆRO V. Ut hoc magis explicetur, dic mihi, quid, & quotuplex est voluntarium, & an sit idem, quod liberum. *Resp.* 1. Voluntarium à S. Thom. qui de eo agit hìc q. 6. & ab Arist. benè definitur, esse *id, quod est à principio intrinseco, cum cognitione finis.* Ubi loco generis ponitur ly *id*, estque idem quod actus, non enim loquimur hìc de objecto volito, quod dicitur voluntarium denominativè extrinsecè. Ly *à principio intrinseco* ponitur loco differentię, quia per hoc voluntarium differt à violento, quod in Physica definitur esse *id, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim*, seu propensionem, sed positivè resistente. Ubi passum est subiectum, quod patitur violentiam. Ly *cum cognitione finis* ponitur etiam loco differentiæ, per hoc enim voluntarium differt a naturali, vti est, *v. g.* motus lapidis deorsum, vegetatio, & progerminatio herbarum terræ, maximè non cultæ, sponte sua progerminantis flores, quæ actiones sunt quidem à principio intrinseco, & possunt dici spontaneæ, non tamen voluntariæ (nisi metaphoricè) defectu cognitionis. Quæ cognitio est duplex, scilicèt sensitiva, & rationalis. Prima est in brutis, secunda in hominibus, & quia prima est imperfectior secunda, voluntarium in brutis repertum est imperfectius voluntario, quod est in homine.

Oppono contra voluntarium brutorum. Voluntarium dicitur à voluntate: sed in brutis non est voluntas. Ergo nec voluntarium. *Ad hoc aiunt maj.* quantùm ad nominis impositionem, & denominationem voluntarij, quæ detumitur à principali, *C. maj.* quantùm ad rem ipsam significatam, *N. maj. & sic dist. min. N. cons.* itaquè quantum ad rem ipsam voluntarium verè reperitur in brutis, vt patet ex definitione eius. Et licèt in maiori rigore in hominibus vocetur voluntarium, tamen vsu iam est translatum ad ad significandum spontaneum, qui terminus in omni rigore loquendo magis eis deberetur, brutorum.

Resp.

10 *Resp.* 2. Voluntarium , & liberum non sunt maliter idem, nec habent se convertibiliter , sed untarium latiùs patet. *Ratio.* Liberum præter prosum à voluntate , cum cognitione finis requirit m indifferentiam iudicij , & facultatem ad posse e , & non agere , vt explicatum est ad *Q.* 4. ic omne liberum quidem est voluntarium , non en econtra , quia voluntarium est quid superius, deò latiùs patens. Nam pueri , amentes , & bru-- -igunt voluntariè , non tamen liberè : amor beatificus est voluntarius , sed non liber. Sicut omnis homo est animal , non tamen econtra.

* 11 *Resp.* 3. Voluntarium variè dividitur. Nam *Primò*: Voluntarium aliud est necessarium, quod est à voluntate non indifferente, sed ad vnum determinata, exemplum cuius est in amore beatifico. Aliud liberum, quod est à voluntate ad vtrumlibet indeterminata, vti est amor hominis in via. *Secundò*. Voluntarium aliud est formale, aliud virtuale. Primum est à voluntate actu influente, alterum est virtus, vel effectus prioris , seu est ipsum voluntarium actuale non retractatum , quatenus permanet in aliquo effectu prout id solet explicari de intentione virtuali Sicut dum quis semel actu formali se resolvit ad peregrinandum vsquè Romam , licèt in toto itinere super hunc actum se non reflectat , manet voluntarius virtualiter : quia prima voluntas manet virtualiter in suo effectu , scilicèt in continuatione itineris.

Tertiò potest mihi aliquid esse voluntarium physicè , vt , quod ipse per me facio , *v. g.* percuss o à me ipso facta ; vel moraliter , vt , si fiat ex meo mandato , consilio , petitione , &c. *Quartò* est aliquid voluntarium voluntate propria , de quo patet ex iam dictis ; vel voluntate aliena , vt si voluntas alterius moraliter habeatur pro voluntate propria. Sicut in contractibus voluntas Tutoris habetur pro voluntate pupilli. Idem est de Procuratore respectu sui Principalis , de filio impubere respectu Patris. Et eodem modo peccatum Adami fuit nobis voluntarium in ipso , vt in Capite ex pacto voluntates nostras in sua continente.

Quintò. Voluntarium aliud est expressum , quod actu formali , & expresso à voluntate procedit ; aliud interpretativum , quod fictione , aut statuto Iuris, aut per EpiKeiam , seu prudentum consilio à voluntate procedere censetur. *Sextò*. Aliud est voluntarium in se , aliud in alio , vt in causa , vel vt in continente. Primum est , quod in se ipso terminat volitionem , vt si quis expresè intendat loqui blasphemias. Alterum verò , quod in se non est formaliter volitum , sequitur tamen ex alio obiecto , quod est volitum in seipso , sive illud sit alterius causa , vt si quis sciat se habere consuetudinem blasphemandi in ebrietate , & tamen voluntariè se inebriat , blasphemia est ei voluntaria in causa : sive sit aliquod totum continens in se alterum , vt si quis occidat prægnantem , sciens esse talem , occisio fœtus , licèt explicitè non intenta , dicitur ei voluntaria in alio , ac implicitè. *Septimò*. Voluntarium aliud est directum, aliud indirectum. Primum est , quod ex positivo voluntatis influxu procedit , sivè immediatè , vt furtum à fure ; sivè mediatè , vt mors ex porrectione veneni. Indirectum (quò nomine Moralistæ , sæpè etiam intelligunt voluntarium in causa) propriè est illud , quod positivè expresè à voluntate non procedit , ei tamen imputatur , eò quòd habeat facultatem, & obligationem malum aliquod impediendi , & non impedit , vt si submergatur navis nauta dormiente tempore magnæ tempestatis , quàm prævidit,

* 12 QUÆRO VI. Quot sunt causæ involuntarij ? *Resp.* Sunt quatuor , nimirum violentia , metus concupiscentia , ignorantia , vt docèt S. Thom. *hic q. 6. a. 5. & seq.*

Explicatur prima involuntarij causa , scilicèt violentia. Violentum jam ante *in* R. *ad Q.* 5. fuit definitum : Quòd sit causa involuntarij probatur ex S. Thom. *citat. à* 5. Quia voluntarium petit esse à principio intrinseco , vt patet ex ejus ante data definitione : violentum autem est à principio extrinseco , passo non inclinante , sed pro viribus resistente , vt antè fuit explicatum. Exemplum est in stupro fœminæ per vim oppressæ , nec interiùs , nec exteriùs consentientis , sed pro possibili resistentis , imò defendentis ; quod ei omnino est involuntarium , consequenter nec ei ad culpam imputatur.

Not Hic esse sermonem de violentia simpliciter tali , qua agens extrinsecum in passo totis viribus resistente , & consideratis omnibus circumstantijs absolutè respuente , aliquid facit , vel impedit : quæ si nimirum inferatur rebus cognoscentibus , etiam vocatur coactio , non cognoscentia enim non dicuntur cogi , sed tantùm violentari , *v. g.* lapis sursum proiectus. Et hæc violentia, quia tollit omne voluntarium, tollit etiam omne meritum , & demeritum , ac Sacramentorum validitatem. Est autem altera violentia , & coactio iucundum quid talis , quando nimirum agens extrinsecum ex se non est sufficiens ad causandum effectum , nisi etiam voluntas patientis efficaciter cooperetur , licèt inefficaciter , seu secundùm aliqualem inclinationem , non verò totis viribus renitatur. *Vel sic* : Est , quando voluntas in his quidem circumstantijs absolutè vult , conditionatè tamen illud non vellet , puta , si tales circumstantiæ deessent. Sicut mercator tempore tempestatis , vt vitam servet, absolutè vult proijcere merces in mare , quas nollet proijcere , si deesset periculum vitæ , & hæc violentia secundùm quid talis est in meta. De quo *Q.* 7.

Colligitur ex dictis , violentum non esse idem quod necessarium , quia necessarium potest esse voluntarium , vt patet ex dictis de amore beatifico. Item violentum non est convertibiliter dem cum Involuntario. Quia involuntarium latiùs patet , cum possit etiam causari ex ignorantia. Secus est de violento. Omne ergo violentum , seu coactum , simpliciter tale , est involuntarium , sed non econtra.

Secunda involuntarij causa , scilicèt metus.

De quo S. D. q. 6. a. 6.

* 13 QUÆRO VII. Quid , & quotuplex est metus ? causatne involuntarium simpliciter , & cur? *Resp.* 1. Metus à S. Thoma infrà *q.* 41. benè definitur , quòd sit *passio , qua refugimus malum futurum, cui resisti non potest.* Dividitur in levem , & gravem. Metus levis est , quo timetur malum leve , aut grave ex causa levi , vel improbabili , dicuntque à Iuristis cadere in virum inconstantem , ac personas leves , & meticulosas , à concepta sententia facilè dimovibiles: vt si quis metu pluviæ , luti , pulveris , &c. in die festo omittat Missam. Metus gravis est , quo timet quis grave malum , qualia mala sunt mors , mutilatio , enormia verbera , exilium , servitus , durus carcer , damnatio ad triremes , amissio omnium , vel notabilis partis bonorum , infamia moraliter indelebilis , excommunicatio iniusta , ablatio instrumentorum artis , sine quibus victus haberi non potest. Et hic metus dicitur à Iuristis *cadere in virum constantem*, non quòd solus vir eius capax sit , sed quia tantus est, vt viros etiam fortes , prudentes , & alias valdè constantes , terrere , conturbare , dejicere , ac perplexos

reddere posſit. Dividitur iterùm metus in eum, qui est ab intrinseco, & qui est ab extrinseco; qui explicabitur infrà *T.* vlt. *E.* 3. *Q.* 2.

* 14 *Resp.* 2. Ut metus sit gravis, requiritur. 1. Ut grave malum à timente apprehendatur futurum, non ex ratione levi, sed valdè probabili. 2. Ut is, qui malum illud minatur, sit potens illud exequi: aliàs enim erit *vana sine viribus ira* 3. Quòd sit solitus tales minas exequi 4 Ut malum illud non posſit à timente facilè evitari. 5. Consideranda est qualitas Personæ timentis, nam respectu pueri, vel mulieris potest esse metus gravis, qui respectu viri, est levis. Sicut idem dici solet de tentationibus.

* 15 *Resp.* 3. Metus potest dupliciter se habere ad operationem *Primò* causaliter, ità vt verè sit causa actus, v. g. projectionis mercium, sic vt homo verè agat ex metu, seu ex impulsu eius: quia ly *ex*, & *per* significat causalitatem. Et hoc iterum dupliciter, nimirum, vt vel sit causa totalis eius, ita vt absente metu non poneretur actus, & in hoc solo sensu metus causat involuntarium. Vel, vt sit eius causa partialis, vt si cum alijs quibusdam causis impellat ad actum, ita tamen, vt talis actus poneretur, licèt metus ille non adesset, & in hoc sensu metus non causat involuntarium. *Secundò* metus potest ad operationem se habere merè concomitanter, ita vt operationem quidem comitetur, ad eam tamen non impellat. Sicut si Martyr moriatur cum metu mortis, non tamen ex metu mortis, sed ex obedientia, & amore Dei. Et in hoc sensu metus etiam non causat involuntarium, quia ly *cum* non significat causalitatem, sed meram simultatem, & concomitantiam.

* 16 *Resp.* 4. Quæ, in sensu explicato, fiunt ex metu gravi, sunt mixta ex voluntario, & involuntario, ita vt simpliciter sint voluntaria, & secundùm quid involuntaria: Exemplum est in dicta projectione mercium. *Ratio* 1. *pro* 1. *p.* Quod fit ex efficaci voluntate, & intentione operantis, est simpliciter voluntarium, vt patet ex definitione voluntarij: sed ita fit in casu posito, quia mercator revera sciens, & volens projcit merces in mare, vt hoc medio vitam salvet. Ergo. *Ratio* 2. Ubi est liberum, ibi est voluntarium, quia ab inferiori ad superius affirmativè est bona consequencia, *v. g.* Est homo: Ergo est animal; liberum autem est quid inferius ad voluntarium, vt patet ex dictis pro *R.* 2. ad *Q.* 5. *Subsumo*: Sed quod fit ex metu, est liberum, nam dictus mercator potest projcere, & non projcere merces. *Ergo.* Idem patet in Petro, qui ex metu, & tamen liberè negavit Christum, quia eum negando peccavit: peccatum autem est liberum. *Ergo. Ratio* 2. *p.* Ut aliquid sit involuntarium secundùm quid, sufficit, voluntatem, & inefficaciter reniti: sed hoc fit in casu posito. Ergo.

* 17 QUÆRO VIII. Hæc doctrina estne etiam vera de observantia mandatorum Dei, ac dolore de peccatis concepto ex metu gehennæ? *Resp.* negativè. *Ratio.* Quia tales actus, vt sint honesti non debent esse involuntarij etiam secundùm quid. Sensus ergo doctrinæ antea datæ est, quòd tunc actui admisceatur involuntarium secundùm quid, quando malum, (ex cujus metu quis operatur) non causatur ex ipso affectu, & voluntate operantis; quale malum respectu dictæ projectionis mercium est submersio in mare. Sed malum, scilicèt gehenna, ex cujus metu, quis observaret mandata, ac doleret de peccatis, si causetur, causatur ex proprio peccaminoso hominis affectu ad bonum creatum, vt patet Ergo observantia illa, ac dolor non habent admixtum involuntarium etiam involuntarium secundùm quid.

Fateor tamen, si illi actus essent taliter involuntarij, vel si homo ita esset affectus, vt haberet conditionatam voluntatem non desistendi à peccato, non servandi mandata, si gehenna non esset, hoc ipso dolor ille careret debita honestate morali, esset-què peccaminosus; quia esset, vt vocant, serviliter servilis, nimirum præcisè ex formidine pœnæ. De his plura vide infrà de attritione ex metu gehennæ *T.* 13. *E.* 3. *n.* 7.

* 18 *Quomodo resolvis* hunc casum: ex metu gravi omittit quis Missam in die festo, vel non jejunat in die jejunij, peccatne? *Ratio dubitandi est.* Quia voluntaria legis transgressio est peccatum: sed hæc est in casu posito, quia metus gravis juxta dicta reliquit voluntarium simpliciter. Ergo. Sed *Resp.* Quòd non peccat. *Ratio*: Quia in casu posito cessat obligatio legis, quia leges humanæ, vti sunt illæ de audienda Missa, & de jejunio) non obligant, quando sine gravi jactura servari nequeunt, nec censetur esse alia mens piæ Matris Ecclesiæ: adeòquè earum transgressio in casu posito solùm est materialis: formalis enim est tunc, quando obligatio legis viget. Ex quò patet ad Rationem dubitandi; *maj.* enim solùm est vera de transgressione formali. Excipitur casus, quò metus incuteretur in contemptum legis.

* 19 *Licetne* ob gravem metum facere peccatum mortale, vel saltem veniale? *D.eo*, non licere. Præstat enim mori, quam summum Bonum offendere. De quò inferius plura.

* 20 QUÆRO IX. Juramenta, vota, matrimonia, promissiones, &c si ex gravi metu fiant, tenent, seu obligantne? *Ratio dubitandi est*, quia metus gravis reliquit voluntarium simpliciter. *Resp.* 1. Juramentum metu gravi, immò gravissimo extortum (modò sine peccato, & damno proximi possit servari) dicitur validum *in c. Si vero, de jurejurando*. Potest tamen ab eò peti absolutio, nec confirmat contractus alias invalidos. *Ratio* 1. *p.* Patet ex reverentia divini nominis in testem vocati. Vide infrà de juramento *T.* 10. *E.* 4. *n.* 1. *&* 2. *Ratio* 2. *&* 3. *p.* Quia, vt DD. inquiunt, vnum juramentum nequit sanare duplex vitium, nimirum vitium involuntarij, & nullitatis contractus.

Resp. 2. Vota solemnia, matrimonia gravi metu injustè incusso extorta, testimonia testium in testamentis, &c. licèt ipso jure naturali non sint irrita ex defectu voluntarij simpliciter. 2. Sunt tamen nulla jure positivo, & vsu Ecclesiæ. *Primam partem* probat Ratio dubitandi adducta, & patet ex eò, quia libertas, quæ sufficit ad peccatum mortale, ordinariè, & quantùm est de se, etiam sufficit ad contractum, & votum: sed ad peccatum mortale sufficit voluntarium ex metu, vt ante dictum est. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia Legislatores consultò, & rationabiliter voluerunt tales contractus irritare, tum ad vitanda multa incommoda, nimirum jurgia, lites, &c. tum in pœnam illius, qui injustè metum incussit. De votis ex metu vide infrà *T.* 10. *E* 3. *Q.* 2. *n.* 8. De matrimonijs ex metu vide *T.* 16. *E.* 3. *n.* 6. Contra 2. *p.* opponi posset, quod jus naturæ sit immutabile, adeòquè & id, quod jure naturæ est validum, lege positiva non posit annullari. Sed ad hoc patebit infrà *T.* 6. *de legibus. E.* 2 *n.* 8. Vbi dicetur, aliquà esse de jure naturæ solùm permissivè.

* 21 Notandum hìc specialiter est de voto solemni, seu Professione ex gravi metu emissa, quòd, nisi vovens metum passus intra quinquennium a facta pro-

professione reclamaverit, eo ipso non audiatur, vt statuit Concil. Trid. *sess. 25. de Reg. c. 19.* quia tunc præsumitur ratificasse professionem, quæ ratificatio nisi accesserit, est Religiosus solùm putativus, nec in conscientia obligatus: non, inquam, auditur, nisi tacuerit ex iusta causa, v. g. quia metus fuit continuatus; vel ex ignorantia, vt si Professionis nullitatem non scivit, & tunc si reclamare velit, debet petere restitutionem in integrum, ac licentiam reclamandi. Undè solet dici, quòd non possit reclamare, *nisi Papa aperiat os.* Porrò hæc reclamatio est facienda, & causæ nullitatis exponendæ coram legitimo Superiore, nimirum Prælato Monasterij, & simul coram Ordinario loci. De quo consule Canonistas.

* 22 *Resp.* 3. Contractus, v. g. emptiones, venditiones, translationes, concessiones, promissiones, donationes, contractuum rescissiones (quos ius positivum non annullavit) si ex gravi, & iniurioso metu facti sint, nec iuramento firmati, possunt in foro conscientiæ in integrum revocari ab eo, qui gravem metum iniustè passus est. *Ratio.* Quia alter ei fecit iniuriam. Ergo tenetur eum restituere in pristinum statum, & iniuriam passus habet ius vrgendi hanc restitutionem potestquè licitè rem suam recuperare apertè, vel occulta vti compensatione, si aliter nequeat, & scandalum desit.

Dixi 1. *Quos jus positivum non annullavit.* Nam ex dictis patet, esse aliqua, si ex gravi metu fiant, ipso jure positivo nulla, vt testimonia in testamentis, *l. 4. de testam.* Matrimonia, *c. veniens, de sponsal.* Votum solemne, juxta Trid. *cit. Absolutio de excommunic. ex metu, c. uni. de his, quæ vi,* in 6. Jurisdictio ex metu data, vel prorogata, *l. 2. ff. de judiciis, c. ubi periculum, de electione* in 6. Authoritas Tutorum, *l. 1. §. ult. ff. de Author. Tutor.* Addunt aliqui Casistæ, etiam votum simplex ex gravi metu factum non tenere, sed authenticè de hoc in jure non constat, vt docet Sylvester. Dixi 2. *nec juramento firmati*, quia aliàs contractus ex reverentia divini nominis erunt servandi vt validi.

Quid si injuriam passus nolit rescindi contractum? *Dico*, quòd tunc alter teneatur servare contractum. *Ratio.* Quia contractus jure naturæ est validus. Ergo tenet vsquè dum per injuriatum, juri suo cedentem, vel per Superiorem rescindatur.

* 23 QUÆRO X. Extorta per metum levem sumne in vtroquè foro restituenda? Item quid censes de metu reverentiali? *Resp. 1. ad 1. p.* si metus verè fuerit causa *sine quâ non*, tunc sic extorta sunt saltem in foro conscientiæ restituenda, juxta sententiam tutiorem, & probabiliorem Sylvestri, Navarri, &c. 2. Sed in foro externo ob similem metum non conceditur actio. *Ratio 1. p.* Qui talem metum est passus, est injustè privatus sua libertate. ergo est restituendus in pristinum statum. *Excipiuntur* vota, quòd, licèt fiat ex levi metu, est validum, nec potest propria voluntate rescindi. Idem est de Matrimonio, vt patebit in proprijs locis.

Resp. 2. ad 2 p. Sola reverentia parentibus, vel Dominis debita non est metus gravis, seu (vt alij loquuntur) justus, & sufficiens ad contractus irritandos, nisi concurrant alia adminicula, ex quibus possit colligi, fuisse revera invitum: vti sunt valdè importunæ persuasiones, periculosæ, ac atroces minæ, gravia odia, &c. ita vt modesta contradictio nihil effecisset. Item, loquendo de Matrimonio, inæqualitas contrahentium. His adminiculis concurrentibus potest metus reverentialis censeri justus, seu gravis.

* 24 QUÆRO XI. Estne aliquod remedium juris contra atroces minas, ex quibus metus nasci solet, & quod illud? *Resp.* Est, & vocatur cautio de non ofendendo, consistitquè in hoc, quòd judex requiratur, vt minantem citet, eique severè prohibeat, ne vllam violentiam, aut injuriam contra talem attentet, immò eum discedere non sinat, nisi priùs Adversario securitatem spondeat verbis, vel juramento, pignoribus, fidejussoribus, &c. attenta Personæ qualitate. *Tertia involuntarij causa, scilicèt concupiscentia.* De qua S. D. *q 6. a. 7.*

* 25 QUÆRO XII. Quid, & quotuplex est concupiscentia? Causatne involuntarium, minuendo, vel tollendo libertatem? *Resp.* 1. Per concupiscentiam cum S. Thoma intelligo passionem appetitus sensitivi prosequentis bonum sensibile, ac delectabile, vt sunt amor, desiderium, spes, gaudium, sive voluptas, &c. Est autem duplex concupiscentia: Vna antecedens, puta, actum voluntatis, eumquè præveniens, tanquàm ejus causa; vt cùm in aliquò visa puella, accenditur libido, voluntatem rapiens ad delectationem, quasi naturaliter, seù ex se exurgens. Alia est consequens, puta, actum voluntatis, seù ab ipsa voluntate præviè operante excitata; vt cùm quis deliberatè vult affici venerea delectatione, vt promptiùs per hoc in operationem veneream feratur, eamquè eò magis concupiscat. Et de hac supponitur, quòd non causet involuntarium, cùm ex actu libero voluntatis sequatur, & causetur.

* 26 *Resp.* 2. Concupiscentia antecedens non tollit, nec minuit, sed potiùs causat, & auget voluntarium imperfectum, seù communiter sumptum, sive provt commune est homini, & bruto, & non est formaliter idem cum libero, vt explicatum est *in R. 1. ad Q. 5. Ratio.* Quia facit, vt voluntas cum majori impetu, complacentia, ac intensione feratur in amplexum boni sensibilis, ac delectabilis. Ergo. *Not.* Voluntarium tollere, non esse idem ac illud minuere. Illud tollere, est facere, vt non maneat essentia voluntarij: illud verò minuere, est facere, quòd manente essentia voluntarii dematur aliquid de eius perfectione accidentali: sicut econtra illud augere, est facere, quòd eius perfectio crescat.

* 27 *Resp.* 3. Concupiscentia antecedens aliquando minuit, immò omnino tollit voluntarium perfectum, seù liberum, quò homo differt à bruto. *Ratio.* Quia vehemens passio oculum, seù iudicium rationis ita turbat, vt parum, vel nihil attendat ad propositionem finis, ac mediorum, cùm sæpè absorbeat rationem, vt homo non sciat quid agat, immò amentem faciat, vt ait S. D. *ad 3.* quod etiam patet in motibus primò primis, & in iis, qui ex amore, vel ira rediguntur ad insaniam: vbi non salvatur cognitio indifferens, seu indifferentia iudicii, sine qua non datur libertas. Ergo *Ex quo* sequitur, quod talis passio etiam minuat, vel tollat rationem peccati, vtpotè, quæ non est sine voluntario, & eò diminuto diminuitur. Vt patebit infrà *T. 4. E. 2. n. 96.*

* 28 *Oppono* contra *R. 2.* Juxta mentem S. Thomæ, qui accedit ad mulierem fædam & deformem gravius peccat, quàm ille, qui accedit ad pulchram. Ergo etiam est magis voluntarius. *Subsumo*: Sed accedens ad pulchram accedit cum maiori concupiscentia. Ergo concupiscentia minuit voluntarium, & non auget, quia aliàs etiam deberet augere peccatum, quod tamen juxta S Thomam minuit in accedente ad pulchram. *Resp.* In hac oppositione fieri tran-

transitum à voluntario perfecto, seù libero ad imperfectum, seu in communi sumptum, & solum probat, quòd quia concupiscentia diminuit peccatum, etiam diminuat liberum: quod non negatur. Undè admisso *ant.* (eò quòd ad fædam accedens accedat cum maiori libertate, cùm passio, seù concupiscentia non sit tanta) *dist.* primum *cons.* Ergo est magis voluntarius voluntario perfecto, seù libero, *C. cons.* imperfecto, *N. cons.* Et concessa *min. subdist.* alterum *cons.* ergo minuit voluntarium liberum, *C. cons.* imperfectum, *N. cons. Quarta involuntarij causa, scilicet ignorantia.* De quâ S. D. *q. 6. a. 8.*

* 29 QU ERO XII. Quotuplex est, & quæ nam causat involuntarium? *Resp.* 1. Ignorantia *Primo* dividitur in eam, quæ est purè negationis, seù negativè talis, eò quòd sit in subiecto ad sciendum, inepto, vel simpliciter, vt in lapide; vel pro certo tempore, ac statu, v. g. amente, vel infante. Et hæc iuxta S. Thomam *infra q. 76. a 2* potius dicenda est nescientia, quàm ignorantia. Et in ignorantiam, quę est privationis, seù privativè talis, quę est carentia scientiæ in subiecto apto ad sciendum ea, quę quis potest, aut tenetur scire. Item in eam, quæ dicitur ignorantia pravæ dispositionis quæ est positiva deceptio, & contrarius veritati error seu dispositio, vel habitus scientiæ omninò contrariæ, sive habitus falsorum principiorum, ac opinionum, qualis est *in Iudæis, hæreticis*, aliisque erran ibus

Resp 2 Ignorantia *Secundo* a iuristis dividitur in eam, quæ est iuris, vt si quis ignoret extare legem de excommunicatione percussoris Clerici; & in eam, quæ est facti, vt si quis ignoret ipsum opus à se factum, vel aliquam circunstantiam eius, v. g. esse Clericum eum, quem percussit, licèt sciat stare illam legem. Ignorantia iuris alia est iuris divini, alia humani. Prima iterum alia est iuris divini positivi, alia iuris divini naturalis. Secunda alia est iuris Canonici, seu Ecclesiastici, alia iuris civilis, ac Imperatorij. Ignorantia facti alia est facti proprij, vt si ignores esse Clericum eum, quem tu percussisti; alia facti alieni, vt si ignores Clericum esse eum, quem alius percussit. Ignorantia iterùm alia est invincibilis, alia vincibilis Pro cuius intelligentia.

Resp 3. Ignorantia à Theologi dividitur *tertiò* (de qua divisione maximè quæritur in præsenti) in antecedentem, concomitantem, & consequentem. Antecedens est, quæ nec directè, nec indirectè est voluntaria, & ideò vocatur antecedens, quia antecedit omnem actum voluntatis, soletque à Theologis appellari iusta, Probabilis, inculpabilis, invincibilis; quia morali diligentia superari, ac to li non potest, vel quòd nunquam in mentem venerit dubitare, aut cogitare de oppositò: vel etsi in mentem venerit, tamen adhibita dil genti inquisitione non potuit haberi cognitio veritatis, & depelli ignorantia; & hæc ignorantia est causa operis, seu causa faciendi id, quòd nullatenus voluntas vellet, si non ignoraretur; quod ex eo colligitur, quia habita cognitione facti statim pœnitet feciſſe, v. g. dum quis adhibita omni diligentia ignorans amicum per viam transire, explodit bombardam, & occidit eum.

Hæc ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter. *Ratio.* Quia causat effectum omninò nolitum, ac voluntati, vel formali vel virtuali, vel saltem interpretativæ totaliter repugnantem. *Ignorantia* concomitans est, quæ merè per accidens, & concomitanter se habet ad actum, & ad operandum non movet, nec ab eo retrahit; quia voluntas eodem modò se gereret scientia præsente, ac se gerit ea absente. Et hæc ignorantia non causat positivè, & actu voluntarium, nec positivè, vel contrariè involuntarium, sed causat voluntarium negativum, seu non voluntarium.

* 30 *Declaratur exemplo.* Caius ardenter exoptat necem Tytij inimici sui, qui casu obambulat per sylvam; Caius putans esse feram, explodit bombardam, & putans, quod interficiat feram, occidit Titium inimicum suum Hæc occisio imprimis non est actu positivè voluntaria. *Cuius ratio est.* Quia voluntarium actu debet esse à principio intrinseco, cum actuali cognitione: sed hic deest actualis cognitio, nimirùm inimici. Ergo. Deinde non est positivè actu involuntaria. *Ratio.* Quia non est contra inclinationem actualem voluntatis Ergo est voluntaria negativè, id est, nec est secundùm actualem inclinationem voluntatis, nec est contra illam, sed merè indifferenter se habet. Si enim sciviſſet inimicum ibi latitare, eum occidiſſet, sic enim fuit habitualiter, immo actualiter conditionatè retolutus.

Tandem ignorantia *consequens* est, quæ consequitur ad actum voluntatis tanquam volita, & vt effectus eius. Undè cùm sit voluntaria, est etiam culpabilis, si sit circa rem scitu necessariam, soletque vocari iniusta, improbabilis, vincibilis, cùm potuerit, debuerit vinci, seu tolli, ac opposita scientia haberi. Per eam homo ignorat, quæ scire potest, & tenetur, & tunc est speciale peccatum in confessione explicandum. Hæc ignorantia causat voluntarium simpliciter, & involuntarium secundùm quid.

Ratio 1. p. est Qui vult antecedens, vult etiam consequens, ex eo sequi natum, & qui est causa causæ, quatenus talis, est etiam causa causati: sed ignorantia consequens est directè, vel indirectè volita (vt mox dicetur) in quo differt ab antecedente; & talis effectus ex ea sequi natus est. Ergo & effectus simpliciter voluntarius est *Ratio 2. p.* Quia ille ignorans sæpè non produceret effectum, si scientiam haberet, nisi forte, vt noster Contenon loquitur, esset ingens malitiæ cumulus, qualis fortè fuit in illis, qui dicebant Iob 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*; vt effreni impetu sine ren orsu omnibus flagitijs se dederent.

Dixi ignorantiam consequentem *posse esse directè, vel indirectè volitam.* Directè, quando nimirùm voluntas expresè vult aliquid ignorare, vt liberiùs possit peccare, vt patet ex *eit Iob 21* Et hæc ignorantia dicitur *affectata.* Indirectè, quando voluntas expresè quidem non vult ignorare, prætermittit tamen, seu non curat addiscere ea, quę potest, & tenetur scire. Et hęc dicitur ignorantia *crassa, supina*, & malæ electionis. *An*, & quomodo ignorantia minuat, vel tollat peccatum, dicetur infrà *T. 4. E. 2. n. 96.*

EXAMEN II.

De circunstantijs humanorum actuum.

De quibus Sanct. Doct. agit Quæst. 7. per 4. artic.

* 1 PRius est rem esse in se, quàm ab accidentibus circunstari, seu vestiri, proinde priùs debuit explicari substantia voluntarij, in actibus humanis reperti, & deinde explicanda sunt eius accidentia, seu circunstantię, quę à circunstando, ac substantiam afficiendo nomē habent; suntque actuum hu-

humanorum accidentia, non in esse naturali, vel physico, *v. g.* quòd furtum fiat manu sinistra, vel dextra, ante, vel post prandium; sed in esse moris, sic vt addat novam, vel augeat malitiam actus, *v. g.* furtum in magna, vel parva quantitate, vel si fiat è loco sacro.

* 2 QUÆRO I. Quid est, & quot sunt circumstantiæ? *Respondeo* 1. Circumstantia juxtà S. Thom. est *particularis conditio, seu accidentalis affectio actionis humanæ in genere moris*, cum quasi circumstans, eique superveniens. Sicut furtum priùs habet, quòd sit ablatio rei alienæ, quàm quòd fiat in loco sacro. *Resp.* 2. Septem sunt circumstantiæ, comprehensæ à S. Thoma hoc Versu:

Quis Quid. Vbi. Quibus auxilijs. Cur. Quomodò. Quando.

Explicatur circumstantia. Quis. Ly *Quis* denotat personam operantem, non quidem quoad substantiam, & secundùm se, sed quoad conditionem, qualitatem, statum, officium, &c. nimirùm, quòd sit vel *Ecclesiasticus*, vel *Religiosus*, vel voto obstrictus, *Vxoratus*, *Prælatus*, *Parochus*, *Judex*, *&c.* Nam ex his conditionibus aliquando accedit nova species malitiæ. Si enim *conjugatus* fornicetur, peccat non tantùm contra temperantiam, sed etiam contra iustitiam. Si *Religiosus*, *& Clericus*, peccat simul contra Religionem; & fit sacrilegium. *Prælatus*, *Parochus*, *Judex*, *&c.* quibus ex officio incumbit, si negligant subvenire subditis egentibus; peccant non tantùm contra misericordiam, sed etiam contra iustitiam. Aliquando autem ex dictis conditionibus peccatum augetur intra eandem speciem. Nam, cæteris paribus, peccatum Personæ sanctioris, sublimioris, doctioris, est gravius, v. g. peccatum hominis *fidelis* est gravius peccato *infidelis*. Peccatum *Episcopi* est gravius peccato *Religiosi*; *Clerici*, quàm *Secularis*, vt S. Thomas probat *infrà q.* 73. *a.* 10. intelligens hoc de peccatis, quę fiunt ex perfectâ deliberatione, non quæ ex subreptione proveniunt propter infirmitatem humanæ naturę. Vide infrà *T.* 4. *E* 2. *n.* 44.

* 3 QUÆRO II. Quænam circumstantię sunt necessario confitendæ? Nimirum, an speciem mutantes, an solùm aggravantes, an minuentes, & quid sunt? *Resp.* 1. Circumstantiæ aliæ sunt impertinentes, quę peccatum nec augent, nec minuunt, v. g. furari dextra, vel sinistra; ante, vel post prandium. Has non est opus exprimere in confessione, vt patet ex dictis ante *Q.* 1. in hoc Exam. Aliæ sunt circumstantię speciem mutantes, seù novam peccati speciem addentes, & tales sunt, quę habent specialem repugnantiam, cum rectâ ratione, diversam ab eâ, quę est in peccato secundum se, ità vt in actu peccati sit formaliter duplex malitia; talis est circumstantia *loci Sacri* in furto & *voti castitatis* in peccato carnis, inducens speciem sacrilegii. Vbi. Nota breviter, quòd, vt circumstantia diversificet speciem, non sit opus, vt sit volita per se primò, directè, & expressè, sed sufficit, quòd sit volita per se secundo, indirectè & implicitè; vt contingit in eo, qui furatur in loco sacro, optans, quòd res ablata non esset in loco sacro; aut qui accedit ad vxorem alienam, volens, quòd non esset aliena.

Aliæ sunt circumstantiæ intra eandem peccati speciem notabiliter aggravantes, & tales sunt, quę non afferunt specialem repugnantiam cum rectâ ratione, sed, quam inveniunt, arbitrio prudentum valdè augent, per easque peccans ordinarium peccandi modum intra eandem speciem multum excessit, vti sunt, v. g. *magna intensio*, ac vehementia in odio, magna *quantitas* in furto. Alię sunt circumstantiæ intra eandem speciem notabiliter peccatum diminuentes, sicut diminueret gravis metus, & vehemens passio; cùm diminuant voluntarium, vt patet ex dictis in examine præcedente.

* 4 *Resp.* 2. Non tantùm circumstantiæ speciem mutantes sunt necessario exprimendę in confessione, vt fit in egra, sed & notabiliter intra eandem speciem aggravantes, i. n. nō. & notabiliter diminuentes. *Prima pars* à nullo Catholico negatur, estque definita in Trid. *Sess.* 14. *de pœnit. cap.* 5. Vbi definit 1. *Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem.* 2. *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima sint.* 3. *Cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confessione à Deo quærere.* 4. *Etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quòd sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, vt de gravitate rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* 5. *Impium est, confessionem, quæ ex ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt, postquam quisque diligentiùs se excussérit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, eà peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse in memoriâ habet.*

* 5 Circa secundam partem Doctores inter se differiunt, verùm data resolutio Thomistis (quorum tamen aliqui contradicunt) est communior, tutior, probabilior, ac Tridentino conformior. Quam vis autem Adversarii pro se etiam adducant Angelicum Doctorem *ex* 4. *d.* 16. *q.* 3. *a* 2. *q.* 5. si tamen eius verba benè ponderentur, magis favet nostræ resolutioni, vt videre est in Goneto *in Tract. de Pœnit.* vbi pro hac sententia varios adducit Authores. *Ratio* 1. Ideò iuxtà Concil. Trid. exprimendæ in confessione sunt circumstantiæ speciem mutantes, quia aliàs Confessarius non posset de gravitate peccatorum rectè iudicare, nec pro eis congruam imponere pœnam, seù satisfactionem. *Sequela*: Sed eadem ratio id probat de circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus. Ergo. *Minor.* Aliud iudicium ferendum est de eò, antequè pœnitentia imponenda est illi, qui commisit incestum in primo gradu, v. g cum matre, filiâ, vel sorore, quàm qui in quarto, qui tamen in incesta hac eiusdem speciei in genere moris. Idem est de eo, qui furatus est centum in lia florenorum, respectu illius, qui furatus est duos ducatos: item & de eò, qui per integrum annum vehementissimo odio aliam fuit prosecutus, respectu eius, qui tantùm per horam. Ergo.

Confir. 1. Sæpè fit, quòd circumstantiæ non mutantes speciem magis aggravent peccatum in individuo, quàm quæ speciem mutant; quia furari ex Ecclesia vnum ducatum, non est tantum peccatum, quantum est furari extra Ecclesia centum millia. Ergo si, &c. *Confir.* 2. Concil. Trid. ait: *Necessum est, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confessione à Deo quærere.* Item. *Postquam conscientiæ sua sinus omnes, & latebras explorarit, &c.* Similiter: Sed non fit aperta, & verecunda confessio, nec patefiunt

omnes

omnes conſcientiæ ſinus, & latebræ, ſeù peccata, quibus homo *Deum mortaliter ſe offendiſſe meminit*, ſi explicata tantùm peccati ſubſtantia, maxima eius gravitas taceatur. Ergo. *vid. R. ad Oppon.* 5. Vbi hoc confirmatur. *Confir.* 3. Licèt Jura, & Concil. Trid. pro hac ſententia non ſint manifeſta, & expreſſa dicatur tamen ex ipſa ratione Concilii per bonam conſequentiam, vt iam ſatis oſtenſum. Hinc in Catechiſmo Romano iuſſu Pij V. edito, *de Sacr. Pœnit.* §. *Sed quoniam* docetur, iuxta mentem Conc. Trid. non modò peccata omnia, ſed & circunſtantias, quę peccati gravitatem valde augent, & minuunt, explicandas eſſe.

Ratio ſecunda huius partis eſt. Teneor explicare non tantùm ſpeciem, ſed & numerum peccatorum mortalium. Ergo etiam circumſtantias valdè aggravantes. *Prob. conſ.* Licèt hæ ſint circumſtantię peccati ſecundùm ſpeciem, & quidditatem ſumpti, ſpectant tamen ad eius differentiam numericam, & ſubſtantiam individualem, & ſic, licèt non conſtituant formaliter diverſa peccata, benè tamen virtualiter ſeu æquivalenter, cùm faciant peccatum moraliter æquivalere pluribus numero diſtinctis. Ergo ſi teneor explicare numerum peccatorum teneor etiam explicare tales circumſtantias.

Tertia par. de circumſtantijs notabiliter diminuentibus, ſequitur ex dictis, quòd nimirùm ſint neceſſariò confitendæ, non ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſed ob eandem rationem recti iudicij, & ſatisfactionis imponendæ, cùm illæ ordinarium peccandi modum multùm diminuant. *Exemplum.* Peccat quis ex gravi metu, ex ignorantia, ex vehementiſſima paſſione tenetur hoc confiteri: cùm enim ibi minuatur voluntarium, minuitur etiam culpa. Si verò quis precibus amici inductus neglexerit, *v. g.* Sacrum, non eſt opus id explicare, cùm non ſit circumſtantia notabiliter diminuens. *Intelligenda* hæc ſunt de circumſtantijs diminuentibus intra eandem ſpeciem; ſi enim ita diminuerent, vt ex mortali facerent veniale, *v. g.* furando ſolùm vnum obolum, vel committendo furtum etiam notabile, ſed ex inadvertentia inculpabili, tunc non eſt dubium, quin ſint confitendæ: quia aliàs pœnitens confiteretur aliquod peccatum non commiſſum, quod eſſet mentiri in confeſſione, cederetque in iniuriam Sacramenti.

* 6 *Oppono* 1. *contra* 2. *p.* Concil. Trid. cit. poſtquam dixit, circumſtantias ſpeciem mutantes eſſe confitendas, ſubdit primò: *Impium eſt, confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem, aut carnificinam conſcientiarum appellare.* Subſumo: Sed data reſolutio induxit talem carnificinam, ob difficultatem cognoſcendi circumſtantias notabiliter aggravantes. Ergo. *Subdit ſecundò: Conſtat enim, nihil aliud à pœnitentibus.* Ergo ſolùm teneor explicare circumſtantias ſpeciem mutantes.

2. *Trid* nullam facit mentionem de exprimendis circumſtantijs aggravantibus. Ergo non teneor eas confiteri. 3. Legis dubio legis latæ non obligat: ſed eſt dubium de lege, dictarum circumſtantiarum confeſſionem præcipiente, an extet. Ergo non teneor eas confiteri. 4. *Contra* eum, qui ius clarum potuit dicere, & non dixit, interpretatio eſt facienda, iuxta *Reg* 37. *in* 6. *Sed Conc. Trid.* facilè potuiſſet loqui clariùs. Ergo contra illud facienda eſt interpretatio, quòd nimirum circumſtantias aggravantes non voluerit comprehendere. 5. *Lex* pœnalis non eſt extendenda ad alios caſus ac circumſtantias, cùm odioſa ſint reſtringenda. Ergo idem, quod priùs. 6. *Chriſtus* tantùm præcepit confiteri peccata quoad ſpeciem, & numerum: ſed circunſtantiæ aggravantes non dant ſpeciem, nec faciunt numerum. Ergo non ſunt neceſſariò confitendæ. 7. Communiter dicitur, illas tantùm circumſtantias eſſe neceſſariò confitendas, quæ in infinitum aggravant: ſed tales ſolùm ſunt, quæ ſpeciem mutant. Ergo. 8. De eo, quod eſt de neceſſitate confeſſionis, eſt præceptum divinum: ſed hoc non datur de confeſſione circumſtantiarum aggravantium, vbinam enim extat? Ergo.

Ad 1. *N. min. ſubſ.* Cùm enim circumſtantiæ, de quibus loquimur, ſint notabiles, & inſigniter aggravent, facilè cognoſcuntur: quia tunc multùm aggravant, quando homo ſuum ordinarium peccandi modùm notabiliter excedit, nimirùm vel in *intenſione*, aut *duratione* actus, v. g. ſi odij, aut in *quantitate*, v. g. furti. Dum verò Concil. 2. ſubdit. *nihil aliud exigi*, non excludit obligationem confitendi dictas circunſtantias, ſed ſolùm inſinuat, hominem non debere angi, ſi poſtquam omnes conſcientiæ ſinus diſcuſſerit, nihil aliud occurrat, licèt fortè aliquid fecerit, cuius non recordatur, ſed quòd diligenter ſe examinanti non occurrentia, eadem confeſſione intelligantur inclusa.

Ad 2. vel negatur *conſ.* eo quòd ſit argumentum negativum, quod non concludit. Vel *diſt. ant.* Non facit mentionem explicitè, *C.* implicitè, *N. ant. & conſ.* Solutio patet ex 1. *prob.* *Ad* 3. neganda eſſet *maj.* propter ea, quæ dicta ſunt ſuprà *T.* 2. *E.* 1. Sed tranſeat *maj.* & *N. min.* ob probationes noſtras.

Ad 4. *diſt. maj.* Si mens legislatoris non ſufficienter ex verbis eius colligatur, *C. maj ſecus N. maj.* & ſic *diſt. min. N. conſ.* Itaque nihil aliud convincitur, niſi quòd noſtra reſolutio non ſit de fide. Quòd autem *Conc. Trid.* non tam expreſsè locutum fuerit de circumſtantijs aggravantibus, ſicut de ſpeciem mutantibus, eſt ideo, quia nolebat definire de fide id, quòd adhuc erat in varia opinione Doctorum. Cum quo ſtat, quòd hæc ſententia ſit probabilior, & menti *Concil. Trid.* conformior, vti ſat probant adductæ rationes.

Ad 5. *diſt. ant.* ſicut antè. In cuius confirmationem ſervit, quòd, licèt verba in pœnalibus extra proprium verborum ſignificatum extendi non debeant, *l. non aliter, ff. de leg.* 3. *& de pœnit. d.* 1. extendi tamen debent, quando non facta extenſione eluderetur mens legislatoris. *c. quam, & regula certum, in fine, de reg. iur. in* 6. & gloſſ ibid. *Subſumo.* Sed in præſenti verba *Trid.* non extenderentur ad circunſtantias notabiliter aggravantes, eluderetur mens eius, vt patet ex 1. *prob.* Ergo.

Ad 6. *diſt. maj.* Loquendo de ſpecie peccatorum præcisè quidditativè, & numero tantùm formali, *N. maj.* de ſpecie cum indifferentia individuali, ac de numero virtuali, *C. maj.* & ſic *diſt. min. N. conſ.* Solutio hæc conſtat ex ſecunda probatione ſententiæ noſtræ. Cui addi poteſt, quòd Chriſtus Ioann. 20. inſtituens tribunal pœnitentiæ ijs verbis, *quorum remiſeritis*, &c. nullas circunſtantias, ſive ſpeciem mutantes, ſive aggravantes expreſſerit, nec hoc erat neceſſarium cum enim Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ibi fecerit iudices, vt rectè iudicent, indubiè Chriſtus voluit, vt gravitatem peccatorum cognoſcant.

Ad 7. *N. min.* Quia cùm omne peccatum mortale habeat, quandam, infinitatem ex infinita Dei bonitate læſa, & offenſa, omnis circunſtantia notabiliter aggravans (ita vt ſeparata faceret mortale) aggravat quodammodo in infinitum, licèt non in eo rigore, quo circunſtantiæ ſpeciem mutantes, ait noſter Nugno.

Ad

Ad 8. N. mis. Quia præceptum divinum de confitendis huiuſmodi circunſtantijs, ſequitur ex ipſa inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, eo ipſo, quòd ſit inſtitutum per modum iudicij, vt patet ex *R. ad 6.*

* 7 Reſolvuntur varij caſus ex data explicatione Circunſtantiæ *Quis.* 1. Pœnitens non tenetur in confeſsione explicare ſuum ſtatum, niſi quando graviter contra eum exceſsit, *v. g.* Religioſus fuit mentitus, Paterfamilias fregit ieiunium, ob hoc præcisè non tenentur exprimere conditionem Religionis, vel Patrisfamilias: *tenentur tamen*, ſi contigiſſet cum ſcandalo proximi: quia eſſet nova ſpecies peccati nimirùm ſcandali. Si verò ſtatus pœnitentis Confeſſario iam eſſet notus, non eſt opus exprimere: quia illa expreſsio interdum eſſet ridicula. *Nec* tamen ex hoc inferatur: Ergo etiam, ſi quædam pœnitentis peccata Confeſſario iam ſint nota, non ſunt neceſsariò confitenda. Nam diſparitas eſt, quam dat Nugno, ſi conditio perſonæ Confeſſario iam ſit nota, dum ſe accuſat de ſubſtantia actus, etiam accuſat ſe de perſona, adeòque ſe de hac circunſtantia accuſat virtualiter, & conſequenter, neutiquam verò de peccatis Confeſſario iam notis.

2. *Religioſus* profeſsus, habens Sacrum Ordinem *Diaconatus*, vel *Subdiaconatus*, peccans contra caſtitatem, tenetur exprimere vtramquè circunſtantiam, nimirum Religionis, & Ordinis Sacri, in ſententia probabiliori S. Thom. juxta quam votum ſolemne Clericale ſaltem eſt circunſtantia notabiliter aggravans reſpectu voti monachalis. Ergo juxta mèt dicta, eſt neceſsario confitenda. Satisfaceret tamen dicendo ſe eſſe in ſacris, quia ex *Diaconatu* non videtur ad *Subdiaconatum* addi circunſtantia ita notabiliter aggravans: ſecùs eſt de *Sacerdotio*, hujus enim circunſtantia eſſet neceſsario exprimenda. 3. Si quis fornicarius ſit cum alterius ſponſa de futuro, vterquè tenetur exprimere illam circunſtantiam propter injuriam, quæ fit ſponſo.

4. *Explicanda* in confeſsione eſt circunſtantia cognationis, non ſolùm *carnalis*, ſed & *legalis* ortę ex adoptione alicujus in filium, vel filiam: vti & cognationis ſpiritualis, ortę ex Baptiſmo, Confirmatione, item impedimenti publicæ *honeſtatis*, ſi quis cum perſona ita ſibi juncta copulam habuit. De eà cognatione, & impedimento vide *Tract. de Matrim.* 5. *Si fidelis* carnaliter peccavit cum *infideli*, v. g. cum fœmina Judæa, vel Turcica, ſeù non baptizata, tenetur id explicare. *Tum*, quia dum Eccleſia prohibet matrimonium fidelis cum infideli, facit hoc ex motivo ſpecialis turpitudinis talis carnalis commercij. *Tum etiam*, quia vltra hoc, quod ſit contra virtutem caſtitatis, eſt ſimul contra decus *Religionis*, pertinetquè ad ſacrilegium.

6. *Confeſſarius*, carnaliter cognoſcens ſuam, vel ſuas pœnitentes, ſeù filias ſpirituales, tenetur confiteri hanc circunſtantiam. Tum, quia eſt ſacrilegium, tum etiam, quia reductivè ſpectat ad inceſtum, vel potiùs eſt ſpirituale ſtrupum juxta S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 10. *ad* 2. Idem eſt à fortioti dicendum de Parocho carnaliter cognoſcente ſuam Parochianam. Quia hæc circunſtantia repugnat proprio ejus officio, & ſtatui, vi cujus tenetur promovere ſalutem ovium. Pro quò.

* 8 *Not.* 1. Emanaſſe decreta Pontificia, per quæ pœnitentibus à Confeſſario in confeſsione ad Venerem ſollicitatis imponitur obligatio tales Confeſſarios denuntiandi Inquiſitoribus, aut locorum Ordinarijs. Item inter 28. propoſitiones ab Alexandro VII. damnatas, eſſe etiam has duas: *Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſsione tribuit chartam poſtea legendam, in quà ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſsione: ac proinde non eſt denuntiandus.* Altera eſt: *Modus evadendi obligationem denuntiationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, (ideſt, ſollicitanti) hic poteſt illum abſolvere, ſine onere denuntiandi.*

Hac in rè attendat Confeſſarius, an ſit in loco, vbi dictæ Bullæ ſunt receptæ, benè enim docèt Gobat in ſua Theol. experim. *Tract.* 7. n. 576. has Bullas, etſi ſanctiſsimas, in Germania, non eſſe receptas, nec ab Epiſcopis publicatas: an quia Germaniæ mulieres non videntur induci poſſe, vt ſollicitatæ accedant, vel Epiſcopos, qui ſunt magni Principes; vel eorum Vicarios in ſpiritualibus Generales, qui ſæpiſsimè ſunt vel Epiſcopi titulares ſimul, vel Canonici Cathedrales, & ho ipſo majoris, quàm vt fœminæ præſumant cum ijs de ejuſmodi loqui: an verendum, ne, ſi præſcriptus proceſſus obſervetur, fortè majus ſcandalum ſit oriturum: tum ratione puſillorum, tum ratione vicinorum hæreticorum.

Nota 2. Quòd nullà quidem extet vniverſalis lex, quæ Sacerdoti demat juriſdictionem in complicem, attamen planè non expedit, vt complicem audiat, & abſolvat; ne detur occaſio libidinis relabendi. Si ergo puella complex præ pudore non audens alteri confiteri, ſemel, aut iterum Sacerdoti complici confiteretur, ſuppoſito verò dolore, & emendationis propoſito, erit valida abſolutio; ſed ſi ſæpius præticetur, præſumitur nulla, non defectu juriſdictionis, ſed doloris. Dixi: *Lex vniverſalis.* Quia alicubi, vt Mediolani, datur talis lex particularis.

* 9 *Si vterquè* carnalis complex habeat votum caſtitatis, exprimendum eſt; quia eſt duplex ſacrilegium. Item, ſi vnus, vel vterquè præter votum caſtitatis adhuc habeat ſpeciale votum, non admittendi v. g. mollitiem, tenetur id exprimere. Quod videtur eſſe certum. Quia enim in tali materia maximam ſenſit difficultatem, ita arctè ſe adſtrinxit, vt eam vinceret. 8. *Exprimenda* eſt circunſtantia conſanguinitatis, quando aliquid ſit contrà conſanguineam per injuriam, famę, vel honoris leſionem, & à fortiori, ſi ſit odium hoc enim directè militat contra amorem Parentum. *Ratio.* Quia ſuperaddit peculiarem malitiam contra virtutem pietatis, ac reverentię progenitoribus, & conſanguineis debitæ. *Hæc* doctrina maximè intelligitur in caſu, quò filius Parentem percuteret, contumelijs afficeret, occideret, &c. Si enim Patri furaretur, hæc circunſtantia non eſt neceſsario exprimenda, niſi fortè eſſet tam grave, vt etiam pietati repugnaret vel exinde notabiliter læderentur fratres: vbi etiam onus reſtitutionis incumberè poteſt.

Idem eſt de peccatis Parentum in filios, cum hac tamen differentia, quòd facilius peccet filius in Patrem, quàm econtra. Nam percuſsio, vel contumelia, quæ in filio contra Patrem eſſet grave, eadem in Parente contra filium poteſt eſſe leve, vel nullum peccatum propter authoritatem paternam, & poteſtatem corrigendi, ac reprehendendi. Eadem eſt ratio de *Avis*, *Proavis*, *&c. Vxore*, *Marito*, *Fratre*, *Sorore*, *&c.* ſic tamen, vt non omne, quod ſufficeret ad mortale, ſi fieret contra Parentes, ſufficiat etiam ad mortale, ſi fiat contra fratrem.

De pluribus hujuſmodi circunſtantijs hìc exempla poni poſſent, ſed illa invenientur in propriis locis in decurſu hujus operis, maximè infra de delectatio-

tione in prosa, de speciebus luxuriæ, infidelitatis &c. vbi videantur.

* 10 *Explicatur Circumstantia Quid.* Hæc designat materiam, circa quam actus versatur, vel effectum, non quidem secundum essentiam, sed quoad qualitates accidentales, v. g. in furto, rem esse alienam non est circumstantia, sed est objectum specificativum ejus; sed esse rem sacram, vel esse ablatam in majore, vel minore quantitate, est circumstantia, prima speciem mutat: altera aggravat. Huc etiam reduci posset intentio habita in peccato, sed de hâc patebit in circumstantia *Cur*. Plurima alia, quæ hîc addici possent, dicentur infrà de occasione, & periculo peccandi T. 5. E. 2. *num.* 53. De confuetudine peccandi, *ibid.* n. 52. De conclusione tu, *ibid.* n. 145. De blasphemia, T. 7. E. 3. n. 59. De scandalo, T. 7. E. 7. n. 46. De sacrilegio loco citando.

* 11 *Explicatur circumstantia Ubi.* Hæc designat locum delicti; nam subindè si peccatum fiat publicè, trahitur ad speciem scandali; si in loco Sacro, ad speciem sacrilegii, ut patet in furto, rem in ea, quòd quis Equos, aliave pecora duceret in Ecclesiam tanquam in stabulum. Vel si quis in eâ exerceret lascivas Comedias, negotiationes profanas, nundinas, aut publicum mercatum, &c.

De hac circumstantia ang. Doct. *opusc.* 64. sic ait: Confessio debet esse plena, quia debet continere circumstantias aggravantes peccata, quæ sunt, *Quis*, in quo peccasti, quia gravius est peccare in Ecclesia, aut in loco Sacro, quàm in domo, & gravius est, cogitare aliquod inhonestum, quando dicis Missam, vel Orationem, vel quando legis, quàm quando ludis; & gravius est respicere, vel tangere animo impudico corpus hominis sub pannis, quàm manum, vel pedem, quia magis libidinosa delectatio est ibi. Et sic facies differentiam inter *locum*, & *locum*. Hæc S. D.

Hùc etiam spectat Circumstantia *cum quo*, de quâ S. Thom. *ibidem* sic inquit: Gravius est dicere, & facere aliquid coram eo, qui potest ex hoc sumere occasionem peccandi, quàm illud dicere, & facere occultè: & gravius est simulare se esse patientem, habendo iram in corde, quàm ostendere se esse turbatum sicut est, non dando tamen alicui turbationis, vel mali exempli occasionem, ut dicit Gregor. Et ideò non sufficit dicere, *tali tratus de verbo mihi dicto*, sed debet dicere, & addere, & simulavi me esse patientem in verbis, & signis exterioribus, ut reparetur *humilis*, ubi erat *superbus*, ita quòd cum illa simulatione, addidi mendacium ad iram, quam occultavi. Adhuc est gravius, tangere Beatam osculando, quàm in eodem loco tangere cum pedis: quia iste modus tangendi est magis impudicus. Vndè non sufficit dicere, *tetigi Beatam impudicè*, sed oportet dicere locum corporis, si tetigisti manum, vel pectus supra pannos, vel ad nudum, & dicas modum, scilicèt cum ore, manu, vel cum pelle. Hæc ibi. Vide infrà de Sacrilegio. T. 10. E. 4. n. 340. vbi dicuntur, hæc quæ huc spectant.

* 12 *Quibus Auxiliis.* Per hanc circumstantiam intelliguntur instrumenta, & media, quibus quis ad patrandum peccatum est usus, v. g. si veneno, gladio, vel alia ratione aliquem occidit. Hæc quando continent specialem malitiam, vel gravitet augent, prenitens tenetur exprimere, v. g. *Ille adhibui fortem diem, ad furandum, vel aliter, precibus, vel conditionibus quis sit, scilicet magi, seu demonis. Subinde vocaverunt; quia tunc solet addi peccatum sortilegii. Vel si adhibuit instrumentum valdè gravi, quale est illud, cujus occidendi causa ex eo fuit, &c. notabilis aggravatio culpæ, ejusmodi ibominibus &c.*

** 13 Circumstantia Quomodo.* Designat modum actus moralis, vel intentionem, qui reddit bonum, aut quod fit cum majore, vel minore ad eumdem. Hæc circumstantia necessario est explicanda, quando modus actionis circa eadem objectum singulariter affert malitiam; hinc enim duo peccata, diversa virginitas, ut aliquando latrocinium aliud, quod fit furto, & rapina, de quibus infra in loco proprio, quæ species difficultatis præcipuè explicanda est, si in furto fuit violentia. Idem est de detractione, & contumelia, de oppressione quibuscumque, de modo occidendi, ut quòd occidisti, hoc non conducens, si potuisti subtrahendo, vel insultando fecisti. Hæc sic dici possent de peccatis conjugum, & ordinatorum de patrimonio, sed de hoc infra in proprio loco, ubi [illegible]

** 14 Circumstantia Quando.* Designat tempus, vel diem cum conditionem diei festi, vel sabbati, [illegible] tum,

tum, vt patet ex praxi fidelium, de hoc non ſemper ſe accuſantium, & Confeſſariorum non interrogantium, *v. g* quòd, vel an in die feſto fornicati fuerint, occiderint, odio habuerint, ſe inebriaverint, &c. Poteſt tamen eſſe, quòd in quibuſdam valdè ſacris diebus peccatum, ſpecialem contrahat malitiam, vt ſi quis die Iovis ſancto die Paraſceves, in die Paſchatis inſtitueret ludos, choreas publicas, &c. ſicut in Bacchanalibus

Angel. Doctor *opuſc. cit.* docet, exprimendum eſſe tempus, in quo peccaſti; quia gravius eſt caveri à Miſſa, vel otiari in die Dominico, vel in feſto ſolemni, quàm in die alio ſimplici; & gravius eſt quodcunque peccatum in *magna ſolemnitate*, quàm alio tempore; & gravius eſt, non vacare orationi, vel eſſe diſſolutum in lingua, vel relaxatum in gula, quando homo debet communicare; & in die, quo homo communicat, quàm in alio tempore. Hæc ibi.

Huc reducitur circunſtantia durationis, ſeu moræ in peccato, de qua S. D. ibidem ait. Quoniam ibi majus eſt peccatum, vbi maiora contrahitur, ſive ſit delectatio corporalis, ſive mentalis, ſive iram, ſive odium teneas per menſem, aut annum, & diligenter eſt mora examinanda in peccato cogitationis, quia videndum eſt, ſi in ipſa mora ratio ſuccumbat ſenſualitati, conſentiendo in opus voluntate deliberata, ſi poſſet; & tunc non eſt minor culpa, quàm ſi peccatum opere perfeciſſet: quia ſic voluntas pro facto reputatur. Si autem ſuccumbat ratio, conſentiendo in delectationem tantùm, quam non vult in opus procedere, ſed vult tamùm interiùs in delectatione voluptati: tunc, licèt ibi non ſit plenus conſenſus, tamen eſt peccatum mortale, ſicut dicit Auguſtinus, ſed eſt minus grave, quàm primùm, vbi eſt conſenſus in delectationem, & in opus. Hæc ibi.

* 16 *Oppono* contra numerum ſeptenarium circunſtantiarum. Dantur enim plures. 1. *Duratio actus.* 2. *Circa quid.* 3. *Quoties.* Ergo. *Reſp.* Omnes reduci ad præfatas, vel certè non eſſe meras circunſtantias. Hinc duratio actus reducitur ad *Quando*, vt ibidem dictum eſt. *Circa quid* reducitur ad *Quid*. Tandem numerus peccatorum, qui ſignificatur per ly *quoties*, non eſt propriè circunſtantia, hęc enim actum humanum non multiplicat, ſed ſolùm modificat. Pro quo. *Not.* Quòd explicandus ſit numerus peccatorum certis, vel ſaltem (ſi aliter non ſciatur) probabilis, addendo, *circiter*, ſeu *plùs minùs*. An quis poſteà teneatur certum numerum denuo confiteri, ſi eum deprehendat, dicetur *T.* 13. de Pœnit. *E.* 4 *n.* 2.

Eſtne etiam ſufficiens ſcientia Confeſſarij, mera circunſtantia officij eius? *Dico.* Ita quidem ſibi perſuadent nonnulli Confeſſarij audaces, & parùm timorati, ſed cum æternæ ſalutis ſuæ, & pœnitentium periculo, & toto aberrantes Cœlo. Nam inter neceſſaria Confeſſarij requiſita principem locum tenet ſcientia, iuxta quam in hoc tremendo Tribunali fungendum ſit officio Iudicis, Medici, & Doctoris, vt oſtenſum eſt ſu-

prà in *T.* 1.

EXAMEN III.

De actuum humanorum moralitate, ſeu bonitate, ac malitia.

De quo S. D. agit 1. 2. *q.* 18. *vſque ad* 21. *inclus. ſivè.*

ACcui humano (in hoc *T.* E. 1. ad *Q.* 4. explicato) in ordine phyſico, ſeu in eſſe naturæ conſtituto, ſupervenit moralitas: à qua redditur bonus, vel malus, meritorius, vel demeritorius. Eius proinde notitia Confeſſario ex vi officij Iudicis eſt per neceſſaria. Undè

* 1 QUÆRO 1. Quid formaliter, & eſſentialiter eſt moralitas in actu humano? *Reſp.* 1. Libertas eſt quidem fundamentum moralitatis, eique velut ſubſtratum neceſſariò præſupponitur. 2. *Formaliter* tamen in ea non conſiſtit. 3. *Nec formaliter* ſunt idem, actus humanus, & actus moralis. 1. *Pars*, eſt S. Thom. *in* 2. *d.* 24. *ar.* 2. dicentis: *Ibi incipit genus moris, vbi incipit dominium voluntati.* *Ratio.* Actus moralis, ex eo ſic dictus, quia ſubjicitur, ac dirigitur à regulis morum, ſcilicèt lege, & ratione, vt proprietatem habet hanc, quòd ſit laudis, vel vituperio dignus, meritorius, vel demeritorius: ſed hoc non habet ſine libertate, iuxta illud ſupra additum axioma 1 *in moralibus*, id eſt, non liberis, *nec meremur, nec demeremur.* Ergo. *Ratio* 2. & 3. *p.* Actus liber, ſeu humanus, & actus moralis habent ſpecificativa formaliter diverſa. Ergo non ſunt formaliter idem libertas, & moralitas, actus liber, & actus humanus. *Prob. ant.* Actus moralis ſpecificatur à fine, ſeu obiecto ſub ratione conformis, vel difformis cum regulis morum, actus verò humanus, ſeu liber ſpecificatur quidem ab eodem obiecto, ſub alia tamen ratione formali, nimirùm ſub ratione indifferenter propoſiti, dicitur enim humanus, quia fit cum libertate, ac dominio voluntatis, moralis verò, quia tendit in obiectum, regulis morum ſtatim aſſignandis, *con-vel diſſonum.* Ergo, licèt in eodem actu ſe comitentur, non tamen ſunt formaliter idem.

Reſp. 2. Probabilior ſententia Thomiſtarum eſt, quòd moralitas non conſiſtat in *denominatione extrinſeca*, nec in *ente*, ſeu relatione *rationis*, nec in relatione *reali predicamentali*, velut in ratione formali, ſed in *ordine reali*, intrinſeco, tranſcendentali, ſeu in tendentia actus ad obiectum, vt ſubſtans regulis morum. Ex quo facilè patet definitio moralitatis.

Ratio rectius aſſerti. Iuxta principium Thomiſtarum à S. Thom ſæpè, præſertim in hac 1. 2. *q.* 54. *a.* 2. *in c.* inculcatum: *Quæ diſtinguuntur ſecundùm ordinem ad aliquid, diſtinguuntur ſecundùm ordinem eorum, ad quæ dicuntur*, id eſt, quod eſſentialiter dicit ordinem ad aliquid, ab eo habet ſpeciem, ita vt ordo ad illud ſit formale *conſtitutivum*, & *diſtinctivum* eius, in eoque ordine formaliter conſiſtat, vt patet in omnibus potentijs, *v. g.* intellectu, viſu, &c. & habitibus, vt ſcientijs, & actibus, ſpeciem ſuam formaliter intrinſecè ſortientibus ab ordine ad obiectum, & ab obiecto extrinſecè. *Subſumo:* Sed omnis actus ex intimis, vt ita dicam, viſceribus, ſeu ex propria natura inclinatur in ſuum obiectum, vt ſpecificabile in ſuum ſpecificativum. Ergo ab ordine ad illud habet ſpeciem. Ergo idem dici debet de actu morali quatenus tali, ſive bono, ſive malo; & conſequenter *morali-*

tas formaliter consistit in præfato ordine. Ergo non in aliquo extrinseco, ac. *ratione conjuncto.*

Quòd autem non in ordine prædicamentali, est, *quia* juxta Thomistas in Logica ordo prædicamentalis perit realem existentiam sui termini: moralitas autem potest in actum refundi ab obiecto apprehenso *in re* etiam impossibili, vt patet in peccato Luciferi appetentis æqualitatem cum Altissimo. Ergo moralitas formaliter est ordo transcendentalis, seu tendentia actus humani ad obiectum, non physicè sumptum, sed vt substans regulis morum, quibus si sit conforme, habetur bonitas; si difforme, habetur malitia moralis. *Not.* Quòd moralitas ab ipsa entitate physica actus humani distinguatur realiter modaliter, tanquam modus à suo subiecto, cùm sint diversi ordinis, scilicèt *physici*, & *moralis*: etsi aliàs verùm sit, quòd relatio transcendentalis (si sit in eodem ordine cum suo subiecto) ab eo nullatenus distinguatur realiter.

* 2 QUÆRO II. Quæ, & quot sunt Regulæ morum? *quæ*, & quot principia moralitatis? *Resp.* 1. juxta S Thom. duplex est regula morum, seu actuum moralium. Una *remota*, *prima*, *suprema*, & *extrinseca*. Et hæc est ipsa lex æterna Dei, in mente Dei existens. De qua infrà *T.* 6. *E.* 2. *n.* 1. Cuius *ratio est*: Quia prima Regula est illa, quæ omninò indefectibilis est, & in quam cætetæ reduuntur: sed talis est sola lex æterna Dei, vt patet. *Ergo.* Altera Regula est *proxima*, *secunda*, & *intrinseca*, & hæc est nostra conscientia, seu dictamen rationis, ab æterna Dei lege descendens, vt radius ab ea participatus, seu applicatio eius, & in vi Regulæ 1. actus nostros dirigens. Quia proprior Regula non potest assignari. Ergo.

Resp. 2. Juxta S. Thom. tria sunt moralitatis principia, nimirum *Obiectum*, *Circumstantia*, *Finis*. *Declaratur.* Obiectum non sumitur hìc in eo amplo sensu, quo significat omne id, quod volitum est (cùm etiam circumstantia, quà talis, possit esse volita) sed prout est id, ad quod actus humanus ex propria natura, seu per se primò ordinatur. Sicut obiectum iustitiæ est ius alienum reparandum, cùm sit virtus ius suum cuique tribuens; obiectum furti est res aliena invito Domino auferenda. Ab *obiecto* proinde, eiusque moralitate, velut à primario, & specifico moralitatis principio in actum humanum refunditur moralitas, nimirùm bonitas, vel malitia moralis specifica, & essentialis. *Ratio* est antè data pro *R.* 2. *ad Q.* 1.

De secundo moralitatis principio, scilicèt de circumstantia sufficienter actum est in Examine præcedenti. Quæ, si speciem mutet, induit rationem *obiecti*, & dat speciem; si verò intra eandem speciem aggravet, manet *circumstantia*, & bonitatem, vel malitiam, quam invenit, auget.

Circa tertium moralitatis principium, sciendum, quòd finis (quoad præsens) sit duplex. Unus est finis operis, seu ad quem opus, sive actus ex natura sua ordinatur, & hic est idem quod obiectum, nec habet distinctam ab eo considerationem. Aliter (de quo hìc est termo) est finis operantis qui non ab opere, sed ab operante intenditur, cùm sit motivum voluntatis eius, & est præcipua inter actus humani circumstantias, & specialem habet considerationem, tribuitque specialem moralitatem, nimirùm bonitatem, vel malitiam. Primus finis vocatur etiam intrinsecus, alter extrinsecus.

Exemplum. Occidit quis hominem Clericum ex fine auferendi ei mille imperiales. Finis operis, sive obiectum huius actus, est iniusta ablatio vitæ, repugnans charitati, & iustitiæ. *Finis operantis*, est ablatio pecuniæ, repugnans iustitiæ. Circumstantia speciem mutans, pariterque in rationem obiecti transiens est violatio personæ sacræ; quæ est sacrilegium, repugnans virtuti Religionis. Circumstantia notabiliter aggravans est illa magna pecuniæ quantitas. Quæ omnia in confessione sunt exprimenda. Idem patet in actu virtutis, *v. g.* temperantiæ, vt si quis ieiunet in pane, & aqua per integrum annum, ad satisfaciendum pro suis peccatis, seu eorum pœnis. Finis operis respectu ieiunij est edomario passionum: finis operantis, est satisfactio pro peccatis: circumstantia aggravans, seu meritum augens est, quòd fiat in cibo tam tenui, & tempore tam longo. *Colligitur* ex his, quòd in eodem actu physicè sumpto plures bonitates, vel malitiæ morales specie distinctæ dari possunt, ob diversas con- vel difformitates ad regulas morum.

* 3 QUÆRO III. Quot, & quæ sunt species moralitatis? & quomodo definiuntur? *Resp* 1. Moralitas adæquatè dividitur in *bonitatem*, & *malitiam* moralem, & actus moralis in *bonum*, & *malum*, velut in duas species essentiales, ita vt indifferentia obiectiva (cuius posteà fiet mentio in *R.* 1. ad *Q.* 4.) non sit vera, completa, & perfecta species eius, media inter vtramque. Ita patet ex S. Thom. hìc *q.* 18. *art.* 5. *in c.* dicente: *Differentia boni, & mali, circa obiectum considerata, comparatur per se ad rationem, scilicèt secundùm quod obiectum est ei conveniens, vel non conveniens. Undè manifestum est, quod bonum, & malum diversificant species in actibus moralibus: differentiæ enim per se diversificant speciem. Ratio* 1. *p.* Moralitas vt sic est quoddam superius, commune, & abstractum, quod per bonitatem, & malitiam velut per differentias specie divetsificatur Ergo. *Prob. ant. pro* 2. *p.* Esse conforme regulis rationis, & esse ijs difforme, specie differunt: Sed bonitas moralis consistit in illa conformitate, malitia in difformitate, vt patet ex S Thom. *Ergo.*

Ratio 2. *p.* Ad veram, & perfectam moralitatem actus non sufficit, quòd actus cadat sub lege æterna, vt est ratio divinæ voluntatis, qua actus ipsius Dei in creaturarum productione, & gubernatione gubernantur, qualiter sub ea etiam cadit actus indifferens secundùm speciem, sed requiritur, vt cadat sub lege æterna, vt per dictamen rationis à nobis participata, & actus nostros liberos regulante, quia causa vniversalis, & prima influit mediante causa secunda, & particulari. *Subsumo*: Sed actus humanus secundùm speciem indifferens, vt talis, non cadit sub lege æterna secundo modo. Ergo. *Min prob.* Lex æterna, & dictamen rationis propriè, & perfectè non exercent munus regulæ morum, nisi præcipiendo, vel prohibendo, vel etiam permittendo positivè, qualis permissio est, v. g. dispensatio in ieiunio: permissio autem merè negativa non est verè, & propriè actus veræ legis, sed tolùm impropriè, & metaphoricè. Cuius *ratio est*: Quia lex propriè dicta affert necessitatem, seu obligationem, in hoc enim differt à consilio. *Subsumo*: Sed circa actum ex obiecto indifferentem, vt talem, id est, secundùm speciem præcisè (quia aliud est in individuo) lex, & ratio non versatur præcipiendo, prohibendo, aut positivè permittendo, sed merè negativè. *Ergo.*

Ex quo fit, quòd, dum S. Thomas asserit, inter bonum, & malum dari medium, scilicèt indifferens, loquatur de medio negativo, nimirùm per exclusionem bonitatis, & malitiæ. *Not.* Auctores contrarios facilè

facilè posse nobiscum concilliari, nam non non negamus, & ipsi fatentur, indifferentiam esse speciem moralitatis imperfectam, incompletam, negativam, & statum quendam tendentiæ in bonum, vel malum, ad quod in exercitio ex fine adjuncto determinari potest, & ad id capax est.

Resp. 2. Bonitas moralis formaliter consistit in ordine, seù respectu transcendentali ab objectum regulis morum consonum, pro quò revidenda sunt dicta in hoc E. *ad Q.* 1. *specialiter* R. 2. *de moralitate*, vt sic. Malitiam moralem, quod attinet cum iis, qui constitutivum formale peccati commissionis ponunt in aliquo positivo, sentio, quod consistat in ordine transcendentali, seù tendentia actus ad objectum regulis morum dissonum: quale obiectum respectu furti, v. g. est ablatio rei alienæ invito domino. Cum iis vero, qui constitutivum formale eiusdem peccati asserunt consistere in privativo, dico, quòd consistat in privatione, seù carentia ordinis, sive tendentiæ ad obiectum regulis morum consonum. De quò infrà Ex his facile est cuilibet, formare vtriusquè speciei definitionem.

* 4 *Estne ergo* divisum, nimirum moralitas, vt sic, respectu dictarum specierum quid vnivocum, vel analogum? *Hujus decisio* dependet ex Tractatu seq. vbi agetur de constitutivo peccati commissionis. Pro nunc dico: Sive illud sit quid positivum, sive quid privativum, nihil probat contra datam doctrinam. si enim sit quid positivum, dico moralitatem esse quid superiùs vnivocum ad suas species, quia facta hac suppositione æqualiter ab illis participatur, & siquà inæqualitas appareat, eà non in rationem communem, sed in differentias contrahentes refundenda est. Si autem dicatur consistere in mera privatione, dico, moralitatem esse solùm quid superiùs, analogum ad bonitatem, & malitiam: quia positivo, & privativo nihil datur commune superius vnivocum.

* 5 QUÆRO IV. Daturne actus humanus, non solùm ex sua specie, sed etiam in individuo, seù in exercitio, sive suis circunstantijs vestitus, indifferens, id est, nec bonus, nec malus moraliter? *Resp.* 1. Indubitatum est, & patet ex S. Thom. *hic q.* 18. *a.* 8. quòd dentur actus humani, seù liberi secundùm suam speciem indifferentes, id est, ex parte sui objecti præcisè considerati, & vt à fine operantis, ac à circunstantijs distincti; nec determinatè boni, nec mali moraliter, sed ad vtrumquè indifferentes: sic vt ex adjuncto, nimirum ex fine operantis, ac circunstantijs, in individuo, sive in exercitio possint fieri moraliter boni, vel mali. *Ratio S. D. est*: Quia dantur aliqui actus, quorum objectum nihil includit ad rationem pertinens tanquàm ei con-vel difforme, quales actus sunt fricare barbam, levare festucam, ire ad campum, egerere alvi stercora, capitis purgamenta naribus projicere, sputis rheumata, jacere, &c. qui actus præcisè secundùm se, nec sunt boni, nec mali moraliter. *Ergo.*

Dixi *moraliter*, quia bonitas naturalis, seù physica illis actibus non denegatur, sed de eà hìc non est sermo. Dixi 2. *præcisè secundùm se, seù ex parte objecti*, si enim quis vadat ad campum, sanitatis gratia deambulando, est actus moraliter bonus; si ad turandum fruges, est moraliter malus.

* 6 *Resp.* 2. Quod dixi, intelligo de indifferentia ad malitiam, vel bonitatem moralem ordinis naturalis, seù sumpta in ordine ad finem naturalem. *Declaratur.* Nam si loquamur in ordine ad finem supernaturalem, adhuc magis indubitatum est, dari actus nequè bonos, nequè malos, nequè meritorios, nec demeritorios, sed medios, ac indifferentes, licèt sint boni in ordine naturali, vt patet, si infidelis, v. g. *Turca*, vel *Judæus*, vel etiam *Catholicus* in mortali constitutus bono animo det eleemosynam.

* 7 *Resp.* 3. Probabiliùs est contra Scotistas, & quosdam alios, sentire cum Thomistis, quòd nequeat dari actus humanus in individuo, in exercitio, seù vt omnibus circunstantijs vestitus, indifferens, seù nec bonus nec malus moraliter. Ita clarè Angel. Doctor *cit. q.* 18. *a.* 9. *Ratio.* Actus humanus quiscunquè in individuo, seù in exercitio, vel ordinatur ad aliquem finem, vel non? Si ad nullum? Erit malus, vt ex dicendis patebit. si ad aliquem finem ordinatur, vel ordinatur ad finem bonum, & honestum, & tunc etiam actus erit determinatè moraliter bonus; vel ad finem malum, & tunc actus erit malus. Vel fieret propter finem merè indifferentem, v. g. *propter longum quoniam*, vt solemus dicere, tunc etiam erit malus, aquè ac si ad nullum finem ordinaretur. Quod *prob.* Ille actus est malus, quem homo deliberatè elicit, nec tamen in eò agit vt à brutis differens, & juxta rationalis naturæ inclinationem: Sed in actu ad nullum, vel ad merè indifferentem finem relato, non ageret homo, vt à brutis differens, & juxta naturæ rationalis inclinationem: hæc enim inclinatio est bonum proprium rationis, quod est bonum honestum. Ergo actus est malus.

Vel homo actum illum eliceret propter finem delectationis, aut delectabilis commoditatis, & tunc etiam esset malus, quia fieret ordine præpostero, & inverso, natura enim non instituit operationes propter delectationes, sed econtra *recreationes* propter *operationes*; oportet enim *dormire*, vt possimus *vigilare*; oportet *edere*, *bibere*, *se recreare*, &c. vt possimus eò alacriùs omnia ad majorem Dei gloriam *operari*. Vndè in malo statu sunt, qui *vivunt*, vt *bibant*, & non *bibunt*, vt in bonis operibus *vivant*. Ergo. Immò ex oppositò sequitur, eum, *qui sola delectationis gratia comederet vsquè ad saturitatem*; sicut & *conjuges sola delectationis causa exercentes actum conjugij, non peccare venialiter*; cùm tamen vtraquè hæc propositio ab Innoc. XI. anno 1679. inter 65. Propositiones sit damnata, *n* 8. & 9. Diversa Adversariorum argumenta solvuntur *ex R.* 1. & 2. si benè penetrentur. Nihilominus contra R. 3.

* 8 *Oppono* 1. Nulla est species, quæ sub se non concineat, vel continere possit aliquod individuum: Sed iuxta R. 1. aliquid actus est indifferens secundùm suam speciem. Ergo etiam aliquis actus individualis poterit esse indifferens. 2. *Dic*, vbi extat præceptum, quo iubemur omnes actus humanos dirigere in finem honestum? Nam non teneor semper deliberatè agere, cùm id non sit in mea potestate, quia præter intentionem distrahor, & cor meum derelinquit me. Ergo nec teneor semper actum deliberatum dirigere ad finem honestum. Certè ex oppositâ sententia scrupuli scrupulis accumulantur. 3. *Potest* quis fricare barbam, vel manum, quia sibi sic placet, & ex eo solùm, vt libertatem suam exerceat, vt stet pro ratione voluntas. Ergo. 4. *Potest* quis sic se resolvere: Volo ire spatiatum, vt eam spatiatum: quod nec est iuxta, nec contra legem. 5. *Generaliter quæro*: Quid sentis de obambulationibus, verbis iocosis, vexationibus, risu, clamorosis discursibus, conviviis, complimentis, non pseudopoliticis, sed finceris, de saltu, &c. suntne actus virtutis? & cuius? 6. *Si* omnes tales actus debeant semper referri ab bonum finem, & ex eo fiant boni, ac virtuosi, poteruntne esse materia voti?

Ad

Ad 1. Respondet S. Thom. *a. 9. citato ad 1. dicens:* Aliquem actum esse indifferentem secundùm suam speciem, potest esse multiplex. Uno modo sic, quod ex sua specie debeatur ei, quòd sit indifferens, & sic procedit ratio: sed tamen isto modo nullus actus ex sua specie est indifferens, non enim est aliquod objectum humani actus, quòd non possit ordinari vel ad malum, vel ad bonum per finem, vel circumstantiam. Alio modo potest dici indifferens ex sua specie, quia non habet ex sua specie, quòd sit bonus, vel malus; vnde per aliquid aliud potest fieri bonus, vel malus. Sicut homo non habet ex sua specie, quòd sit albus, vel niger, nec tamen habet ex sua specie, quòd non sit albus, aut niger: potest enim albedo, vel nigredo superuenire homini aliunde quàm à principijs speciei. Hæc ibi. *Ex quibus dico primo.* Datur actus indifferens ex specie, ita vt indifferentia ex specie sua fit ei debita, *N. prima.* quia alias nunquàm posset in individuo determinari. Datur, &c. *in alio sensu assignato, ex S. Thom. C. prima. Et dico secundo.* Si esset ex specie indifferens in primo sensu, *C. si sic, vti est sola in secundo sensu, N. secunda.*

Ad 2. Dico, esse præceptum naturale, reductum ad primum Decalogi, quo nos, & omnia nostra, saltem virtualiter in Deum, vt in vltimum finem referre tenemur. Dici etiam potest, actum sic non relatum esse contra naturalem rationalem hominis inclinationem operandi vt homo est, & a brutis differt: quæ inclinatio est quid præsuppositum ad omnia præcepta naturalia, & virtutes morales, tanquam eorum fundamentum.

Esto ergo præceptum negativum? *Affirmo.* Nimirum non facies opus, vel verbum otiosum, seu sine fine rationi conforme. Unde obligat semper, & pro semper, non quidem absolutè, quasi homo teneatur semper operari, & quidem deliberatè, sed ex suppositione, nimirum toties quoties homo ex deliberata voluntate agit.

Ad 3. Resp. cum Gonet, quòd, si semel aut bis id fieret, esset actus actus bonus, quia haberet finem bonum, scilicet exercitium libertatis, quam aliquando, etiam circa actum ex obiecto indifferentem, exercere honestum est. Si verò talis actus ex eodem motivo sæpius iteraretur, non haberet honestatem, sed otiositatem: ad cuius speciem omnes similes actus reducuntur. *Hinc R.* non obstat hæc instantia: Circumstantia indebiti finis est communis omnibus actibus inordinatis. Ergo non dat particularem speciem. *Non*, inquam, obstat. Licèt enim sit circumstantia communis, attamen (vt ait noster *Bartbol. Medina*) si transferat actum de bono, aut indifferente in malum, dat speciem particularem otiositatis; sicut levare festucam propter Deum, licèt hæc circumstantia, *propter Deum* sit communis, dat tamen speciem particularem virtutis Religionis.

Ad 4. Est actus vanus, & in specie otiositatis, repugnans iuri, ac præcepto in prob. explicato. *Ad 5. Resp.* Similes commoditates ad recta ratione moderatam corporis, & animi recreationem relatas reduci ad finem alicuius virtutis. Nam S. Thom. 2. 2. *q.* 168. *a.* 1. *ait*: In quantum per exteriores motus ordinamur ad alios, pertinet eorum moderatio ad amicitiam, vel affabilitatem. In quantum verò exteriores motus sunt signa interioris dispositionis, pertinet eorum moderatio ad virtutem veritatis, secundùm quam aliquis talem se exhibet in verbis, & factis, qualis est interius. Hæc ibi.

* 9 In *art.* 2 ibid. *arg.* Doctor pulcherrimam ad propositum tradit moralitatem in *c.* dicens: Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refectionem, quia non potest continuè laborare, propter hoc quòd habet limitatam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur: ita etiam est ex parte animæ, cuius etiam est virtus finita, ad certas operationes proportionata. Et ideò quando vires modum sum in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc fatigatur *ita S. D.* qui postquam ibi magis edendit, corpori, & animo deberi tam quietem, & refoci lusionem, subdit.

Sicut in collationibus Patrum legitur, quòd B. Ioannes Evangelista, cum quidam scandalizarentur, quòd eum cum discipulis suis ludentem invenirent, dicitur mandasse vni eorum, qui arcum gerebat, vt sagittam traheret. Quod cùm plures faciliter, quæsivit, virum hoc continuè facere posset? qui respondit: Quod si hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Undè B. Ioannes subintulit, quod similiter animus hominis frangeretur, si nunquam a sua intentione relaxaretur. Huiusmodi autem dicta vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra, vel iocola. Et ideo necesse est, talibus interdum vti quasi ad quandam animi quietem. Et hoc est, quod Philosophus dicit *4. Ethic. c. 8.* quòd in huius vitæ conversatione quædam requies cum ludo habetur. Et ideò oportet interdum aliquibus talibus, vti. Circa quæ tamen (prout loqui S. Thom.) videntur tria esse præcipuè cavenda. Quorum primum, & principale est, quòd prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis. Alterum, ne totaliter gravitas animæ resolvatur. 3. Sicut in omnibus alijs humanis actibus, vt congruas personæ, & tempori, & loco.

* 10 Iterùm post pauca subdit: Et id ò circa ludos potest esse aliqua virtus, quam Philosophus Eutrapeliam nominat. Et dicitur aliquis Eutrapelus à bona conversatione, quia scilicèt benè converti aliqua dicta, vel facta in solatium, & in quantum per hanc virtutem homo refrenatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur. Hæc S. D. *Contra* hoc objicit sibi S. D. Virtus est, quam Deus in nobis sine nobis operatur: Sed Chrysostomus dicit: *Non dat Deus ludere, sed diabolus.* Audi, quid aliquando ludentes passi sunt: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Ergo circa ludos non potest esse virtus.

Solvit hoc dicendo, quòd verbum illud Chrysostomi est intelligendum de illis, qui inordinatè ludis vtuntur, & præcipuè qui finem in delectatione ludi constituunt. Sicut de quibusdam dicitur *sap. 15. Æstimaverunt esse ludum vitam nostram.* Contra quos dicit Tullius *in 1. de Offic.* Non ita generati à natura sumus, vt ad *ludum*, & *iocum* facti esse videamur, sed ad severitatem potius, & ad quædam studia graviora atque maiora. Hæc ibi. Ubi ad 3. demùm citat Tullium dicentem: *Ludo, sane vti quidem licèt sed sicut somno*, id est, moderatè: *tum, quum gravibus, seriisque rebus satisfecerimus.*

Ad 6. Resp. Actus illos non esse materiam voti. Nam, vt dicetur infrà *T. 10. E. 3. ad Q. 1.* votum debet esse de meliore bono: Sed quamvis tales actus, v. g. ire ad campos, deambulare sanitatis gratia, fricare manus ad depellendum frigus, &c. sint boni, non tamen sunt de meliore bono, cùm melius sit, mortificationis gratia ab illis abstinere: sicut à simili patet in haustu boni vini. Ergo non sunt materia voti.

* 11 *Sed saltem* materia Confessionis sacramentalis?

talis? *Dico*: Ordinariè non sunt, eò quòd communiter fiant sine deliberatione, solo naturæ, aut imaginationis impulsu: ideòque tunc non sunt boni, nec malì moraliter. Si autem deliberatè fierent, nec ad bonum finem formaliter, aut virtualiter (quæ virtualis ordinatio sufficit) ordinarentur, non esset magis ridiculum (quò termino, & argumento alii qui nos oppugnant) istos actus sic exercitos confiteri, quàm alios actus vanos, & otiosos sermones: nisi fors ridiculum videatur illis, qui habent conscientiam eam latam, vt, communi proloquio, plaustrum fœni invehi possit de minimo cum Prætore non curaret, non nisi, immo vix, de gravissimis se accusaret.

* 12 QUÆRO V. Potestne idem actus simul habere duplicem speciem bonitatis, aut duplicem speciem malitiæ moralis, vel oppositas species moralitatis, sic vt sit simul bonus, & per eum quà talem, homo serviat Deo, & simul malus sic vt per eum quà talem, homo serviat diabolo? *Resp.* 1. Potest vnus, & idem actus humanus simul habere duplicem speciem bonitatis, vnam ex fine operantis: alteram ex obiecto. Ita S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 4. *Ratio.* Idem actus potest procedere à duplici virtute, ab vna elicitivè, ab altera imperativè. Ergo participat vtriusque virtutis honestatem, v. g. jejunat quis ex fine pœnitentiæ, seu, vt satisfaciat pro suis peccatis, hoc jejunium, vel electio jejunij elicitur à temperantia, imperatur à pœnitentia.

Resp. 2. Potest in eodem actu reperiri duplex species malitiæ moralis, vna ex fine, altera ex obiecto. *Ratio.* Quia idem actus potest procedere à duplici vitio, ab vna elicitivè, ab altero imperativè; vt si quis fornicetur, vt furetur; adest species luxuriæ, & furti.

Resp. 3. Idem actus humanus non potest simul, & semel habere oppositas species moralitatis, ita vt sit bonus ex fine, & malus ex obiecto, vel è contrario, v. g. si quis furetur, vt det eleemosynam: vel det eleemosynam, vt acquirat vanam gloriam. Ita S. D. 1. 2. q. 19. a. 7. ad 2. & 3. *Ratio* fundatur in S. Dion. *loco citato ad 3. Bonum ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu.* Quod Axioma præcipuè in moralibus terviens, communiter attribuitur S. Dionysio 4. *de div. nom.* ex quo illud adducit S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 4. ad 3. & 2. 2. q. 19. a. 7. ad 3. Et sensus ejus est, quòd in moralibus vnicus singularis defectus, v. g. alicujus vitiosæ circumstantiæ, puta, vanæ gloriæ, totum opus alias secundum se, & ex obiecto bonum in exercitio corrumpat, sed neque ex integro malum *subsistat*. Sed si quis ob finem actu pandæ inanis gloriæ pro medio eligat eleemosynam, vel ob finem dandæ eleemosynæ pro medio eligat furtum, integra horum actuum causa non est bona, sed vtrobique concurrit defectus. Ergo. *Alio modo* in primo casu medium quod est eleemosyna, est bonum secundum se, non tamen est formaliter bonum in exercitio, quòd finis non sit bonus, media autem bonitatem habeant, vt talia vana habenda esse, quæ eligantur propter finem. In secundo casu furtum, qui est eleemosyna, etiam in exercitio non est bonum. Quia quod est causa mali, est malum; & hinc finis, (licet eleemosyna, est causa mali, nimirum furti. Ergo est malus.

* 13 *Objicies* 1. contra *R.* 3. Actus ille fieret quidem malus simpliciter, maneret tamen bonus secundum quid, vt volunt *Cajet. Silvest.* & alij. Ergo *Ne malum fiat, ut bonum veniat*, vt communiter loquuntur Iurisconsulti, & patrum pro nihilo reputandum? Sed dum quis ob vanam gloriam facit opus bonum, est defectus modicus. Ergo pro nihilo reputandus est. Ergo non corrumpit totum opus 3. *Alias*, quo impletur præceptum 1. est moraliter bonus. Sed per actum ex obiecto bonum, malo fine factum, potest impleri præceptum, etiam supernaturale, v. g. in die festo Missam audiendo ex vana gloria. Ergo ille actus est simul bonus, & malus moraliter. 4. Qui ex vana gloria audit Missam, quando tenetur, melius facit, quàm ille, qui planè non audit: Sed qui facit melius, facit etiam bene, quia gradus comparativus supponit positivum. Ergo. 5. Quid, si quis ex vana gloria lubiret mare, fluvium?

Ad 1. Resp. N. ant. & instantiæ *Ratio.* Sicut bonum simpliciter consurgit ex integra causa simpliciter, sic bonitas moralis secundum quid consurgit ex causa secundum quid, seu partiali, quæ est Regula morum: sed prædictæ actus nec secundum quid subsunt Regulis morum, scilicet Legi, & Rationi, seu prudentiæ, tum quia fiunt imprudenter, tum quia alioquin tales actus aliquo modo reducerentur in Deum eiusque legem. Ergo actus nec secundum quid sunt moraliter boni, sed ea quæ bonitas eis inest, est solum naturalis.

Ad 2. Resp. Iurisconsultos loqui de Prætore terrestri, & hos non timorati; non verò de celesti, apud quem valet illud: *Modicum fermentum totam massam corrumpit, vel inficit, massam corruptam. ad 3. dist. Inst.* Si impletur præceptum, quod est non tantum de substantia, sed etiam de modo actus, qualia præcepta sunt ea, quæ disponunt de interiori hominis rectitudine, de iustificatione, ac interna animæ munditia, v. g. præcepta de credendo, sperando, diligendo, pœnitendo, in corde non mœchando, rem alienam non concupiscendo, &c. *maj.* si impletur præceptum, quod est de actu humano præcisè quoad substantiam, seu bonitatem obiectivam materialem, vt sunt, de dando eleemosynam, de ieiunando, de audiendo Sacrum, *N. mai.* & sic *dist. min. N. cons.* In his ergo præceptum potest impleri per actum etiam malum, v. g. ex vana gloria factum, non vt malus est, sed vt obiectivè bonus est. Vide dicenda 17. 5. E. 1. n. 14. de vana gloria, vbi multa dicimus, quæ hic servire. Item dicendum T. 6. de Legibus, E. 3. An modus virtutis, vel præcepti cadat sub præceptum.

Ad 4. Resp. Quod talis nec bene, nec melius, nec potius faciat, sed minus malè; adeoque & comparativus, & positivus excluditur. Vel dici potest, quod faciat aliàs materialiter tantum, non verò formaliter. *Ad 5.* patebit infra 17. 5. E. 1. de vana gloria, n. 14. *Nota.* Dum sic dictum est, eundem actum non posse esse simul bonum, & malum, semper esse de bonitate actus ex opere operantis, non verò de ea, quam alij actus (v. g. in Sacramentis, & Martyrio) habent ex opere operato. Hæc enim bonitas ab illo actu, si nullum ex essentialibus requisitis defit, excludi nequit. Item esse semper de substantia, v. g. vanæ gloriæ, & sic eleemosynæ, vt formaliter exercentis rationem causæ finalis: si enim mere per accidens, & concomitanter concurrat, nec vt finis, nec circumstantia actus, eum non vitiat, vt in esset specialis aliquis, & distinctus actus.

* 14 *Resp.* 4. Ad principale quæstionis, explicatur quòd homo per eundem actum serviat, placeatque Deo, & simul diabolo.

Hoc colligitur ex dictis, & docetur illis verbis Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis servire*, nimirum simul; ac dominis contrarias voluntates habentibus; vt sunt Deus, & diabolus: nulla enim com-

paratio lucis ad tenebras, nec poteſt quiſquam participeps eſſe mentis Dei, & dæmoniorum. Pro horum explicatione.

* 14 QUÆRO VI. Quid ergo ſentis de Politico? Ante S. Not. Politicum à modernis (quod dolenter referimus) temporis Politico definiri, quod ſit *animal rationale, ita ſerviens Deo, ut non offendat diabolum. Reſp.* Politia inferius. *T. 4. E. 1. n. 2 & 4. n. 15.* deſcripta, eſt idem ac peritia gubernandi Reſpub. unde & civilis ſcientia, & a Ciceronе *civilitas* vocatur. Hæc, quantum ad præſens attinet, alia eſt vera, ſeu non ficta, non ficta, vel ſimulata, ſed ſincera, moderno tempore nuncupata urbanitas in converſando. In hac ex abundantia cordis os loquitur, interrogatio, & reſponſio cauſa contentum. Hæc eſt fœcunda parens omnis boni. Vnde Polit. 3. *lect. 9.* dicitur: *Recta politia ſuos eſt feliciter vivere.* Altera eſt falſa, & ficta, ſeu Pſeudo-Politia, & de hac intelligitur data definitio. Quæ quod bona ſit, ſi ſit, *tranſeat*, ſed res definita eſt peſſima. Simile eſt in definitione furti, furis, latronis, &c. De tali Pſeudo-Politico ita loquitur S. Hieronym. Epiſt. 59. *Hæreſis res, ſpeciem habet columbinam, & muſcum cantitat; profeſſionem vitæ, & intentionem lapſanam: ipſe eſt Neronem, & ſuis aſſuere Caſarem. Novum monſtrum, nova chimera.* Hinc eſt illud principium cujuſdam mali Politici, Vrceſſiſi de Marotſchuvia: *Politicum decet ſæpenumero, non tantùm quid ſit agendum, vel quid omittendum, ſed etiam, quid ſit ſimulandum. Texus mutuatus ſuco vitur. Ergo cum vulpibus eſt vulpinandum.* Accinit Rhythmiſta:

Ænais mille jam peractis,
Fides nulla eſt in pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Politici tales, qui omnia agunt fictis, & fucatis complimentis, Diſcipuli ſunt damnati, vrinam nunquam nati; illius famoſi Machiavelli, qui metitur omnia ſola vtilitate, & privato intereſſe, qui docet ſatis eſſe pietatem, & Religionem ſimulare, ſicquè velut Judas Iſcariotes, pacis oſculo, & ſimulata amicitia tradit Jeſum, ſub ovino vellere, vt lupus dilaceret oves Chriſti. Hic Machiavellus (cujus lectio à Sede Apoſtolica ſub graviſſima excommunicatione latæ ſententiæ eſt prohibita) docèt, quò flaverint venti, navim eſſe vertendam, in neceſsitate intrepidè peccare licere, virtutem juſtitiæ in ſola neceſsitate conſiſtere, fidem datam ſolùm eſſe ſervandam, quamdiù eam ſervare eſt vtile, licere ſpecioſo prætextu alios occidere, &c. Tandem nefanda ejus fuit doctrina, *poſſe omnia animam hominis in morte ſicut animam bruti cadere.*

* 15 *Quid ergo* tandem fiet cum Pſeudo-Politico, ſi in definitionis ſuprà datæ ſenſu pertinaciter perſiſtat, & per actus erronea ſua imaginatione ſimul bonos, & malos Deum inter, & hominem ambidexter eſſe contendat? *Dico*: Regnum, ſeu cor in ſeipſum diviſum deſolabitur, & mittetur in tenebras exteriores, ubi eſt fletus, & ſtridor dentium in æternum.

* 17 *Quid, ſi* habeas pœnitentem tibi dicentem: Si non poſsim per actus meos ita ſervire Deo, vt non offendam diabolum, vel econtra, nonne poſſum ſaltem inter vtrumquè eſſe neutralis, nec vni, nec alteri ſerviendo, ſeu adhærendo? *Dico*: Sine atheiſmo, ac evidenti ſalutis æternæ diſpendio non poteſt. *Qui non eſt mecum, contra me eſt*, ait Chriſtus Luc. 11. Glaſſium, aut ſocium habere neceſſe eſt, aut hoſtem, media via nulla eſt. Et vt pulchrè non nemo ait: *Neutralitas aut amicos parit, aut inimicos tollit.*

* 18 QUÆRO VII. Teneturne homo voluntatem ſuam, vt recta ſit, in omnibus conformare voluntati divinæ? *Reſp.* Non tenetur ſemper in volito materiali, licet deliberatè agat, & ſibi de voluntate Dei in particulari ex viſibilibus, aut certa revelatione conſtet; niſi poneretur præceptum de hoc in ſpecie volendo. Tenetur tamen in omni volito formali. Ita S. Thom. *2. 19. a. 9.* Ante prob. Not. Objectum a Deo voluntum poſſe dupliciter conſiderari. 1. in ſe, materialiter, & abſolutè, v. g. *fames, mors, peſtis, bellum, &c.* non conſiderando rationem, motivum, aut finem, ob quem Deus hoc velit, v. g. ob majorem ſui gloriam, attributorum manifeſtationem, peccatorum emendationem, &c. & hoc dicitur volitum materiale. 2. Poteſt idem, vt ſubſtet huic motivo, & ſic dicitur volitum formale. Hoc notato.

Ratio 1. *p.* Voluntas non tenetur amplecti objectum, niſi hoc ei repræſentetur, vt bonum; Sed non omnia ſic repræſentantur, v. g. flagella, quibus Deus nos punit, peſtis, mors, fames, ſecundùm ſe materialiter ſumpta non repræſentantur, vt nobis bona, immò vt nociva. Ergo ea materialiter ſumpta licitè refugimus, & tolli à Deo petimus. Item ſi Deus mihi revelaret Parentis mei mortem, immo æternam damnationem, non ſolum non teneor, ſed nec licitè poſſum eam mortem abſolutè ſumptam appetere.

Ratio 2. *p.* Quia præcepto obediendum eſt. Ergo. *Ratio* 3. *p.* Conformari divinæ voluntati in volito formali, eſt, intendere eundem ſcopum, ſeu finem, quem intendit Deus, nimirùm Dei gloriam, vt dictum eſt in *Not.* Sed ad hoc teneretur in omni actu deliberato, vt ſit virtuoſus; nam vt arguit Angel. Doctor in c. art. 9. cit. *primum in quolibet genere eſt menſura, & ratio omnium, quæ ſunt illius generis.* Voluntas autem divina eſt prima. Ergo. Et ergo in volito formali voluntas noſtra ſit (vrinam) ſicut Heliotropium, quod non immeritò ſponſa Solis appellatur, eò quòd, vti ſponſa ad omnem ſponſi nutum, & nictum, ita illud ad omnem Solis motum tam ſtricta religione caput circumagit, vt quaſi inferiora faſtidiens, à Sole, etiam nubibus tecto, obitum nunquam avertat. Cujus eſt (ſit & noſtrum) hoc Lemma: *Ad ſolum Solem.* Exemplo Sancti illius Neapolitani, & Carthaginenſis Epiſcopi, quem Martyrologium Romanum die 26. Octob. celebrat, cui nomen S. *Quod vult-Deus*, in omni eventu vſus hac phraſi: *Quod vult Deus.* Cum toto Clero à Genſerico Ariano Rege in lacerrimam navim injectus ſine remo, ſine velo, dixit: *Quod vult Deus*, & inſperatè Neapolim appulit, ibiquè vt Confeſſor in exilio moriens dixit: *Quod vult Deus.* Quamobrem vſquè hodiè appellatur: *Quod vult-Deus.*

* 19 QUÆRO VIII. Actus externus habeme moralitatem, id eſt, bonitatem, vel malitiam diſtinctam ab eà, quæ eſt in actu interno? Et diſtinctum indè præmium, vel ſupplicium? Certum eſt, quòd actus externi ſunt verè, & propriè morales, ſeu boni, vel mali moraliter. *Ratio*: Laus, & vituperium eſt proprietas actus moralis: Sed actus externi (vti videre eſt in variis Scripturæ locis) ſunt digni laude, vel vituperio, præmio, vel ſupplicio. Ergo.

* 20 *Reſp.* 2. Certum pariter eſt, quòd actus externus aliquando per accidens actui interno ſuperaddat ſpecialem malitiam, nimirum ratione damni, aut ſcandali ſequi; quà de cauſa ſæpè in foro ſeri punit-

punitur. Quod damnum, vel ſcandalum non ſequitur ex actu merè interno, vt patet. Item quòd aliquando ei addat aliquid bonitatis ex ſpeciali prærogativa, privilegio, vel inſtitutione; qualiter effectus Sacramentorum ex opere operato ſequuntur, non ad deſiderium recipiendi, ſed ad ſolos actus externos receptionis: Item aureola martyrij datur ſoli externo actui ejus, & ſolum martyrium externum cauſat gratiam ex opere operato, non verò votum ejus. Profeſsio ſolemnis externa dirimit matrimonium ratum, &c.

* 21 *Reſp.* 3. Actui externo, ex ſua ſpecie non indifferenti, intrinſecè convenit aliqua bonitas, vel malitia objectiva: ſeù, illius actus objectum eſt intrinſecè bonum, vel malum. *Ratio*: Per bonitatem, vel malitiam objectivam nihil aliud intelligitur, quàm proportio, vel improportio, ſeù conformitas, vel difformitas objecti ad rationem, vt Regulam morum: Sed actui externo ex ſua ſpecie non indifferenti, v. g. eleemoſynæ, convenit intrinſecè talis conformitas, nimirum ſubvenire egenti; externo autem furto, aut fornicationi convenit intrinſecè illa difformitas; ideòque aliqua dicuntur intrinſecè bona, alia intrinſecè mala. Ergo.

* 22 *Reſp.* 4. Actui externo per ſe, & ſecundùm ſe, ac vt præcisè eſt executio actus interni, ſeù vt formaliter eſt operatio, non ineſt nova, & ſpecialis moralitas, ſeù bonitas, vel malitia moralis (quæ ad differentiam objectivæ vocatur formalis) diſtincta ab eà, quæ ineſt actui interno: ſed eadem bonitas, vel malitia formalis vtrumquè actum denominat, internum intrinſecè, externum extrinſecè: ita vt moraliter ex vtroquè fiat vnus actus, licèt phyſicè ſint diverſi. Ita Angel. Doctor hìc *q.* 20. *a.* 1. & 3. & 4. *Ratio*: Vbi non eſt nova libertas, non eſt nova moralitas, cùm illa ſaltem ſit fundamentum, & radix moralitatis, licèt non ſit ejus ratio formalis, vt probatum eſt ſuprà: Sed in actibus externis (vti nec in membris) non eſt nova libertas, cùm membra externa, è quibus actus externi procedunt, deſpoticè pareant voluntati. Ergo nec nova moralitas.

* 23 *Reſp.* 5. Actui externo non correſpondet novum præmium eſſentiale beatitudinis, conſiſtens in viſione beatifica, ſed tantùm ſecundùm quid; nec nova pœna eſſentialis, ſed ſolùm accidentalis. *Ratio* 1. Quia juxta dicta, & probata homo per actum externum præcisè non redditur ſimpliciter melior, vel peior, quia non affert novam bonitatem, vel malitiam. Ergo nec eſſentialiter beatior, nec vt ita dicam, damnatior. *Ratio* 2. *pro R.* 4. & 5. *Apud Deum voluntas reputatur pro facto*, vt habet communis Paroemia, in bono, & in malo. Nam *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Matth. 5. Et *ante oculos Dei nunquàm vacua eſt manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate*, ait Gregor. Mag. *hom.* 5. *in Evang.* Et hoc patet Luc. 21. Vbi duò æra minuta pauperis Viduæ præferuntur oblationibus divitum. *Subſumo*: Sed ſi actus externus internus adderet ſpecialem intrinſecam bonitatem, vel malitiam; & conſequenter novum præmium, vel ſupplicium eſſentiale, tunc apud Deum voluntas non reputaretur pro facto. *Ergo.*

Ex dictis ſequitur homi- & Pontificidij æternæquè damnationis reum fuiſſe illum, qui veneno tinxit Crucifixi pedes, quos noſter S. Pius V. omni veſpere oſculari ſolebat. *Item* duplicis mariticidij ream fuiſſe mulierem, quæ marito, bis propinato veneno, vitam non ſolùm non ademit, ſed ſervavit. *Item*, parato ad martyrium deeſſe ſolum præmium accidentale, quod dicitur aureola, correſpondens ſoli actui externo martyrij ex privilegio: eſſe tamen martyrem ſine ſanguine quoad præmium eſſentiale.

* 24 *Oppono* 1. contra R. 4. & 5. Juxta dicta *apud Deum voluntas reputatur pro facto.* Ergo ſaltem Scotiſta oppoſitam ſententiam tenens, magis meretur, vel demeretur per actum externum præcisè. 2. *Si actus* externus non addit ſpecialem malitiam. Ergo non teneor eum confiteri, ſed ſolùm internum. 3. *Ergo* non eſt major malitia in actu externo fornicationis, vel furti, quàm in materiam horum actuum, v. g. in pecunia, ac corpore mulieris. 4. *Quomodo* ergo ſalvas definitionem peccati, quà dicitur eſſe dictum, factum, vel concupitum; ejusquè diviſionem in peccatum *cordis*, *oris*, *operis*? Et verba S. Auguſt. *l.* 13. *de Trin. cap.* 5. Mala voluntate, vel ſola miſer quiſquè efficitur, ſed miſerior poteſtate, quà deſiderium malæ voluntatis impletur?

Ad 1. *diſt. conſ.* Magis meretur per accidens, & ex conſcientia erronea, *Tranſeat*; per ſe, *N.* Vndè ſi Scotiſta hoc diſcurſu probet ſe magis mereri, & magis peccare, probabit eò Thomiſta ſe minùs peccare, & æquè mereri. *Ad* 2. *N. conſ.* Cùm enim actus internus, & externus in genere moris ſit vnus actus, externus in confeſsione eſt exprimendus tamquàm conſummatio malitiæ interioris. *Ad* 3. admitto, ſi ſit ſermo præcisè de malitia objectiva, non de formali, quæ denominativè poteſt reperiri in operationibus, non verò in rebus, v. g. pecunia.

Ad 4. R. nos non tollere peccata *oris*, & *operis*, nec S. Thom. *infrà q.* 72. *art.* 7. De ijs agens dicit, quòd illa ſint peccata ex ſe, & ex propriis meritis, ſeù ex ſpeciali malitia, diſtincta ab eà, quæ eſt in actu interno, ſive in peccato cordis. Porrò S. Aug. dicens: Hominem implendo malam voluntatem fieri miſeriorem, verum dicit, tum propter novam malitiam accidentalem, tum propter varia incommoda actui externo præcisè correſpondentia, v. g. damnum, ſcandalum, onus reſtitutionis, Cenſuræ Eccleſiaſticæ, &c.

TRACTATUS IV.

De virtutibus, vitijs, & peccatis.

Ex 1. 2. à quæst. 65. usque ad 90. exclusivè.

POstquam cum Angelico Doctore consideravimus actus humanos tum in esse physico, tum in esse morali; examinanda sunt eorum principia, quæ sunt habitus; nimirum virtus, vt principium actus boni; vitium, vt principium actus mali.

EXAMEN I.

De Essentia, Subiecto, Divisione, ac Proprietate virtutis.

S. Thom. à Quæst. 56. usque ad Quæst. 71. exclusivè.

* 1 QUÆRO I. Teneturne Confessarius habere notitiam virtutis, & vitij? *Respondeo* 1. Quinimmò. *Patet.* Tum quia Confessor est *Iudex*, ac debet discernere inter virtutum, & vitiorum actus, veluti inter leprам, & non leprам: est *Doctor*, ideoque pœnitentem docere debet viam, & amorem virtutis, de qua Plato ait: *Si oculis cerneretur, mirabiles sapientiæ amores excitaret.* Tum etiam, quia peccata sunt materia remota sacramenti pœnitentiæ, & materia eius proxima sunt actus pœnitentis, qui sunt actus virtutis, nimirum Pœnitentiæ. Ergo.

* 2 QUÆRO II. Quid est, & quomodo definitur virtus? Ante *Resp.* Suppono hic non esse quæstionem de virtute in larga significatione, in qua quævis perfectio, vel mediate, vt robur, & sanitas, vel immediatè ad operandum ordinata, vt activitas instrumenti, calor in igne, qualitas, qua Cœlum influit in sublunaria, &c. dicitur virtus. Vel in qua sumitur pro aliculus virtutis obiecto, aut effectu, in quo sensu Aristot. virtutem vocat *ultimum potentiæ*, & miracula vocantur virtutes, id est, effectus virtutis, seu potentiæ Dei. Et Joel 2. legitur: *Ficus, & vitæ dederunt virtutes suas.* Hinc in præsenti quæstio est de virtute, prout sumitur pro aliqua dispositione, vi, aut facultate potentijs creaturæ rationalis superaddita, perficiente eas ad eliciendas operationes bonas, vt tales. Hoc suppositio.

Resp. Variæ sunt definitiones virtutis. Quarum *prima*, & optima est, quam S. Thom. hic q. 55. a. 4. tradit ex S. Augustino: *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Declaratur.* Bonitas definitionis constat ex eo, quia constat genere, & differentia. I y *qualitas* est genus, nimirùm remotum. Si cui placet virtutem definire per genus proximum, pro ly *qualitas* ponatur ly *habitus*, & tunc convenientior erit definitio, ait S. Thom. Per ly *bona* differt virtus à vitio. Per ly *mentis* denotatur subiectum virtutis, quod est potentia rationalis, nimirùm, vel essentialiter talis, vti est intellectus, & voluntas: vel saltem talis *participativè*, vti in homine est appetitus sensitivus, qui vt subest rationi, dicitur *participativè* rationalis, sivè *Mens*, estque subiectum virtutis, vt dicetur postea. Et per hoc virtus differt à qualitatibus purè corporeis. Per ly *qua rectè vivitur*, id est, per quam immediatè elicimus operationes vitales rectas, differt a qualitatibus non immediatè operativis, vti in corporalibus sunt *sanitas, pulchritudo*, &c. in spiritualibus ipsa gratia habitualis. Per ly *qua nullus malè vtitur*, differt ab *opinione*, & *fide* humana, quæ sæpè propendent, & serviunt in malum.

Reliquæ particulæ definitionis conveniunt solis virtutibus per se infusis. De quibus posteà R. 3. Quæ particulæ si auferantur, *reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus, & acquisitis, & infusis*, ait Angelicus Doctor.

* 3 *Oppone* contra illas particulas. *Qua nullus malè vtitur.* Qui de aliquo dono superbit, eo malè vtitur: Sed multi de virtute, *v. g.* Religionis, superbiunt, aut ea vtuntur ad orandum ex vana gloria. Ergo. *Ad hoc* Respondet S. D. art. cit. ad 5. dicens: *Virtute potest aliquis malè vti tanquam obiecto, puta, cùm malè sentit de virtute, cùm odit eam, cùm superbit de ea: non autem tanquam principio vsus, ita scilicet, quòd actus virtutis sit malus.* Cæterùm actus virtutis ex vana gloria factus fit in individuo malus, vt patet ex dictis suprà de moralitate.

* 4 *Secunda* Virtutis definitio est: *Virtus est habitus, qui facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit.* Ita Arist. 2. Ethic. c. 6. In qua definitione, si per ly *bonum* non intelligatur præcisè bonitas moralis, sed ea, quæ cuicunque habitui virtutis in suo ordine competit, non tantùm virtutibus moralibus, ac Theologicis convenit, sed & suo modo intellectualibus, v. g. scientiæ. Verùm hic præcipuè de morali intelligitur.

* 5 *Tertia definitio*: Virtus est *habitus electivus in mediocritate consistens, prout sapiens, & prudens determinaverit.* Ita Arist. loco mox citato. Hæc definitio convenit solis virtutibus moralibus, eiusque intelligentia patebit, dum infrà in hoc Exam. n. 10. & 11. explicabitur, quomodo virtus consistat in medio.

* 6 *Quarta*: Virtus est *dispositio perfecti ad optimum.* Ita Arist 3. Phys. c. 3. Sensus est, quòd virtus sit qualitas, seu dispositio constituens perfectum, seu in esse perfecto, ac complens potentiam ad eliciendum actum: actus enim dicitur vltimum potentiæ. Quia actus est vltimum potentiæ complementum, cùm quodlibet sit propter suam operationem, vt habet commune Axioma.

* 7 QUÆRO III. Quodnam est subiectum immediatum virtutis? Prænotanda sunt verba S. Thom. hic q. 55. art. 2. in c. 2. *Virtus humana, de qua loquimur, non potest pertinere ad corpus, sed tantùm ad id, quod est proprium animæ. Vnde virtus humana non importat ordinem ad esse, sed magis ad agere, & ideò de ratione virtutis est, quòd sit habitus operativus.* Ex

quo

quo q. seq. art. 1. in c. infert, quod *virtus humana est in potentia animæ, sicut in subiecto* immediato, & proximo, non verò in essentia animę, nisi mediatè, vtpotè, quæ iuxta S. Thom. non est immediatè operativa, sed operatur mediantibus potentijs intellectivis, intellectu, voluntate, &c. Hoc prænotato.

* 8 *Resp.* 1. Intellectus speculativus, id est, sumptus secundùm se, & absque omni ordine ad voluntatem, seu vt præveniens motionem voluntatis, est subiectum virtutis secundùm quid talis. Qualis virtutes sunt, intelligentia, scientia sapientia, &c. de quibus agitur in Philosophia, vbi videantur.

Ita S. D. hic q. 56. a. 3. in c. vbi notat, quòd virtus sit duplex. *Una simpliciter talis*, quæ nimirùm facit actum bonum simpliciter, absolutè, seu sine addito, redditque simpliciter bonum habentem, & non solùm dat facultatem agendi, sed etiam facit, quòd aliquis rectè ea facultate vtatur, seu dat rectum illius vsum, vt patet ex prima, & secunda virtutis definitione antè data. Sicut iustitia non solùm facit, quòd homo sit promptæ voluntatis, seu facultatis ad iusta operandum, sed etiam facit, vt iustè operetur. Alia est virtus *secundùm quid tantùm*, quia non reddit opus bonum, nec habentem bonum simpliciter, sed in quadam facultate tantùm, compatiturque vitia voluntatis, vt patet in Theologo peccatore, & talis virtus est scientia. Non enim dicitur simpliciter aliquis homo bonus ex hoc, quòd est sciens, vel artifex, sed dicitur bonus solùm secundùm quid; puta, *bonus Grammaticus*, aut *bonus faber*: quia scientia præcisè sumpta non respicit finem honestum; quem respicit virtus simpliciter talis.

* 9 *Resp.* 2. Intellectus, secundùm quod habet ordinem ad voluntatem rectam, seu prout est mobilis à voluntate per boni honesti, & moralis affectum, sive intellectus practicus, est subiectum virtutis simpliciter, nimirùm prudentię, & fidei Theologicę formaę. Ita S. Thom. loco mox citato. Et *Ratio* patet ex data prima definitione virtutis simpliciter talis, in qua dicitur *qualitas mentis*.

Declaratur exemplum datum de prudentia, & fide. *Cùm enim prudentia sit recta ratio agibilium*, ait S. Thom. citat. *requiritur ad prudentiam, quòd homo se benè habeat ad principia huius rationis agendorum, quæ sunt fines, ad quos benè se habet homo per rectitudinem voluntatis.* Fides verò potest considerari dupliciter. *Primò* præcisè, & secundùm se, vt est informis, & sic est virtus secundùm quid, ac imperfecta. *Secundò*, vt formata per charitatem, quæ est in voluntate, & taliter habet rationem virtutis perfectæ, ac simpliciter.

* 10 *Resp.* 3. Appetitus sensitivus, tàm secundùm partem *concupiscibilem*, quàm *irascibilem*, prout est in homine potens politicè obedire rationi, est subiectum virtutis simpliciter talis; non tamen membra externa. Ita S. Thom. hic *q.* 56. *art.* 4. contra Scotum. *Ante prob. & declaratur.*

* 11 Prænotandum, quòd appetitus sensitivus (quam Theologi sensualitatem vocant) definiatur, quòd sit *inclinatio ad bonum apprehensum per sensum*, sequitur enim cognitionem sensitivam in bruto, & in homine, sicut voluntas sequitur cognitionem intellectivam, & est inclinatio in bonum apprehensum per intellectum, seu rationem, & ob id vocatur appetitus rationalis. Est ergo appetitus sensitivus quasi quidam impulsus vitalis in animali, quo ex ijs, quæ per sensum apprehendit, se movet, vel ad fugiendum, vel ad prosequendum, vt patet in cane, cui dum ostenditur bàculus, fugit; dum panis, accedit, & prosequitur.

Dividitur in partem *Concupiscibilem*, & *Irascibilem*, velut in facultates realiter distinctas. *Concupiscibilis est*, quo animal concupiscit bona per sensum apprehensa, & abhorret à malis ipsi oppositis, habetque sex motus, qui dicuntur passiones, eò quòd fiant cum alteratione, & passione corporis, nimirùm *amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, & tristitia*, seu *dolor*. Appetitus *irascibilis* est, quo animal conatur, & se excitat ab bona ardua, seu difficilia, & contra mala, quibus boni possessio vel impeditur, vel turbatur. Et hæc facultas est propugnatrix partis concupiscibilis, eamque defendit, & habet quinque impetus, sive passiones, scilicèt *spem, desperationem, timorem, audaciam, & iram.*

* 12 Ex quibus colligitur definitio passionis tradita à S. Thom. quòd nimirùm sit *motus*, seu commotio *appetitivæ virtutis sensibilis ex imaginatione boni, vel mali cùm transmutatione corporali.* Et in hoc differt à motu, seu actu appetitus rationalis, seu voluntatis, qui secundùm se non infert alterationem corporis, *v. g.* amor voluntatis. Est enim duplex amor (quod proportionabiliter dicitur de odio) vnus *intellectivus*, seu affectus voluntatis; quo sibi complacet in bono per intellectum apprehenso. Necde hoc hic est sermo. *Alter sensitivus*, & hic est passio appetitus sensitivi, qua sibi complacet in bono sensitivo, seu per sensum apprehenso. Proportionabiliter idem dicitur de duplici desiderio, quod in hoc differt ab amore, quòd sit tantùm boni absentis, amor verò boni absentis, vel præsentis. Delectatio sive gaudium est solùm de *bono præsenti, & possesso.* Fugi habet se oppositè ad desiderium. *Tristitia*, seu dolor est affectus causatus ex apprehensione, nimirum sensitiva, mali præsentis.

Vt explicentur dicti motus partis Irascibilis; Spes, vt passio, definitur sic: *Est passio qua appetitus tendit in bonum sensibile futurum arduum*, seu difficile, *adeptu tamen possibile.* Sicut econtra desperatio est de impossibili, definiturque, quòd sit *passio, qua appetitus recedit à bono arduo, adeptu impossibili*, impossibilitate non metaphysica sed morali, sicut ea dicimus impossibilia, quæ superant nostrum conatum. Spes est duplex, eo ferè modo, quo diximus de amore.

Audacia definitur, quòd sit *passio, qua appetitus insurgit in malum terribile, id est, magnum, fugiendum, superandum.* Sicut audacia erigit animum contra mala, ex spe superandi, eò quòd animal sentiat vires suas esse superiores malo; ita timor deijcit animum ob difficultatem evadendi, & quòd animal sentiat vires suas esse minores, adeòque succumbit. Hinc timor definitur, quòd sit *passio, qua appetitus, succumbit ingruenti malo*, seu futuro *terribili*, ac vix evitabili. De timore vide infrà *T. 7. E. 4. n. 64.* Ira definitur ab Arist. l. 1. de anima, cap. 1. quòd sit *appetitus vltionis aperta cum fervore*, seu ebullitione *sanguinis circa cor.* Dixi *aperta*, quia proprium obiectum iræ est vindicta, seu vltio iniuriæ, non quælibet, sed aperta, quia iratus vult, vt iniuriantem inspiciat, se esse illum, qui ob illatam iniuriam poccat; vt sic eum illatæ iniuriæ pœniteat. De ira vide plura infrà *T. 5. E. 5. n. 80.* His satis necessarijs præmissis.

* 13 *Declaratur* 1. R. 3. cum S. Thom. *art. 4. cit. in c. & ad* 1. paucis transpositis. *Irascibilis*, & *concupiscibilis* dupliciter considerari possunt. Uno modo secundùm se, prout sunt partes appetitus sensitivi communes nobis, & brutis, & hoc modo non competit eis, quòd sint subiectum Virtutis. Alio modo possunt considerari, in quantum participant rationem

rem per hoc, quòd non sunt rationi obedire, & hoc politicæ vitæ fidelium virtutis humanæ, & mixtæ cum politicis aliis nuncupat, perabsurdè ab Aristot. 3. Ethic. c. 10. in subditis fortitudo, quæ non moderatur, & politicæ alias, v. g. audaciam, & similia, definiuntque fortitudo à S. Thom. quòd sit virtus moderans timenda, & audenda, & non absolute virtus infusa perfecta.

* 12 Dicebam hoc 1. D. assignans differentiam, cur in corpore, ac membris eius non sint nisi vnæ virtutes, 2. 2. q. 123. a. 1. ad 3. Alia ratione regitur corpus à anima, & subditus, & non opposito: anima corpus, & omnia in quibus ratio rebi animi nouerit: Vnde Philos. dicit 1. Polit. quòd anima regit Corpus despotico imperio. Id est, sicut Dominus seruis: Et hoc potest omnis corporis membrum ab anima, & propter hoc in membris non est virtus, sed tantùm in anima, sed subditis, & obedientibus non obedit ad omnem rationi, sed habent proprios motus suos, quibus sæpissimè rationi repugnant. Vide in eodem Libro Philosophum dicit, quòd ratio regit subditum, & despoticè, ibidem primum principium, quo dicit regnatur Liberi, qui habent in actibus propriam voluntatem. Et propter hoc etiam appetitus subditi, & concupiscibilis alicujus virtutes, quibus bonè dispensantur ad actum. Hæc 3. D.

* 13 Resp. 4. Appetitus rationalis, seù voluntas est subjectum virtutis formaliter talis, ita vt esti non indigeat habitu virtutis respectu boni propri, si tam ordinis naturalis; bonè tamen respectu boni divini, seu supernaturalis, vt & respectu boni alieni, etiam naturalis. Ita clarè S. Thom. quæst. cit. art. 6.

Ratio. Habitus ponuntur ad superandas difficultates, vt habet commune axioma, vt ipsi mediantibus potentia, alias objecto improportionata, illud attingat. Subsumo 1. Sed voluntas non habet difficultatem ad attingendum bonum rationis proprium, seu privatum, id est, seu suppositi, non solum perfectum, seu & morale, ac bonestum ordinis puræ naturalis; tum quia hoc non excedit proportionem, ac vires voluntatis, tum quia voluntas est ipsamet inclinatio rationalis, seu in bonum rationis, saltem proprium: quod autem est tale per se, non indiget fieri tale per aliud. Subsumo 2. Sed bonum supernaturale, seu divinum excedit proportionem voluntis, etiam quoad totam speciem humanam, & transcendit limites humanæ naturæ, bonum verò proximi excedit quantum ad individuum, vt loquitur S. Th. Eo ipso enim, quòd voluntas est radicata in hoc numero suppositi, determinatur per propriam differentiam individualem ad bonum proprij suppositi. Ergo voluntas non indiget habitu virtutis respectu boni proprij moralis naturalis, quale bonum est, v. g. moderatio propriarum passionum, quòd proindè bonum respicitur, & attingitur à solis virtutibus in appetitu sensitivo residentibus, vt antè dictum est. Et ergo voluntas indiget habitibus virtutum, v. g. fidei, spei, charitatis, &c respectu boni supernaturalis. Et ergo respectu boni alieni, etiam naturalis, nimirum proximi, indiget virtute, quamobrem in eà ponitur justitia, & ejus species, de quibus infra.

Notat hic benè Conzalius: *nefas*, esse quasdam virtutes morales, quæ non tantùm moderantur passiones, sed etiam respiciunt alterum, & ideò eas gentiliter necesse est, & alterum in *voluntate*, alterum in *materia ea* locare. Sic humilitas, prout importat subjectionem ad Deum, eâque pars justitiæ, subest in *voluntate*: prout verò moderatur inordinatam excellentiæ appetitum, quæ moderatio est bonum proprij suppositi, subest in *appetitu sensitivo*. Sic liberalitas, & magnificentia, quatenus temperant pecuniarum prodigalitatem, sunt in *appetitu*, quatenus verò se extendunt ad alios, in quorum vtilitatem impensæ sunt, in *voluntate* residuum.

* 14 QUÆRO IV. Quæ sit divisio Virtutis? De hoc Quæstio agit Aug. Doct. 4. 57. & 61. Retractat. 1. Divisi sunt virtus in *moralem*, quæ perficit hominem in ordine ad vectum, & in *naturam*, quæ voluntatem, & appetitum inferiorem ad rationem reducit. & in *Theologicam*, quæ valdè occupatur circa Deum proximè Deum. *Virtus intellectualis* subdividitur in intelligentiam primorum principiorum, *sapientiam*, *scientiam*, *prudentiam*, & *artem*. De quibus agitur in Philosophia. An virtus intellectualis sit specialior virtus, vel saltem aliquid, vide 2. 2. q. 1. & q. 49. ad 2. & q. 3. in hoc Tract.

Virtus Theologica subdividitur in *fidem*, *spem*, & *charitatem*. De quibus infra in 2. 2. vbi in proprio loco. Virtus moralis, cui præter definitionem nostram datam etiam convenit quælibet definitio data in 2. ad Q. 2. dividitur in quatuor virtutes Cardinales, *Prudentiam*, *Justitiam*, *Fortitudinem*, *Temperantiam*. Quæ vt explicat S. Thom. q. de Virtut. art. 1. Ideò vocantur Cardinales, quia super eas volvitur tota conditio humanæ vitæ, ipsique vitæ conditionibus vniversi vitæ bonestæ, & politicæ istius, & moles humana est. Fortitudinis, & temperantiæ definitio est data antè ad Q. 3. a. 5. in declarat. 1. De Justitia specialiter agetur in 2. 2. q. 57. & S. Prudentia, quæ à S. Chrysost. in 2. Cor. 13. merito vocatur *Lucerna animæ*, & *regina virtutum Regina*, *virtus*, *quæ bona*, & *honesta sunt*, *Magistra*, Prudentia ipsam benè definit ab Arist. & S. Thom. quod sit *recta ratio agibilium*, id est, virtus rectificans intellectum ad benè se habendum circa agibilia, seù quod idem est circa *singibilia*, seù *moralia*. Cum enim intellectus sit *Dux*, ac *Dux* appetitus, & voluntatis, vt rectè agat, regat, ac præcipiat, aliqua virtute indiget, & hæc est *prudentia*. Quæ subdividitur in *monasticam*, id est, personalem privatam, & quasi solitariam, quæ respicit agibilia circa propriam personam, & in prudentiam gubernatricem cujusdam corporis politici, seu Communitatis. Et hæc posterior:

Iterùm subdividitur in *Oeconomicam*, *Politicam*, & *Militarem*. *Oeconomica* regit familiam sub vno quasi tecto, & convictu, ejusque finis est, filios rectè educare, servis benè vti, pacem in familia tueri, possessiones conservare, legitimo quæstui studere. *Politica* respicit plures familias ad constituendam civitatem, vel regnum sub ijsdem legibus convenientes; ejusque finis est pax, & tranquilitas publica. Tandem prudentia *militaris*, seù *Polemica* regit multitudinem hominum congregatam ad vnum particulare negotium, scilicèt ad hostes oppugnandos, ad victoriam reportandam.

Subdividitur prudentia *politica* in *politicam* simpliciter dictam, quâ homines, vt membra se ipsos re-

gunt

gunt in regendo Præfectis in ordine ad bonum commune; & in *Architectonicam*, quæ est in ipso Principe, seu Regente, juxta tres celebres regiminum modos; penes quos eà iterùm potest subdividi in *Monarchicam*, quà unus multitudini præest, *Aristocraticam*, quà pauci, & magnates regunt; *Democraticam*, quà multi, vt Populus, Respub. regunt.

* 17 *Respondeo* 2. Virtus moralis solet etiam dividi in *heroicam*, & *communem*, seù *vulgarem*. Prima est, quæ prorumpit in actum, qui superat communem modum operandi hunc unum; qui actus etiam vocatur heroicus propter excellentiam. Altera est, quæ elicit actum communem, & ordinarium.

* 18 *Resp.* 3. Virtutum iterùm aliæ sunt *acquisitæ*, quæ nimirum studio, seù labore; & iteratis actibus nostris acquiruntur, v. g. habitus temperantiæ acquisitus per frequentiora jejunia; *aliæ infusæ*, quas (vt dictum est *ad Q. 2. num. 2.* in prima definitione virtutis) *Deus in nobis, sine nobis operatur*, seù infundit cum gratia justificante, cujus sunt proprietates, adeòque cum eà connexæ, vti non solum sunt virtutes Theologicæ, sed & morales; v. g. *Fortitudo, Justitia, Prudentia, &c.* sic vt detur prudentia (idem est de fortitudine, & justitia) acquisita, & infusa.

Not. Virtutem posse esse infusam dupliciter, nimirum, vel per se, vel per accidens. Per se infusa est, quando ex natura sua petit à Deo infundi, vti sunt virtutes Theologicæ, & aliæ, quarum in natura nullum est principium, quò possint acquiri. Per accidens infusa est, quando ex propria natura habet, quòd per actus nostros acquiri possit, sed per accidens ex aliqua dispensatione Dei infunditur; qualiter Christo Domino, & Adamo virtutes ex genere suo acquisibiles fuerunt infusæ.

* 19 QUÆRO V. Summe in quovis homine tot virtutes morales infusæ, quot acquisitæ? Et in quo subjecto residunt? In voluntate, vel in appetitu sensitivo? *Resp.* 1. In homine justo ad minus tot sunt virtutes infusæ quot acquisitæ. *Ratio.* Quia eædem materiæ, quæ vt per rationem, & prudentiam naturalem, seù acquisitam regulatæ, sunt objecta virtutum moralium acquisitarum, vt regulatæ per rationem supernaturalem, & prudentiam infusam sunt objecta formalia virtutum moralium infusarum: Sed hæc objecta, etsi *materialiter* sint idem, *formaliter* tamen specie differunt, & penes eà, vt talia virtutes diversificantur. Ergo.

Explicat hoc pulchrè Goner noster per exempla. Moderatio passionum, & delectationum gustus, & tactus vel potest elici, vt expedit ad rectum vsum rationis naturalis, & ad vitam corporalem secundùm regulam naturalis rationis, & sic est objectum naturale, & temperantiæ naturalis, seù acquisitæ. Vel potest expedit ad vitam supernaturalem gratiæ secundùm regulas fidei, & prudentiæ infusæ, quæ (vt eò efficaciùs caro subjiciatur spiritui, & pro peccatis satisfiat) sæpè dictat majorem abstinentiam, & sic est objectum supernaturale, & temperantiæ supernaturalis, ac infusæ. Si homines velint justitiam, quatenus sunt *cives civitatis humanæ societatis* naturalis, habetur objectum specificans justitiam acquisitam; si verò, quatenus sunt *cives Sanctorum, & domestici Dei*, prædicti supernaturali lumine, & ad acquirendam civium cœlestium societatem, habetur objectum supernaturale, specificans justitiam infusam. Idem patet in fortitudine, si nimirum subeat mortem ex motivo præcisè naturali, v. g. pro defensione patriæ: vel ex motivo *supernaturali*, vt contingit in verò martyrio. Idem de Religione patebit infrà *T. 10. E. 1. n. 4.*

* 20 *Resp.* 2. Virtutes morales infusæ versantes circa actiones, quæ sunt ad alterum, vti sunt justitia, ejusque species, ac Religio, residunt in sola voluntate. Quæ versantur circa passiones, v. g. *fortitudo, temperantia, &c.* subjectantur in appetitu sensitivo, & non in voluntate *Ratio* 1. *p.* Quia appetitus sensitivus, ex eò, quòd sit materialis, tantum potest attingere bonum *proprium*; non verò *alienum*, maximè si sit supernaturale. *Ratio* 2. *p.* Virtus in illa potentia residet, cujus actus mediante eà virtute eliciuntur: Sed appetitus sensitivus, non verò voluntas, mediantibus virtutibus infusis circa passiones versantibus, elicit suos actus, v. g. mediante *fortitudine, ac temperantia* elicit moderatos timores, temperatas audacias, moderatum vsum circà delectabilia gustus, & tactus, vt patet, cùm illi non sint actus voluntatis. Ergo.

* 21 *Oppono* 1. contra 2. *p.* Spirituale nequit recipi in *corpore*: Sed appetitus sensitivus est *corporeus*, dictæ autem virtutes sunt spirituales, cùm sint proprietates gratiæ sanctificantis, quæ spiritualis est. Ergo. 2. In *definitione* virtutis superiùs data dicitur quòd sit qualitas mentis: sed appetitus sensitivus non est *mens*, vt constat. Ergo in eò nulla est virtus spiritualis. *Ad* 1. *N. maj.* & oppositum patet in anima rationali, quæ recipitur in corpore. Vel *dist. maj.* nequit recipi in subjecto *corporeo*, vt ab eò perficiatur, seù ex suâ indigentia, *C. maj.* vt subjectum perficiat, & evehat, seù ex indigentia subjecti, *N. maj.* & concessâ *min. dist.* similiter *conc.* Vel aliter *dist. maj.* Spirituale, quod eminenter, & vt quà non est corporeum, *C. maj.* si sit, vti à pari ex Philosophia constat de anima rationali, *N. maj.* & sic *dist. min. N. conc. Ad* 2. patet in forma Responsio suprà in explicatione eiusdem definitionis in hoc *Exam. hum.* 2.

* 22 QUÆRO VI. Quæ sunt Virtutum proprietates, Theologo morali, & Confessario maximè scitu necessariæ? *Resp.* 1. Omissis aliis, potissimæ sunt duæ, scilicet *mediocritas*, & *connexio*. De quibus S. Thom. agit hic *q. 64. & 65.* De virtutum connexione dicam postea specialiter *ad Q. 8. num. 13.* Pro explicatione mediocritatis.

* 23 *Resp.* 2. Omnes virtutes morales consistunt in medio, & quidem, quæ circa passiones sunt, vt temperantia, fortitudo, &c. in medio rationis; illæ verò quæ immediatè, & directè versantur circa actiones, vt justitia, eiusque partes, seu species, &c. secundùm rationem suam specificam in medio rei. ance Prob.

Not. Quòd Theologi in Virtutibus distinguunt duplex medium; vnum *rationis*, alterum *rei*. Primum est, quod non ex rei natura est præfixum, nec est pro omni homine, loco, & tempore fixum, & determinatum; sed variatur variatis *locis, temporis, & personis* circumstantijs, adeòque non est idem apud omnes homines, v. g. ponamus, quod comedere bovem sit medium, ac proportionatum, giganti, quia non est plus, nec minùs debito: attamen respectu alterius hominis non erit medium sed excessus: si verò dicto giganti solùm apponeretur vnus assus auter, vel lepus, esset defectus: necesse ergo est, vt inter hæc extremâ, scilicet inter defectum, & excessum sit medium. Ex quo ab oppositò patet, medium rei esse illud, quòd ex natura rei *est unum*, & pro omni homine, & loco idem. Hos notato.

Prima

Prima pars, quòd scilicet omnis virtus moralis consistat in medio, patet ex ipsis terminis definitionis: [illegible] & clarè docet S. Thom. *1. 2. q. 64. art. 1. huius.* Medium constituendum est, vbi potest peccari minùs, vel per defectum, vel per excessum: Sed in quo potest peccari per defectum, vel per excessum: Sed in obiecto omnis virtutis moralis, vt patet Inductione. Ergo.

Secunda pars, quòd scilicet omnis virtus moralis constituta in medio, possit aliquando deficere per excessum, docet S. Thom. *1. 2. q. 64. art. 1. huius.* Medium constituendum est illi, vbi potest peccari minùs, vel per defectum, vel per excessum: Sed in quo potest peccari per excessum, vel per defectum: Sed in obiecto omnis virtutis moralis, vt patet Inductione. Ergo.

Tertia pars, quòd scilicet omnes virtutes morales constituta in medio, possint aliquando deficere per excessum, docet S. Thom. *1. 2. q. 64. art. 1. huius.* Medium constituendum est illi, vbi potest peccari minùs, vel per defectum, vel per excessum: Sed in quo potest peccari per excessum, vel per defectum: Sed in obiecto omnis virtutis moralis, vt patet Inductione. Ergo.

Quarta pars: Quod scilicet Virtutes morales, quæ sunt circa passiones, habeant medium rationis, docet S. Thom. *1. 2. q. 64. art. 2.* & confirmatur ex dictis Cicer. *Virtus est habitus animi naturæ, seu rationi, & vitæ humanæ valde consentaneus, seu perfectus, & valetudo animi quædam, & perfectum, & quasi quædam vis animi constans, & perpetua, quæ non tempore aliquo, sed semper in omni vita, quæ non semper eadem, sed eiusdem semper modi cursus conficiat.* Item est definitio, cui non præcise, vel una regula propriè adæquatum assignatur. Ergo.

Quinta pars, quòd scilicet Intellectus pars moralis, dicatur à S. Doctore. *Loco citato.* Quia obiectum Intellectus est indivisibile, & ad modum discursandi vel ratiocinandi variabile, cum ex natura sua potest, vt rationi naturæ, quantum debetur, & fieri possit, fulgendo æqualitatem rei ad rem, æqualitatem, inquam, vel inæqualitatem, seu quantitatis ac quantitatem quam rectè Intellectus communicat, dum mutuandi decem florenos libro rectè dicam: vel æqualitatem proportionis ad proportionem, quam rectè Justitia distribuit, quæ non dat cuilibet æqualiter, sed juxta meritum, & dignitatem: Ita vt habenti meritum, & dignum, detur præmium vt suo: habenti meritum, & dignum, detur præmium vt dignum.

Dixi, in 2. quòd Intellectus medium rei petat secundùm rationem, & non secundùm rem; si enim consideretur secundùm quantitatem rationis virtutis moralis, medium rationis istius in ea admittendum est: dum actus Intellectus, non minùs ac aliarum virtutum moralium; sit regulandus per rectam rationem, ac prudentiam; vt numerum rectè debito tempore, ac loco.

* 12 *Oppone contra 1. §.* Pœnitentia est virtus moralis: Sed hæc non consistit in medio. Ergo non omnis virtus moralis consistit in medio. *Tenet min.* Medium virtutis moralis debet esse inter duo extrema, quorum vnum sit *defectus*, alterum *excessus*: Sed, licèt in pœnitentia possit esse *defectus*; nequit tamen esse *excessus*; quamcumque enim quis doleat, peccatum semper maiore dolore est dignum. Ergo. *Item* potest obiici de virtute Religionis, quæ est virtus moralis, eiusque actus, & obiectum est *cultus Divinus*, in quo non potest esse excessus: quia Deus semper maiore cultu dignus est. Ergo.

Ad Oppos. de pœnitentia dist. ultima min. In eâ non potest esse excessus præcisè quantum est ex parte obiecti, *C. min.* quantum est ex parte subiecti, *N. min. & cons.* Licèt ergo obiectum pœnitentiæ, scilicet peccatum, maiore semper dolore dignum sit, contingit tamen, proh dolor! Ex parte subiecti pœnitentis, vt aliqui de insignibus peccatis minùs, ac par est, doleant, hocque est defectus: vel quòd propter ex meriti, [illegible] fi[illegible]ngant, vt exemplo *Cæsar*, & *Pontius Pilatus* de pervulgatis dispensatores fidei suæ, & corpore mendij. Cùm ergo omnis pœnitens circa se ipsum virtutem pœnitentiæ se, omnis autem pœnitentia juxta S. Thom. *4. d. 4. q. 1. art. 1. q. 4.* prudentia debeat moderari, medium sui moderatum in pœnitentia fructuosa est pœnitendi.

Eodem modo 3. ad illud de Religione, cùm etiam in cultu Dei ex parte subiecti colentis sæpe sit *defectus*, vel *excessus*, vt si minùs fidus Deus colatur pro vero, vel fictum Ethnici, & Pagani: vel licet quatur veras Deus, non ea cum cultus modo honesto, debito, & consentaneo, sed vel superstitiosè à vera religione, vt faciunt *Judæi*; vel ad finem aliquem illi contrarium, vt in errore contra fidem fundato, vt faciunt *Turcæ*, & *Hæretici*.

Contra hanc solutionem sonat est *Infamia*. In exercitio Virtutum Theologicarum etiam potest esse excessus ex parte subiecti, v. g. *amoris, zeli, credendi*, vt si quis contendat amore divini, & contemplationis exercitio se habilitare, vt fiat debilitatem corpore, & simile laboremus ad plura, vel si quis quantum immediate divina contendat profiteri se beatissimam contemplationem sine labore, & meritis *insanus*: Sed propter hoc Virtutes Theologicæ non sunt morales. Ergo nec Pœnitentia, Religio, &c. ideo sunt morales. Vel dico simile non subsistit. Pœnitentia habet [illegible].

* 24 QUÆRO VII. Virtutes Theologicæ consistunne in medio? *Respondeo* cum S. Thom. *1. 2. q. 64. art. 4. parte*, & ex parte obiecti non consistunt in medio, indivisibili per accidens, & ex parte subiecti. *Ratio.* Quia ex parte *mensuræ* in exercitio harum virtutum non potest peccari per excessum, vel solum ex parte *mensuræ*, vt probat facta Inductione. Vide S. Thom. *ibi. art. 4. in fine corp.* Ibi asserit: in omnibus, in quibus consistit virtus in medio, contingit peccare per *excessum*, item, & per *defectum*: Sed circa Deum, qui est obiectum virtutis Theologicæ, non contingit peccare per excessum, dicit enim Ecclesiast. *Benedictionem Dominum exaltabis illum, quantum potes, major est enim omni laude.* Ergo virtus Theologica non consistit in medio.

Dubitabis hic 1. dices: *Nunquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere, nec sperare in ipsum, quantum debet. Vnde multò minùs potest ibi esse excessus, & sic omnis talis virtutis non consistit in medio, sed tantò est melius, quantò magis accedimus ad summum.* Et hanc S. D. dicit esse mentem ex parte ipsius virtutis Theologicæ, nempè Deum ipsum. Subdit: *Alia Regula, vel mensura virtutis Theologicæ est ex parte nostra, quia cùm non possimus sperare in Deum quantum debemus, debemus tamen sperare in ipsum credendo, sperando, & amando secundum mensuram vestræ conditionis. Vnde per accidens potest in virtute Theologica constituti medium, & extrema ex parte nostra.*

* 26 *Oppone contra 1. §.* Spes, quæ est virtus Theologica medium est inter *desperationem*, & *præsumptionem*. Similiter etiam fides incedit media inter contrarias hæreles. Nam confiteri in Christo vnam Personam, & duas naturas, medium est inter hæresim Nestorij, qui asserit *duas Personas, & duas naturas*, & hæresim Eutychij, qui dicit *vnam Personam, & vnam naturam*. Ergo virtus Theologica consistit in medio.

Ad hoc S. Thom. Scripto 3. d. 3. ait: Spes est media inter

inter præſumptionem, & deſperationem ex parte noſtra, in quantum ſcilicèt aliquis præſumere dicitur ex eo, quòd ſperat à Deo bonum, quod excedit ſuam conditionem; *vel non* ſperat, quod ſecundùm ſuam conditionem ſperare poſſet; non autem poteſt eſſe ſuperabundantia ſpei ex parte Dei, cujus bonitas eſt infinita. Similiter etiam fides eſt media inter contrarias hæreſes, non per comparationem ad obiectum, quod eſt Deus, cui non poteſt aliquis nimis credere, ſed in quantum ipſa opinio humana eſt media inter contrarias opiniones. Hæc ibi.

Ex his inſtantia ante Q. 7. facta ſolvitur in forma: Poteſt eſſe exceſſus ex parte *ſubiecti*, per accidens ſolùm reſpecti, *C. maj.* per ſe reſpecti, *N. maj.* & conceſſa *min. N. conſ.* Diſparitas ergo eſt, quia conditio *ſubiecti* ingreditur ipſam rationem virtutis moralis. Ergo reſpicitur ab ea per ſe. *Prob. ant.* Virtus moralis reſpicit ſuum obiectum, vt regulatum regula prudentiæ humanæ, ſaltem infuſæ, quæ eſt finita, & per ſe conſiderat omnes conditiones individuales, inter quas eſt conditio ſubiecti, quod proinde etiam debet reſpici à pœnitentia, quæ eligit dolere de peccatis ſecundùm rectam rationem, *quando, quomodo,* & *quatenus oportet*. Ergo ſi quod medium in ea ſtatuitur, etiam ex parte *ſubiecti*, hoc ſimul ſe tenet ex parte *obiecti*. Verùm virtutes Theologicæ per ſe ſolùm reſpiciunt *obiectum*, vt regulatum, & menſuratum à divina perfectione, quæ eſt infinita: vndè nunquam attingunt obiectum ſuum, ita vt non ſit meliùs magis, & magis illud attingere. Ergo ex natura ſua non habent *extrema*, nec *medium*, ſed merè per accidens ex imperfectione ſubiecti.

* 27 QUÆRO VIII. Quomodo intelligitur altera virtutum proprietas, ſcilicèt connexio earum? Ante R. *Not.* non eſſe hìc quæſtionem de virtutibus *intellectualibus*, has enim non eſſe neceſſariò connexas, patet: cùm in Philoſopho peccatore ſit ſcientia ſine prudentia, & ars poſſit eſſe ſine ſcientia: nec eſſe quæſtionem de *Theologicis*, nam de fide eſt, fidem, & ſpem (nimirùm informem) poſſe eſſe ſine charitate, vt probat S. D. *hìc q. 65. art. 4.* & patet in peccatore fideli, & non deſperante. Sermo ergo eſt de virtutibus moralibus, non quidem infuſis (cùm enim omnes illæ ſint proprietates gratiæ, omnes ſimul ſunt inter ſe, & cum gratia) ſed de acquiſitis, & naturalibus. Et hæ adhuc dupliciter poſſunt conſiderari: 1. In ſtatu imperfecto. 2. In ſtatu perfecto. Quod S. D. cit. art. 1. ſic explicat: *Virtus moralis imperfecta, vt temperantia, vel fortitudo, nihil aliud eſt, quàm aliquà inclinatio in nobis exiſtens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, ſive talis inclinatio ſit in nobis à natura, ſive ex aſſuetudine, & hoc modo accipiendo virtutes morales, non ſunt connexæ. Videmus enim aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua conſuetudine eſſe promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non eſt promptus ad opera caſtitatis. Perfecta autem virtus moralis eſt habitus inclinans in bonum opus boni agendum, & ſic accipiendo virtutes morales, dicendum eſt, eas connexas eſſe.*

Dixi. *Eſt habitus*, quia virtus imperfecta poteſt dici, quòd ſit in ſubiecto per modum diſpoſitionis mobilis, & non tribuat firmam facultatem vincendi tentationes, & alia, quæ rectitudinem impediunt; ſi verò hanc firmitatem tribuat, eſt virtus perfecta.

Notat vlterius S. Thomas, Virtutes Cardinales poſſe accipi primò, tanquam generales quaſdam conditiones ad quodvis perfectum virtutis opus concurrentes, ſic vt *diſcretio* pertineat ad prudentiam, *rectitudo* ad iuſtitiam, *moderantia* ad temperantiam, *firmitas animi* ad fortitudinem. Et ſecundùm hoc manifeſtè apparet ratio connexionis; quia perfectum virtutis opus debet eſſe *diſcretum, rectum, moderatum, & ſtabile*. Poſſunt ſecundò accipi hæ virtutes magis propriè, nimirùm pro ſpecialibus habitibus, quorum cuilibet ſuum proprium correſpondet obiectum, circa quod effectum rectificet. Et in hoc ſenſu pro deciſione quæſiti.

* 28 *Reſp.* Virtutes morales acquiſitæ in eſſe perfecto ita inter ſe ſunt connexæ, vt, qui vna caret, nullam in ſtatu perfecto habeat. Ita clarè *S. D. q. 65. art. 1.* probat ex *S. Auguſt. Gregorio, Tullio*, contra Scotum. *Ratio S. Thomæ*: Prudentia perfecta non eſt ſine comitatu omnium virtutum moralium: Sed perfecta virtus moralis nequit eſſe ſine perfecta prudentia, cùm iuxta definitionem ſit habitus electivus prout prudentia dictaverit. Ergo. *Maj. prob.* Principium, quo fundamentaliter nititur perfecta prudentia, eſt appetitus perfectè rectificatus circa fines: Sed hic non habetur, niſi homo habeat omnes virtutes morales, cùm nulla ſit, quæ non aliquid contribuat ad perfectam, ac integram appetitus rectitudinem. Ergo. *maj. prob.* Prudentia iuxta ſuam definitionem eſt recta ratio agibilium, ſeu eligibilium (vbi *NB.* quòd electio ſit circa media, ſicut prævia intentio eſt circa finem:) Sed nequit eſſe recta ratio eligibilium, niſi appetitus ſit rectificatus, id eſt, rectè affectus circa fines, quia eligibilia, ſeu media dependent ab intentione finis. Ergo.

Declaratur vlteriùs. Per virtutem moralem perfectam intelligi debet illa, quæ eſt in tali ſtatu, vt tribuat non ſolum vim promptè, & delectabiliter operandi, ſed & firmam facultatem omnibus rectitudinem corrumpentibus obſiſtendi: Sed id nequit, niſi habeat omnes virtutes morales. Ergo. *Min. prob.* Experientia probat, quòd homo *manſuetus* fiat *crudelis* ex libidine, ſeu ex defectu virtutis caſtitatis; *Sicut David* fuit mitiſſimus, & tamen ex impudico amore Bethſabeæ, cius maritum expoſuit neci. *Iuſtus Iudex* ſi non ſit ſimul liberalis, ſed avarus, muneribus facilè corrumpitur. *Homo fortis*, ſed voluptuoſus, facilè emollitur voluptatum illecebris, vt conſtat in Annibale, quem non Romana virtus ſed Campanæ delitiæ fregerunt. Ergo ni homo habeat omnes virtutes morales, numquam habebit rectum appetitum, nec firmum iudicium de bono.

Ex his colligitur, quòd materiæ morales ita inter ſe ſint connexæ, vt defectus vnius redundet in aliam. Item omnes virtutes acquiri, vel dependi ſimul, non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad ſtatum perfectionis: adeòque non poſſe impensè coli perfectè vnam, niſi habeantur omnes, ſi nimirùm ſint tales, quarum ſubiectum eſt capax.

* 29 *Oppono* 1. Tota definitio virtutis convenit temperantiæ ſine fortitudine. Ergo poteſt ſine ea acquiri. 2. *Una* ſcientia poteſt acquiri ſine alia. Ergo, & virtus. 3. *Virtutes*, de quibus hìc agitur, non acquiruntur niſi per proprios actus: Sed poteſt homo exercere actum vnius virtutis ſine actu vlteriùs. Ergo & acquirere vnam ſine altera. *Min. prob.* Pauper poteſt exercere actum humilitatis, non tamen poteſt actum liberalitatis, ac magnificentiæ, & ſi coniugatus ſit, nequit exercere actum virginitatis: immò omnium virtutum obiecta non ſimul occurrunt. Ergo. 4. *Fundamentum* datę reſolutionis eſt valdè ruinoſum; prudentia enim eſt prior virtutibus moralibus, cùm hæ per illam acquirantur. Ergo prudentia eſt perfecta ſine illis.

Ad 1. diſt. conſ. Ergo poteſt acquiri in eſſe imperfecto,

finem. C. in esse perfecto. N. Contra. Nihil reale adhuc vel virtuti vel fortitudini adnectitur. *Ergo. Dist. an. Ergo. C. tr. dialog. N.* Sanctus ergo ille perfectius hoc vel illo, non per novas formales perfectiones adnexas, sed per simplicissimam aliarum virtutum in eodem subjecto concentrationem. Sicut enim facile potest quis unam cornua, quam non potest bene ire; sic facilius operandi unam regulam habebit cum aliis virtutibus, non sine illis.

Ad 2. N. concl. Quia formalis ideæ est de omnibus virtutum circa materias diversas, & in via simplicissima earum adnexam. *Contra.* Sobrietas variis perfectionibus partialibus perficibile potest partiali ratione esse alia, & plura in actualitate. *Ergo. Dist. an. Si perfectiones sint in concreto. C. tr. Si sint. N. Ad prob. dist. an. Non potest subsistere adnexa formaliter, negativa formali, negativa exclusiva, C. an. formaliter, abolitiva: absolutiva, C. an. conditionata, vel similem habitus connexionem, & dependentiam, non tamen bene connexitur. N. an. & hoc sufficit etiam quoad majorem gratiam, quod sine illo impossibile.* De quo vide T. 3. E. 2. n. 9. Quæ in forma inclusa pollet, non hoc loco de virtutibus habentibus suo progressum. *Ad alia dicitur ult. Et sic alias conditionali sufficiunt ad id quod habeant illarum virtutum, quarum munera non obturbit, nisi in certo casu, vel hanc prædicte: adhuc enim propinqua ad virtutem omni simul connexionem materiæ, & objecta subinde calvis occurrant, etiam simul in vitio latente gravio; simul, inquam, & non frustrare pericula, & in vitio ista ad, talium simultate mortali, seu brevi temporis spatio.*

Ad 4. R. Prudentiam esse aliis virtutibus priorem, & perfectiorem; priorem in genere causæ efficientis. Vel, esse priorem in esse imperfecto, positionem in esse perfecto. Et hoc obtinebit adhuc. *Secus*, vi suam materialem talvei, docet, non esse prudentiæ speciei illibitas, quæ suas virtutes morales, ita vi actus prudentia regulativa infimæ, alia temperantiæ, &c. Sed refutatur a Conct. *hic n. 6. n. 2. & 3.* vbi videri potest.

* 30 QUÆRO IX. Virtutes morales acquisitæ utrumne veram rationem virtutis sine charitate? *Resp.* Veræ virtutes quoad substantiam, seu substantiam possint acquiri, ac conservari sine charitate, v. g. *Justitia. Temperantia, Fortitudo, &c.* non tamen virtutes simpliciter, & perfectè tales, seu quoad statum perfectionis. Ita S. Doctor *2. 65. art. 2. Ratio ultimo[ad] patet.* Per frequentes actus acquisitus habitus: Sed homo in peccato mortali, adeoque sine gratia, & charitate, existens, non semper operatur malè, sed potest se exercere circa virtutum moralium, v. g. *Justitia, Temperantia, &c.* materias, vt ipse S. D. exemplificat in Gentilibus Justitiam servantibus. Ergo potest acquirere aliquem habitum. Sed hic habitus respicit determinatum objectum, quod est de genere bonorum, eique convenientes definitiones virtutis superius *ad Q. 1.* traditæ. Ergo est virtus; non *perfecta*, quia non habet adjunctam perfectam prudentiam, hæc enim corrumpitur per peccatum, nec facit habentem simpliciter bonum; nemo enim in peccato mortali existens potest dici simpliciter bonus, & caret ordine ad ultimum finem verum, tam naturalem, quam supernaturalem, saltem quantum est ex parte operantis. De quo vide T. 3. E. 1. n. 7. *Pruner.* charitas est forma virtutum perfectarum. De quo vide T. 7. E. 5. n. 5. vii, & de fide informi, ibid. E. 1. n. 2. Ergo sine charitate est virtus habitus imperfecta, attamen vera quoad substantiam, respiciens finem ultimum verum, saltem ex parte operis *imperfecta*, impedita, & quidem non *imperfecta*, vt vix contrahat nexum virtutis, vtpotè habitus potius *dispositivus*, quam *habitus*, cum facile se retrahit a subjecto ob pravum appetitus dispositionem, quia non habet tantum facultatem obstandi contrariis rectitudinem appetitus impedientibus.

* 31 QUÆRO X. Maneantne in Patria virtutes in via acquisitæ? Aut virtutes intellectuales, scientia, & alia? Vel (idem virtutes Theologicæ? *Resp. 1. ad 1. 1. cum* S. Thoma *in q. 67. art. 1. sed contra.* Virtutes morales in patria via non manent quantum ad id, quod est *materiale* in eis, non enim habebunt in patria vitæ locum continentiæ, & tolerationes cibarum, & venereorum, et vel etiam timoris, & audaciæ circa pericula mortis, nisi per quam difficultates, & tormentationes mortis, quæ radicaliter in vera pretensa vita: sed quantum ad id, quod est *formale* manebunt in Beatis perfectissime possibiliter, in quantum ratio voluntatis perfectissima est circa id quæ ad ipsam perfectam fruitionem finem boni finis S. O.

Infra ad 2. 3. cum S. Thom. *3. dist. 2. q. 2.* Virtutes intellectuales post hanc vitam manent quoad ea, in quibus quoad *formale*, quod est in ipsis, vis intuitiva quod species intelligibiles in intellectu possibili servatas: non tamen manent quoad *materiale*, id est, quoad phantasmata: à quibus species per intuitivam agentem extrahuntur. Quia in patria non per cognitio per conversionem ad phantasmata, sed videbimus Deum facie ad faciem, & omnia ad Deum cognitum speculabimur, in ipso Deo, seu in essentia divina, vt in specie, nec dicitur *habitus* gloriæ.

Infra 3. ad 3. p. cum S. D. *q. 11. a. 3. & 4.* In patria non manet *fides*, nec *spes*, sed charitas. *Ratio.* Non fides propter obscuritatem, quæ non stat cum clara visione. Vide S. Augustin. *Ser. 17. de verb. Apost. Quid est fides? Credere, quod non videt?* Deinde non spes. *Quod enim videt quis, tenet, ac possidet, neque sperat? Rom. 8.* Spes enim est de bono arduo, at difficili, adepto tamen *possibili*, quod non est respectu Beatorum, utpotè, qui iam tunc in possessione Beatitudinis. Sed *charitas manebit eadem*, ait Apostolus *1. Cor. 13.* nec evacuatur per gloriæ perfectionem, sed eadem numero manet, ait S. D. *a. 6.* cum de eius ratione non sit aliquo imperfectio: potest enim esse *habitus*, & non *habitus*, vis. & non *vis.*

EXAMEN II.

De viriis, & peccatis, eorumque distinctione, causis, & effectibus.

S. Thomas 1. 2. quæst. 71. usque ad quæst. 90. exclusivè.

* 1 DOctrinam hanc Confessario esse scitu necessariam, patet ex *R. ad Q. 1. E.* præcedenti. Undè QUÆRO 1. Quid est vitium? esne idem, quod peccatum? esne omne vitium, & peccatum contra naturam hominis? *Resp. 1.* Vitium rectè sic definiri potest. Est *mala qualitas animi, quæ malè vivitur, quæ nemo bene vivitur.* Vel est *dispositio imperfecti ad pessimum.* Quæ definitiones intelliguntur oppositio modo ad definitiones virtutis *in E. præcedenti.*

cod. ad Q. 2. datas. In qua nimirum *virtute*, ſicut invenitur bonitas, ita in *vitio*, & peccato eſt malitia. Quæ an formaliter ſit mera privatio bonitatis, dicetur infrà.

* 2 *Reſp.* 2. In communi modo loquendi vitium, & peccatum ſumuntur quidem pro eodem, attamen propriè loquendo non ſunt idem. Vitium enim ſignificat *habitum*, vel *diſpoſitionem permanentem*, peccatum verò ſignificat *actum*, qui ab habitu vitioſo procedit, vel eum generat.

* 3 *Reſp.* 3. Omne vitium, & peccatum eſt contra naturam hominis, non quidem *ſenſitivam* (quam proh dolor ſequuntur multi nimis!) ſed rationalem. *Ratio.* Quia, vt loquitur S. Thom. hìc *q. 71. a. 2.* omne vitium, & peccatum eſt contra ordinem rationis, quatenus homines ſumus, & à brutis diſtinguimur. *Ergo.*

* 4 *Oppono* 1. contra 3. R. Potentia peccandi, eſt homini naturalis. Nam Sap. 12. dicitur: *Erat naturalis malitia eorum.* Ergo peccatum non eſt contra, ſed iuxta naturam. 2. *Si peccatum* eſt contra naturam hominis, ſequitur, quòd ſit ei violentum. 3. *Aliqua* peccata, nimirum *beſtialitas*, *ſodomia*, &c. dicuntur in hoc ab alijs differre, quòd ſint contra naturam. Ergo non omnia.

Ad 1. N. ant. Quia poſſe peccare non eſt *potentia*, ſed *defectus potentiæ*: homo ergo nullam habet potentiam ad peccandum ordinatam. Illud Sap. 12. intelligitur, vel de peccato *originali*, quod cum natura traducitur, vel ſi de *actuali*, & perſonali, ly *naturale* accipitur pro eo, quod eſt conſuetudinarium. Quia, vt dici ſolet, *conſuetudo eſt altera natura.*

Ad 2. N. ſeq. quia violentia iuxta phyſicos, debet eſſe ab extrinſeco *paſſo* poſitivè reſiſtente, vt patet in motu lapidis ſurſum: voluntas verò dum peccat, ſe ipſam ab intrinſeco ad bonum ſenſibile inclinat: licèt etiam interdum externa moventia, *v. g.* obiectum, diabolus, mundi voluptates, &c. non deſint. Undè eſt illud: *Mundus*, *Caro*, dæmonia, diverſa movent prælia.

Ad 3. diſt. ant. Differunt, quòd ſint contra naturam ex ratione quadam ſpeciali, *C. ant.* ex ratione generali tantùm, *N. ant. & conſ.* Vitia ergo, & peccata in hoc non differunt, quòd aliqua ſint, aliqua non ſint contra naturam, ſed in hoc omnia conveniunt, hominemque, ordine rationis inverſo faciunt comparari iumentis inſipientibus. Habent tamen hoc *ſodomia*, & *beſtialitas*, quòd dicantur peccata contra naturam ex ratione etiam ſpeciali, & per Antonomaſiam: eo quòd habeant maximam, & graviſsimam turpitudinem, repugnentque homini, non tantùm ſecundùm ſpeciem, *vt homo eſt*, ſed etiam ſecundùm genus, *vt animal eſt*, cùm etiam bruta à ſimilibus abhorreant: vt non immeritò S. Bernardus dicat, hominem per eà fieri *beſtijs beſtialiorem.*

* 5 QUÆRO II. Quid eſt, & quomodo definitur peccatum? *Reſp.* cum S. Thom. *hìc q. 71. a. 6.* ex S. Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 27. *Eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Ubi tamen NB. quòd dictum, factum, vel concupitum, non ſumatur hìc pro rebus *dictis*, *factis*, vel *concupitis*, ſed pro ipſis *dicendi*, *faciendi*, vel *concupiſcendi* actibus, qui ſecundùm ſe ſunt *materiale* peccati, & difformitas ad legem in ijs reperta, eſt *formale.*

* 6 *Data definitio* convenitne peccato veniali, & peccato omiſſionis? *Ratio dubitandi eſt*, quia iuxta S. Thomam peccatum veniale non eſt *contra*, ſed *præter legem*, & in peccato omiſſionis nihil fit, nihil dicitur, ſed ſolùm aliquid omittitur. Quo non obſtante. *Affirmo vtrumque*, ſic, vt illa definitio primariò quidem conveniat peccato *mortali*, ſecundariò tamen peccato *veniali*: nullum enim peccatum eſt, quod non ſit contra aliquam legem, ſaltem imperfectè. Undè quando S. *Thom.* docet, peccatum *veniale* eſſe præter legem, non negat eſſe contra, ſed ſolùm ita loquitur, quia non eſt perfectè contra ordinem, aut finem legis, qui eſt charitas, iuxta illud 1. Timoth. 1. *Finis præcepti charitas*: vtpotè cum qua ſtat, nec eam deſtruit. Peccato omiſſionis data definitio convenit in hoc ſenſu, vt ſit non *dictum*, non *factum*, non *concupitum*, iuxta legem Dei æternam. Undè hæ negationes in illa definitione virtualiter ſubintelliguntur. *Ratio.* Quia in moralibus negatio ſæpè reputatur pro facto, iuxta illud S. Ambroſij: *Si non paviſti, occidiſti*, nimirum eſurientem, cùm *potuiſti.* Ex his ſoluta eſt ratio dubitandi. Quid ſit lex æterna Dei, dicetur infrà de Legibus.

* 7 *Quid ſi omne peccatum* ſit contra aliquam legem (vt dixiſti in definitione) & lege prohibitum, quomodo ergo ſalvas illud antiquum axioma: *Non omnia ſunt mala quia prohibita, ſed aliqua ſunt prohibita quia mala.* Ergo aliqua ſunt mala ante prohibitionem legis, vti ſunt actus intrinſecè mali, *v. g.* mendacium, odium Dei, &c. ſicut econtra, *v. g.* comedere carnes die veneris, eſt præcisè malum quia prohibitum?

Ad hoc R. cum S. Thom. hìc *q. 71. a. 6. ad 4.* dicente: *Cùm dicitur, quod non omne peccatum, idèò eſt malum, quia eſt prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius poſitivum. Si autem referatur ad ius naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna, ſecundariò verò in naturali indicatorio Rationis humanæ, tunc omne peccatum eſt malum, quia prohibitum: ex hoc enim ipſo, quod eſt inordinatum, iuri naturali repugnat.*

Sunt ergo mala, antequam prohibeantur per legem poſitivam, divinam, vel humanam, non verò ante legem æternam Dei, & naturalem. Cum verò dicitur, quòd ſint mala intrinſecè, & ante omnem legem, eſſentque talia, licèt nulla daretur lex, idolùm verum eſt de malitia fundamentali, & initiativa, per quam ex ſua natura divinis Attributis, & rationalis naturæ perfectioni repugnat, & quæ Deo fundamentum præbet, vt ea lege æterna prohibeat, ac naturali; non autem verificatur de malitia formali, & completa, ſed hanc habent poſt prohibitionem.

Magis hæc patebunt infrà in *T. 6. de Legibus*, *C. 1.* vbi explicabitur, quid ſit lex *æterna*, *naturalis*, & *poſitiva*: quæ duæ poſteriores à prima derivantur, ſumunque veluti radiùs ab eà participatus, ſic vt quidquid immediatè eſt contra eas, ſit etiam mediatè contra legem æternam, ſeù contra mentem, & voluntatem Dei.

* 8 QUÆRO III. Quæ ſunt ſpecies, ſeù diviſiones peccati? *Reſp.* eſſe diverſas. *Prima* ex S. Thom. *hìc q. 81. art. 1.* eſt diviſio in peccatum *originale*, & *perſonale.* Primum derivatur ab *Adamo*, vt Capite, & ab eò originatur, ſeù per originem, ſive generationem transfunditur in poſteros. *Alterum* eſt, quòd propriè, perſonæ peccantis voluntate committitur. *Secunda diviſio* iuxta S. D. *q. 86. art. 1. & 2.* eſt in peccatum *actuale*, quòd eſt actus malus, ac Regulæ morum difformis; & *habituale*, quòd eſt macula in anima ex peccato actuali relicta, in eaque remanens, uſquè dum abſtergatur per pœnitentiam, & gratiam ſanctificantem.

Tertia ex q. 72. a. 6. eſt in peccatum *commiſſionis*, & *omiſſionis.* Primum conſiſtit in efficiente actus

i mali, ac Regulis morum difformis, adeòque pugnat cum præcepto negativo, & ponit actum, qui iubetur *non* poni, vti est occisio hominis iniusta, contra illud: *Non occides*. Peccatum *omissionis* verò est carentia, seù privatio actus debiti, seù lege præcepti, pugnatquè cum præcepto affirmativo, & omittit actum, qui iubetur poni: vti est omissio Missæ in die festo.

Quarta q. 88 *a.* 1. est in peccatum *mortale*, & *veniale*. *Mortale* à morte dictum, est quod infert mortem animæ privans eam vita supernaturali, quæ est gratia, & charitas, & ab vltimo fine avertit, inducitquè reatum pœnæ æternæ. *Veniale*, à venia dictum, quia propter suam levitatem veniam facilè obtinet, est, quòd gratiam, & charitatem non tollit, sed solùm eius fervorem diminuit: nec ab vltimo fine avertit, sed parum quasi divertit, retardatquè ab eius consecutione: ac induxit reatum pœnæ temporalis, solvendę vel in hac vita, vel in altera in Purgatorio.

Quinta divisio q. 72. *a.* 2. est in peccata *carnalia*, & *spiritualia*. *Carnalia* perficiuntur in delectatione carnali, v. g. gula, & luxuria contummantur in delectatione ciborum, & venereorum. *Spiritualia* consumantur in delectatione spirituali, v. g. *superbia*, *invidia*, &c. in sola apprehensione alicuius rei concupitę, vel iam ad votum habitę. Vide infra *Q.* 10. quę ex his sint graviora.

Sexta ex q. 72. *a.* 4. est in peccata, quę committit homo in *Deum*, *proximum*, & in se *ipsum*. Si enim homo Deo non det debitum honorem, & reverentiam, est peccatum in *Deum*, vti est sacrilegium, hæresis, blasphemia, &c. Si homo suas passiones ratione non regulet, peccat in se *ipsum*, vti patet in gulosо, luxuriosо. &c. Si non reddat proximo ius debitum, aut si lædat eius ius, peccat in *ipsum*, vt patet in homicidijs, furibus, adulteris, &c.

Septima iuxta S. D. ibid. *a.* 7. est, in peccatum *cordis*, *oris*, & *operis*, vt patet ex data definitione peccati, *dictum*, *ore*; *factum*, opere: *concupitum*, corde. Si hæc tria procedant ab eodem motivo circa idem obiectum, ita vt vnum sit præparatio ad alterum, & in neutro sistatur, constituunt vnam perfectam peccati speciem, *v. g.* iracundus ex hoc, quòd appetit vindictam, *primò* perturbatur in corde, *secundò* prorrumpit in verba contumeliosa: *tertiò* procedit ad opera iniuriosa, *v. g.* baculando, calophizando, &c. Item homo venereus primo de fornicatione *meditatur*, secundo verbis mulierem, *sollicitat*, tandem in opere cum ea *peccat*.

Verum si hæc peccata ita fiant, vt peccator in quolibet sistat sunt necessariò specialiter explicanda in confessione, *v. g.* delectatur quis in turpi cogitatione, nec vltrà progreditur, est peccatum *cordis*: alius delectatur in locutione impudica, nec vltrà progreditur, est peccatum *oris*: & adu rem faciat, est peccatum *operis*. Etsi enim hæc specie *perfecta* non distinguantur, cùm (vt supponitur) versentur circa idem obiectum: distinguuntur tamen *numero* propter actuum interruptionem.

Octavò aliud est peccatum ex *infirmitate*, seu passione, quod committitur ex gravi tentatione, & motione appetitus sensitivi, voluntatem trahentis ad consensum, sicut Petrus peccavit, ex timore negando Christum: Aliud est peccatum ex *ignorantia*, nimirum culpabili, & vincibili, qualiter peccavit Saulus persequens Ecclesiam Dei, vt de se ipso testatur 1. *Timoth.* 1. Tandem aliud est peccatum ex *certa malitia*, seu de industria, quod nulla passione inciti tante, & nulla ignorantia excusante, sed plena libertate, ac planè libera voluntate committitur, qualiter peccavit Iudas vendendo Salvatorem. De his agit S. Thom. hic *q.* 76 & 77. & 78. Vide in hoc *E.n.* 96.

Nonò. Aliud peccatum consistit in *excessu*, vt si quis plus; aliud in *defectu*, vt si quis minus faciat, *v.g.* comedat, quàm recta ratio dictat. Cùm enim virtus moralis, vt suprà dictum, medium teneat, omnis recessus à medio est vitiosus, hic autem recessus sit vel per excessum, vel per defectum; vt patet in dato exemplo.

Decimò. Alia sunt peccata *propria*, & *aliena*. Propria sunt, quæ motu proprio, nullo alio homine suadente, vel instigante, à nobismetipsis committuntur. *Aliena* sunt, quæ licèt à nobis non committantur, nobis tamen imputantur, quia fumus eorum causa moralis ratione dati consilij, *præcepti*, *suasionis*, *adulationis*, *pro actionis*. aut ob defectum *correctionis*. Quæ videri possunt in Catechismo, vti & peccata in Cœlum clamantia, & de quibus infrà *T.5. E.5. n.*10. peccata in Spiritum Sanctum.

* 9 QUÆRO IV. Quodnam est formale & essentiale constitutivum peccati commissionis? estne quid positivum, vel privativum? Hoc quæsitum non deservit quidem ad praxim Confessarij, quia tamen in hoc Opere (vt ex eius fromilicio patet) pluribus debitor sum, illud est discutiendum.

Dixi 1 in titulo: *Formale constitutivum*. Quia certum est, quòd peccatum commissionis pro materiali sit quid *positivum*, nimirum realis, & physica entitas actus, *v. gr.* in furto physica subreptio rei alienæ, non considerando ordinem ad Regulas morum, nimirum ad rationem, vel legem quæ talem actionem prohibet. Dixi 2. *Peccati commissionis*. Quia peccatum *omissionis*, cùm nihil positivum sit, indubitatum est, quod consistat in solo *privativo*, nimirum in privatione conversionis debita ab objectum conforme rationi. Dixi 3. *Estne quid positivum, vel privativum?* quia in peccato *commissionis* multa possunt considerari. 1. Physica entitas ante explicata. 2. *Ipsius* actus moralitas, considerando actum in ordine ad suum objectum, vt substans regulis morum, nimirum rationi, & legi prohibenti. Ex hoc de inde sequuntur variæ privationes, vt privatio debiti finis, & rectitudinis debitæ inesse actui humano, quam privationem aliqui DD. tenent esse ipsam essentialem peccati moralitatem. *Item* sequitur privatio gratię, & iustitię, aversio ab vltimo fine, &c. Quæstio hic est de secunda consideratione. Quia autem in hujus quęsiti decisione Thomistæ inter se sunt divisi, & pro vtraque sententia adducuntur fortia Angelici Doctoris testimonia, adducam, & solvam vtriusque sententiæ fundamenta, vt quilibet possit eam problematicè defendere. His præmissis.

* 10 *Resp.* An formale constitutivum peccati commissionis consistat in positivo, nimirum in positiva habitudine, seu tendentia ad objectum rectæ rationi dissentaneum: vel in privativo, nimirum in privatione rectitudinis debitę inesse actui asseritur negantibus, & negatur asserenti: *Fundamenta Sententiæ defendantis positivum.*

Angelicus Doctor 1. *p. q.* 48. *a.* 1. *ad* 2. expresse loquens de constitutivo peccati in genere, & linea morali, ait: *Malum, quod est differentia constitutiva, in moralibus est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni*, tanquam fundans eam. Et *q.* 1 de malo ad 12. ait: *Malum positivè aliquid dicitur, secundùm quod actus voluntatis denominatur malus & vitiosus.* Et *q.* 2. *a.* 11. ad 13. inquit: *Peccatum non est privatio pura, sicut tenebræ; sed est aliquid positivum.* Et in 2. Sent. *d.* 37. *q.* 1. *a.*

2. a. 2. ad 4. dicit: *Ipsa privatio, quæ aliquid malum dicitur non potest esse differentia, nec genus, sed unusquisque actus specificatur per aliquid positivè dictum.* Et 2. 2. q. 6. a. 2. ad 2. ait: *Deformitas* (peccati) *non solùm importat privationem debitæ formæ, sed contrariam dispositionem. Unde deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem.* Sed dispositio contraria est quid positivum. Ergo. Quod repetit 3. cont. Gent. c. 9. dicens: *Malum, & bonum sunt contraria; secundùm quod accipiuntur in genere morali.* Et q. 1. de malo, a. 1. ad 4. *In moribus magis, quàm in naturalibus malum contrarium bono dicitur.* Et post pauca ibidem. *Et hoc malum contrariatur propriè bono, & hæc contrarietas ex actibus in habitum transit.*

Tandem hìc q. 72. a. 9. ad 1. docet, *quòd peccatum non sortitur speciem ex parte privationis, vel aversionis, sed ex conversione*, id est, ex ordine transcendentali ad objectum actus. *Subsumo* 1. Sed conversio, & ordo ad objectum est quid positivum. Ergo specificativum, & distinctivum peccati commissionis est quid positivum. 2. *Subsumo* Sed idem est constitutivum, & distinctivum. Ergo formale constitutivum peccati est quid positivum.

2. Rationes variæ id probant. Quarum *Prima* est mox insinuata ex eo, quòd idem sit constitutivum, & distinctivum, quòd in peccato esse *positivum*, probatum est ex S. Thoma. *Secunda Ratio.* Oppositio contraria essentialiter petit extremum positiva, vt patet in *calore*, & *frigore*, *albo*, & *nigro*, in hoc enim differt ab oppositione privativa exigente vnum extremum positivum, & alterum negativum. *Subsumo.* Sed inter actum *bonum*, & *malum* non solùm est oppositio privativa, sed & contraria, non solùm in esse naturæ, & entitatis physicæ, sed etiam in linea morali, vt patet ex S. Thom. cit. Ergo.

Tertia Ratio. Quidquid dicitur de genere, dicitur de qualibet specie contenta sub illo, vt patet in animali, quòd est genus respectu hominis, equi, bovis, &c. veluti specierum, de quibus dicitur omne, quòd dicitur de animali, nimirum esse vivens sensibile. *Subsumo*: Sed iuxta dicta T. 3. E. 3. Q. 3. moralitas vt sic est genus, vel quid superius respectu *bonitatis*, & *malitiæ*. Ergo quod dicitur de moralitate vt sic, dicitur etiam de speciebus. *Subsumo*: Sed ibidem Q. 1. probatum est, & admittitur ab Adversarijs, quod moralitas, vt sic consistat in aliquo positivo. Ergo & dictę species.

Quarta Ratio. Malitia peccati formaliter consistit in illo, in quo peccatum formaliter contrariatur legi, & præcepto, vt patet ex supra data ex S. Aug. peccati definitione, juxta quam est *contra legem*. Sed peccatum legi non semper contrariatur in aliquo *privativo*. Ergo. *Min. prob.* peccatum contrariatur præcepto in illo, quod per præceptum prohibetur: Sed per præceptum non semper prohibetur *privatio*, sed etiam actus positivus. Ergo.

Quinta Ratio. Privatio rectitudinis est carentia eius in subjecto apto, in hoc enim differt à negatione, quæ est carentia formę in subjecto inepto: Sed malitia actus intrinsecè mali, *v. g. adij, mendacij*, &c. non est carentia rectitudinis in subjecto apto. Ergo. *Min. prob.* Actus intrinsecè malus est essentialiter incapax rectitudinis. Ergo. *Sexta Ratio.* Malitia peccati concipitur esse formaliter ante privationem rectitudinis. Ergo. *Prob. ant.* Malitia consistit formaliter in dissonitate ad rectam rationem; Sed pro signo antecedente privationem rectitudinis concipitur actus formaliter esse dissonus rectæ rationi. Ergo. *Min. prob.* Fundamentum privationis est prius ipsa; Sed tendens in objectum rectæ rationi dissonum est fundamentum, ad quòd sequitur privatio, rectitudinis, ideò enim privatur, quia tendit in objectum. Ergo.

Confir. 1. Tendentia ad objectum rectæ rationi dissonum ante privationem debitæ rectitudinis est in genere moris, quia admoralitatem sufficit habitudo ad objectum subsans regulis morum. Ergo. *Prob. ant.* Privationes tantùm causantur per accidens, & ad positionem alterius. Ergo. *Confir.* 2. Actus bonus ex tendentia ad objectum regulis morum conforme, habet suum bonitatem moralem. Ergo actus malus ex tendentia ad objectum difforme suum malitiam. *Confir.* 3. Rectitudo actus non distinguitur ab ipsa positiva tendentia eius. Ergo nec *irrectitudo*.

Septima Ratio. Si malitia peccati commissionis non consisteret formaliter in aliquo *positivo*, esset ideò iuxta Adversarios, quia alias Deus esset causa peccati formaliter sumpti, cùm sit causa omnis entis positivi, quæ tamen sequela est hæretica: Sed hoc non sequitur. Ergo. *Prob. min.* Datur aliquod ens positivum, cuius Deus non est causa. Ergo. *Prob. ant.* Vitalitas, vt talis, seu secundùm explicitam rationem vitalitatis est quid positivum: Sed illa, vt talis non est à Deo, sed à principio coniuncto, licèt creetur à Deo secundùm implicitam rationem entis. Ergo.

Confirmatur hæc Ratio. Moralitas, nimirum bonitas, & malitia moralis, etiam positiva, ab entitate physica actus distinguitur realiter modaliter, seu tanquam modus à suo subjecto, vt pat. ex dict. T. 3. E. 3. n. 1. Ergo divina causalitas potest attingere entitatem physicam actus peccaminosi, quę est bonum quoddam, absque hoc, quòd attingat malitiam, seu tendentiam ad objectum rectæ rationi dissonum, vtpotè non contentam intra sphæram objecti causalitatis divinæ.

Fundamenta sententiæ defendentis privativum.

11 Ex Sacræ Scripturæ, & SS. PP. in quibus semper peccatum exprimitur nominibus *privationem* significantibus. Vocatur *nihilum*. Amos 6. *Cæcitas*. Isai. 42. *Tenebræ*. Psal. 77. & alibi, *aversio*, *vanitas*, &c. S. Dionys. c. 4. *de Div. Nom.* peccatum vocat *privationem boni*. Et S. Gregr. Nazianz. *Orat.* 4 ait: *Credo nullam mali essentiam esse.* Et S. Auguſt. 11. *de Civit. c.* 9. *Mali nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit.*

2. Ex S. Thom. *qui suprà in hac* 1. 2. q. 18. *art.* 1. *in c.* ait: *Omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate; in quantum verò* NB. *defecit ei aliquid de planitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum defecit à bonitate, & sic dicitur mala.* Et *hìc* q. 71. a. 6. *Actus humanus, quòd sit malus, habet ex hoc* NB. *quòd caret debita commensuratione*, quàm carentiam ibi agnoscit pro formali in peccato. Nam postquàm duò in peccato distinxit, nimirum materiale, seù substantiam actus humani, & formale, concludit in fine corp. art. dicens: *Aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quòd est quasi formale in peccato, cùm dicit* (scilicèt S. Auguſt.) *contra legem æternam.* Item 2. 2. q. 10. *art.* 3. ait: *Omne peccatum* NB. *formaliter consistit in* NB. *aversione à Deo.* Et q. 118. *art.* 1. ait: *Corruptio, vel privatio boni formaliter se habet in peccato, conversio autem ad bonum commutabile materialiter.* Quid clarius his S. Thomæ testimonijs.

Aliud multò evidentiùs habetur *in* 2. *Sent. dist.* 37. *art.* 1. Vbi, postquàm docuerat substantiam dici dupliciter, vno modò, provt significat rationem primi prædicamenti; secundo modò, provt significat essentiam, sivè naturam, subdit, non esse du-

bium, peccata primo modo non esse substantias. Deindè subjungit. *Sed secundo modo accipiendo substantiam, potest esse dubium, virùm peccatum substantia sit, ea quòd in actu peccati duo est considerare, scilicèt ipsum actum, qui essentia quædam est, in eo, quòd actus est, & sic procul dubio substantiva est: vel etiam NB. ipsam privationem ordinis, per quàm malus est; & quia privationis essentiam non habent, ideo ex parte ista peccatum substantia non est; & quia peccatum dicitur peccatum NB. secundùm quod privatum est debito ordine, ideò peccatum, absolutè loquendo, dicitur substantia non esse.* Et post pauca: *Peccatum hominis, secundùm quod est actus quidam, est ens quoddam, quòd intellectu capi potest, & aliqua differentia ad speciem determinatur: Sed NB. in quantum rationem peccati habet ex privatione rectitudinis, nequè est ens, nequè differentiam habet, sed per privationem debitæ formæ dicitur.* Hæc habet, sed per privationem debitæ formæ dicitur. Hæc clarè S. Thomas. Ergo.

3. Id probant *Rationes*. Quarum *prima est*: Omnis defectus, quà talis formaliter constituitur per privationem, prout inductivè patet in omnibus defectibus, ac deformitatibus, tam naturalibus, vti sunt v. g. *cæcitas, claudicatio, &c.* quàm artificialibus, v. g. *in pictura, ædificio, &c.* Et hoc ideò. Quia in tantum aliquid dicitur defectuosum, *in quantum* ipsi aliquid deest, in suo genere debitum: si enim nihil ipsi deest, sed habeat omnem perfectionem *in suo* genere sibi debitam, non est defectuosum, sed perfectum. *Subsumo*: Sed peccatum, seù malum morale est formaliter defectus moralis. Ergo formaliter constituitur per privationem. *Min. subs. prob.* Defectus, ac defectuosum est, cui aliquid debitum deest, juxta dicta: Sed peccato, vt tali, & formaliter sumpto aliquid deest ei debitum. Ergo. *Min. prob.* Actui humano in genere moris est debita rectitudo moralis: Sed hæc deest peccato formaliter sumpto. Ergo.

Confir. 1. In illo signo rationis, in quò concipitis tendentiam actus humani, priorem privatione rectitudinis debitæ, vel hæc tendentia habet omnia in genere moris sibi debita, vel non? Si habet? Non est mala, nec defectuosa, sed bona, & perfecta. Si non habet? Ergo formaliter dicit privationem.

Si Respondeatur concipi defectuosam *contrariè*, non *privativè*; quę distinctio posteà explicabitur. *Contra est*, & resumitur argumentum. Tendentia *contrariè* defectuosa, vel habet omnia sibi debita, vel non? Si non habet? Ergo est defectuosa *privativè*. Si habet? Ergo est *formaliter* bona, & perfecta. Quis verò hoc admittet de formali peccatiè

Confirm. 2. Malum naturale concipitur formaliter tale, in quantum interiosecè caret bonitate, & perfectione naturali sibi debita, & actus in genere artis defectuosus, dicitur formaliter talis præcisè per privationem rectitudinis artificialis, seù per defectum intrinsecum à regulis artis, secluso quocunquè alio. Ergo similiter malum morale, seù actus in genere moris defectuosus est formaliter talis præcisè per privationem rectitudinis ei debitæ, seù cuius est capax.

* 12 *Secunda Ratio.* Peccatum *habituale* formaliter consistit in privatione debitæ rectitudinis. Ergo & *actuale. Prob. cons.* Peccatum *habituale* homicidii, v. g. *& actuale* sunt eiusdem speciei. Ergo habent idem constitutivum.

* 13 *Tertia Ratio.* A principio formaliter, & privatè *defectivo*, quatenus tali procedit effectus formaliter, & privativè defectuosus, sicut à principio *positivo* procedit effectus positivus, à *respective relativo*, &c. Sed peccatum procedit à principio formaliter, & privativè *defectivo*. Ergo. *Min. prob.* Principium à quò peccatum formaliter quatenus tale procedit, est voluntas, vt destituta debito ordine, & regula rationis Sed voluntas sub isto conceptu est principium privativè deficiens. Ergo.

* 14 *Quarta Ratio.* Si peccatum commissionis formaliter consistat in aliquo positivo. *Sequitur* 1. quòd Deus sit causa peccati *Prob.* Quia Deus tanquàm causa vniversalissima sua causalitate attingit omne ens. *Sequitur.* 2. quòd peccatum non sit maximum malum, vti tamen revera est. *Prob. seq.* Summum malum consistit in privatione summi boni. Ergo si peccatum pro formali sit quid positivum, non erit summum malum. Ex quò *Sequitur* 3. peccatum *omissionis* ex genere suo esse gravius peccato *commissionis*: Sed hoc non est dicendum, vt patet ex S. Th. 2. 2. q. 79. *art.* 4. Ergo. *Prob. seq. maj.* Privatio ex genere suo est malus malum, quàm ens positivum. Ergo.

* 15 *Quinta Ratio.* Deus habet idæam cuiuscunquè entis positivi: Sed non habet idęam peccati formaliter accepti, vt docèt S. D. 1. *p.* q. 15. *art.* 3 *ad* 1. Ergo. *Confir.* Omne ens positivum per se, & directè cognoscitur à Deo: Sed peccatum non cognoscitur a Deo per se, sed per bonum oppositum, iuxta S. Thom. 1. *p.* q. 15. *art.* 10. Ergo.

* 16 *Sexta Ratio.* Peccatum in ratione offensæ Dei est malum infinitum, ob quàm rationem non potest purus homo pro eò ex perfecta iustitia satisfacere, vt docetur 3. *p. in Tract. de Incarn.* Sed ordo, seù conversio ad creaturam est finita, & limitata, sicut ipsa creatura, seù obiectum creatum, à quò speciem sumit. Ergo peccatum non in illa, sed in aversione à bono infinito (quæ est aliquid privativum) formaliter consistit.

Confirm. 1. Peccato ratione suæ malitiæ correspondet, & debetur pœna infinita damni in inferno: Sed hæc non correspondet ratione *habitudinis, tendentiæ*, seù *conversionis* ad obiectum creatum, illi enim correspondet pœna sensus, quæ est finita. Ergo ratione *aversionis* à Deo. Ergo in hac formaliter consistit.

Confir. 2. Illud est formale constitutivum peccati, per quod magis, vel minùs *graduantur*, seù *aggravantur*: Sed hoc fit per aversionem à Deo. Ergo illa est formale constitutivum. *Min. prob.* Potest aliquod peccatum intensissimum quidem esse ex parte *conversionis*, quod tamen non sit tam grave, vti aliud, & hoc solùm ex eò, quia minùs recedit à Deo. v. g. si quis ardentiùs appeteret *libidinem*, quàm aliùs *infidelitatem*, vel *desperationem*, is, qui non tam intensè appeteret infidelitatem, graviùs peccaret, & quidem solùm ex eò, quia magis per eam recederet à Deo, ageretquè contra maiorem virtutem. Ergo. *Solvuntur fundamenta sententiæ defendentis positivum.*

* 17 *Ad* 1. R. quòd Angel. Doctor in omnibus illis locis non loquatur de malo morali, seù peccato abstractè, & reduplicativè sumpto, vti hìc loquendum est, sed sumpto *concretè*, & *specificativè*, quòd non est contra me: sic enim admitto, quòd sit *quoddam bonum, non pura privatio*, sed *quid positivum*, quòd *contrariè opponatur bono*, quòd *speciem habeat ex parte conversionis*. Concretè enim, & specificativè includit materiale peccati, nimirum actum physicum. Hæc R. est S. D. mox citandi.

Ad 2. nipimum *ad* 1. *Rationem dif.* hanc propositio: Idem est formale constitutivum peccati, quod est eius

eius formale ſpecificativum; eſt conſtitutivum peccati in eſſe mali moralis, & peccati vt ſic, *N.* in eſſe talis mali, in ſpeciè determinata conſtituti, *C.* Hæc, prior ſolutio patet ex S. Thom. *in 2. d. 34. art. 2. ad 3.* dicente: *Malum per ſe, vel abſtractè ſumptum non eſt differentia ſpecifica, ſed malum per accidens, vel concretè acceptum.* Et poſt pauca: *Mala actio ſpecificatur ex ordine ad finem indebitum, cui admiſcetur privatio finis debiti, ex quò ratio mali incidit.* Idem docèt S. Bonavent. *in 2. d. 42. art. 3. q. 1.* dicens: *Etſi averſio det converſioni, quòd ſit tale peccatum.* Quod NB.

Contra. Non ſola averſio, ſed & converſio eſt formaliter mala. Ergo. *Diſt. ant.* Per malitiam, quæ ſit ipſa converſio, *N.* quæ ſit averſio, ſeù adiuncta privatio debitæ rectitudinis, *C. Contra.* Ex his infertur, quòd peccata formaliter inter ſe non diſtinguantur per aliquid *formale*, ſed per *materiale*, quod eſt in intelligibile. *Prob. ſeq.* Iuxta re *formale* in peccato eſt averſio, *materiale* verò eſt converſio: Sed admiſſum eſt, quòd peccata formaliter diſtinguantur per converſionem. Ergo.

Ad hoc neg. ſeq. ad prob. diſt. maj. pro 2. p. Converſio eſt *materiale* in peccato, comparata ad adiunctam, & reduplicatam rationem malitiæ, *C.* ad peccatum concretè, & ſpecificativè ſumptum. *N. Ad 2. Rationem* patet ſolutio in forma ex *R. ad 1. Ad 3. diſt. mai.* Dicitur de ſpecie concretè ſumpta, & quatenus includit gradum genericum, *C. maj.* De ſpecie abſtractè ſumpta, & vt explicante ſolùm gradum differentialem, *N. maj.* Ita patet in animali, nam de homine non prædicatur vivens ſenſibile ratione differentiæ, ſcilicet rationalitatis, ſed ratione generis, ſcilicet animalis. Et conceſſa *min. diſtinct. ſimiliter conſ.* Unde & malitia moralis concretè ſumpta includit quid poſitivum, vt patet ex dictis, ſed non abſtractè ſumpta.

Ad 4. Rationem. N. min. ab prob. *diſt. min.* Non prohibetur privatio, vt *quòd*, *C.* vt *quo*, *N.* Ergo non ſemper contrariatur legi in privativo, vt *quòd*, *C. vt quo*, *N. Ad 5. N. min.* ad prob. *diſt. ant.* Eſt incapax ex ratione ſpecifica, in quantum eſt actus odij Dei, mendacij, &c. *C. ant.* ex ratione generica, & in quantum eſt actus humanus à voluntate procedens, *N.* Sicut motui tibiæ curvę; in quantum eſt vitalis, debita eſt rectitudo, attamen in quantum procedit formaliter à tibia curva, eſt eius incapax. Ita ſimiliter.

Ad 6. N. ant. ad prob. *N. min.* ad huius prob. *N. min.* Negatur ergo, quòd in aliquo ſigno rationis antecedente privationem rectitudinis actus poſsit concipi, vt tendens in objectum rectæ rationi diſſonum. Quia in ipſo elici, ſeu in elicientia ſui, & ex vi eius, in ſenſu (vt ita dicam intranſitivo) habet, quòd ſit debita rectitudine privatus, & ideò formaliter malus. Unde hìc non datur fundamentum formaliter morale, quòd ſit prius malitia reſultante. *Ad prob.* inſinuatam *diſt. hæc propoſitio*: Ideò actus privatur rectitudine, quia tendit. &c. tendentia, quæ privationem includat, immò ſit ipſa privatio, *C.* quæ ab ea præſcindat, *N.* Exemplum eſt, ſi dicam, ignis ideò habet virtutem calefaciendi, quia habet calorem, non eſt ſenſus, quòd calore præſcindat à virtute ignis, ſed ſit ipſa virtus, in ſenſu intranſitivo, non autem quaſi virtus calefactiva, vt diſtincta fluat à calore. Ita ſimiliter tendentia in objectum rectæ rationi diſſonum eſt ipſa privatio rectitudinis, & non prior ipſa.

Ad 1. Confir. N. ant. vel potiùs *ſuppoſitum*, quia iuxta dicta ante privationem rectitudis non datur tendentia moralis in objectum malum. *Ad prob.* R. verum eſſe, quòd privatio in peccato etiam ſequatur ad quid poſitivum velut ad fundamentum, nimirum ad materiale peccati, ſeu actum liberum hominis. Sicut ſuprà dictum, quòd libertas, quę eſt quid phyſicum, ſit fundamentum moralitatis.

Ad 2. Confir. diſt. ita tamen, vt tendentia in objectum rectè rationi conforme ſit ipſa bonitas, *C.* vt ab ipſa præſcindat, vel diſtinguatur, *N. ant.* Similiter *d. ſt conſ.* Senſus ſolutionis patet ex *R. ad 6. Ad 3. Confir.* conceſſo *ant. N. conſ.* Vel potiùs *ſuppoſitum*; ſupponit enim, quòd in peccato detur poſitiva tendentia moralis, præſcindens à privatione, & prior illa: quod negatur.

Ad 7. Rationem ante *R.* præmitto, certum eſſe de fide, quòd Deus, vtpote per eſſentiam bonus, juſtus, & rectus, cui odio ſunt impius, & impietas eius, nec cauſa effectiva eſſe poteſt vllius rei, quæ ad ipſum, vt ad finem ordinabilis non eſt; licèt ſit cauſa *approbativa*, & *effectiva* materialis, ſeu actus peccati, cùm ille ſit quid phyſicum, & effectus cauſæ ſecundę phyſicæ cauſalitatis capax, & intra ſphæram objecti potentiæ Dei comprehenſus: attamen reſpectu *formalis* pecc. ti (ſive hoc ſit quid poſitivum, ſive privativum) habet ſe merè *permiſſive*. Facit ſuo decreto, & præmotione hominem volentem *effectivè* non *defectivè*; facit operantem modo limitato *effectivo*, non *defectivo*. Etſi enim malitia quibuſdam actibus, vt patet in odio Dei, mendacio, &c. ſit *intrinſeca* non tamen eſt *intrinſeca* illis ſub omni formalitate, ſed vt formaliter procedentibus à cauſa *defectiva*, & modo *defectivo*. Simile eſt in motu tibię curvæ, qui quoad ſubſtantiam quidem reducitur in virtutem motricem naturalem, non tamen quoad defectum claudicationis, qui licèt poſſet dici intrinſecus motui, vt procedenti à tibia curva, non tamen, vt procedenti ab anima, vel natura. Hinc corruit illud argumentum. *Qui vult antecedens, vult etiam conſequens.* Qui eſt cauſa formæ, eſt etiam cauſa privationis ad eam ſecutæ. Eſt enim ſolùm verum de eo, quòd ſequitur ex vi antecedentis, & formæ, vt à tali cauſa poſitæ.

Oppono 1. Deus non efficit id, quòd prohibet: Sed prohibet non ſolùm *formale* peccati, ſed & ipſum actum, immò niſi hunc prohiberet, fruſtrà prohiberet malitiam. Ergo. *2. Deus* non poteſt eſſe cauſa moralis, *v. g.* per conſilium, actus materialis peccati. Ergo multò minus cauſa phyſica. *Prob conſ.* Quia cauſa phyſica fortiùs movet; quam moralis. Ergo ſi &c. *3. Ergo* licitum eſt homini deſiderare, & à Deo petere *materiale* peccati. *Prob.* Licet, velle id, quod Deus vult.

Ad 1. diſt. min. Prohibet ipſum actum præcisè ſecundum ſe, *N.* vt ſubſtat malitiæ, *C.* Nec ideo Dei prohibitio eſt fruſtranea, quia malitia ſolùm ſequitur ad actum, vt procedit ab homine liberè deficienter. *Ad 2. N. conſ.* ad prob. *diſt. ant.* Fortiùs movet quoad illa, quæ ſpectant ad lineam phyſicam, *C.* ad moralem. *N.* Diſparitas ergo eſt: Quia conſilium extendit ſe ad plures lineas, nimirum, & ad *phyſicam*, & ad *moralem*, ac defectuoſam. Unde reſpicit actum humanum à voluntate hic, & nunc exercendum cum omnibus circumſtantijs ad eum concurrentibus, ſive ſpectent ad lineam *phyſicam*, ſive ad *moralem*; & defectuoſam. Ex quo ſit, quòd voluntas creata non peccet ſequendo motionem, & influxum Dei in materiale peccati, ſed peccat faciendo actum, vt eſt fundamentum malitię moralis. *Ad 3. N. ant.* ab prob. *diſt.* Si loquamur de volito formali, *C.* de materiali vniverſaliter, *N.* Solutio patet ex dictis ſuprà *T. 3. E. 3. n. 18.* Vide dicta *T. 7. E. 1. n. 16.* Ubi conſtat an Deus poſsit eſſe cauſa erroris, falſitatis, &c. Et *T. 10. E. 4. n. 23.* an poſsit eſſe cauſa mendacij. *Addendi*, quòd quidam

in

in S. scriptura Deus dicitur *creare malum* Isaiæ 45. *Discernere peccata*. Ad. 2. & 4. *Creare impios* ad ostentationem suæ iustitiæ Prov. 6. Facere *vasa in contumeliam*. Rom. 9. *Indurare, vel excæcare homines*. Ibid. Præcepisse *Semei, vt malediceret Davidi*, 2. R. 1. Iudæi: *Quod facis, fac citiùs* Ioann. 13. Sensus est, vel intelligi de malo *pœnæ*, quo absolutè in se *bonum*, respectivè tantùm dicitur *malum*, in quantum privat aliquo modo temporali. Vel, si de malo culpæ sit sermo, intelligi de decreto permissivo. Præceptum etiam interdum accipitur pro permissione. Sicut Matth. 19. Lex permittens libellum repudij vocatur *præceptum*. Verba Christi ad Iudæos non erant *imperatis*, sed *permissis*, & permittentis His præmissis.

Resp. ad 1. cum Confr. 1. hanc sententiam de privativo non fundari, saltem principaliter in eo, quòd Deus esset causa peccati, ad alijs rationibus addictis, 2. *Mando. cui*, quòd sequatur. Deum fore causam peccati, quia illud positivum deberet esse aliquod ens, cujus passio est bonum, & sic *malum* esset *bonum*; quæ est aperta contradictio. 1. *N. min.* ad prob. *N. ant.* ad huius prob. *dist. min.* Vitalitas, reduplicata *ratione formali, sive qua* vitalitatis, quatenus denominat viventem, non est à Deo, *C. m.* quia, vt sic debet esse à principio continuo, limitato, proximo; Deus autem est principium *remotum*. Si considerentur *ratione qua*, seu actus, qui est vitalis, & specificativè vel etiam vitalitas, qualis, & secundum explicitam rationem vitalitatis, sub qua est perfectio participata à Deo non tamen considerando *rationem sub qua* denominationis. *N. min.* & *dist. conf.* Verùm reduplicata ratio malitiæ moralis, nec secundum rationem, *qua* potest esse à Deo. Cuius *simile* est. Quia alias Deus quòd est contra Trident. non magis diceretur concurrere ad actum nostri meriti, quam peccati. Quia actus meritorius *qua* talis, secundum rationem, *sub qua* denominat meremem, etiam non est à Deo. Deus enim per nostra opera non *meretur*, sicut per nostram vitam *est vivis*, & per nostram visionem non *videt*.

Ad Confir. N. ant. pro ea parte, quæ dicit, malitiam moralem esse modum realem positivum. Hoc enim à nobis negatur, & ibi non probatur.

Salvantur fundamenta sententiæ defendentis privativum.

* 18 *Ad* 1. ex S. Scriptura, & SS. PP. R. nos non negare, quòd per peccatum fiat *aversio* à Deo, *recessus*, *privatio*, &c. dicit enim hæc non sint formale constitutivum, sunt tamen eius complementum, vel proprietas. Sicut equus optimè appellatur irrationalis, licèt irrationalitas (vtpote omni bruto conveniens) non sit differentia eius constitutiva, sed aliquid ipsam consequens Unde sicut, cùm SS. PP. fidem explicant per obscuritatem, non impropriè, sed verè eam explicant, etsi non explicent rationem formalem fidei. Sic etiam, dum peccatum explicant per privationem, tanquam per proprietatem, vel effectum consecutum, verè, & non impropriè explicant illud; est enim privatio eius effectus nobis magis notus.

Secundò R. peccatum vocari *nihilum* solùm in sensu *moali*, nimirum, vel quia quasi annihilat, seu destruit nostra merita, vel quia apud Deum nullius est valoris, seu æstimationis. Sicut & in Sacra Script. peccatores dicuntur *redacti ad nihilum*. Quando peccatum vocatur aversio, dicitur talis esse *constanter*, non *privativè*, vt posteà in *R. ad* 2. dicetur de *defectu*. Quando appellatur *cæcitas*, *tenebræ*, &c. locutio est non in sensu *formali*, sed *causali*, qui nimirum est causa, & radix eius, vti & privationis. Vel dicitur esse *privatio*, & *cæcitas* in fieri, non autem formaliter in facto esse. Sicut mors in *facto esse* est pura privatio vitæ, attamen mors in fieri est quid positivum, nimirum positiva causa separationis animæ à corpore. Sic in peccato illa positiva tendentia in objectum rectæ rationi dissonum est privatio rectitudinis, & mors animæ in fieri, quia est causa horum effectuum

Tandem quando SS. PP. dicunt, quòd peccati *malitia* sit *essentia*, *nulla natura*, hoc loquendi modo volunt exterminare errorem *Manichæorum* (de quo infrà *Q.* 22. *R.* 2. *n.* 72.) aliorumque hæreticorum, qui ponebant esse duas naturas, seu substantias, *unam boni*, alteram *mali*: fingebantque, quòd malum sit natura per se subsistens, contra hos asserunt, *mali* nulla est natura per se subsistens, id est, nulla datur substantia per se *mala*, malum enim accidenter advenit actibus humanis Vnde est quid accidentale morale, & talis est eius natura. Cùm enim S. *Augustinus* peccato actuali assignet bonam definitionem, debet etiam aliquam in eo admittere essentiam.

Huic *Oppositum* potest 1. Vniversalis negativa est malignantis naturæ, & tollit, quidquid post se invenit: Sed SS. PP. dicendo, *nulla est mali natura*, vtuntur negatione vniversali. Ergo. 2. Idem SS. PP. nullam peccati agnoscunt essentiam, quia in eius formali nullam, vel minimam agnoscunt umbram boni: sed natura accidentalis habet bonitatem à Deo participatam, non minùs ac substantialis. Ergo.

Ad 1. *Resp.* explicatur *min.* quòd SS. PP. vtuntur quidem negatione vniversali, sed conformiter, & proportionatè contra sententiam hæreticorum, qui quia volebant esse naturam *substantialem mali*, ideò asserebant, nulla est mali natura substantialis. Vel si qui SS. PP. sint, qui hæreticos non oppugnant, loquuntur de peccato *habituali*, vel de *actuali* in facto esse, & accipiunt effectum pro causa, scilicèt privationem pro peccato *Ad alterum N. mi* Ideò namquè Patres ita loquuntur, vt oppugnent dictos hæreticos statuentes substantialem naturam mali.

* 19 *Ad* 2. ex S. Thom. ante *R. Not. defectum*, *deficientem*, & *aversionem*, ac *contrarium* esse duplicem. Vna est *moralis*, & contraria, quæ est per ordinem ad obiectum pravum, seù finem inordinatum, & contrariatur ordini, seù tendentiæ ad debitum finem, & obiectum regularem. Sive, est positiva tendentia contra Deum, quæ in peccato, alicui virtuti Theologicæ oppositio, reperitur formaliter, in alijs verò interpretativè, & virtualiter. Vel, vt alij loquuntur, est ipsam facere contra legem, eiusque positiva trangressio. Altera est *privativa* ex priori per modum effectus, & proprietatis consecuta. In eodem sensu est duplex *inordinatio*, *deviatio*, *recessus*, *fuga*, *aberratio*, non *observantia* legis. Nec hæc distinctio est nova, vel noviter inventa in schola D. Thomæ. Nam S. D. vt probatum est anteà, admittit oppositionem contrariam inter actum bonum, & malum, non solùm in esse *entis*, sed etiam in esse *moali*. Et S. Augustinus in definitione peccati *summissimis* dicit esse *contra legem*, vbi ly *contra* propriè sumptum dicit quid positivum Ex quibus patet quòd aversio contraria non sit ipse actus conversionis ad creaturam, qui est bonus, sed super hunc fundata conversio, seù tendentia moralis positiva ad obiectum pravum, ex quâ resultat privatio rectitudinis debitæ. Hoc notato.

Resp. S. Thomam loqui *de privatione moali*, de

de-

defectu, *carentia*, & *aversione* (non illa privativa) sed *contraria* modò explicata, & hanc vult esse formale in peccato commissionis, & habere se in illo, sicut rationale se habet in homine. Ad vltimum locum ex 2. *Sent.* R. cum nostro *Barthol. Medina*, quòd cum Concilia, & SS. PP. contra Manichæos definiunt, peccatum non esse naturam aliquam, & omnem naturam esse bonam, statuunt, peccatum non esse in rebus, & in naturis, quas Deus condidit, sed in *abusu voluntatis nostræ*: non tamen negant, quòd motus voluntatis, quò malè vtitur rebus, sit quædam entitas, à nostra voluntate prodiens, deficiens tamen, puta, *deficientia contraria*. Hæc ergo nec est ens, nec habet differentiam, intellectu conceptibilem, vt rebus, seù naturis inexistentem, sed ijs ex voluntatis abusu supervenientem, explicaturquè per privationem moralem, & carentiam contrariam, quæ est quid positivum.

* 20 *Ad* 3. *& ad primam Rationem*, benè ibidem Respondetur; *min.* enim est vera de defectu *contrario*, non de *privativo*. Ad *prob. & 1. Confir.* dicitur, quòd peccato formaliter sumpto nihil desit, cuius est capax, sed habeat omnia ad rationem peccati requisita, vt quasi dici possit esse *perfectum peccatum*, sicut solet dici, talem, vel talem esse *insignem latronem*. Hinc ex eò, quòd peccato, vt tali nihil desit, cuius est capax, non sequitur, quòd sit *bonum*, quia non est capax bonitatis, sed *malitia*. Nec bonitas est passio entis cuiuscunquè sed soliùs entis *perfectivi*, non *defectivi*. Ex quò sequitur, quòd ens positivum aliud si *bonum*, aliud *malum*.

Ad 2. *Confir. N. conf.* Disparitas patet ex probationibus, quæ ostendunt, cur malum morale consistat in aliquò positivo. Hinc malum, vt sic æquivocè dicitur de malo *naturæ*, vel *artis*, & de malo morali, seù *culpæ*. Quòd si arguens contendat, vlteriùs instando, etiam in malo naturæ, & artis distinguere aliquam positivam tendentiam contra regulas naturæ, & artis *Transeat*, & tunc nihil erit contra nos sed paritas.

* 21 *Ad* 2. *Rationem* R. *N. conf. ad prob. dist. ant.* Sunt eiusdem speciei in esse *moris*, C. in genere *entis*, & linea naturę vti hìc loquimur, *N.* Eodem modo solvitur hoc: Peccatum *commissionis*, *& omissionis* sunt eiusdem speciei, si eidem virtuti contrarientur, & ex eodem motivo procedant, vt dicetur posteà: Sed peccatum *omissionis* formaliter est privatio. Ergo & peccatum *commissionis*. *Exemplum* pro declaratione solutionis sit. Communiter in materia de voto docetur à Theologis, omnia peccata contra votum esse eiusdem speciei, v. g vnus facit votum de eundo ad Ecclesiam, aliùs vovet, non exire è domo, vterquè votum frangit, primus *omittendo*, secundus *committendo*. Sunt peccata eiusdem speciei, & tamen vnum formaliter est quid *positivum*, alterum *privativum*.

Contra. Ideò hæc peccata in genere naturę essentialiter distinguuntur, quia vnum consistit in privatione, alterum in forma positiva: Sed idem est in genere moris. Ergo. *Resp. N. conf.* quia Syllogismus laborat æquivocatione, quia ly *in genere moris*, de quò fit mentio in *min.* habet duplicem intelligentiam. 1. Vt *morale* dicatur per ordinem, seù tendentiam ad obiectum, vt substans regulis morum: & sic est quid positivum. 2. Per ordinem ad moralem, seù prudentum æstimationem, laudemquè, & vituperium. Cùm ergo genus entis, ac naturæ sumatur in ordine ad esse, & in essendo maxima sit differentia inter privativum, & positivum, ideò peccatum habituale, & actuale, peccatum omissionis, & commissionis sub hac ratione specie differunt. Verùm sub secunda consideratione parùm, aut nihil diversitatis inducunt, si eidem contrarientur virtuti, & ex eodem oriantur motivo.

* 22 *Ad* 3. *Rationem*, *N. min.* vtriusquè Syllogismi, quia ex dictis patet, quòd voluntas peccans habeat se *contrariè*.

* 23 *Ad* 4. *Rationem* negatur prima sequela. *Ad prob. dist. ant.* Deus causat omne ens *perfectivum*, *C. defectivum* morale, *N. Secunda sequela* negatur pariter. *Ad prob. dist. ant.* In privatione, idest, in carentia, vel *contrariè*, vel *privativè* sumpta, *C.* solùm *privativè* sumpta, *N.* Ita vtraquè constituit summum malum, in prima *formaliter*, in secunda *consecutivè*. Quantitas ergo alicuius mali respectu naturæ rationalis pensanda est ex contrarietate ad regulam rationis: quia ergo positiva tendentia contra rectam rationem maximè illi contrariatur, ideo & illa dicitur maximum malum. *Negatur, & tertia sequela. Ad prob. N. maj.* loquendo, vti hìc loquimur, de ente positivo malo. Vel aliter *dist. maj.* quàm ens positivum, quòd non est proxima radix privationis, *C.* secus, *N.* Addo, quòd peccatum omissionis præcisè dicit *privationem*, peccatum autem commissionis præter eam dicit positivam *deficientiam*. Ergo est gravius.

Ad 5. *Rationem dist. maj.* Entis positivi, cuius est causa efficiens, & exemplaris, *C. maj.* cuius non est, *N.* Falsitas enim etiam est ens positivum contrariè oppositum verò, & tamen non habet ideam in Deo. Ratio solutionis est. Quia idæa est forma obiecta intellectui, seù intra eum existens, ad quàm respiciens artifex operatur. *Ad Confir. dist. maj.* Positivum, cuius Deus per se, & directè est causa, *C. maj.* cuius non est, vti non est respectu positivi moralis, quod est formale peccati, *N.*

* 24 *Ad* 6. *Rationem*. Duplex est sententia, etiam inter Thomistas; aliqui enim sentiunt peccatum mortale esse simpliciter, & intrinsecè *infinitum*, sed hoc intelligunt de peccato in quantum est formalis, & passiva offensa Dei, ipsi Deo moraliter inexistens, gravitas enim offensæ crescit iuxta dignitatem eius, qui offenditur, quia est reflexiva super ipsum, vt etiam patet in humanis; gravius enim peccat, qui percutit *Principem*, quàm qui *rusticum*. Sed sub hac ratione non est hìc sermo de peccato. Alij tenent, offensam peccati solùm esse *infinitam* obiectivè, & extrinsecè, quia obiectum, scilicèt Deum, solùm attingit extrinsecè. De quò fusè agitur in *Tract. de Incarn.* Verùm, nec ex secunda sententia sequitur, quòd purus homo quantacunquè gratia ornatus possit condignè pro mortali satisfacere, quia eadem sententia docet, quòd peccatum mortale, licèt non sit simpliciter infinitum, sit tamen comparativè ad satisfactionem puri hominis, superioris ordinis, nimirum divini: quia offensa est in eodem ordine cum offenso. Sed de hoc vide in dicto Tract. Hinc negari potest *conseq.* concessa *maj. & min.* quia in *maj.* peccatum aliter sumitur quàm in *min.*

* 25 *Ad* 1. *Confir. dist. maj.* peccato ratione eius quod dicit in *recto*, & formaliter, *N. maj.* quod dicit in *obliquò*, seù de connotato, quod est aversio, *C. maj.* & concessa *min.* & prima *conf.* negatur secunda *conseq. Ad* 2. *Confir. N. min. ad prob.* dicitur, quòd gravitas peccati semper sumatur ex peiore obiecto, ad quod sit *conversio*, prout ex illa sequi nata est *aversio*; quia ergo peccatum infidelitatis, & desperationis pro obiecto, ad quod convertitur, seù pro materia suę tendentię habet ipsum recessum à

Deo,

Deo, quatenus Deus sibi videtur valdè gravis, & tardosus, aut non possibilis consequi, aut non veraciter testificans, &c. & hinc recessus sub apparentia cujusdam boni est obiectum voluntatis peccantis, ideò ab eò dicta peccata graduantur, seù magis aggravantur. Deindè ex pessima ad hunc recessum vel fit ad obiectum conversione sequitur aversio formalis omni peccato communis, in eò tamen peccatum formaliter consistere non potest *Ratio.* Quia se habet ex parte termini, *à quò*, id est, Deum, eiusquè legem respicit, vt terminum *à quò* sui recessus.

* 26 Ex dictis sufficienter Colligitur 1. quòd licèt peccatum sit quædam natura positiva deficiens, non tamen sit necesse, quòd referatur ad vnum summum malum, omnium malorum causam, quemadmodum Manichæi constituebant *vnum Deum*, omnium malorum authorem: sed oportet (vt explicat dictus Medina) vt referatur in voluntatem deficientem. Vndè est memorabilis illa sententia D. August. *Non quæres causam peccati extra voluntatem.* Colligitur 2. intelligentia S. August. qui explicans illud Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil*, per ly *nihil* intelligit peccatum.

* 27 QUÆRO V. Vndè, vel à quò peccata habent suam speciem, seù distinctionem, ac multiplicationem specificam? Habentne ab obiectis? Vel etiam ex præceptis, quibus opponuntur; ita vt actus *diversis præceptis* prohibitus habeat plures speciè malitias? *Resp.* 1. Peccata speciem, & specificam distinctionem sortiuntur ab obiectis formalibus, ita vt ordo ad obiectum, vt difforme Regulis morum sit specificativum, constitutivum, & distinctivum peccati intrinsecum: extrinsecum verò sit ipsum obiectum. Ita clarè S. D. *hic q. 72. art. 1. Ratio huius* videatur *T. 3. E. 3. n. 1.* Hinc furtum specie distinguitur à fornicatione, quia eius obiectum, scilicèt ablatio rei alienæ, sive alieni iuris læsio invito domino, speciè *differt* ab obiecto fornicationis.

Hæc doctrina suo modo etiam verificatur de peccato *omissionis*, nimirum, quòd sicut peccatum commissionis suam speciem ab obiecto formali habet directè, sic peccatum omissionis suam speciem ab eò habet indirectè. Cùm enim non sit quid positivum, sed privativum, & formaliter consistat in privatione conversionis, vel tendentiæ ad obiectum conforme Regulis morum, sequitur, quòd suam speciem indirectè habeat ab obiecto. *Ratio.* Quia privatio suam speciem, & distinctionem accipit à forma opposita, quà privat. Sed forma peccato omissionis opposita est aliquis actus virtutis, & hic actus suam speciem ab obiecto habet directè. Ergo omissio ab eiusdem actus obiecto speciem habet indirectè, directè autem à privatione tendentiæ actus ad obiectum rationi consonum.

Resp. 2. ad 2. p. quæsiti sub *distinct.* Si actus sit contra plura præcepta solùm materialiter diversa, est formaliter loquendo, *in* eò solùm vnica species peccati, seù malitiæ. Si verò sit contra plura præcepta formaliter diversa, habet tot malitias speciè diversas, quot præceptis adversatur. Ante prob.

Not. Præcepta aliqua dupliciter posse esse diversa. 1. Materialiter solùm, & entitativè, quando nimirum tantùm distinguuntur ex parte præcipientis, versantur autem circa idem obiectum formale, habentquè idem motivum: quale, v. g. est præceptum civinum, & humanum non furandi. 2 Formaliter, quando scilicèt præcepta ponuntur ex diverso motivo, & hæc diversa ratio motiva debet attendi ex fine proximo, non autem ex remoto, v. g. præceptum ieiunij quadragesimalis pro fine remoto habet disponere homines, vt facilius orationi, & divinis laudibus vacent, proximum verò eius motivum est, temperantia. Vndè hoc ieiunium ratione Præcepti Ecclesiastici efficitur materia necessaria temperantiæ, ita vt, qui illud frangit, peccet contra virtutem temperantiæ, non autem contra virtutem religionis, cuius solum est finis remotus. Hæc notato.

Prima pars docetur, & probatur à S Thom. *hic q. 72. art. 6. ad 2.* dicente: *Peccatum non habet speciem ex parte aversionis, quia secundùm hoc est negatio, vel privatio, sed ex parte conversionis, secundùm quòd est actus quidam. Vndè secundùm diversa præcepta legis non diversificantur peccata secundùm speciem.*

Declaratur exemplis. 1. *Furtum* contra præceptum divinum, & humanum est vnicum speciè peccatum. 2. Qui in aliquo die Quadragesimæ, in quo simul incidit Vigilia alicuius Apostoli, vel 4. Temporum, non ieiunat, tantùm committit vnum peccatum. 3. *Idem* est de eò, qui negligenter non audit Sacrum in die Dominica, in quàm simul cadit festum de præcepto. 4 *Idem* est de Religioso professo, in Sacris Ordinibus constituto, omittere Horas Canonicas. Quia præcepta non sunt *formaliter* diversa, cùm in primo exemplo sit idem motivum *iustitiæ*, in secundo *temperantiæ*, in tertio, & quarto *virtutis Religionis*. 5. *Idem* est, si vnus actus sit præceptus, vel prohibitus à diversis Prælatis subordinatis ex motivo eiusdem virtutis obedientiæ.

Oppono. S. Thom. *q. 2. de malo, art. 6. in c.* ait: *Si aliqua essent peccata, quia prohibita, in his rationabile esset, vt secundùm differentiam præceptorum speciè peccata differrent*: quia in istis peccatis tota malitia desumitur per ordinem ad præceptum. Ergo eò multiplicato multiplicatur. *Ad hoc* Caietanus dicit, S. Thomam mutasse sententiam loco citato in Summa, cui standum, velut vltimæ voluntati. *Alij* dicunt, S. Th. non loqui affectivè, quia dicit solùm esse rationabile, vel probabile. Nostra verò resolutio est probabilior, præcepta enim solùm *sunt materialiter* plura, quia ponuntur ex eodem motivo.

Nota tamen, non negari, quòd ex multiplicitate legum, ac præceptorum possit consurgere circumstantia notabiliter *aggravans*, necessario (vt suprà probatum est) explicanda in confessione, vt patet in Religioso professo, & sacris initiato, omittente *Breviarium*.

Ratio 2. p. patet ex *Not. ante prob. 1. p.* Quia actus humani, ac morales, sive boni, sive mali diversificantur iuxta diversa obiecta formalia: Sed vbi sunt diversa legum, ac præceptorum *motiva*, ibi sunt diversa obiecta *formalia*, cùm sit diversa ratio *conformitatis* ad Regulas morum. Ergo etiam in actu consurgit diversa species malitiæ, vel bonitatis moralis

Declaratur exemplis. 1. Si ieiunium quadragesimale à Prælato præcipiatur in meritum obedientiæ, & à Confessario pro *pœnitentia* in confessione, illud frangens, triplex eodem actu committit peccatum, nimirum contra tres virtutes, *Temperantiæ*, *Obedientiæ*, *Pœnitentiæ*. 2. Si quis *Religiosus* ex voto, ac professione (*vti FF. Minimi*) teneatur abstinere carnibus, & comedat eas in Quadragesima, duplex committit peccatum, vnum *sacrilegij*, frangendo votum; alterum *intemperantiæ*. 3. Si quis Religiosus *Franciscanus* in Quadragesima feria sexta comederet carnes, eodem actu duo committeret peccata, supposito quòd *Ecclesia*, & *Ordo* illud ieiunium præcipiant ex di-

diverso motivo: Ecclesia ex motivo *temperantiæ*, Orsio ex motivo *cultus* passionis Christi, vel alio. Immò Caietanus 2. 2. q. 88, *art.* 5. censet esse tria peccata, nimirum contra virtutem *Religionis*, ratione *voti*; contra *obedientiam*, ratione *præcepti* in Regula contenti; dein contra *Temperantiam* ab Ecclesia intentam. 4. Si persona sacra committeret adulterium, esset in vno peccato triplex species malitiæ, quia ageret contra tria præcepta formaliter distincta. Quorum primum ex motivo *castitatis* prohibet accessum ad non suam. Secundùm ex motivo *Religionis* prohibet transgressionem voti. Tertium ex motivo, *iustitiæ* prohibet vsurpationem iniuriosam rei, seù vxoris alienæ. 5. *Violenta* percussio Clerici in loco sacro, vel effusio sanguinis in eò, est duplex peccatum, nimirum *iniustitiæ*, & *sacrilegij*.

* 28 QUÆRO VI. Peccatum commissionis, & peccatum omissionis, differuntne specie? Et quando, seù quò tempore committitur peccatum externum omissionis? *Resp.* 1. *ad* 1. *p.* Quæsiti, verbis S. Thom. *hic q.* 72. *art.* 6. In peccatis invenitur duplex differentia, vna *materialis*, & alia *formalis*. *Materialis* quidem attenditur secundùm naturalem speciem actuum peccati, formalis autem secundùm ordinem ad vnum finem proprium, quod est obiectum proprium. *Vndè inveniuntur* aliqui actus, *materialiter* specie differentes, qui tamen *formaliter* sunt in eadem specie peccati, quia ad idem ordinantur: sicut ad eandem speciem homicidij pertinet *jugulatio*, *lapidatio*, & *perforatio*, quamvis actus sint specie differentes secundùm speciem naturæ. Sic ergo, si loquamur de specie peccati *omissionis*, & *commissionis* materialiter, differunt specie, largè tamen loquendo de specie, secundùm quod negatio, vel privatio speciem habere potest. Si autem loquamur de specie peccati *omissionis*, & *commissionis* formaliter, sic non differunt specie, quia ad idem ordinantur, & ex eodem motivo procedunt: avarus enim ad congregandam pecuniam, & *rapit*, & non *dat* eà; quæ dare debet. Similiter gulosus ad satisfaciendum gulæ, & superflua *comedit*, & ieiunia debita *prætermittit*. Hæc S. D. Si autem peccatum commissionis, & omissionis habent diversa motiva, & fines, indubiè in genere moris specie formali differunt, vt patet in furto, & omissione Missæ præceptæ; secùs, sunt eiusdem *speciei* in genere moris. Ex his colligitur, quid sit peccatum omissionis: Est enim inordinata omissio actus præcepti.

Secunda pars quæsiti sensus est, an peccatum omissionis imputetur homini solùm tunc, quando erat tempus operandi, vel ân statim dum se exponit periculo non implendi præceptum, vel quando quis se impotentem reddit ad operandum: v. g. tempore audiendi Missam de præcepto *vacat* quis lusui, à quò tamen potest desinere; vel se *dat somno*, *prævidens* se non evigilaturum, nec excitandum; vel *se inebriat*, vt fiat impotens. Pro quò.

Resp. 2. Probabiliùs est, quòd propriè, & verè non sit *omissio*, nec dicatur homo *omittere*, nisi tunc quando est tempus implendi præceptum affirmativum, ita S. D. *hic q.* 71. *a.* 5. *ad* 3. dicens: *Peccatum omissionis contrariatur præcepto affirmativo, quòd obligat semper, sed non ad semper, & ideò solùm pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quò præceptum affirmativum obligat. Ratio.* Omittere culpabiliter est non facere, quòd quis tenetur facere: Sed ante illud tempus, quò præceptum affirmativum obligat, homo non tenetur operari. Ergo.

* 29 *Resp.* 3. Qui dat causam peccati, ponendo impedimentum implectionis *præcepti affir.* vel se exponit periculo illud omittendi (iuxta exemplum antè positum de homine *dormiente*, vel se *inebriante* tempore Sacri) eò ipso peccat. Hoc tamen non est formaliter peccatum *omissionis*. *Ratio* 1. *p.* patebit infrà *T.* 5. *E.* 2. *n.* 33. *Ratio* 2. *p.* est eadem, quæ pro *R.* 2.

* 30 *Resp.* 4. Si opera ab ebrio in ebrietate facta, vel omissa, *v. g. vulneratio*, *blasphemia*, *omissio* Sacri præcepti, &c. fuerint ab eo prævisa, peccat tunc, licèt non sit mentis compos. Non tamen habent aliam, seu maiorem malitiam, quàm causæ præcedentis, quam voluntariè posuit. *Ratio* 1. *p.* Vt opus sit peccaminosum (idem est de omissione) sufficit, quòd sit volitum in sua causa. *Ratio* 2. *p.* Tanta est malitia, *v. g.* vt vnum, vel duo, quanta est libertas, quia hæc est radix moralitatis, vt suprà dictum est: Sed illa opera, & omissiones non habent aliam libertatem, quàm suæ causæ, vt constat. Ergo nec malitiam.

* 31 *Oppono* 1. contra *R.* 2. & 4. Ad peccatum actuale requiritur voluntarium *actuale*: Sed in omissione tempore somni, vel alterius impotentiæ, non adest voluntarium *actuale*. Ergo nec peccatum *actuale*. *Maj.* patet ex ratione mox data pro 2. *p. R.* 4. 2. *Est Regula* Theologorum, quòd illa libertas sufficiat ad *bonum*, quæ sufficit ad peccatum *mortale*: Sed illa libertas, quæ est in ebrio, non sufficit ad bonum, *v. g.* ad *meritum*, ad faciendum *votum*, ad confectionem *sacramenti*, ad persolvendas *horas* canonicas. Ergo nec ad peccatum. 3. *Ergo* idem homo potest simul esse in *gratia*, & in peccato *mortali*, immò & in excommunicatione maiori, si esset annexa actui externo; Ecclesia enim solùm iudicat de externis. *Prob. seq.* Ex casu, quo quis emisit sagittam in Clericum, intendens eum occidere, sed, antequam Clericus à sagitta *percutiatur*, verè contrito corde de hoc pœnitens; ille ratione *veræ contritionis* est in gratia, & ratione *occisionis* Clerici est in peccato mortali, & excommunicatus.

Ad 1. *dist. maj.* vel actualitate formali, vel virtuali, *C. maj.* semper formali, *N. maj.* Et sic *dist. min. N. cons. Contra.* Omissio, vel actus tantum habet de *culpa*, quantum de *libertate*: Sed omissio Sacri, in somno, vel ebrietate contingens, non est libera in *se*, sed solùm in *causa*. Ergo nec est peccatum in se, sed solùm in *causa*. *Dist. min.* Non est libera in *se*, libertate in eam à voluntate immediatè, & directè derivata, *C. min.* in eam *mediatè*, & indirectè derivata ex causa, *N.*

Ad 2. R. Theologos illam Regulam non intelligere vniversaliter de omni casu. Vndè Angel. Doctor hic *q.* 71. *a.* 5 ad 1. *ait*: Plura requiruntur ad *bonum*, quàm ad *malum*, eò quòd *bonum* contingit ex tota integra causa, *malum* autem ex singularibus defectibus, vt Dionys. dicit *c.* 4. *de div. nom.* Et ideò peccatum potest contingere, sive aliquis faciat, quod non *debet*, sive non faciendo, quod *debet*: sed meritum non potest esse, nisi aliquis faciat *voluntariè*, quod debet. Hæc ibi. Addit his *Barthol. Medina* duo. 1. Homicidium prævisum ebrio imputari, quia tenebatur, & poterat illud cavere, & non cavit: sed dicere officium divinum, & emittere votum nulla ratione fuerunt ebrio voluntaria. 2. *Homo*, qui non est mentis compos sæpenumero potest implere præceptum divinum, vt si ebrius ex præcedenti volitione baptizatur, si quis in phrenesim lapsus à peccatis absolvatur, &c. *Ad* 3. *N. seq.* cùm enim voluntas mala sit retractata, occisio illi hominis quoad Deum non

imponere ; vnde eſt in *gratia* , & non in *peccato*, excommunicatus eſt licitus in foro *fori*, ſeu quoad *Eccleſiam* , non quoad *Deum*.

* 32 *Quæſt.* ſi quis actus ſit præceptum, v. g. Sacrum audire poſſendo ; dum de ſe indifferentem, v. g. *lectio*, vel ex obiecto bonum, v. g. *ſalutare* , hic actus complebimus ex hoc ſpeciem malitiæ ; propter quam debet explicari in confeſſione ? Dici, *actum ſic differentem* , vel *bonum*. Quia certum eſt , quod ſi actus ex obiecto ſit malus, v. g. furtum tempore audiendi Sacri commissum, ſemper malitiam à malitia omiſſionis Sacri diſtinctam , in confeſſione neceſſario explicandam.

* 33 *Dico* 1. Si actus ille omiſſioni culpabili connexus *concurrat* , id eſt. & ſit causa, & occaſio omiſſionis *effectiva* ex intentione, vt per eum impediatur impletio præcepti , vti qui ex *ira* alium *diuerberando* in campo , diuerberat tunc quando Sacrum eſt audiendum : actus eo ipſo eſt malus. 2. *Malitia tamen* non eſt diuerſa à malitia omiſſionis, quam cauſat , nec actus eſt neceſſario explicandus in confeſſione.

Ratio 1. 2. Quod eſt formaliter , vel virtualiter cauſa mali, ſeu omiſſionis peccaminoſæ, eſt peccaminoſum : Sed iſte actus eſt cauſa, &c. omiſſionis, &c. Ergo. *Ratio* 2. 3. Item quia non eſt praxis Fidelium, quòd de ille actu, vti cauſa omiſſionis, v. g. *lectæ* , *ſtantis* , *ambulantis* , ſpecialiter ſe accuſent. Tum etiam, quia nova, & diſtincta malitia non oritur ab ea ex nova oppoſitione cum diſtincta virtute, & præcepto : cur hunc actum ex obiecto bonum, vel indifferens, v. g. *ſedere* , aut *lectio* , dum eſt cauſa culpabilis omiſſionis Miſſæ , non habet. Ergo. *Min. prob.* Ille actus non ex alia ratione eſt malus, quam quia repugnat præcepto audiendi Miſſam, quod , ſicut *directè* *præcipit* auditionem Sacri, ita indirectè *prohibet* actus cum eo incompoſſibiles. Ergo.

Ex quo ſequitur , quòd quidem ille actus ſit inordinatus, & quòd careat recti ordine finis debiti, vel & debita circumſtantia, tamen illa inordinatio non tenet ſe intra materiam, & obiectum virtutis finalis, vel Religionis , ſed Religionis, cui omiſſio ſuæ adverſatur. Similiter carentia rectitudinis finalis in eò actu non oritur ex directa oppoſitione cum finali virtute , ſed ex indirecta oppoſitione cum præcepto, & virtute Religionis. Ex eodem capite oritur, vel non oritur carentia debitæ circumſtantiæ, v. g. temporis.

* 34 *Dico* 2. Actus ille, v. g. finalium ad omiſſionem ſolum ſe habet *concomitanter* , id eſt per accidens, id eſt, non ex dicto affectu, vel intentione, nullam exindè malitiam contrahit. *Ratio*. Tum quia non formaliter, nec virtualiter eſt cauſa omiſſionis, quia habet ſe per accidens ad illam. Tum etiam, quia, licèt Miſſam impediat *materialiter* , & phyſicè, quia ſi non compleretur, non tamen *formaliter* , & moraliter, quia moraliter ſequitur ex vi alterius mali actus, ſibi præcogniti, & ſequeretur ſine finali.

* 35 QUÆRO VII. Vtrùm detur malitiæ diſtinctio, ſeu pluralitas numerica peccatorum ? *Reſp.* 1. Probabilius non à *parte* , ſed ab *obiecto* , numero , & æquè ſæpè diſtincta. *Ratio*. Peccata ſpecie diverſa cauſa ex ſpecifica diverſitate obiectorum, vt antè probatum eſt. Ergo eiam in numero multiplicantur ex numerica eorundem diverſitate in genere moris. *Prob. conſ.* Actus humanus, vi eſt peccatum, hanc ex ratione ſua *ſpecifica* reſpicit obiectum ſecundùm ſpeciem ſumptum , ita ex ratione *individuali* reſpicit obiectum in eſſe moris exiſtentiæ ſumptum. Ergo.

Oppon. Iuxta antè dicta , formalis diverſitas *habituum* ſufficit ; vt exindè peccata ſpecie diſtinguantur. Ergo etiam diverſitas numerica præceptorum ſufficit, vt exindè peccata diſtinguantur. *Negatur conſ.* Diſparitas eſt. Quia , vt dictum eſt , quando præcepta ſunt *formaliter* diverſa , ſemper adeſt ſpecifica diverſitas *motivi* , & *obiecti* , ſeù rei præceptæ : quando verò præcepta ſolùm *materialiter* differunt, non adeſt numerica diverſitas obiecti , ſeù rei præceptæ , ſed unum præceptum. Vide infra T 10. E. 3. n 13. 5. 36. de Miſſa in die feſto audienda ex voto.

* 36 *Declaratur* 1. dicta reſolutio. *Sit ex* 1. Quòd peccatum poſſit eſſe idem numero , licèt ſit prohibitum præceptis numero diſtinctis, vel idem infinitum pro eodem die poſſit præcipi pluribus præceptis numero unum diſtinctis , ex eodem motivo , v. g. temperantiæ procedentibus, cuius tranſgreſſio ſit virtualiter numero peccatum , eſt gravis. 1. *Sed ex* , quòd plures actus phyſicè diſtincti ſint virtualiter numero peccatum , ſi habeant inter ſe moralem virtualem , connexionem , ſubordinationem, tendendo ad eundem finem , ſeu obiectum adæquatum eorum : vnus phyſicè actus veluti circa plura obiecta , eiuſdem quidem rationis , quæ tamen inter ſe dictam moralem virtualem , connexionem non habet , habentur malitias numero diſtinctas : quod ſint obiecta. Exemplum vtriuſque patebit ex dictis, nimirum tum in pluribus actibus, v. g. *furandi*, *rapiendi*, &c. in crimine ad vnam copulam fornicariam : tum in eo, qui eodem ſitu ſchopeti plures occidit.

Declaratur 2. per exempla. *Primum eſt* : Qui cum confeſſario peccati mortalis poſt , de quo mortificationem antè non elicuit ; plurium hominum confeſſiones excepit, retexit , quantum potuit , vt probabilius, & melius docent Theologi : explicare numerum perlonarum, quas abſolvit , ſemper commiſſa cum ſacrilegia , quæ abſolutiones in eo peccati ſtatu datæ ſunt. *Ratio*. Quia hic nulla apparet vtilis moralis , eò quòd confeſſio penitentis abſolutio ſit integrum , & completum Sacramentum.

Oppon. prim. quòd adſit vtilis moralis , in eo ſita, quòd Confeſſarius omnes audire cadem *intentione* , *fine* , *loco* , *tempore*. Verùm hæc in præſenti ad moralem vtilitatem non ſufficiunt , ſi ex parte obiecti nulla ſit moralis connexio. Quia alias eodem argumento poſſet probari , quòd ſacerdos eadem nocte Natiuitatis Domini eodem *fine* , *intentione* , *loco* , & *eandem tempore* in peccato mort. legens tres Miſſas , iuſtam committeret vnum peccatum. *Item* , quòd qui eodem *fine* , *loco* , & *tempore* iniuſtè occideret plures homines , aut qui eadem *mala* , *loco* , *fine* , cum eadem furandi capitis peccatet , ſolum vnum committeret peccatum ; quod non debet admitti. Ergo.

Secundum exemplum. Qui vno actu , ſeù vno plures occidit , *infamavit* , aut quovis modo *læſit* , tot commiſit peccata , ſeù in vno peccati actu tot habet malitias numero moraliter diſtinctas , quot ſunt perſonæ læſæ : quarum proindè numerum debet in confeſſione explicare. *Ratio*. Quia ſunt obiecta numero moraliter adæquatè diſtincta , vtiam inter ſe connexionem , aut dependentiam motivi habentia , ſcilicet perſonæ læſæ. Ita probabilius , & tutius Theologi.

3. Actus minùs principales , ſeù circumſtantiæ comminùs concomitantes , vel præcedentes actum principalem , cum eò vnum numero peccatum conſtituunt , nec ſunt neceſſario explicandi in confeſſio-

ne.

as; iuxta sententiam probabiliorem, etsi non rutiorem. *Ratio.* Quia omnes illi actus, etsi sint mortaliter mali, quia tamen ad actum principalem ordinantur, eique coniunguntur (vt suppono) ob moralem vnitatem cum eò vnum constituunt peccatum. Et ita res se habet in *tactibus, amplexibus, osculis*, copulam fornicariam præcedentibus, modò inter hos actus, & copulam ipsam non longa intercedat mora.

An verò hoc etiam extendendum sit ad *tactus, osculo, & amplexus*, immediatè copulam subsequentes, variant Doctores: aliqui enim putant, eos actus esse *nova peccata*, adeòque in confessione esse explicandos. Rationem dant, quia tales actus subsequentes sunt principia alterius copulæ. Ergo efficiunt novum peccatum. Et hoc quidem est tutius pro confessionis integritate. *Verùm* probabilius est oppositum. *Ratio.* Quia illi tactus, vel actus sunt complementum copulæ habitę, sicut actus illam præcedentes sunt eius initium. Ergo sicut hi non sunt necessario confitendi, ita nec illi.

Hoc tamen intelligo de illis actibus, qui immediatè copulam sequuntur, si enim notabilis mora intercedat, aut fiant cum intentione novæ copulæ, non nego esse novum peccatum. Quod idem dico, si fortè actus principalis non sequeretur. Idem est de actibus non habentibus aliquam connexionem cum effectu principali, vt si quis ad peccandum cum aliquâ fuerit visus speciali quadam arte, vel potione; nam tunc est speciale peccatum, specialiter in confessione explicandum.

4. Si quis vna voluntate peccaminosa, vno itæ impetu, circa idem obiectum, seù personam, & intra eandem speciem, seù plures eiusdem speciei blasphemias, aut contumelias, vel circa eandem rem plura iuramenta repeteret, esset vnicum peccatum, nec horum actuum numerus necessario esset in confessione exprimendus, ob rationem antè datam. Secùs est, si fieret cum reflexione super singulos actus.

5. Si quis haberet voluntatem non ieiunandi tota Quadragesima, non solùm vnum, sed plurima committeret peccata; adeòque non satisfaceret, dicendo, habui voluntatem non ieiunandi, sed debet addere, *tota Quadragesima*: quia vna ieiunij omissio cum altera non habet moralem connexionem. Idem est de fœmina, quę habuit voluntatem pluribus se prostituendi.

* 37 *Resp. 2. ad Q. 7.* Peccata tam interna quàm externa distinguuntur, ac multiplicantur numero, & voluntate peccandi moraliter *interrupta*, aut renovata. *Ratio.* Quia tunc tollitur moralis vnitas actuum, & obiectorum.

Die mihi: Quomodo cognoscis, quòd voluntas moraliter censeatur interrupta? *Hoc cognosco* ex eò, quòd actus voluntatis nec *formaliter* in se, nec *virtualiter* in aliquò suo effectu, nec in prudenti hominum *arbitrio*, seù moraliter perseveret. *Sed vnde hoc cognoscis? Hoc cognosco* ex diversis Regulis. Quarum *prima est*, si plures actus successivè ponantur circa plura obiecta completè, & totaliter distincta, vt si, postquàm furatus es à *Ioanne*, furaris, vel intendas furari à *Philippo*. 2. Si homo priorem voluntatem revocet, ac retractet per pœnitentiam. 3. *Deliberatè* cessando ab aliquo actu, vt si ad delectationem morosam paulò antè voluntariè derelictam redeas, duò peccata committis: secùs, si eam dereliqueris ex aliqua distractione indeliberata. Hinc fieri potest, quòd homo eodem die, voluntatem interrumpendo, ac renovando, committat mille peccata *odij*, internæ *infidelitatis*, seù *hæresis*, morosæ delectationis, &c. 4. *Quando* actus nullam ad invicem dicunt subordinationem, vel dependentiam, vt patet ex dictis antè in exemplo tertio. 5. Quando inter plures actus, nullo voluntatis effectu inter se connexos tantum temporis intercedit, vt prudentum iudicio censeantur discontinuari: actuum enim discontinuatio in genere moris non fit per quamlibet physicam interruptionem. Sicut si sub Missa fiat concio, non ideò dicitur interrumpi; nec prandium, si sub eò legantur nova, aut aliæ literæ.

* 38 QUÆRO VII. Undè desumitur essentialis, & primaria *quantitas*, seu *gravitas*, *æqualitas*, ac *inæqualitas peccatorum? Resp.* Ab obiectis. Ita S. Thom. *hic q. 73. ar. 3. Ratio.* Peccatum ab eo habet suam gravitatem essentialem, à quo habet suam differentiam specificam: Sed, vt probatum est antea ad *Q. 5.* hanc habet ab obiecto. Ergo, &c.

Declaratur cum S. D. loco citato dicente: Ratio ordinat omnia in agibilibus ex fine, & ideò quantè peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tantò peccatum est gravius: obiecta autem actuum sunt fines eorum, ò ideò secundùm diversitatem obiectorum attenditur diversitas gravitatis in peccatis. Sicut patet, quòd res exteriores ordinantur ad hominem sicut ad finem, homo autem ordinatur vlteriùs in Deum, sicut in finem. Undè peccatum, quod est circa ipsam substantiam hominis, sicut *homicidium*, est gravius peccato, quod est circa res exteriores, sicut *furtum*: & adhuc est gravius peccatum, quod immediatè contra Deum committur, sicut *infidelitas, blasphemia*, & huiusmodi. Et in ordine quorumlibet horum peccatorum, vnum peccatum est gravius altero, secundùm quòd est circa aliquid principalius, vel minùs principale. Hæc S. D.

Hinc inter peccata, quæ sunt immediatè contra Deum, odium Dei gravius est, quam infidelitas, vel blasphemia: quia obiectum odij Dei est ipse Deus in se ipso, qualiter non est obiectum aliorum peccatorum. Inter peccata contra substantiam hominis *homicidium* gravius est quàm *mutilatio*. Inter peccata circa res exteriores *adulterium* est gravius peccatum quàm *furtum*, cùm habeat pro obiecto rem alteri magis coniunctam, scilicèt eius vxorem: simplex verò furtum pro obiecto habet res magis *separatas*.

Nota tamen, quòd, licèt verum sit, quòd malitia specifica ex graviori, & rationi magis dissono obiecto sit ex genere suo maior ea, quę sumitur ex obiecto minùs gravi, in individuo tamen contingere possit, quòd ex adiunctis circumstantijs peccatum ex obiecto gravius, fiat in exercicio levius, & econtra. *Sit exemplum. Furtum* ex genere suo est levius *homicidio*, & tamen furari ærarium publicum, vel frumentum, quòd servatur ad necessariam sustentationem Reip. in individuo est gravius peccatum, quàm occidere hominem plebeium. Item occidere homines gravius peccatum est, quàm vnum periurium, licèt hoc sit gravius ex parte obiecti. *Quod NB.*

* 39 QUÆRO IX. Estne peccatum eò gravius essentialiter, & secundum speciem, quò præstantiori virtuti opponitur? *Resp.* cum S. Thom. *hic q. 73. ar 4.* Quod sic. *Ratio.* Quia suprà probatum est, quòd gravitas essentialis desumatur ab obiecto: Sed quò præstantiori virtuti opponitur peccatum, eò gravius, & rationi magis repugnans habet obiectum. Ergo. *Min. prob.* Quo præstantior est virtus, eò dignius, & rationi conformius obiectum habet. Ergò peccatum ei oppositum habet obiectum eò magis dissonum ra-

tioni. Ex quo sequitur, quòd Idololatria, & odium Dei sint peccata graviora homicidio.

Circa hanc S. Thomæ doctrinam interpretes Discipuli eius nonnullas ponunt conditiones. Est enim vera ex genere suo, & cæteris paribus. *Prima conditio est*, vt intelligatur de oppositione secundùm obiectum primarium, & principale talis virtutis. Nam odium proximi opponitur præstantissimæ virtuti, scilicèt charitati, & tamen non est omnium peccatorum grauissimum, immò non est grauius hæresi, quæ opponitur fidei, quam charitas antecellit. *Ratio.* Quia odium proximi opponitur charitati, solùm vt tendit in obiectum secundarium.

Secunda conditio est. Vt oppositio cum virtute *infiriori* non includat simul oppositionem cum virtute *superiori*. Hinc *adulterium*, quod opponitur *castitati*, quæ est virtus ignobilior iustitia, cui opponitur furtum, non inde fit leuius peccatum, immò est grauius, quia includit oppositionem cum vtraque ista virtute. *Tertia.* Peccata venialia contra præstantiorem virtutem commissa indubiè sunt *leviora* mortalibus contra virtutem *ignobiliorem* committis. 4. *Ob* circumstantiam nocumenti insigniter notabilis, peccatum ignobiliori virtuti oppositum esse *graui*. Sic homicidium, quòd opponitur iustitiæ, est grauius peccatum, quàm omissio *Missæ præceptæ*, quæ est contra virtutem Religionis, præstantiorem iustitia.

* 40 QUÆRO X. Peccata spiritualia (suprà in hoc Exam. delcripta) sintne graviora carnalibus? *Resp.* cùm S. Thom. *art.* 5. dicente: Peccata *spiritualia* sunt maioris *culpæ*, quàm *carnalia*. *Declarat*, & probat hoc *S. D.* ibid. *dicens:* Non est sic intelligendum, quasi quodlibet peccatum *spirituale* sit maioris culpæ quolibet peccato *carnali*, sed quia, considerata hac sola differentia spiritualitatis, & carnalitatis, graviora sunt, quàm cætera peccata, cæteris paribus. Cuius.

Ratio triplex potest assignari. *Prima* quidem ex parte subiecti, nam peccata *spiritualia* pertinent ad spiritum, cuius est converti ad Deum, & ab eo averti; peccata verò *carnalia*, consumantur in delectatione carnalis appetitus; ad quem principaliter pertinent, ad bonum corporale converti. Et ideò peccatum *carnale*, in quantum huiusmodi, habet plus de *conversione*, propter quod etiam est maioris adhæsionis; sed peccatum *spirituale* habet plus de *aversione*, ex qua procedit ratio culpæ. Et idcò peccatum spirituale, in quantum huiusmodi, est maioris culpæ.

Secunda Ratio potest sumi ex parte eius, in *quem peccatur*, nam peccatum carnale, in quantum huiusmodi, est in corpus proprium, quod est minùs diligendum secundùm ordinem charitatis, quàm Deus, & proximus, in quos peccatur per peccata spiritualia. *Tertia Ratio* potest sumi ex parte motivi, quia quanto est grauius impulsivum ad peccandum, tanto homo minùs peccat, peccata autem carnalia habent vehementius impulsivum, id est, ipsam concupiscentiam carnis, nobis innatam. *Hæc S. D.* Ergo.

Notat hic noster *Contenson* dicens: Non ita pridem aiebat sapiens Prælatus, dolere se plurimùm, quòd in Communitatibus laxioris disciplinæ advertisset *peccata hominum*, in alijs strictiorem foris vitam profitentibus, *peccata damnum*, id est, *spiritualia*, *invidiam*, *superbiam*, *ambitionem*, &c. & alia, quæ Scotus vocat *luxurias spirituales*.

* 41 QUÆRO XI. Aggravatúrne peccatum ex circumstantia? vel ex maiori nocumento, quod infert? *Resp.* 1. cum *S. Thom. hic art.* 7. affirm. de circumstantia quòd nimirum peccatum aggravet, vel *essentialiter*, si illud transferat in aliam speciem; vel *accidentaliter*, nimirum intra eandem speciem. Sed de hoc sufficienter actum est suprà *T.* 3. *E.* 2. *n.* 2. *Pet.* 2. cum S. Thom. *ar.* 8. Potest essentialis gravitas peccati augeri ex maiori nocumento, quod proximo infertur, sive in bonis fortunæ, quæ sunt externa, sive in bonis animi, sive corporis. *Ratio.* Quia per maius damnum, quod proximo infertur, actus peccati interdum trahitur ad speciem scandali, vel iniustitiæ, nimirum *furti*, vel *detractionis*, &c. Ergo tunc variatur obiectum, ab obiecto autem desumitur gravitas essentialis, vt *Q.* 8. probatum est. Ergo.

Declarat hoc *S. D.* dicens: *Nocumentum* tripliciter se habere potest ad peccatum. Quandoquè enim nocumentum, quod provenit ex peccato, est præviſum, & intentum, sicut cùm aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, vt homicida, vel fur, & tunc directè quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum per se est obiectum peccati. Quandoquè autem nocumentum est præviſum, sed non intentum, sicut cùm aliquis transiens per agrum, vt compendiosiùs vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ sunt seminata in agro, scienter, licèt non animo nocendi, & sic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, sed indirectè, in quantum scilicèt ex voluntate multùm inclinata ad peccandum procedit, quòd aliquis non prætermittat facere damnum sibi, vel alij, quod simpliciter non vellet. Quandoquè autem *nocumentum* nec est præviſum, nec intentum, & tunc si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directè, sed propter negligentiam considerandi nocumenta, quæ consequi possent, imputantur homini ad pœnam mala, quæ eveniunt præter eius intentionem, si dabat operam rei illicitæ. Si verò *nocumentum* per se sequatur ex actu peccati, licèt non sit intentum, nec præviſum, directè peccatum aggravat: quia quæcunquè per se consequuntur ad peccatum; pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem pura, si aliquis publicè fornicetur, sequitur scandalum plurimorum, quod quamvis ipse non intendat, nec forte prævideat, directè per hoc aggravatur peccatum. Hæc S. D. Vide infra *T.* 3. *de Restit. E.* 6. de culpa requisita ad obligationem restituendi, *n.* 25. Ex his colligitur, quòd sæpè contingat aliquid esse intentum ex parte *operis*, licèt non intendatur ex parte operantis, si nimirum operi necessariò annectatur.

* 42 *Oppono* 1. Ergo grauiùs peccat, qui mulierem *seducit* ad fornicandum, quàm si illam *occidat*, ob grauius nocumentum, vtpotè in vita spirituali (quæ melior est corporali) illatum. 2. *Christus* prævidebat ex sua prædicatione, & miraculis futura Iudæorum varia peccata, *v. g.* blasphemias, detractiones, &c. & tamen non desistebat.

Ad 1. *N. illatum.* Disparitatem dat S. Thom. hic *ad* 3. dicens: *Primò.* Homicida intendit directè nocumentum proximi, fornicator autem, qui provocat mulierem, non intendit nocumentum, sed delectationem. *Secundò.* Homicida est per se, & sufficiens causa corporalis mortis, spiritualis autem mortis nullus potest alteri esse causa per se sufficiens: quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando. Hæc ibi. *Ad* 2. *Resp.* quòd peccata Iudæorum non sequebantur ex prædicatione Christi, sed ex propria eorum malitia, sicut ex sola petulantia lasciui Iuvenis oritur, si labatur in turpem amorem puellæ honestè iuxta statum suum se ornantis.

QUÆ-

* 43 QUÆRO XII. Aggravaturne peccatum ex conditione perſonę, in quam peccatur? *Reſp.* affirm. cum S. Thom hìc *ar.* 9. Ubi hoc ſic. *Declarat, & probat.* Perſona, in quam peccatur, eſt quodammodo obiectum peccati; dictum eſt autem ſuprà, quòd prima *gravitas peccati* attenditur ex parte *obiecti*, ex quo quidem tantò attenditur maior gravitas in peccato, quantò obiectum eius eſt principalior finis. Fines autem principales humanorum actuum ſunt, *Deus ipſe, homo*, & *proximus*, quidquid enim facimus, propter aliquid horum facimus, quamvis etiam horum trium vnum ſub altero ordinetur. Poteſt igitur ex parte horum trium conſiderare *maior*, vel *minor* gravitas in peccato, ſecundùm conditionem perſonę, in quam peccatur. Primò quidem ex parte *Dei*, cui tantò magis aliquis homo coniungitur, quantò eſt virtuoſior, vel Deo ſacratior, & ideò iniuria, *tali* perſonę illata, magis redundat in Deum, ſecundùm illud Zach. 2. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Undè peccatum fit gravius ex hoc, quòd peccatur in perſonam magis Deo coniunctam, vel ratione *virtutis*, vel ratione *officij*.

Ex parte etiam ſui *ipſius* manifeſtum eſt, quòd tantò aliquis gravius peccat, quantò aliquis magis in coniunctam perſonam, ſeu naturali neceſſitudine, ſeu beneficijs, ſeu quacunquè coniunctione peccaverit: quia videtur *in ſe ipſum* magis peccare, & pro tantò graviùs peccat, ſecundùm illud Eccleſ. 14. *Qui ſibi nequam eſt, cui bonus?*

Ex parte verò *proximi* tantò graviùs peccatur, quantò peccatum plures tangit. Et ideò peccatum, quòd fit in perſonam publicam, putà, *Regem*, vel *Principem*, qui gerit perſonam totius multitudinis, eſt gravius quàm peccatum, quod committitur contra perſonam privatam. Undè ſpecialiter dicitur Exod. 22. *Principi populi tui non maledices.* Et ſimiliter iniuria, quæ fit alicui *famoſæ perſonæ*, videtur eſſe gravior ex hoc, quòd in ſcandalum, & in tribulationem plurimorum redundat. Hæc S. D. Qui ex vltimis verbis ibidem infert, quòd Deus, ſi graviùs punit eum, qui contra *excellentiores* perſonas peccat, exinde tamen non dicatur acceptor perſonarum, punit enim ob rationem vltimis verbis inſinuatam.

Declaratur vlteriùs per exempla. Occiſio *Sacerdotis* eſt gravior quàm *Diaconi*. Horribilius eſt occidere *Patrem*, vel *Matrem*, quàm alios. Gravius eſt percutere *Magiſtrum*, quàm *condiſcipulum*; Doctorem, quàm ruſticum; *Principem*, quàm *ſubditum*: immò percuſsio, quæ reſpectu hominis vulgaris eſſet *venialis*, ſi fiat Principi, poteſt eſſe *mortalis*. Quoad nocumentum, quod quis ſibi ipſi infert, ait S. D. ad 2. *Si quis ſibi ipſi infert in his, quæ ſubſunt dominio propriæ voluntatis, ſicut in rebus poſſeſsis, habet minus de peccato, quàm ſi alteri inferatur: Sed in his, quæ non ſubduntur dominio voluntatis, ſicut ſunt naturalia, & ſpiritualia bona, eſt gravius peccatum, nocumentum ſibi inferre: graviùs enim peccat, qui occidit ſeipſum, quàm qui alterum.*

Not. Quòd quamvis ex parte obiecti, ſeù ex genere ſuo gravius ſit peccatum, quòd fit in perſonam Deo magis coniunctam, v. g. occidere Sacerdotem, quam quòd fit in perſonam peccanti coniunctiorem, v. g. occidere parentem; & gravius ſit, interficere parentem quàm Regem: quia primus peccat contra præſtantiorem virtutem, ſcilicèt Religionem, & peccat peccato ſacrilegij; ſecundus contra pietatem, & iuſtitiam, quæ ſunt minores virtutes: tertiùs contra iuſtitiam tantùm, quamvis, inquam, ex genere ſuo graviora ſint, in individuo tamen gravius peccatum eſt occidere Patrem, aut Matrem quàm Sacerdotem, aut virum ſanctum, eò quòd iuxta S. Th. 2. 2. *q.* 26. *art.* 7. & 8. homo teneatur magis ex charitate diligere parentes. Similiter etiam ratione alterius circumſtantiæ poteſt eſſe gravius peccatum, occidere Regem, quàm parentem, ſi nimirum ex vita Regis pendeat ſalus Reip. quia occidendo Regem, occiderentur multi, & ipſa Reſp pateretur. Eadem de cauſa poteſt in individuo maius eſſe peccatum occidere *Sacerdotem* quàm *parentem*, ſi nimirum ex vita Sacerdotis pendeat vita ſpiritualis multorum. Nequit ergo hìc certa ſtatui Regula, ſed attentis omnibus circumſtantijs prudenter menſuranda eſt peccatorum gravitas.

* 44 QUÆRO XIII Aggravaturne peccatum ex magnitudine perſonæ peccantis? *Reſp. affir.* cum S. Thom. *hìc art.* 10. *ſic diſcurrente*: Duplex eſt peccatum: quoddam ex ſubreptione proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ, & tale peccatum minùs imputatur ei, qui eſt maior in virtute, eò quòd minùs negligit huiuſmodi peccata reprimere, quæ tamen omninò ſubterfugere infirmitas humana non ſinit: alia verò peccata ſunt ex deliberatione precedentia, & iſta peccata tantò magis alicui imputantur, quanto maior eſt. Et hoc poteſt eſſe propter quatuor.

Primò quidem, quia facilius poſſunt reſiſtere peccato *maiores*, puta, qui excedunt in ſcientia, & virtute. Undè Dominus dicit, Luc. 12. quòd ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. *Secundò* propter *ingratitudinem*, quia omne bonum, quò aliquis magnificatur, eſt Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando, & quando, & quantùm ad hoc quælibet maioritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, ſecundùm illud Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur. *Tertiò* propter ſpecialem repugnantiam, actus peccati ad magnitudinem perſonæ. Sicut ſi Princeps iuſtitiam violet, qui ponitur iuſtitiæ cuſtos, & ſi Sacerdos fornicetur, qui caſtitatem vovit. *Quartò* propter exemplum, ſive ſcandalum, quia, vt Gregorius dicit in Paſtorali, in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur. Ad plurimum etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, & homines eà magis indignè ferunt. Hæc S. D. Quæri hìc poſſet: & reſolvi cum S. D. *q.* 73. *art.* 1. ad 8. & quomodo omnia peccata ſint connexa. Sed de hoc vide infrà T. 13. *E.* 2. *n.* 7.

* 45 QUÆRO XIV. Quodnam eſt ſubiectum proximum peccati, non phyſicè, ſed moraliter ſumpti? Eſtne ſola voluntas? Vel etiam intellectus? Et appetitus ſenſitivus? An membra externa? Dixi in titulo, *Proximum*, quia non nego, ſubiectum remotum peccati eſſe ipſam creaturam rationalem Dixi 2. *peccati non phyſicè ſumpti.* Certum enim eſt quòd ipſe actus phyſicus peccati ſubiectetur in potentijs, ac membris externis, v. g. impudicus tactus in manu, vel alia corporis parte, aſpectus in oculo, &c. Quæſtio ergo eſt de formali ratione malitiæ, ac deformitatis peccati. Quid ſit appetitus ſenſitivus, & quomodo dividatur, vide T. 4 *E.* 15 *n.* 10.

Suppono etiam, omne peccatum debere eſſe voluntarium, & liberum, eſt enim in genere moris, iuxta S. Thom. *autem in* 2. *d.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *Ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur.* Et S. Auguſt. *l.* 1. *Retract. c.* 13. dicit: *Peccatum adeò voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit* pecca-

[illegible] *Ita Sot. 2. 2. q. 10. a. 2. Cajet. hic, Ferr. 3. cont. 1. 2. c. 10. Vasq. 1. 2. d. 96. c. 2. Suar. hic d. 13. s. 2. Ripal. d. 3. q. 1. s. 2. Ruiz. d. 2. s. 1. Mol. 1. 2. d. 71. a. 2. Fon. l. 4. c. 2. q. 2. Ita Ferr. Suar. Ripal. Ruiz. Fon. ll. cc. Vasq. d. 96. c. 3. Mol. d. 71. a. 3. Sot. 2. 2. d. 10. a. 2. Cajet. hic, Ferr. 3. cont. 1. 2. c. 10. Vasq. 1. 2. d. 96. c. 2. Suar. hic d. 13. s. 2. Ripal. d. 3. q. 1. s. 2. Ruiz. d. 2. s. 1. Mol. 1. 2. d. 71. a. 2. Fon. l. 4. c. 2. q. 2. Ita Ferr. Suar. Ripal. Ruiz. Fon. ll. cc. Vasq. d. 96. c. 3. Mol. d. 71. a. 3.*

* *Ad 1.* Probabilius est, quod peccatum formaliter dicatur non [illegible], sed [illegible] in [illegible], seu ratione, ac in materia proxima, non autem in potentia, vel membris ejus [illegible] Thom. *ad 3. hic ad 4. art. 1. Cajet. hic, Sot. d. 10. a. 2. Suar. d. 13. s. 2. Ripal. d. 3. q. 1. s. 2. Ruiz. d. 2. s. 1. Mol. d. 71. a. 3. Fon. l. 4. c. 2. q. 2. Ita Ferr. Suar. Ripal. Ruiz. Fon. ll. cc. Vasq. d. 96. c. 3. Mol. d. 71. a. 3. Sot. 2. 2. d. 10. a. 2. Cajet. hic, Ferr. 3. cont. 1. 2. c. 10. Vasq. 1. 2. d. 96. c. 2. Suar. hic d. 13. s. 2. Ripal. d. 3. q. 1. s. 2. Ruiz. d. 2. s. 1. Mol. 1. 2. d. 71. a. 2. Fon. l. 4. c. 2. q. 2. Ita Ferr. Suar. Ripal. Ruiz. Fon. ll. cc. Vasq. d. 96. c. 3. Mol. d. 71. a. 3.*

*Ita S. Thom. in [illegible] art. 2. Sic [illegible] Sed non [illegible] [illegible], seu [illegible], ac in appetitu sensitivo dicere habitus [illegible] [illegible] [illegible]

formalem libertatem, & intrinsecè inhærentem, participatam tamen ex coniunctione ad voluntatem: quæ licèt non sufficiat ad peccatum *mortale*, aiunt, benè tamen ad *veniale*, ita vt motus concupiscentiæ præueniens omnem actualem motionem, & consensum voluntatis, etiam interpretativum, sit peccatum veniale iuxta illos DD. quorum sententia ab alijs censuratur esse magis *ingeniosa* quàm *vera*.

Prima pars de peccato mortali constat tum ex illo Math. 15. vbi dicitur, quòd *illa coinquinant hominem, quæ de corde exeunt*. Tum ex *Trid. sess.* 5. *de peccato*, Orig. *sic definiente*. Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per gratiam Christi repugnantibus, non valet: & hanc concupiscentiam, quam aliquando peccatum Apostolus appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquàm intellexisse, peccatum apellari, quòd verè, & propriè in renatis peccatum inclinat: si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Hæc Concil. Fomes ergo, seù concupiscentia est radix peccati, non peccatum formaliter.

Ratio. Quia lex Dei (cuius iugum suave est) non obligat ad impossibile. *Item*, in naturalibus seù in ijs, (quæ nobis non sunt liberà) nec *meremur* nec *demeremur*: sed motus concupiscentiæ omnem voluntatis consensum præuenientes vitare, est impossibile, & sæpè proueniunt ex causis merè naturalibus, vt patet in quibusdam motibus carnis. Ergo non sunt formaliter peccata.

Secunda pars, *sic* veniali, etiam colligitur ex verbis Tridentini citatis. Quia profectò concupiscentia noceret renatis non consentientibus, si absque vlla motione voluntatis, eiusque consensu *formali*, *virtuali*, *ac interpretativo*, in sensualitate esset libertas sufficiens ad peccatum veniale. Vndè ex S. Thom. *hic q.* 74. *art.* 2. *ad* 1. clarissimè ait: *Non peccatum nisi voluntate, sicut primo mouente, alijs autem potentijs peccatur, sicut ab eà motis.*

Ratio clarè colligitur ex eis, quæ supposui *n.* 41. *ante R.* Quia omne peccatum, etiam veniale, est in genere moris: Sed genus moris, iuxtà S. Thom. ibi citatum ibi incipit, vbi inuenitur dominium voluntatis. *Item* patet, nullo modo posse esse peccatum, nisi sit voluntarium. Ergo.

Hæc Angelici Doctoris verba explicat *Gonet* de motione voluntatis, non *actuali*, sed saltem *apitudinali*: seù de voluntate primò mouente, non *actu*, sed *potentia*. Contrà. Verò admissa hac Goneti explicatione, *probo*, quòd cum eà stet, voluntatem saltem interpretativè consentire. Nam S. D. *in* 2. *d.* 24. *q.* 3. *art.* 2. docèt: *Quòd motus præcedentes rationem ex eò sunt peccata, quatenus Ratio potest impedire, & debet*, quod Gonet non negat. *Subsumo*: Sed voluntas non potest, potentia nimirum proxima, de remota enim hic non est quæstio, quia aliàs etiam motus primò primi essent peccata venialia) voluntas, inquàm, non est potens motum sensualitatis reprimere sine actu *formali*, vel *interpretativo*. Ergo non est peccatum nisi adsit talis actus. Si enim voluntas motum aliquem possit cohibere, & teneatur, & non cohibet, interpretativè consentit. Præsertim cùm adsit aliquà intellectus advertentia, quæ negari nequit, cùm voluntas non feratur in incognitum.

* 50 *Oppono* 1. S. Thom. *his art.* 3. *ad* 1. Attribuit appetitui sensitivo *in nobis præ alijs animalibus quandam excellentiam, scilicet, quòd natus est obedire rationi, & quantum ad hoc potest esse principium alicuius voluntarij, & per consequens peccati.* Et in antè dictis iam sæpius in eò admissa fuit aliqua participatæ libertatis prærogativa. *Subsumo*: Sed potentia libera potest peccare. Ergo.

2. S. Thom. *hic art.* 4. expresse docèt, in sensualitate posse esse peccatum *veniale*, non verò *mortale*. Sed ibi loquitur de appetitu sensitivo præcisè sumpto. Ergo in eò, quà tali potest esse peccatum veniale. *Prob. min.* Quia dependenter à voluntate potest in sensualitate etiam esse peccatum *mortale*. Ergo. 3. Si Ratio vigilaret, posset omnes motus sensualitatis impedire. Ergo si non vigilet, nec impediat, illi motus fiunt peccata.

Ad 1. *R.* S. Thom. appetitui illam excellentiam, & libertatis prærogativam quidem attribuere, dependenter tamen à voluntate, & influxu eius. Vndè libertas quàm cum S. Thom. in appetitu sensitivo admisi vt participatam ex coniunctione voluntatis, non est talis nisi in actu primo, quæ nequit exire in actum secundum, nisi ex consensu, seù licentia voluntatis vt mouentis, aut non prohibentis, vel negligentis; saltem interpretativa.

Ad 2. *N. min. Ad prob. dist. ant.* Potest esse, si adsit advertentia rationis perfecta, *C. min.* solùm imperfecta, *N. min. & cons.* Vult ergo S. Thom. quòd in sensualitate possit esse peccatum solùm veniale, si adsit advertentia rationis solùm imperfecta, non tamen negat posse in eà esse mortale, si adsit advertentia rationis perfecta. *Ad* 3. *dist. cons.* Si Ratio etiam semper posset vigilare, *C. cons.* Cùm non semper possit, *N. cons.* Cùm enim corpus, quòd corrumpitur, aggraver animam, & deprimat sensum multa cogitantem, impossibile in hac vita rationi est semper ita vigilare, vt nulli concupiscentiæ motus insurgant.

Plura de hac re dici possent, ac meritò deberent, sed quia ad fines Philosophicos accedendum foret, & speculativa varia immiscenda præfixum moralitatis scopum offendere nolens, omissis illis, pergo ad eà, quæ cum dictis connexionem habent. Vndè

* 51 QUÆRO XVI. Motus sensualitatis primò primi, aut secundò primi, & delectatio morosa quid sunt? Suntne peccata? Præsertim consensus in eam? *Resp.* 1. Motus inordinati sensualitatis, seù concupiscentiæ sunt triplices. Alij vocantur *primò primi*, sic dicti, quia omnem rationis aduertentiam præcedunt, & naturaliter (seù non liberè sed quasi ex seipsis) in appetitu sensitivo excitantur, vti sunt subitanei, & repentini motus iræ, vel carnis, &c. hi non sunt peccata, nec mortalia, nec venialia. *Ratio*. Quia nullo modo sunt *liberi*. Ita probat Ratio adducta pro 1. *p. R. ad Q.* 15.

Alij motus vocantur *secundò primi*, sic dicti, quia fiunt cum aliquali, & semiplena advertentia, ac deliberatione, suntquè peccata venialia. *Ratio*. Quia sunt imperfectè liberi, nec fiunt ex plena advertentia rationis. Tandem alij vocantur *plenè deliberati*, quibus nimirum ex prævia plena rationis advertentia voluntas consentit. Et hi si sint circa obiectum illicitum, & lege Dei prohibitum in materia graui, sunt peccata mortalia. *Ratio*. Quia peccata speciem, & gravitatem sumunt ab obiecto, vt suprà probatum est. *Ratio* 2. Delectatio morosa est voluntaria, seù deliberata complacentia de obiecto aliquo Inhonesto, per cogitationem apprehenso, vt præsente.

Declaratur. Dixi 1. *Voluntaria, seù deliberata*, vt insinuetur, dici *morosum*, non ob moram temporis,

quo

,quò quis cogitationi immoratur, cùm etiam in instanti contingere possit, sed propter *morositatem*, seu *torporem*, ac negligentiam voluntatis; quæ licèt malitiam plenè advertat, possetque, ac deberet motum reprimere, morosè tamen ei inhæret, inque sibi complacet. Dixi 2. *De obiecto inhonesto*, seù rè illicita, nam quòd delectatio de cogitatione rei inhonestè non sit semper peccatum, posteà dicetur. Dixi 3. *Apprehenso ut præsente*. Si enim delectatio, seù complacentia sit de re vt futura, seù opere mihi vt exequendo dato occasione, est gravius, & distinctum peccatum, vtpotè consensus in opus, potestque vocari *delectatio operosa*. Hinc delectatio morosa est simplex complacentia de re inhonesta, v. g. de actu fornicationis, delectabiliter representato. Vocatur *simplex*, quia est sine efficaci desiderio operis.

* 52 *Resp.* 3. De *consensu* cum S. Thom. *hic q.* 74. *art.* 8. *Consensus* in delectationem præcisè de cogitatione rei illicitæ non est ex genere suo, seù secundùm se peccatum mortale, sed vel veniale, vel aliquando nullum. Potest tamen aliundè, & ex accidente fieri mortale.

Ratio 1. *p.* Quia delectatio est talis in *bonitate*, vel *malitia*, quale est obiectum, seù res, de quâ est, quæ si sit quid mortale, est mortalis; si veniale, venialis. *Subsumo*: Sed cogitatio secundùm se non est peccatum, vel obiectum mortale, sed interdum veniale, vt si quis inutiliter de eâ cogitet: interdum sine omni peccato, vt si quis vtiliter cogitet de ea, v. g. ad concionandum, ac disputandum, &c. Ergo. *Secunda pars* constat ex casu, quo quis cum notabili periculo consensus in ipsum opus malum, tali cogitationi immoraretur (vt facilè fieri potest in materia carnis propter obiecti delectabilis vehementiam, & lubricam appetitus vitiati propensionem) vel cum neglectu eius, ad quòd sub præcepto tenetur.

* 53 *Respondeo* 4. Delectatio morosa (seu consensus in eam) de ipso opere illicito, est peccatum mortale, si opus sit tale, v. g. fornicatio; est autem *veniale*, si opus sit tale, v. g. mendacium jocosum. *Ratio* patet ex dictis, quia gravitas peccati sumitur ab obiecto.

Not. tamen, quòd delectatio de opere adhuc dupliciter possit fieri. 1. *Vt* sit de opere ipso, vt in se malum est, & ita semper est mala pro qualitate obiecti. 2. *Vt* præcisè sit de modo aliquo artificioso, vel indifferente, vt si artificiosus modus ab alio in duello adhibitus alicui placeat, ideò præcisè, vt eo possit vti in bello justo, detestando iniustum, & hoc nullum est peccatum. *Vel*, si quis rideat super ingeniosa furta alicuius, aut super gestus hominis ebrij, sine complacentia in ipsam ebrietatis, vel furti malitiam, non excedit veniale.

* 54 *Quomodo*, & ex quo potes scire, quòd delecteris de sola cogitatione inhonesta, & non de re ipsa? *Dico*. Id colligo ex tribus 1. *Si* homo reflexè advertat se habere complacentiam in sola cogitatione, & expresè ei displiceat inhonestas operis. 2. *Si* cogitatio rei illicitę sit orta ex occasione licita, v. g. ex opere *medico*, *chirurgico*, *Casuum lectione*, *Confessionum* audientia, &c. 3. *Si* modus delectabilis, & artificiosus, quem cernis in rebus turpibus te non magis afficiat, quàm si esset in rebus pijs, aut indifferentibus.

* 55 *Estne* omnis delectatio venerea extra matrimonium peccatum mortale, sive sit appetitu sensitivo, sive sistat in voluntate, ita vt ibi nulla detur parvitas materiæ? *Affirmo*: *Ratio*. Delectatio sensualis venerea est voluptas orta in appetitu sensitivo ex commotione spiritum generationi servientium, quibus substantia seminis incalescens resolvitur: Sed hanc voluptatem, & resolutionem extra matrimonium quærere, est intrinsecè malum, & pro obiectorum diversitate est vel inchoata *malitia*, vel peccatum contra naturam, vel fornicatio, &c. Ergo. Deinde amor operis mortaliter mali, est peccatum mortale: Sed licèt delectatio sistat in sola voluntate, est tamen amor operis mortaliter mali. Ergo est peccatum mortale. *Quæ*, & *quanta* advertentia requiritur, vt delectatio morosa sit peccatum. Idem quæro de quocunquè alio peccato.

* 56 *Dico* 1. Deliberatio, seu advertentia est duplex. Una est *plena*, & *perfecta*, quæ adest, quando homo advertit non solùm ad operationem quoad entitatem naturalem eius, v. g. ad eius carnium, sed etiam ad eius prohibitionem, ac malitiam, aut periculum transgressionis legis. Alia est *imperfecta*, quæ est tunc, quando homo non plenè advertit ad malitiam actus, & hæc reperitur *in semidormientibus*, *semi-ebrijs*, aut magna passione *obrutis*, &c. qui inter bonum, & malum imperfectè discernunt. *Dico* 2. Vt aliquid in individuo imputetur ad culpam mortalem, debet adfuisse plena, & perfecta deliberatio.

Ratio. Peccatum mortale est quid perfectum in genere *mali moralis*. Ergo etiam debet esse quid perfectum in genere actus humani, seu liberi. *Item* tollit amicitiam cum Deo, & facit hominem æterno supplicio dignum. Ergo maiorem requirit deliberationem quàm peccatum veniale. Ergo perfectam. Nota tamen, sufficere plenam advertentiam malitiæ in communi. Nam qui operatur in dubio, an opus sit mortale, vel veniale, mortaliter peccat, vt patet suprà in *T.* de *Conscient.* Quia se exponit periculo peccandi mort. Pariter non excusatur, qui operatur cum inadvertentia *affectiva*, id est, cum quis potest, & tenetur advertere. Vt patet ex dictis suprà de *Ignorantia*, *T.* 3. *E.* 1. *n.* 29. *&* 30.

* 57 *Sed quid*, si quis dubitet, an habuerit plenam advertentiam, aut fuerit plenè sui compos? *Dico* 3. Si sit homo timoratæ conscientiæ, potuitque tentationem facilè in opus *deducere*, id tamen non *fecerit*, sed pro viribus restiterit, timens Dei offensam, soleatque quandotentationes obóriuntur, animum ad Deum convertere, anxietatem deponat, & censeat, se plenum consensum non dedisse.

* 58 QUÆRO XVII. Quæ est doctrina *S. Thom.* circa modum confitendi complacentiam peccati, cogitationes inhonestas, & motus carnis? *Resp.* Angelicus Doct. in Opusculo 64. id explicat, cuius ipsissima hìc refero verba. *De complacentia habita in memoria peccati.* Sciendum est, quòd quando cogitas de iniurijs receptis, & in illa memoria turbaris intra te cum aliqua mora, & appetis vindictam fieri, aut factam esse, aut doles, quòd non fuit facta per te, aut per alium: aut imaginaris aliquid facere, aut aliquem motum tenere animo vindicativo, hæc omnia sunt confitenda. & alia quæcunquè similia, si sentis in mente tua, ratione istius iniuriæ. Si autem rememorando mala præterita, quæ fecisti, non haberes dolorem, sed potius delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis moram ibidem, non credo expedire. quòd specifices ipsa peccata rememorata, si alias integrè confessus es ea, &, si non habuisti aliud, quàm delectationem in mente, sufficit dicere: Mihi venerunt ad memoriam quædam *vindictæ*, vel *iniuriæ*, quas-

quas feci, vel quædam peccata *gravia*, quæ commisi, de quibus non solùm non habui dolorem in tali cogitatione, sed de ipsis cum multa complacentia *cogitavi*, & si aliud tibi occurrit in carne, vel in mente propter dictam complacentiam, quod tibi videtur aggravare peccatum, ipsum etiam debes confiteri, *v. g.*

Si de peccato luxuriæ per te facto habuisti memoriam, & de hoc habuisti *motum carnis*, & pœnitudinem, quia ipsum peccatum non feciſti pluries, vel cum pluribus: tunc enim debes sic dicere: Ex imaginatione, quam habui de quodam peccato luxuriæ habui *motum carnis*, & complacentiam in mente, & appetivi illum feciſſe multoties, & cum multis personis, & sic non oportet te indicare Confessori, re jam feciſſe illud peccatum, nisi fortè aliàs idem indicaſſes, & nisi pro maiore humilitate, & merito velis ipsum ei similiter explicare. Si autem recordaris te habuiſſe opportunitatem faciendi aliquod peccatum, quod non feciſti, & in illa recordatione non gaudes te evaſiſſe illud peccatum, nec regratiaris Deo, qui custodivit te ab ipso, & abstulit opportunitatem, & voluntatem faciendi ipsum, & omnia ista sunt pleniùs referenda. Videtur enim in hoc magna ingratitudo, & peccati commissio voluntaria. Sed si in prædicta recordatione peccatorum, & maximè carnalium, non posses vitare complacentiam, & motus carnis, dum velles ea studiosè recolere, causa te ipsum excitandi ad compunctionem, & dolorem, consulo tibi, quòd non ea specialiter recolas, nec etiam alia peccata, quæ non potest sine complacentia recolere; sicut est vindicta facta per te, vel per alium de inimico tuo, aut damnum, aut mors eius, quem occidiſti.

Debes ergo omnia peccata tua, si vis confiteri generaliter sub duobus, scilicèt superbia, & delectatione carnis, confitendo dicere sic: *Corde meditando, & ore proferendo*, dico meam culpam de superbia, quam habui contra Deum, & proximum, irascendo, invidendo, alios provocando, mundi gloriam appetendo, proximos judicando, Dei creaturam contemnendo, me ipsum bonum reputando, alios vilificando, de Dei operibus, ac judicijs, & eius permisſionibus murmurando, bonas eius inspirationes, & omnia beneficia negligendo, impetus vitiosos sectando, blaſphemando, & nomen Dei in vanum proferendo, & linguam meam contra veritatem per mendationes, & simulationes, per duplicitates, & adulationes, per juramenta, & multa alia verba vitiosa taxando, otiosè, ac accidiosè vivendo: de me nimis confitendo, de fide dubitando, de occultis Dei operibus rationem præsumptuosè quærendo: plus, quàm oportet, sapere de Deo, & de proximo, & de sæculo scire cupiendo, gratiam Dei non humiliter affectando, dona Dei occulta temerariè propalando: non in veritate, sed in hypocriſi, & falsitate coram Deo, & hominibus ambulando, & multa alia per superbiam mentaliter, & corporaliter exercendo. Hæc S. Thom. In cuius verbis.

Notanda sunt 1. illa, *si aliud tibi occurrit, quod videtur aggravare peccatum, debes confiteri. Resp.* Dum dicit, quòd non sit opus in confeſsione exprimere peccatum (de quo quis delectatur) fuiſſe olim à se commiſſum, si iam sit ritè confeſſum, non tamen negat S. D. sed supponit, speciem peccati esse exprimendam. 2. Quòd ponit casum de eo, qui in speciali, & distincta recogitatione peccatorum, maximè carnalium, non poſſet vitare complacentiam, dicitque illi licere, assignato modò generaliùs confiteri: quod proinde non debet extendi ad quemcunque casum.

* 59 *De cogitationibus inhoneſtis.* S. Doctor ait: Plerique dubitant, si cogitationes inhoneſtæ sint exterius explicandæ. Credo, quòd hoc facere sit puritatis, & perfectionis, & magni meriti, sed non credo esse necessitatis semper, nisi quando ex nimia mora facta in cogitatione illa homo sentiret se inclinari ad faciendum, & perficiendum cogitatum, si opportunitatem haberet, quam vellet: aut si polluereturex illa vehementi cogitatione morosa, aut si inordinatè afficeretur ad aliquam personam, & de ipsa multùm moleſtaretur in cogitatione, habendo motus carnis, & imaginando aliquos actus impudicos cum ipsa persona. Hunc enim affectum inordinatum debes exprimere cum cogitationibus, & motibus carnis præcedentibus, dicendo affectum sic: Habui affectum sensualem, & inordinatum ad quandam mulierem, vel quendam juvenem talis conditionis, & hunc affectum concepi ex complacentia habita in aspectu, & collocutione, ac præsentia corporali ipsius. De ipso, vel de ipsa habui tot vicibus, ac multoties imaginationes turpes, respiciendo eam oculis corporeis, vel mentis faciem, vel aliam partem corporis eius, & imaginando cum ipsa persona habere amplexus, & oscula, vel talem actum impudicum, & in his feci moram, per magnum spatium habendo motus carnis libidinoſos. Et specialiter accidit mihi in oratione existendo, aut Miſſam dicendo, & semper fui negligens ad laborandum pro posse ad expellendum talia per propositum, propter nimiam delectationem, quam habebam: nec curavi, quatenùs potui refrenare oculos ab aspectu illius personæ: quando habui præsentiam eius. Quicunque igitur tales, & tali modo cogitationes, & affectus exprimeret vitioſos, ab eis citò liberaretur: dummodò cum tali confeſsione continuaret orationem, & custodiam sensuum, quia dæmon non potest sustinere humilitatem puræ confeſsionis, cùm sit superbus, & immundus, & omnis humilitatis, & munditiæ inimicus. Et idcò non est melior, & facilior modus ad evadendas tentationes superbiæ, & luxuriæ, quàm omnes cogitationes vitioſas, cum suis circumstantijs concurrentibus in carne, vel in mente sæpè, & clarè detegere Confeſſori, & toties exprimere, quoties renovantur. Hæc ibi.

* 60 *De motibus carnis.* Sic ait Angelicus. Sciendum est, quòd motus in carne, qui non provenit ex cogitatione impudica absque voluntate, & sine causa, scilicèt visus, vel auditus, sine aliqua causa extrinseca inhoneſta, sine dubio provenit ex nimia repletione priùs facta in cibo, & potu. Quidam tamen putant, quòd provenit ex nimia vigilia, quòd poteſt esse, maximè, quando constat eijs, quòd non provenit eis ex aliqua causa prædicta. Et ideò oportet hominem esse parcum in dicta quoad qualitatem, & quantitatem, quando de talibus moleſtatur contra voluntatem, & cum displicentia. Nam intra corpus oritur causa, quia secundum *Hieron.* corpus, & genitalia proxima sunt. Et hoc intelligo, quando non à causa exteriori, & tunc oportet cavere ipsum ab aspectibus, & collocutione, & ab approximationibus personarum, in quarum præsentia sentit se sensualiter delectari: alioquin ille, qui videtur motus *naturalis*, fieret *vitioſus*. Et quamvis sit securum confiteri tales motus procedentes sine causa vitioſa, quorum intemperantia videtur causa, dum tamen per ipsos non turbetur amor, & desiderium puritatis in corde, corporalis castitas non maculatur. Si verò pro-

procedunt à causa vitiosa, confitenda sunt, *causa, locus, & tempus*, mora contracta in eis, & vices motuum: sicut suprà de circumstantijs peccatorum dictum est. Non enim sufficit generaliter dicere culpam de motibus, sed debes dicere sic: Dum essem in *Ecclesia*, vel in *oratione*, vel dum audirem *Missam*, aut *Prædicationem*, cogitavi talem actum turpem, aut habui memoriam alicuius personę, in cuius aspectu iam habui vnam concupiscentiam, aut inordinatum amorem: aut aspexi in *Ecclesia* talem personam cum complacentia *impudica*, cuius causa habui motus carnis impudicos toties, & per tantam moram. Et si dixisti illi aliqua verba gratiosa *prolixè*, aut fecisti aliquod servitium *malitiosè*, vt scilicèt haberes complacentiam libidinosam, & motus carnales per maiorem moram, totum confiteri debes, maximè si verba non dixisses, aut servitium non fecisses sic prolixè, si de istius præsentia delectationem non habuisses. Hæc S. D.

* 61 QUÆRO XVIII. Delectatio morosa estne eiusdem speciei cum opere externo? & quid, si fiat cum præcisione obiecti? *Resp.* 1. Indubitatum est, quòd sic absolutè interroganti, respondendum sit affirmativè propter testimonium Christi, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Ratio.* Quia actus sumit speciem ab obiecto: Sed delectatio morosa, & actus externus habent idem obiectum. Ergo.

Resp. 2. Certum etiam est, quòd si quis delectationi suę ex intentione præfigat qualitatem personæ, v. g. coniugatę, vel religiosę: vel sit circa bestiam, aut personam eiusdem sexus, peccatum sortiatur speciem adulterij, sacrilegij, sodomiæ, &c. & non præcisè simplicis fornicationis. *Ratio* est, quæ anteà.

Resp. 4. Idem est, si delectationi adiunctus sit consensus in opus, nimirum tunc indubitatè esse eiusdem speciei cum opere externo. *Ratio.* Consensus pro suo obiecto specificativo respicit ipsum opus vt est, vel erit à parte rei, spectatum cum omnibus circumstantijs invincibiliter non ignoratis. Ergo habet illas, & tot species malitiæ, quot & quas habet opus externum.

* 62 *Resp.* 5. Delectatio morosa venerea circa personam *coniugatam, consanguineam, religiosam*, absque consensu in opus, & sine formali oblectatione de qualitate personæ (vtpotè quam tibi imaginaris præcisè sub ratione *fœminæ pulchræ*) non contrahit solùm partem malitiæ, scilicèt simplicis fornicationis, sed contrahit eandem, & totam speciem malitiæ, quæ esset in ipso opere, si id fieret, nimirum *adulterij*, vel *incestus*, *sacrilegij*, &c. quæ circumstantiæ proinde omnes in confessione sunt exprimendæ.

Hęc Sententia est contra nonnullos intra, & extra scholam S. Thomæ, est tamen tutior, & probabilior propter auctoritatem, & rationem S. Doctoris hic q. 74. a. 8. ad 4. dicentis: *Delectatio, quæ habet actum exteriorem pro obiecto, non potest esse absque complacentia exterioris actus secundum se, etiam si non finaliter intendatur.* Et q. 15. de verit. a. 3. hanc sententiam sic probat: Non sola voluntas operis, sed etiam delectatio de opere sequitur naturam ipsius operis, quod est finis intrinsecus ipsius, delectationes quippè sunt propter operationes. Ergo *Nos.* quod dicitur hic de morosa delectatione, idem dicendum est de impuris tactibus, osculis, amplexibus, &c.

* 62 *Ratio. & declaratio* huius sententiæ est, quia simul excluditur fundamentum Adversariorum. Licèt verum sit, quòd delectatio sumat speciem ab obiecto, non quomodocunquè, sed vt apprehenso, & cognito, possit autem *persona coniugata*, aut *religiosa* apprehendi, vt *fœmina pulchra*, præscindendo à statu *coniugij*, vel *voti*, eo ipso tamen, quòd oblectans cognoscat illas circumstantias aut invincibiliter non ignoret, & eligat magis de venereo opere, cum personæ talibus circumstantijs à se cognitis affecta delectari, quàm affectum retrahere, eo ipso, inquam, tales circumstantiæ *implicitè*, & *interpretativè* sunt volitæ, & in obiecto formali contentæ. *Subsumo:* Sed ad peccatum mort sufficit advertentia (idem est de consensu) *interpretativa*, ab alijs dicta *virtualis* in eo ita, quòd licèt quis actualiter malitiam non advertat, possit tamen, & teneatur advertere. Ergo. *Min. prob.* Tum quia in moralibus *interpretativum* æquivalet formali, tum etiam, quia iuxta Theologos aliqua peccata dicuntur fieri ex certa malitia, & aliqua ex passione, aut ignorantia: Sed si ad peccatum mort non sufficeret advertentia *interpretativa*, seu *virtualis*, omnia peccata fierent ex malitia, quia fierent ex certa scientia, & expressa malitię advertentia. Ergo.

* 64 *Sed dic*, quando censetur quis posse *advertere*, &, cùm non *advertat*, habere advertentiam interpretativam? *Dico.* Tunc, quando habet iudicium *expeditum*, & non (instar amentium, ebriorum, aut vehementi passione laborantium) *absortum*, seu alligatum, ita vt advertat se habere reflexionem suprà seipsum, & interrogatus mox posset respondere de re, quam cogitat.

Oppono Dixisti antea, posse hominem sine peccato, saltem gravi, delectari de duello (idem est de furto) vt ingenioso, licèt non vt iniusto. *Idem* est de verbis ioco iocis, quà facetis, non vt impuris *Cur* non à pari de persona sacra, non quà tali, sed vt pulchra? *Disparitas patet* ex S. Thom. ante adducto, quia delectatio de opere sequitur naturam operis, & opus à circumstantijs personæ non præscindit: ast in exemplis obiectis delectatio non est de *opere*, sed de *modo operis*, qui tantùm per accidens materiæ inhonestæ coniungitur, cùm in rebus etiam honestis reperiri possit.

* 65 QUÆRO XIX. Quid sentis de illis, qui oblectantur *prohibitis*, sub conditione, si *non essent prohibita*? & in specie quid *de actu*, si hæc esset mea vxor, accederem ad eam? *Quid* de *vidua, sponsa*, vel *coniugata*, se oblectante circa copulam habitam, vel futuram?

Respondeo 1. Qui de obiecto malo delectatur sub *conditione*, quæ malitiam operis non aufert, nec adferre potest, vti nequit in actibus intrinsecè malis, nec vlla circumstantia cohonestabilibus, vt sunt, fornicario, mendacium, &c. *v. g.* dicit quis, vellem *fornicari*, *mentiri*, &c. si non esset peccatum, probabiliùs peccat iuxta obiecti gravitatem, nimirum mortaliter, si illud est tale. *Ratio.* Actus illi sunt intrinsecè mali, nec potest (saltem practicè) malitia ab eis præscindi. Ergo conditio velut impossibilis habetur pro non adiecta. Ergo.

* 66 *Resp.* 2. Loquendo de illis, quæ non sunt *intrinsecè mala*, nec prohibita quia *mala*, sed mala quia *prohibita*, vti est *v. g.* comestio carnium die Veneris, & similia, à quibus (vt loquuntur DD.) conditio malitiam auferre potest: *item* loquendo de eo, qui cum delectatione eliceret hunc actum: *si hæc esset mea vxor accederem ad eam, secùs non.* De his, inquam, loquendo probabilior mihi videtur sententia *Caietani* (dum agit de illo conditionatu actu

vxo-

vxorio) distinguentis inter desiderium *delectationis*, & *delectationem* ipsam. Sub qua distinctione teneo, quòd licèt quis licitè possit desiderare in præfatis delectari (quamvis vt plurimùm sit actus vanus, & venialiter malus) sub illa conditione, ipsa tamen voluntaria delectatio sit mortalis iuxta qualitatem obiecti.

Ratio. Quia desiderium potest ferri cum conditione super opus, delectatio tamen voluntaria, quam quis in præsenti de tali opere accipit, non fertur cum, sed sine conditione. Ergo est de re illicita, & peccatum.

Declarat hoc Barthol. *Medina* obseruando, quòd cùm aliquis desiderat actum coniugij *conditionaliter* cùm aliqua, id est, si esset *sua*, non peccat, quoniam tale desiderium habet obiectum rationi consentaneum: sed cùm delectatur quis de huiusmodi actu conditionato cogitato, delectatio ipsa non spectat ad obiectum *desideratum*, & *cogitatum*, quatenus est conditionale, ac per hoc redit ad naturam sui generis, scilicèt delectationis morosæ de illicito concubitu, ac si illa conditio non esse cogitata. Vide Not. pro R. 5.

Subdit. Et quòd hæc doctrina sit ex necessitate amplectenda, vel ex hoc demonstratur, quia alioquin omnia repleretur *libidinibus, & delectationibus*; nam & *Religiosus* posset habere istas delectationes, & Monachus in istis delectationibus conditionalibus occupari. Ita ille. Quod ipsum etiam applicari potest ad alios actus *conditionales*, quorum fit mentio in R. 2. De quibus videatur. *Ratio*, & declaratio data pro R. 5. *ad q.* 18.

Nec est eadem ratio sicut de eò, qui sperat se habiturum puellam in vxorem, is enim habet pro obiecto actum bonum, scilicèt *coniugij*, & absolutè, non sub conditione futurum: hic autem, qui delectatur de actu cogitato cum aliqua si esset sua vxor, habet pro obiecto *actum malum*, scilicèt non *coniugij*, cùm de facto sine conditione de illo delectetur, sicquè actus ille sit actus fornicationis, vt ait prefatus Author.

* 67 *Resp.* 3. Si *viduus*, *vidua*, *sponsus*, *aut sponsa*, delectatione præcisè rationali, id est, non secuto, vel intento vllo motu carnis, seù concupiscentiæ sensualis, gaudeant de legitimo actu *matrimoniali*, formaliter vt *præterito*, aut *futuro*, eumquè approbent propter bonum aliquem, v. g. ob liberos honestè procreatos, aut procreandos, hæreditatem adeptam, vel adipiscendam, si nullatenus eum sibi imaginentur vt præsentem, non peccant.

Ratio. Quia obiectum talis complacentiæ non est malum, nec per se excitat motus libidinosos, seù carnis. Si tamen *periculum pollutionis* adesset, peccarent mortaliter ex hoc accidente.

* 68 *Resp.* 4. Prædicti graviter peccant, si copulam sibi imaginentur vt *præsentem*, & ex eius, vt præsentis imaginatione se delectent sensualiter, excitando in se voluptatem carnalem, id est, motus carnis, appetitus sensitivi, seù sensualitatis. *Ratio.* Talia non licent, nisi ad actum coniugij legitimè consummandum, qui actus tali *vidua*, aut *sponsus*, vel impossibilis, vel illicitus est, vt patet. Ergo.

* 69 *Resp.* 5. Si prædicti, sponsus, aut vidua, delectarent se in copula imaginata, vt *præsente*, delectatione vt *fixore* in appetitu rationali, id est, in voluntate, & non redundante in appetitum *sensitivum*, tamen peccarent iuxta probabiliorem sententiam. *Ratio.* Illa rationalis delectatio de copula, vt præsente per se est causa imperatorum motuum carnis. Ergo. *Nota*, hanc distinctionem esse etiam adhibendam circa illum actum vxorium conditionatum, de quò in R. 2.

* 70 *Resp.* 6. Loquendo de coniugatis, certum est *primò*, quòd mortaliter peccent, si in actu coniugali delectabiliter sibi imaginentur aliam personam, quasi cum eà rem haberent. *Ratio.* Quia obiectum talis delectationis repugnat rectæ rationi. Certum est 2. *eos* mortaliter peccare, si in absentia compartis de copula maritali se oblectent cum periculo pollutionis. *Ratio* patebit infrà T. 5. R. 2. n. 53.

* 71 Verùm difficultas est, casu quò desit hoc periculum. Docent quidem aliqui DD. quòd coniuges in absentia compartis carnaliter erga compartem absentem se oblectantes, venereos motus excitando, possint excusari ratione status matrimonialis. *Tutior* tamen, & probabilior est sententia nostri Sylvestri, & aliorum asserentium, quod *graviter peccent*. Præsertim quia & Doctores oppositæ sententiæ valdè timide illi adhærent: fatentur enim, non satis liquere, quòd matrimonium delectationes carnales, vsum matrimonij non concomitantes, nec ad eum disponentes, à mortali excuset.

Ratio patet ex his modò dictis. Nam coniugatis non licèt quocumquè modo frui delectationibus carnis, nisi in quantum sunt *præambula*, vel *dispositiones* corporis ad *actum inde consummandum*, vel eum comitantur. Sicut nec eis licèt solitariè per tactus impudicos *excitare* tales delectationes. Ergo nec licèt eis per cogitatum copulæ habitæ, habendæ, aut imaginariè præsentis delectationes carnales commovere, eisve indulgere, cùm & istę nec disponant ad vsum matrimonij, nec eum comitentur.

* 72 *Quid censes* de illis, qui sub specie spiritualis mortificationis faciunt mulieres coram se nudari, vt eas disciplinent? *Dico* cum Sylvestro. Non est dubium, eos mortaliter peccare, si libido principaliter sit in causa. *Idem est*, si id faciant ex curiosa sensualitate videndi: immò licèt faciant ex stulta intentione mortificandi, nequeunt excusari à mortali. *Ratio.* Quia est contra naturalem honestatem, sitquè cum periculo lapsus, & scandali.

* 73 QUÆRO XX. Vt delectatio morosa, & carnis tentatio homini non imputetur ad culpam, saltem mortalem, quàm resistentiam, & quæ media tenetur adhibere? *Resp.* 1. Qui ad motus carnis, quos advertit, habet se merè negativè, ac permissivè, eos positivè, nec approbans, nec positivè improbans, nec vllam, simplicem quidem, internam animi displicentiam ijs opponens, peccat mortaliter. *Ratio.* Quia exponit se probabili periculo consensus, *qui autem amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3.

* 74 *Resp.* 2. Si desit periculum consensus, non tenetur homo adhibere media extraordinaria, ac difficilia, vti sunt *iejunia*, *cilicia*, *flagella* corporis, &c. nec tenetur desistere, si sit in occupatione aliquà honesta, vel sibi vtili, v. g. studio *canonum contiuis*, opere artis *Medicæ*, vel *Chirurgicæ*, si exindè tentationes insurgant, modò alia in sequenti R. assignanda media opponat, etsi in effectu non coerceat, dummodò conetur. *Ratio.* Quia tunc deest ratio voluntarij.

* 75 *Resp.* 3. Qui absquè rationabili causa, v. g. studij, vel operis Chirurgici, ex sola sui animi, & constantię confidentia, motus carnis, ex naturali proclivitate exortos, dum eos plenè advertit, non conatur reprimere, sed quasi contemptim, & negligentim permittit, nec adhibet remedia saltem ordinaria, v. g. animum, ac phantasiam applicando ad

alia, nimirum, vel ad preces, vel ad ſtudia, ad alios diſcurſus de novellis, de hiſtorijs: vel ſe applicando cuidam honeſto luſui, labori manualia, &c. talis, inquam peccat mortaliter. Quæ media, ſcilicèt eorum aliquod, vel aliqua præter internam ſimplicem diſplicentiam, ſub mortali ſunt adhibenda. Hæc ſententia eſt minor, & probabilior, habet tamen diverſos Adverſarios.

Ratio. Suprà probatum eſt, quòd ad peccatum mortale ſufficiat conſenſus *interpretativus*: Sed homo moroſam delectationem, aut carnis tentationem plenè advertens, & nullum, ex mediis ſaltem ordinatijs opponens, interpretativè in eam conſentit. Ergo mort. peccat. *Min. prob.* Qui delectationem, vel tentationem reprimere poteſt, & tenetur, & non reprimit, interpretativè ei conſentit, vt patet: Sed homo, de quo eſt ſermo, & poteſt eam reprimere, vt ſupponitur, & tenetur: quod *prob.* Ratio habet naturalem obligationem impediendi inordinatas inclinationes potentiarum inferiorum, ſibi ſubditarum, & hoc ideò, quia Natura eam conſtituit ad illas regendas, in quo regimine ſi deficiat, peccat, cùm regere poſſit. *Subſumo*: Sed delectatio venerea habet gravem inordinationem, ac deformitatem, vt patet ex dictis. Ergo.

Nec eſt, quòd Adverſarij confugiant ad ſimplicem diſplicentiam, putantes eam ſufficere ad excuſandum à peccato. *Non*, inquam, per hoc ſe ſalvant. Quia vt ſuprà *T. 3. E. 1. n. 16.* oſtenſum eſt, ſimplex diſplicentia non tollit voluntarium abſolutum. Cuius exemplum ibi datum eſt in mercatore, ex metu naufragij proijciente merces in mare. Ergo cum illa manet delectatio moroſa interpretativè voluntaria, niſi etiam alia adhibeantur media.

* 76 QUÆRO XX^I. Quæ ſunt cauſæ delectationis venereæ, quas homo tenetur vitare? & in quibus motus impuri ſolent prævideri, aut excitari? *Reſp.* 1. Aliquæ cauſæ ſunt honeſtæ, vtiles, neceſſariæ, *v. g.* ſtudium *diſputatione*, vel *concione* de *luxuria*, confeſſionum audientia, curatio corporum circa partes *pudendas*: ex quibus actibus ſequi poteſt carnis tentatio, erectio virgæ, moroſa delectatio, pollutio, &c. Ad eandem cauſam referuntur earundem partium purgatio à ſordibus. Has ergo cauſas non tenetur homo vitare, ſecluſo periculo conſenſus.

Ratio 1. Tunc illi motus obſcœni, nec *directè* (vt ſupponitur) ſunt voluntarij, nec *indirectè*. Quod *prob.* Voluntarium indirectum, & interpretativum eſt, cùm non facio, vel non impedio, quòd *præter poſſe* etiam teneor facere, vel impedire: Sed habens iuſtam, & rationabilem cauſam ponendi actus præfatos (ex quibus motus inordinati carnis conſurgunt) non tenetur eos non ponere. Ergo.

Ratio 2. Effectus, qui per accidens, & præter intentionem ſequitur, non imputatur ei, qui proſequitur, ſuum ius: Sed homo dictas actiones exercens proſequitur ſuum ius, & effectus ſequitur præter intentionem, nec actio illa eſt cauſa proxima, & notabiliter, ac per ſe influens. Ergo non tenetur deſiſtere, ſi advertat impuros motus exinde conſurgere. Dixi. *Secluſo periculo conſenſus*, puta, *proximo*: de quo quid ſentiendum, dicetur *T. 5. E. 2. n. 53.*

* 77 *Reſp.* 2. Aliæ ſunt cauſæ indifferentes, vt *equitare*, ſe *balneare*, *comedere calida*, *iacere* in molli *lecto*, certo *ſitu* vti in eo, &c. & de his eſt eadem ratio, quæ de prioribus. Præſertim ſiqua in eis ſit occaſio peccati, ſolùm eſt *remota*, quæ quandiù manet talis, non eſt neceſſariò vitanda, vt dicetur infrà loco mox citato.

* 78 *Reſp.* 3. Aliæ ſunt cauſæ peccaminoſæ, vel mortales, vel veniales, intra, vel extra genus luxuriæ. Harum aliquæ ſunt proximè, & per ſe influentes, *v. g.* voluntariæ impuræ cogitationes, tactus, oſcula, aſpectus libidinoſi, id eſt, animo impuro, ſeu venereæ delectationis captandæ gratia facti, qui ſemper ſunt peccata mortalia. *Item* eſt de aſpectu proprioris verendorum. *Tandem* aliæ ſunt cauſæ remotæ, & per accidens, *v. g.* liberior potus, &c. Ex his, qui exercet actionem ex natura ſua turpem, mortaliter culpabilem in genere luxuriæ, in eaque prævidet, vel pollutionem, vel motum laſcivum, peccat mortaliter peccato mollitiei. Et ita eſt de pollutione, ſive in vigilia, ſive in ſomno ſecuta ad prævios obſcœnos tactus, aſpectus, cogitationes, &c. *Ratio.* Qui eſt cauſa cauſæ per ſe, eſt etiam cauſa cauſati: Sed talis actio eſt cauſa per ſe motus libidinoſi. Ergo qui, &c.

* 79 *Reſp.* 4. Si motus *obſcœnus*, aut pollutio præter intentionem ſequatur, aut prævideatur ex cauſa ſolùm remota, & quæ eſt extra genus luxuriæ, *v. g.* ex liberiore potu, motus ille non eſt grave peccatum, licèt illa actio, ex qua ſequitur, vt voluntaria *inebriatio*, aliundè ſit mortalis.

Ratio. Non eſt gravis obligatio vitandi omnes cauſas *remotas*, & per accidens tales, reſpectu alicuius effectus, vel actus prohibiti, niſi ſit periculum conſenſus, præſertim ſi talis effectus non ſequatur ex vi talis cauſæ: Sed impuri motus carnis, vel pollutio ſequuntur in caſu poſito magis ex naturæ infirmitate, ac proclivitate, quam ex tali cauſa remota, *v. g.* liberiore potu. Ergo. Nor. quòd de peccato veniali, nec Adverſarij dubitant, adeòque conſultiſſimum eſt, pro poſſibili vitare omnes cauſas etiam remotas motus libidinoſi.

* 80 *Oppono.* Ad voluntarium interpretativum in cauſa ſufficit, quòd effectus prævideatur in cauſa, quam homo poteſt, & tenetur vitare: Sed ebritatem *v. g.* homo tenetur vitare. Ergo motus venereus in ea prævius ſit interpretativè voluntarius.

Ad hoc diſt. maj. In cauſa, quam vitare tenetur, *debito* proveniente ex præcepto, quo talis effectus prohibetur, *C. maj.* aliundè, *N. maj.* Sed tenetur vitare ebrietatem ex diſtincto præcepto, nimirum ſobrietatis, *C. min.* ex præcepto caſtitatis, *N. min.* & *conſ.* Ebrietas ergo vitanda eſt ex præcepto ſobrietatis, præceptum verò caſtitatis cauſas remotas venereæ commotionis non prohibet. Ergo illa non ſit interpretativè voluntaria.

* 81 Ex hactenus dictis conſtat, an excuſentur, aut quàm graviter peccent, qui *legunt*, *cantant*, vel *audiunt* impuras cantilenas. Qui legunt, vel legi audiunt *libros amorum*, vel *geſtarum laſciviarum*, *Ovidij*, *Martialis*, *Catulli*, *Tibulli*, &c. niſi ſint purgati à locis incentivis ad libidinem. Qui aſpiciunt, vel aſpicere affectant *ſecretiora* fœminæ, vel viri, &c.

* 82 QUÆRO XXII. Peccatum habetne cauſam? & quam? Ante *R. Not.* de cauſa ſubjectiva peccati ſufficienter actum eſſe in hoc *E. n. 45. Item*, quòd Deus non ſit cauſa efficiens peccati, patet ex dictis circa *q.* 4. dum egimus de conſtitutivo peccati.

* 83 Peccatum habet cauſam, & quidem etiam per ſe, ſi ſumatur pro materiali, ſeu pro actu: per accidens verò, ſi ſumatur pro ipſa inordinatione, deformitate, ſeu carentia rectitudinis: quam ſuprà diximus eſſe formale peccati. Ita S. Thom. hic q. 65. art. 1. in c. dicens: *Peccatum eſt quidam actus inordinatus, ex parte igitur actus poteſt habere per ſe cauſam, ſicut & quilibet alius actus: ex parte autem inordinationis habet cauſam eo modo, quo negatio, vel privatio poteſt haberi cauſam.*

De-

Declarat hæc subdens : Negationis alicuius potest duplex causa assignari. Primò quidem defectus causæ affirmationis, id est, ipsius causę negatio est causa negationis secundùm se ipsam, ad remotionem enim causæ sequitur remotio effectus, sicut obscuritatis causa est absentia Solis. Alio modo causa affirmationis, ad quàm sequitur negatio, est per accidens causa negationis consequentis, sicut ignis causando calorem ex principali intentione, consequenter causat privationem frigiditatis, quorum primum potest sufficere ad simplicem negationem. Sed cùm inordinatio peccati, & quolibet malum non sit simplex negatio, sed privatio eius, quod aliquid natum est, & debet habere, necesse est, quòd talis inordinatio habeat causam agentem per accidens. Quod enim natum, est inesse & debet, nunquàm abesset, nisi propter causam aliquàm impedientem. Et secundùm hoc consuevit dici, quòd malum, quòd in quadam privatione consistit, habet causam deficientem, vel agentem per accidens: omnis autem causa per accidens reducitur ad causam per se. Cùm igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens, ex parte autem actus habeat causam agentem per se, sequitur, quòd inordinato peccati consequatur ex ipsa causa actus. Hęc S. D. Vide suprà in hoc E. *num.* 18. vbi *inordinationem*, *aversionem*, & *carentiam* distinxi in *contrariam* (quæ est formale peccati) & in *privativam*.

* 84 *Prima causa* peccati non est Deus aliquis malus, vti fingebant Manichæi, statuentes duos Deos: Vnum luminum bonum, à quò omnia bona, & vnum malum, malorum omnium causam. *Ratio.* Quia nulla datur natura per se mala, vt dictum est suprà. Et certè talis Deus est merum figmentum, estquè hìc error dudum confutatus à S. Augustt.

* 85 *Resp.* 3. Causa peccati est solum nostrum liberum arbitrium, in eò sensu, quem dat S. Thom. verbis adductis subdens: *Voluntas carens directione regulæ rationis, & legis divinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat quidem actum peccati per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem: provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis involuntate.*

Prima pars patet ex S. Thoma adducto in hoc E. Q. 15. *pro* 2. *p.* R. *n.* 44. Et *Ratio virtusquè partis est.* Tum quia peccatum, cùm sit defectus, petit causam defectuosam, talis autem est nostra voluntas in sensu prædicto. Tum etiam, quia vt habet commune axioma, *nemo intendens malum operatur*, sed semper intendit aliquod bonum, si non realiter, saltem apparenter tale. Ergo malum, vt malum consequitur per accidens, seù prætet intentionem peccantis.

Not. Hoc etiam verum esse de eò, qui peccat ex certa malitia, nam & is non vult peccatum præcisè sub ratione mali, sed quatenus in eò percipit aliquàm delectationem, iudicans legis transgressionem sibi ratione consuetudinis (quæ dicitur altera natura) esse suavem, per eamquè iugum Dei quodammodò excuti se quasi independenter esse, &c. & in hoc differt à peccante ex infirmitate, cuius iudicio peccatum apparet esse bonum, non vt est transgressivum legis, sed vt est satiativum passionis prædominantis, cui ex infirmitate succumbit. Idem verum est de diabolo, nam, & ille non vult peccatum sub ratione mali, & vt formaliter est iniuria Dei, sed provt per illud sumit vindictam de Deo, in quà habet delectationem, vt bonum apparens.

* 86 *Resp.* 4. Non solum in peccato *commissionis* (de quò ante) sed & *in* peccato *omissionis* voluntas per se, & directè est causa alicuius actus, ex quò omissio sequitur: ipsius autem omissionis, vt peccaminosæ pariter est causa per accidens. *Constat* tum à pari ex dictis, *tum* vel maximè ex illa difficultate, an omissio, vt sit voluntaria, & moralis, necessario requirat aliquem actum per se, & directè à voluntate volitum, v. g. *lusum*, *ambulationem*, *&c.* tanquàm occasionem sui, & causam per accidens?, Pro cuius decisione.

* 87 *Resp.* 5. Quamvis omissio, vt sit voluntaria considerata secundùm speciem, seù essentiam suam, & vt se habet per modum operis, seù potiùs non operis, non requirat actum ve intetiorem, sive exteriorem sui in speciè constitutivum. 2. Considerata tamen in individuo, seù in exercitio, & ex parte operantis, vt sit voluntaria, libera, & humana, necessario, & indispensabiliter requirit actum concomitanter adiunctum, velut sui causam, & occasionem.

Hæc distinctio conciliat duo loca S. Thomæ, in quorum vno, scilicèt 1. 2. *q.* 6. *art.* 3. docèt voluntarium posse esse sine omni actu: in altero autem, nimirum *q.* 71. *art.* 5. docèt, voluntarium non posse esse absquè omni actu. *Ratio* 1. *p.* In intelligibile est, quòd negatio, vel privatio pro suo specifico constitutivo petat aliquid positivum: quia egrederetur limites naturæ, vel essentiæ suæ, nec maneret negatio.

Ratio 2. *p.* Nulla potentia potest ferri extra sphæram sui obiecti, vt vnanimiter docent Philosophi, & Theologi, & patet experientia, cùm nec visus *sonum*, nec auditus percipere possit *colorem*: intelligitur autem de sphæra obiecti adæquati, seù intensivi, & extensivi: *Subsumo.* Sed si voluntas posset voluntariè, & liberè omittere sine omni alio actu concomitante, directè volito, omissionem occasionante, tunc voluntas ferretur extra sphæram sui obiecti adæquati. Ergo. *Min. prob.* Obiectum adæquatum voluntaris est bonum, & finis: Sed voluntas nequit ferri in bonum, & finem, nisi ratione alicuius actus. Ergo si feratur in aliquid sine *actu*, fertur extra obiecti sui sphæram. *Min. prob.* Causalitas finis est *appeti*: Sed non datur *appeti* sine *appetere*, quod est actus voluntatis. Ergo. *Min.* est vera. Et ergo nequit actus liber, auditio Missæ, suspendi, seù omitti sine alio actu libero suspendente, indeterminatè sumpto, quiscumquè demum ille fuerit, v. g. actus *ludendi*, *garriendi*, *bibendi*, *venandi*, *volendi otiari*, *dormire*, cogitationes alio *divertere*, *&c.* qui actus sit à voluntate directè volitus, & ratione eius, sive in illo, velut in causa, aut occasione, sit indirectè volita omissio v. g. Missæ.

Ex quò colligitur, hìc solùm esse sermonem de voluntario *indirecto*, volito in alio (de quò suprà) certum enim est, quòd voluntarium *directum*, cùm à voluntate, vt ab agente, procedat, sine omni actu esse nequeat.

* 88 *Oppono* contra 2. *p.* R. 5. Libertas contradictionis (quæ etiam in voluntate nostra datur) versatur inter duos terminos, quorum vnus est *negativus*, alter *positivus*, scilicèt agere, & non agere; in quò differt à libertate contrarietatis, quę versatur inter duo extrema opposita positiva, nimirum inter *bonum*, & *malum*, amorem, & odium. *Subsumo*: Sed si voluntas nostra non posset liberè omittere sine omni actu, sed tantùm ratione alicuius actus, non haberet vnum terminum negativum, sed semper vtrumquè positivum. Ergo.

Ad

Ad hoc dist. maj. Si prędicti termini considerentur formaliter, & immediatè, *C. maj.* Si spectentur prędsuppositivè, causaliter, vel occasionaliter, *N. maj.* & sic *dist. min. N. cons.* Libertas ergo contradictionis specificatur à terminis formaliter, & secundùm essentiam, ac speciem suam sumptis, & sic habet vnum terminum *positivum*, & alterum *negativum*. Cum quò stat, quòd ad hanc libertatem adæquatè exercendam requirantur duò termini *positivi*, vnus secundùm *essentiam*, alter *occasionaliter*: sicut contra libertas contrarietatis essentialiter petit vtrumque terminum positivum. Eodem modo solvitur illud, quod solet opponi de differentia inter præcepta negativa, & affirmativa. Vide suprà *Q. 6. n. 32.* an ille actus, si de se sit indifferens, vel ex obiecto bonus, ex eò, quòd est causa omissionis culpabilis, fiat malus.

* 89 QUÆRO XXIII. Detur me causa interna, & externa peccati, & quæ est illa? An & diabolus, & quomodo? *Resp.* 1. cum S. Thom. *q. 65. art. 2.* Intellectus, & voluntas sunt causæ interiores actus peccati immediatæ, mediatæ verò interiores, sunt *imaginatio*, seù *apprehensio*, & appetitus sensitivus.

Declarat hoc S. D. Sicut dictum est, per se causam peccati oportet accipere ex parte ipsius actus, actus autem humani potest accipi causa *inferior*, & *mediata*, & *immediata*. Immediata quidem causa humani actus est ratio, & voluntas, secundùm quam homo est liber arbitrio, causa autem remota est apprehensio sensitivæ partis, & etiam appetitus sensitivus. Sicut enim ex iudicio rationis voluntas movetur ad aliquid secundùm rationem, ita etiam ex apprehensione sensus appetitus sensitivus in aliquid inclinatur, quæ quidem inclinatio interdum trahit voluntatem, & rationem. Sic igitur duplex causa peccati interior potest assignari, vna *proxima*, ex parte rationis, & voluntatis: alia verò *remota*, ex parte imaginationis, vel appetitus sensitivi. Sed quia suprà dictum est, quòd causa peccati est aliquod bonum apparens, motivum cum defectu debiti motivi, scilicèt regulæ rationis, vel legis divinę, ipsum motivum, quod est apparens bonum, pertinet ad apprehensionem sensus, & appetitum: ipsa autem absentia debitæ regulæ pertinet ad rationem, quę nata est huiusmodi regulam considerare: sed ipsa perfectio voluntarij actus peccati pertinet ad voluntatem, ita quòd ipse voluntatis actus præmissis suppositis iam est quoddam peccatum. Hæc S. Thomàs.

Not. ex dicto Medina, quòd intellectus, & voluntas non dicantur causę immediatæ peccati, ex eò, quòd primò ad peccatum concurrant, sed dicuntur causæ peccati *immediatæ*, quoniam peccatum in illis immediatè consistit: peccatum enim non est nisi voluntas liberè consentiat; estquè ipsa sola causa peccati quoad exercitium, intellectus verò, sensus, & appetitus solùm proponunt obiectum pulchrum, & elegans, ac determinant quoad specificationem.

* 90 *Resp.* 2. cum S. Thom. *ibid. art.* 3. Potest aliquid exteriùs (vt homo, vel dęmon peccatum persuadens, & exteriora bona, appetitum sensitivum moventia) esse causa peccati, non tamen ad peccandum sufficienter inducens.

Declarat hoc S. D. Sicut dictum est, causa interior peccati est voluntas, vt perficiens actum peccati, & ratio, quantùm ad carentiam debitæ regulæ, & appetitus sensitivus inclinans. Sic ergo aliquid extrinsecum tripliciter potest esse causa peccati, *vel quia* moveret immediatè ipsam voluntatem, *vel quia* moveret rationem, *vel quia* moveret appetitum sensitivum. Voluntatem autem interiùs movere non potest, nisi Deus, qui non potest esse causa peccati. Vndè relinquitur, quòd nihil exteriùs potest esse causa peccati, nisi *velit* quantum movet rationem, sicut *homo*, vel *dæmon* persuadens peccatum, *vel sicut* movens appetitum sensitivum, sicut aliqua sensibilia exteriora movent appetitum sensitivum. Sed nequè persuasio exterior in rebus agendis ex necessitate movet rationem, nequè etiam res exteriùs propositæ ex necessitate movent appetitum sensitivum, nisi fortè aliquo modo dispositum, & tamen etiam appetitus sensitivus non ex necessitate movet rationem, & voluntatem. Vndè aliquid exteriùs potest esse aliqua causa movens ad peccandum, non tamen sufficienter inducens, sed causa sufficienter complens peccatum est sola voluntas. Ita S. D.

* 91 *Resp.* 3. Diabolus non potest directè, vel *sufficienter* homini esse causa peccandi, eum ad id necessitando. Ita S. D. *q.* 80 *art.* 1. *Ratio S. D.* Quia diabolus eatenus solum potest esse causa peccati, quatenus appetibile aliquod sensui proponit, vel rationi persuadere nititur; nec potest liberam hominis voluntatem necessitare. Quia motio per modum *suadentis*, & obiectum solùm *proponentis* non tollit indifferentiam iudicij, adeòquè nec libertatem voluntatis.

* 92 *Resp.* 4. Diabolus potest inducere ad peccatum, hominem interiùs instigando, imaginarias quasdam formas offerendo, & in appetitu sensitivo passiones *concitando, suadendo, argumentando, persuadendo*, &c. Ita patet ex S. Thom. *q.* 80. *art.* 2.

Ratio ibid. Natura corporalis spirituali naturaliter obedit, quoad motum localem. Ergo diabolus omnia illa causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi virtute divina reprimatur: *Subsumo.* Sed, quòd aliquæ formæ repręsententur imaginationi, quòd phantasmata turbentur, & moveantur, quòd passiones (quibus homo affectus, & illectus iudicat reverà bonum, quod non est, quia amans facilè persuasione inclinatur erga amatum) excitentur, hoc quandoquè sequitur ad motum localem. Ergo. *Min. prob.* Philosophus *in lib. de somnijs, c.* 3. *tom.* 2. docèt, quòd cùm animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendunt motus, sive impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quę in sensibilibus speciebus conservantur, & movent principium apprehensivum, ita quòd appareant, ac si tunc principium sensitivum à rebus ipsis exterioribus immutaretur. Ergo.

Ex his colliget Confessarius, quid iudicare debeat de mulierculis asserentibus se *miras*, immò *divinas* habere visiones, quę ex dæmonum illusione causantur, & ex spirituum, humorumquè commotione, dum vigilantes rem tam vehementer apprehendunt, vt videatur ipsis agi coram oculis: nec est impossibile, vigilantem pati idem, quòd patitur somnians, vt constat in phreneticis.

* 93 *Resp.* 5. Diabolus nullo modo potest homini inducere necessitatem ad peccandum. Ita S. D. *ibid. art.* 3. *Declarat hoc*: Diabolus propria virtute, nisi refrenetur à Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi. Quòd patet ex hoc, quia homo motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cuius vsum totaliter impedire potest, movendo

ipsa

imaginationem, & appetitum sensitivum, sicut in arreptitijs patet. Sed tunc ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum: sed si Ratio non sit totaliter ligata, ex eâ parte, quâ est libera, potest resistere peccato. Ita S. D. Ergo.

* 94 *Fiuntne* omnia hominum peccata ex suggestione diaboli? *Dico* ex S. Thom. *ibid. art.* 4. Est quidem dæmon occasio omnium peccatorum, cùm primum hominem ad peccandum induxit, vndè tota infecta est humana natura, & proclivis ad peccandum facta, non tamen singula peccata ex illius suggestione fiunt. *Ratio* S. D. sumitur ex Origene. Quia, etsi diabolus non esset, homines haberent appetitum *ciborum, & venereorum, & similium*, qui posset esse inordinatus, nisi Ratione ordinetur: quòd subiacet libero arbitrio.

* 95 *Esne diabolo liberum* nos tentare, & ad malum instigare? *Affirmo. Ratio.* Etsi dæmon habeat arbitrium *inflexible*, & immutabile in malo, seù animum *obstinatum* in aversione ab vltimo fine; circa media tamen (quę ipse ex sua malitia in Dei offensam ordinat) liberè se habet. Ergo potest *tentare*, & non *tentare*, potest *hoc*, vel illo modo. Simile est in Angelis beatis, hi enim etsi non sint liberi in amore Dei, benè tamen in exequendis ijs, quæ Deus eis mandat, v. g. in custodia hominum.

* 96 QUÆRO XXIV. Ante omne peccatum prædicme, saltem in aliquo priori naturæ, in intellectu aliquis *defectus, error practicus, ignorantia, inadvertentia, seù inconsideratio*? Item *ignorantia, & passio* sumne causa peccati, vel excusant? *Resp.* 1. *ad* 1. *p.* affirmativè cum S. Thom. *hic q.* 77. *art.* 2. *in c.* Vndè & Gregor. Mag. *l.* 15. *moral. c.* 23. ait: *Omnis peccator stultus fuit in culpâ.*

Ratio. Voluntas est potentia cæca sequens in omnibus ductum rationis. Ergo non fertur in obiectum, nisi prout ab intellectu propositum; sive proponat malum sub ratione boni, illud aliqua boni apparentia vestiendo: sive bonum sub ratione mali fugiendi.

* 97 *Nonne* multi peccant cum actuali remorsu conscientiæ, scientes malum, & exultantes in rebus pessimis? Quomodo in eorum intellectu est defectus, vel error? *Dico.* Scientia illa mali non est *practica*, & in actu exercito; sed *speculativa* tantùm, & in habitu. Vndè in praxi omnis peccator est imprudens, & stultus. Ex hoc solvitur illud, quod opponi potest, nimirum ex hac sententia sequi, omne peccatum esse *hæresim*: Quia iudicare esse *licitum*, quod est *illicitum*, est hæreticum. Non enim hoc sequitur: esset quidem hæresis, si speculativè sic iudicaretur; peccator verò hoc iudicium solùm habet *practicè*: quòd non sufficit: Vide *T.* 3. *E.* 1. *num.* 7.

* 98 Difficultas hic se offert, quomodo in hac sententia possit salvari differentia inter peccata ex *ignorantia, infirmitate, & malitia*: eò quòd iuxta hanc sententiam vnica omnium illorum causa esset *ignorantia, error, & inadvertentia* intellectus?

Salvatur ergo differentia per hoc, quòd licèt omni peccato commune sit, quòd fiat ex prævio errore practico intellectus, est tamen discrimen propter diversam dispositionem *pravam*, quæ est causa formandi iudicium erroneum in intellectu, & pravam electionem in voluntate. Diversitas autem huius pravæ dispositionis consistit in hoc, quòd in peccato ex *ignorantia* facto causa formandi tale iudicium sit *ignorantia vincibilis, & culpabilis.* In peccato ex *infirmitate*, vel passione sit vehemens *passio*, intellectum obscurans, & voluntatem post se trahens. Tandem in peccato ex certa malitia sit sola voluntatis inordinatio, & malitia. Vide in hoc *E. n.* 21.

* 99 *Opponi* hic posset, quomodo in intellectu Angeli ante primum eius peccatum potuerit præcedere defectus, vel inconsideratio. Sed hoc vide in 1. *p. in T. de Angelis*, circa finem.

* 100 *Resp.* 2. *ad Q.* 24. An, & quando *ignorantia, & concupiscentia*, seù passio sit, excuset, vel diminuat peccatum; tolligi sufficienter potest ex dictis *T.* 3. *E.* 1. *n.* 25. Vbi explicatæ sunt quatuor causæ involuntarij, inter quas sunt *ignorantia, & concupiscentia*, seù passio. *Quia* verò *omne peccatum est voluntarium, in tantum ignorantia* (idem est de passione) *potest diminuere peccatum, in quantum diminuit voluntarium*, vt ait S. D. *hic q.* 76. *art.* 4. vbi de hoc tractat.

* 101 *Dic mihi.* Si quis faceret opus sub mortali prohibitum, quod tamen ratione invincibilis ignorantiæ à culpa excusatur, qualis fuit accessus *Iacob* ad *Liam*, & si quis plenè ebrius committeret *homicidium, vel adulterium*, delectatio morosa de tali opere esset ne peccatum mortale sublata ignorantia?

Affirmo, probabilius. *Ratio.* Tota causa, quare tale opus non fuerit peccatum, est, quia non fuit voluntarium; & hoc ratione ignorantiæ: Sed si quis, sublata ignorantia, in eò opere sibi complaceat; tunc fit voluntarium. Ergo talis complacentia erit mortalis. *Min. pat.* à pari. Quia communiter docent Theologi, quòd etiam morbi, & alij defectus naturales; qui non sunt in nostra potestate, possint nobis esse voluntarij propter liberam, & patientem ipsorum sufferentiam. Ergo similiter. Ex quò sequitur, quòd si *Iacob* fuisset delectatus de accessu ad *Liam*, aut ebrius de homicidio, vel adulterio à se patrato, vterquè mortaliter peccasset: licèt vtriusquè opus ratione ignorantiæ antè fuerit sine culpa. Vide supra de morosa delectatione.

* 102 QUÆRO XXV. Quid sunt, & in quò differunt peccatum *mortale*, & *veniale*? Quæ sunt signa, vel regulæ vnum ab altero distinguendi? Potestne vnum fieri alterum? *Ad* 1. & 2. *part.* Quæsiti patet *R. supra in hoc E. n.* 21. Vndè ad tertiam Quæsiti partem *R.* tres communiter tradi regulas ad distinguendum mortale à veniali.

Prima est. Si factæ litteræ tradant, *tale*, vel *tali* esse Deo execrandum, abominabile, esse dignum æterna morte, excludere à Regno Dei, vt patet *ad Gal.* 5. vel cui comminatur *Væ*! iudicandum esse mortale. *Secunda regula.* Est traditio Ecclesiæ, communis PP. & fidelium consensus, ex quò colligimus, quòd violatio *ieiunij*, seù bina refectio in die prohibito sit peccatum mortale: refectio verò cœpta paulò ante meridiem sit solùm veniale. *Tertia* est Ratio naturalis ita esse dictans, saltem lumine supernaturalis illustrata. Quæ enim *directè*, & *graviter* charitatem Dei, & proximi læduntur, censenda sunt mortalia; quæ *leviter* venialia. Hac enim ratione iudicamus vnam ægritudinem, aut iniuriam esse altera maiorem.

Not. attendendam etiam esse quantitatem *deliberationis*, *materiæ* aut *damni* illati, vti & genus peccati, tenorem verborum præcepti, an prohibitio fiat sub *gravi*, vel *levi* pœna, &c. Unde aliqui DD. benè dicunt, peccatum filiale non posse à quoquam committi sine grandi *blasphemia* sui, aut *contemptu* Dei, vel gravi læsione proximi, & consentum in illud esse tam im-

impium, vt celari, vel ignorari non possit. Hinc *Confessor* non præcipitet se in iudicando aliquid esse mortale. Consideret etiam an peccatorem non statim facti pœnituerit, hoc enim probabile signum est, non consensisse.

* 103 *Resp.* 2. Venialia indirectè, & per accidens disponunt ad mortale. Hoc S. Thom. hic *q.* 88. *art.* 3. probat ex illo Eccles. 19. *Qui spernit minima, paulatim defluit.* Subsumit: Sed ille, qui peccat venialiter, videtur minima spernere. Ergo paulatim disponitur ad hoc, vt totaliter defluat per mortale. **Not.** hanc dispositionem fieri per hoc, quod venialia generent vitiosam assuetudinem, minuant fervorem charitatis, & divinorum auxiliorum abundantiam, ac vltes ad vincendas tentationes, faciant difficultates in observantia mandatorum Dei, &c.

* 104 *Resp.* 3. Idem numero actus physicus potest primò esse peccatum veniale, & postea mortale. *Ratio.* Idem actus voluntatis ob deliberationem imperfectam, primò potest esse *venialis*, si verò accedat advertentia perfecta, fit *mortalis*: pura, in materia graviter repugnante Legi, &c.

* 105 *Resp.* 4. Peccatum mortale ex genere, potest fieri veniale ex accidente tribus modis. 1. *Ex subreptione*, seu propter defectum deliberationis, *v. g.* ira ex genere suo est mortalis, ast si sit ex subito motu, est venialis. 2. *Defectu* iudicij sufficientis ad mortale, vt contingere potest in semidormientibus, & crapulatis. 3. *Ob parvitatem rei*, seu materiæ, *v. g.* furtum ex genere suo est mortale, furari autem solùm duos, aut tres denarios, est veniale.

Not. dari aliqua peccata, in quibus non datur *levitas materiæ*, seu quæ non possunt esse venialia defectu materiæ, licèt possint esse talia ex alio capite, *v. g.* ex defectu sufficientis deliberationis, & advertentiæ. Talia sunt, *blasphemia, periurium, luxuria*, &c.

* 106 *Resp.* 5. Peccatum veniale ex *genere* potest fieri mortale ex *accidenti* quinque modis. 1. *Si* in peccato veniali constituatur vltimus finis. 2. *Si* quis veniale ordinaret ad mortale, *v. g.* verbum otiosum ad fornicandum. 3. *Ex* conscientia erronea dictante esse mortale. 4. *Ex* contemptu. 5. *Dispositivè*, vt dictum est in *R.* 2. & hoc ratione periculi, quòd qui amat, pereibit in illo.

* 107 *Resp.* 6. Peccatum *veniale* in suo genere, seu specie non potest ita aggravari, vt fiat *mortale*, aut æquivaleat illi: nec ex plurimis *venialibus* potest vnquam fieri, integrari, seu constari vnum *mortale*. Ita S. D. hìc a. 4. *Ratio* 1. *p.* Ea, quæ sunt *ordinis inferioris*, quantumcunque intra propriam speciem aggraventur, vel augeantur, nunquam possunt pertingere ad ea, quæ sunt *ordinis* superioris: Sed malitia peccati venialis est ordinis inferioris, & diversæ speciei à malitia peccati mortalis, cùm hæc sit aversiva ab vltimo fine. Ergo.

Ratio 2. *p.* Peccatum mortale *privat gratia*, & *charitate*, *occidit animam*, *avertit* ab vltimo fine, *inducit* reatum pœnæ æternæ, *damni*, & *sensus*: Sed hoc non potest convenire *venialibus* quantumcumque multiplicatis, nisi *dispositivè* (quòd iam admissum est) qualiter explicari debent *SS. PP.* si videantur esse contrarij. Ergo.

* 108 *Oppon.* Plura furta levia multiplicata, & simul sumpta iuxta Thomistas faciunt vnum mortale. Ergo. *Dist. ant.* ratione sui, *N.* ratione notabilis quantitatis materiæ, & damni, *C.* Ultimum ergo furtum, quo pervenitur ad magnam quantitatem materiæ, est peccatum mortale, licèt enim tale furtum sit rei levis secundùm se, ex connotatione tamen furtorum præcedentium, cum quibus moraliter vnitur, & quæ fur cognoscit, & advertit, fit furtum rei gravis, & in virtute eorum proximo inferatur grave damnum. Vide infrà *T. 9. E. 3. n. 9.*

* 109 QUÆRO XXVI. Potestne assignare aliqua peccata venialia? Ratio huius Quæsiti, est tamentabilis illa experientia, qua docemur, quòd diversi, quse de modico non curant cum Prætore, quos non terret luxuria, *nisi sit adulterium, vel incestus*; non injuria, *nisi homicidium*; non vaniloquium, *nisi adjunctum habet perjurium*, aut blasphemiam; non crapula, *nisi sit ad vomitum*; quibus inculpatus est strepitus, quo ingurgitati, ac obruti vix pedibus stare possunt, capita a pariete ad parietem allidunt, &c. Pro quorum institutione.

Resp cum S. Augustino, cuius hæc sunt verba de *decem coeradis cap.* 11. vbi loquitur de quotidianis, seu venialibus peccatis, quæ per linguam committuntur. Verbum durum, aut cùm labitur aliquis in risum immoderatum, aut in huiusmodi nugas quotidianas, &c. his adimuntur ab eodem. Si vir cum propria vxore coeat voluptatis explendæ causa, & plus, quàm necessitas procreandorum liberorum cogat. In ipsis etiam alimentis, quæ vtique concessa sunt, si fortè excedis modum, & amplius accipis, quam necesse est, *peccas*. Quotidiana sunt ista, ait, quę dico: sed tamen *peccata sunt*.

Idem in Ser. 4. de *an. fidelium defunctorum*: Quæ autem, inquit, sint minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est, vt omnia replicentur, opus est, vt ex eis aliqua nominemus. *Quoties* aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere: quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. *Quoties* pauperem importunè petentem exasperat. *Quoties*, cùm corpore sit sanus, alijs ieiunantibus prandere voluerit, aut somno deditus ad Ecclesiam tardius surgit. *Quoties*, excepto desiderio filiorum, vxorem suam cognoverit. *Quoties* in carcere clausos, & vinculis positos tardiùs requisiverit, infirmos tardiùs visitaverit. *Si discordes* ad concordiam revocare neglexerit. *Si plus* aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut servum exacerbaverit, quàm oportet. *Si amplius* fuerit blanditus, quàm expedit. *Si cuicumque* maiori personæ, aut ex voluntate, aut necessitate adulari voluerit. *Si pauperibus* esurientibus cibum non dederit, aut nimiùm delitiosa, aut sumptuosa sibi convivia præparavit. *Si se in Ecclesia*, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die iudicij ratio reddenda est, occupaverit. *Si, dum* incautè irramus, & hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus: vtique periuramus. *Et eum* omni facilitate, vel temeritate maledicimus, & cùm aliquid suspicamur temerè, quòd tamen plerumque non ita, vt credimus, probatur, delinquimus. Hæc, & similia his ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ sicut iam dixi, enumerari vix possunt, & à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Hæc Augustinus.

* 110 Quæri hic posset, an peccatum *veniale* in aliquo homine possit esse cum solo *originali*? sed huius negativa decisio dependet ex alia difficultate (infrà *T. 7. E. 2. n. 6. & 9.*) affirmativè decidenda, an nimirum puer sub mortali teneatur in primò instanti vsus rationis se convertere in Deum? Si se convertat, accipit gratiam, qua à peccato, si in aliquo, etiam originali, fit, mundatur. Si se non convertat, peccat mor-

mortaliter, consequenter peccatum veniale non erit, sed mortale actuale cum Originali. Pro conclusione huius Tractatus.

* 111 QUÆRO XXVII. & vltimò: Quinam sunt effectus peccati? *Resp.* Effectus peccati, præsertim originalis sunt: 1. *Diminutio* boni naturæ. 2. *Quatuor* vulnera animæ. 3. *Mors*, & alij defectus corporales. 4. *Reatus* pœnæ. Ita S. D. q. 85. & 87.

Prima pars declaratur ex S. Thom. *q.* 81. *a.* 1. Inter naturæ bona aliud (vtpotè *originalis iustitia*) *in* totum sublatum est per peccatum: *aliud* (cuiusmodi sunt principia naturæ, ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates ex his causatæ, vt sunt potentiæ animæ, & his similia) nec sublatum est, nec diminutum per peccatum: *aliud* denique (cuiusmodi est ipsa naturalis inclinatio *ad* virtutem) sublatum quidem non est, valde tamen diminutum per peccatum. Quia per actus humanos fit quædam inclinatio ad similes actus: Sed ex inclinatione in vnum contrarium diminuitur inclinatio ad aliud, peccatum autem est contrarium virtuti. Ergo.

Not. hanc diminutionem non fieri, sic, quasi re ipsa tollatur aliquid naturale, vel proprietas naturæ humanæ: quia hęc cum suis proprietatibus est incorruptibilis, & naturalia manent integra in se post peccatum: sed solùm fit per modum impedimenti, & obstaculi, quia per peccatum homo elongatur à Deo in regionem dissimilitudinis, & peccata dividunt inter nos, & Deum. Sicut si Solem inter, & aerem ponatur obstaculum, aer fit inhabilis ad recipiendam lucem, & quò plura obstacula ponuntur, eò inhabilior efficitur.

Secunda pars declaratur ex *art.* 3. Quatuor sunt potentiæ animæ, quæ vt virtutum, ita & vitiorum subiecta esse possunt, pro quarum debito ordine per peccatum destitutarum (quæ destitutio vulneratio naturæ dicitur) numero quatuor naturæ vulnera (*ignorantia* in intellectu, *malitia* in voluntate, *infirmitas* in irascibili. & *concupiscentia* in concupiscibili) conuenienter enumerantur. Sunt ergo hæc quatuor vulnera ex peccatis, etiam actualibus, consequentia, in quantum per peccatum, & Ratio hebetatur, præcipuè in agendis, & voluntas indurator ad bonum, & maior difficultas benè agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit.

Tertia pars declaratur ex art. 5. Mors, cæteriquè in humana natura corporales defectus (cum sint præter intentionem peccantis) per se effectus peccati primi parentis dici nequeunt, sed per accidens tantùm, provt removens prohibens causæ nomen sortitur, quia scilicèt per peccatum primi parentis sublata originalis iustitia, quæ omnem deordinationem, & defectum prohibebat. Ea ergo per peccatum primi parentis subtracta, sicut humana natura, quoad animam fuit vulnerata per deordinationem potentiarum, vt ante dictum est, ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Et hinc illi defectus corporales.

Quarta pars declaratur ex S. Thoma, *hic q.* 87. *art.* 1. Ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur, vt id, quod contra aliquid insurgit, ab eò detrimentum patiatur; videmus enim in rebus naturalibus, quòd vnum contrarium vehementiùs agit altero contrario superveniente, propter quod aquæ calefactæ magis congelantur, vt dicitur *in* 2. *Meteor.* Vndè in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, vt vnusquisquè deprimat eum, qui contra ipsum insurgit. Sed homo peccando maximè insurgit contra Deum, cùm agat contra ordinem rationis, legisquè humanæ, & divinæ. Ergo meritò deprimitur à Deo, hæc autem depressio est pœna.

* 112 *Dantur ne* peccata æternæ pœnæ reatum inducentia? *Affirmo* cum S. Thom. *q.* 87. *art.* 3. de peccatis charitatem tollentibus, vti sunt mortalia. *Ratio S. D.* Manente causa manet effectus, necessariò ab eà dependens: Sed in ijs, qui moriuntur in impœnitentia finali, seù in peccato mortali, manet in æternum causa pœnæ nimirum *culpa*, non quidem quoad actum, sed quoad maculam. Ergo.

* 113 *Debeturne* peccato mortali pœna infinita secundum quantitatem? *Dico* cum S. Thom. *q. cit. art.* 4. sicut peccatum ex parte aversionis ab infinito bono *infinitum* est, *finitum* autem ex parte conversionis ab bonum creatum, & commutabile: sic & pœna peccato correspondens, partim *finita*, partim *infinita* dici debet.

Declarat hoc S. Thom. Pœna proportionatur peccato, in peccato autem duo sunt, quorum vnum est aversio ab incommutabili bono, quod est *infinitum*: Vndè ex hac parte peccatum est *infinitum*. Aliud, quod est in peccato, est inordinata conversio ad commutabile bonum, & ex hac parte peccatum est *finitum*, tum quia ipsum bonum commutabile est *finitum*, tum etiam quia ipsa conversio est *finita*: non enim possunt actus creaturæ esse infiniti. Ex parte igitur aversionis respondet peccato pœna damni, quæ etiam est infinita: est enim amissio infiniti boni, scilicèt Dei. Ex parte autem inordinatæ conversionis respondet ei pœna sensus, quæ est finita.

* 114 *Peccatum veniale* in hac vita nondum remissum homini, qui in eò simul, & in mortali moritur, puniturne in inferno pœna æterna saltem per accidens, & concomitanter?

Affirmo cum S. Thom. *hic q.* 87. *art.* 5. *ad* 3. dicente: *Æternitas pœnæ non respondet quantitati culpæ, sed irremissibilitati ipsius.* Subiumo: Sed culpa venialis in inferno non est remissibilis. Ergo. *M. patet.* Quia nullum, etiam veniale, peccatum de lege Dei ordinariè remittitur, *nisi formaliter* per actum pœnitentiæ, vel *virtualiter*, nimirum per actum charitatis sit retractatum: Sed hæc retractatio non potest fieri in inferno, quia damnati sunt perpetuò obstinati in malo, denegaturquè eis omne supernaturale auxilium. Ergo. Vide in *T.* 13. *de Pœnitent. E.* 2. *num.* 17.

Confir. Tamdiù non exsolvitur pœna, quamdiù non remittitur culpa, ad quam necessario sequitur, quia, vt ante dictum, manente causa manet effectus: Sed in inferno culpa venialis per accidens, & concomitanter (non per se, seù ex natura sua) fit irremissibilis, nimirum propter coniunctionem cum mortali irremissibili. Ergo etiam per accidens nimirum ratione adiuncti peccati mortalis punitur æterna pœna.

* 115 *Sed quid*, si peccatum veniale in hac vita quidem sit remissum, sed homo moritur, pœna temporali ei respondente nondum exsoluta, puniturne in inferno pœna temporali, vel æterna, si simul in mortali homo decedat?

Dico, quòd *temporali*. Ita S. Thom. tum loco cit. vbi æternitatem pœnæ attribuit, non quantitati culpæ, sed irremissibilitati eius, talis autem culpa venialis iam est remissa. Ergo eius pœna nec per accidens sit æterna. Tum etiam *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1 *ad* 5. Vbi reiecta opposita opinione, dicit: *Idèo alij dicunt, quòd pœna, cuius aliquis est debitor, post culpam remissam in inferno punitur temporaliter. Hic prop-*

ter hoc ſequitur, quòd in inferno ſit redemptio: quia pœna, quæ ſolvitur, non redimitur. Nec eſt inconveniens, quòd quamvis ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur uſquè ad dimidium; ſicut etiam augetur, nimirum ex conſortio damnatorum.

Ratio. Si Deus pœnam temporalem culpæ iam remiſſæ debitam mutaret in æternam, etiam per accidens, puniret vltra condignum, quia non eſt condignitas culpæ ad pœnam: Sed hoc non debet dici de clementiſsimo Deo, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere. Ergo. Ex dictis patet differentia inter hunc, & priorem caſum, in hoc enim culpa iam eſt dimiſſa, in illo non.

* 116 *Poſſe ne Deus* per abſolutam ſuam potentiam, tanquàm Dominus *vitæ, & mortis*, aliquem innocentem punire pœna æterna inferni, vel gehennæ? *Beatos* è Cœlo in infernum deturbare, *damnatos* in Cœlum evehere? *Dico* 1. Poteſt Deus per abſolutam ſuam potentiam innocentem, immò & Beatum è Cœlo deturbare in gehennam ignis. 2. Hæc tamen non eſſet propriè pœna, ſeù punitio, aut damnatio, nec innocens ille diceretur propriè damnatus.

Ratio 1. *p.* Tum quia Deus eſt abſolutus Dominus vitæ, & mortis. Tum etiam quia Deus abſolutè, iuxta omnes, poteſt innocentem, & beatum annihilare. Ergo ſimiliter. Dixi, *abſolutè*, quia ex ſuppoſitione decreti de innocente *præmiando*, & beato in Cœli gaudijs *conſervando* nunquàm fiet.

Ratio 2. *p.* Vbi non eſt culpa, non eſt propriè damnatio, vel punitio. Et certè à ratione, juſtitia, & infinita Dei miſericordia alienum eſt, innocentem punire, vel maximè graviſsimis, & æternis inferni tormentis. Ex quò ſequitur, quòd flagella huius vitæ innocentibus inflicta propriè non ſint pœnæ, ſed medicinę.

Dico 2. Poteſt Deus reprobos, ac damnatos per potentiam ſuam abſolutam in Cœlum evehere. *Ratio.* Quia abſolutè poteſt Deus peccatum eis remittere; in hoc enim nulla apparet implicantia.

* 117 *Decedentes* cum ſolo originali, vt pueri non baptizati, puniuntur ne ſola pœna damni, conſiſtente in carentia viſionis beatificæ, abſquè omni pœna ſenſus, quæ eſt afflictiva? *Affirmo* cum Angelico Doctore 3. *p. q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. dicente: *Peccato originali in futura retributione non debetur pœna ſenſus. Ratio.* Quia pœna debet proportionari culpæ: Sed culpæ originali non proportionatur pœna ſenſus. Ergo. *Min. prob.* Pœna ſenſus culpæ proportionatur ratione inordinatæ converſionis ad bonum commutabile: Sed hæc non datur in pueris vſu rationis carentibus, benè tamen averſio. Ergo.

Hinc, dum S. Auguſt. & alij, pœnam parvulorum vocant *ignem, gehennam, tormenta*, &c. nihil aliud volunt ſignificare (vt explicat S. Thom.) quàm divinæ gloriæ privationem, quàm per exceſſum, & hyperbolicè tam duris vocabulis ſignificarunt, vt magis execrabilem efficerent errorem Pelagianorum, aſſerentium, nullum in parvulis eſſe peccatum.

* 118 *Quæ ergo ſententia* condemnabuntur parvuli? Nonne illa: *Ite maledicti in ignem æternum*, &c Vel in quò loco pro pœna ponentur, quia non datur locus mediùs pro ipſis, quia Iudex dicit: Ibunt *iſti* in combuſtionem, *iuſti* verò in vitam æternam? *Dico* 1. Certum eſt, quòd parvuli non baptizati comparebunt in iudicio, quia Apoc. 1. *Veniet, & videbit eum omnis oculus*, condemnabuntur autem illa mitiori ſententia: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum*, &c.

Dico 2. Veriſsimum eſt, quòd illorum parvulorum animæ detineantur in *Limbo ſubtus terram*, vbi tamen nulla afficientur triſtitia; *tum* quia ille locus non eſt eis datus in pœnam, ſed quia illis melior non debetur: ſicut & Patres inibi erant ante adventum: *tum* quia ex illo loco non impediuntur à ſuis intellectualibus operationibus, *ait Medina noſter*, ex quò adde, quòd ſciant ſe nunquam habuiſſe per gratiam ius ad gloriam, & pœnam hanc eſſe iuſtiſsimam, nullo proprio demerito inductam, adeòquè omnem diſplicentiam eſſe inutilem. Hinc patienter ſubſtinent, & ab omni interiori triſtitia abſtinent.

* 119 *Quid ſi homo* manſiſſet in puris naturalibus, carentia divinæ viſionis eſſetne tunc pœna? *Dico*, quòd non. Sed illa excluſio à gloria eſſet mera negatio, & defectus naturalis. *Ratio.* Quia in eò ſtatu homo non fuiſſet elevatus ad finem, ſeù felicitatem ſupernaturalem. *Vide in Supplem. 3. par. quæſt. 69. art. 4. 5. 6. & 7.* Vbi, & quid ſit Limbus Patrum, & puerorum.



TRACTATUS V.

De vitijs capitalibus in genere, & in ſpecie.

De quibus in communi agit S. D. hic, nimirum in 1. 2. q. 84. art. 4. in ſpecie verò diverſis in locis ſuæ Summæ, citandis in decurſu huius Tractatus, qui huc revocatur, & præcedenti annectitur: connexionis, & maioris claritatis gratia.

PRoloquium huic Tractatui præfigo ex verbis *Angelici Doctoris cit. q. 84. a. 3. in c. ſic diſcurrentis*: Capitale dicitur à capite, caput autem propriè quidem eſt quoddam membrum animalis, quòd eſt principium, & directivum totius animalis. Unde metaphoricè omne principium directivum caput vocatur, & etiam homines, qui alios dirigunt, & gubernant, capita aliorum eſſe dicuntur. Dicitur ergo vitium capitale, vno modo à capite propriè dicto, & ſecundùm hoc peccatum capitale dicitur peccatum, quòd capitis pœna punitur; ſed ſic non intendimus agere de capitalibus peccatis, ſed ſecundùm quòd alio modo dicitur peccatum capitale, prout metaphoricè ſignat principium, vel directivum aliorum. Et ſic dicitur vitium capitale, ex quo alia vitia oriuntur; & præcipuè ſecundùm principium cauſæ finalis, quæ eſt formalis origo: & ideò vitium capitale non ſolùm eſt principium aliorum, ſed etiam eſt directivum, & quodammodo ductivum aliorum. ſemper enim ars, vel habitus, ad quem pertinet finis, principatur, & imperat circa ea, quæ ſunt ad finem. *Unde Greg. 31. moral.* huiuſmodi vitia capitalia Ducibus exercituum comparat. *Hæc S. Thomas.*

EXAMEN I.

De Superbia.

* 1 QUÆRO I. Eſtne hæc doctrina Confeſſario ſcitu neceſſaria? *Reſpondeo* affirm. *Ratio.* Quia Confeſſarij munus eſt rationalem Dei imaginem per peccata deformatam, reformare per opera pœnitentiæ: reformatio autem, vt debitè fiat in *membris*, neceſſe eſt, vt primò fiat in *capite*, velut cæterorum Principe; *acceſſorium* enim *ſequitur ſuum principale*: ſunt autem quædam vitia cæterorum capita, & fontes. Ergo. Et conſequenter Confeſſor gratis reformabit ſine hac doctrina, quia *ignoti nulla cupido.*

Declaratur vlteriùs à ſimili ex pugna corporali: Proſtrato *Goliatho*, è veſtigio omnes Philiſtæi ſe in fugam dederunt. Cur? Quia erat eorum caput. Truncato *Holoferne*, fuga ſe ſalvarunt Aſſyrij. Cur? Quia exercitus erat decapitatus. *Rex Syriæ* contra Iſraelitas bellaturus militibus ſuis præcepit, vt in neminem, niſi in ſolum Regem arma converterent, illum vnicè impeterent tanquam caput belli: quo præciſo non fore dubitandum de victoria. Ergo ſimiliter in pugna ſpirituali, cùm vnus animæ hoſtis ſit alio ferocior, vnum vitium cæterorum *caput*, & *Dux*, in hunc Ducem eſt primò collimandum, arma vertenda; hoc caput maximè impetendum eſt. Conſiderandum, quæ paſſio in animum noſtrum maximè *prædominetur*, quo vitio maximè *exorbitemus*, quæ prava conſuetudo altiſſimas in nobis radices egerit; & ibi reformatio animæ exordienda eſt; acceſſorium ſequitur ſuum principale.

* 2 QUÆRO II. Quid, & quot ſunt vitia, ſeu peccata capitalia? *Reſp.* cum *S. D.* loco cit. Vitia capitalia dicuntur, quia ex ijs velut ex *capitibus*, ſeu *fontibus* plura alia derivantur, ſeu oriuntur; Vt ex Prologo patet. Hæc paritas ſumitur à capite naturali, quòd in cætera corporis membra influit *vitam*, *motum*, *vigorem*, &c. Sunt autem *ſeptem*, memoriæ cauſâ comprehenſa hac dictione *Saligia*, ſic, vt cuiuis litteræ huius dictionis ſecundùm ordinem correſpondeat vnum vitium capitale, v. g. *S.* Superbia. *A.* Avaricia. *L.* Luxuria. *I.* Invidia. *G.* Gula. *I.* Ira. *A.* Acedia. Ex his aliqua dicuntur carnalia, nimirum *luxuria*, & *gula*: alia ſpiritualia, nimirum cætera quinque. Quę diſtinctio eſt explicita ſuprà *T. 4. E. 2. n. 8.*

* 3 Eſtne idem peccatum capitale, ac peccatum mortale? *Non eſt*, vt dictis patet. *Ratio.* Peccatum *capitale* dicitur, quòd eſt caput, fons, aut radix aliorum: Sed hoc non dicitur de quovis *mortali.* Unde nec omnia capitalia ſemper ſunt mortalia, nec econtra *mortalia* ſemper *capitalia*: interdum tamen capitale ſimul eſt mortale, vt ex dicendis conſtabit. Agendum nunc de quovis vitio capitali in ſpecie.

* 4 *Superbia.* De qua S. Thom. agit 2. 2. q. 162. per 8. ar. & alibi. *Magna miſeria ſuperbus homo*, ait S. Auguſt. *Superbia.* Nabuchodonoſorem beſtiam, *Angelum* fecit diabolum. Si, vt ſuprà ex *Gregor. M.* dictum eſt, *omnis peccator ſtultus eſt in culpa*, id maximè verum eſt de ſuperbo, qui ſe putat aliquid eſſe, cùm nihil ſit. Unde apud Germanos eſt proverbium, ſtultus, *vnd ſtolz machſen auf einem Solt.* De quo.

* 5 QUÆRO III. Superbia eſtne peccatum, & quidem ſpeciale? & quid eſt? *Reſp.* 1. Superbia eſt peccatum. *Ratio. S. D.* loco *cit. art. 1. dicentis*: Superbia nominatur ex hoc, quòd aliquis per voluntatem tendit ſuprà id, quòd eſt. Unde dicit Iſidorus: Superbus dictus eſt, quia *ſuper* vult videri, quàm eſt; qui enim vult *ſupergredi*, quòd eſt, ſuperbus eſt. Habet autem hoc Ratio recta, vt voluntas vniuſcuiuſque feratur in id, quòd eſt proportionatum ſibi; & ideò manifeſtum eſt, quòd ſuperbia importat aliquid, quòd adverſatur rationi rectæ; hoc autem facit ratio nem peccati: quia ſecundùm *Dionyſ.* malum animæ eſt, præter rationem eſſe. Ita S. D. Ex quo patet, quòd ſuperbire ſit *ſuper ſe ire.*

* 6 *Reſp.* 2. Superbia bene definitur à S. Thom. cit. art. 2. in c. quòd ſit *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Vel vt S. Auguſt. art. 1. ad 2. S. Thom. citatus loquitur, *eſt perverſa celſitudinis appetitus*, quia

perversè imitatur Deum, odit namque cum socijs æqualitatem sub illo, sed imponere vult socijs dominationem suam pro illo, ait ibid. Inordinatio huius appetitus patet ex dictis pro R. 1.

* 7 *Resp.* 3. Superbia in diverso sensu est peccatum speciale, ac generale, sive capitale. *Declarat hoc S. D.* art. 2. dicens: Peccatum superbiæ potest dupliciter considerari. *Uno modo* secundùm propriam speciem, quam habet ex ratione proprij objecti. Et hoc modo superbia est speciale peccatum, est enim inordinatus appetitus propriè excellentiæ, vt dictum est. *Alio modo* potest considerari secundùm redundantiam quandam in alia peccata, & secundùm hoc habet quandam generalitatem, in quantum se licet ex superbia oriri possunt omnia peccata duplici ratione. Uno modo per se, in quantum scilicet alia peccata ordinantur ad finem superbiæ, qui est *propriæ excellentiæ*, ad quam potest ordinari omne id, quòd quis inordinatè appetit: alio modo indirectè, & quasi per accidens, scilicet removendo prohibens, in quantum scilicet homo per superbiam contemnit divinam legem, per quam prohibetur à peccando, secundùm illud *Ier.* 2. *Confregisti iugum, rupisti vincula*, dixisti: Non seruiam. Hæc S. D.

Sensus horum verborum non est, quòd omnia peccata semper *actu* oriantur ex superbia, sed *aptitudine*. Unde subdit: Sciendum tamen, quòd ad hanc generalitatem superbiæ pertinet, quòd omnia vitia interdum ex superbia oriri possint; non autem ad eam pertinet, quòd omnia vitia semper ex superbia oriantur. Quamvis enim omnia præcepta legis possit quis transgredi qualicunque peccato ex contemptu, qui pertinet ad superbiam, non tamen semper ex contemptu aliquis præcepta divina transgreditur, sed quandoque ex *ignorantia*, quandoque ex *infirmitate*. Et inde *S. Auguſt.* dicit: Multa perperam fiunt, quæ tamen non fiunt superbè.

Paulò aliter, & eleganter *S. D.* hoc explicat *ibid. ad* 2. *dicens*: Quandoque aliquis committit aliquod peccatum secundùm *effectum*, sed non secundùm *affectum*. Sicut ille, qui ignorantes occidit Patrem, committit parricidium secundùm *effectum*, sed non secundùm *affectum*, quia hoc non intendebat. Et secundùm hoc, transgredi præceptum Dei, dicitur esse contra Deum superbire secundùm *effectum* quidem semper, non autem semper secundùm *affectum*. Ita S. Thomas.

* 8 QUÆRO IV. Superbia estne peccatum mortale? & quæ sunt species eius? *Resp.* 1. Supebia est peccatum mortale ex genere suo, id est, *intra suum genus*, seu speciem, & absque accidente, sive præcisè ex obiecto suo potest esse peccatum mortale, in individuo tamen non semper est pecc. mort sed aliquando veniale. Ita S. D. hic art. 5. in corp.

Ratio eius est Ratio superbiæ consistit in hoc, quòd homo non velit subijci Deo, &, vt explicat *ad* 2. quòd inordinatè se præferat Proximo, aut ab eius subiectione se subtrahat, in quo etiam derogatur divinæ Regulæ, ex qua sunt hominum ordines instituti, prout scilicet vnus eorum sub alio esse debet. *Subsume.* Sed hoc ipsum, quòd est non subijci Deo, habet ex obiecto rationem peccati mortalis; hoc enim est aversi à Deo. Ergo superbia secundùm genus suum est peccatum mortale. *Subdit S. Doctor*: Sicut tamen in alijs, quæ ex genere suo sunt peccata mortalia, puta, in fornicatione, & adulterio, sunt aliqui motus, qui sunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, quia scilicet *præveniunt rationis iudicium*, & sunt præter eius consensum, puta, plenum, & perfectum. Ita etiam aliqui motus superbiæ sunt peccata venialia, dum eis Ratio non consentit, puta, plenè.

Ex his patet, superbiam completam necessariò in confessione explicandam esse, quæ est affectu, & intentione, ac ex contemptu, quo quis Legi Dei, & legitimi Superioris renuit se submittere. Sicut superbia imperfecta est, quando quis in affectu suo quidem se magnificat, non tamen vsque adeò, vt nolit se submittere Deo, & omnibus, quæ sunt de necessitate salutis.

* 9 *Resp.* 2. S. Tho. *q. cit. art.* 4. *ex S. Gregor.* assignat quatuor species superbiæ. 1. *Æstimare*, se bonum habere à se ipso. 2. *Desuper* sibi datum credere pro suis accepisse meritis. 3 *Iactare* se habere, quòd non habet. 4. *Despicere* cæteris singulariter videri appetere habere, quòd non habet.

* 10 *Quæsitum resolvis hunc casum*, Potestne sine peccato superbiæ, aut alterius speciei, homo pauper, & infimæ classis, ita inhiare pecuniis (modo tamen licito) lucrandis, vt è sua vili conditione emergat ad sublimiorem, immò ad emendum etiam Comitatum? *Dico* cum nostro *Caiet.* & *Conrado*: si quæ Personæ inveniantur eximij ingenij, vel à natura dotatæ, vel exercitatione etiam auctæ, quæ se habere sentiunt animum nobilem, & ingenuum ad altiora tendentem, quamvis ignobiliter nati sint; tamen in dominia appetant, & ad hoc pecunias per media licita accumulent, vt huiusmodi dignitates pretio æstimabiles emant, à rationis rectæ tramite non recedunt. Ergo nec peccant. Et hoc experientia probat de quibusdam militibus in bello, qui etsi è vili, & rustica stirpe prognati, tamen tam fortes se exhibuerunt, vt merito suprà reliquos positi sint, tanquam *Domini*, ac *Rectores* eorum, immò & dignitates magnas emerint.

* 11 QUÆRO V. *Gradus superbiæ.* Qui, & quot sunt? *Resp.* Angelicus Doctor *q. cit. ar.* 4 *ad* 4. ex S. Bernardo assignat duodecim gradus superbiæ per oppositionem ad totidem gradus humilitatis. *Primus* gradus humilitatis (ait) est, corde, & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus, cui opponitur *curiositas*, per quam aliquis curiosè vbique, & inordinatè circumspicit. *Secundus* gradus humilitatis est, vt parca verba, & rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce, contra quem opponitur *levitas mentis*, per quam scilicet homo superbè se habet in verbo. *Tertius* gradus humilitatis est, vt non sit facilis, & promptus *in risu*, cui opponitur inepta lætitia. *Quartus* gradus humilitatis est *taciturnitas* vsque ad interrogationem, cui opponitur iactantia. *Quintus* gradus humilitatis est tenere, quòd *communis Regula Monasterij habet*, cui opponitur *singularitas*, per quam scilicet aliquis sanctior vult apparere. *Sextus* gradus humilitatis est, *credere*, & *pronunciare omnibus viliorem*, cui opponitur *arrogantia*, per quam scilicet homo se alijs præfert. *Septimus* gradus humiliratis est, ad omnia *inutilem*, & *indignum se confiteri*, & *credere*, cui opponitur *præsumptio*, per quam scilicet aliquis reputat se sufficientem ad maiora. *Octavus* gradus humilitatis est *confessio peccatorum*, cui opponitur *defensio* eorundem. *Nonus* gradus humilitatis est, *in duris*, & *a patris patientiam amplexi*, cui oponitur *simulata confessio*, per quam scilicet aliquis non vult subire pœnam pro peccatis, quæ simulatè confitetur. *Decimus* gradus humilitatis est *obedientia*, cui opponitur rebellio. *Undecimus* gradus humilitatis est, vt homo non delectetur

tur facere *propriam voluntatem*, cui opponitur *libertas*, per quam homo delectatur liberè facere, quòd vult. *Vltimus* gradus humilitatis est *timor Dei*, cui opponitur *peccandi consuetudo*, quæ implicat Dei contemptum. Hęc ibi.

* 12 QUÆRO VI. *Filiæ Superbiæ.* Quot sunt, & quæ? *Resp.* Præcipuè, & ad quas aliæ reducuntur, sunt tres, nimirum. *Præsumptio, ambitio, vana gloria. Præsumptio*, prout de eâ hìc agitur, definitur, quòd sit *inordinatus appetitus eorum*, seù *aggrediendi ea, quæ sunt supra vires, & merita nostra*, seù est *vitium ad hoc inclinans*, &c. Aliquando est peccatum *veniale*, aliquando *mortale*, si nimirum Deo notabilem irreverentiam, aut proximo grave damnum inferat, v. g. si homo præsumat exercere Iurisdictionem *Ecclesiasticam, Decanalem, Prioralem*, &c. vel potestatem Ordinis Sacri, vel Officium Consiliarij, sive in foro *fori*, sive in foro *poli*, Confessarij, Advocati, Medici, &c. sine debita peritia. De præsumptione, vt est peccatum in Spiritum S. agit S. Thom. 2. 2. q. 21. Vide infrà in hoc T. E. 5.

* 13 *Ambitio*, de quâ S. D. *agit* 2. 2. q. 131. per duos artic. definitur, quòd sit *inordinatus appetitus honoris*, seù *vitium inclinans ad eum*, &c. Est peccatum *mortale*, si quis in re gravi appetat honorem de excellentia, quàm non habet, vel de re quæ est peccatum mortale: vel si in eâ ponat vltimum finem. Hinc mortaliter peccant, qui ratione honoris Ecclesiasticas ambiunt dignitates, vel beneficia, præsertim curata, quibus sunt indigni defectu scientiæ, aut alterius requisiti. Dixi *ratione honoris*. Nam S. D. *loco mox citato art.* 2. *ad* 2. ait: *Si quis inordinatè appeteret dignitatem, non ratione honoris, sed propter debitum dignitatis vsum suam facultatem excedentem, non esset ambitiosus, sed magis præsumptuosus.*

* 14 *Vana gloria*, de quâ S. D. *agit* 2. 2. q. 132. *per* 5. *art.* definitur, quòd sit *inanis manifestatio propriæ excellentiæ apud homines*, cuius, vt antè dictum, superbia est inordinatus appetitus. Vel, est vitium inclinans ad, &c. Audiatur S. Thom. *q. cit. art.* 1. *in c. sic discurrens*: Propriè per nomen *gloriæ* designatur quòd bonum alicuius deveniat in multorum notiam, & approbationem: largiùs tamen accepto nomine *gloriæ*, etiam paucorum, vel vnius, aut suis soliùs, dum scilicèt aliquis proprium bonum finum considerat, vt dignum laude. Quòd autem aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum; dicitum enim 1. *ad Cor.* 2. vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Similiter etiam non est peccatum, quòd aliquis velit bona opera sua ab alijs approbari. Dicitur enim Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus*, &c. Et ideò appetitus *gloriæ* de se non nominat aliquid vitiosum, sed appetitus *inanis*, & *vanæ gloriæ*, vitium importat. Nam quodliber vanum appetere, vitiosum est. Potest autem gloria dici vana tripliciter. Vno modo ex *parte rei*, de quâ quis gloriam quęrit, puta, cùm quis quærit gloriam de eò, quòd non est, vel de eò, quòd non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili, & caduca. *Alio modo* ex parte eius, à quò quis gloriam quærit, puta, hominis, cuius iudicium non est certum. *Tertiò* ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui scilicèt appetitum glorię suæ non refert in debitum finem, puta, ad honorem Dei, vel proximi saltem. Hęc S. D. *Qui ergo gloriatur, in Domino gloriatur*, vt monet Apostolus.

Hinc peccat *graviter*, qui de *gravi*; leviter, qui de *levi* peccato gloriatur, v. g. leviter saltem peccat, qui se Doctorem esse gloriatur (sine tamen alterius damno) & non est. Sicut, & qui gloriatur se esse insignem lusorem pilæ, cùm etiam talis sit; quia est res omnino caduca.

* 15 *Ex quò scis*, quando, & quantum peccatum sit vana gloria? *Id scio* ex Regulis, quas statuit Angelicus Doctor, *q. cit. art.* 2. *in c.* dicens: Ex hoc aliquod peccatum est mortale, quòd charitati contrariatur, peccatum autem *inanis gloriæ*, secundùm se consideratum, non videtur contrariari charitati quantùm ad dilectionem proximi. Quantum ad dilectionem Dei potest contrariari charitati dupliciter. *Vno modo* ratione materiæ, de quâ quis gloriatur, puta, cùm quis gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur divinæ reverentiæ, secundùm illud Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum. Et* 1. *ad Cor.* 4. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Vel etiam cùm quis bonum temporale, de quò quis gloriatur, præfert Deo. Quod prohibetur Ierem. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia, &c. sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me.* Aut etiam cùm quis præfert testimonium hominum testimonio Dei, sicut contra quosdam dicitur Ioann. 12. *Qui dilexerunt magis gloriam hominum, quàm Dei.*

Alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam (nimirum hominum) tanquàm ad vltimum finem, in quem scilicèt ordinat etiam virtutis opera; & pro quò consequendo non prætermittit facere etiam ea, quæ sunt contra Deum. Et sic est peccatum mort. Quod ibidem probat ex 1. Augustin. Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis sit inanis, non repugnet charitati, nequè quantùm ad id, de quò est gloria, nequè quantùm ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mort. sed veniale. Hęc S. D.

Ex his patet, venialiter peccare eos, qui ad aucupandam vanam apud homines gloriam dant *eleemosynas, cantant, prædicant, orant, Missam* frequenter audiunt, actus iustitiæ exercent, puta, si præcisè maneant intra limites vanę gloriæ, & non accidat magna irreverentia Dei, aut damnum proximi, & non habeant eam pro fine vltimo, sed proximo tantùm. An satisfaciat præcepto de audienda Missa qui eam audit ex vana gloria. *Vide T.* 3. *Exam.* 3 *num.* 13.

* 16 *Quid si quis* ex vana gloria pro Christo subiret mortem, esset ne verus Martyr? *Dico*, vanam gloriam de se quidem esse peccatum veniale, attamen sine vlla necessitate, ac honesto motivo ipsam profundere vitam, culpa mortali non vacat; Proindè talis non esset verus Martyr. *Dein*, dato, & non concesso, quòd etiam in hoc casu solùm esset peccatum veniale, non tamen esset verum martyrium, hoc enim debet procedere non solùm ex motivo naturali (quia aliàs homo ille pateretur, vt *Philosophus*, non vt *Christianus*) sed etiam ex motivo honesto supernaturali, quale non est vana gloria. *Ratio* patebit infrà *T.* 11. *E.* 5. *in fine.* vbi ostendetur, quæ mors, vel mortis causa Martyrem faciat.

Ex dictis sequitur, de facto nullum Martyrem subijsse mortem ex vana gloria, vt ex causa finali. Dixi, *vt ex causa finali*, quia vanæ gloriæ actus duobus modis potest concurrere ad actum ex obiecto bonum, v. g. ad eleemosynam, ad Baptismi receptionem, ad martyrium, &c. 1. vt vana gloria sit causa finalis talis actus, & tunc ille actus vitiatur, vt suprà *T.* 3. *E.* 3. *n.* 12 probatum est. 2. *vt se* solùm habeat concomitanter, ità vt nec sit causa finalis, nec circumstantia actus, vt si ex bono opere facto

facto occasionaliter insurgat affectus inanis gloriæ; & tunc ex eò opus non pravatur, nec privatur sua bonitate, & merito, quod *NB.*

* 17 QUÆRO VII. *Filiæ inanis gloriæ.* Quot sunt, & quæ? *Resp.* cum S. Thom. 2. 2. *q.* 132. *art.* 5. sunt septem, scil. *Inobedientia*, *Iactantia*, *Hypocrisis*, *Contentio*, *Pertinacia*, *Discordia*, *Novitatum præsumptio.* Quæ suo ordine declarantur.

Inobedientia est vitium inclinans ad non exequendum, deliberato animo, præceptum legitimi Superioris iusta præcipientis; in quò etiam mortaliter peccari potest, vt patet ex S. Thom. 2. 2. *q.* 105. *art.* 1. Vbi docèt, quòd non obedire divinis præceptis, & Superiorum mandatis sit peccatum mortale, quando contrariatur dilectioni Dei, si nimirum homo præceptum contemnat. Et *art.* 2. docèt, quòd vna inobedientia, etiam mortalis, sit gravior altera, quò enim superior est ille, qui præcipit, eo gravior est inobedientia. Item eò gravior, quò magis de intentione præcipientis est id, quod præcipit: iterùm tantò est gravior quantò præceptum datur de meliori. Vnde graviùs peccat, qui est inobediens *Deo*, quàm qui *homini*: & graviùs peccat, qui est inobediens præcepto de *dilectione Dei*, quàm qui præcepto de *dilectione proximi*. Et ad 2. *ibid.* docet, quòd inobedientia, cui adhibetur obstinatio, sit peccatum in Spiritum S.

Not. Ex S. D. *ibid. q.* 104. *art.* 2. *ad* 1. Si *obedientia* propriè accipiatur, secundum quòd per intentionem respicit formalem rationem præcepti, erit specialis virtus, & *inobedientia* peccatum speciale: secundùm hoc enim ad *obedientiam* requiritur, quòd impleat aliquis actum iustitiæ, vel alterius virtutis intendens implere præceptum; & ad *inobedientiam* requiritur, quod actualiter contemnat præceptum. Si verò obedientia largè accipiatur pro executione cuiuscunquè, quòd potest cadere sub præcepto, & inobedientia pro omissione eiusdem ex quacunquè Intentione; sic obedientia erit generalis virtus, & inobedientia generale peccatum.

* 18 *Iactantia*, de quâ S. D. *agit* 2. 2. *q.* 112. *per duos artic.* de eaquè Plinius *l.* 11. *c.* 32. scribit: *Chamæleon maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus, ita quidam præter ostentationem, & ventosam iactantiam nihil habent.* Definitur, quòd sit manifestatio propriæ excellentiæ per verba, quibus homo se extollit suprà id, quod est, vel suprà id, quod alij de eò opinantur: seù est vitium ad hoc inclinans. *Aliquando est mortalis*, aliquando *venialis*, pro gravitate, vel levitate rei, de quâ quis se iactat; de mortali, vt adulterio à se commisso: v. g. de veniali, vt de nobilitate, scientia, &c. Species peccati, de quò te iactasti, est necessario explicanda in confessione, si sit peccatum mortale.

* 19 *Hypocrisis*, de quâ agit S. Tho. 2. 2. *q.* 111. *per* 4. *art.* de eaquè intelligi possunt quæ dicta sunt T. 3. E. 3. *n.* 15. & 16. illa, inquam, est, quando quis per falsa facta, vel signa exteriora simulat *se habere*, quod non *habet*, aut quod *habet*, significat se habere *excellentiùs*, quàm habeat: vndè est similis illi, qui facit *falsam monetam.* Vel, est vitium inclinans ad ita simulandum. Quando sit peccatum mortale, vel veniale, explicat Angel. Doctor loco mox *cit. art.* 4. *dicens*: Si aliquis non curet *sanctitatem habere*, sed solùm sanctus *apparere*, sicut consuevit accipi in sacra Scriptura est peccatum *mortale*: nullus enim totaliter privatur sanctitate, nisi per peccatum mortale. Si autem dicatur hypocrita ille, qui intendit simulare sanctitatem, à quâ deficit per peccatum mortale, non est mortale, sed quandoquè veniale. Quòd discernendum est ex fine, qui si repugnet charitati Dei, vel proximi, erit mortale, puta, cùm simulat sanctitatem, vt falsam doctrinam disseminet, vel vt adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quęcunquè temporalia bona, in quibus finem constituit. Si verò finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, puta, cùm aliquis in ipsa fictione delectatur. Hęc S. D. Horrenda hypocrisis est illa, de quâ S. Ambros. in quodam Serm. ait: *Latet plerumquè sub tristi amictu lasciva, & deformis horror vitæ, veste contegitur, vt secreta peccatorum tegantur animorum.*

* 20 *Contentio*, de quâ vide *T.* 7. *E.* 7. *n.* 16. *Pertinacia*, de quâ agit S. D. 2. 2. *q.* 138 *art.* 2. & docèt ex Isidoro, quòd pertinax aliquis sit, qui imprudenter tenet, ac defendit suam intentionem, quasi ad omnia *tenax*, ad ostentandum suum iudicium, captiosus, nolens credere intelligentiori. Si quis sit pertinax in rebus fidei, vel spectantibus ad bonos mores, contra communem DD sententiam, vel Ecclesiæ authoritatem, aut si cedat in notabile damnum proximi, est peccatum mortale, in cæteris solùm veniale. *Discordia*, de quâ vide *T. & E. proximitas.*

* 21 *Novitatum præsumptio*, seù *inventio*, de quâ S. D. *agit* 2. 2. *q.* 132. *art.* 5. Est directa manifestatio propriæ excellentiæ per novas, ac insolitas res, v. g. *epulas*, *ludos*, *vestes* admirationem habentes: nova enim, & insolita homines mirari solent. Qui tales novitates invenit, vel introducit, prævidens suo exemplo alios inducendos, vt sumptus faciant suprà vires, vt posteà non possint alere suos, aut non satisfacere Creditoribus, *peccant mort.* Idem est de ijs, qui inveniunt, & introducunt vestes ad libidinem provocantes, vel cedentes in contemptum Religionis, æquè graviter peccant in vtroquè casu talibus novitatibus vtentes.

* 22 QUÆRO VIII. *Filiæ novitatis.* Quot sunt, & quę? *Resp.* Specialiter sunt duæ, scil. superfluus *ornatus vestium*, & *curiositas.* Explicatur. *Ornatus vestium.* De hoc agit S. D. 2. 2. *q.* 169 *per* 2. *art. vbi art.* 1. *in c.* contra vanitatis vestium amatores, & amatrices ex S. Gregor. sic arguit: Sunt nonnulli qui cultum subtilium, pretiosarumquè vestium non putant esse peccatum Quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd dives, qui torquetur apud inferos, bysso, & purpura indutus fuisset. *Caietanus* noster assignat septem capita, seù causas, ex quibus potest esse peccatum in ornatu exteriori.

1. *Ex fine ornantis se.* Nam si quis ornet se ob superbiam, inanem gloriam, aut ad provocandum ad malum, &c. ornatus est peccatum iuxta malitiam ipsius finis; ita vt, *si finis sit peccatum veniale*, puta, si ornet se „vt appareat pulchrior, ditior, nobilior, &c. etiam ipse ornatus sit vanitas, ac peccatum veniale. Si verò *finis sit peccatum mortale*, vt, si intendat provocare ad malam concupiscentiam, ornatus est peccatum mortale. 2. *Ex immoderata* sollicitudine, & affectu ad ornatum, quę sollicitudo si sit tanta, vt propterea negligat necessaria ad salutem, propter ornatum omittendo, v. g. Missam in die festo, tunc ornatus sit peccatum mortale Si nulla mortalis circumstantia adsit, culpam venialem non excedit.

3. *Ex consuetudine*, vel lege *vetante.* Vbi Caietanus ait, duo esse considerada. 1. *Qualitatem legis*, an nimirum obliget sub mortali, quod cognosci potest

ex

ex gravitate pœnę impositæ, v. g. si esset pœna excommunicationis. 2. *An* fiat ex, vel sine contemptu legis, si enim lex sit levis, & desit contemptus, non incurritur mortale. *Consuetudo*, nisi in legem transierit, communiter inducit peccatum veniale; quia non *legale*, sed *morale* debitum habet. Si autem in legem transierit sine pœna aliquâ, transgressio est venialis, si contemptus desit. Huc spectat stulta præsumptio eorum, qui vtuntur veste simili eorum, qui illis sublimiores sunt, vt si *Idiota* vestiatur vti *Doctor*; *Plebeius*, vt *Eques*; & similes à modestia politica exorbitationes. Ad cuius politicę obseruantiam prudenter docèt noster Sylvester, quòd homo nobilitate *minor*, immò genere *infimus*, Nobili tamen æqualis in diuitijs, non possit se ornare vti *Nobilis*, nisi saltem in moribus, & exercitijs se habeat, vt *Nobilis*: secùs, si vilia exerceret officia, nimirum rusticana, aut mechanica.

4. *Ex qualitate ornatus in se.* Hinc vtens veste per adiecta certa signa ad turpia incitante, vel tam *brevi*, vt videri possint: aut tam *tenui*, vt transpareant partes secretiores viri, vel mulieris, *mortaliter peccat*; quia hæc per se ad luxuriam prouocant.

* 23 *Quid sentis* de fœminis in vestitu ordinario *nuda pectora*, seù *media vbera* ostentantibus? *Dico*. Si non fiat ex vllo fine mortaliter malo, sed præcisè, vt appareant pulchræ, vel pulchriores, vbi est communis modus sic incedendi, non peccant saltem mortaliter, nisi adesset lex sub mortali vetans. *Ratio*. Quia pulchritudinem ostendere non est mortale, quæ licèt summa esset, per se tamen, & ex natura sua ad luxuriam non prouocat, licèt subinde alliciat ex malitia aspicientis. Nihilominus sit laus Deo, quòd post diuturna Verbi Dei Præconum fulmina hic vestitus, certè minùs decens, Germaniæ partibus exularit. Minùs, seù leviùs peccare videtur deuotus fœmineus sexus in suo modemo phantastico capitis ornamento, quò ad risum magis, quàm ad peccatum mouet. Sanè, cùm infimæ sortis fœminæ hodiè eò vtantur, virtuoso, & Nobili Gynecæo indignum est.

* 24 *Quid censes* de fuco? De quò *Resp.* 5. Peccatum in ornatu externo cognosci potest ex *fuco*, & *fictis* coloribus. Audiatur Angelicus Doctor, *loco cit. art.* 2. *ad* 1. dicens: Apostolus non prohibet mulieribus coniugatis ornari, vt placeant viris suis, ne detur eis occasio peccandi cum alijs. Vnde Apost. 1. *ad Timoth.* 2. dicit: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa.* Per quòd datur intelligi, quòd *sobriè*, & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, sed *superfluus*, *inverecundus*, *& impudicus*. Hæc S. D.

Ad propositum verò *ibid. ad.* 2. ait: Mulierum fucatio est quædam species *fictionis*, quæ non potest esse sine peccato. Vnde Augustinus, dicit: Fucari pigmentis, quò vel *rubicundior*, vel *candidior* appareat, adulterina fallacia est, quà non dubito etiam ipsos maritos nolle decipi: quibus solis, sciiicèt maritis, permittendæ sunt fœminæ ornari secundùm veniam, non secundùm imperium. Non semper tamen talis *fucatio* est cum peccato mortali, sed solùm quando fit propter *lasciam*, vel in Dei contemptum.

Addit: Sciendum tamen, quòd aliud est fingere *pulchritudinem non habitam*, & aliud occultare *turpitudinem* ex aliqua causa prouenientem, puta, ægritudine, vel aliquo huiusmodi: hoc enim est licitum. Quia secundùm Apostolum 1. *ad Cor.* 12: quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. Hæc ibi.

* 25 *Quid iudicas* de fœmina vtente veste virili, vel econtra? *Dico* cum S. D. *ibid. ad* 3. Cultus exterior debet competere conditioni personę secundùm communem consuetudinem; & ideò de se vitiosum est, quòd mulier vtatur veste virili, aut è converso: & præcipuè, quia hoc potest esse causa lascivię, & specialiter prohibetur in lege, potest quandoquè hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa occultandi se ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliud huiusmodi. Ita S. Thom.

* 26 *Quid* de fictis capillis? *Discurro* de ijs, sicut de *fucis*, de se enim non est malum portare capillos alienos, vel, vt dicitur, *mortuos*. Et si fiat ab abscondendam accidentalem turpitudinem, non est peccatum; si verò fiat malo fine, est mortale, vel veniale, sicut est ipse finis. *Veniale*, v. g. si quis eis vteretur, fingendo esse proprios: quia esset mendatium operis. Illis vti ad commodum ornatum, vel ob commoditatem, vt, si cui noceret astare, vel assidere detecto capite, nullum est peccatum; sicut non est peccatum, vti aliena lana, vel lino. Quà de causa etiam non peccant, qui tales ornatus conficiunt.

* 27 *Quid tenes* de Sæculari, qui vtitur veste Religiosa? *Dico*. Si eà vtatur in opprobrium Religionis, vel ad turpia, aut larvatus, peccat graviter; secùs, si solùm ex aliqua levitate, seù oblectatione, sine malo fine, & absquè notabili damno Religionis, vel proximi.

* 28 *Quid* de Religioso, vel Religiosa non deferente habitum ex vi Regulæ sibi competentem? *Dico*. Si in habitu suæ Religionis, seù in forma eius excedat graviter, peccat mortaliter; venialiter verò, si excessus sit modicus. Patet consideranti vocationem Religiosi. Vide infrà de Apostasia *T.* 7. *E.* 3. *n.* 39. quòd Religiosus habitum suæ Religionis temerè dimittens, vel alterius Religionis habitum deferens peccet mortaliter, & sit excommunicatus.

* 29 *Sexta causa*, quàm Caietanus ponit, est ex pretiositate ornatus. Quod enim pretiosum est vni non est pretiosum alteri, quem ex vi conditionis decèt facere magnos sumptus in *vestibus*, *annulis*, *monilibus*, *&c.* ideò si ornatus relatus ad personam, est excessivus in pretio, non est sine peccato; communiter tamen talis excessus *superbus*, *fastus*, *& vanus*, videtur esse venialis: non enim propterea Maioribus æquantur, quia prætiosè, sicut illi ornantur.

7. *Ex scandalo*, id est, ex occasione peccandi, mulier enim superfluè ornata facilè concupiscitur. Si tamen ex parte mulieris non sit intento provocandi ad sui concupiscentiam, nec ei placeat, quòd aliquis ad impurum eius amorem alliciatur, licèt placeat, quòd laudetur, non ideò mortaliter peccat; mortaliter tamen peccant, qui eam impurè adamant, est enim occasio accepta, non data. Vide infrà de scandalo *T.* 7. *E.* 7. *n.* 53. & seqq.

* 30 *Quomodo* in talibus casibus se debet gerere Confessarius? *Resp.* 1. Si Confessario clarè constet de mortali, & pœnitens nolit abstinere, neganda est absolutio: si clarè constet non esse mortale, sed solùm veniale, absolvendus est, licèt abstinere nolit. *Ratio* 1. *p.* Quia subiectum est incapax absolutionis

propo-

propter continuum affectum peccati mortalis. *Ratio* 2. *p.* Venialia non sunt de necessitate confessionis.

* 31 *Resp.* 2. Si Confessarius non possit clarè percipere, vel iudicare, ant sit mortale, nec ne, persuadendum est pro viribus, vt abstineant. *Ratio.* Ne exponant se periculo peccati mortalis, fortè enim esset mortale. *Quid si* pœnitens sit doctior Confessario, & teneat non esse mortale? De hoc vide in *T.* de Conscientia, n. 36.

* 32 Tandem *Curiositas*, de qua S. Thom. *agit* 2. 2. *q.* 167. per duos art. & insinuat, quòd sit vitium movens ad *nimis*, vel immoderatè sciendum, seu appetitus inordinatus *sciendi*, sive per *intellectum*, sive per *sensum*. Est pecatum, quia prorahit appetitum cognoscendi plus, quàm recta Ratio dictat. Et saltem semper est *veniale*, si homo appetat scire aliqua, non præfigendo debitum finem, nimirum Dei gloriam, suam, aut proximi salutem, vti fit in *iudiciis, iocis, facetiis*, &c.

Mortale esse potest diversis modis. 1. *Ex fine*, si nimirum finis intentus sit mortalis, aut, si quis appetat aliquid videre, audire, scire, legere, propter luxuriam, vel in grave damnum proximi. 2. *Propter eos*, quorum, v. g. dæmonum, magorum, &c. ope vult talia cognoscere. 3. *Propter ea*, quæ vult cognoscere, vt, si *Virgo* aliqua, *Religiosus*, vel *Religiosa* curiosè vellet nosse, qualis sit delectatio copulæ carnalis, licèt nollet experiri; si enim & hoc vellet, esset adhuc speciale peccatum luxuriæ. *Item* qui ex proposito vellet audire peccatum eius, qui confitetur. Idem qui (nisi fortè ad impugnandum) appeteret audire incantationes, divinationes, & similia prohibita: similis enim est culpa dicere, & docere. 4. *Quantùm* ad ipsas res viles, vel cognitas, vt communiter accidit ijs, qui petunt videre & hoc cum periculo consensus, pollutionis, aut sine rationabili causa) *feminas nudas*, aut genitalia cuiuscunque sexus: vel videre, aut audire mulieres in loco sibi periculoso, *v. g.* in *prostibulo*, & *lupanari* videre, immò solùm velle videre homines *coeuntes*, semper est peccatum mortale, quia est notabilis causa commotionis sensualitatis. Secus est de coitu brutorum, & aspectu pudendorum eorum, ob rationem oppositam. Si tamen, & in hoc casu quis adverteret periculum lapsus in mortale, sub mortali tenetur abstinere. *Si quis* conficaret pudenda brutorum ad videndum eorum semen, *mortale esset* ob proximius periculum. 5 *Propter ea*, quæ ob curiositatem omittuntur, vt, si quis, *v. g.* Parochus, vel similis curiosè legendo *Poetas, comœdias*, &c. negligat scire ea quæ ex vici officij, & necessario scire tenetur. 6. *Ratione* modi, vt si ad curiosa scienda adhibeat prohibita, *v. g.* superstitiosa, vel impudicos tactus. 7. *Ratione* scandali, quando nimirum similia cognoscendo, videndo, proximo est occasio ruinæ in peccatum mortale.

EXAMEN II.

De Avaritia, & Luxuria.

AVarus, vt loquitur S. August. in Epist. *similis est inferno, qui quantòscunque devoraverit, numquam dicit: Satis est.* Huius ergo infernalis vitij natura, & gravitas est examinanda. De quo Angel. Doctor tractat in 2. 2. *q.* 118. per *octo art.*

* 1 QUÆRO I. *Avaritia.* Quid est, & quantum peccatum? *Resp.* 1. Avaritia definitur, quòd sit *appetitus inordinatus divitiarum*. Seu, vitium inclinans ad inordinatum appetitum pecuniæ; per pecuniam intelligendo, quidquid pecunia æstimabile est. Bona enim exteriora debet homo appetere *ordinatè*, id est, secundùm mensuram *conditionis* suæ, vel tuorum: sicut medicina quæritur secundùm sanitatem.

* 2 *Resp.* 2. Peccato avaritiæ potest tripliciter peccari, nimirum *inordinatè appetendo, acquirendo, retinendo*. Pro cuius maiori intelligentia.

* 3 *Resp.* 3. Avaritia potest dupliciter sumi. 1. *Prout opponitur iustitiæ*, & sic est appetitus accipiendi, vel retinendi alienum, quòd, si sit in re gravi, clarum est esse mortale, & teneri ad restitutionem. In hoc sensu *usurarios, fœneratores, fures, aliosque fraudulentos* dicimus *avaros*: vti & omnes illos, qui habent voluntatem acquirendi divitias per *fas*, & *nefas*, vel cum periculo tranigrediendi præceptum obligans sub mortali, *v. g.* eleemosynæ in necessitate extrema. 2. *Prout* opponitur liberalitati, & sic dicitur inordinatus appetitus pecuniæ, & communiter est peccatum veniale ratione parvitatis. In hoc sensu dicuntur avari, qui *valde* accuratè attendunt ad rem domesticam, vivunt *valde* parcè, deiunt de crebis expensis, minutissima quæque reservant, omnia vertunt ad aliquod emolumentum. Nihilominus his, & similis in divitias propendentibus cautela opus est, ob pericula in hoc vitio latentia.

* 4 *Luxuria* (vt loquitur Eusebius) hominem quasi *bestificat*, & vt ita dicam, peiorem *bestia facit*. De nullo alio peccato legitur dixisse Deum, se pœnitere fecisse hominem. De hoc *bestiali* vitio Angelicus Præceptor (cui castitatis zona renes cinxit manus Angelica) agit 2. 2. *q.* 153. *per* 3. *art.*

* 5 QUÆRO II. Quid est luxuria? estne peccatum mortale? vel veniale aliquando ob materiæ parvitatem? aut excusabile propter ignorantiam, vim, aut metum. *Resp.* 1. Luxuria cum S. Tho. bene definitur, quòd sit *inordinatus appetitus*, vel *usus venereorum*, seu veneræ voluptatis. Vel, est vitium inclinans ad talem appetitum, vel visum. Dicitur, *inordinatus*, id est, contra rectam rationem, qualis semper est, si sit extra matrimonium. Est peccatum mortale. *Ratio* patebit ex dicendis postea de fornicatione.

* 6 *Resp.* 2. Tutior, & probabilior sententia tenet, quòd in rebus venereis non detur parvitas materiæ. *Ratio.* Omnis delectatio venerea extra matrim. semper graviter pugnat contra rectam rationem. *Ex quo* sequitur, quòd actus imperfecti in genere luxuriæ sint quidem interdum solùm peccata venialia, non ob parvitatem materiæ, sed ob defectum *advertentiæ*, & *consensus*. Hinc omnis deliberata voluptas venerea *visus, auditus, tactus, osculo, amplexu*, vel etiam sola cogitatione percepta est peccatum mortale. Pro intelligentia videantur, quæ dicta sunt de delectatione morosa *T.* 4. *E.* 2. n. 51. & seqq. & de Curiositate in 1. Exam.

* 7 *Resp.* 3. Copula carnalis extra matrim. non potest à mortali excusari propter ignorantiam, licèt esse solùm soluti cum soluta, seu fornicatio simplex, aut cum publica meretrice. *Ratio.* Quia esset ignorantia iuris naturalis, & divini omninò manifesti. De qua vide in *T.* 6. de legibus, *E.* 2. n. 17. Et contrarium asserere, est hæresis, vt definivit *Concil Viennense*.

* 8 *Resp.* 4. Metus, minæ mortis, aut infamiæ,

mitæ, pudor vociferandi, &c. non excusant in præsenti à mortali. *Ratio.* Homo debet potiùs pati omnia mundi mala, & malle millies mori quàm consentire in malum omnium malorum maximum, quale est, vnicum etiam, peccatum mortale (præsertim luxuriæ) & secutura ex eo æterna damnatio.

* 9 *Resp.* 5 Vis absoluta alicui personæ pro viribus, *v. g.* propijs membris, pedibus, aut manibus, vel clamando (licèt irrito conatu) resistenti illata, excusat, si omnis interior consensus desit. Et Virgo sic oppressa, ac defloratа, attamen semper animo, etiam sub ipso actu venereæ voluptati (quam fortè sensu, seu carne percipit) contradicens, *virginitatem* non perdit quoad *formale*, & quoad *Deum*.

Ratio. Peccatum debet esse voluntarium: Sed illa copula, & delectatio, si quæ esset, foret omninò involuntaria, vt supponitur. Ergo. Et ita clarè docet S. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 5. *in c.* dicens: *Non est crimen mulieris per violentiam violata, si consensus non adfit: quia non inquinatur, nisi de consensu mentis, vt dixit Lucia*: Si me feceris invitam violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.

Nor quòd Virginitas possit dupliciter considerari. 1. *Quoad materiale*, & hoc est integritas carnis, seu claustri virginalis non reserati, & hoc solum in casu posito tolleretur, & quidem violenter. 2. *Quoad formale*, & hoc est firmum propositum perpetuò abstinendi ab omni voluntaria venereâ delectatione, & opere, nimirum extra matrimonium.

* 10 QUÆRO III. Puella quædam Monachi ante investitionem, aut sacram Professionem est occultè sive voluntariè, sive involuntariè defloratа, de quo post Deum milli constat, nisi ipsi, & complici, ac Confessatio, potestne illa suscipere sine peccato nigrum suæ Congregationis velum, ac consecrari? aut quòd in eo casu remedium? Ante R *Suppono* 1. Nec viduæ, nec alteri fœminæ corruptę prohibitum esse Religionis ingressum, eiulve professionem.

Suppono 2. Præter velum Novitiatus, seu probationis, quòd communiter est album, daturque in susceptione habitus, dari etiam velum nigrum, & hoc quintuplex, vt notat noster Sylvester. *Primum* est Professionis, quòd datur completo Novitiatu solis sororibus choralibus, dum professionem emittunt; & non potest dari nisi expleto decimosexto ætatis anno. *Secundum* est Consecrationis, quòd anno 25. ætatis datur: & dari potest à solo Episcopo. *Tertium* est Ordinationis, quòd non amplius est in vsu, vt separatim detur: dabatur antehac anno ætatis 40. ad hoc, vt quasi Diaconissæ possent in choro inchoare horas, & legere homilias. *Quartum* Prælationis, quòd Abbatissis dabatur ætatis 60. quæ ætas nunc non amplius est necessaria, sed sufficit 30. annorum. *Quintum* est velum continentiæ, ac observantiæ, quòd est viduarum potest dari Virginibus, licèt econtra velum virginale non possit dari viduæ, etiam ex dispensatione Episcopi.

Suppono 3. Non esse in omni Religione, ac Monasterio consuetam dictam Virginum consecrationem, seu benedictionem. Quòd Ordinem nostrum concernit, Constitutiones Sororum nostrarum nostrarum cap. 16. in fine sic dicunt: *Nolumus, quòd aliqua Sorores benedicantur, cum S. Dominicus F. N. hoc ordinasse dicatur circa illas, quæ fuerunt tempore suo; & huiusmodi benedictio soleat esse aliquibus occasio, vt super alias se extollant.* His præmissis.

Resp. 1. Cum tutiori, & probabiliori sententia, Fœmina occultè, etiam per vim, violata non potest consecrari, & velari inter Virgines absque peccato mortali, quòd committit tum ipsa, quæ consecratur, tum ille, qui sciens eam consecrat. Ità cum Angelico Doctore in 4. d. 38. q. 1. a. 5 ad 5.

Ratio. In Sacramentis, & sacramentalibus sciens, etiam occultè, & ad vitandum scandalum, committere falsitatem, & fictionem, est Ecclesiæ injuriosum, & gravis irreverentia, adeòque peccatum mortale, *v. g.* consecrare Episcopum, qui talis esse non potest, consecrationi falsi, & aquæ supponere id, quòd sal & aqua non est, esset enim sacrilegium: Sed consecratio Virginum censetur inter Sacramentalia Ecclesiæ. Ergo consecrationi supponere *Virginem*, quæ *Virgo* non est, mortale est.

Nec in hoc Episcopus potest dispensare, licèt ex valde rationabili causa possit dispensare, vt, si quæ talis esset hic consecrata, vel post consecrationem fornicaretur, fungeretur tamen talibus officijs, quæ Virginibus consecratis præcisè iuxta monasterij consuetudinem solent demandari, à quibus ante dispensationem debent abstinere.

oppono. Fœmina vi corrupta non perdit Virginitatem quoad Deum. Ergo potest consecrari. Ad hoc N. conf. Cùm enim difficile sit, voluntare in eo casu ita reniti, vt nullus omninò detur consensus, & Ecclesiæ (quæ tantùm de exterioribus iudicat) de pleno dissensu non possit constare, sacri Canones statuerunt, vt talis à Consecratione honestè abstineat.

* 11 *Resp.* 2. *ad Q.* 3. Ad tollendum in eo casu scandalum, & ad consulendum famæ illius puellæ non licet adhibere illud remedium, quòd aliqui suggerunt, nimirum in Orationibus in Cærimonia consecrationis dici solitis, nomen *Virginitatis* mutare in nomen *castitatis*, & *continentiæ*: Vel saltem vt Episcopus intra mentem ly Virginitas accipiat pro eodem quòd significat castitas, & continentia. Nec subsistit ratio Doctorum hoc medium suggerentium, quæ est hæc, quòd communi sermone etiam illæ, quæ occultè sciuntur corruptæ, vocentur Virgines sine mendacio in allegato sensu. *Ratio* 1. est, quæ data est pro *R.* 1. hic applicanda.

Ratio 2. est *Caietani* sic arguentis: Remedium hoc vanum est, quia si officium consecrationis Virginum perspiciatur, apparebit, quòd aut oportet Virginem consecrare per illud, aut illud omittere, sicut per officium, quo consecratur Episcopus, oportet Episcopum consecrare; & similia. Nec puto (ait Caiet.) Doctorem aliquem, qui officium huiusmodi viderit, hoc consuluisse. *Ratio* 3. Per hanc nominis mutationem famæ talis mulieris non videtur satis consultum, cùm aliquæ saltem personæ idioma Latinum intelligentes soleant interesse, & id advertere, & saltem id adverteret Episcopus consecrans, cui hæc nominis mutatio suggeritur.

Resp. 3. Si nullo remedio (quòd certè non facilè occurrit) famæ talis puellæ succurri possit, patienter ferat, sitque contenta velo viduali. Confessarius ante investitionem, aut professionem ab ea consultus, debet illam instruere, quòd à Consecratione humiliter abstinere teneatur.

* 12 *Sed quid*, si Episcopus id solùm sciret ex confessione? *Dico*. Deberet eam confectare. *Barbo*. Ne frangat sigillum. Sed mulier morraliter peccaret, vt probat *Barbo* adducta *pro* §. 1.

* 13 *Quid si* solùm fuisset voluntariè poliuta, sigmaculo non relicto? *Dico* posset confectari post peractam poenitentiam. *Barbo*. Licèt illa mulier Virginitatem amiserit quoad Deum, & vt virtus est, seu licèt non maneat Virgo quoad virtutem, bene tamen quoad finem, prout in præsenti sumitur, ad quod sufficit esse Virginem quoad carnis integritatem, quam quæ retinent, communi, vtu ab omnibus vocantur Virgines. Eadem resolutio patet ex Pontificali Romano dicente, Pontificem debere inquirere *de vita, & conversatione, & carnis integritate*.

* 14 *Quid si* membrum virile solùm intret & egrediatur claustra pudoris sine resolutione seminis? *Dico* cum Conrado, non amitti Virginitatem corporalem in facto esse. *Barbo*. Quia delectatio venerea completur in sola resolutione seminis, & per eam completè reseratur sigillum virili ingrediente.

* 15 QUÆRO IV. *Species Luxuriæ*. Quot sunt, & quæ? *Resp.* cum S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. Sex possibilium sunt species luxuriæ, scilicèt *Fornicatio simplex. Adulterium. Incestus. Stuprum. Raptus. Vitium contra naturam*. Quæ suo ordine explicantur.

Fornicatio simplex est *coitus soluti cum soluta non desponsata*, ita vt vterquè sit solutus, id est, liber ab omni vinculo, non solùm *coniugij*, sed & *consanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Religionis, & voti*, aut cuiuscunquè impedimenti, possitquè inter eos esse matrimonium. Licèt in largo tenu interdum pro quovis illicito coitu accipiatur. Hic autem est sermo de eà propriè sumpta. *Fornicatio simplex* est intrinsecè mala, peccatum mortale, mala, inquàm, non precisè quia prohibita lege positiva, sed prohibita, quia mala.

Declaratur hoc, & probat Angelicæ puritatis Æmulator S. Thomas 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. *hoc discursu*. Absquè omni dubio tenendum est, quòd fornicatio simplex sit peccatum mortale, non obstante, quòd Deut. 23. super illud. *Non erit meretrix, &c.* dicit Glos. *Ad meretrices prohibet accedere, quarum est venialis turpitudo*. Non enim debet dici *venialis*, sed *venalis*, quòd est propriè meretricum. Ad huius autem evidentiam considerandum est, quòd mortale est omne peccatum, quod committitur directè contra vitam hominis; fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, qui est ex tali concubitu nasciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & fœminæ, quòd in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fœminam, vnam, vel plures, sicut patet in omnibus avibus. Secus autem est in animalibus, in quibus sola fœmina sufficit ad educationem fœtus, in quibus est vagus concubitus: vt patet in canibus, & huiusmodi alijs animalibus. Manifestum est autem, quòd ad educationem hominis non solùm requiritur cura *matris*, à quà nutritur, sed multò magis cura *patris*, à quò est instruendus, & defendendus, & in bonis tam interioribus, quàm exterioribus promovendus. Et ideò contra naturam hominis est, quòd vtatur vago concubitu, sed oportet, quòd sit maris ad determinatam fœminam, cum quà permaneat, non per modicum tempus, sed diù, vel quasi per totam vitam. Et indè est, quòd naturaliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis: hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ fœminæ matrimonium vocatur, & ideò dicitur esse de iure naturali. Et paucis omissis subdit S. D. Vndè cum fornicatio sit concubitus vagus, vtpotè præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ, & ideò peccatum mortale. Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione: quia id, quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundùm id, quòd communiter accidit, & non secundùm id, quòd in aliquo casu potest accidere. *Hæc ibi*.

* 16 *Oppon.* Nullum peccatum cadit sub præcepto divino: Sed Osee 1. præcipitur à Domino: *Vade, sume tibi vxorem fornicationum*, & *fac tibi filios fornicationum*. Ergo.

Ad hoc 8. Quòd Deus dominium corporis mulieris transtulerit in Oseam, sic vt illa, quæ antè erat *fornicaria*, per consensum Prophetæ, & mandatum Dei, fuerit facta eius *legitima vxor*. Vocatur autem *fornicaria*, quia antea fuerat talis, & filij ex tali matrimonio progeniti vocantur filij *fornicationis* propter matris opprobrium. Nec est inolitum in S. Scriptura, quòd res retineat nomen ab eo, quod fuit; sicut Eva post formationem suam vocatur ab Adamo, hoc nunc os ex ossibus meis, quia ex *ea* facta est, & ante formationem erat *os*. Item serpens à Moyse ex Virga productus, appellatur adhuc Virga. Exod. 7. *Devoravit Virga Aaron Virgas eorum*. Hostia post consecrationem adhuc appellatur panis, quia fuit talis, ita pariter est de illa muliere.

* 17 *Esto.* fornicatio gravissimum peccatum? *Dico* cum S. Thom. *loco citato art.* 3. Licèt fornicatio sit gravior illis peccatis, quæ sunt contra externa hominis bona, est tamen minus homicidio, & illis peccatis, quæ directè committuntur contra Deum. *Declarat* hoc S. D. Gravitas alicuius peccati potest attendi dupliciter. *Vno modo* secundùm se, *alio modo* secundùm accidens. *Secundùm* se quidem attenditur gravitas peccati ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secundùm bonum, cui peccatum opponitur: fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri. Sit ideò secundùm speciem est peccatum gravius peccatis, quę sunt contra bona exteriora, sicut est *furtum, & alia huiusmodi*, minus autem peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quòd est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium. Hæc ibi.

* 18 *Cur* in quibusdam locis ita impunè grassatur *simplex fornicatio*, si sit tantum peccatum? *Dico*. Hoc non facit eam esse licitam, nec ab ea tollit rationem peccati; quia per illam impunitatem (quæ est solùm quoad homines, & in *foro fori*, non quoad Deum) non approbatur, sed solùm toleratur, & dissimulatur ad cavenda *maiora mala*, nimirum adulteria, & peccata contra naturam, ne calidiores Nationes labantur in illa. Quòd autem inter duo mala (quorum vtrumquè nequit vitari) dissimulanter possit tolerari id, quòd est minùs, nemo negat. Vide de Lupanaribus in hoc *t.* n. 42.

* 19 *Quæ est pœna* fornicationis simplicis, cui nimirum stuprum non annectitur? *Dico*. Tam contra Clericos, quàm Laicos est arbitraria, seù ad arbitrium Iudicis, iuxta loci consuetudinem. Fornicator licèt non teneatur ad matrim. cum complice, debet tamen alere prolem.

Sed quid si neget se esse patrem? *Dico*. Si confessus, vel

vel convictus sit de copula, eò ipso præsumitur esse patrem (licèt se esse neget) nisi alium monstret. *Quid si plures cum eadem fœmina habuerint commertium? Dico.* Tunc est recurrendum ad circumstantias, ad virum cui magis correspondeat, vel tempus partus, vel physiognomia, &c. immò interdum in favorem prolis (ne defectu alimentorum intereat) creditur iuramento mulieris.

* 20 *Adulterium* est *violatio alieni thori*, vt quando vir congreditur cum vxore alterius, vel econtra, peccatur proindè per illud etiam contra iustitiam, & committitur, sive vterquè peccans, sive *vnus* tantùm sit coniugatus: quòd necessario in confessione est explicandum. Si enim vterquè sit coniugatus, committitur *duplex iniustitia*, nimirum vna contra proprium, altera contra complicis coniugem. De sponso carnaliter peccante vide infrà de sponsalibus. *Pœna* adulterij ante hac fuit *capitalis*, quæ dein in fœminis fuit mitigata, ac conversa in *intrusionem in monasterium*, nunc autem viu locorum est arbitraria, nimirum, vel *pecuniaria*, vel *fustigationis*, *carceris*, *relegationis*, *&c.* Iudices in puniendis adulterijs negligentes, graviter peccant.

* 21 *Incestus* est *coitus cum persona sanguine*, vel *affinitate coniuncta*, *intra gradus*, *in quibus non potest contrahi matrimonium*. Qui gradus in confessione est exprimendus, licèt enim speciè non distinguantur, enormiter tamen aggravant, præsertim in primo, & secundo gradu. *Pœna* incestus moderno tempore, viu locorum, etiam est arbitraria, interdum tamen punitur morte, vt si sit commissus cum ijs, cum quibus iure divino, & naturali nequit iniri matrimonium, v. g. cum *filia*, *matre*, *fratre*, *sorore*, *&c.*

* 22 *Stuprum* est *illicita*, vti est extra matrimonium *virginum*, id est, anteà à nemine carnaliter cognitarum, *defloratio*, seù, est *coitus illicitus*, *quò primo tollitur flos virginitatis*, seù violatur claustrum, sivè signaculum virginale. In largo sensu stuprum accipitur pro quovis illicito coitu. Hic de eò agitur in prima seù propria significatione. Cui S. Thomàs, *loco citato art.* 6. addit, intelligi de virgine existente sub cura Parentum; *& in corp.* contra aliquos DD. (qui tenent, stuprum non esse speciem luxuriæ distinctam à simplici fornicatione) sic arguit, *paucis mutatis*: Vbi circa materiam alicuius vitij occurrit aliquà specialis *deformitas*, ibi debet poni determinata species illius vitij: Sed luxuria est peccatum circa venerea, & in virgine, sub custodia Patris existente, occurrit specialis *deformitas*, si corrumpatur. Ergo est determinata species luxuriæ. *Min. patet* tum ex parte puellæ, quæ ex hoc, quòd violatur nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à competente matrimonio, & ponitur in via *meretricandi*: tum ex parte Patris, qui de eius custodia sollicitudinem gerit, & potest actione iniuriarum agere contra stupratorem. Ergo.

* 23 *Oppono.* Inferre iniuriam magis spectat ad *iniustitiam*, quàm ad luxuriam: sed qui committit stuprum, alteri facit iniuriam, nimirum Patri puellæ. Ergo stuprum non est species luxuriæ. *Ad hoc* S. Thom. *art.* 6. *cit. art.* 3. dicit: Nihil prohibet, vnum peccatum ex adiunctione alterius deformius fieri, sit autem deformius peccatum luxuriæ ex peccato iniustitiæ, quia videtur concupiscentia esse inordinatior, quæ à delectabili non abstinet, vt iniuriam vitet: habet autem duplicem iniuriam annexam. Vnam quidem ex parte virginis, quàm etsi non vi corrumpat, tamen eam seducit, & sic tenetur ei satisfacere, vt patet *Exod.* 22. Aliam verò iniuriam facit Patri puellæ, vndè, & ei secundùm legem tenetur ad pœnam. Deut. 22. Hæc S. D. Vndè maior est vera de *iniuria præcisè sumpta*, secùs si sit *libidini mixta*, vti in præsenti: vti satis indicat S. D. verbis adductis: Simile est in adulterio, per quod etiam fit iniuria coniugi innocenti, & tamen est vera species luxuriæ.

* 24 *Quid si* puella, eiusquè Pater facilè consentiant, & desit omnis *vis*, *fraus*, *& dolus*, cùm scienti, & volenti non fiat iniuria? *Dico.* Vbi S. Thom. non distinguit, nequè ego distinguere volo: Sed S. Thom. non distinguit, an vis adsit, vel non adsit, sed fundat se in hoc, quòd stuprum habeat specialem concupiscentiæ inordinationem. Ergo sive adsit, sive non adsit vis, aut fraus, est species luxuriæ, exprimenda in confessione. Præterquàm quòd inspicienda sunt eà, quæ se habent per se, non quæ per accidens, per se autem Patri fit iniuria. De restitutione ex causa stupri vide *T. 8. E. 5. num.* 19.

* 25 *Ergone* pœnitens in confessione tenetur exprimere, se illo actu primo perdidisse, vel abstulisse florem virginitatis? *Affirmo* cum tutiore, & probabiliore sententia, & præfata S. Thom. doctrina. Vndè puella cum primo actu, quò virginitatis florem perdidit, & vir quo eum puellæ abstulit tenetur hanc circumstantiam exprimere. *Ratio.* Quia iuxta S. Thom. stuprum est distincta species luxuriæ; & dato, quòd specie non distinguatur à fornicatione simplici, notabiliter tamen aggravat iuxta adductam rationem S. Doctoris.

* 26 *Teneturne* vir etiam de se ipso explicare, se illo actu suam propriam virginitatem violasse? *Dico*, non teneri. *Ratio.* Quia prædicta mala non in viris sed in solis fœminis reperiuntur. *Teneturne* etiam hanc circumstantiam exprimere puellæ, quæ solo actu interiori consentiunt in fornicationem? *Affirmo* cum tutiore, & probabiliore sententia, si adhuc verè fuerint Virgines. Si tamen illius iacturam semel fecerint, vel sint meretrices, ad id non ampliùs tenentur. *Ratio* 1. *p.* Quia in probabiliori sententia Thomistarum actus externus nullam malitiam essentialiter addit interno. Ergo si *externus* est exprimendus, etiam *internus*. Maximè cùm tales puellæ hoc facili negotio, & absque pudore possint insinuare; immò cum magna gloria, titulo nimirum servandæ Virginitatis. *Ratio* 2. *p.* Quia per hoc confessio redderetur odiosa.

* 27 *Teneturne* Confessarius etiam de hoc interrogare, loquendo de actu, sive interno, sive externo? *Affirmo.* Sed interroget cautè, & valdè *modestè*, ne videatur nimis curiosus, & curiosis interrogationibus confessionem reddat odiosam. *Ratio.* Quia iuxta dicta est nova species peccati. *Pœna* stupri est vel *excommunicatio*, vel *fustigatio*, vel *intrusio* in Monasterium, in Clerico *carcer*, *suspensio*, *depositio*, vel *degradatio*, pro qualitate personæ. Stuprum violentum longè severiùs puniendum est: cuicumque honestæ fœminæ, etiam viduæ, violentia inferatur.

* 28 *Raptus*, prout de eo hic loquitur, non est *raptus rerum*, quæ est iniusta ablatio rei alienæ per vim, diciturque rapina, & inde dicuntur raptores nimirum divitiarum: sed sermo hic est de *rapta personarum*, qui licèt aliquando in largo sensu promiscuè accipiatur pro *stupro*, attamen in sua propria significatione est, cùm puella violenter contra eius, vel parentum voluntatem abducitur, vt corrupta habeatur in vxorem, vel in *concubinam*. Est etiam raptus, si abducta aluratur, ea renitente. Vnde cum

S. Thom. loco citato *a.* 7. sic potest definiri, Raptus est *violentia facta mulieri*, vel *parentibus propter coitum assequendum, etiam matrimonialem*. Unde iuxta S. Thom. *loco cit.* est raptus, si violentia fiat mulieri, licèt non *patri*: vel si fiat *patri*, licèt non *mulieri*, pura, quia consentit: sive inferatur virgini, sive puellæ corruptæ, aut viduæ, vel maritatæ: quæ omnia in confessione sunt explicanda. *Item* si Sanctimoniali, tunc autem simul est *sacrilegium*. Aliquando idem actus est simul *stuprum*, & *raptus*, vt si quis violentiam inferat virgini, eam abductam deflorando. De hoc raptu, in quantum est impedimentum dirimens matrimonium fiet termo in *T. de Matrim.* E 6. *n.* 46.

Pœna huius raptus de *Iure Canonico*, & iuxta *Concil. Trid.* est, quòd raptor, & omnes ei consilium, auxilium, vel favorem præbentes sint ipso iure excommunicati, & perpetuò infames: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant, teneaturquè raptor raptam convenienter dotare, pro arbitrio iudicis. *Not.* Varias circunstantias circa peccatum carnis ocurrere posse, necessario explicandas in Confessione, vt ratione *voti*, *complicis*, *cognationis*, *impubertatis*, *sollicitationis in Confessionali*, *&c.* quas vide supra *T.* 3. *E.* 2. *n.* 2.

* 29 *Vitium contra naturam* iuxta S. Thom *loco citato art.* 11. est actus venereus repugnans non solùm rationi rectæ, quòd est commune omni vitio luxuriæ, imò cuicunquè peccato, sed etiam ipsi ordini naturali actus venerei, qui convenit humanæ speciei, qui est, vt sit inter masculum, & fœminam eiusdem speciei, nimirum humanæ, in vase, & situ debito, quòd in hoc vitio (ex quo nulla sequi potest generatio) non servatur. Cùm autem id pluribus modis contingere possit, vitium hoc est species luxuriæ *subalterna*, continens sub se plures *species infimas*. De quibus posteà *n.* 31.

* 30 *Sacrilegium* à nonnullis recensetur inter species luxuriæ, attamen propriè species eius non est, cùm etiam reperiri possit in alio genere peccati, *v. g. furti*, *homicidij*, *&c.* In præsenti per sacrilegium intelligitur ille actus luxuriæ, quò violatur corpus personæ *Deo consecratæ* per votum, vel professionem Religionis, sive sit vir, sive mulier: quam circunstantiam vterquè complex de se ipso, & de complice in Confessione exprimere debet.

Declara: hoc S. D. *loco citato art.* 10. *ad* 2. dicens: *Sacrilegium potest concurrere cum diversis luxuriæ speciebus. Si enim aliquis abutatur persona sibi coniuncta secundùm spiritualem cognationem* ex Baptismo, & Confirmatione, vt patet in Patrinis, *committit sacrilegium ad modum incestus. Si abutatur Virgine Deo sacrata, in quantum est Sponsa Christi*, cum quò fecit spirituale matrimonium, vt ait *art.* 1. *ad* 3. *est sacrilegium per modum adulterij* spiritualis. *In quantum verò est sub spiritualis Patris cura constituta, erit quodammodo spirituale stuprum. Et, si violentia inferatur, erit spiritualis raptus, qui etiam secundùm leges civiles gravius punitur, quàm alius raptus.* Vndè Iustinianus Imperator, in *Cod. l.* 9. *tit.* 13. dicit: *Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodò matrimonij contingendi causa sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur*. Hæc S. D. De Iure Canonico autem ille, qui *rapit*, vel *violat Monialem*, si sit Laicus, seù Sæcularis, excommunicatur; si sit Clericus, deponitur, & in Monasterium detruditur, ipsa verò Monialis in carcerem, vel arctius in Monasterium includitur ad agendam pœnitentiam. Plura de sacrilegio. *Vide T.* 10. *E.* 4. *n.* 10. n. 34.

* 31 QUÆRO V. *Species vitij contra naturam.* Dixi ante, vitium contra naturam esse speciem subalternam, seù genus, quot ergo, & quas habet sub se species infimas? *Resp.* cum S. Thom. *citato art.* 11. Sunt quatuor, nimirum *mollities*, *sodomia*, *bestialitas*, & *vitium contra naturam*. Quæ quarta species retinet naturam sui generis. Explicantur suo ordine.

Mollities, seù pollutio, sive immunditia, est, quando absquè omni concubitu causa delectationis venereæ procuratur effusio seminis. est semper (dum voluntaria est) & in omni casu peccatum mortale, etsi procuraretur gratia sanitatis, quia frustratur finis à natura in semine insertus, scilicèt alterius individui generatio; estquè contra naturam; quia in ob causam ex genere suo est gravius, quàm rem habere cum iumento, matre, aut moniali. Et licèt hoc peccatum tam abominandum sit, tamen, proh dolor, multi ei omnino assueti, tam parvi illud faciunt, quam spuere in terram.

Dixi non esse voluntaria, pura, sive directè, sive indirecte, & in causa, licèt eveniat in somno. Vide *T* 4. *E.* 2. *num* 6. ubi dictum est, quæ sint causæ mollitiei, quas homo vitare tenetur. Cæterum Regula generalis est: *Si causa pollutionis sit mortalis, v. g.* tactus, vel delectatio de ea, &c. Vel venialis, *v. g.* verbum otiosum inconsideratè dictum, vel sine omni culpa, *v. g.* cura Medici, &c. pollutio secuta etiam est talis.

* 32 *Si quis* sub actuali pollutione imaginaretur sibi quandam personam, teneturne in confessione eam circunstantiam exprimere? *Affirmo.* Exprimere ergo debet, an sit *uxor*, *monialis*, *virgo*, *vidua*, *consanguinea*, &c. *Ratio.* Quia obiectum dat speciem actui.

* 33 *Quid si* duo se mutuò polluerent, teneturne vterque exprimere tales conditiones si iis affecti sint. *Affirmo.* Ratio est eadem. Et hoc verum est, etiam dato, quòd alterum polluens nullam sentiret delectationem, iuxta dicta paulò suprà.

* 34 *Quid* fentus de distillatione ex se in somnis eveniente? *Dico.* Si homo ante somnum ei nullam dederit causam *culpabilem*, & evigilans non det *complacentiam*, sed potiùs eliciat displicentiam, detestationem, &c. omni caret culpa. Secùs, si causam derit, vel in ea complacuerit. *Ratio.* Quia sub hac distinctione est, vel non est voluntaria

* 35 *Licetne* gaudere de pollutione inculpabili in somno habita? *Dico.* Probabilius non licèt. *Ratio* patet, tum quia delectatio de pollutione exponit hominem magno periculo consentiendi, tum etiam ex eo, quia ideo pollutio in somno habita excusatur, quia non fuit voluntaria, sed per secutam complacentiam fit voluntaria, sicut etiam de accessu *Iacob* ad *Liam* dictum est *T.* 4. *E.* 2. *n.* 101. Nota tamen non esse peccatum gaudere de bono ex tali pollutione subsecuto secundùm se sumpto, vt abstrahit ab illa causa, *v. g.* de sanitate.

* 36 *Ejne peccatum* gaudere de pollutione secuta ex audientia Confessionum, vel desiderare, vt sequatur ex illa? *Probabilius*; *& cutiùs non licèt. Ratio.* Pollutio, quæ ex audientia Confessionum sequitur, ideò excusatur, quia eius causa excusatur, & caret culpa: Sed ex hoc capite in casu posito non excusatur; quia est simul directè volita. Ergo.

* 37 *Quid indicas* de illis, qui etiam vigilantes sine carnis commotione, & immunda cogitatione patiuntur fluxum è membro secreto? *Resp.* cum Angelico

gelico Doctore *Opusc. 64.* fluxu libidinis sic discurrente: Quibusdam contingit conscientiæ dubietas, & perturbatio magna, vnde ipsis vigilantibus, absque vlla commotione carnis, & cogitatione immunda, humor quidam per membrum secretum egreditur sine delectatione, & quasi insensibiliter, ita vt multi de hoc non perpendant, nisi cum pannos senserint madefactos. Cuius causam aliqui ignorantes turbantur, & errant, putantes, se pollutos esse: & ideò sciendum est, quòd illius humoris effusio non est pollutio, quia, vt dicunt Medici, sine libidinosa delectatione, & carnis commotione nullus potest pollui vigilando. Ad ipsius tamen humoris effusionem videtur naturalis conditio causam exhibere primariam, sed deinde id aliud, quòd ad naturam disponit, causa viciosa, & evitabilis perficit, & consummat. Quibusdam hoc evenire agnovi ob solam præsentiam, & allocutionem alicuius personæ in cuius conspectu quis habuit complacentiam sensualem, & vanam, seu ad quam inordinato amore afficitur, aut per tactum impudicum levem, aut imaginando aliquos actus impudicos fortiter, & morosè: in his enim casibus, & alijs similibus multi inveniuntur habere calefactiones, & commotiones carnis libidinosas, diuturnique humorem emittere, velim nolint: sed eas causas, & similes, quæ sunt evitabiles, debet quilibet fugere, & evitare pro posse, maximè qui sentit de hoc se passionatum, seu ad hoc naturaliter inclinatum, sive ex vitio mentis, sive ex debilitate naturæ: & qui huiusmodi causas non evitaverint pro posse, vel iuxta posse, relinquendo amicitiam, & familiaritatem personarum, ad quas inordinatè afficitur, fugiendo etiam allocutiones, & aspectum personarum, licèt non credant, ipsum per dictam effusionem peccare mortaliter, nisi fortè aliter conspiceret, aut impudicè tangeret personam, quæ est causa istius effectus: tamen credo, cum graviter peccare, & magno peccati mortalis periculo: & ideò consilium do tibi, quod absque dilatione morosa ipse sibi violentiam faciat in hac parte, fugiendo personas huiusmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci, & temporis evitet. Hic itaque prædictus fluxus, qui à quibusdam vocatur libido, si potest evitari ipsius occasio, & si studiosè non evitetur, est omninò contendus cum suis occasionibus, & negligentia habita circa ipsas. Si verò contingit ex causa, quæ vitari non potest, sicut quando audiuntur verba impudica ex casu, vel loquitur cum ipsa, vel sedet iuxta eam, de cuius præsentia habet complacentiam vanam, & ab ea separari non valet: in his, & similibus credo ipsum cessare, quòd tam de occasione habita, & impotentia vitandi, quàm de fluxu illius libidinis dolor est simpliciter habendus: quia tamen dubitare de talibus, quæ soeiant ad conscientiæ puritatem, quandoque valdè proficuum est, poteris hoc confiteri, ob quietudinem mentis, & pacem: quamvis expedire non credam. Hæc S. D.

Not. Quoad hactenus dicta, & dicenda, esse nonnullas sententias à Sede Apostolica damnatas. Nam inter Propositiones ab Alexandro VII. damnatas est hæc *num. 14. Mollities, sodomia, & bestialitas, sunt peccata eiusdem speciei infimæ, idèoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.* Et *num. 15. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem; non explicando copulam.* Et inter Propositiones ab Innocentio XI. damnatas est hæc *num. 48. Tam clarum videtur, fornicationem, secundum se unam illam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi dissonum videatur.* Et *num. 49. Mollities iure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Et *num. 50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, ad quod sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

* 38 *Sodomia*, seu vitium sodomiticum, maximè abominandum, nomen habens à *Sodoma* Civitate, quæ propter illud cum tota illa Regione, igne cœlitus delapso, est concremata: juxta S. Thom. est coitus inter *masculum*, & *masculum*, vel *fœminam*, & *fœminam*: ita vt non servetur debitus sexus. Si sodomitæ essent affecti arctè nominatis conditionibus, *coniugij*, &c. *consanguinitatis*, &c. id in confessione explicandum est, vti & an fuerit *agens*, vel *patiens*, quia *agens* committit simul pollutionem, non verò *patiens* qua talis. Si tamen & hinc in eo actu pollui contingeret, id pariter exprimere debetet. Si quis simile quid attentaverit cum fœmina, pariter exprimere debet, quia est alia, saltem imperfecta, species sodomiæ: licèt enim servetur *debitus sexus*, non tamen *debitum vas*, sodomia enim semper fit extra vas naturale. Alij coitum viri cum fœminâ extra vas naturale reducunt ad vitium contra naturam. De quo postèa ex S. Thom.

Pœna huius horrendi criminis de Iure Civili, & in foro sæculari erat *gladius* Ex Constitutionibus pœnalibus *Carol. V.* est ignis, seu combustum. De Iure Canonico autem laici sodomitæ excommunicantur, Ecclesiastici beneficijs privantur, & deponuntur. Hodie ex Constitutione Pij V. de anno 1568 Ecclesiastici hoc dirum nefas exercentes omni privilegio Clericali, Beneficio, Dignitate, & Officio Ecclesiastico, eiusdem Constitutionis authoritate privantur, ita vt per Iudicem Ecclesiasticum degradati mox tradantur potestati sæculari, quæ de ijs idem capiat iudicium, quòd in Laicos, huic vitio intricatos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum.

* 39 *Bestialitas* iuxta S. Thom. citatum, est *concubitus*, seu coitus *cum re*, scilicèt animata, *alterius speciei*, nimirum cum bestia, seu bruto. Et hoc est nefandissimum, ac mortalissimum scelus, in cuius confessione species animalis, an nimirum fuerit *equa*, *canis*, &c. non est necessario exprimenda: licèt enim physicè differant specie, moraliter tamen, quoad præsens, sunt eiusdem speciei. Sub hoc peccato vt ex definitione S. Thom. patet continetur infandus coitus *magarum*, ac *sagarum* cum dæmone *incubo*, vel *succubo*; qui præter peccatum contra naturam, est adhuc speciale peccatum contra Religionem, nimirum peccatum societatis, & commercij cum diabolo tetrissimo Dei, & humani generis hoste. Quod sine omni dubio in confessione est exprimendum, vti, & an dem on sic fuerit in forma *viri*, vel *fœminæ*, consanguineæ, coniugatæ, monialis, &c. tunc nam què præter diabolicam bestialitatem, per affectum ad talem, vel talem personam additur specialis malitia, v. g. incestus, adulterij, &c.

Pœna de Iure Civili huic scelerи debita est vivum combustum. Et Levit. 20 de eius pœna sic legitur: *Qui cum iumento, vel pecore dormierit, morte morietur: pecus quoque occidite; nubilis, quid fœcundarit cuilibet iumento, simul interficiatur cum eo.*

* 40 *Vitium contra naturam* est, quando quis coit

cum

tum sensu femineo, & eiusdem speciei, sed vt loquitur S. Thom. *art. 11. cit. Non seruatur naturalis modus concumbendi, aut quantùm ad instrumentum non debitum, aut alias monstruosos, & bestiales concumbendi modos.* Vbi S. Thom. videtur velle, quòd, vbi sexus est debitus, licèt vas, seù locus sit indebitus, non sit Sodomia (pata, perfecta); sed peccatum contra naturam, quòd est, vbicumquè non potest sequi generatio, nisi (vt Sylvester noster intelligit) fœrò, vt si mulier præbeat terga, vel supergrediatur, viro succumbente. Dixi, quod dictus coitus non sit *sodomia perfecta*, potest tamen admitti, quòd sit species eius imperfecta, & reductiva, prout antè insinuatum est.

Fastidiosa hæc sunt; qui de ijs plura desiderat, inspiciat alios *AA.* fusiùs de his lubricis tractantes. Quæ peccata possint committi in viu coniugij, vide infra *T. 16. E. 7. num. 8. & seq.*

* 41 QUÆRO VI. *Meretricium, & Lupanaria* Quid sunt? Sunne licita, vel saltem tolerandà? Item peccatum meretricibus, quà talibus, locare domos? *Resp.* 1 Meretricium est *turpis quæstus, vsus illis corporis fœmina.* Cum enim meretrix dicatur à *merendo*, dictus quæstus est illud lucrum, quod mulier ex turpi vsu corporis *meretur*. Lupanaria sunt ædes talium meretricum, seù prostituendum.

Resp. 2. Meretricium semper, in omni casu, & actu, est peccatum mortale: nec vlla meretrix in meretricandi proposito perstitens est capax absolutionis. Possunt etiam meretricio admisceri plures aliæ species peccatorum, v. g. adulterij, incestus, sacrilegij, &c. necessariò explicandæ in Confessione. *Ratio* patet ex dictis de fornicatione.

Resp. 3. Mortaliter peccant illi Caupones, qui in suis domibus, vel annexis tuguriolis permittunt meretrices, vt eò plures ibi diuertant hospites. *Ratio.* Quia sunt participes alieni peccati. Sicut ergo non licet alicui vendere gladium, vel venenum, quò credit eum vsurum ad alium occidendum, ita similiter.

Resp. 4. Mortale peccatum est, quærere tributum, portorium, ac lucrum ex turpi lucro, & opera meretricum, immò est execrandum piaculum, etiam barbaris, à fortiori Christianis indignum. *Ratio* est eadem; quæ antè.

* 41 *Resp.* 5. Potestati publicæ licitum est, in aliquà civitatis parte permittere Lupanaria: seù vt in eà habitent meretrices.

Hæc est probabilior sententia fundata in S. Augustino, mox citando, & in S. Thom. *qui 1. 2. q. 10, art. 11. in c. sic dicitur*: Humanum regimen derivatur à diuino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens, & summè bonus permittit tamen aliqua mala fieri in Vniverso, quæ prohibere posset, ne eis sublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo, & in regimine humano illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur. Sicut Augustinus dicit, *lib. 2. de Ordine, c. 4. tom. 1.* Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. Hæc S. D. Qui etiam *1. 2. q. 101. art. 3. ad 2.* alibi: *Sapientis Legislatoris est, minores transgressiones permittere, vt maiora caveantur.* Et ita fit in Vrbe, seù Romæ, vbi Papa sciente, & patiente, permittuntur Lupanaria. Idem fit in alijs quibusdam Ciuitatibus.

Dixi: *Permittuntur*, non approbantur, sed tolerantur, sed tolerantur ad maiora mala vitanda, v. g. adulteria, sodomiam, & ne fœminæ sollicitentur. Hinc meretricium, nec est, nec esse potest ibi, vel alibi licitum, sed manet semper, & in quovis actu est peccatum mortale. Sicut Deus olim Iudæis permittebat exercitium vsurarum ad alienos, & tamen erat peccatum mortale.

* 42 *Resp.* 6. Meretricibus in ea ciuitatis parte (in qua Potestas publica non permittit eas habitare) domos locare, est peccatum mortale *Ratio.* Quia locans agit in re graui contra iustum legem, & consuetudinem loci, & est causa, quòd tantum virus serpat viterius.

Maior difficultas est, an etiam illi sint in conscientia tuti, & à culpa immunes, qui exstruunt, vel locant domos meretricibus in ea ciuitatis parte, vbi potestate publica eis permittitur habitare? Vel an, sicut meretricium solùm permittitur, non autem fit licitum, ita & locatio domorum facta meretricibus. Pro decisione.

Resp. 7. Turpis esse meretricibus (in ea ciuitatis parte, vbi Potestas publica eos tolerat) domos non elocare. *Ratio* 1. Quia clarum est, tunc nullam fieri participationem alieni peccati, nec cooperationem ad illud. *Ratio* 2. Finis in permissione meretricij prætensus, minimum refrenatio libidinis, & ne sollicitentur honestæ, non videtur obtineri. Nam libido non extinguitur, sed accenditur eius vsu iuxta Magistrum in *4. sent. dist. 24* addito malæ sensualitatis inclinationi habitu: quia duo vincula fortiora sunt vno.

Confirm. 1. Viri prudentes aiunt, quòd illi, qui sunt apti ad sollicitandas honestas, non adeant meretrices; vel quòd, quo magis meretricibus sunt alieni, eo magis sollicitent honestas, ob maiorem vitij impetum, vt scribit Navarrus in Manuali. *Confir.* 2. Sicut, iuxta proverbium, occasio facit fures, ita & fornicarios, & Adolescentes hac occasione citiùs discunt peccare, quàm discerent, si lupanaria non permitterentur.

* 43 *Resp.* tamen 8. Practicè probabilius est, mortaliter non peccare eos, qui in ea ciuitatis parte, vbi meretrices tolerantur, eis domos locant, non eo fine principali, vel minùs principali, vt meretricentur, vt ex meretricio lucrum reportent, sed præcisè ad vivendum; cum vera, ac sincera coram Deo displicentia meretricij. Ita Navarrus, qui Romæ scripsit, & Ioann. Maior ab eo citatus.

Rationes Navarri quoad praxin convincentes sunt tres. *Prima.* Ex consuetudine totius ferè Christiani orbis. 2. *Quia* præfatum dictum S. Augustini ab omnibus receptum vix potest exequi sine domorum locatione. 3. *In Vrbe*, sciente, & patiente Papa, locantur, & semper consueverunt locari domus meretricibus. Et Confessarij absolvunt, & semper absolverunt locatores earum sine proposito abstinendi à tali locatione. Ergo.

Ratio 4. his addi potest à pari: In locis, vbi *Catholici*, *Hæretici*, & *Iudæi* vivunt permixti, scienter Magistratu, licitum est Iudæis elocare domos, etiam pro synagogis, & Synagogas ædificare, ac reparare, vti & Hæreticis templa; & tamen peccant in illis. Ergo similiter.

* 44 *Oppono* 1. contra *R.* 8. Non licet elocare domum vsurario, quia abuteretur illa. Ergo nec meretrici. 2. Dare alicui occasionem peccandi, & iuvare ad peccandum, est peccatum, vt patet in vendente gladium, aut venenum ei, quem credit eo vsurum ad homicidium: Sed hoc fit elocando domum meretrici. Ergo. 3. *Ergo* liceat dominum elocare peccatoris

v. g.

v. g. aleatòri, ad exercendam artem, cuius exercitium non habet inſeparabiliter annexum peccatum; non tamen id licet, ſi habeat peccatum ita annexum? Sed exercitium artis meretricandi habet inſeparabiliter annexum peccatum mortale. Ergo. *Min. pat.* ex ſuprà dictis de fornicatione.

Ad 1. diſt. ant. Uſurario vt tali, & ex fine, ſivè principali, ſive minùs principali, vſuras exercendi. *C. ant.* præciſè ad vivendum, & inhabitandum, *N. ant.* & *diſt.* ſimiliter *conſ.* Solutio patet ex ipſamet *R. 8. Ad 2. diſt. mai.* Dare occaſionem proximam, & iurare proximè, vti fit in exemplis ibi allatis, *C. maj.* remotè ſolùm, vti fit in præſenti, *N. mai.* & ſic *diſt. min. N. conſ.* Paulò aliter dici poteſt, quòd cooperatio ad peccatum in præſenti ſolùm ſit materialis, non formalis. Pro quo vide *T. 7. E. 7. n. 63. Ad 3. Reſp* ſicut ad primum.

* 45 *Poteſtne* meretrix licitè retinere, quòd accepit pro vſu corporis? *Affirmo* probabilius cum S. Thom. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. ad 2. dicente: *Cùm quis dat meretrici propter fornicationem, mulier poteſt ſibi retinere, quod ei datum eſt: ſed ſi ſuperfluè aliquid per fraudem, vel dolum extorſiſſet, tenetur reſtituere.* De quo plura vide *T. 8. E. 4. n. 9.*

* 46 QUÆRO VII. *Concubinatus.* Quid, & quantum peccatum eſt? quæ eius pœna? *Reſp. 1.* Concubinatus proprièe eſt fornicatio aſsidua, ſeu frequens, & conſueta eum eadem perſona, ſive ſoluta, ſive ligata, ſive habitando ſimul ſub eodem tecto, & convivendo, ac ſi eſſent coniugati: ſive ſeparatim quidem habitando, attamen ſeſe frequentando, & publicè converſando modo vxorio, vt loquitur Sylveſter, ſeu cum iiſdem familiaritatis ſignis, quæ inter coniuges eſſe ſolent. Ex quò facilè eruitur, quid ſit concubinus, & concubina.

Reſp. 2. Concubinatus eſt peccatum mortale. *Ratio* patet tùm ex data eius definitione, tùm ex verbis S. Thomæ eiuſquè fundamento, quibus probat, fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mort. quæ vide ſuprà in hoc *E. n. 15.*

Reſp. 3. Concubinarius, non tantùm notorius, & publicus (de quò id ſimul probat ratio ſcandali) ſed & occultus; abſolvi non debet, nec poteſt, ſi concubinam dimittere nolit; licèt fors hæc eius oblectamento, & rei domeſticæ valdè proficua ſit. Ita tenet communis, tutior, & probabilior ſententia. *Ratio.* Manere in continuo affectu peccari mortalis, & proxima voluntaria occaſione peccandi mortaliter eſt peccatum continuum mortale, faciens hominem abſolutionis incapacem.

Præterea anno 1666. ab Alexandro VII. damnata fuit hæc propoſitio *num. 41. Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſt ad oblectamentum concubinarij, vulgò regalo, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & alia æquè lædio magno concubinarium afficeret, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Reſp. 4. Si concubinarius vno, duobus, aut tribus annis non fuerit confeſſus, & confitearur, concubinam adhuc domi retenta, promittatquè ſe eam ſtatim ejecturum, poteſt abſolvi. *Ratio.* Cùm ille pœnitens haſtenus non promiſerit emendationem, adeòquè non fregerit emendationis propoſitum, credi poteſt primum hoc propoſitum eſſe ſincerum, & non fictitium.

Reſp. 5. Si ter, quaterve confeſſus, in ejiciendâ (vt promiſerat) concubina defecit; ratiùs tamen lapſus fuit, pœnitens abſolvi poteſt, concubina nondum ejecta, ſed proximè (vt denuò promittit) ejicienda. *Ratio.* Quia tunc adeſt emendatio ſaltem inchoata.

Reſp. 6. Si Concubinarius pluries monitus de ejiciendâ concubina, non paruit, nec per rariorem lapſum, emendationes ſpecimina dedit, licèt dicat ſe habere firmum propoſitum ejiciendi, non eſt abſolvendus; antequàm re ipſa eam ejecerit. *Ratio.* Quia propoſitum, & promiſſum, quod tam longo tempore caret executione, quæ tamen facilè fieri poteſt, & debet; coniungiturquè cum periculo proximo, ſeu proxima voluntaria occaſione peccandi mortaliter, non eſt ſincerum, nec ſerium. Ergo. De his plura vide de recidivis *T. 13. E. 5. n. 54.*

Reſp. 7. Si concubinarius graviter decumbat, & præter concubinam non habeat, nec facilè habere poſsit hominem ei neceſſaria ſubminiſtrantem, nullam autem erga concubinam ampliùs affectum gerat, promittatquè ſe eam proximè ejecturum: vel ſi ipſa eſſet facta notabiliter deformior, aut laboret aliquo turpi morbo horrorem cauſante, poteſt abſolvi, ſi in vtroquè caſu deſit ſcandalum. *Ratio.* Occaſio proxima tunc cenſetur ſublata.

Reſp. 8. Concubina, quæ non deſinit inviſere ſuum concubinum, in infirmitate, ſed vult ipſi in agonâ prorrigere candelam, non eſt abſolvenda. *Ratio.* Quia graviter, & quaſi continuò ſcandalizat. *Not.* Quæ dicuntur hìc de concubino, proportionabiliter intelligenda eſſe de concubina, quia ſicut in dictis caſibus concubinus tenetur ejicere concubinam, ſic ipſa tenetur diſcedere, ſeu domum vitare, licèt concubinus eam non ejiciat.

Reſp. 9. Concubinarij in quibuſdam Diœceſibus (quarum praxis eſt obſervanda) per Conſtitutiones Synodales ſunt excommunicati. Et de facto vbiquè terrarum, ſi ter ab Epiſcopo legitimè moniti ſe non emendent, ſaltem ſunt excommunicandi: & concubinæ (invocato, ſi opus eſt, brachio ſæculari) in exilium relegandæ, ſeu extra Diœceſim proſcribendæ, vt patet ex Concil. Trident. *Seſſ. 24 cap. 8. de reform. Matrim.* Quomodo per privationem fructuum, officiorum, beneficiorum, per ſuſpenſionem, &c. puniendi ſint Clerici, etiam Epiſcopi, concubinas, aut aliàs mulieres (de quibus poſsit haberi ſuſpicio) in domo, vel extrà detinentes, patet ex Trid. *Seſſ. 25. cap. 14.*

* 47 QUÆRO VIII. Sacerdos concubinarius, legendo Miſſam, ſitne irregularis? Et peccantne qui eam audiunt? Certum eſt, quòd talis Sacerdos concubinarius, ſive *notorius*, ſive *occultus*, quoad Deum, & quoad ſe ſit ſuſpenſus: adeòquè mortaliter peccet celebrando. *Ratio.* Quia eſt in peccato mortali, eiuſquè continuo affectu.

Reſp. 1. Notorius concubinarius, & vagus fornicarius Sacerdos, eſt ipſo iure ſuſpenſus, & ideò Miſſam legendo ſit irregularis: ſuper quò diſpenſari nequit niſi à Papa. Dixi, *notorius*, id eſt, publicus, cuius crimen eſt evidens, & nulla poteſt tergiverſatione celari. *Idem* eſt de Diaconis, Subdiaconis, immò & Minoriſtis, ſi actum proprium ſui Ordinis exerceant; ait Navarr. & Sylveſter. Qui poſterior addit: Multi Doctores volunt, quòd requiratur monitio, aliter non ſit ipſo facto excommunicatus, nec incurrat irregularitatem: ſed primum eſt vetius.

Reſp. 3. Si Sacerdos concubinarius, de quò eſt ſermo, agat quidem pœnitentiam, ac ceſſet à vitio, fungatur autem ſuo officio ante diſpenſationem, peccat mortaliter toties quoties. *Ratio.* Quia in re gravi eſt inobediens Eccleſiæ. *Not.* tamen, quòd non incurs

incurrat novam irregularitatem, sed indigeat absolutione à suspensione, quàm dare potest Episcopus.

Resp. 4. Qui sunt causa, vt Sacerdos, qui est notorius concubinarius, dicat Missam, & eam sine iusta causa audiunt, peccant mort. Ita S. Thom. *quodl.* 11. *art.* 8. *Ratio* Quia sunt causa inducens Sacerdotem ad peccandum mort. nimirum ad indignè sacrificandum. Hoc tamen solum intelligitur de ijs, qui sciunt, & scire possunt, ac debent legem illam, quæ prohibet audire Missam Sacerdotis concubinarij, & fornicarij notorij. Secus est, si ab ijs non inducantur Sacerdos, sed ipse ex se promptus, ac paratus sit, nec sit publicè excommunicatus, de quo eis conster.

* 48 *Dic mihi*, vbi sepeliendus est publicus concubinarius sine pœnitentia in tali peccato mortuus? *Dico*. Extra locum sacrum, vt optimè docet noster Card. Turrecrem. *Ratio*. Cùm obierit impœnitens in peccato mortali notorio, non est dignus sepultura in loco sacro.

Estne grave peccatum, si concubinarius haberet imaginem suæ concubinæ, vel econtra? *Affirmo*. Quia esset continuum fomentum, & incentivum libidinis.

Tentarne quis domo expellere fœminam, quàm (propter aliquam imprudentem eius actionem) populus credit esse concubinam, cùm tamen non sit? *Affirmo tenere*, si plebi satisfactionem aliter eximere non possit, eamque possit dimittere sine suo gravi detrimento. *Ratio*. Quantùm ad scandalum proximi idem est, realiter concubinarium esse, aut ob dictam actionem reputari talem.

* 49 *Quomodò* intelligitur Sacra Scriptura, dum refert, quòd antiqui Patres habuerint concubinas? *Dico* habuisse eas tunc, quando ad Generis humani multiplicationem ex Dei dispensatione licita erat *Polygamia*, seù vxorum pluralitas. Vnde illæ concubinæ erant legitimæ Veterum Patrum coniuges, apellabantur autem eò nomine, quia in matrimonium erant ductæ sine solemnitate, nec potiebantur vllo familiæ gubernio, ad differentiam aliarum vxorum principalium, quibus authoritas super familiam competebat. Vide de Polygamia.

Sed quid dicis ad illum textum Concilij Toletani, *relatum in cap.* 4. *& 5. dist.* 34. *Christianis aut vxorem, aut pro vxore concubinam habere licere. Dico*. Cùm Scortario (vt suprà probatum) iure naturæ sit prohibita, ibi per concubinam non intelligitur Scortum, sed vxor per verba quidem de præsenti desponsata, sed sine instrumentis dotalibus, alijsquè solemnitatibus, olim saltem in foro externo, & de iure civili ad matrimonium requisitis: defectu quarum in eodem foro, & iure vocabatur concubina, quæ tamen in foro poli, seù coram Deo revera erat legitima vxor.

Chorea, Oscula, Amplexus, Tactus, Littera amatoria, Munera.

* 50 QUÆRO IX. Quid de his sentis? *Resp.* 1. Chorea, sive saltus ex genere suo, seu per se, ex se, & ex natura sua non est peccatum, nec indicium libidinis, sed signum lætitiæ. Si ergo fiat debito tempore, & loco, honesto fine, & modo, non debet culpari, licèt frequenter fiat. Dum verò à 85. *Patribus* culpatur, est propter abusum, qui est vitiosus, & periculosus; ratione cuius periculi quilibet seipsum mensuret, & consideret: 1. *Quo animo*, quà intentione Choreas ducat, an ex libidine, an decentis lætitiæ, ac honestæ recreationis gratia? 2. *An sibi noceat* aspectus mulieris, cum qua conversatur? 3. *Quis* tactus, & quo animo faciat, aut manum intorqueat? 4. *Qui*, & an venerei discursus intercurrant? 5. *Quæ* levitates (in quibus mille, saltem venialia, peccata latent) exerceat? Et similia, ex quibus id, quòd ex se malum non est, vitiari potest; vti & vitiantur Choreæ ratione loci prohibiti, vt si fiant in Ecclesia, esset enim magna irreverentia Dei & ratione temporis, vt si fiant sub officio divino, aut cum impedimento eius in die festo. Si autem fiant officio divino totaliter peracto, & non ex consuetudine, nec pro maiori parte diei, non vitiantur saltem mortaliter. *Item* vitiantur ratione personarum, saltantium, vt si fiant *Clerici, Religiosi, Monachi*, &c. ex quo casu mille scandala pullulare possunt. Proinde magna opus est cautela. *Tandem* ratione prauæ, v. g. lasciuæ intentionis; & ratione modi, puta, impudici.

Resp. 2. Oscula, amplexus, & tactus, licèt secundum suam speciem non sint peccata mortalia, vt tamen libidinosa sunt, inter mortalia numerantur. Ita S. D. 2. 2. q. 154. a. 4. *Declarat ex hoc ita e.* Aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter. *Uno modo* secundum speciem suam, & hoc modo oscula, amplexus, vel tactus, secundum suam rationem non nominant peccatum mortale; possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem Patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam. *Alio modo* dicitur aliquid esse peccatum mortale ex sua causa, sicut ille, qui dat elemosynam, vt aliquem inducat ad hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam: dictum est autem suprà, quòd consensus in delectationem peccati mortalis est *peccatum mortale*, & non solùm consensus in *actum*. Et ideò cùm fornicatio sit peccatum mortale, & multò magis aliæ luxuriæ species, consequens est, quòd consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, & non solum consensus in actum. Et ideò cùm oscula, & amplexus huiusmodi propter delectationem huiusmodi fiunt, consequens est, quòd sint peccata mortalia, & sic solùm dicuntur libidinosa. Hæc ibi. Quibus adde, quòd si oscula, amplexus, & tactus, careant omni libidine, prava intentione, & circumstantia, vt, si præcisè fiant amicitiæ honestæ gratia, &c. careant culpa etiam veniali.

Not. 1. quòd non solùm sit mortale, tactus ex genere suo impudicos facere, sed etiam est mortale eos pati. Quòd & verum est de eo, qui patitur tactus non impudicos, credit tamen, vel dubitat, eos fieri malo animo, si fine scandalo eos possit vitare. *Not.* 2. Inter 45. propositiones ab Alexandro VII. damnatas esse hanc num. 5. *Est probabilis opinio, qua dicit esse tantùm venialia, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, qua ex osculo oritur, seclusò periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

* 51 *Resp.* 3. Qui recipit, vel mittit litteras amatorias, ac munuscula, seu donaria (idem est de componentibus, vel canentibus cantilenas, ac pingentibus imagines) turpis amoris, ac libidinis gratia, mortaliter peccat. *Ratio*. Quia *interuio indicat animos*, vt dici solet: Sed illa in præsenti est mortalis. Ergo.

* 52 *Resp.* 4. Confessarius incumbit tales obligare ante absolutionem, vt dona illa dent pauperibus, & litteras comburant. *Ratio*, *Quia talia renouant memoriam libidinis.*

Quid

Quid ſentis de ſervis, & ancillis ruſticorum, qui non memores, quòd die præcedenti portarint, vel ſequentes portaturi ſint pondus diei, & æſtus, ideòque quiete indigerent, tamen medias ſæpè noctes ducendo inſomnes ſeſe vlitant ad feneſtras (quòd germanicè ipſi in quibuſdam locis vocant *fenſterln*, accuſantque ſe hoc modo: Pater, *ich hab gefenſterlt*) ſubinde etiam per feneſtras intrant, tota, vel media nocte confabulantur amicitiæ cauſa: & tamen interdum vix de tactibus ſe accuſant, etiam examinati? *Dico*. Confeſſarium hîc debere conſiderare duo. 1. *illud*: Intentio indicat omnes, vt antè dixi 2. *illud* Eccl. ſ. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Si ſtramen appropietur igni, facilè flammam concipit.

* 53 QUÆRO X. *Periculum, & Occaſio peccandi.* Quid de iſtis cenſes? Ante R. *Not.* Periculum, ſive occaſionem peccandi eſſe duplicem. Una eſt *proxima*, altera *remota*. Proxima eſt, quæ ſemper, vel frequenter homines ſimilis conditionis ad tale peccatum inducit. Vel, quia poſita homo moraliter quaſi infallibiliter ſtatim, aut quaſi ſtatim labitur. Occaſio remota eſt, in quâ homo non tamen frequenter, & non tam infallibiliter labitur in peccatum. Supponitur autem hîc, quòd, qui verſatur in occaſione ſolùm *remota*, poſſit & debeat abſolvi: quia cum eâ ſtat firmum propoſitum abſtinendi à peccatis. Hoc notato.

Reſp. 1. Qui verſatur in periculo, ſeù occaſione proxima peccandi mortaliter, non eſt abſolvendus, niſi firmiter ſtatuat occaſionem illam deſerere, ſi poſſit. *Ratio*. Tum quia, qui amat periculum, peribit in illo; tùm etiam quia, niſi id ſtatuat, iudicandus eſt non habere ſincerum de peccatis dolorem, nec ſerium emendationis propoſitum.

* 54 *Reſp.* 2. Talis tenetur in Confeſſione exprimere ſpeciem peccati mortalis, cuius occaſioni, ſeù periculo proximo ſe expoſuit. *Ratio*. In moralibus idem eſt, exponere ſe periculo proximo peccati mortalis, & actu illud committere, ſuntquè eiuſdem ſpeciei.

* 55 *Reſp.* 3. Tutius, & probabilius eſt, quòd qui ſunt iuris ſui, ita vt expellere poſſint perſonam, cum qua verſantur in proximo periculo, ſeu occaſione peccandi, teſte experientia videantur ſe continere non poſſe, teneantur eam expellere. 2. Si expellere eam nequeant, ipſi abire debent, licèt ex hoc infamia ſui, aut aliorum ſequatur: Et hoc Confeſſarius talibus pœnitentibus tenetur conſulere, nec aliter eos poteſt abſolvere. Ità docet Angelicæ puritatis Doctor Aquinas *quodl.* 11. *a.* 12. & ex eo Conradus, ac alij. *Ratio* 1. *p.* patet ex dictis ſuprà de Concubinario. *Ratio* 2. *p.* Quia præſtat, famam, honorem, opes, & vitam ipſam millies perdere, quàm Summum Bonum offendere.

* 56 *Reſp.* 4. Cum Conrado. Probabilius eſt, quòd, qui ſui iuris non ſunt, *v. g.* filij, & filiæ familias, vxor, mancipia, &c. non teneantur domum relinquere. 2. *Tenentur* tamen pro virili reſiſtere, quaſvis occaſiones, nimirum converſationem, alloquia, &c. tollere, clamoribus (ſi opus fuerit) ſe defendere, nec vllo metu (exemplo Suſannæ) conſentire. 3. *Quòd* niſi ſe facturos promittant, non abſolvantur. 4. *Quæ omnia* ſi non iuvent, ſeparationem (quæ omninò impoſſibilis non eſt) quærere tenentur. *Ratio* 1. *p.* Quia id nimis durum, & difficile eſt. *Ratio* 2. *p.* Ne aurem periculum, & pereant in illo. *Ratio* 3. *p.* Quia propter affectum peccati mort. ſunt incapaces abſolutionis. Ergo.

Ratio 4. *p.* eſt eadem, quæ pro 2. *p.* R. 3. Conſideranda, & practicanda hoc in negotio ſunt verba, & opera Suſannæ à Senecionibus laſcivis tentatæ, Dan. 13. v. 22. & 23. dicentis: *Angustiæ ſunt mihi undique, ſi enim hoc egerò, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras; ſed melius mihi eſt abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Ex his à paritate diverſi reſolvuntur caſus.

1. *Si qui* in facie Eccleſiæ ſint coniugati, matrimonium autem ratione alicuius impedimenti dirimentis deprehendatur eſſe nullum, & cohabitatio ſit cauſa, ſeu occaſio, & periculum proximum peccati mort. ita vt continere nequeant, ſeparandi ſunt, licèt ſequatur ſcandalum, quod eſt acceptum: nec aliter ſunt abſolvendi. 2. *Quibus* Choreæ (de quibus antè) ſunt periculum proximum peccandi mortaliter, tenentur ſub mortali eas vitare: ſecùs, non poſſunt abſolvi. 3. *Idem* dicendum eſt de viſu (de quo Prophera Thren. *Oculus meus depredatus eſt animam meam*) oſculis, amplexibus, &c.

4. Idem eſt de aſpicientibus coitus beſtiarum, vel genitalia aliorum hominum: vti & de ijs, qui curant fœminas in partibus ſecretioribus, aut ijs infundent cliſteria. Si enim experientia didicerint, in hoc eſſe ſibi periculum proximum conſenſus, ſeu peccati mortalis, tenentur ſub mortali occaſionem fugere. Nam bona fortunæ (quibus illi Curatores ſæpè intendunt) debemus cum Apoſtolo arbitrari vt ſtercora, vt Chriſtum, & ſalutem animæ lucrifaciamus.

5. Idem eſt de Sponſo, & Sponſa, qui, parentibus diſſimulantibus, & ob id (cùm alieni peccati ſe participes faciant) gravi reprehenſione digni, liberè inter ſe, *ſolus*, & *ſola* converſantur, & plurimas turpitudines ante Matrimonij contractum committunt. Idem eſt de iſdem, quando Sponſo (antequàm Sponſam introducat in domum ſuam) non permittitur aliquò tempore matrimonij vſus. Vide propoſitiones damnatas, adducendas poſteà n. 53.

Periculum familiaritatis fœminarum, etiam ſpiritualium.

* 57 QUÆRO XI. Quodnam tuum de hoc iudicium? *Reſp.* Iudicium de hoc non eſt meum, ſed illius, qui fœminam impudicam, a quâ ad Venerem ſollicitabatur, fugâ vitione fugavit, nimirum Angelici Doctoris mei *Opuſc.* 64. *ſic ſcribentis*: Quoniam multi videntur negligere, vt agnoſcant affectus ſuos vitioſos, & per conſequens non curant confiteri, cùm tamen diligenter ſint perſcrutandi, & cum ſuis vitijs, orientibus ex ipſis, exprimendi. Ideò prætermittere non intendo, quòd multi nimis afficiuntur ad ſe ipſos, quidam ad aliquas pericula, quidam ad honores, quidam ad divitias temporales. Et quia hæc ſunt ſicut murus inter Deum, & animam, ideò nullus homo, habens aliquid de prædictis, poteſt in via Dei proficere, nec habere puram orationem, & maximè, quando eſt carnalis affectio ad perſonam: & de hoc intendo loqui modò. Nam talis affectio multos ſpirituales ſub ſpecie amicitiæ ſpiritualis à ſtatu orationis impedit, & impedivit. Hæc eſt inquietudo mentis peſtifera, orationem mentis, & oris inficiens, & diſpergens, & affectus contrarios orationi in mente generat, & exercet. Nam ſicut oratio pura, mentem purificat, & illuminat; lætificat, fortificat, & impinguat: ſic carnalis affectio, & immunda, mentem inficit, & obſcurat, contriſtat,

debilitat, & siccat, & corpus eiusdem maledictionibus implicat.

Et quoniam spiritualibus loquor, propter quos ista scribuntur, noverint ipsi, quòd licèt carnalis affectio sit omnibus periculosa, & damnosa, eis tamen perniciosa est magis maximè, quando conversantur cum persona, quę spiritualis videtur. Nam quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum, bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas quanto plùs crescit, tanto plùs infirmatur principale motivum, & vtriusquè puritas maculatur. Non tamen de hoc statim perpendunt, quia sagittarius à principio non mittit sagittas venenatas, sed solùm aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes.

Ad tantum verò in brevi deveniunt, vt non iam velint Angelus, sicut cœperant, se invicem aliquantùr, & videant, sed tanquàm carne vestiti se mutuò intuentur. Exindè vnus incipit appetere alterius præsentiam corporalem, quia forma, vel species corporis, in vtriusquè mente concepta, incitat eos ad volendum præsentiam corporalem, quà inist eis præsentia mentalis: sicquè spiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem, & carnalem, & sic ipsorum mentes, quæ solebant in oratione cum Deo absquè intermedio loqui, nunc inter se, & Deum alter ponit alterius corporalem effigiem. Et non minùs horrendum est, cùm hi proprium errorem percipere, & emendare deberent, ipsi potiùs, nutrimento erroris, totum illud iudicant ex maxima charitate procedere, & sibi invicem mentientes referunt, quòd in oratione vnus alteri præsentatur, ac si pro se invicem orare cogantur gratia, & virtute divina: ac per hoc consolationem simpliciter sensualem, quàm habent in illarum præsentatione de se invicem facta in oratione, æstimant, affirmant, ac asserunt esse gratiam spiritualem, & divinam.

Quales autem illusiones recipiant à Sagitario supradicto, specialiter mulieres, quæ citiùs hidem adhibent illusioni mentali, esset horribile, & quasi impossibile declarare. Sentiunt namque in oratione præfata, & repræsentatione mentali calorem quendam ignitum à Sagitario illo illatum, quem credunt, & dicunt esse ignem charitatis, à Spiritu Sancto transmissum, volente coniungere spiritum vnius spiritui alterius vinculo charitatis, cùm inde sit ignis libidinosi amoris, prout sequentia manifestant, & tamen deliberant, se tanquam spirituales vnitos posse securius, ac prolixiùs sibi loqui: atque in hoc tempus non perdere sed lucrari.

Proinde modos insolitos, & cautelas mirabiles adinvenerunt, quibus procurant sibi frequenter colloqui, allegantes vnus alteri causas, vtilitate, ac necessitate depictas, cùm tamen in veritate nihil aliud sit, nisi onus, cui Ratio iam succumbit. Sic itaque carnali concupiscentia, seu complacentia excæcati, tempus, quod olim consueverunt in oratione expendere, ac spiritualiter occupare, nunc in huiusmodi familiaritatibus, & colloquis perdunt, & sic, quod dolendum est, allocutiones divinas pro carnalibus commutantes, amodò, nisi mora serotina cogente, aut alia inevitabili causa, non possunt ab invicem discedere: & tunc invitè, & tristes discedunt. Hæc autem tristitia est certissimum indicium, quòd carnis vinculo sunt alligati: & per hoc visitationes, & consolationes divinæ à carnalibus, & diabolicis discernuntur.

Denique quamvis se multis exponant periculis, & multa mala incurrant, dum obtenebratis conscientijs iudicant, sibi tanquam spiritualibus quædam esse licita, quæ fieri nequeunt absque periculo, & peccato. Putavi tamen melius esse non gaùta de hoc calamo exarare, hæc tamen tacere non valeo, quin aliqualiter referam maxima: quia non longè a temporibus istis similia contigerunt.

Tandem spirituales prædicti quandoque se deducì permittunt, vt se invicem familiariter tangant sub specie charitatis, referantes sibi invicem immensum cordis amorem, quem imprudenter charitatem appellant. Sed in hac relatione amoris est summum periculum, quia ex hoc fabricantur sagittæ, quæ mentes eorum vulnerant mortaliter, ac venant. Et quod super omnia videtur mihi horrendum, Deo, Angelis, hominibus, ac dæmonibus, fuerunt aliquę, spiritualis nominis, spiritu luxuriæ inbutę, quę in confessionem suæ libidinis præsumpserunt dicere, se habuisse in illis actibus impudicis magna sentimenta de Deo. Quod nihil aliud iudico esse, nisi quoddam incitamentum, inductivum ad similia securius intrandum, & peiora perpetrandum.

Dic mihi, qui talibus credis, & adhæres, si isti sunt verè spirituales, vt asseris, qui nil aliud loqui, aut facere deberent, nisi quod à Spiritu Sancto procedere potest, vel procedit: ab isto autem nihil procedit noxium, sed solum quod vtile, & honestum? Quod enim ad Spiritum Sanctum de tactibus, & osculis? aut qualem honorem inde consequitur Deus? & quæ vtilitas, aut quę necessitas tibi ad salutem, vel alteri, vt hos tactus facias, vel patiaris? quæ convenitio spiritus ad lictàlinem carnis? quę igitur tua præsumptio, vt hanc contumeliam inferas Spiritui Sancto, scilicèt attribuendo ei tuę impudicitię fœtorem, quem vix dæmones patiuntur? quę iniqua temeritas tua, mulier hypocrita, à facie Dei projecta, vt dicas, delectationem carnis libidinosam esse gratiam, & consolationem divinam? Recede ergo fera pessima de finibus meis, quia dæmones nequeunt tuam præsentiam sustinere.

Hæc itaque, Fratres charissimi, non incongruè huic operi sunt inserta, vt sciat vnusquisque, quod hęc venenosa affectio sub colore spiritus acquisita, summè impedit puritatem confessionis, & cordis munditiam, vt sic hanc fugiat, tanquam vitiosam rubiginem, quę vix potest aboleri de mente, si alicui fuerit applicata. Præcipuè quia tales personæ, quæ diù sunt hac sagitta percussę, quasi numquam purè, & integrè confitentur: eò quòd ipsum morbum, despectibilem in persona spirituali, verecundantur toties detegere plenè, & integrè Confessori, quia verentur exprimere aliquas circumstantias, tali affectioni annexas, quas, vel tacent, vel exprimunt imperfectè, vtentes verbis operientibus dictum morbum, occupationem mentis quasi continuam circa personam dilectam, in oratione, & in cunctis actibus suis: & imaginationes turpes de ipsa vana complacentia cordis in memoria, & aspectu mentali ipsius, negligentiam in evitando eius præsentiam, &c.

Propterea sępè mutant Confessorem, aut vellent mutare si possent, sic quia tristes sunt, & acedioli frequenter tam ratione affectionis fluctuantis in mente, quàm ratione confessionis imperfectę, contristantur. Sed quod peius est, cum ipsi deberent quęrere medicos spirituales cautos, peritos, ac expertos, qui scirent illam ægritudinem, & causas eius agnoiccrent, & congruum remedium adhiberent,

non

non solùm non faciunt, sed potiùs, si semel ad aliquem talem pervenerint, ipsum ex tunc fugiunt, nec revertuntur ad ipsum. Querunt ergo Confessores idiotas, & simplices, qui nec morbum intelligunt, nec causas eius agnoscunt, nec ideò sciunt congruam adhibere medicinam.

Tantum de hac materia dixisse sufficiat, vt per hoc animentur per viam puram, & immaculatam incedere, & fugere periculosam pestem, familiaritatem mulierum spiritualium, quæ non meliùs, quàm fugiendo, vitatur; satis enim posset quis hac sagitta percussus se ieiunijs, vigilijs, ac disciplinis affligere, & orare, qui si non fugiat personam, & omnem occasionem despiciat, nunquàm curabitur ab illo morbo, sed magis augebitur illud vulnus. Propter quòd sequamur consilium B. Hieronymi, *dicentis*: Fœminam, quàm vides benè conversantem, mente dilige, non corporali frequentia: quia initium libidinis in visitatione mulierum est, & mundus cum mulieribus non meliùs, quàm fugiendo vincitur: quia cùm cæteris vitijs, & morbis quis possit resistere, huic tamen non potest nisi per fugam. Et alibi: Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in Paradiso, non est mirum, si eos impediat, qui nondum ad Paradisum pervenerunt. Et idem: Solus cum sola non sedeas in secreto absque arbitro, & teste. Et iterum: Ne sub eodem tecto cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas, quia nec tu Samsone fortior, nec Salomone sapientior. Si fortè dicas, iam corpus mortuum est, dico tibi, quoniam diabolus vivit, cuius flatus prunas extinctas ardere facit. *Item idem dicit*: Omnes Virgines Christi, & puellas, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. *Item B. Aug. dicit*: Sermo brevis, & rigidus cum mulieribus est habendus. Nec tamen, quia sanctiores, ideò minus cavendæ, quò enim sanctiores fuerint, eò magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis, immiscèt se viscus impijssimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum, Episcopo loquor, non mentior: Cedros Libani, id est, contemplationis altissimæ homines, & gregum arietes, id est, magnos Prælatos Ecclesiæ, sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quàm Hieronymi, & Ambrosij. *Sicut etiàm ait Bernardus*: Quotidie conversaris cum muliere, & continens vis putari? Esto, quòd sis, maculam tamen suspicionis portas. Scandalum mihi es, tolle materiam, & causam scandali: quia væ homini illi, per quem scandalum venit. Hæc Angelicus Doctor.

* 58 QUÆRO XII. *Consuetudo peccandi. Quid de illa sentis? Resp.* 1. Consuetudinarius, seu qui habet consuetudinem in certo genere *peccandi, mentiendi, iurandi, blasphemandi*, aut visa quæcumque formosa muliere se *delectandi*, si sit peccatum ex obiecto, & genere suo mortale, tenetur sub mortali conari, vt talem pravam consuetudinem retractet, & extirpet. *Ratio* est eadem, quæ suprà de periculo proximo est data.

Resp. 2. Talis consuetudinarius, *v. g.* homo affitetus iurare, si per hoc exponatur proximo periculo peierandi (prout fieri communiter potest) mortaliter peccat, quandiù ferìò non proponit hanc consuetudinem extirpare. *Ratio* est, quæ ante.

Resp. 3. Homo assuetus, *v. g.* blasphemare, & contra hanc consuetudinem ferìò iam conatus, si indeliberatè, & subito motu blasphemet, non peccat mortaliter. *Ratio*. Quia non blasphemat voluntariè, sivè in se, sivè in sua causa.

Resp. 4. Si talis adverteat se blasphemare ex inadvertentia, & tamen à blasphemia non desistat, peccat mortaliter *toties quoties*. Idem est de omni eo, qui non proponit removere talem malam inclinationem. *Ratio*. Tunc blasphemia (idem est de alio peccato) est voluta in sua causa.

Resp. 5. Potest interdum esse casus, quòd pœnitens teneatur exprimere consuetudinem peccandi, non quidem vt novum peccatum, aut circumstantiam notabiliter aggravantem, sed vt Confessarius (qui debet fungi officio Doctoris, Iudicis, & Medici, benè cognoscat statum pœnitentis, præsertim si de eo interroget. *Ratio* patet ex officio Confessarij.

Not. inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas esse has. In primis n. 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem*. Et n. 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem*. Et n. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimò directè, & ex proposito quærit, aut si se ingerit*. Et n. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*. Et n. 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi*.

EXAMEN III.

De Invidia, & Gula.

INvidia fortunæ comes est. *Vipera est*, quę dum vterò exire incipit, propriæ matris dilacerat viscera. *Papilio est*, qui comburit alas, dum vult extinguere lucem. *Invidia*, ait quidam, *in claustro nascitur, in aula nutritur, in hospitali moritur*. Tractat de ea S. Thom. 2. 2. *q.* 36. *per* 4. *ar.*

* 1 QUÆRO I. *Invidia*. Quid est, an, & quantum peccatum? *Respondeo* 1. Invidia propriè *est tristitia de bono alterius, in quantum ab invidente æstimatur diminutivum propriæ gloriæ, vel excellentiæ*, vt Definit S. D. ar. 1. in c. Undè, si quis tristetur de bono alterius, in quantum sibi imminet ex hoc periculum alicuius nocumenti, vt si tristetur de exaltatione sui inimici, timens ne eum lædat, non est *invidia*, sed *effectus timoris*. Invidia ergo propriè est de illis bonis, in quibus est gloria, & in quibus homines amant honorari, & in opinione esse: vt S. D. explicat ex Philosopho.

* 2 *Resp.* 2. Invidiæ propriè non est ad inferiores, sed ad æquales, vel maiores. *Declarat* hoc præclarè S. D. ibidem *ad* 2. dicens: Quia invidia est de gloria alterius, in quantum diminuit gloriam, quam quis appetit, consequens est, vt ad illos tantum invidia habeatur, quibus homo vult se æquare, vel præferre in gloria: hoc autem non est respectu multum à se distantium, nullus enim, nisi it fanus, studet se æquare, vel præferre in gloria his, qui sunt multò eo maiores, puta, plebeius homo Regi, vel etiam Rex plebeio, quem multùm excedit. Et ideò his, qui multùm distant, vel *loco*, vel *tempore*, vel *statu*, homo non invidet: sed his, qui sunt propinqui, quibus se nititur *æquare*, vel *præferre*. Nam cùm illi excedunt in gloria, accidit hoc contra nostram voluntatem; & inde caulatur tristitia. Hæc S. D.

Ex quo patet hìc non esse sermonem de invidia fraternæ gratiæ, qua quis tristatur de divinæ gratiæ diffusione, seu participatione in fratre: quia illa est peccatum in Spiritum Sanctum, & gravissimum. De qua infrà in hoc T. E. 5. n. 10.

* 3 *Resp.* 3. Iuxta S. Thom. ar. 3. Invidia ex genere, seu obiecto suo est peccatum mortale: in individuo sæpè est veniale. *Ratio* 1. *p.* Invidia secundùm rationem obiecti contrariatur charitati, cùm tendat contra bonum proximi, quem, & quod tenemur diligere. *Secunda pars* patet in motibus imperfectis tum huius peccati, tum aliorum.

* 4 QUÆRO II. *Gula.* Quid est, & quantum peccatum? *Resp.* 1. Gula iuxta S. Thom. *art.* 1. est *inordinatus appetitus cibi, & potus.* Vel, est vitium inclinans ad edendum, & bibendum inordinatè. Et est peccatum. Cuius *Ratio est.* Quia recedit ab ordine rationis, & mensura per eam constituta.

Resp. 2. Licèt gula sit vitium capitale. 2. habeatquè quinquè filias. 3. non tamen est peccatum ex genere suo mortale. 4. potest tamen mortale esse variis modis. *Ratio* 1. *p. ex art.* 5. S. Thom. Quia ex vitio gulæ (quòd est circa delectationes tactus, quæ sunt præcipuè inter alias) homo multipliciter provocatur ad peccandum: ex eoquè alia vitia oriuntur secundùm rationem causæ finalis, in quantum scilicèt habet finem multùm appetibilem. Vti patebit ex mox dicendis. *Ratio* 2. *p.* Filiæ illius sunt: *Inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium,* & *hebetudo* mentis circa intelligentiam. Quę

Declaratur ex S. Thom. *art.* 6. Gula propriè consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis, & potibus. Ergo filiæ gulæ sunt illa vitia, quæ ex hac immoderata cibi, & potus delectatione consequuntur. Hęc autem possunt accipi, vel ex parte *animæ*, vel ex parte *corporis*. Ex parte animæ quidem quadruplicitèr. *Primò* quantùm ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi, & potus, ideòquè filia gulæ est hebetudo mentis circa intelligentiam, propter fumositates ciborum, perturbantes caput: sicut è contrario abstinentia confert ad sapientię perceptionem. 2. *Quantùm* ad appetitum, qui, sopito per cibi, & potus immoderantium gubernaculo rationis, multiplicèr deordinatur: & quantùm ad hoc ponitur inepta lętitia. 3. *Quantùm* ad inordinatum verbum, & sic ponitur multiloquium. Vndè Gregorius dicit in Pastor. *Nisi gula deditos immoderata laqueatos raperet, dives ille, qui epulatus quotidiè splendidè dicitur, in lingua gravius non arderet.* 4. *Quantùm* ad inordinatum actum, & sic ponitur *scurrilitas*, id est, iocularitas quædam proveniens ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba, ita nec exteriores gestus. Ex quo risus moveatur. *Tandem* ex parte corporis ponitur immunditia, quæ potest attendi, sive secundùm inordinatam emissionem quarumcunquè superfluitatum, vel specialiter seminis.

Tertia, & 4. *pars* declarantur ex C. *art.* 2. Vitium gulę propriè consistit in concupiscentia inordinata cibi, & potus, ordo autem rationis concupiscentiam ordinantis dupliciter tolli potest: *Uno modò*, quantum ad eà, quæ sunt ad finem, provt scilicèt non sunt ita commensurata, vt sint proportionata fini. *Alio modo* quantùm ad ipsum finem, provt scilicèt concupiscentia hominem avertit à fine debito. Si ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur in gula secundùm aversionem à fine vltimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit, quando delectationi gulę inhæret homo tanquàm fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicèt contrà præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi assequatur. Si verò in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentię tantùm secundùm eà, quæ sunt ad finem, vtpotè quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita, quòd propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. Hęc ibi.

Ex quibus patet, quando gula sit peccatum mortale. 1. *Ex dictis*, si eius delectationi homo inhæreat, vt vltimo fini, & propter eam paratus sit agere contra Dei, aut Ecclesiæ præceptum, v. g. frangendo *ieiunium, votum, obedientiam, &c.* vti faciunt, *quorum Deus venter est.* 2. Si quis excedat advertenter cum notabili, seù gravi sanitatis nocumento, non verò si credatur esse modicum: sicut febricitans subindè vult potiùs pati augmentum febris, quàm molestam sitim. 3. Si in potu (de quò postèa) excedat vsquè ad completam ebrietatem, aut in cibo voluntariè vsquè ad vomitum scandalosum, vel sanitati graviter nocivum, vti fit in ijs, qui bibunt, vt removant, ad cavendam ebrietatem, ne ab alijs in potando videantur victi. Quòd est superbestiale. De quò infrà in hoc *E. n.* 25. 4. *Ratione* finis, v. g. ad luxuriandum, vel ad pollutionem in somnis, etiam sanitatis gratia, procurandum. 5. *Dum* quis sciemer in altero est horum causa.

Nor. inter Propositiones ab Innocentio XI. damnatas esse hanc *num.* 8. cuius iam suprà (de actu indifferenti) fuit facta mentio, nimirum, comedere, & bibere ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

* 5 *Quæ sunt* species gulæ? *Dico.* S. D. *art.* 4. eas assignat hoc versu: *Præpropèrè, lautè, nimis ardenter, studiosè. Declarat hoc dicens:* Sicut dictum est, gula importat inordinatam concupiscentiam edendi, in esu autem duò considerantur, scilicèt ipse cibus, qui comeditur, & eius comestio. Potest ergo inordinatio concupiscentiæ attendi duplicitèr: Vno quidem modo, quantùm ad ipsum cibum, qui sumitur, & sic quantùm ad substantiam, vel speciem cibi quærit aliquis cibos *lautos*, id est, pretiosos. Quantùm ad qualitatem quærit cibos nimis accuratè præparatos, id est, *studiosè*. Quantùm ad quantitatem excedit *nimis* edendo. *Alio verò* modo attenditur inordinatio concupiscentiæ, quantùm ad ipsam sumptionem cibi, vel quia prævenit debitum tempus comedendi, quòd est *præpropèrè*, vel quia non servat modum debitum in edendo, quòd est *ardenter*. Isidorus comprehendit primum, & secundum sub vno, dicens, quòd gulosus excedit in cibo secundùm *quid*, *quantum*, *quomodò*, & *quando*. Ita S. D.

Quod tenes de fame, & siti, spectantne ad has gulæ species? *Dico*, quòd non. *Ratio.* Quia non pertinent ad appetitum sensitivum, seù *animalem*, sed *ad naturalem*. Est ergo (*vt ait S. D. art.* 1. *ad* 3.) duplex appetitus. Vnus quidem *naturalis*, qui pertinet ad vires animæ vegetabilis, in quibus non potest esse virtus, & vitium, eò quòd non possint subijci rationi: & ad talem appetitum pertinet esuries, & sitis. Est autem, & alius appetitus *sensitivus*, in cuius concupiscentia vitium gulæ consistit.

* 6 *Licetne* vesci carnibus humanis? Aut humano sanguine. *Dico.* Peccat mortaliter, qui carnes humanas (idem est de sanguine) extra maximam necessitatem (qualis esse potest in obsidione, vel si alicui præciperetur sub pœna mortis) comedit, vel alteri comedendas dat, licèt eà de causa neminem occi-

dat,

dat, vel occidi faciat. *Ratio.* Quia est inhumanum, & contra instinctum naturæ similia abhorremis, repugnarque pietati defunctis debitæ.

* 7 *Licetne* extra casum extremæ necessitatis, de pellendi morbi causa, vti medicamentis ex humana carne confectis (aut lacte fœmineo (quod phthisicis tur prodesse) aut effuso hominis sanguine, quem solent haurire, qui laborant morbo caduco. *Affirmo. Ratio.* Quia est rationabilis causa.

* 8 *Excusanturne* Lictores hausu sanguinis se animantes, vt benè administrent suum officium? *Dico*, quòd non, nisi ignorantia inculpabili laborent. *Ratio.* Tum quia sapit magnam crudelitatem, tum quia non est causa rationabilis, quia ad ita animandum dantur alia media, vt, hausus generosi vini, vel cremati, &c.

* 9 *Teneturne* homo in cuiuscunque alterius cibi defectu in extrema necessitate, *v. g.* in obsidione, comedere carnes humanas, vt vitam servet? *Dico*, non teneri. *Ratio.* Quia est medium nimis difficile, vtpotè contra naturam.

* 10 *Quid agere* cum Gentilibus Anthropophagis (qui sunt certi populi in Scythia, humanis vescentes carnibus, germanicè *Menschenfresser*) si apud eos fungereris officio Missionarij, & ipsi peterent à te baptizari, absque proposito abstinendi perpetuo ab esu humanarum carnium, etiam hominum in bello iusto interfectorum? *Dico.* Nisi illum morem, & propositum mutarent, non baptizarem. *Ratio.* Quia non essent contriti, nec satis attriti, manerentque in continuo affectu peccati mortalis: quę ponerent obicem gratię sacramentali.

* 11 QUÆRO. III. Usus, seu hausus vini est ne licitus? *Resp.* affirm. si moderatus est. Ita Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 149. *art.* 3. probat ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. dicente: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Et Eccli. 31. legitur: *Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè sumptum.* Dicitur *moderatè*, quia *omnis excessus vitiosus est.* In quo sensu idem Apostolus Roman. 14. ait: *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum.*

Ratio S. Thom. Nullus cibus, aut potus secundùm se est illicitus, quia vt Dominus dicit Matth. 15. *Non, quod intrat in os, coinquinat hominem.* Ergo bibere vinum secundùm se non est illicitum. Potest tamen reddi illicitum per accidens, nimirum, vel ex conditione bibentis, qui vino facilè læditur, vel quia ex speciali voto obligatur ad vinum non bibendum: vel ex modo bibendi, quia nimirum excedit mensuram: vel ex parte aliorum, qui ex hoc scandalizarur, ait S. D.

Hinc optimè existimabat Plato 2. *de Leg.* Lege sanciendum esse, vt pueri vsque ad 18. *ætatis* annum vini vsum prorsus nescirent, cùm è re non sit ignem igni addere, vsque dum virili accincti robore, vino per duros labores evaporando sint idonei; postmodùm vino moderatè vtantur vsque ad annum *ætatis* 36. Posteà liberiùs convivijs interesse licebit. Bonum vinum profecto Senes conservat, estque præsentissimum contra senectutis duritiem remedium. Undè *Lac Senum* dicitur. De immoderato eius vsu ait Propertius: *Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.*

* 12 QUÆRO IV. Quid est ebrietas? Quantum peccarum? Ebrius estne idem, ac ebriosus? Quantò melior asinus ebrioso est! quantò canis præstantior! omnes certè affirmantes, quæ rationis expertes sunt, cùm bibunt, & comedunt vltrà, quàm satis est, etiamsi mille homines cogerent, nunquam biberent. Peiores ergo irrationalibus vos estis, qui inebriamini. Ita in hoc vitium invehitur S. Chrysost. hom 50. in Matth.

Resp. 1. Ebrietas est peccatum, & definitur, quòd sit voluntarius excessus in potu inebriante vsque ad amissionem vsus rationis. Cui definitioni frustrà à quibusdam DD. additur ly *voluptatis gratia.* Undè sine ea est ebrietas theologica. Dixi, *in potu inebriante*, quiscunquè ille potus sit. Nam in omnibus potibus inebriare valentibus est vna, & eadem ratio impediendi vsum rationis; & illa potuum diversitas per accidens se habet, vt patet ex S. Thom. *q.* 149. *a.* 2. *ad* 3.

Declaratur 1. *p.* & definitio S. Thom. *q.* 150. *a.* 1. *dicente*: Ebrietas dupliciter potest accipi. *Uno modo* prout significat ipsum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato: ex quo fit, vt non sit compos rationis, & secundùm hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum pœnalem consequentem ex culpa. *Alio modo* ebrietas potest nominare actum, quo quis in hunc defectum incidit, qui potest causare ebrietatem dupliciter. Uno modo ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis, & sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, præcipuè si non ex negligentia hominis contingat. Et *sic creditur Noe inebriatus fuisse, vt legitur Gen.* 9. Alio modo ex inordinata concupiscentia, & vsu vini; & sic ebrietas ponitur esse peccatum, & continetur sub gula, sicut species sub genere: dividitur enim gula in comessationem, & ebrietatem. Hęc ibi.

Ratio 2. *p.* S. Thomas culpam, & rationem ebrietatis constituit in hoc, quòd homo immoderatè concupiscat, & sumat potum inebriantem, vt patet ex verbis mox adductis: Sed hoc subsistit, licèt quis in potu excedat sine voluptate, seu delectatione, immò cui potus est ingratus, vel si excedat sanitatis gratia, vel ex complacentia Amici, vel ad evadendam mortem incentatam, nisi se inebriet; de quo posteà *n.* 27. *Ergo.* Deinde nec pœnitentes se accusant, quòd voluptatis gratia se inebriarint, nec Confessarij de hoc interrogant. Verum tamen est, quòd excessus in potu, qui est ebrietas, ordinariè fiat voluptatis causa.

* 13 *Oppono* contrà 2. p. Iuxta Arist. *contrariorum eadem est disciplina*: Sed ebrietas Theologicè sumpta contrariatur formaliter temperantiæ, & hæc versatur circa delectabile secundùm sensum, illo moderatè vtendo. Ergo ebrietas formaliter versatur circa delectabile sensus, illo immoderatè vtendo.

Ad hæc dist. *min. pro* 2. *p.* Versatur circa delectabile semper actu delectans, *N.* saltem delectare potens, *C. min.* similiter *dist. cons.* Undè est paritas, sicut enim potest quis comedere verè, ac formaliter temperatè, licèt actu nullam sentiat delectationem, vt patet in viris Sanctis, cibus tamen, quantum est de se, delectare potest comedentem: ita potest quis bibere intemperatè, ac se inebriare formaliter, & theologicè in casibus positis, sine actuali voluptate.

* 14 *Resp.* 2. *ad Q.* 4. Ebrietas directè, vel indirectè, voluntaria, & perfecta ex se, seu ex genere suo, ac seclusis alijs extrinsecis, *v. g.* scandalo, damno sanitatis, &c. est peccatum mortale. Ita S. Thom. *art.* 2. *Ratio.* Quia scienter se inebrians privat se nobilissimo naturę rationali bono, scilicèt vsu rationis, & ob eius carentiam bestijs se similem facit, *comparatus iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psalm. 48. dictus communi nomi-

mine *porcus*. Immò, vt ita dicam, est superbissimus, sexta sensuum verborum S. Chrysost. adductorum ante *Q.* 4. Dixi, *vel indirectè*, vt si quis, virtutem potus cognoscens pergat bibere, & excessum advertat, non curans, an ebrietas sequatur, vel non, licèt eam directè non intendat.

* 15 *Oppono.* Somnus etiam hominem privat vsu rationis, & tamen propter hoc non est peccatum. Ergo nec ebrietas. *Dist. ant. pro* 1. *p.* Privat privatione naturali, *C.* quia somnus à natura est institutus ad quietem, & virium restaurationem. Privat privatione *violenta*, vti ebrietas, *N. ant.* & *conf.* Violentum hic non sumitur in eo rigore, quo in Physica, sed dicitur ebrietas privatio rationis violenta, vel quia natura eam non instituit, vti somnum; vel quia non habet in se facultatem pro libitu vsum rationis recuperandi, caretque potentia proxima ad eum: supposito enim, quòd sit ebrius, nolens volens debet in hoc vinculo manere, vsque dum evaporet: & licèt vigilet, tamen ratione vti non potest, è contra dormiens ab alio homine, vel horologio potest excitari, & statim ratione vti, cum tamen ebrius ne à se, nec ab alio iuvari possit. Et ideò (quod *NB.*) infelicissimus, si in ebrietate luctam mortis patiatur, quia nec contritionem elicere, nec salutaria monita percipere: nec sacramentaliter absolvi potest.

* 16 *Quid sentis* de eo, qui vel inepta voluptate, vel ex alia omnino irrationabili causa sibi conciliaret lethargum, seu talem somnum, qui non posset citiùs depelli quàm ebrietas, peccaretne mortaliter? *Affirmo.* Sequitur enim ex dictis. *Ratio* 1. Ideò iuxta dicta ebrietas est peccatum mortale, & non somnus, quia ebrius non potest rationis vsum recuperare, quando vult, bene tamen dormiens: Ergo econtra *si somnus, irrationabiliter conciliatus*, non posset citiùs dispelli quàm ebrietas, erit paritas in ratione peccati. *Ratio* 2. Cùm homo non sit dominus suæ rationis, æque parum ipsi licet, se proxima ad eum potentia privare per irrationabiliter susceptum somnum, quàm per ebrietatem.

* 17 *Resp.* 3. *Ebrius*, & *ebriosus* in hoc differunt, quòd *ebriosus* sit, qui licèt de facto sit compos rationis, habet tamen consuetudinem se inebriandi vsque ad rationis amissionem: *ebrius* verò est, qui de facto ob nimium potum vsu rationis caret, licèt huic excessui non sit assuetus. *Ratio.* Quia communi intelligendi modo sy *ebrius* nominat actum, sy *ebriosus* autem habitum. Not. ex S. Thom. *q.* 149. *ar.* 1. *inc.* quòd sicut nomen sobrietatis sumitur à *mensura*, dicitur enim aliquis sobrius, quasi servans *briam*, id est, mensuram: ita ebrius dicitur quasi *è bria*, seu extra *briam*, sive mensuram, excedens illam.

* 18 QUÆRO V. Requiritne ad mortalem malitiam ebrietatis, vt sit assidua, & amissio vsus rationis pro notabili, aut sufficitne pro brevi tempore? *Resp.* Tutior, & practicè probabilior est sententia tenens, quòd ebrietas sive *notabili*, sive *brevi tempore* vsu rationis privet, sit peccatum mortale, nec requiritur, vt sit assidua, sed sufficit vnica. *Ratio.* In moralibus attendendum est ad id, quòd ordinariè, frequenter, & sæpius fit, non autem ad id, quòd raro, aut nunquam fit, vt communiter docent Canonistæ, & Iuristæ, & ipse Angelicus Doctor citandus pro *Q. seq.* Sed communiter, & frequenter, qui voluntariè se inebriat, pro notabili tempore privatur vsu rationis, & proxima si cum potentia: & non confusa, dixi pulverem aut medicinam tam efficacem simul, & levem, quæ ebrium, sine gravi sanitatis læsione possit mox sibi restituere. Vndè, & nunquam, vel certè raro fit, vt ebrius post brevem moram ad se redeat. Ergo.

* 19 *Oppono* 1. Potest homo per continuam capitis gyrationem, aut subitam iram brevi mora fieri impos rationis. Idem scribunt Medici de delectatione actus coniugalis rationem absorbente: & tamen propter hoc nemo tales damnat peccati mortalis. Ergo nec brevi mora ebrius damnandus est. 2. *Si alicui* furatur magnam pecuniæ quantitatem, post horæ quadrantem certissimè restituendam, & nullo damno illi interea obveniente, non peccat mortaliter. Ergo nec, si mihi furer vsum rationis pro quadrante horæ.

Ad 1. *N. conf.* Quia in illis casibus frequenter, imò communiter post brevem moram fit restitutio vsus rationis. *Ad* 2. *N. conf.* Disparitas est. Tum quia is (cui sum furatus) est *dominus pecuniæ*, & pro tam brevi mora possum rationabiliter præsumere contentum eius: homo autem non est *dominus rationis suæ*, vt dictum est. Tum etiam, quia vsus rationis est in supremo genere bonorum, & eius carentia malum longè gravius: quivis enim vir prudens maluit carere *vsu plurium annorum*, quàm per breve tempus *vsu rationis*, ex cuius privatione fit bestiæ similis.

* 20 QUÆRO VI. Scisne assignare aliquos casus, in quibus ebrietas à mortali excusatur defectu voluntarij? *Resp. affirmo* ex S. Thom. *art.* 2. *sic loquente*: Culpa ebrietatis consistit in immoderato vsu, & concupiscentia vini (vbi nomine vini S. D. intelligit quemvis potum inebriare potentem) hoc autem contingit esse tripliciter: *Vno modo sic*, quòd nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem, & sic ebrietas potest esse sine peccato. *Alio modo sit*, quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet esse inebriare potentem: & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. *Tertio modo* potest contingere, quòd aliquis bene advertat potum esse immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere: & talis propriè dicitur *ebrius*; quia moralia recipiunt speciem non ab eis, quæ per accidens eveniunt præter intentionem, sed ab eo, quòd est per se intentum: & sic est mortale, quia homo sciens, & volens se privat vsu rationis, quo secundum virtutem operatur. Hæc S. D.

* 21 *Peccatne* mortaliter, qui evacuat mensuram vini, sciens per eam sibi auferendum esse vsum rationis, si exeat foras in liberam auram, vel venetum, non verò si maneat domi? *Dico.* Qui benè distinguit, benè docet. Vel is, de quo quæritur, priusquam ebibat, firmiter concluserit domi manere, vel non? Si sic? Non peccat mortaliter. *Ratio.* Quia ex vi huius propositi deest omne proximum periculum futuræ carentiæ vsus rationis. Si non? Peccat mortaliter. *Ratio.* Quia tunc adest hoc periculum. Ob quam eandem rationem mortaliter peccat, si propositum manet, & vino evacuato exeat domo.

* 22 *Quid sentis* de eo, qui post potum largiorem in recreatione sumptum, licèt adhuc possit discernere inter *bonum*, & *malum*, attamen phantasia aliqualiter ei est turbata, sequitur *vomitus*, lingua *titubat*, oculis obiecta *duplicantur*, domus ei gyrare *videntur*, in incessu ad *scamna*, *sedes*, vel *parietes* se tenere debet, ne lapsu graviore ruat? *Dico.* Probabi-

liùs

liùs videtur, non esse mortale. *Ratio.* Quia non est plena, & completa ebrietas. Est tamen veniale, & quidem vnum ex grauioribus, si deliberatè fiat.

* 23 *Quid sentis* de strepitu religioso, vti à nonnullis irreligiosè solet vocari? *Dico.* Si limites religiositatis notabiliter non excedas, sed tantùm in cerebro nonnihil *incaluescas, exhilarescas, illuminaris*, retineas rationis vsum, etsi secundùmquid *lasum*, non excedit culpam venialem. *Ratio* est, quæ antè.

* 24 *Sunt ne* aliqua signa, ex quibus completa ebrietas potest notari? *Sunt*, v. g. si non recordetur, quæ *dixerit*, vel *fecerit*, aut quommodò domum *redierit*: si talia *fecerit*, qualia facere non *consuevit*, v. g. præter morem turpia *loquendo*, vel *quærendo*, aut blasphemando, domum *turbando*, vxorem *baculando*, &c.

* 25 QUÆRO VII. Peccatne mortaliter, qui ventri, etiam reluctanti, tantum potus infundit, quantum scit ad ebrietatem sufficere, sed eructat, seù evomit, antequàm in stomacho calefiat, & calidos vapores in caput evibret, quò medio ebrietatem, seù vsus rationis carentiam impedit? Ante R. duò suppono. 1. *Talem*, nemine dubitante, saltem peccare venialiter. 2. *In eò* casu posse rarò pro certò sciri, quòd carentia vsus rationis non sit secutura: quia communiter tantum ingeritur, vt vini efficacia per vomitum non possit impediri. His suppositis.

Resp. 1. Si talis certus sit, privationem vsus rationis minimè esse secuturam, non peccat mortaliter propriè peccato ebrietatis. An alio peccato, dicetur *in R.* 2 & 3. *Ratio.* Quia non adest actualis totalis privatio vsus rationis, nec morale periculum eius: immò potiùs contrarium. Quia supponitur vinum esse regerendum, antequàm rationem lædere possit. *Confir.* Si quis bibat venenum, ex se quidem mortiferum, sed certò ab ipso per medicinam ejiciendum, vel debilitandum antequàm corpori graviter noceat, eum nemo damnat homicidij. Ergo nec ebrietatis in nostro casu.

* 26 *Oppono.* Moralia accipiunt speciem ab ijs, quæ sunt per se, & non ab ijs, quæ per accidens adiunguntur: Sed tanta vini copia per se, & ex se, seù sibi relicta, posset illos bibones vsu rationis privare; per accidens autem est, quòd ille effectus impediatur. Ergo adhuc peccant mortaliter. *Dist. maj.* Si illa, quæ sunt per se, non possint à libero arbitrio impediri, *C. maj.* si possint (vti in præsenti) & hoc certò præsciatur, *N. maj.* Licèt ergo dicto immoderato potui insit vis inebriandi, potest tamen impediri, & defacto impeditur ab hoc effectu, qui aliàs ad eum sequitur per se, quæ non est *perfectas* in omni rigore philosophico, seu metaphysico, sed idem ac quòd ordinariè fieri solet.

* 27 *Resp.* 2. ad Q. 7. Tales helluones, qui *ingerunt*, vt *regerant*; *bibunt*, vt *vomant*; evomunt, vt iterùm immodicè bibant, ne victi, sed victores videantur, vix videntur posse excusari à mortali peccato, tum scandali, tum contra dilectionem sui ipsius. *Ratio.* Tum quia per illum vomitum, vtpotè violentissimum, stomachum, & sanitatem graviter lædunt: tum quia alios hoc *super-bestiali* exemplo ad similem turpitudinem, & parem grandem violentiam sibi inferendam seducunt. Et aliunde illa frequentia bibendi, vt evomatur; vomendi, vt bibatur, ne victus videatur, est secundùm se pessima.

* 28 *Resp.* 3. Si tales certi non sint, vini, seù potus potentiam vomitu esse impediendam, peccant etiam mortaliter peccato ebrietatis. *Ratio* desumitur ex periculo proximo iuxta dicta in hoc T. *E.* 4. n. 55.

* 29 QUÆRO VIII. Liceatne se, vel alium inebriare sanitatis recuperandæ, vel seruandæ gratia ex consilio Medicorum, aliud remedium non restare asserentium; vel ad euadendam mortem, quam quis stricto gladio minatur, aut ad præcauendum aliud graue malum, v. g. ciuitatis proditionem.

Resp. Quidquid aliqui speculativè affirmando defendant, tutius, & practicè probabilius est, in nullo casu licere. Et frustrà distinguunt Aduersarij in præsenti inter ebrietatem *materialem*, & *formalem*, dicendo, esse tantùm materialem, eo quòd non fieret causa voluptatis, sed sanitatis, vel vitæ conseruandæ gratia: esset enim ebrietas formaliter talis. *Idem* teneo de casu, quo quis se inebriaret ad procurandum vomitum, quem iudicat sibi salubrem ita colligitur ex S. Thom postea citando in *Oppon.* 1, quem Aduersarij putant fauere sibi, sed magis fauet nobis.

Ratio 1. Ad ebrietatem formalem sufficit voluntariè se ingurgitare vsque ad completam priuationem vsus rationis, etiam sine voluptate, vt patet ex dictis pro *R.* 2. *ad Q.* 4. in Ratione 2. *p.* quæ hìc est applicanda. *Ratio* 2. Ebrietas est intrinsecè mala non minus, ac luxuria. Ergo in nullo casu licet, nec vlla circumstantia potest cohonestari. sicut etsi mollities ex consilio Medicorum esset necessaria ad sanitatem, vel vitam seruandam, non ideò excusatur à mortali. *Ratio* 3. Iuxta Apostolum *non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Nec licet alium inducere ad faciendum malum, vt eueniat bonum. Ergo.

Audiatur S. Augustinus Ser. 232 de Temp. dicens: *Solent ebriosi ita se excusare, vt dicant: Perfecta potens me coegit, vt amplius biberem, & in conuiuio Regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quòd implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Nolle est in culpa est nostra, & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur; vt tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris, melius erat, vt vino tuo sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.*

* 30 *Oppono* 1. S. Thom *hìc art.* 2. *ad* 3. ait: Cibus, & potus est moderandus, secundùm quòd competit corporis valetudini, & ideò, sicut quandoquè contingit, vt cibus, vel potus, qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo: ita etiam potest è conuerso contingere, vt ille, qui est superfluus sano, sit moderandus infirmo. Et hoc modò cùm aliquis multum comedit, vel bibit secundùm consilium medicinæ ad vomitum prouocandum, non est reputandus superfluus cibus, vel potus. Nec tamen ad vomitum prouocandum requiritur, quòd sit potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat: & ideò propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate. Hæc ibi. Vbi S. D. docèt, licere se inebriare propter vomitum sanitati necessarium.

2. Potus sanitati necessarius non est immoderatus: Sed ille potus esset sanitati necessarius. Ergo. 3. *Regula*, secundùm quam sumendus est cibus, & potus, est necessitas vitæ præsentis, ac corporis valetudo. Ergo si in aliquo casu vita præsens non possit aliter conseruari, aut sanitas non aliter recuperari,

nisi

bili se inebriando, id licitum est: etiquè ebrietas solùm materialis. 4. Qui ex rationabili causa narrat peccatum alienum, committit solùm materialem detractionem. Ergo similiter.

Ad 1. *R.* quòd S. D. magis faveat nobis per vltima verba illa: *Et ideò propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.* Solùm ergo docèt S. Thomàs (vt explicat Sylvius) quòd ex consilio Medici liceat comedere, & bibere vsquè ad vomitum, si ita petat ratio sanitatis: quia id, quòd tunc sumitur abundantiùs, licèt fortè sit superfluum *sano*, non tamen est superfluum *huic ægroto*. Sed non dicit S. Th. quòd propter vomitum liceat se inebriare, immò oppositum exprimit dicens: *Nec tamen ad vomitum procurandum requiritur, &c.* vt suprà.

Ad 2. *dist. maj* Si non impediat bonum rationis, *C.* secùs, *N* Cùm enim omnes virtutes morales ordinentur ad conservandum bonum rationis, officium temperantiæ circa cibi potusquè sumptionem versantis est, eam ita moderari, vt bono rationis non præiudicet. *Ad* 3. *dist. ant.* Conformiter tamen ad conservandum, & non turbandum bonum rationis, de quò S. Thom. *q.* 141. *art.* 6. ait: *Bonum hominis est secundùm rationem esse*, *C. ant.* secùs, *N. ant. & conf.*

Ad 4. *N. conf* Idcò enim ille non est detractor formalis, quia ad formalem detractionem requiritur detrahendi intentio, nimirum vel *directa*, vel *indirecta formalis*, vel *virtualis*, aut *interpretativa*, quarum intentionum nulla est in casu posito. In præsenti autem est intentio virtualis, vel interpretativa saltem, se inebriandi, seù vsu rationis privandi.

* 31 QUÆRO IX. Peccantne Caupones dando potum vlteriorem hospitibus, quos prævident inebriandos? Idem quæro de famulo respu Domini? *Resp.* Probabiliùs non peccant, si dent ex rationabili causa, v. g. ad evitandà gravià *damna*, *injurias*, *minas*, *querelas*, *&c.* non intendendo eorum ebrietatem, sed horum malorum evitationem. Præsertim si ipsis non dantibus, darent alij.

Ratio. Dare ad bibendum est res indifferens. Ergo si quis dato potu abutatur, eius malitiæ tribuendum est, & evitatio proprij gravis damni est iusta causa præbendi. *Not.* Tamen, totum esse relinquendum libertati bibentis, vt bibat quantum voluerit, nec licere instigare. Vndè fit, quòd præbens potum, nonnisi materialiter cooperetur intemperantiæ eius. Pro quò vide infrà de scandalo.

* 32 *Estne mortale*, in cauponis, seù tabernis potare sub officio divino? *Dico.* Secundùm se non est, nisi veniale Si fiat necessitate, nullum est peccatum. Mortale est, si fiat cum scandalo, quòd est tunc, quando in tabernis publicè potatur, *clamando*, *cantando*, *saltando*, *jurando*, *&c.* Potestquè notabiliter aggravari ex circunstantia valdè magnæ solemnitatis,

* 33 QUÆRO X. Quid censes de provocatione ad haustus æquales? *Resp.* Probabiliùs, & tutiùs est, esse *peccatum mortale*, si prævideatur completa ebrietas provocati. *Ratio.* Quia scienter inducere ad mortale, est mortale.

* 34 *Quid* si fiat ex vrbanitate, & causa amicitiæ? *Dico* Si invitatus ex propinatione huius vrbani poculi prævideatur verè inebriandus, est *peccatum mort.* Ita S. Tho. *art.* 1. *ad* 3. dicens: Sicut ille, qui inebriatur, excusatur à peccato, si ignoret fortitudinem vini: ita etiam ille, qui invitat aliquem ad bibendum, excusatur à peccato, si ignoret talem esse conditionem bibentis, vt ex hoc potu inebrietur. Sed si ignorantia desit, neuter à peccato excusatur. Hæc ibi. *Ratio* 1. Quia non licet aliquem invitare ad peccatum. *Ratio* 2. Amicus invitans, vel putat, invitatum suæ invitationi acquieturum, vel non? Si sic? Est causa peccati alterius: Si non? Invitando potiùs agit simulatorem, quàm amicum.

* 35 *Quid tenes* de ijs, qui gloriantur, quòd alios inebriarint? *Dico.* Si glorientur de ipsa formali inebriatione, *quà talj*, & in eà complacentiam habeant, peccant *mort. toties*, *quoties. Ratio.* Iactare se de peccato mortali, est mortale. Vide de iactantia suprà in *T. R. t. n.* 16.

Audiant helluones illi S. Augustinum, vbi suprà: *Quicunquè ad bibendum promus fuerit, vel in convivio suo alios adhortare, vel cogere voluerit, profe, & pro illis in judicio reus erit. De ebrietate per ambitionem contendunt, cuius Auctorem Legis diabolum habent, victoriæ verò præmium, peccatum:*

* 36 QUÆRO XI. Estne licitum bibere in sanitatem aliorum? Etiam *Dei*, aut *Sanctorum Angelorum*, aut *hominum*? *Resp.* 1. Certum est, quòd propinare, vel bibere in alterius sanitatem eà intentione, vt hoc bibendi modò *Deus honoretur*, & inducatur ad servandam, vel dandam sanitatem, sit peccatum mort. & actus superstitionis. *Ratio.* Quia negari nequit, quòd quando quis aliquid facit propter Deum, quòd non spectat ad Dei gloriam, & est præter Dei, ac Ecclesiæ institutionem, & communem eius consuetudinem, sit actus superstitionis iuxta S. Thom. 2. 2. *q.* 93. *art.* 2. *in c.* Sed ritùs bibendi hìc descriptus est talis. Ergò.

* 37 *Resp.* 2. Probabiliùs est, quòd propinare, vel bibere in sanitatem alterius, cum mentali, vel vocali votò, seù precatione sanitatem ipsi optando vel eius memoriam excitando, secundùm se non sit peccatum, sed laudabile. *Ratio.* Tum quia sic fert communis, ac vsitatissima consuetudo, non solùm in conviviis timoratorum sæcularium, sed & *Clericorum*, ac *Regularium*, quos modestia plurimùm commendat. *Tum* etiam, quia alteri vovere, seù precari sanitatem, vel boni amici memoriam excitare non est malum, sed laudabile.

* 38 *Resp.* 3. Dicto ritui bibendi potest admisceri, & sæpè admiscetur peccatum. *Ratio.* Si enim fiat cum periculo crapulæ, ebrietatis, invaletudinis, & quæ sit gravis læsio, & mortalis, vel venialis culpa, tunc ille ritus eandem malitiam contrahit. Quòd omnibus bene notandum est.

* 39 *Resp.* 4. Gravissimè peccant, qui potant in honorem, vel sanitatem Dei, Sanctorumve in Cœlis. *Ratio.* Quia est maxima iniuria Dei, & Sanctorum. Ita S. August. *cit. ser.* 232. *dicens*: Illud porrò quale peccatum est, quòd iam transacto convivio, expleta siti, cùm iam amplius bibere non possunt, tum quasi novelli, quasi ipsa hora supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere, non solùm vivorum hominum, sed etiam Angelorum, & in reliquorum Sanctorum honorem, æstimantes, quòd maximum illis honorem impendant, si se illorum nominibus nimia ebrietate *sepelians*; ignorantes, quòd nullus tam gravem iniuriam Sanctis Angelis, & Sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quam illi, qui in eorum nominibus *bibendo*, *per ebrietatem suas animas probantur occidere.* Hæc ille. O stultitiam hominum! qui ebrietatem sacrificium putant, exclamat S. Ambrosius, *serm. de Elia*, & ieiunio.

* 40 QUÆRO XII. Censesne Germanos la-

de

de, vel vituperio dignos, dum sua convivia claudunt cum poculo, seu benedictione S. Ioannis? *Resp.* Consequenter ad antà dicta, quòd probabilius sit, Germanos in hoc laudandos potiùs esse, quàm vituperandos. *Declaratur.* Dixi *per se*, id est, si Germani observent illud: *Sit modus in rebus, sint certi denique fines*, seu si servent modum, non excedant in quantitate, attendant ad debitum finem, vtantur hoc poculo tanquam sinceræ amicitiæ symbolo, optando vt *S. Ioannes*, assiduus mutuæ charitatis Præco, suis meritis eam firmet: & qui venenum innoxius hausit, benedictionem impetret, vt *cibus*, & *potus* corpori, & animæ conducat. Si autem bibones propter excessum pro benedictione maledictionem reponet, est per accidens, & ex malitia bibentium, ipsis hoc vnicè imputandum. *Cape tibi hoc*, quicunque hoc bibendi ritu vsus fueris.

Notum satis est, quòd non semel hæretici, etiam Prædicatij, post plurima in aliorum sanitatem evacuata pocula, oblatum à Catholicis *S. Ioannis poculum*, seu benedictionem bidere recusantes, repentina in itinere subierint supplicia, ex equo decidendo, gulam, vel tibiam frangendo, &c.

* 41 QUÆRO XIII. Ebrietas excusatne à peccato, seu actiones, & omissiones (quæ, si fierent ab homine rationis compote, essent vera peccata) si fiant ab ebrijs, *v. g. blasphemia*, *homicidium*, *omissio Missæ* in die festo, &c. sintne propriè peccata? *Resp.* Excusat, si sit *involuntaria*, & *inculpabilis*, & quò minùs est voluntaria, eò magis à peccato excusat: aggravat autem, si sit simpliciter voluntaria.

Declaratur ex S. Thom. *art. 4. in Sed cont. dicente*: Loth excusatur ab incestu propter ebrietatem, vt Aug. dicit contra Faust. *lib. 22. c. 44. tom. 6.* Et in *c. sit S. Thom.* In ebrietate duo attenduntur, scilicèt defectus *consequens*, & actus *precedens*. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur vsus rationis, ebrietas habet excusare à peccato, in quantum causat involuntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus præcedentis videtur esse distinguendum, quia si ex actu illo præcedente sub secura est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa, sicut fortè accidit Loth. Si autem actus precedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quòd scilicet redditur voluntarium ex voluntate precedentis actus, in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarij. Vnde *Aug. dicit contra Faustum*, quòd Loth culpandus est, non quantùm ille incestus, sed quantùm ebrietas meruit. Hæc S. Thom. qui, vt patet, *Lothum* excusat sub dubio, & Augustinus eum culpat ex parte.

Sensus verborum S. Thomæ est: Si ebrietas est omnino involuntaria, mala, antè nullatenus volita, quę in ea fiunt, non sunt formaliter peccata, nec imputantur ad culpam: cùm enim sint facta ab impotente rationis, non sunt voluntaria. Si ebrietas fuit quidem voluntaria, & culpabilis mala autem illa non fuerint prævisa, nec potuerit prudenter cogitari, quòd essent secutura, nec sint solita ab ebrijs exerceri, etiam non sunt formaliter peccata, nec ad culpam imputantur; quia nec in se, nec in causa sunt voluntaria. Secùs si fuerint prævisa, vel facilè potuerint prævideri, vel cogitari, quòd essent secutura, vel per se soleant sequi ad ebrietatem, aut ipse eà in illo statu patrare soleat, & sæpiùs se patrasse sciat. Quia tunc illa opera habent virtualem influxum voluntatis, adeòquè sunt voluntaria. Vide suprà *T. 3. E. 1. n. 25. & 29.* quomodò excuset passio, & ignorantia. Idem *T. 4. E. 2. n. 41.* de gravitate peccati ex damno.

* 42 QUÆRO XIV. Ebrietas præter peccatum contra sobrietatem, contrahitne specialem malitiam, in confessione exprimendam, seù mortalem, ex eò quòd sit causa multorum morborum corporalium? Ante R. Supponitur, vt certum ex lamentabili experientia, quòd ebrietas multorum malorum sit fœcunda parens. Nam *memoriam* aufert, sensum *dissipat*, corrumpit *sanguinem*, infirmat *nervos*, cerebrum *onerat*, viscera *resolvit*, balbutire facit *linguam*, confundit *intellectum*, oculos *caligantes*, & lippos *facit*, causat *vertiginem*, capitis *dolorem*, membrorum *tremorem*, podragram, chiragram, &c.

Ratio dubitandi circa hoc Quæsitum est, quia nec pœnitentes de hoc se accusant, nec Confessarij eos de hoc examinant, saltem apud Germanos, quæ proindè saltem Natio videtur in hoc excusabilis, cùm non tam sæpè ex præcedenti crapula dolores capitis sentiat. Nec Germanis cedunt Vngari, immò iuxta plurium sententiam plurimùm superant. Hoc præmisso.

Resp. 1. Qui experiuntur ex crapula, & ebrietate, se in graves morbos sæpiùs incidere, quàm non incidere, vix à mortali excusari possunt, sive sint Germani, sive Vngari, sive Itali. *Ratio.* Quia scientes (experientia docti) se conjiciunt in proximum periculum talium malorum, nec habent ius se eis subjiciendi, cùm non sint domini valetudinis suæ.

* 43 *Resp.* 2. Qui (cuiuscunque, & quantumcunque sitibundæ Nationis sit) prævidet, ex suo intemperante potu sibi eventuram magnam stomachi *nauseam*, aut magnum capitis *dolorem*, per octo, vel sex dies duraturum, is juxta probabiliorem sententiam *mortaliter peccat*: teneturque id specialiter exprimere in confessione. *Ratio.* Quia sibi ipsi graviter nocet.

Not. Si pœnitens id non exprimat, Confessarium, id scientem, vel advertentem, sub gravi onere teneri eum monere, & conscientiam peccati facere.

* 44 *Resp.* 3. Si tale malum, nonnisi vno die durare soleat, non audim talem damnare peccati mortalis. *Ratio.* Deus, & natura non videntur, tam rigidè imperare *conservationem integræ valetudinis*, vt omnis ille *mort.* peccet ex eo, quòd rei inutili, & illicitæ vacet, prævidens valetudinem suam exinde turbandam per vnicam diem.

* 45 *Resp.* 4. Probabilius, ac tutius est, contra charitatem proximi mortaliter peccare eum, qui nimio potu sibi causat *podagram*, vel *chiragram*, octo, vel pluribus diebus duraturam. *Ratio.* Tum quia homo non est dominus membrorum suorum. *Tum* etiam, quia in omnium sententia *mort.* peccaret, qui hoc grave malum (quo tota corporis, & animę functiones impediunt) per aliquam medicatam potionem alteri causaret. Ergo à fortiori si sibi causet. Et hac in parte Confessarij monendo, increpando tenentur officio suo fungi, vt dictum pro *R. 2.*

* 46 *Quid sentis* de illo Confessario *Hispano*, qui, quid crapula, vel ebrietas sit, nunquàm expertus, præsepè autem *Germanos* pœnitentes de immodico potu se in Confessionali accusantes Pragæ audierat, absolveratque: ast tandem quid recreationis hìc lateat, discere cupiens, curavit sibi generosum afferri vinum.

vinum, cum bellarijs sitim exasperantibus, evacuavit non modicam quantitatem; sed superato hoc liquido labore, incipiebat ex fumigante vino *intelligibus obtundi, sensus confundi, oculi caligare, caput vertigine gravari*, ædes ipsi videbantur *gyrari*, vel *labasfare*: & altero die tantum expertus est capitis dolorem, triduo sævientem, vt vix esset tolerabilis. Malo suo edoctus, redeuntibus cum simili materia Germanis, non aliam iunxit pœnitentiam, quàm hanc: *Vadè, & te denuò inebria*, ratus, omnes tanto obrui dolore, eumquè *fat gravem esse pœnitentiam*, pro tantilla vini illecebra?

Dico. Dato, quòd non sit fabula, vel iocus, qui refertur, Confessarium illum in Theologia morali, quę sufficienter tractat de *intemperantia, gula, ebrietate, &c.* non fuisse fat exercitatum, vt officij ratio exigit, adeòquè nonnisi ex crassa ignorantia eum latuisse, quòd immoderatus potus sit peccatum saltem veniale. Hinc peccavit 1. se voluntariè inebriando; peccavit 2. Sacramento gravem irrogando iniuriam, per tam insulsam pœnitentiam, quæ aliàs est pars integralis Sacramenti. Peccavit 3. pœnitentes denuò ad immoderantiam potus adstringendo.

* 47 QUÆRO XV. Potestne ebrio moribundo dari Eucharistia, eiquè sic mortuo sacra Sepultura? *Resp* 1. Si ebrietas sit completa, & voluntaria, non potest ei licitè dari Eucharistia, benè tamen, si sit incompleta, relinquens ei potentiam discernendi inter bonum, & malum: licèt fortè pedibus stare nequeat. *Ratio* 1. *p.* Quia tunc non est dispositus, cùm sit in peccato mortali ebrietatis, essetquè Communio sacrilega, & mitteretur canibus. *Ratio* 2. *p.* Quia tunc non constat, quòd sit in mortali. Præsertim hoc verum est, si priùs fuerit confessus (tunc enim standum esset iudicio Sacerdotis) & desit omne periculum irreverentiæ.

Resp. 2. An ei, qui in plena, voluntaria, adeòquè culpabili ebrietate mortuus est, debeat denegari sepultura in loco sacro, servanda est praxis cuiuslibet Diœcesis: quia alicubi conceditur ob graves causas, v. g. ad cavendam offensam magnorum agnatorum

Notanda hìc breviter illa historia de helluone iam morituriente, ad quem accurrit sacerdos, & clamavit: *Divina, divina*, respondit Echo ex ebrio: *Vina, vina*, & mortuus est. *Qualis vita, mors est ita.* Fuit, & alius, qui in Balænam, belluam matinam capacissimam converti optabat, modò Mare Creticum in merum Creticum, aut in Euripum vini converteretur, scilicèt id vnum in votis habens, vt tale mare vinosum noctes, diesquè influeret in os eius.

* 48 QUÆRO XVI. Qui pro stipendio, adeòquè cum industria tenentur agere suum officium, v. g. *Belli Dux, Consiliarius Principis, Senator, Professor academicus, Ludimagister, Parochus, Concionator* stipendio conductus (idem est de Medico alicuius Monasterij, rarò infirmos visitante, salariato tamen) si ex vini intemperantia, & exinde orta corporis infirmitate, iam vno, iam duobus, iam pluribus diebus, atquè seprimanis sint inhabiles ad peragenda sua officia, committuntne præter peccatum contra sobrietatem etiam peccatum contra iustitiam, specialiter in Confessione explicandum, si præviderint hanc infirmitatem, & indè oriturum functioni impedimentum, & aliorum damnum?

Resp. affirm. cum probabiliore sententia. *Ratio.* Quia voluntariè subtrahunt alijs, sive Communitati, aut Ecclesiæ id, quòd velut ex iustitia debitum tenentur præstare. Idem est de ijs, qui scienter committunt aliquid nocivum, quò sciunt se impediendos ab officio ex iustitia debito.

* 49 *Sed quid*, si Professor, Concionator, Ludimagister, &c. possit supplere per alium? *Dico.* Si præsciat, vices suas ab alio prompti simè, & cum Auditorum, ac Superiorum satisfactione, non tantùm suppleri posse, sed & suppleandas esse: probabiliùs excusantur à mort. peccato iniustitiæ. *Ratio* patet ex Regula 62. *Iuris in* 6. Qui facit per alium (nimirum in sensu mox explicato) perindè est, ac si faciat per seipsum.

* 50 *Teneanturne* ergo ad restitutionem illi, de quibus mox fuit sermo? *Dico.* Si morbus ex nimio potu causatus non sit diuturnus vel creber, vel videntur non teneri, vel certè videtur ab Ecclesia, Communitate, vel Principe condonari. Si verò sit diuturnus, aut valdè frequens, probabiliùs videtur, quòd spectata rei natura teneantur ad restitutionem Reip. Principi, Ecclesiæ damnum passæ, faciendam. *Ratio.* Ex contractu, *do, vt facias*, lex iustitiæ illos verè, ac rigidè obligat ad munus suum cum morali diligentia obeundum. Ergo, si hæc moralis diligentia desit, tenentur ad restitutionem pro rata temporis negiecti. Dixi, *spectata rei natura*, id est, per se loquendo, si enim ferant, vel fundatè, aut rationabiliter præsumant, eam non fuisse mentem eorum, qui stipendia fundarunt; vel condonari à Principe, Reip. Ecclesia, &c. non tenentur.

* 51 *Oppono.* Hæc restitutio est inaudita, & nullatenus in praxi. *Resp.* Transeat. Hoc namque esse potest ideò, vel quia non omnino liquidum est, illos diuturnos, aut frequentes morbos oriri ex potu immoderato. Vel quia extraordinaria diligentia compensant, quòd neglexerint.

* 52 QUÆRO XVII. Beneficiatus, v. g. Canonicus, ratione morbi ex ebrietate contracti impotens ad persolutionem pensi Canonici, seu horarum, teneturne ad restitutionem? *Resp.* 1. Probabilius est, quòd, qui præter horas, seu pensum canonicum habet ratione beneficij sui labores tantos, vt censeantur facilè esse digni vniuersis beneficij fructibus, non teneatur quidquam de fructibus restituere, modò, vt fieri solet, tempore morbi ex ebrietate contracti labores illos per alium suppleat. *Ratio* Dignus est operarius mercede sua, & qui altari, seu Ecclesiæ inservit, de altari vivat.

* 53 *Resp.* 2. Qui in fraudem pensi Canonici se inebriaret; vt inde contraheret infirmitatem, nec à peccato, nec ab onere restitutionis excusaretur. *Ratio.* Fraus, & dolus nemini patrocinantur.

* 54 *Resp.* 3. Tutius est, Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, & similes Beneficiatos (quorum totus, vel ferè totus labor consistit in recitatione Horarum Canonicarum) per se, seu spectata rei natura, teneri ad restitutionem fructuum, dum Breviarium omittunt ratione morbi ex ebrietate contracti, cuius certum periculum præviderunt, & tamen se inebriarunt. *Ratio* Iuxta Canonistas, & Iuristas datum ob causam, causa non secuta restitui debet: Sed, vt habet commune Axioma Canonistarum, & Theologorum, *Beneficium datur propter Officium*, seu propter recitationem Officij, seu pensi canonici. Ergo recitatione horarum non secuta, fructus Beneficij debent refundi. Idem clariùs patet ex discriptione Sententię tutioris data suprà *T.* 2. *R.* 3. num. 11. Verùm considerentur sequens 4. *R.*

* 55 *Resp.* 4. Practicè probabilius est, Canonicos in *R.* 3. depictos non obligari ad proventuum [illegible] reici,

diei, vel diebus, quibus in casu posito horas omittunt, correspondentium restitutionem. *Ratio* 1. Bulla Pij V. edita super obligatione restitutionis in casu neglecti pensi canonici, illos solùm ad restitutionem obligat, qui Officium divinum non dixerint, cessante *legitimo impedimento*: Sed gravis infirmitas est legitimum impedimentum, in sententia omnium, qui agunt de causis, Beneficiatos Officium non recitantes à restitutione excusantibus. Nec facilè invenietur aliquis Doctor, qui distinguat inter eum, qui sua culpa, & eum, qui culpabiliter infirmitatem gravem contraxit. Ergo. Quid sit de casu, quo fieret in fraudem, patet ex R. 2.

Ratio 2. Licèt indubitatum sit, Papam dictis Canonicis restitutionem imperare posse, Germaniæ tamen praxis ostendit, re ipsa imperatam non esse. Vel certè Ecclesia eis hanc restitutionem condonat, sicut & condonat illi, qui primis sex mensibus omittit Breviarium, vt patet in *Extrav.* Pij V. quæ incipit *Ex proximo Lateranensi*.

Quid ergo Respondes ad fundamentum Respons. tertiæ? *Distingue mai.* Debet restitui per se loquendo, & si alter restitutionem non condonet, *C. mai.* Si restitutio remittatur, vti in nostro casu Ecclesia remittit, vt dictum est *N. mai.* Simile est de casu, quo Tabellarius 20. aureos accepit, cum obligatione litteras portandi Romam, quos tenetur reddere, si non portet, licèt per lethalem infirmitatem inculpabiliter fuerit impeditus.

* 56 *Sed quid iudicas* de quotidianis distributionibus, seu (vt vocant) Præsentijs, quæ dantur Beneficiatis, & Canonicis Choro præsentibus, & iuxta vsum Ecclesiarum, etiam propter infirmitatem absentibus, lucranturne eas Canonici in R. 3. descripti? *Dico.* Certum est, quòd, si tales Beneficiati, etiam dum sunt sani, chorum non frequentent, nullas præsentias lucrentur, dum sunt infirmi, sive culpabiliter, sive inculpabiliter. 2. Si verò aliàs chorum sedulò frequentent, & istæ præsentiæ constituant magnam proventuum partem, practicè probabilius videtur, quòd eas lucrentur in morbo, etiam culpabiliter (sine fraude tamen) contracto. *Ratio* 1. *p.* Quia tunc causa absentiæ potiùs est prava voluntas, quàm infirmitas.

Ratio 2. *p.* Desumitur tum ex Ecclesiæ benignitate, tum ex eo, quia licèt tales Canonici rectè possint dici esse causa impedimenti, rectissimè tamen potest, & debet Deus dici esse causa eius. Nam verè Dominus non tantùm vivificat, sed & mortificat, 1. *Reg.* 2. Adde, rarum videri esse, quòd tales Beneficiati, vitio crapulæ dediti (nolentes intelligere, vt bene agant) agnoscant, se ipsos sibi eum morbum causasse, aut eum prævidisse studentes calicibus epotandis. Hæc de Beneficiaris occasione huius materiæ; plura de ijs vide tum de dominio Clericorum in T. 8. E. 2. n. 30. & seqq. tum de obligatione eorum ad horas in T. 10. E. 5. n. 19. & seqq. & n. 49. ac seqq.

EXAMEN IV.

De Ieiunio.

De quo S. Doctor agit. 2. 2. quæst. 147. per 8. art.

VT contraria iuxta se posita magis eluceſcant, postquam actum est de gula, & ebrietate, placet quoque huc ex 2. 2. reducere doctrinam S. Thomæ de ieiunio. De quo,

* 1 QUÆRO I. Quid? cuius virtutis actus? & quanæ obligationis est *Ante R. Not.* ex S. Thom. ieiunium esse quadruplex, nimirum 1. *Naturæ*, 2. *Spiritus*, 3. *Virtutis*, 4. *Ecclesiæ. Primum* (quòd suo loco dicetur requiri ad sumptionem Eucharistiæ) est abstinentia ab omni cibo, & potu, ita vt nihil à media nocte sumptum sit. *Secundum* est abstinentia à peccatis. De quo Isaiæ 58. *Hoc est ieiunium, quòd elegi, dissolve colligationes impietatis.* Quòd est ieiunium solùm metaphoricè. *Tertium* est abstinentia à cibo, & potu iuxta regulam temperantiæ, quæ, vtpote virtus moralis, consistit in mediocritate iuxta dicta suprà. *Quartum* est, de quo hìc præcisè loquimur. Pro cuius explicatione.

* 2 *Resp.* 1. Ieiunium Ecclesiasticum est abstinentia à cibo iuxta Regulam ab Ecclesia præscriptam. Obligat sub mortali. *Prima pars*, & Regula Ecclesiæ patebit ex assignandis ad hoc ieiunium requisitis. *Ratio* 2. *p.* Ecclesia potest, & intendit graviter obligare.

* 3 *Resp.* 2. Ieiunium est actus virtutis, nimirum Abstinentiæ. Ita S. D. *a.* 1. & 2. *Ratio* 1. *p.* Ex hoc aliquis actus est virtuosus (*ait S. D. a.* 1.) quòd per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum: Sed ieiunium ordinatur ad finem honestum. Ergo. *Min. prob.* Ieiunium ordinatur 1. *ad* reprimendas concupiscentias carnis. Vnde S. Hieron. lib. 2. cont. Iovin. ait: *Sine Cerere, & Bacchо friget Venus*, id est, per abstinentiam cibi, & potus repelcit Luxuria. 2. *Ad hoc*, vt mens eleveturad contemplanda cœlestia. Vnde dicitur *Dan.* 10. quòd post trium hebdomadarum ieiunium accepit à Deo revelationem. 3. *Ad* satisfaciendum pro peccatis, Ioel 2. *In ieiunio, fletu, & planctu.* Ergo.

Notanda hìc sunt verba S. Thom. *a.* 1. *ad* 3. *dicentis*: Ieiunium naturæ, quo quis dicitur ieiunus, antequam comedat, consistit in pura negatione, vnde non potest poni actus virtutis, sed solum illud ieiunium, quo quis ex rationabili proposito à cibis aliqualiter abstinet. Vnde primum dicitur *ieiunium, ieiunij*, secundum verò *ieiunium ieiunantis*, quasi ex proposito aliquid agentis. Hæc ibi.

Ratio 2. *p. ex art.* 2. Omnis actus virtuosus, qui est circa aliquam materiam, pertinet ad illam virtutem, quæ in illa materia constituit medium: Sed ieiunium versatur circa cibos, & in his abstinentia constituit medium. Ergo. *Nota* tamen ex R. *ad* 2. quòd nihil prohibet actum vnius virtutis pertinere ad aliam virtutem, secundùm quòd ad eius finem ordinatur, vel imperatur, vt patet ex dictis suprà de virtutibus. Vnde ieiunium potest imperativè spectare ad *Religionem, Castitatem, Pœnitentiam*, aliamve virtutem.

* 4 QUÆRO II. Teneanturne omnes ieiunare, vel quibus de causis aliqui excusantur, *v. g. pueri, itinerantes, laborantes, pauperes, fœmes? Non omnes*, qui ieiunia Ecclesiæ non servant, peccant mortaliter. *S. D. ar.* 3. *ad* 2. *Declarat hoc S. D. ibidem dicens*: Præcepta, quæ per modum communis statuti proponuntur, non eodem modo obligant omnes, sed secundùm quòd requitur ad finem, quem Legislator intendit. Cuius auctoritatem si aliquis, transgrediendo statutum, contemnat, vel hoc modo transgrediatur, vt impediatur finis, quem intendit, peccat mort. si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non servet, præcipuè in casu, in quo etiam, si Legislator adesset, non decerneret esse servandum, talis transgressio non constituit peccatum mortale. Et inde est, quòd non omnes, qui

non servant ieiunia Ecclesiæ, peccant mortaliter. Hæc ibi.

* 5 *Resp.* 2. Ad ieiunia Ecclesiæ omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum, *ar.* 4. *in fine c. Declarat hic S. D. ibid.* Legislator in suis statutis attendit id, quòd communiter, & in pluribus accidit, si quid autem ex speciali causa in aliquo inveniatur, quòd observantiæ statuti repugnet, non intendit Legislator talem ad statuti observantiam obligare: in quo tamen est discretio adhibenda. Nam si causa sit evidens, per se ipsum licitè potest homo statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si de facili non posset recursus ad Superiorem haberi. si verò dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui ex causa habet potestatem in talibus dispensandi. Et hoc est observandum in ieiunijs ab Ecclesia statutis. Hæc ibi.

* 6 *Resp.* 3. Pueri non tenentur ad ieiunia Ecclesiæ. *Declarat hoc ibid. ad* 2 dicens: In pueris maximè est evidens causa non ieiunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quòd indigent frequenti cibo, & non multò simul assumpto: tum etiam, quia indigent multo nutrimento propter necessitatem *augmenti*, quòd fit de residuo alimenti. Et ideò quamdiù sunt in statu *augmenti*, quòd est (vt in pluribus) vsque ad finem tertij septennij, non tenentur ad Ecclesiastica ieiunia observanda. Conveniens tamen est, vt etiam in hoc tempore se ad ieiunandum exerceant *plùs*, vel *minùs*, secundum modum suæ ætatis. Quandoque tamen magna tribulatione imminente, in signum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris ieiunia indicuntur. Sicut etiam de iumentis legitur *Ionæ* 3. *Homines, & iumenta non gustent quicquam, nec aquam bibant.* Hæc ibi.

Ex quo colligitur, quòd pueris vsque ab septennium completum possint sine peccato *dari carnes*, quia anteà non obligantur legibus Ecclesiæ: eo expleto vsque ad finem tertij septennij, seu vsque ad *annum* 21. inclusivè tenentur abstinere à carnibus (nisi alia causa excuset) possunt tamen bis comedere cibos esuriales. Completo *anno* 21. tenentur etiam ad vnicam tantùm refectionem.

* 7 *Quid tenet* de iuvene Religioso, qui *annum* 21. non complevit? *Dico.* Si est Novitius, clarum est, non teneri ad vnicam refectionem, vel ad ieiunium Ordinis sub peccato. Si est professus, tenetur vel sub pœna, vel sub culpa, prout dictat, & obligat *Regula Ordinis*, cui per Professionem sponte se subiecit, & privilegio ætatis cessit.

* 8 *Quæ de aventibus? Possunt* eis dari carnes secluso scandalo. *Ratio*: Quia legibus Ecclesiæ non tenentur. *Resp.* 4. *ad Q.* 2. De itinerantibus, & laborantibus *S. D. ar.* 4. *ad* 3. *sic ait*: Circa peregrinos, & operarios distinguendum videtur, quia si peregrinatio, & operis labor commodè differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ ieiunia prætermittenda; si autem immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel etiam multùm laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non possint Ecclesiæ ieiunia observari, non obligatur homo ad ieiunandum: quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis ieiunia, vt per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, nisi fortè vbi est ita consuetum, quia ex hoc ipso, quòd Prælati dissimulant, videntur annuere. Hæc ibi. De quibus plura posteà, dum agetur de causis à ieiunio excusantibus.

* 9 *Resp.* 5. De pauperibus S. D. *ibidem ad* 4. ita ait: Pauperes, qui possunt sufficienter habere, quòd eis sufficiat ad vnam comestionem, non excusantur propter paupertatem à ieiunijs Ecclesiæ: à quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynam mendicant, qui non possunt simul habere, quòd eis ad victum sufficiat. Ita S. D. De quò plura loco mox dicto.

* 10 *Resp.* 6. In Somnibus (ait valdè benè noster Sylvester) nullum tempus ab aliquò determinatum est, in quò ab obligatione absolvantur: Vndè excusari solùm possunt eò modò quò infirmi, & debiles, de quibus est eadem ratio secundùm Innocent. & Astens. Et hæc sententia Antonini, Sylvestri, Navarri, &c. est tutior, & probabilior, & merito practicanda.

Ratio. Quia senectus non habet ita definitum tempus ætatis, sicut adolescentia. Nam differentia est: quia omnes homines per pueritiam, & adolescentiam crescunt, & augentur. Ergo pro omnibus debuit definiri tempus, tanquàm adolescentiæ finis, quò per se loquendo incipiant obligari. Verùm obligatione ieiunij semel contracta non potest quis dici deobligatus, nisi ob aliquam mutationem, v. g infirmitatem, impotentiam, senecturem, quæ etiam infirmitas virium est: *Sulfame.* Sed non omnes homines (sicut æquè, nimirùm ad annum 21. adolescunt) ita eodem anno, v. g. 60. senescunt, sed alij citiùs, v. g anno 50. quò fiunt impotentes, alij seriùs, v. g. anno 70. Ergo non debuit determinari certus ætatis annus, quo senex à lege ieiunij eximatur.

Nota tamen, quòd si quis ratione senij sit exemptus à ieiunio, per hoc tamen (nisi aliæ causæ accedant) non eò ipso liceat ei comedere carnes, sed solummodo secundam refectionem sumere. Quòd idem dicendùm est de ijs, qui excusantur ob quatuor causas mox assignandas.

* 11 QUÆRO III. Quæ, & quot præcipuè sunt causæ excusantes à ieiunio? *Resp.* Sunt quatuor, nimirum. *Impotentia, Paupertas, Labor, Pietas.* Quæ suo ordine explicantur. *Impotentia* eximit iuvenes, & senes in sensu explicato. Huc referendi sunt debiles, & qui *incipienti* non possunt vllatenùs dormire, vel sentiunt gravem capitis dolorem, aut vertiginem. Item mulieres gravidæ, ac lactantes, quæ tamen non eò ipso possunt carnes comedere, sed solùm bis refici, nisi petant dispensationem. Sine quâ tamen, si mulier gravida, ob vehemens desiderium carnium, proli timens, carnes comedat, excusatur.

Paupertas eximit eos (vt in R. 5. ex S. Thom. dictum est) qui ostiatim frustatim eleemosynam colligunt, vel aliundè habent prandium valdè imperfectum. Hi enim non peccant sæpiùs comedendo. *Labor*, nimirum talis, qui corpus notabiliter macerat, vti est, in *Fabrisferrarijs, Lignarijs, Fossoribus, Messoribus, Aratoribus, Seminatoribus, Satoribus, Lapicidis, Cursoribus, prædibus iter agentibus, &c.* quorum labor cum ieiunio stare non potest iuxta sensum R. 4. Idem est de illis, qui per integram Quadragesimam quotidiè concionantur saltem per horam, quia labor est magnus.

Hinc non excusantur *Sartores, Barbitonsores, Sculto-*

res,

tores, *Pictores*, *Lectores*, *Consiliarij*, *Scriptores*, *Senatores*, *Belli Duces*, &c. Idem est de illis artificibus, quorum operæ potiùs sunt *ingenij*, quàm *virium corporalium*. Confessarios, etiam valdè gravatos, & eos, qui in Quadragesima semel, aut *bis* in hebdomada *concionantur*, absolutè exemptos non iudico, sed ad arbitrium boni viri, & prudentis.

* 12 *Quid de equitantibus? Dico*: Alexander VII. *num.* 31. damnavit hanc propositionem: *Excusantur absolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunquè iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Si ergo equitatio sit ad plures dies, & ex vitio equi valdè molesta, relinquitur arbitrio viri prudentis.

* 13 *Pietas*, quæ complectitur officia spiritualia, & opera misericordiæ non compatibilia cum ieiunio, v. g. per longum iter pedestre loca sacra visitare, concionari, de quò antè dictum. Religiosi Chorum, etiam frequenter, immò diù, nocturnè frequentantes, non excusantur, vti nec Musici, nisi fortè esset Musicus ex hac arte se, suosquè sustentans, & vocem aliter conservare non valens, nisi per binam perfectam refectionem. Qui tamen casus est rarissimus, quia vox facilius conservatur moderatè bibendo, faciendo tamen differentiam in potu. Vndè est illud: *Cantores amant humores.*

* 14 *Quinta* his addi potest causa, nimirum dispensatio Superiores, v. g. Episcopi quoad suos subditos, alteriusve Prælati: quæ maximè debet peti in dubio de potentia ieiunandi. Potest etiam Prælatus dispensare cum semetipso, non enim est deterioris conditionis, quàm subditus. Nomine Superioris etiam potest intelligi propriùs *Curatus*, seù *Parochus*, si Episcopus adiri non possit, ait Conradus. Si necessitas sit evidens, dispensatione opus non est, vt patet ex S. Thom. *art.* 4.

Not. inter propositiones ab Alexandro VII. damnatas esse hanc *num.* 23. Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quòd tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto. Et hanc *n.* 30. Omnes Officiales, qui in Republ. corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

* 15 QUÆRO IV. Quot, & quæ sunt requisita ad ieiunium? *Resp.* Tria sunt, nimirum *delectus ciborum*, *vnica refectio*, *& certum refectionis tempus.* Quæ suo ordine explicantur.

Delectus ciborum est de essentia ieiunij, & significat abstinentiam à carnibus, & ab *ijs*, quæ à carne originem trahunt. *Ratio* datur ab Angelico Doctore *art* 8. *in c.* Ieiunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis; & ideò illos cibos ieiunantibus interdixit, quæ in comedendo maximè habent *delectationem*, & maximè provocant ad *venerea*: Sed huiusmodi sunt carnes animalium in terra *quiescentium*, *& respirantium*, & quæ ex eis proccedunt, sicut lacticinia ex gressilibus, & ova ex avibus. Ergo. *Min. prob.* Quia talia magis conformantur humano corpori. Ergo plus delectant. Item magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & ideò ex eorum comestione plus superfluit, vt vertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Ergo.

Nota tamen ex *Resp.* S. Thom. *ad* 2. *art. cit.* quòd Ecclesia instituens ieiunium attendit ad id, quòd communiùs accidit, esus autem carnium communiter est magis delectabilis, quàm piscium, quamvis aliter se habeat in aliquibus: quòd delectabiliter comedentibus *pisces*, quàm *carnes*. Et *carnes* Ecclesia principaliùs interdixit, quàm *ova*, & *lacticinia*, quia esus carnium interdicitur in quolibet ieiunio, in ieiunio autem quadragesimali vniversaliter interdicuntur *etiam ova*, *& lacticinia*, vt explicat S. D. *ad* 3. circa quorum abstinentiam in alijs ieiunijs apud diversas Nationes diversæ existunt consuetudines, quas quisquè observare debet secundùm morem eorum, quibuscum vivit.

* 16 *Oppono* 1. Si ratio S. Thom. aliquid probet, debuisset etiam vinum prohiberi in ieiunio, quia de illo dicitur. Prov. 20. *Luxuriosa res est vinum.* Et ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quò est luxuria.* 2. Etiam pisces excitant ad Venerem, maximè conchylia. Vndè dicitur: *Venus è Mari nascitur, luxuria ardet in undis.*

Ad 1. S. D. *art.* 8. *ad* 1. ait: Ad actum generationis tria concurrunt, scilicèt *calore*, *spiritus*, *& humor*. Ad calorem quidem maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus, sed ad humorem maximè cooperatur *esus carnium*, ex quibus multum de alimento generatur: alteratio autem caloris, & multiplicatio spirituum citò transit, sed substantia humoris diù manet. Et ideò magis interdicitur ieiunantibus *esus carnium*, quàm *vini*, vel *legumium*, quæ sunt inflativa. Hæc ibi. *Ad* 2. *R.* Dato hoc, tamen carnes magis incitant ad Venerem. Vndè Ecclesia adhuc benè fecit prohibendo incentivum principale.

* 17 *Quid censes* de *butyro*, *lardo*, *adipe*, seù *sagimine*? *Dico*, licere butyrum, & caseum, vbi est consuetudo, sed practicè probabilius (vti & rutius) est, non ita licere vsum lardi, & sagiminis. *Prima pars* patet ex vi consuetudinis. *Ratio* 2. *p. est.* Si tanta in communi detur licentia à Theologis, periculum est, ne illa cum gravi scandalo, & ieiunij Ecclesiastici præiudicio facilè extendatur ad farcimina, & iusculum ex carnibus, &c. *Fateor* tamen, quòd pauperibus vsus lardi, & adipis facilè permitti possit (vti, & famulis, & famulabus, quibus in diebus ieiuniorum similia à quibusdam heris solent apponi loco butyri) vt comedant, & cum ijs coquant. *Nota inter* propositiones ab Alexando VII. damnatas esse hanc *num.* 32. *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.*

* 18 *Excusatur* à mortali parvitas materiæ in comestione carnis, v. g. parvus bolus? *Affirmo.* Vnde non peccant coqui in die ieiunij gustantes ea, quæ coquunt ex carnibus. Nec videtur disparitas, cur in alijs Ecclesiæ præceptis, vt de horis canonicis, de audienda Missa, &c. parvitas materiæ, excuset, & non in ieiunio quoad comestionem carnis.

Vnica refectio est etiam de essentia ieiunij. Nam vt arguit S. *Thom. ar.* 6. *in c.* Ieiunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrenandam, ita tamen vt natura salvetur: Sed ad hoc sufficit vnica refectio, per quam homo potest naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Ergo.

* 19 *Oppono* 1. Ecclesia ieiunantibus non taxat quantitatem cibi. Ergo nec debuit taxare numerum comestionis. 2. *Non taxat* numerum potus, seu bibitionis. Ergo nec comestionis. 3. Electuaria, seu confecturæ ex *Saccharo*, *melle*, &c. Sunt quidem cibi, & tamen Ecclesia non prohibet ea sumi post comestionem. Ergo,

Hæc

Hæc suo ordine solvit *S. D. ar. citato Ad.* 1. ait: Quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit, quòd unus maiori, alter minori cibo indiget, vt patet suprà *T. 4. E. 1. n. 22. in Not.* Sed vt plurimùm omnes possunt naturæ satisfacere per vnicam comestionem.

Ad 2. inquit: Ecclesia non intendit præcipere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quàm ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. Et ideò licet ieiunantibus pluries bibere. Si quis tamen immoderatè potu vtatur, potest peccare, & meritum ieiunij perdere: sicut etiam si cibum immoderatè in vna comestione assumat. Hæc ibi.

* 20 *Quid sentis* de Hispanica potione *chocolate?* *Dico*, Si componatur (vti Auctores eam describunt) ex saccharo, & alijs ingredientibus substantialibus cibis, *amygdalis, nucibus, anisi*, &c. & sumatur in magna quantitate, frangit ieiunium. *Ratio*: Quia tunc per se ordinatur ad nutritionem, habetque rationem cibi. Unde non solet sumi interdiu, sed *mane*, & *serò*, dum corpus refectione indiget. Si autem posset ita temperari, vt *retineret rationem potus*, non frangeret. Ex quo colligi potest, quid dicendum de *Lymonnade*, & *Hippocras*.

Ad 3. *dicit*, quòd electuaria etiam si aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Undè non solvunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi. *Ita S. D.*

* 21 *Excusatne* parvitas materiæ sine carnibus sumpta extra mensam?

Affirmo. Et ideò famuli in mensa ministrantes, & lectores mensæ excusantur, si ante, vel sub ministerio suo modicum sumant. Et per hoc ieiunium Ecclesiæ differt à ieiunio Eucharistico.

Sed plures materiæ parvæ, constituuntne vnam notabilitem? *Affirmo* in eo ferè sensu, quo infrà dicemur de furtis minutis, eo quòd, dum advertenter fit, habeant moralem continuationem. Unde ab Alexandro VII. damnata est hæc propositio n. 29. In die ieiunij, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

Prandium debetne esse continuum? *Affirmo* de continuatione morali. Hinc si quis (non in fraudem ieiunij) à medio prandio surgat cum animo illud resumendi intra modicum tempus, non peccat.

Tempus refectionis olim erat vespertinum, nimirum hora nona (vt patet *ex S. Thom. art.* 7.) quæ nunc est tertia postmeridiana. Verùm quia posterioribus sæculis homines ob animi, & corporis debilitatem in ieiunio illo non perseverabant, cœna mutata est in prandium, eiusque tempus est vndecima, vel citer.

Quando incipit dies ieiunij? *Dico*. Computatur à media nocte in mediam noctem, terminatur autem media nox, & incipit ad primum horologij, etiam quadrantis præmissi, ictum. De eo, qui die Iovis, vel Sabbati dubitat, an transierit media nox, vide *T. 2. E. 1. num. 15.*

Hora refectionis estne de essentia ieiunij? *Dico* Olim fuit mortale notabiliter anticipare horam refectionis, verùm si spectetur moderna Ecclesiæ consuetudo, quæ *cœnam* mutavit in prandium, tertiam illud requisitum, nimirum *tempus*, non videtur esse de substantia ieiunij, sed vel est accidentarium, vel requisitum secundarium, sic, vt hoc tempus sine iusta causa prevenire, sit leve; ex causa, nullum peccatum. Sed *NB.* quòd talis præveniens (nisi ex alio capite excusetur) teneatur de cætero illo die ieiunare, æquè ac si debito tempore prandium sumpsisset.

* 22 QUÆRO V. Si de essentia ieiunij est vnica refectio, quomodò potest esse licita serotina collatio, seù collatiuncula? *Resp.* 1. Posiquàm, vt dictum, hora refectionis in die ieiunij fuit mutata, & cœna in maturiorem refectionem, nimirum in prandium versa, per consuetudinem fuit introducta *serotina refectiuncula*, cœnulla, ac collatiuncula magis dicenda, quàm cœna, vel refectio. 2. Quæ cœnula tam, quoad qualitatem, quàm quoad quantitatem per solum piorum, & timoratorum consuetudinem est metienda. *Ratio* 1. *p.* Quia alias difficilè esset noctu somnum capere. *Ratio* 2. *p.* Quia diversæ sunt hominum complexiones, ita vt, quòd vni est parum, alteri sit multum, & econtra. Ergo non potest in præsenti vna certa statui Regula.

* 23 *Resp.* 2. Quoad qualitatem consuetudo timoratorum est, vt sumatur modicum de *pane, fructibus, herbis*, aliisve *cibis* levioribus, vt sunt *ficus, uvæ passæ, nuces, pyra, poma, confectiones*, &c. vel etiam modicum de *pisce* per fumum siccato, aut per acetum macerato, de lactuca aceto, & oleo mixta, loco fructuum. Nec refert, quòd herbæ ad tollendam eruditatem sint priùs elixatæ, sine tamen additione condimenti.

* 24 *Resp.* 3. Cibis propriè coctis, & conditis, præsertim calidis, etiam sine excessu, absque iusta tamen causa, in collatiuncula vesci, est peccatum, sed non plùs quàm veniale. Si causa iusta adsit, v. g. stomachi infirmitas, nullum est peccatum. *Ratio* 1. *p.* Quia concoctio ignis cum condimentis, & calore materiam subiectam plurimùm mutant, & ex eà faciunt cibum nutritioni magis servientem. *Ratio* 2. & 3. *p.* Quia, vel excessus non est gravis, vel iusta causa excusat.

* 25 *Resp.* 4. Quoad quantitatem certum est, quòd debeat esse modica. De cætero vna pro omnibus Regula statui non potest, sed est habenda ratio *tum* Regionum, quarum aliæ sunt frigidiores, aliæ calidiores: *tum* personarum, quarum aliæ sunt magis abstemiæ, aliæ magis edaces; aliæ robustiores, aliæ teneriores; aliæ otiosæ, vel saltem gravi labori non deditæ, aliæ diurnis, aut nocturnis occupationibus gravatæ: vt proindè necesse sit, pro quovis individuo quantitatem decerni prudenti iudicio.

* 26 *Resp.* 5. Probabilius est, quòd ille (nisi ex alia iusta causa excusetur) faciat mortalem excessum nocturnæ refectiunculæ, qui notabiliter excedit quartam partem illius quantitatis, quæ sufficit ad integram cœnam. *Ratio*: Quia moraliter talis excessus censetur esse gravis.

* 27 *Resp.* 6. Probabilius est, peccatum saltem *veniale esse*, in meridiè sine iusta causa sumere collatiunculam, prandio in vesperum reservato: si autem fiat ex rationabili causa, v. g. ob iter, ob debilitatem, &c nullum est peccatum. *Ratio* 1. *p.* Quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, cuius morem oportet esse vniformem. 2. *Pars* patet: quia iusta causa excusat.

* 28 QUÆRO VI. Qui est dispensatus ad esum carnium, estne totaliter à ieiunio liber, ita vt possit eodem

eodem die pluries comedere carnes? *Item* qui ex malitia comedit carnes, peccatne mortal. toties, quoties eas comedit, vel ſolùm in prima comeſtione?

Reſp. 1. Dum in Quadrageſima ab Epiſcopo datur generalis diſpenſatio in eſu carnium, tutiùs, & probabiliùs eſt cum *Medina*, & *Conrado*, contra *Caietan.* dicere, diſpenſatos (ſi ſalva ſanitate cum vna carnium comeſtione poſſint contentari) ex vi diſpenſationis tantùm ſemel poſſe comedere carnes, & teneri ſumere collatiunculam in cibo eſuriali. Idem eſt de eò, qui in particulari ad carnes diſpenſatus eſt ad præſervandum ſe ab infirmitate, cùm de præſenti ſanus ſit, vt ſit in Principibus.

Ratio 1. In præſenti ſtandum eſt intentioni diſpenſantis, diſpenſatio enim tantùm fit, vbi eſt iuſta cauſa, & non vltra: ſed à quovis timoratę conſcientiæ virò, hæc meritò cenſetur eſſe rationabilis intentio diſpenſantis, vt veſperi fiat collatiuncula. Ergo. *Min. prob.* tum ex ratione ſecunda ſtatim ponenda, tum etiam, quia mentem diſpenſationis oportet ſic intelligere ad cavendos nimios abuſus, ad ſcandalum tollendum, ad ædificandos, & confirmandos eos, qui carnibus abſtinent. Ergo.

Ratio 2. Qui præceptum non poteſt ſervare in totum, tenetur in quantum poteſt, vt infrà dicetur de recitatione horarum, quamobrem etiam ruſtici, licèt ob labores non teneantur abſtinere à ſecunda refectione perfecta, tenentur tamen abſtinere à carnibus: ſed tales diſpenſati poſſunt (vt ſuppono) ſe contentare cum vnica carnium refectione, ſine ſanitatis præiudicio. Ergo. Dixi. *Qui eſt diſpenſatus ad ſe præſervandum ab infirmitate*, vt quia cibaria quadrageſimalia nocent: nam ſi quis ſit diſpenſatus ob infirmitatem præſentem, vel ad ſanitatem recuperandam, poteſt pluries in die carnibus refici conſilio Medici, vt docet Corduba, & videtur colligi ex verbis S. Thomæ relatis pro *R.* 2. *ad Q.* 2.

Oppono cum *Caiet.* Quando res componitur ex duabus partibus eſſentialibus, earum vna deſtructa deſtruitur totum, vt patet in homine compoſito ex anima, & corpore, quorum vno pereunte, perit homo: ſed ieiunium componitur ex duabus partibus eſſentialibus, ſcilicet ex abſtinentia à carnibus, & vnica refectione. Ergo vna *v. g.* ſola abſtinentia à carnibus ſublata, auferetur totum ieiunium, conſequenter dictus diſpenſatus non tenetur veſpere ieiunare.

Ad hoc R. mai. eſſe veram in *phyſicis*, ex quibus eſt exemplum de homine: ſecus in *moralibus*, in quibus eſt ieiunium, votum, horæ canonicæ, &c. de quibus in proprio loco dicetur infrà, quòd, qui non poteſt totum, teneatur ad partem ſibi poſſibilem.

* 29 *Reſp.* 2. ad *Q.* 6. Probabilius eſt, toties mortaliter peccare aliquem, quoties in die ieiunij comedit carnes ſine iuſta cauſa. Ita communiter *DD. Ratio* Quia fundatè, & rationabiliter hæc cenſetur eſſe mens Eccleſiæ carnes prohibentis, vt prohibitionis ſenſus ſit: *Ne comedantur carnes*, id eſt, nunquam comedantur in vlla diei parte, ita vt ſit præceptum *negativum* obligans in eo ſenſu *ſemper*, & ad *ſemper*. Ergo licèt quis manè carnes comederit, præceptum adhuc obligat, & obſervatu poſſibile eſt pro alijs diei partibus. Nam qui præceptum non poteſt implere in totum, tenetur in quantum poteſt, vt antè dictum.

* 30 *Reſp.* 3. Probabiliùs etiam videtur, eum, qui poſtquàm in vno die ieiunium per ſecundam plenam refectionem ſine carnibus iam fregit, adeòquè mortaliter peccavit, in tertia refectione (idem eſt de quarta) etiam ſine carnibus de novo, mortaliter peccat. Eſt contra diverſos DD. præcedens aſſertum admittentes.

Ratio eſt eadem, quę pro *R.* 2. modò benè applicetur. Cui adde, quòd Eccleſia ſecundam refectionem non prohibuerit ſolùm limitate, ſeù præcisè quatenus per eam violatur illa pars conſtitutiva ieiunij, nimirum vnica refectio, quà violata impoſſibile ſit ampliùs ieiunare, adeòquè non obliget (quòd eſt fundamentum adverſariorum) ſed prohibuit Eccleſia ſecundam refectionem abſolutè, ſeù abſolutè præcepit vnicam refectionem. Ergo quoties fit nova plena refectio in vno die, toties violatur præceptum.

* 31 QUÆRO VII. Quid tenes de ieiunio *Feria* 6. *& Sabbathi*, & de caſu, quò feſtum Natalis Domini incidit in feriam 6. præſertim, an Religioſi tunc poſſint comedere carnes, ſicut Seculares? Et quid de alijs temporibus, v. g. *Rogationum*, *Adventus*, *Quadrageſimæ*, de *Cœna Domini*, *Vigilia Paſchatis*, quatuor *Temporibus*.

Reſp. 1. In feria 6. & Sabbatho tenemur ſub mortali ad abſtinentiam à carnibus. Bis autem refici cibis eſurialibus, peccatum non eſt, niſi votum, vel Regula obſtet. In quibuſdam Galliæ partibus conſuetudo permittit eſum carnium in die Sabbathi à Natali Domini, vſquè ad Purificationem B. V. In Hiſpania conceſſum eſt comedere in Sabbatho inteſtina, & extremitates pecorum.

Not. quòd Galli, & Hiſpani extra illa loca (in quibus eà conſuetudo viget) non poſſint eò die carnes, & inteſtina comedere: econtra ſi Germanus, vel quis alteriùs Nationis ad illa loca perveniat, etiam ſolùm vt itinerans, poteſt frui eodem privilegio, iuxta illud: *Si fueris Romæ, Romano vivito more: quòd ſi ſis alibi, vivito ſicut ibi.* Vndè S Auguſt. *in Epiſt.* 118. *c.* 2. *adducit Ambroſium ſibi reſpondentem his verbis*: Cùm Romam venio, Sabbatho ieiuno, cùm Mediolani ſum, non ieiuno. Sic, & tu, ad quamcunquè Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquàm non vis eſſe ſcandalo, nec quemquàm tibi.

* 32 *Reſp.* 2. Si dies Natalis Domini cadat in feriam 6. ob feſti excellentiam licitus eſt eſus carnis, vt patet in *c. explicari*, *de obſerv. ieiun.* Et à fortiori ſi cadit in Sabbathum, ob eandem *rationem*. Quia vbi eſt eadem ratio, eſt eadem iuris diſpoſitio.

* 33 *Reſp.* 3. In illo caſu Religioſis, quibus ex ſua Regula eſus carnium eſt prohibitus, non licet comedere carnes. *Ratio.* Quia ibi excipiuntur, quibus ex voto, vel Regula prohibitus eſt eſus carnium. Pro quo. *Nota*, quòd aliquorum Religioſorum Regula, ac Statuta non obligant ſub culpa, ſed ſub pœna tantùm, vti eſt in Ordine noſtro. Qua de re ſi Dominicanus illo die privatim extra Communitatem, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, comederet carnes, incurreret pœnam, ſed non culpam coram Deo.

* 34 *Reſp.* 4. Abſtinentia à carnibus in diebus *Rogationum* in pluribus locis non eſt de præcepto, ſed ſolùm de conſilio. In quibuſdam verò, vt in *Belgio*, vi conſuetudinis ibi introductæ eſt de præcepto, obligante ſub mortali. De Adventu patet ex conſuetudine cuiuslibet loci. Religioſi ſuam in ſimilibus obligationem debent ſcire ex proprijs ſtatutis.

* 35 *Reſp.* 5. Quadrageſima ab Apoſtolis primò

eſt

est instituta ad imitationem Christi, qui ieiunavit 40. *diebus & 40. noctibus*. De hoc ieiunio Angel. Doct. *ar. 5. in c. dicit* : Ieiunium ad duo ordinatur, scilicet ad deletionem culpę, & ad elevationem mentis ad superna, & ideò illis temporibus fuerunt specialiter ieiunia indicenda, in quibus oportebat homines à peccato purgari, & mentem fidelium elevari in Deum per devotionem. Et paucis omissis; In festo autem Paschæ oportet maximè mentem hominis per devotionem elevari ad æternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoavit. Et ideò immediatè ante solemnitatem Paschalem Ecclesia statuit esse ieiunandum. Et eadem ratione in Vigilijs præcipuarum Festivitatem, in quibus præparari nos oportet ad Festa futura devotè celebranda.

* 36 *Resp.* 6. Ieiunium Quadragesimæ obligat sub mortali. In Dominicis diebus licita est secunda refectio perfecta. *Patet* ex consensu omnium Catholicorum. Vide dicenda ex S. Tho. in R. 8.

* 37 *Resp.* 7. In quibusdam locis est consuetudo, vt in Vigilia Nativitatis Domini, & in die Cœnæ Domini collatio vespertina sit paulò largior quam alijs diebus. Hoc nonnulli extendunt ad Vigiliam Paschatis, & Pentecostes, eò quòd (vt ipsi aiunt) sint ieiunia lætitiæ ob Festivitatem, quę in Vigilia incipit. Sed consuetudo stat in contrarium.

* 38 *Resp.* 8. Tempore Paschali, & per totum annum in die Dominico non est ieiunium. *Ratio* datur à S. Thom. *ar. 5. ad 3. dicente* : Ieiunia, quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, sunt magis ieiunia afflictionis, quę non conveniunt in diebus lętitię. Propter quòd non est ieiunium ab Ecclsia institutum in toto Paschali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus si quis ieiunaret contra consuetudinem populi Christiani, quę, vt Augustinus dicit, est pro lege habenda, non esset à peccato immunis, quamvis ipsum ieiunium secundùm se consideratum omni tempore sit laudabile, secundùm quòd Hieron. dicit ad Lucinium : Utinam omni tempore ieiunare possemus. Hęc S.D.

* 39 *Resp.* 9. De ieiunio 4. Temporum *S. Thomas ibid. in c. ait* : Similiter etiam consuetudo Ecclesiastica habet, vt in singulis Quartis anni sacri, Ordines conferantur, ad quorum susceptionem oportet per ieiunium præparari, & eos, qui ordinant, & eos, qui ordinandi sunt, & etiam totum populum, pro cuius vtilitate ordinantur. Unde & legitur Luc. 6. quòd Dominus ante Discipulorum electionem exivit in montem orare. Quòd exponens Ambrosius dicit : *Quid te facere convenit, cùm vis aliquod Officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos priùs oravit* ? Hęc ibi.

* 40 QUÆRO VIII. Si quis sit defessus ex labore ob recreationem assumpto, *v. g.* ex ludo pilæ, venatione, piscatione, &c. excusaturne à ieiunio? *Resp.* Probabiliùs distinguendum est ex S. Thom. 2.2.*q.* 71. *ar.* 1. *in c.* Talis, vel prævidit, aut prævidere debuit, se fatigandum, & ad ieiunium impotentem fore ex impedimento voluntariè, id est, sine pia vtilitate, aut necessitate à se posito, vel non prævidit? Si prævidit, peccavit mortaliter in sua causa, non ieiunando, & à fortiori, si formaliter intenderit se fatigare, vt non ieiunaret. *Ratio* : Quia esset in fraudem ieiunij. Si non prævidit, nec prævidere mortaliter potuit, sive in se, sive in sua causa, mortaliter non peccavit non ieiunando. *Ratio* sumitur ex defectu voluntarij.

Oppono contra 1. *p.* Qui vtitur iure suo, non peccat : Sed talis vtitur iure suo, quòd habet ad gaudendum honesta recreatione. Ergo nec peccat. *Dist. maj.* Qui vtitur sine lęsione alterius, *C.* cum eâ, *R.* In præsenti autem talis vtitur iuro suo cum lęsione iuris Ecclesiæ, quod illa habet in subditum, vt ieiunet.

* 41 QUÆRO IX. Quomodò resolvis hos casus? 1. Qualiter peccat, qui habet voluntatem violandi ieiunium per totam Quadragesimam? 2. *Caupo* in loco Catholico potestne in die ieiunij peregrino hæretico apponere carnes, vel cœnam? *Vel* potestne carnes apponere Opifex suis famulis hæreticis? *vel* famulus Catholicus carnes præparare Domino suo hæretico? 3. *Existens* inter hæreticos potestne licitè edere carnes? 4. *Potestne* modicum cibi sumi propter amicum rogantem? Vel cœnam præberi alicui debitori summam pecuniæ ferenti? 5. *Existens* è loco ieiunij ad alium locum, vbi non est ieiunium, potestne manè ientare, vel etiam carnes comedere? 6. *Coniuges* excusantne aliquando à ieiunio?

7. *Excusantne* facilius fœminæ quàm viri? 8. *Qui* non habet vinum, vel non alium cibum esurialem, quàm olera, vel solum panem, excusaturne à ieiunio, sic vt possit edere carnes? 9. *Qui* alium, aliunde certò cœnaturum, invitat ad cœnam, pro carne invitando? 10. *Sub* initium Quadragesimæ est quis dispensatus a ieiunio ob morbum, post quindenam verò totaliter sanatum, potestne talis frui illa dispensatione pro reliqua parte Quadragesimæ?

Ad 1. partem R. suprà T. 4. E. 2. anten. 37. Ad 2. R. quòd ille Caupo peccet mortal. peccato scandali, attamen (seclusò aliorum scandalo) excusari potest, si exinde timeat grave malum, vel adsint graves minæ, vel peccatum tamen fieret aliquè cooperatione eius; aut ad malitiam deberet se habere merè permissivè. Idem est de Opifice respectu famulorum hæreticorum, qui pariter peccat, sed excusari potest, si alios famulos habere non possit, & hi cum deserere volunt, ni si eis det carnes, ex quorum discessu patietur grave damnum. Idem est de coquò Catholico Domini Lutherani, in eodem sensu. Quæ omnia fusiùs parent infrà de scandalo. *T. 7. E. 7. n. 63. & seq.*

Ad 3. R. negativè, si alimenta cibi esuriales haberi possint, & nullum grave malum timeatur. Et tamen licitum (seclusò scandalo) ad grave malum evitandum. Quia Ecclesia non intendit suos subditos obligare cum tanto incommodo. Cæterum si Princeps hæreticus in signum hæreseos præciperet esum carnium, non liceret, etiam ad evadendam mortem: quia esset implicita abnegatio fidei. Idem est, si quis appositis carnibus diceret: *Qui se Lutheranum profitetur, comedat ex his carnibus.* Quia esset negatio fidei saltem externa; nisi exteriùs protestaretur.

Ad 4. pro 1. p. R. posse sumi modicum, non solùm vna, sed & altera vice, nam ita ex intentione comedendi (nisi fortè, vt non noceat potus) quàm in obsequium amici, & vrbanitatis causa, modò quantitas non excedatur, cuius excessus si sit periculum, invitanti vrbano amico amicè, & vrbanè respondendum est: Habe me excusatum, quia est dies ieiunij. *Ad alterum R.* affirmativè de collatione, sed negativè de perfecta cœna, nisi is, qui summam pecuniæ fert, importunè peteret, & simul timeretur damnum, v. g. ne imposterum tuam Officinam declinet, aut sequentibus annis census difficulter solvat.

Ad 5. In primis est certum, esse peccatum, si fiat cum

cum scandalo, vel exeat quis in fraudem ieiunij. Item certum est, quòd antequàm exeat, non possit comedere carnes. Sed ex causa manè ientare in cibo eturiali, & in alio loco, vbi non est ieiunium, vesperi carnes comedere, peccatum non est, vt probabitur infrà T. 6. E. 5. n. 66. Vide etiam de celebratione festorum T. 10. E. 5. n. 80.

Ad 6. Si coniux ex ieiunio fiat non solùm aliquantulùm (quòd NB.) sed notabiliter impotens ad redditionem debiti coniugalis, excusatur à ieiunio, sic, vt saltem possit bis reficì, abstinendo tamen à carnibus. *Ratio.* Quia præceptum iustitiæ, divinum, & naturale, præponderat præcepto humano de ieiunio. Dixi, *sed notabiliter.* Quia vterquè coniux habet ius ad exercendum se in operibus spiritualibus, licèt aliquantulùm debilitetur potentia reddendi debitum.

Quid si vir Vxori præcipiat, vt frangat ieiunium? *Dico*: Obedire non licet. *Ratio.* Quia obediendum magis est Ecclesiæ quàm marito. Si tamen exindè timaret gravia mala, v. g. discordias, &c. excusaretur à ieiunio. *Ratio.* Quia lex Ecclesiæ non obligat cum tanto incommodo. Si autem vir id præciperet in contemptum fidei, vel ieiunij, parere non posset absquè mortali. *Ratio* antè est data in *R. ad* 3. casum de negatione fidei.

Ad 7. Nolo fœminarum patrocinium, vel favorem suscipere, sed æquà lance, & mensura eas pondero, & iudico quoad ieiunium cum viris, quos in *R.* 6. eiusquè ratione *ad Q.* 2. dixi iudicandos, non quoad ætatem naturalem, sed quoad vires.

Ad 8. Non potest comedere carnes, si ex cerevisia (quæ esset loco vini) & oleribus non timeat grave nocumentum sanitatis, sed sine vino, & carnibus naturam sustentare possit. Quà in re plurimum efficiet, & iuvabit generosa resolutio. Hinc etiam non admitto, quòd, qui solùm vno die nullum haberet cibum nisi panem, eò ipso possit comedere carnes, si sit robustus, & communibus cibis assuetus. Excipi potest casus, quo alicui timeretur nocumentum sanitatis, *v. g.* qui assuetus est epulari quotidie splendidè.

Ad 9. Talis non peccat, si solùm vrbanè invitet, & non importunè vrgeat. Si verò nesciat, eum aliundè absolutè resolutum esse ad cœnam, peccat mort. *Ratio.* Quia, quantum est de se, dat ei occasionem peccandi mortaliter. *Ad* 10. Tutiùs, & probabiliùs *R. negativè. Ratio.* Quia dispensatio rationabiliter debet intelligi sic, vt subintelligatur conditio: *Si*, & quamdiù indiges.

EXAMEN V.

De Ira, & Acedia, ac peccato in Spiritum Sanctum.

IRA est brevis stultitia, furor currens, & ebrietas in anima, inquiunt Ethici. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, vt bestialiter vivat. Tractat de eà S. Thom 2. 2. *q.* 158. *per octo art.*

* 1 QUÆRO I. Quid est *Ira*? Estne peccatum? Et quantum? *Resp.* 1. Ira dicit duo, vnum de *materiali*, quòd est accensio sanguinis circa cor, vt explicatum est T. 4. E. 1. *num.* 11. Alterum de *formali*, & hoc est appetitus vindictæ. Et est passio appetitus sensitivi, à quà vis irascibilis (de quà loco mox dicato actum est) denominatur, vt ait S. Tho. *art.* 1. Vbi addit, quòd ira possit se benè, vel malè habere; si enim vindicta est iusta, seù appetitus eius ordinatus, id est, si adsit secundùm rectam rationem, nimirum pro conservatione iustitiæ, & boni communis, vindicando, seù puniendo delicta, tunc irascì est laudabile, meritorium, & actus iustitiæ vindicativæ. Vndè Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Si autem ordinem rationis excedit, est peccatum, definiturquè, quòd sit *appetitus inordinatus vindictæ*, seù, vitium inclinans ad eam, & sic conveniunt ei prædicata antè ex Ethicis adducta. Hæc vocatur ira per *vitium*, & *mala*; prima verò ira per *zelum*, & *bona* appellatur à S. Thom. *art.* 1. *ad* 2. vbi de ira per zelum eleganter sic loquitur ex S. Gregorio 5. *moral. c.* 33. Curandum summopere est, ne ira, quæ vt instrumentum virtutis assumitur, menti dominetur, ne quasi domina præat, sed velut ancilla ad obsequium parata à rationis tergo nunquàm recedat. Addit ex eodem: Ira per zelum rationis oculum turbat, sed ira per vitium excæcat.

* 2 *Resp.* 2. Vitium iræ ex genere suo est mortale. *Declaratur* ex S. Thom. *art.* 3. Motus iræ potest esse inordinatus, & peccatum dupliciter. *Vno modò* ex parte appetibilis, vtpotè cum aliquis appetit iniustam vindictam; & tic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati, & iustitiæ: potest tamen contingere, quòd talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus. Quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta, cum motus iræ prævenit iudicium rationis: vel etiam ex parte appetibilis, puta, cùm aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quòd quasi nihil est repurandum, ita quòd etiamsi actu infectatur, non esset peccatum mortale, puta, si aliquis parùm trahat aliquem puerum per capillos, vel aliquid huiusmodi. *Alio modò* potest esse motus iræ inordinatus quantùm ad modum irascendi, vtpotè si nimis ardenter irascitur interiùs: vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ; & sic ira secundùm se non habet ex suo genere rationem peccati mortalis, potest tamen contingere, quòd sit peccatum mortale, puta, si ex vehementia iræ aliquis excidat à dilectione Dei, & proximi. Hæc S. D. Vide infrà T. 7. E. 7. *num.* 13. & 14. De discordia, contentione, &c.

* 3 *Quomodò* differunt *ira*, & *iracundia*, *iratus* & *iracundus*? *Dico.* In hoc differunt, quòd *ira*, & *iratus* dicant actum, *iracundia* verò, & *iracundus* habitum; qui est vitium iræ anteà definitum; quando nimirum quis in ira est habituatus per frequentatos actus. Vndè S. Thom. 1. *p. q.* 63. *art.* 4. *ad* 3. docèt, aliquos esse naturaliter iracundos, id est, per consuetudinem, quæ est altera natura.

* 4 QUÆRO II. Ira velut vitium capitale habetne filios? *Resp.* cum S. Thom. *art.* 7. Habet sex filias, quæ sunt: *indignatio*, & *tumor mentis*, quæ perficiuntur in corde; *clamor*, *blasphemia*, *contumelia*, quę perficiuntur ore; *rixa*, quæ committitur opere externo.

Indignatio est, cùm quis non vult alium videre, nec cum eò conversari, reputans eum sua conversatione indignum. Communiter est peccatum veniale, nisi vel fiat cum magno scandalo, vel cedat in notabilem contemptum, aut grave damnum, vel odium talis personæ. Potest etiam sine omni culpa fieri, si nimirum fiat ex rationabili causa, v. g. propter correctionem, & ne indignans ex alterius mala conversatione, & exemplo labatur in peccatum.

Tumor mentis est, vt ait S. Thom. dum quis diversas excogitat vias vindictæ, estquè mortalis, vel venialis, iuxta quantitatem vindictæ intentæ. *Clamor* est, dum homo in modo loquendi (per quem intelligitur inordinata, & confusa locutio) iram suam demonstrat. Quòd si fiat sine gravi scandalo est peccatum veniale. *Blasphemia* est, quà quis prorumpit in verba Deo iniuriosa. De quà agitur infrà *T.* 7. *E.* 3. *& seq. Contumelia* effutit verba iniuriosa proximo. De quà agitur infrà *T.* 8. *E.* 5. *De tiza* agitur *T.* 7. *E.* 7.

Acedia. Si iuxta S. Augustinum peccator non est dignus pane, quò vescitur, id maximè de acedioso homine verum est. Etenim acedia (vt S. Gregor. loquitur) est de virtutum laudabili exercitio vtriusquè hominis languida delectio. Vel, aut ait Damascenus, tristitia aggravans mentem, vt nihil boni ei agere libeat. De hoc vitio agit. S. D. 2. 2. *q.* 35. *per* 4. *art.*

* 5 QUÆRO III. Quid est, & quantum peccatum? *Resp.* 1. In vulgaria acceptione *acedia* sumitur pro *pigritia*, quatenus hominem facit *pigrum, ignavum, ac tardum* ad prosequendum bonum divinum. Solet etiam in communi sumi pro tristitia de bono spirituali. Sed vtraquè significatio est nimis generalis, quia iuxta vtrumquè est generale peccatum, omne enim peccatum refugit bonum spirituale virtutis ei oppositæ, v. g. superbia refugit bonum spirituale humilitatis, luxuria bonum castitatis, &c. In quantum ergo est vitium speciale, vnum ex 7. capitalibus (vti de eò agitur hic) definitur à S. Th. *ut.* 1. quòd sit tristitia, seù tædium, vel, *vitium inclinans ad tristandum de bono spirituali divino, quatenus est divinum, in eò, qui tristatur.*

Explicatur definitio. Dicitur 1. *de bono spirituali*, vt ab hac definitione excludatur tristitia de bono temporali. Dicitur 2. *de bono divino*, vt excludatur tristitia de bonis spiritualibus virtutum moralium, nam si quis tristetur de hoc, quòd debeat alteri reddere ius suum, quòd est bonum iustitiæ; vel moderatè edere, ac bibere, quòd est bonum temperantiæ, non peccat peccato acediæ, sed illius vitij, quòd contrariatur virtuti, de cuius bono tristatur. Dicitur 3. *quatenus divinum est.* Nam tristari de bono opere præcisè ratione annexi laboris, vel difficultatis, vti est in ieiunio, propter esuriem; & in auditione Missæ, si ad eam valde tempestivè debeat surgere, non peccat peccato acediæ, iuxta S. Thom. ar. 2. Dicitur 4. *In eo, qui tristatur*, seu quatenus bonum divinum participativè est in homine, consistens in charitate, & amicitia, colloquio, vel conversatione cum Deo. Nam tristari de bono divino, quatenus est in ipso Deo, spectat ad odium Dei, non ad acediam.

Sed dic, quæso, mihi, vnde hoc vitium vocatur *acedia*? vnde est hæc *Etymologia? Est ex hoc*: Sicut *acidum* frigefacit, & repefacit calorem, ita hoc vitium tepefacit in homine boni sui divini spiritualis amorem, vt patet ex S. Thom. *ar.* 1. & ingenerat tædium operandi.

* 7 *Resp.* 2. ad *Q.* 3. Acedia ex genere suo est peccatum mortale, & est semper tale, si sit deliberata, & perfecta, *v. g.* si quis tristetur, quòd sit creatus, vel vocatus ad gratiam, merita, gloriam, &c. vel si ex ea tristitia optet sibi, non esse, aut mori. Vel si propter eam omittat aliquid, quòd est necessarium ad salutem animæ, vel corporis. *Ratio est* ex S. Thom. *ar.* 3. Peccatum mortale est, quòd spiritualem vitam tollit, quæ est per charitatem, secundùm quam Deus nos inhabitat. Ergo illud peccatum est mortale, quòd secundùm se, seu secundùm propriam rationem contrariatur charitati: Sed acedia est talis. Ergo. *Prob. min.* Proprius effectus charitatis est gaudium de Deo: Acedia autem est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum. Ergo. *Ex his* patet, quòd etiam mortalissimè peccent illi, qui toti inamorati huic mundo deliberatè eliciunt hunc actum. Modò Deus me perpetuo relinqueret in terra, eiusque delitijs, Cœlum Deo iubens relinquerem.

* 8 *Resp.* 3. cum S. Thom. eodem ar. 3. Si motus acediæ sit in sola sensualitate propter repugnantiam carnis ad spiritum, non excedit peccatum veniale. *Ratio.* Quia deest consensus rationis saltem plenus, estque acedia solum inchoata.

* 9 QUÆRO IV. *Acedia* quas habet filias? Habet sex iuxta S. Thom. art. 4. Et sunt. 1. *Malitia*, quæ est, quando ex tristitia, vel tædio rerum spiritualium tam malus quis efficitur, vt eas impugnet, aut nihil, vel parùm curet, doleat se esse Christianum, se nosse Deum, vel res fidei. Et hoc ex genere suo est mortale, & semper est tale, si fiat seriò, & deliberatè. Unde malitia non accipitur hic prout est genus vitiorum, ait S. Thom. 2. *Rancor mentis*, qui non accipitur hic pro odio, sed in quantum est amaritudo contra eos, qui ad spiritualia inducunt, vt sunt Confessarij, Concionatores, &c. Est veniale, si desit scandalum, & illis non optetur grave malum. 3. *Pusillanimitas* est parvitas animi, qua homo fugit opera spiritualia ardua, suam tamen potentiam non excedentia. Est veniale, nisi homo ex ea omittat aliquid, ad quòd tenetur sub mortali. 4. *Desperatio*, De qua infrà *T.* 7. *E.* 4. n. 5. 5. *Torpor circa præcepta*, tepidè ea observando, id est, non cum eo fervore, vti homo potest, & debet. Huc referuntur, *otium, pigritia, somnolentia*, &c. Torpor communiter est peccatum veniale. Unde Doctores dicentes eum esse peccatum mort. videntur loqui de eo valde strictè, si nimirum sit tantus, vt ex eo homo seipsum negligat, vel omittat id, ad quòd sub gravi præcepto tenetur. 6. *Evagatio mentis* circa illicita, circa quæ versatur, estque tunc, quando homo ex tædio à spiritualibus se transfert ad delectabilia exteriora. De eius gravitate, vel levitate iudicandum est ex ipsismet obiectis illicitis, vti suprà dictum est de cogitationibus moro.

* 10 QUÆRO V. Quid, & quotuplex est? *Peccatum in Spiritum Sanctum.* Estne idem ac peccatum ex certa malitia? *Resp.* ex S. Thom. 2. 2. *q.* 14. vbi de hoc peccato agit per 4. *art. & art.* 1. *definit*, esse *peccatum contra bonitatem Spiritui Sancto attributam, committum. Declaratur* verbis S. Doctoris sic dicentis: Spiritui Sancto appropriatur *bonitas*, sicut Patri *potentia*, & Filio *sapientia*. Unde peccatum in Patrem dicitur esse, quando peccatur ex *infirmitate*; peccatum in Filium, quando peccatur ex *ignorantia*; peccatum in Spiritum Sanctum, quando peccatur est *certa malitia*, id est, scienter, ex illa electione mali.

Pergit *S. D.* Quòd quidem contingit dupliciter: *Uno modo* ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur, & sic non est idem, peccare ex malitia, quòd peccare in spiritum Sanctum, nec est speciale peccatum, sed, vt ait *ad* 3. est quædam generalis conditio peccati. *Alio modo* contingit ex eo, quòd per contemptum abijcitur, & removetur id, quòd electionem peccati poterat impedire. Sicut spes abijcitur per desperationem, & timor per præsump-

ſumptionem, &c. hæc autem omnia, quæ peccati electionem impediunt, ſunt effectus Spiritus Sancti. Et ideò ſic ex malitia peccare, eſt peccare in Spiritum Sanctum. Ita S. D. Ex quibus patet R. ad 3. p. Quæſiti.

* 11 *Reſp.* 2. Peccata in Spiritum Sanctum ſunt ſex, nimirum. *Deſperatio, præſumptio agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ gratiæ invidia, impœnitentia, obſtinatio.*

Declarat hæc S. D. *ar.* 2. *in c.* Species peccati in Spiritum Sanctum diſtinguuntur ſecundùm remotionem, vel contemptum eorum, per quæ poteſt homo ab electione peccati impediri. Quæ quidem ſunt vel ex parte divini iudicij, vel ex parte donorum ipſius, vel ex parte ipſius peccati: avertitur enim homo ab electione peccati per conſiderationem divini iudicij, quòd habet iuſtitiam cum miſericordia, vti & per ſpem, quæ conſurgit ex conſideratione miſericordiæ, remittentis peccata, & præmiantis bona: & hæc tollitur per deſperationem. De qua, vti & de præſumptione agetur infrà *T.* 7. *c.* 4 n. 5. & 15.

Item avertitur homo à peccato per timorem, qui conſurgit ex conſideratione divinæ iuſtitiæ puncientis peccata, & hic tollitur per præſumptionem, dum ſcilicet aliquis præſumit, ſe gloriam poſſe adipiſci ſine meritis, vel veniam ſine pœnitentia. Dona Dei, quibus retrahimur à peccato, ſunt duo, quorum unum eſt agnitio veritatis, contra quòd ponitur impugnatio veritatis agnitæ, dum ſcilicet aliquis veritatem agnitam fidei impugnat, vt licentiùs peccet. Aliud eſt auxilium interioris gratiæ, contra quòd ponitur invidentia fraternæ gratiæ, dum ſcilicet aliquis non ſolùm invidet perſonæ fratris, ſed etiam invidet gratiæ Dei creſcenti in mundo.

Ex parte peccati ſunt duo, quę hominem à peccato retrahere poſſunt. Quorum unum eſt inordinatio, & turpitudo actus, cuius conſideratio inducere ſolet in homine pœnitentiam de peccato commiſſo: & contra hoc ponitur impenitentia, non quidem eo modo, quo dicit permanentiam in peccato, vſque ad mortem, ſic enim non eſt ſpeciale peccatum, ſed peccati circumſtantia; ſed accipitur hic, ſecundùm quòd importat propoſitum non pœnitendi. Aliud eſt parvitas, & brevitas boni, quòd quis in peccato quærit, cuius conſideratio inducere ſolet hominem ad hoc, quòd eius voluntas in peccato non confirmetur. Et hoc tollitur per obſtinationem, quando ſcilicet homo firmat ſuum propoſitum in hoc, quòd peccato inhæreat. Ergo ſunt ſex, &c.

* 12 QUÆRO VI. Peccatum in Spiritum Sanctum eſtne remiſſibile? *Reſp.* cum S. Thoma loco cit. ar. 3. in c. Eſt remiſſibile. *Ratio* patebit in *T.* 13. de Pœnit. *c.* 2. *n.* 1. *vbi* probabitur, nullum eſſe peccatum tam grave, quòd per veram pœnitentiam remitti non poſsit.

Oppono: Matth. 12. dicitur: Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Et S. Auguſt. *lib.* 1. *de Ser. Dom. in monte*, c. 44. *ait*: Tanta eſt labes huius peccati, quòd humilitatem deprecandi ſubire non poteſt.

Ad hoc R. verbis S. Thom. *art.* 3. *cit.* Hoc peccatum dicitur irremiſſibile, non quòd non remittatur ſeriò pœnitenti, ſed quia, in quantum eſt de ſe, habet meritum, vt non remittatur: Sicut aliquis morbus dicitur incurabilis ſecundùm naturam morbi, per quam tollitur id, per quòd morbus poteſt curari, puta, cùm morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit faſtidium cibi, & medicinę, licèt talem morbum Deus poſsit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremiſſibile ſecundum ſuam naturam, in quantum excludit ea, per quæ fit remiſsio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi, & ſanandi omnipotentiæ, & miſericordię Dei, per quam aliquando tales miraculosè ſpiritualiter ſanantur. *Hæc S. D.*

Paulo aliter, & breviter dicitur, non eſſe remiſſibile, niſi ægrè adamodum, ſeu difficulter, quia tales peccatores rarò agunt ſinceram pœnitentiam, vt docet *S. D.* 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 1. *ad* 3. Subdens, dici etiam irremiſsibile, quiá pro tali peccato punitur aliquis, & in hoc ſæculo, & in futuro. Vide loco antè citato ex *T.* 13.

TRACTATUS VI.

De Legibus.

De Prima Secundæ à Quæst. 90. *usque ad* 109. *inclusivè.*

NON sine causâ Tractatui de peccatis subnectitur Tractatus de Legibus, cùm, teste Apostolo ad *Rom.* 6. peccati cognitio habeatur per legem. Qui iuxta *S. Augustinum* peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra Legem. De quo suprà actum est. Sit ergo.

EXAMEN I.

De Lege in communi.

De qua Angel. Doct. agit Quæst. 90. *per* 4. *art.*

* 1 QUÆRO I. Teneturne Confessarius habere notitiam Legum? *Respondeo affirm.* Ratio: Quia, vt suprà dictum est, Confessarius fingitur officio Doctoris, eiusque est, ad exemplum Christi, *facere*, & *docere*, vt pœnitentes ab eo discant declinare à malo, & facere bonum, quasi à facie colubri fugere peccatum, & currere in odorem vnguentorum virtutis. Idem est finis Legum, puta, prout à *Theologo* considerantur, non verò prout à *Iurisprudente*, qui politicam gubernationem, & communem Reip. pacem respicit. Leges hominem à vitijs avocant, avocat & Confessarius. Leges in foro conscientiæ ad internam sanctitatem informant, informat & Confessarius. Leges hominem ad vltimi finis supernaturalis (qui Deus est) consecutionem ducunt, ducit & Confessarius. Ergo.

* 2 QUÆRO. II. Quid est lex, & quotuplex? *Resp.* 1 Lex propriè sumpta bene definitur a S. Thoma hìc *q.* 90. *art.* 4. in *fine corp.* quòd sit *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*

Dixi, Lex *propriè*, seu strictè *sumpta*; si enim sumatur in ampla, & impropria significatione, per eam subinde intelligitur naturalis impulsus, vel inclinatio alicuius rei. Sic dicitur *lex fomitis*, id est, inclinatio eius, & concupiscentia adversus spiritum, seu rationem. Sic dici potest, *gravia* legem habere, vt tendant deorsum, *levia* sursum; vti & aquas, ne transeant fines suos. Idem est de inclinatione brutorum. In præsenti autem lex sumitur *propriè*, id est, in quantum est humanorum actuum mensura, & regula, dirigens eos in bonum commune, & finem vltimum, qui est æterna fœlicitas.

Explico singulas definitionis particulas. Dicitur 1. *ordinatio* Cuius particulæ sensus liquet ex immediatè dictis, quia *dirigere*, *regulare*, & *ordinare* in præsenti idem sunt. Dicitur 2. *Rationis*, id est, intellectus practici, non autem præcisè speculantis, nec purè iudicantis, consulentis, reguntis, &c. sed imperantis. Vndè est ordinatio obligatoria. Nam vt S. *D. art.* 1. *ad* 2. ait: Lex à ligando dicitur. Dicitur 3. *ad bonum commune*, quia *Regnum non est propter Regem, sed Rex propter Regnum*, ait Arist. 3. *Polit.* id est, propter communem Regni vtilitatem, non propter suam privatam, leges condit. et S. Basil. *hom.* 12. *in Psal.* ponit hanc differentiam inter *Regem* & *Tyrannum*, quòd prior communi, alter propriæ vtilitati studeat. Et S. Thom. *art.* 2. *in sed Cont.* citat Isidorum dicentem: Lex à nullo privato commodo, sed pro communi vtilitate civium conscripta. Et in *c.* ait: *Vltimus finis est humanæ vitæ fœlicitas, vel beatitudo, vndè oportet, quòd lex maximè respiciat ordinem, qui est in beatitudine.* Rursùs: *Cùm omnis pars ordinetur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum, vnus autem homo est pars communitatis perfectæ, necesse est, quòd lex propriè respiciat ordinem ad fœlicitatem communem.* Hæc S. D. loquens de fine intrinseco, seu operis, sive legis secundùm se, per accidens enim est, si Legislator legem (etiam iustam) à se positam, ad proprium interesse detorqueat. Dicitur 4. *ab eo, qui curam Communitatis habet.* Vbi per Communitatem intelligitur, v. g. *Regnum, Civitas, Ordo Religiosus, &c.* quæ sunt Communitates completæ, & perfectæ. Per eum verò, qui curam habet, intelligitur persona publica, habens potestatem iurisdictionis, & politicam. Vnde S. D. *art.* 3. ait: *Non cuiuslibet rationis est factiva legis.* Rationem dat: quia lex principaliter respicit bonum commune: ordinare autem in bonum commune, vel est totius multitudinis, vel alicuius eius vices gerentis. Ergo. Et *ad* 2. ait: Lex vt efficaciter ducat ad virtutem, debet habere vim coactivam: Sed hanc habet multitudo, vel persona publica, ad eam enim pertinet pœnas infligere. Ergo. Dicitur 5. *promulgata*, id est, publicè, seu per potestatem publicam iustimata. De quo *Q.* 3.

* 3 *Resp.* 2. Lex variè dividitur. 1. *Alia* est æterna, alia naturalis. De quibus *E. seq.* 2. *Alia* positiva, seu ab aliquo liberè posita, ni nitrum a Deo, vel homine, à cuius placito hæc lex pendet. Vnde dividitur in *divinam*, & *humanam*, Lex divina alia est *vetus*, alia *nova*, id est, Veteris, & Novi Testamenti. Lex humana dividitur in *Ecclesiasticam*, & *Civilem*. Prima est lata à Magistratu Ecclesiastico, vndè sunt Leges Canonicæ, seu Sacri Canones, sive ius Pontificium. Lex *Civilis* est lata à Magistratu Sæculari: vocatur Civilis, quia est pro bono civium posita. Tales sunt Leges Imperatoriæ, seu Ius Cæsareum, sive imperiale. Datur etiam Ius gentium. De quo infrà *T.* 8. *E.* 1. *n.* 5. Tandem leges aliæ sunt *mere penales*, aliæ merè *preceptivæ*, aliæ *mixtæ*. De quibus infrà *E.* 5. in hoc *T. n.* 21.

* 4 *Esto* Lex idem, quòd præceptum, vel in quo differunt? *Dico* Ecclesiastica, largè, seu ampla, ac vulgari acceptione, vel significatione interdum pro eodem sumuntur, propriè tamen idem non sunt, sed differunt. 1. *Lex per se primo*, & immediatè respicit bonum commune, & ponitur Communitati, vt patet ex eius definitione; *præceptum* verò non soli communitati, sed & singularibus personis potest præ-

teſt. 2. *Lex* tantùm ponitur ab habente curam Communitatis, provt etiam ex definitione patet; *præceptum* verò, velut actus poteſtatis gubernativæ poteſt poni à quovis Superiore, Domino, Patrefamilias, &c. Hinc regulariter apud Religioſos ſolùm Capitulum Generalem poteſt ferre leges, quilibet autem Prælatus, etiam inferior, poteſt præcipere, vt teſtatur praxis in Ordine noſtro Prædicatorio. 3. *Lex* ex natura ſua eſt perpetua, præceptum verò per ſe eſt temporale, & exſpirat exſpirante præcipiente, ſeù cum morte eius, ſive naturali, ſive civili, ſeù dum exſpirat eius officium, ſeù gubernium. Vndè præcepta noſtri P. Provincialis exſpirant exſpirante eius Officio, niſi per Capitulum, vel per ſucceſſorem confirmentur.

* 5 *Quomodò* intelligitur communis illa diviſio præcepti in *affirmativum*, & *negativum*? *Dico* 1. Vocatur præceptum *affirmativum*, quia affirmat, actum eſſe faciendum, eumquè præcipit, explicaturquè per ly *Facies*, vel *fac hoc*, v. g. Honora patrem, & matrem. Vocatur *negativum*, quia negat, ſeù prohibet actum fieri, & explicatur per ly *Non facies*, v. g. Non mœchaberis.

Dico 2. S. Thom. 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. *ad* 3. *& q.* 100. *art.* 10. *in c. & ad* 2. docèt differentiam inter hæc præcepta; quòd nimirum præcepta affirmativa obligent *ſemper*, ſed non ad *ſemper*; negativa verò obligent *utroquè modo*. Et 1. 2. *q.* 3. *art.* 2. *in c.* docèt quòd præcepta affirm. etſi ſemper obligent, non tamen ad ſemper; obligent autem pro loco, & tempore ſecundùm circunſtantias debitas, ſecundùm quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quòd ſit actus virtutis. Quòd ibi exemplificat in actu confeſſionis fidei. De quò infrà in *T. de fide.*

Rationem dat, ibid. *quæſt.* 33. *art.* 2. *in c.* Quia præcepta negativa legis prohibent actus peccatorum, qui ſunt ſecundùm ſe mali, nec vnquàm vllo modo, aliquò tempore, vel loco poſſunt benè fieri, quia ſecundùm ſe ſunt coniuncti malo fini. Ergo præcepta negativa obligant ſemper, & ad ſemper. Affirmativa verò ſunt de actibus virtutum, ad quos inducunt, qui non quolibet modo fieri debent, ſed obſervatis debitis circunſtantijs, quæ requiruntur ad hoc, vt ſit actus virtuoſus, vt nimirum fiat, vbi debet, & quando debet, & ſecundùm quòd debet. Ergo hæc præcepta non obligant pro *ſemper*, id eſt, pro omni tempore, ſed pro tempore debito, & congruo. Quòd ibi exemplificat in præcepto correctionis fraternæ. De quò vide in proprio loco.

Nota ex S. D. 2. 2. *quæſt.* 44. *art.* 3. *ad* 3. quòd omne præceptum *affirmativum* habeat annexum præceptum *negativum*, ſeù virtute includat illud, v. g. præceptum dilectionis Dei, ſcilicèt *diliges Dominum Deum tuum*, includit illud: *Non oderis Deum tuum.* Vndè 1. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 2. ait: Præcepta affirmativa diſtinguuntur à negativis, quando vnum non comprehenditur in alio, ſicut in honoratione parentum non includitur, quòd nullus homo occidatur, nec è converſo: & propter hoc dantur diverſa præcepta ſuper hoc. Sed quando affirmativum comprehenditur ſub negativo, vel è converſo, non dantur ſuper hoc diverſa præcepta. Sicut non datur aliud præceptum de hoc, quòd eſt, non *furtum facies*, & de hoc, quòd eſt, *conſervare rem alienam*, vel reſtituere eam. Et eadem ratione non ſunt diverſa præcepta de credendo in Deum, & de hoc, quòd non credatur in alienos Deos. Hæc ibi.

* *Quinam ſunt* actus legis? *Dico* ex S. Thom. *hic q.* 92. *art.* 2. Secundùm tres humanorum actuum (quos lex dirigit) differentias, tres etiam nominantur Legis actus. Imperat ſiquidem Lex actus *vi ſui vſus*; prohibet *vitioſos*, permittit *indifferentes*, & parùm bonos, vel parùm malos. Quartus autem Legis actus, qui eſt punire, ſecundùm hoc ſumitur, per quòd Lex ad obedientiam inducit, quòd eſt timor pœnæ.

Ex quò patet, quòd ſint quatuor actus Legis, ſcilicèt *præcipere*, *prohibere*, *permittere*, *punire*: non quòd omnes illi actus ſimul, & ſemper conveniant vni, & eidem Legi, ſed toti Legum collectioni. Et ab his actibus Leges denominantur, vt aliæ ſint *præceptiva*, aliæ *prohibitiva*, aliæ *permiſſiva*, aliæ *punales*. Leges permiſſivæ (quibus permittuntur minora mala ad evitanda maiora) potiſſimùm habent locum in humanis, & civilibus. Nam nec Lex æterna permittit vlla mala, vt docèt S. Aug. *lib.* 1. *de lib. arbitr. c.* 5. *& 6.* nec Lex naturæ, vtpotè quę eà punit per remorſum conſcientiæ, ſicut Lex diviua punit mala, vel in hac, vel in altera vita. Deus ergo dicitur permittere mala, quia non punit eà in hoc mundo, reſervans eorum pœnam pro altero. Vide T. 3. *E.* 3. *num.* 3. quòd aliqua ſis, & quid ſit ſpermiſsio poſitiva.

Solent opponi plures actus Legis. Verùm illi omnes reducuntur ad illos quatuor. Vt 1. *Tollere* pretia rerum, reducitur enim ad prohibere, prohibentur enim, ne cariùs merces vendantur. 2. *Irritare* contractus, niſi fiant ſub certis conditionibus, qui actus reducitur partim ad Legem præcipientem, in quantum præſcribit formam in contractibus ſervandam; partim ad prohibentem, quatenus prohibet aliter validè contrahi. 3. *Actus* præſcriptionis, & vſucapionis, quibus per leges transferuntur rerum dominia, illi enim reducuntur ad Legem præcipientem, in quantum præcipitur, quòd hic, & non ille ſit dominus rei. *Tandem* revocatio Legis; verum hæc propriè non ſpectat ad Legem, quia de ratione Legis propriè eſt inducere obligationem, hęc autem per revocationem tollitur. Ergo.

* 7 QUÆRO III. Quid eſt promulgatio Legis? Eſtne de eſſentia eius? Aut datne Legi virtutem obligandi? *Reſp.* 1. Promulgatio eſt authoritativa intimatio, ſeù publica, & ſolemnis propoſitio Legis ab habente authoritatem, facta per vocem præconis, vel publicam, & authenticam ſcripturam valvis affixam, vel Communitati præſectam.

Differt à divulgatione Legis, hæc enim fit per alterius, vel aliorum relationem, aut per ſimplicem, ſeù privatam notitiæ communicationem. Nunc ſi Lex aliqua iam eſſet concepta, ſcripta, à Legiſlatore ſubſcripta, nondum tamen ſolemniter promulgata, attamen tibi privata notitia conſtaret, eras eſſe publicandam, immò etſi ipſe interſuiſſes conſilio, nondum te obligat, vt dicetur. Porro quanta debeat eſſe promulgatio, dicetur infrà in hoc *T. 6. E. 5. num.* 8.

Secunda pars Quæſiti movetur propter duo Iuris Axiomata, ſpecieteus ſaltem ſibi contradicentia. Vnum eſt: *Leges priùs condantur, quàm promulgentur.* Alterum, à S. Thom. *art.* 4. in Sed Cont. citatum, eſt: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium comprobantur.* Pro deciſione.

Reſp. 2. ex S. Thom. *hic q.* 90. *art.* 4. Promulgatio, ſaltem aliqualis, eſt neceſſaria, vt Lex quæcumquè, naturalis, æterna, divina, humana, habeat virtutem in actu ſecundo obligandi: attamen

ante

ante cum est essentialiter Lex. *Ratio.* S. Thom. *ibid.* Lex imponitur subditis per modum Regulæ; & mensuræ: Sed Regula, & mensura actu non regulat, aut mensurat, nisi imponitur, seù applicetur regulandis, sive mensurandis; & ante actum secundum mensurationis in se est verè mensura. Ergo licèt lex ante applicationem sit verè lex, & obliget in actu primo, vt tamen habeat virtutem obligandi in actu secundo, oportet, quòd applicetur hominibus per eam regulandis: Sed hæc applicatio fit per hoc, quod in subditorum notitiam deducitur per promulgationem. Ergo.

* 9 *Resp.* 3. Ad præfata Iuris Axiomata concilianda, & rationem S. Thom. explicandam, benè dicitur, Legem ante promulgationem condi, & habere suam essentiam, ac rationem regulæ, ac mensuræ aptitudinalis, cum virtute obligandi in actu primo: sic vt verba definitionis non dicant actum, sed potentiam; sicut regula, & mensura ante actualem regulationem, & mensurationem verè habet essentiam, quæ consistit in posse mensurare. Dum autem leges promulgantur, instituuntur, & vim firmantur in hoc sensu, quòd nimirum accipiant rationem regulæ, ac mensuræ actualis cum virtute obligandi in actu secundo, & perfectionem, seù firmitatem accidentalem, ex vsu, qui facit, eam per non vsum, aut contrariam consuetudinem non posse enervari. Vel dici potest, quòd actualis promulgatio non sit quidem de essentia legis, sit tamen conditio necessario requisita, vt lex in actu secundo obliget.

* 10 *Oppono* 1. contra R. 2. Non apparet quomodò sit promulgata lex naturalis, an verbo, an scripto, maximè illis hominibus, qui viuunt in locis desertis. Idem oppono de Lege æterna Dei, quia nulla creatura fuit ab æterno, cui potuisset promulgari. *Oppono* 2. contra R. 2. Quòd ponitur in definitione rei, est de essentia eius: sed in definitione legis antè ex S. Thom. data expressè ponitur promulgatio per ly *promulgata*. Ergo.

Ad 1. Respondet S. D. *cit. art.* 4. *ad* 1. dicens: *Promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quòd Deus eam mentibus hominum inservit naturaliter cognoscendam*, seù impressit tabulæ humani cordis. Vndè Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui*, id est, legis tuæ, *Domine*. Super nos, inquit, id est, super omnes homines, etiam super illos Anthropophagos, in sylvis habitantes, nudè incedentes, humanis carnibus vescentes (vt suprà dictum) more pecorum cum quibuscunquè obvijs fœminis (& econtra) coeuntes. Hi enim lumini super se signato oculos claudunt, promulgationi legis naturæ non parent. Vbi.

Notanda sunt verba S. Thom. *quæst.* 14. *de Verit. art.* 11. *ad* 1. dicentis: Si quis in sylvis nutritus dictum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quòd ei vel Deus per internam inspirationem revelaret, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum mitteret, sicut misit Petrum ad Cornelium Centurionem *Act.* 19. Hæc S. D. Vide infra T. 7. E. 2. n. 3. Ad illud de lege æterna parebit R. *seq.*

Ad 2. *dist. mai.* Quòd ponitur, vt prædicatum constitutivum, *C. mai.* solum vt conditio necessario requisita, *N. mai.* Et sic *dist. min. N. conf.* Exemplum est: si definiam, obiectum voluntatis esse *bonum apprehensum*, apprehensio non est de essentia boni vel obiecti, sed est conditio intrinsecè necessario requisita. Ita etiam est de promulgatione legis.

EXAMEN II.

De Lege æterna, & naturali.

De prima agit. S. Thom. hic quæst. 93. *per sex art.*

De secunda quæst. 94. *pariter per sex art.*

* 1 QUÆRO I. Dubitasne de *an est*, seu de existentia legis æternæ, & naturalis? *Resp.* Non dubito, sed indubitatè suppono ex S. *Thom. hic q.* 91. *art.* 1. *& 2. Ratio.* S. D. de existentia legis æternæ est: Lex nihil aliud est, quàm dictamen rationis practicè in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam: Sed Deus est Princeps, gubernans totam communitatem huius Vniversi. Ergo in eo est aliqua lex, qua eam gubernat. Sed divina ratio nihil concipit in tempore, sed habet æternum conceptum, *Prov.* 8. Ergo illa lex est æterna.

De existentia legis naturalis sic ait: Cùm *Psalm* 4. dixisset: *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, quasi quibusdam quærentibus, quæ sunt iustitiæ opera? Subiungit: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Cui quæstioni respondens, ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit *bonum*, & quid *malum*, quòd pertinet ad legem naturalem, nihil aliud sit, quàm impressio divini luminis in nobis.

* 2 *Oppono*: Lex imponitur subditis, & debet esse promulgata: Sed ab æterno nemo fuit præter Deum. Ergo nemini ab æterno potuit lex poni, vel promulgari. Ergo non datur lex æterna. *Solutio patet* ex S. D. *q.* 91. *ar.* 1. *ad* 1. *sic dicente*: Ea, quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt, in quantum sunt ab ipso cognita, & præordinata, secundùm illud *Rom.* 4 *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Sic igitur æternus divinæ Legis conceptus habet rationem legis æternæ, secundùm quòd à Deo ordinatur ad gubernium rerum ab ipso præcognitarum. *Hæc ibi.* Et *ad* 2. *ait*: Promulgatio fit & verbo, & scripto, & vtroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis. Quia & Verbum divinum est æternum, & scriptura Libri vitæ est æterna. sed ex parte creaturæ audientis, aut inspicientis non potest esse promulgatio æterna. *Ita S. D.* Vnde *dist. min.* Nemo fuit vt physicè existens in propria ducationis mensura, *C.* vt à Deo cognitus, & præordinatus, vel etiam vt existens in mensura æternitatis, *N.* Addo, quòd, vt antè dictum, promulgatio solùm est conditio, vt lex in actu secundo obliget, & eius defectus non tollit, quin lex in se sit essentialiter lex, cum virtute obligandi in actu primo.

* 3 QUÆRO II. Quid est lex æterna? esne omni creaturæ rationali nota? & omnium aliarum legum causa? *Resp.* 1. Lex æterna est ratio divinæ sapientiæ, secundùm quòd est directiva omnium actionum, & motuum. Ita definit etiam S. *Thom. hic q.* 93. *a.* 1. *in corp. Not.* quòd lex æterna per rationem differat à Providentia, & Ideis divinis. Nam Lex æterna per se primò respicit bonum commune totius Vniversi, Providentia Dei verò bonum singulare cuiusvis creaturæ. Item: Lex in sua ratione dicit vim obligandi, non verò providentia. Idea

di

divinæ reſpiciunt reſ vt creabiles, ſeu earum entitates, Lex verò vt gubernandas, eorumque motus, & actiones, ac ordinem illarum in finem.

* 4 *Reſp.* 2. Lex æterna eſt omni creaturę rationali nota. *Ita S. Thomas quæſt.* 93. *art.* 2. *Declaratur* ex eodem: Dupliciter aliquid cognoſci poteſt: *Uno modo* in ſe ipſo, *alio modo* in ſuo effectu, in quo aliqua ſimilitudo eius invenitur. Sicut aliquis non videns Solem in ſua ſubſtantia, cognoſcit ipſum in ſua irradiatione, ſic Legem æternam, ſecundùm quòd in ſe ipſa eſt (qualiter eſt idem cum eſſentia divina) nullus cognoſcere poteſt, niſi ſolus Deus, & Beati Deum per eſſentiam videntes: tamen omnis creatura rationalis (pro ſua quævis capacitate) ipſam cognoſcit in effectu, ſeu ſecundùm aliquam eius irradiationem, vel maiorem, vel minorem, inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellectu conſpiciendo: omnis enim cognitio veritatis eſt quædam irradiatio, & participatio Legis æternę, quę eſt veritas incommutabilis. *Subſumo*: Sed omnes homines (etiam dum primò veniunt ad vſum rationis, de quo infrà *T.* 7. *E.* 2. n. 6.) aliqualiter ſaltem cognoſcunt veritatem, ad minùs quantùm ad communia principia Legis naturalis, *v. g. bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum.* Ergo omnes Legem æternam pro modulo ſuo agnoſcunt, ſaltem in actu exercito, ſi non in actu ſignato. Idem patet ex antè dictis ad *Oppoſ.* 1. n. 10.

* 5 *Reſp.* 3. Omnes aliæ Leges derivantur à Lege æterna. *Ita S. D. art.* 3. Cuius eſt hæc. *Ratio* 1. Lex æterna eſt Ratio divinę Sapientię, &c. vt ſuprà. *Subſumo*: Sed divina ſapientia *Prob.* 8. dicit: *Per me Reges regnant, & Legum Conditores iuſta decernunt.* Ergo. *Ratio* 2. Lex importat rationem quandam directivam actuum ad finem: Sed in omnibus moventibus ordinatis oportet, quòd virtus ſecundi moventis derivetur à virtute moventis primi, quia movens *ſecundùm* non movet, niſi in quantum movetur à *primo*, vt patet in Regentibus ſubordinatis: Lex autem æterna eſt Ratio gubernationis in ſupremo gubernante. Ergo omnes rationes gubernationis (quæ ſunt Leges) quæ ſunt in inferioribus gubernantibus, à Lege æterna derivantur.

* 6 QUÆRO III. Subduntur ne Legi æternę omnes creaturæ totius Univerſi, naturales, intenſatę, irrationales, rationales, &c. *Reſp.* affirm. cum *S. D. art.* 4. *&* 5. *&* 6. Senſus eſt: Quòd, ſi Lex ſumatur latè, & amplè (vt eſt ſolùm movens, & ordinans) omnes creaturæ ſubijciantur Legi æternæ. Unde S. D. art. 4. ait: *Quæcumque divinæ gubernationi ſubduntur, ſubijciuntur etiam Legi æternæ*: Sed omnes res, etiam inſenſatæ, ſubduntur divinæ gubernationi, vt patet: vnde *Prov.* 8. dicitur: *Legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Ergo & Legi æternę in dicto ſenſu. Si verò Lex æterna ſumatur propriè, & ſtrictè, vt eſt præcipiens, & obligans, materia ei ſubiecta ſunt ſoli actus humani, ſeu morales creaturæ rationalis.

Ratio: Tum quia ſola creatura rationalis eſt capax Legis in rigore ſumptę, vti & obedientiæ, ratione indifferentiæ libertatis: *tum etiam*, quia, vt ſuprà dictum eſt, omnes actus humani ſuam bonitatem, vel malitiam habent per ordinem conformitatis, vel difformitatis ad Legem Dei æternam, & alias ab ea deſcendentes: ſic vt illa ſit Regula ſaltem remota noſtrorum actuum. Ergo.

* 7 *Oppono* 1. Quòd Lege regitur, non eſt fortuitum, vel cauſale, nec inordinatum: Sed dantur cauſalia, fortuita, inordinata, vt monſtra, & peccata. Ergo non omnia ſubduntur Legi Dei. 2. *Videtur* dari homines exleges, quia Apoſtolus 1. Timoth. 1. & ad Gal. 5. ait: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Ergo.

Ad 1. *diſt. mai.* Non eſt cauſuale reſpectu eius, cuius lege regitur, *C. mai.* reſpectu alterius, *N.* Et ſic *diſt. min. N. conſ.* Quæ ergo ſunt cauſalia, ſolùm ſunt talia per ordinem ad cauſas ſecundas, & particulares, reſpectu Dei autem nihil eſt cauſuale. Unde monſtra, & defectus naturales, ſicut ſunt ex Dei providentia, ita & ſubſunt Legi æternæ. Peccata ſunt à Deo vt permittente, non vt cauſante, vel approbante.

Ad 2. *N. ant.* Verbum illud Apoſtoli (*ait S. D. ar.* 6. *ad* 1.) intelligitur, vt eſſe ſub lege intelligatur ille, qui nolens obligationem legis ſubditur quaſi cuidam ponderi. Unde Gloſſa ibidem dicit: Sub lege eſt, qui timore ſupplicij, quòd lex minatur, non amore iuſtitię à malo opere abſtinet; & hoc modo ſpirituales viri non ſunt ſub lege. Quia per charitatem, quàm Spiritus Sanctus cordibus eorum infundit, voluntariò id, quòd legis eſt, implent. *Ita S. Thom.* De quo plura vide infrà in hoc *T. E.* 5. n. 60.

* 8 QUÆRO IV. Quid eſt lex naturalis? eſtne mutabilis mutatione propriè dicta, aut diſpenſabilis? *Præmittendum*, quòd lex, vel ius naturæ aliud ſit merè *permiſſivum*, id eſt, nec præceptivum, nec prohibitivum. Aliud eſt *poſitivum*, ſeu poſitivè præcipiens, vel prohibens. Huius ſecundi generis ſunt præcepta Decalogi. Et de his eſt quæſtio. Primi generis verò mutabilia ſunt, qualia ſunt *v. g.* eſſe liberum, ſeu non eſſe mancipium, bona temporalia eſſe diviſa, vel communia. Hæc enim natura non præcipit, nec prohibet, ſed permittit. Unde bonorum diviſio, & ſervitus introducta eſt iure gentium, & eodem iure hæc ſunt mutabilia, qua tamen mutatione non facta lex naturæ dictat nullum in legitima poſſeſsione eſſe turbandum. Hoc præmiſſo.

Reſp. 1. Lex naturalis eſt dictamen quoddam rationis naturalis, à natura, ſeu ab Authore naturę inditum, dictans, quid bonum ſit, vel malum, quid agendum, quidve omittendum. *Declaratur breviter*: Dicitur *indictum ab Authore naturæ*, quia omnis lex debet eſſe lata ab alio, vt ſuperiore. Dicitur *dictamen*, pura, non merè oſtenſivum boni, & mali, ſed & præceptivum, habet enim ſe per modum imperij: *Fac hoc.*

* 9 *Oppono* 1. Definitio, quæ convenit alteri à definito, non eſt bona: Sed hæc definitio convenit alteri, nimirùm conſcientiæ. Ergo. 2. *Lex* naturalis ſæpè appellatur ipſum lumen naturale. Ergo non conſiſtit in actu. 3. *Si lex* naturalis eſt actus, ergo non manet, poſtquam actus tranſiit, ſed extinguitur cum illo.

Ad 1. *N. min.* Differentia eſt, quia lex naturalis eſt dictamen, & regula generalis, conſcientia verò eſt dictamen practicum in particulari. *Item* conſcientia eſt applicatio legis naturalis, ac divinæ, humanæque ad particularem operationem, ipſa verò eſt principium applicabile. *Ad* 2. *diſt. ant.* Lex naturalis cauſaliter ſumpta, *C.* formaliter, *N. ant.* & *conſ.* Quando ergo Lex naturæ vocatur habitus, ſumitur cauſa pro effectu, ſeu pro actu, quia cauſa eliciens illud dictamen practicum, ſeu imperium, eſt ſynereſis, quæ eſt habitus primorum principiorum moralium, ſeu practicorum, vti ſunt: *Omne bonum eſt faciendum. Omne malum eſt fugiendum. Quòd tibi non vis fieri, alter;*

tuj ne fecerit: Ratione cultus causæ, seu habitus dictamen illud manet virtualiter, licèt non formaliter. Ex his. *Ad* 3. patet distinctio. Pro quo vide de conscientia *T.* 2. *E.* 1. num. 10.

* 10 *Resp.* 2. ad *Q.* 4. Probabilior sententia cum *S. Thom. hic a.* 5. docet, quòd Lex naturalis non possit vlla potestate, etiam divina, mutari mutatione, vel dispensatione propriè dicta, bene tamen impropriè, seu ex parte materiæ. *Arg. prob. Not.* 1. *ex S. Thom. cit. n.* 3. Lex naturalis potest intelligi mutari dupliciter. Vno modo per hoc, quòd ei aliquid addatur, & sic nihil prohibet, Legem naturalem mutari, multi enim illi sunt superadditi ad humanam vitam vtilia, nimirum tam per legem divinam, quàm per humanam. Alio modo potest intelligi mutatio Legis naturalis per modum subtractionis, vt scilicet aliquid desinat esse de lege naturali, quòd antè erat de illa. Et de hoc secundo modo est difficultas. Pro quo.

Not. 2. mutationem (idem est de dispensatione) Legis dupliciter posse fieri. 1. *Formaliter*, & propriè, vt si obiectum Legis maneat in iisdem circumstantijs, in quibus terminabat intentionem Legislatoris, & tamen tollatur obligatio eius. 2. *Materialiter*, & impropriè, si nimirum Legis obiectum, materia, & circumstantiæ ita varientur, vt Legislatoris intentio consequenter & Legis obligatio ad illud non amplius se extendat.

Alij cum *Gonet* paulò aliter hoc explicant, dicentes, mutationem Legis propriè dictam esse, si ipsa mutetur in se, vt si exspiret finito tempore, v. g vno anno, quo præcisè est lata: vel si de iusta fiat iniusta; vel si à superiore abrogetur, aut per dispensationem ab eo restringatur. Mutationem Legis impropriè, vel largè sumptam dicunt esse, si fiat mutatio ex parte materiæ desinentis subiacere obligationi Legis. Quę mutatio maximè locum habet in ijs, quæ à libero humanæ voluntatis (quę mutabilis est) placito dependent, vt sunt vota, iuramenta, &c. His non latis.

Ratio 1. *p. est*: Quòd est per se, & intrinsecè bonum, non potest per vllam potestatem fieri malum; & econtra, quòd est intrinsecè malum, non potest vllatenus fieri bonum: Sed quod Lex naturę iubet, aut vetat, est per se, & intrinsecè bonum, vel malum. Ergo per nullam formalem mutationem, vel dispensationem potest se aliter habere. *Min prob.* Quę Lege naturæ prohibentur, vel imperantur, non ideò sunt mala, quia prohibentur; nec ideò bona, quia imperantur: sed prohibentur, vel imperantur, quia per se, & ex natura sua sunt *mala*, vel *bona*, ita vt bonitas, vel malitia actus non pendeat ab extrinseca volentate Dei, sed ex natura ipsius obiecti suis circumstantijs vestiti, vt patet in præceptis de *honorandis parentes*, de non *mentiendo*, non *fornicando*, &c. *Confirm.* Lex naturæ non est ad tempus lata, nec potest fieri iniusta, nec abrogari, seu aboleri per contrariam legem, consuetudinem, vel desuetudinem, & hoc ob rationem mox datam. Ergo. Vide infrà de dispensatione in hoc *T.* *E.* 5. *n.* 77.

Ratio 2. *p.* Materia Legis naturæ non semper eodem modo se habet, sed ob occurrentes interdum alias circumstantias variatur. Ergo etiam tunc sequitur, vt id, quòd antè erat de Lege naturæ, non amplius sit. *Arg.* declaratur ab exemplis, quæ hic ventilari solent. *Primum* est de Israelitis auferentibus bona Ægyptiorum, Exod. 12. *Secundum* de dispensatione Dei cum Abrahamo, vt interficeret, & immolaret filium suum Isaac, Gen. 22. Vbi Deus sua potestate mutavit materiam Legis, ideſt, bona Ægyptiorum donavit Israelitis, transferendo eorum dominium in illos. Item erat Dominus vitæ innocentis Isaaci. Ergo alteri poterat dare facultatem occidendi. *Tertium est*: Deus, & authoritate Dei, Papa potest mutare materiam iuramenti, ac voti (saltem simplicis) quæ est fundamentum obligationis: hæc enim materia est actus humanus, ac libus voluntatis nostræ, super quàm Papa habet potestatem. Ergo potest eam mutare, ac Legis obligationi subtrahere, obligatio quoquè tollitur subtracto fundamento. Sed hæc est materialis mutatio, ac impropria dispensatio Legis. Ergo. *Quartum*: Lex naturæ dictat, depositum, vel arma esse reddendi; si autem petantur in damnum tertij, per hanc circumstantiam mutatur materia Legis, & depositarius non tenetur reddere. Solet hic etiam adduci exemplum de Osea, cui Deus iussit, vt acciperet vxorem fornicariam, & de libello repudij; sed de primo vide supra de fornic. *T.* 3. *E.* 2. *num* 16. De secundo vide *T.* 16. *E.* 4. *n.* 7. *An hæc* materialis mutatio cadat in omnia Legis naturæ præcepta, patebit negativè ex dicendis posteà ad *Q.* 5.

Eadem materialis mutatio est in matrimonio clandestino. *Item* in Lege vsucapionis, quà non accipitur alienum, sed ob tranquillitate Reipublicæ, & ne dominia rerum sint incerta, supremus Magistratus dominium rei de vno transfert in alium. De quo infrà.

* 11 *Nomæ* Lex naturæ patitur interpretationem, vel Epikeiam? *Ante R. Nota*, quòd licèt *interpretatio*, & *Epikeia* in largo, & vulgari sensu accipiantur pro eodem, propriè tamen idem non sint: quia *interpretatio* est simplex declaratio Legis, ac verborum quibus lata est, quorum sensus non est omnino clarus. *Epikeia* verò iuxta Philosophum 5. Ethic. *c.* 10. propriè est *emendatio Legis, vbi deficit propter vniversale*. Nam cùm Lex sit vniversalis, Legislator autem non possit omnes casus prævidere, fit, vt in aliquò erret, & tunc contra verba Legis ex præsumpta voluntate Legislatoris vtimur *Epikeia*, eò quòd ille censeatur nolle in hoc casu obligare: & ita se explicaret, si adesset. Hoc notato.

Dico. Lex naturalis patitur quidem simplicem interpretationem, seu declarationem, non tamen propriè dictam *Epikeiam*. *Ratio.* Epikeia est emendatio legis, vbi deficit, &c. & interpretatur mentem Legislatoris, quando ab ipsomet non potest haberi. Sed Lex naturæ nequit emendari, nec deficere, ob rationem *n.* 10. *R.* 2. *pro* 1. *p. datam*. Et ratio naturalis, quæ est Legislatrix, etiam eam explicat, siqua declaratione indigeat, vt patebit exemplis mox dandis. Ergo.

Confirm. Non omnia Legis naturæ præcepta sunt æquè facilia intellectu, & nota, sed aliqua sunt declaranda, v. g Lex naturæ dictat, suum cuique *relinquendum*, non esse *occidendum*, secretum esse *servandum*, alienum esse *restituendum*, &c. & tamen ipsa ratio naturalis, quę has leges tulit, eas declarat, nimirum in extrema necessitate licere ab alio accipere necessaria vitę, licere occidere aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, secretum non esse servandum, si vergat in perniciem Reipublicæ, alienum non esse restituendum, si restitutio cedat in damnum tertij. Ergo.

* 12 QUÆRO V. Spectantne omnia Decalogi præcepta ad Legem naturæ, vt sint immutabilia, & dispensabilia? *Resp.* 1. *affirm. ad* 1. *partem Quæstit.* excepto tertio præcepto de sanctificatione Sabbathi,

præ-

præcisè quantum ad determinationem temporis. *Ratio*: Omnia, quæ in Decalogo præcipiuntur, vel prohibentur, ſunt intrinſecè *bona*, vel *mala*, vt patet in cultu Dei, honore parentum, furto, adulterio, &c. ſuntquè prohibita, quia *mala*; vel præcepta, quia *bona* Ergo.

De ſanctificatione Sabbathi vide *T. 10. E. 5. n. 63.* Hæc doctrina eſt contra aliquos Iuriſtas, ſentientes, prima principia practica per ſe nota eſſe tantùm de iure naturæ, concluſiones verò ex ijs deductas, nimirum præcepta Decalogi, eſſe de iure gentium. Quæ ſententia poteſt cum noſtra conciliari dicendo, ius gentium dupliciter accipi poſſe. 1. *Propriè*, ſtrictè, ac effectivè, id eſt, à Gentibus effectum, ſeù inſtitutum. 2. *Largè*, impropriè, ſeù ſubiectivè, id eſt, ab omnibus gentibus velut ſubiectis obſervatum. *Si* Iuriſtę loquuntur de Iure gentium in ſecunda acceptione (quia ſic idem eſt, quòd ius naturæ, iuxta illud Tullij: *In omni re omnium gentium conſenſus, Lex naturæ putanda eſt*) libenter teneo cum illis, non verò in prima ſignificatione.

Reſp. 2. Omnia Decalogi præcepta ſunt ſimpliciter indiſpenſabilia, nullo excepto. Ita S. D. *q.* 100. *art.* 8. *Declaratæ*, & probat hoc *dicens*: Sicut dictum eſt, tunc in præceptis debet fieri diſpenſatio, quando occurrit aliquis particularis caſus, in quò, ſi verbum Legis obſervaretur, contrariaretur intentioni Legiſlatoris: intentio autem cuiuſlibet Legiſlatoris ordinatur primò quidem, & principaliter ad bonum commune, ſecundò autem ad ordinem iuſtitiæ, & virtutis, ſecundùm quem bonum commune conſervatur, & ad ipſum pervenitur. Si quà ergo præcepta dentur, quę contineant ipſam conſervationem boni communis, vel ipſum ordinem iuſtitię, & virtutis, huiuſmodi præcepta continent intentionem Legiſlatoris, ideò indiſpenſabilia ſunt, puta, ſi poneretur hoc præceptum in aliqua Communitate, quòd nullus deſtrueret Rempublicam, nequè proderet Civitatem hoſtibus, ſive quòd nullus faceret aliquid iniuſtè, vel malè, huiuſmodi præcepta eſſent indiſpenſabilia. Sed ſi aliqua alia præcepta traderentur, ordinata ad iſta præcepta, quibus determinantur aliqui ſpeciales modi, in talibus præceptis diſpenſatio poſſet fieri, in quantum per omiſſionem huiuſmodi præceptorum in aliquibus caſibus non fieret præiudicium primis præceptis, quæ continent intentionem Legiſlatoris: puta, ſi ad conſervationem Reipublicæ ſtatueretur in aliqua Civitate, quòd de ſingulis vicis aliqui vigilarent ad cuſtodiam Civitatis obſeſſę, poſſet cum aliquibus diſpenſari propter aliquam maiorem vtilitatem. Præcepta autem Decalogi continent ipſam intentionem Legiſlatoris, ſcilicèt Dei; nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipſum ordinem ab bonum commune, & finale, quòd Deus eſt. Præcepta autem ſecundæ tabulæ continent ordinem iuſtitię inter homines obſervandæ, ſcilicèt, vt nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum, ſecundùm hanc enim rationem ſunt intelligenda præcepta Decalogi. Et ideò ſunt omninò indiſpenſabilia. Hæc S. D. iuxta ſenſum *in R. 2. ad Q. 4.* anteà traditum.

* 14 *Reſp.* 3. Aliqua Decalogi, ac Legis naturę præcepta nec materialiter poſſunt mutari, nec impropriè diſpenſari, ſed materia eorum abſolutè eſt invariabilis. *Ratio*: Quia quorundam materia habent eſſentialem conuenientiam, vel eſſentialem repugnantiam cum Lege æterna Dei, & ratione. Talia ſunt præcepta de colendo vno verò Deo, de non mentiendo, non blaſphemando, &c.

* 15 *Reſp.* 4. Præcepta non ſolùm primæ, ſed & ſecundæ tabulæ formaliter, & propriè ſunt indiſpenſabilia. *Ratio* eſt, quàm dat S. D. *citato art. 8. ad 2. dicens*: Sicut Apoſtolus dicit 1. *ad Timoth. 2.* Deus fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt, negaret autem ſe ipſum, ſi ordinem ſuæ iuſtitię auferret, cùm ipſe ſit ipſa ſua iuſtitia: & ideò in hoc Deus diſpenſare non poteſt, vt homini liceat non ordinatè ſe habere ad Deum, vel non ſubdi ordini iuſtitiæ eius, etiam in his, ſecundum quæ homines ad invicem ordinantur.

* 16 *Oppone* 1. Inter præcepta Decalogi eſt obſervatio Sabbati: Sed in eò fuit diſpenſatum, dicitur enim 1. Mach. 2. Et cogitaverunt in die illa dicentes: *Omnis homo quicunquè venerit ad nos in bello in die Sabbatorum, pugnemus adversùs eum.* Ergo. 2. *Præcepta* Decalogi non magis ſunt de iure naturæ, quàm ſit *monogamia*, ſeù vnitas vxoris: Sed in hac diſpenſavit Deus concedendo antiquis Patribus *polygamiam*, ſeù vxorum pluralitatem. Ergo & in illis poteſt.

Ad 1. S. D. *citato art. 8. ad 4.* ait: Illa excogitatio magis fuit interpretatio præcepti, quàm diſpenſatio. Non enim intelligitur violare Sabbathum, qui facit opus, quòd eſt neceſſarium ad ſalutem humanam, ſicut Dominus probat *Matth. 12.* Ita ibidem.

Ad 2. Reſpondet S. D. *in Supplem. q. 65. art. 2. ad 1. dicens*: Ius naturæ ſemper, & vbiquè, quantùm eſt de ſe, habet eandem potentiam, ſed per accidens propter aliquòd impedimentum quandoquè, & alicubi poteſt variari. Sicut Philoſophus *in 2. Ethic.* exemplum ponit de alijs rebus naturalibus Semper enim, & vbiquè dextra eſt melior, quàm ſiniſtra ſecundum naturam: ſed propter aliquòd accidens contingit aliquem eſſe *ambidextrum*, quia natura noſtra variabilis eſt. Et ſimiliter etiam eſt de naturali iuſto, vt ibid. Philoſophus dicit. Hæc ibi. Mutavit ergo Deus in diſpenſatione Polygamiæ materiam præcepti, dominium corporis ad vſum matrimonij dividendo ab vna in plures: quòd poterat tanquàm abſolutus humani corporis Dominus.

Not. ex Cornejo, quòd licèt ea, quæ pertinent ad primaria iuris naturæ præcepta, ſint prorſus invariabilia, adeò vt nullo prorſus tempore, nulloquè rei eventu variari poſſint, vel mutari, vti ſunt illa principia: Bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum: attamen inter illa, quæ pertinent ad ſecundaria Legis naturæ præcepta (qualia ſunt præcepta Decalogi, hæc enim ex prioribus tanquàm principijs, vt concluſiones per immediatam conſequentiam facillimè, etiam ſine Præceptore, deducuntur) quædam ſunt omninò immutabilia, vt præcepta primæ Tabulæ, præſertim de colendo vno verò Deo, & per ipſum non vanè iurando. Quædam verò poſſunt variari, vt ſunt aliqua, quæ cadunt ſub præceptis ſecundæ Tabulæ, ad proximum pertinentia, quorum materia variati poteſt variatis circunſtantijs. Cuius rei exempla patent ex anteà dictis, tum de reddendo depoſito, tum de ablatione rei alterius in extrema neceſſitate, & patet etiam in præcepto honorationis Parentum, quibus, ſi ſint proditores Patriæ, opera pietatis iuſtè denegantur. Et de Polygamia id ipſum immediatè ante hoc *Not.* oſtenſum eſt.

Ex his *R. 2. ad 2. Oppoſ. diſt. min.* diſpenſavit propriè *N.* impropriè, *C.* Quare autem in quibuſdam Decalogi præceptis, nec impropriè poſsit diſpenſari, patet ex dictis pro *R. 3.* Quoad præſens ſervit benè

benè explicatio Pauli Comitolo; Licèt enim præcepta tertiæ naturæ sint per se immutabilia, hoc est, talia, vt obiectio, hæc, & circunstantijs debitis mutatibus mutari nequeant, illis tamen aliquò modò mutatis possunt ipsa præcepta mutari. Et quia modò post adventum Christi cessat vigens necessitas primarij finis matrimonij (qui est multiplicatio filiorum ad cultum Dei) quæ necessitas vigebat tempore Legis Mosaicæ, & ante ipsam temporibus Abrahæ: ideò nunc est contra Legem naturæ habere plures vxores, tunc verò minimè: eratque solùm mutatio materiæ Legis moralis circunstantijs. De Polygamia vide plura infrà *T. 16. E. 1. n. 6.* Item quomodo Deus possit dispensare in Matrimonio rato, non consummato, illudque per professionem solemnem dissolvere, cùm tamen iure naturæ indissolubile sit. Vide in eodem *T. E. 4. n. 8.*

* 17 QUÆRO VI. Potestne dari invincibilis ignorantia Legis naturæ, & Decalogi in homine habente vsum rationis? Quid sit ignorantia invincibilis, vide *T. 3. E. 1. n. 2. Not.* Præcepta Legis naturæ ad tres classes posse reduci, sic, vt in prima classe sint illa vniversalissima non tam præcepta, quàm præceptorum omnium principia: *Bonum est faciendum. Malum est fugiendum. Quod tibi non vis fieri, &c.* In secundâ classe sunt, quæ ex his solo rationis naturalis lumine per facilem discursum deducuntur vti in Decalogo sunt, v. g. Præcepta Deum colendi, Parentes honorandi, non iurandi, non fornicandi, non mentiendi, &c. Et horum transgressio potest interdum vel ob aliquam circunstantiam præterità honesti finis, v. g. *mentiri* ad salvandam vitam, *furari* ad dandam eleemosynam, *occidere* agonizantem ne diu patiatur, & *pollucre* sanitatis gratia, &c. In tertia classe sunt alia, quæ ex primis nonnisi longo, & difficili discursu deducuntur, & ab ijs plurimum distant, vti sunt præcepta, quæ prohibent certos contractus, qui revera vsurarij, vel simoniaci sunt, sed tales evidenter non apparent, sed inter ipsos DD. controversia est, an tales sint. Hoc notato.

Resp. Probabilius est, quòd in homine adulto vsum rationis habente non possit dari ignorantia invincibilis, seu inculpabilis præceptorum primæ, aut secundæ classis, benè tamen tertiæ. Ita videtur colligi ex S. Thom. *a. 4. & 6.* Prima, & secunda Pars intelligitur, etsi transgressio vestiatur circunstantia finis secundum se honesti. *Ratio 1. p.* Quia ista principia sunt per se nota, non tantùm secundùm se, sed etiam quoad nos, seù sunt coniunctissima lumini naturali intellectus practici, sicut illa principia speculativa, v. g. *Totum est maius sua parte; quodlibet est, vel non est.* sunt coniunctissima intellectui speculativo. Ergo sicut hæc non possunt ignorari ab intellectu speculativo, ita nec illa inculpabiliter à practico.

Ratio 2. p. Præcepta secundæ classis licèt sint conclusiones ex primis deductæ, deducuntur tamen ex ijs cum summa facilitate, nemine exterius docente, seù vi solius rationis naturalis. Ergo non possunt invincibiliter ignorari, nisi pro brevi illa mora, seù tempore, quò illa deductio, seu discursus formatur (vt aliqui distinguunt) quæ distinctio parùm, vel nihil facit ad praxim.

Declaratur vlteriùs hęc 2. p. *Primò* ex S. *Thom. a. 4. & 6.* Admisso quòd dentur barbaræ, & incultæ Gentes, quædam præcepta secundæ classis, & Decalogi ignorantes, ibi persuadentes, quòd liceat occidere (vti apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, vt refert *S. Thom. a. 4.*) Item quòd liceat *furari*, *fornicari*, se *pollucre*, &c. hæc tamen ignorantia est vincibilis, & culpabilis. Ergo, *Prob. ant pro 2. p.* Illa ignorantia est culpabilis, & vincibilis, quæ oritur ex hominis culpa, non solùm originali sed & personali: Sed dicta ignorantia oritur ex propria culpa personali, nimirum ex pravis habitibus, consuetudine, pravis affectibus, concupiscentijs, & passionibus, quas aliqui voluntariè non reprimant, & sic illum inationi divinę, & Legis naturæ radijs culpabilem obicem ponunt, ex quo hæc ignoratia, licèt non directè & in se, bene tamen indirectè, & in sua causa (quę sunt dicti pravi affectus) est voluntaria.

Declaratur 2. & ostenditur, quòd non solùm non possit dari ignorantia invincibilis actuum Legi naturæ repugnantium, secundùm se, & absolutè sumptorum, sed etiam, vt aliqua honesti finis circunstantia vestitorum, vt explicatum est ante in *Not. ante R.* ostenditur, hanc ignorantiam esse vincibilem, quia facilè potest vinci per illud commune principium, quòd cuivis homini natura inservit: *Non sunt facienda mala, vt veniant bona.* Deinde loquendo de speciebus luxuriæ, *v. g.* mollitie, fornicatione, &c. ipse pudor à natura inditus dictat, à similibus esse abstinendum, præsertim inter Christianos, & in locis, vbi pueri timeratè educantur; dictat, inquam, etiam in illis locis, vbi fornicatio, & lupanaria impunè permittuntur. De quo suprà.

* 18 *Quid ergo faceres*, si ad tuum Confessionale veniret vnus simpliciota, rudis rusticus, saltem sub venialí se accusans de mille pollutionibus, vti, & de fornicationibus, quas non censuit esse mortales, ex eo, quia vidit meretricium impunè grassari? *Resp.* Quoad praxim curarem, vt repeteret omnes præcedentes confessiones in eo statu factas, difficile enim est iudicare, an in talibus ignorantia sit invincibilis. Hinc observent animarum Pastores, & Confessarij, Concionatores, Catechistæ, &c. quid, & quantum ex vi officij sui incumbit circa institutionem ovium suarum, præsertim in talibus, & similibus ignorantiæ casibus.

Declaratur 3. & specialiter ostenditur, non posse dari ignorantiam invincibilem huius præcepti: Quòd Deus sit colendus. Et quidem ex ante dictis, & ex illo Psal. 4. *Signatum est super nos*, &c. patet, Legem naturalem esse omnibus hominibus ingenitam, sed primum, & vniversale fundamentum Legis naturæ est hæc veritas: Extat Deus, & est colendus, vt supremus, & vnicus Iudex, malorum vindex, bonorum retributor: nemini enim non dictat natura, mala esse punienda, bona præmianda ab aliquo superiore, & cum non detur processus in infinitum, Natura tandem devenit ad vnum supremum. Et hoc apud gentes etiam incultas, & agrestes.

Hinc Atheistæ, quia divino Soli clarè splendenti oculos malitiosè claudunt, eum etiam in meridie non vident, non quia non possunt, sed quia nolunt: qui verberibus potius, quam verbis, igne magis, quam ratione sunt convincendi.

Ratio 3. p. Illi excusantur ab obseruantia Legis, quibus Lex non est sufficienter intimata, seu promulgata: Sed præcepta tertiæ classis (cùm à primis, vniversalissimis principijs plurimùm distent, & ex ijs nonnisi magno labore, ac discursu, cuius homines rudes, simplices, & ignari sunt incapaces, deducantur: & etiam inter ipsos *DD.* de ijs iurgia fiant) non sunt omnibus sufficienter intimata. Ergo in aliquibus

ſus hominibus poteſt dari invincibilis ignorantia eorum, etiam ad longum tempus, & fortè per totam vitam.

Huius tertiæ partis Oppoſitum tenuerunt aliqui antiqui cum noſtro *B. Alberto Magno*, quorum tamen ſententia poteſt cum noſtra conciliari, diſtinguendo inter leges, ſeu præcepta Iuris naturæ iuxta præfatas tres claſſes. *Ex dictis* infertur, poſſe à fortioti in quibuſdam hominibus dari ignorantiam invincibilem alicuius Legis divinæ poſitivę, *v. g.* de receptione Sacramentorum quorundam in tali, vel tali caſu.

EXAMEN III.

Et Speculum peccatorum ſuper Decalogum.

De quo tractat Angelicus Doctor infrà q. 100. per 122. art.

HOc Examen ſerviet *Confeſſori*, vt ſciat, pœnitentem, vbi neceſſe fuerit, examinare: ſerviet *pœnitenti*, vt ſciat pro paranda Confeſſione ſive particulari, ſive generali, conſcientiam ſuam diſcutere.

* 1 QUÆRO. Quis Legislator poſuit Legos, vel præcepta Decalogi? Quot, & quæ ſunt? ſcisne aſſignare modos peccandi contra illa? *Reſpondeo.* Legislatrix Decalogi eſt ipſa rationalis natura, ſeu Ratio naturalis, & Deus, vt Author naturæ. *Ratio* eſt eadem, quę data eſt pro *R. 1. ad Q. 5. E. 2. n. 12.* Præcepta Decalogi ſunt decem, ideò enim Decalogus vocatur. Quænam illa ſint, & quomodo contra ea peccetur, patebit ex dicendis.

Primum Decalogi Præceptum.

* 2 *Ergo ſum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me; nec facies tibi ſculptile, vt adores illud.* Hoc præcepto iubemur, Deum diligere, & colere, qui cultus maximè ſit per actus virtutum Theologicarum, quæ ſunt *Fides*, *Spes*, & *Charitas*; & per actus Religionis, quæ eſt virtus moralis, immò moralium præſtantiſsima.

Peccatur contra hoc Præceptum. Primò Deum ſuper omnia, & ex toto corde non amando, & res creatas inordinato amore proſequendo. 2. *Non* ſperando in Deum, vti fas eſt, diffidentiam admittendo circa eius bonitatem, deſperando, vel de eius miſericordia præſumendo. 3. *Deo* debitas gratias pro beneficijs non perſolvendo, mandata Dei violando, vel ſervando, ac peccata vitando ex timore non habente Deum pro motivo. 4. *In Dei* ſervitio, ac Sanctorum Patronorum veneratione, tepidum, inconſtantem, & acediosum ſe exhibendo, vel per exceſſum Sanctos, vel Deiparam, vti Deum adorando.

5. *Sacramenta* indignè, vel ſine debita præparatione ſuſcipiendo, negligendo, illudendo, ſpernendo. 6. *Beneficia* Eccleſiaſtica pro re temporali vendendo, emendo, procurando, confidentialiter tenendo: aut quovis alio modo Simoniam exercendo. 7. *Preces* cum culpabili diſtractione, ac irreverentia peragendo, res divinas, aut ſacras irreverenter tractando: in loco ſacro indevotè ſe habendo, obambulando, confabulando, ridendo, nugas tractando, &c. 8. *Adverſa* animo patienti non tolerando. In adverſis contra Deum murmurando, quaſi non ſit iuſtus, clemens, &c. blaſphemando. 9. *De dato* aliquo naturali, vel ſupernaturali ſuperbiendo, vel illud ſuis viribus attribuendo, de proprijs meritis præſumendo.

10. *Idolatriam* committendo, v. g. *Damonem*, *Solem*, *Lunam*, aliamve creaturam, vt Deum colendo, etiam ſolùm exteriùs. 11. *In rebus* fidei haſitando, dubitando, vel articulum Fidei omnino negando, etiam ex metu, aut ſolo opere externo. Præſumptuosè myſteria fidei ſcrutando, aut de ijs diſputando. 12. *Deum* tentando, à Deo, vel Sanctis miracula expetendo, aut volendo, vt miraculosè ſuccurrant, cùm tamen ſit alia iuvandi via. Item ſuperſtitione aliquà vtendo. 13. *Seipſum*, vel alium circumcidendo, aut alia cæremonia Iudaica, vel Mahometica Fidei noſtræ contraria vtendo, licèt interiùs eam deteſtetur. 14. *Vtendo* ope dæmonis, velut ſpiritus familiaris, qui admoneat, vel pandat, aut renunciet, quid ab alijs, vel alibi, v. g. in caſtris hoſtium agatur. Vel ſimilia permittendo, non puniendo, &c.

15. *In loco* (vbi veſtis, vel aliud ſignum eſt Notæ, cuius Religionis aliquis ſit) deferendo veſtem, quæ eſt ſignum *Iudæi*, vel *Saraceni*, *&c.* 16. *Falſas* reliquias pro veris colendas proponendo, vel fictas votivas imagines offerendo, vt alios ad idem alliciat, licèt devotionem per hoc augere intendat. 17. *Dæmones*, vel Magos conſilij, vel auxilij cauſa *corde*, *ore*, *opere*, vel *pacto*, invocando, aut adiurando. Necromantiam, vel aliquam artem Magicam diſcendo, vel diſcere volendo. Libros de hoc tractantes non comburendo. 18. *Ope dæmonis*, vel maleficiorum theſaurum inveſtigando, vel proximo damnum inferendo per aliquas invocationes tacitas, aut expreſſas, vel incantationes. Incantationem incantatione, maleficio maleficium diſſolvendo, vel alium, etiam ad id paratum, inducendo ad illud.

19. *Divinatores* interrogando ratione alicuius ſecreti, v. g. furti, vel tentando id cognoſcere *ſortibus*, *aleis*, *chartis*, *libro*, *cribro*, *aſtrolabio*, *&c.* Ad conſervanda, curanda, invenienda animalia vti incantationibus, vana obſervatione, verbis ſacris, aut profanis. Conſulendo Ægyptios, ſeù, vt vocant, *Cingaros* de ſua fortuna. 20. *Res ſacras*, v. g. Oleum ſacrum, aquam baptiſmalem, verba conſecrationis, aram, vel hoſtiam conſecratam, &c. ad maleficia adhibendo, vel ex malo fine, aut ſine rationabili cauſa geſtando. 21. *Ad ſanitatis* reſtitutionem adhibendo alicui media omnino diſparata, ſeù nulla ad id virtute pollentia, nullam cum effectu connexionem habentia, v. g. cingulo metiendo, vimen findendo, arborem aperiendo, ſuper certam herbam vtrinando, &c.

22. *Servando*, aut pingendo fictas Imagines Sanctorum, vel Deiparæ, aut tales, quæ Sanctis, Papæ, Eccleſiæ, vel eius Prælatis ſunt iniuriosæ. 23. *Ex ſomnijs* firmiter tenendo, hoc, vel illud eventurum, Theſaurum ſe inventurum, talem vxorem ducturum, ſe nunquàm fore interficiendum, vel propter hoc omittendo ſolita pietatis officia. 24. *Deferendo* certa ſigna, characteres, Brevia, vi quorum credit, ſe nunquàm in pugna vulnerandum, aut non ſuccubiturum, ſubita morte non moriturum, igne, vel aquâ ſe non periturum, &c. 25. *Religiosa*, etiam veras, geſtando cum quadam vana obſervantia, v. g. in vaſculo, quòd ſemit neceſſario debere eſſe trigonum, vel rotundum.

26. *Temendo*, grave malum ſibi imminere ex eò, quòd audiatur garritus avium, vlulatus luporum,

&c. vel quòd obviaverit ſibi aliqua vetula, vel mulier gravida. 27. *Credendo*, hominem ſub tali, vel tali ſidere natum cogi ad benè, vel malè agendum. *Obſervando*, diem Lunæ, v. g. meliorem eſſe pro exitu è domo, quàm diem Veneris Pedem ſiniſtrum neceſſario priùs calceandum eſſe quàm dextrum, vel eò poſt ſomnum priùs terram eſſe contingendam, vel econtra. 28. *Sumendo* prunas ignitas, candens ferrum, aquam ferventem, vel ignem intrando, ad probandam innocentiam. 29. *Non* conando ſcire eà, quæ ſcire, vel explicitè credere eſt de neceſſitate ſalutis. Vel filios, aut ſubditos ſuos ad ea diſcenda non compellendo, ſuperſtitioſa eos docendo, &c.

Hæc ſunt potiſſima peccata contra primum Decalogi præceptum, quæ tamen omnia non ſemper ſunt mortalia; de quantitate culpæ iudicare poterit Confeſſor, & plures peccandi modos inveniet, ſi conſuluerit proprium locum in hoc Tribunali, ſeù Opere morali, in quo de hac, vel illa re agitur, quærendo in Indice, v. g. de charitate, amore, fide, ſpe, odio, infidelitate, hæreſi, deſperatione, ſuperſtitione, ſacrilegio, tentatione Dei, ſimonia, maleficio, &c. Idem moneo circa eà, quę dicentur circa alia Decalogi Præcepta, vti & in Examine ſequenti de peccatis, vel peccandi modis plurium ſtatuum in particulari.

Secundum Decalogi Præceptum.

* 3 *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Hoc Præcepto prohibetur vanè iurare, blaſphemare, malè vovere, &c. *Peccatur contra hoc. Primò.* Malè iurando, nimirum ſine iudicio, neceſſitate, &c. vel ioco; aut benè iuratum malè adimplendo. Vel iurando, ſe malum facturum, aut bonum opus omiſſurum. *Peierando*, ſeù iurando id, quòd revera ſcitur eſſe falſum, vel ſaltem dubitatur de veritate. Vel iurando ex conſuetudine, ex levitate, &c. 3. *Alium* ad malè iurandum, vel peierandum inducendo, vel iurando per Deos falſos, aut per membra Dei, talia ei attribuendo, Deo, vel Sanctis malè precando. 4. *Blaſphemando*, ſeù iniurioſa verba in Deum, vel Sanctos effutiendo, perfectiones Dei Creaturę attribuendo. 5 *Nomine Dei*, & Sanctorum in profanis diſcurſibus abutendo.

6. *Malè vovendo*, vel votum malè implendo, vel ſupplendo ſine rationabili cauſa differendo; vel omnino omittendo, vel vovendo, aut iurando ſine animo implendi, aut ſe obligandi. 7. *Vovendo* ſub conditione, & faciendo ne conditio impleatur. 8. *In Religione* vota ſolemnia, vel vnum ex illis violando.

Tertium Decalogi Præceptum.

* 4 *Memento, vt diem Sabbathi ſanctifices.* Feſta ſanctificantur ceſſando ab opere ſervili, audiendo Miſſam, Deum orando, ieiunando, aliaque Eccleſiæ præcepta, ad hoc tertium reducta, obſervando.

Peccatur contra hoc. Primò. Faciendo, vel fieri mandando in die feſto opera ſervilia per duas, vel tres horas, vel vltra, ſubditos ſemel aut ſæpius ad ea adigendo. Feſtorum Vigilias, ſeu ieiunia violando 2. *Miſſam*, vel notabilem eius partem negligendo, ſub ea dormiendo, aut culpabiliter ſe diſtrahendo, etiam ſola cogitatione, garriendo, litteras, vel novellas legendo, oculis circumvagando, Concionem ex mera negligentia omittendo. 3. *Dies feſtos* in Popinis conſumendo, in ijs ludendo, cum ſcandalo vociferando præſertim ſub divino Officio.

4. *Horas* Canonicas (ſuppoſita obligatione) quotidie non recitando, ſed totaliter, vel notabilem partem omittendo, aut in evotè ſine in-vel attentione eas orando. 5. *Tempus* ab Eccleſia vetito nuptias celebrando. 6 *Annuam* Confeſsionem, & Paſchalem Communionem ommittendo. Vel faciendo eam ſacrilegè, nimirum cum peccato mortali, ſive affectu eius. 7. *Locum ſacrum*, v. g. Templum, vel Cæmiterium violando, aut polluendo, vetita ibi exercendo, furando, rapiendo, vel privari, aut indebita authoritate extrahendo eum, qui ad Eccleſię aſylum, ſeu immunitatem confugit.

Quartum Decalogi Præceptum.

* 5 *Honora Patrem, & Matrem, vt ſis longævus ſuper terram* Nomine patris, & Matris intelliguntur, non tantùm ij, qui nos genuerunt, ſed & illi, qui ſunt loco Parentum, vt Curatores, Tutores, Magiſtri, Domini reſpectu famulorum, Superiores, &c.

Peccatur contra hoc. Primò. Parentibus, vel ijs, qui vice eorum ſunt, ac ſuperioribus debitam reverentiam, & amorem non exhibendo. 2. *Iuſta* Superiorum mandata tranſgrediendo, præſertim ex contemptu. Contra eorum ordinationes murmurando; eos ſpernendo; eorum vitia iniuſtè propalando. 3. *Parentes*, vel conſanguineos pauperes deſpiciendo, non agnoſcendo, eis non ſubveniendo. 4. *Parentibus*, vel Superioribus mortem optando. Duris, aſperis, iniurioſis, irritorijs verbis eos excipiendo, vel indignis geſtibus aſpernando. 5. *Eos occidendo*, mutilando, percutiendo ex, vel ſine ira. Eorum œconomicam directionem turbando 6. *In neceſſitate*, etiam ſpirituali, eis non ſuccurrendo, præſertim defunctis per ſuffragia, & orationes. 7. *Parentibus* rationabiliter contradicentibus cum hac in individuo matrimonium contrahendo. 8. *Parentum* defunctorum debita, vel legata, cùm poſsis, & tenearis, non ſolvendo. 9. *Idem* proportionabiliter eſt de Parentibus erga filios, & de Dominis erga famulos, quoad curam, exemplum, correctionem, proviſionem, ſalarium. Vel ſi eos ad Statum Religioſum, vel matrimonialem cogant. Similiter idem eſt de coniugibus inter ſe, & erga ſe invicem.

Quintum Decalogi Præceptum.

* 6 *Non occides.* Prohibetur hoc præcepto occiſio proximi, tum ſpiritualis, quæ fit, eum ad mortem animæ, ſeu ad peccatum inducendo per ſcandalum; tum corporalis, directa, vel indirecta, per homicidium. Et ſimilia, quæ huc reducuntur, vti eſt læſio in fama, honore, &c.

Peccatur contra hoc. Primò. Super proximum cum nimia de ſe præſumptione, ambitione, vel vana gloria ſe efferendo. 2. *Eius* proſperitati ſive in corpore, ſive in bonis, honore, fama, &c. invidendo, eum à morte, aut periculo, cum poſsis, non liberando, in neceſsitate ei non ſuccurrendo. Odio, vindicta, ſuſpicione, vel temerario iudicio inſequendo. 3. *Proximum* lædendo verbis, inhoneſtis agnominibus, maledictionibus, imprecationibus, convitijs, irriſione, ſubſannatione, &c. 4. *Eundem* offendendo detractione, murmuratione, aſperis, ac mordacibus verbis. Vel conſilio, iuſſione, laudatione,

ne, &c. incitando adversarios contra ipsum, vel discordias seminando. 5. *Proximum* scandalizando, seu ei dando occasionem ruinæ spiritualis aliquo verbo, vel facto; Vel fraternam correctionem omittendo. 6. *Plus* æquo irascendo, corrigendo, percutiendo, vulnerando, mutilando, occidendo, per se, vel per alios. Damnum bonis fortunæ inferendo, inhonorando, &c. 7. *Domesticos suos*, eorumque correctionem negligendo, eis sustentationem debitam denegando. 8. *Immoderato* cibo, vel potu sibi ipsi, aut alteri damnum in sanitate inferendo, seu ipsum, vel alios inebriando, ad ebrietatem incitando, provocando, &c.

9. *Occisionis spiritualis*, vel corporalis periculo se, aut alium temerè exponendo, illud optando, se, vel alium mutilando, castrando, vel ad hoc cooperando. 10. *Militando* in bello iniusto. 11. *Noxia* comedendo, vel bibendo, vel altari ad sumendum dando. 12. *Ad abortum*, vel sterilitatem cooperando physicè, aut moraliter. 13. *Cum* periculo suffocationis, sive oppressionis iuxtà se ponendo in lecto tenellam prolem.

Sextum Decalogi Præceptum.

* 7 *Non mœchaberis.* Hoc præcepto vetantur omnes Luxuriæ species. Item Oscula, tactus, amplexus, & similia illicitâ amatoria.

Peccatur contra hoc. Primò. Cogitationes obscœnas voluntariè accersendo. Cum morosa delectatione iis inhærendo, complacentiam, vel consensum præbendo. Illis, ac motibus carnis ansam, & occasionem præbendo, eorum causas non impediendo. 2. *Turpia*, vel pudenda in se, vel alio aspiciendo. 3. *Verba* lasciva (idem est de cantinelis) proferendo cum delectatione, aut voluntate peccandi, aut alium ad peccatum inducendi. 4. *Opere* ipso contra castitatem peccando, in quacunque ex speciebus suprà adductis. 5. *Fidem* coniugij frangendo.

6. *Literis* amatorijs, osculis, amplexibus, impudicis aspectibus, tactibus, copula, mollitiæ, seu pollutione, aut alio vitio contra naturam. 7. *Similium* peccatorum periculo se exponendo. 8. *Meretrices* pro se, vel alijs detinendo, ijs domum locando, iuxta sensum superiùs explicatum. 9. *Alios*, vel alias ad similia recensita lasciva invitando, vel seducendo verbo, opere, exemplo, ornatu, &c. 10. *Id subditis* similia tolerando, non corrigendo. In similibus semper explicanda est species Luxuriæ.

Septimum Decalogi Præceptum.

* 8 *Non furtum facies.* Interdicitur hoc præcepto omnis iniusta ablatio, vel detentio rei alienæ domino iustè invito, damnificatio, fraus in quibuscunque contractibus, &c.

Peccatur contra hoc. Primò. Volendo iniustè ab alio aliquid accipere, retinere, vel quovis modo eum in bonis fortunæ damnificare, res eius destruendo, *v. g.* segetes conculcando, &c. 2. *Actu* iniustè auferendo, retinendo, & quantum; licèt fiat inter parentes, & filios, virum, & vxorem, famulum, & dominum 3 *Restitutionem* sub mortali debitam negligendo. 4 *In emptione*, vel venditione fraudem committendo.

5. *Injustos contractus* faciendo, vsuram, vel simoniam exercendo Idem est de immoderato, ac iniusto lusu sponsione, &c. 6. *Ad furtum*, rapinam, aut quamvis fraudem cooperando. 7. *Alium* in dominio, aut legitima possessione iniustè turbando. 8. *Promissum*, vel donatum non tradendo, vel donando quòd non est suum. Fidem in contractu datam non servando. 9. *Testamentum*, vti fas est, non exequendo, præsertim pia legata.

10. *Res* furtivam scienter emendo, aut de ea participando. 11. *Bona* incerta, & inventa non reddendo cui, & vbi oportet. 12. *Operarium* mercedem, monetam, mensuram, pondera, &c. falsificando. Idem est de quibusvis mercibus. 13. *Iusta* tributa, vectigalia, decimas, cambia, &c defraudando. 14. *Indignum*, vel minùs dignum (vbi dignior in conscientia erat eligendus) eligendo. Vel aliquem à consecutione Beneficij, Officij, aut Dignitatis iniustè impediendo. 15. *Ecclesiam*, Officium, Professuram, Advocatiam, vel Cathedram, cui quis præest, sua culpa servitio suo privando, vel negligenter administrando.

Octavum Decalogi Præceptum.

* 9 *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hoc præcepto vetantur maximè peccata linguæ, præsertim quæ fiunt in iudicio à iudice, reo, teste, Advocato. Reduci etiam huc possunt suspiciones, & temeraria iudicia, quibus homo intra semetipsum proximo dat falsum testimonium. Item calumnia, maledictio, derisio, &c.

Peccatur contra hoc. Primò. Temerariè suspicando, vel iudicando. Item calumniando, deridendo, maledicendo, susurrando, simulando, detrahendo, &c. 2. *Alteri falso* corde adulando; se iactando.

3. Mendacium iocosum, officiosum, vel perniciosum dicendo. 4. *Secretum* revelando. 5. *Falsum* testimonium dando, sive falsum dicendo, sive veritatem celando. 6. *Iniustè* iudicando, testificando accusando, veritatem contra Iuris ordinem negando, fallaciter advocando.

Nonum Præceptum.

* 10 *Non concupisces uxorem proximi tui.* Circa hoc nihil singulare occurrit, cùm reducatur ad sextum.

Decimum.

* 11 *Non concupisces rem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, non omnia, quæ illius sunt.* Reducitur ad septimum.

* 12 Hi sunt potissimi modi contra Decalogum peccandi; si qui desint, eos docebit praxis, vti & revisio cuiusvis materiæ, vel casus (quem in hoc examine obiter tetigi) in proprio loco huius Tribunalis, vt suprà iam monui. His confessor, vel pœnitens addere potest examen ex quinque præceptis Ecclesiæ, ex septem peccatis capitalibus, & peccatis in Spiritum Sanctum de quibus suprà: ex peccatis in Cœlum clamantibus: ex peccatis alienis, de quibus in Catechismo. Item plura incident, si discutiatur ipsius pœnitentis status, conditio, officium, iuxtà eà, quæ suggeruntur in sequenti

examine.

EXAMEN IV.

De peccatis, vel peccandi modis plurium Statuum in particulari.

* 1 QUÆRO. Scíne assignare talia peccata, vel peccandi modos? *Resp.* Scio, & assigno, prout sequuntur. Non quòd omnes peccandi modos assignare intendam, sed communiores. Si ergo pœnitenti se recolligenti occurant peccata hic non especificata, de illis se tenetur accusare.

Peccata Regum, & Principum terræ, aliorumque Dominorum temporalium.

* 2 Peccant *Primò*: Regiam aliamque temporalem potestatem, Dominationem, iurisdictionem usurpando, id est, iniustè tenendo. Provinciæ dominium, totum, vel ex parte, aut ius primogenituræ iniustè possidendo. 2. *Iniustè bellando*, alterni territoria invadendo, iniuste acquisita non restituendo. Vide peccata militis, & belli Ducis. 3. *Inter subditos* seditiones excitando, eos novis exactionibus, contributionibus, vectigalibus, personarum, aut iumentorum servitijs onerando. 4. *In propriam* privatam, non boni communis, vtilitatem novas leges pœnales, vel mulctas statuendo.

5. *Creditoribus* non satisfaciendo. Metu, vel precibus cogendo subditos ad dandas pecunias, vel ad se obligandos Creditoribus pro debitis pro boni communi non contractis. 6. *Ex vindicta* subditos ad militiam evocando, vel per milites opprimendo. 7. *Subditis* iustitiam non administrando, eorum, præsertim miserabilium personarum, pauperum, viduarum, pupillorum causas negligendo. 8. *Inauditum*, vel malè auditum condemnando. Iuribus Ecclesiæ præiudicando. 9. *Peccata* publica, & abusus cognitos, ac impedibiles in suis terris non impediendo, tollendo, prohibendo, & præsertim in sua Aula, ac Palatio, & maximè vetitos ludos, modum turpitudinem, superbiam, luxuriam, duella, vsuras, simonias, iniquos contractus, &c.

10. *Contra* voluntatem læsi lædenti condonando poenam. 11. *Non* congregando, vel reservando pecunias pro necessitatibus publicis, vt pro bello iusto, reparandis vijs, pontibus, &c. 12. *Quærendo* magis interesse privatum, præsertim ex bonis in sequestro depositis, vel oppignoratis, vel ex bonis Ecclesiæ, defunctorum, &c. 13. *Faciendo* prodigas, & profusas largitiones, quibus bonum commune graviter lædatur, communia onera notabiliter augentur, Rex, & Regnum in gravem indigentiam redigitur.

14. *Idem* est de ruina Regni ex nimio Principis ludo, & lusu, quò magnam pecuniæ summam perdit. 15. *Cum notabili* subditorum periculo, vel damno sylvas venatorias habendo, venationes exercendo, &c. 16. *Arces* contra hostes, & invasores non muniendo. Grassatorum, latronum, & aliorum, vias insecuras reddentium exterminationem negligendo. 17. *Officia* indebitè vendendo, indignis conferendo. Indignos pro Beneficijs præsentando. 18. *Subditos* ad matrimonium cogendo.

Hæc sunt communiora peccata Regum, & Principum. Si Princeps sit simul Episcopus, vel Prælatus Ecclesiasticus, examinet etiam se ex peccatis Episcoporum, & Clericorum.

Peccata Episcoporum.

* 3 Peccat *Primò* Episcopus Episcopatum desiderando ob solos redditus Ecclesiasticos, vt ob finem principalem; eademque ex causa pinguiorem appetendo. Vel ex mera ambitione, & principaliter ob propriam excellentiam, & honorem. Vel principaliter ob consanguineorum vtilitatem, & non propter commune bonum Ecclesiæ, qui est finis rectus. Vel obtinendo per simoniam, aut favorem humanum.

2. *Sine legitima* causa iniunctam Prælaturam recusando. 3. *Subditos* novis impositionibus, & litibus infestando; pauperum causis non fat invigilando. 4. *Vltimas* fidelium voluntates, seu legata illegitimè commutando. 5. *Gregem* personaliter deserendo, etiam metu periculi, cùm sua presentia sit ei necessaria, nec possit per alium æque bene suppleri. 6. *Non inquirendo* subditorum defectus, vt corrigantur, dum vel per famam, vel per alium legitimum modum ei innotescunt. Oves negligenter pascendo. Magistros ad docendum non instituendo. 7. *Actus* Episcopales, v. g. Ordinationem, Confirmationem, &c. committendo alteri non Episcopo. Vel statutis temporibus sine legitima causa eos omittendo, vel in mortali exercendo; vel simoniacè. 8. *Scienter* consecrando non Virgines, vt Virgines.

9. *Non* residendo absque causa rationabili. 10. *Non interessendo* divino Officio, Dominicis, ut dicous. 11. *Non* visitando Diœcesim, vel in visitatione de Ecclesiarum statu debitè non inquirendo, aut providendo. In eadem visitatione Ecclesijs, vel subditis nimios sumptus faciendo. 12. *Non* instituendo in Ecclesia Cathedrali Concionatores opere, & sermone potentes.

13. *Non celebrando* annuatim Synodum, in eaque Clericos non corrigendo, vbi correctio est necessaria. 14. *Non* providendo de idoneis Ministris, Vicario, Consiliarijs, Assessoribus, Notario, &c. 15. *Negligenter* exequendo testamenta, & pia legata, quorum executio ad Episcopum est devoluta. 16. *Nepotismum* fovendo, Consanguineos ditando ex redditibus Ecclesiæ, nec eos pro debito dispensando Ecclesiæ, pauperibus, fabricæ. In victu, & vestitu excedendo. Ex proventibus Ecclesiæ ad sui memoriam conservandam sumptuosa palatia ædificando.

17. *Exemptorum* privilegijs præiudicando. 18. *Infamiam* sibi impositam non remonstrando esse falsam. 19. *Clausuram* Monialium violando, aut violari permittendo: per seipsum ingrediendo, dum non potest: vel alijs ingrediendi licentiam dando. 20. *Negligenter* exequendo eà, quæ Episcopis incumbunt ex vi Concilij Trid. De quibus vide T. 15. E. 8. n. 8. & seq.

Hæc sunt potissima peccata Episcopi, qui sit simul Princeps terræ; examinet etiam se ex antè adductis peccatis Principum, vti, & peccatis Clericorum; Item (si Religiosus sit) Religiosorum. De quibus postea. Item examinet se ex peccatis contra Decalogum, quòd observandum est omnibus, quorum peccata adhuc scire desiderantur.

Per-

Peccata Iudicum.

* 4 Peccant *Primò* Iudices, iudicando iniustè, seù contra ius, sive humanum, sive divinum, non servando ordinem iuris, dilationes non necessarias concedendo, vel superfluas dando. 2. *Iudicando* temerariè, seù ex talibus probationibus, quæ ad iudicandum non sufficiunt. 3. *Exercendo* iudicium vsurpatum, seù iudicando personam, aut actum sibi non subditum; vel qui est alterius fori. 4. *Pœnam* rei injustè remittendo, vel commutando. 5. *Iustitiam*, præsertim petitam negando, negligendo, vel iniustè differendo. Non restituendo expensas, & damna ex tali dilatione, vel denegatione partibus illata. 6 *Iudicando* ex odio, ambitione, metu, mundano timore, &c. 7. *Acceptando* munera. 8. *Iudicando* in favorem consanguinitatis, affinitatis, amicitiæ, vel intuitu damni, aut commodi proprij.

9. *Interrogando eà*, ad quæ reus respondere non tenetur. 10. *Subornando* acculatorem, & testes Iudicando non acculatos. Reos torquendo sine sufficientibus indicijs. 11. *Exercendo* strepitus forenses in die festo, aut loco sacro absquè vlla necessitate. Non servando interdicta Ecclesiæ. 12. *Iudicando*, præsertim in re gravi, sine sufficiente scientia: vel suscipiendo hoc officium, cum sit ei impar. 13. *Appellationem*, quàm concedere debet, non concedendo: vel admittendo, dum eam admittere non debet. 14. *Exequendo* scienter sententiam Iudicis superioris nullam, invalidam, vel continentem errorem intolerabilem.

15. *Personis* miserabilibus, alijsquè indigentibus de Advocato non providendo, nec incarceratis de necessarijs vitæ. 16. *Contra* Legem, Superioris iussum, aut iustam Partis requisitionem in suo iudicio admittendo excommunicatum, etiam Actorem, Advocatum, vel Testem.

Peccata Advocatorum, & Procuratorum.

* 5 Peccant *Primò*, hoc munus suscipiendo, & agendo sine sufficiente scientia Causas susceptas, vel necessarium pro earum defensione studium negligendo. 2. *Scienter* defendendo causam iniustam. Vel suscipiendo tot causas, vt non possit omnibus satisfacere. 3. *Suscipiendo* indifferenter quamcunquè causam, eius merita, seù iustitiam aut iniustitiam non examinando. 4. *Prosequendo* defensionem causæ in ipso processu repertæ tanquàm iniustæ. Violando præstitum iuramentum. 5 *Clientem* non monendo de dubietate, vel periculo causæ, si deprehendat eam esse talem. Vel eundem, victoriæ reportandæ causa, instruendo ad mentiendum, fallendum, &c.

6. *Suprà* constitutum mercedem aliquid à Clientes exigendo. 7. *Ad extorquendas* pecunias fingendo maiores in processu causæ adhibitos esse labores. Acceptando munera. 8. *In prætium* Clientis secreta gravis momenti revelando parti adversæ. 9. *Non* restituendo Clienti damna, vel per negligentiam, sive per non necessarias expensas, vel aliter illata. 10. *Serviendo* vtriquè vicissim parti in eadem causa. 11. *Recusando* patrocinari causis miserabilium personarum aliunde Patronum non habentium, & ob hoc de causa periclitantium.

12. Testes subornando, Iudicem corrumpendo, nimias dilationes faciendo. 13 *Cognita* causæ iniustitia Clienti suadendo, vt faciat fœdus, seù compositionem cum adversario, & non compensando damna per hoc consilium parti adversæ illata. 14. *Pacisscendo* de aliquota parte causæ, si reportetur victoria Plura vide de Notarijs.

Peccata Notariorum, seù Tabellionum, ac Scribarum.

* 6 Peccant *Primò*, Ignorando Officij sui partes, & obligationem. 2. *Petendo*, vel iuramentum præstitum violando. Falsa instrumenta conficiendo, vera lacerando: aut eà conficiendo pro contractibus illicitis, v. g. vsurario, simoniaco, &c. 3 *In examine* testium plus, vel minus scribendo, quàm ipsi edixerunt, vel eos instigando, sive per se, sive per alium, vt dicant, quæ non sunt dicenda. 4. *Infideliter* Iudici referendo, quæ in examine dicta, vel gesta sunt, eà celando, obscurando, palliando, &c. 5. *Tribunalia* non frequentando cum alterius damno.

6. *Negligenter* se habendo in asservandis scripturis, & ex hoc causam dando multiplicationi litium. 7. *Scripturas* occultando, comburendo, lacerando, in alicuius favorem in eis aliquid immutando; vel etiam lucri causa. 8 *In libris* morosum, & difficilem se exhibendo, impeditum fingendo, vt pecunias à partibus emungeat. 9. *Pascisscendo* cum apparitoribus ad faciendas informationes, aut danda mandata, sine mandato Iudicis, aut partium requisitione. 10. *Subornando* delatorem criminis causa lucri ex multa, vel alios docendo similes lucrandi modos. 11 *Permittendo*, vt amanuenses mercedem exigant ab vna parte, quàm altera pars iam solvit. 12. *Scribendo* testamentum eius, qui non erat potens ad condendum. Committendo crimen falsi. 13. *Recusando* opem ferre pauperibus. Plura vide de Advocatis, & Procuratoribus.

Peccata Rei, seù accusati, & appellantis.

* 7 Peccat reus *Primò* negando veritatem, quando à legitimo Iudice servato iuris ordine interrogatur, toties quoties. 2. *A fortiori* peccat negando veritatem iuridicè probatam. 3. *Calumnie* se defendendo, fraude interrogationem eludendo. Ad se defendendum Acculatori, vel Iudici falsum crimen imponendo. 4. *Ministris Iustitiæ* post iustam condemnationem resistendo, eos mutilando, occidendo 5. *Custodes* carceris impugnando, donis corrumpendo, decipiendo, aut inducendo, vt connivèant sibi quoad fugam.

6. *Nulla* violentia illata sumendo potionem mortiferam, etiam post latam mortis sententiam. 7. *Membra* tormentorum, etiam gravissimorum, fatendo crimen non commissum, ob quòd mutilatione, vel morte punietur. 8. *Iniustè*, vel ex vindicta citando Iudicem, vel Accusatorem, ad Tribunal Dei. 9. *Iniustè* appellando ad Iudicem superiorem, nimirum in causa iustè damnationis.

Peccata Accusatoris, & Denunciatoris.

* 8 Peccat *Primò* accusando, qui non habet ius accusandi, sed ab accusando est prohibitus. 2. *Accusando* per calumniam, prævaricationem, vel tergiversationem, idest, falsum crimen ex malitia imponendo, vel etiam verum, sed occultum, nec probabile in iudicio; vel probatum per falsos testes. Inchoata

choata accusatione colludendo cum reo, fraudulenter crimen occultando, legitimas probationes non adducendo, falsas exceptiones acceptando. Vel à cœpta lite præter iuris ordinem desistendo, cùm tamen eam prosequi possit. 3. *Denuntiando*, vel accusando, non ex zelo iustitiæ, sed ex passione, odio, inimicitia. 4. *Non* accusando, vel denunciando, dum ad vnum ex his tenetur.

Peccata Testium.

* 9 Peccant *Primò* recusando dare testimonium, dum ad id authoritate Superioris secundùm ordinem iuris requiruntur. Vel iurando se nolle tunc testari. 2. *Testando* non ex zelo iustitiæ, sed pravo affectu, odio, &c. 3. *Testimonium* falsum dicendo, vel verum tacendo, vel simpliciter testando, dum de veritate dubitat; vel non revocando, dum reperit falsitatem. 4. *Testando* de re, quam solùm scit ex confessione, vel per iniuriam, vel sub secreto naturali: dum res illa, nec proximo, nec bono communi nocet. Vel detegendo, quòd detegere non debet. 5. *Testando* contra eos, contra quos non potest; vel dum est iure prohibitus testari. 6. *Se non offerendo*, vel se occultando, absentando, vel fingiendo impeditum, aut iure prohibitum, dum eius testimonium ad iustitiæ manutentionem est necessarium.

Peccata Apparitoris, Custodis Vinearum, aut Confinium, Telonarij.

* 10 Peccat *Primò* violando iuramentum, quòd præstitit de fidelitate in suo munere servanda. 2. *Sine* compensationis præmonendo eum (vt sibi caveat de quò capiendo habet mandatum. Non prodendo damnificantes. 3. *Quærendo*, vel capiendo aliquem, non ex zelo iustitiæ, sed vel causa lucri, vel ex passione, odio, &c. 4. *Pretextu* sui officij vexando, vel molestando innocentes. In lustratione domorum asperiùs agendo ad extorquendas pecunias, vel munuscula.

5. *Intuitu* munusculorum connivendo peccatis Tabernarium, aut aliorum. Expensas in hospitijs factas integrè non solvendo. Exigendo, vel accipiendo aliquid super taxatam diurnam mercedem. 6. *Plura* negotia eodem die expediendo, & ex hac causa pro singulis tantundem exigendo, quantum deberur pro expeditionibus plurium dierum. 7. *Permittendo* importari, & exportari vetitas merces, præsertim in confinibus Regnorum, Provinciarum, Civitatum, &c.

Hæc proportionabiliter applicari possunt Custodibus, Telonarijs, &c.

Peccata Militum.

* 11 Peccant *Primò* faciendo se adscribi militiæ, vt accipiant pecuniam, & postea aufugiant. Tempore necessitatis à militia se absentando, infirmitatem fingendo. 2. *Fraudibus* vtendo in accipiendo stipendio. 3. *Hospitium suum* vexando ad pecunias extorquendas. Contra Hospitis tractamentum iniustè conquerendo. Hospitium assignatum inuitu pecuniæ acceptæ deserendo, mutando, &c. 4. *Iniustas prædas faciendo*, vel Commilitoni auferendo. Damna iniustè illata non restituendo. Innocentes infestando, vel directè occidendo, mutilando, &c.

5. *Concubinas* pro se, aut alijs tenendo. 6. *Se inebriando*, illicitè lusu ludendo, in lusu fraudibus vtendo. 7. *Superstitionibus* vtendo, per eas se invulnerabiles faciendo. Blasphemando, iurando, Deum, vel Sanctos abnegando. 8. *Duellando*, ad duellum alios excitando, vel etiam solùm provocando, secundando, spectando, &c. 9. *Bellando* non ex zelo iustitiæ, sed ex iniusta vindicta, & odio, vtendo illicitis insidijs, vel stratagematibus. 10. *Resolvendo* se ad bellandum quocunque bello, sive iusto, sive iniusto. Vel bellando cum dubio practico de iustitia belli. 11. *Exercendo* torneamenta, ferarum agitationes, periculosa hastiludia, &c.

Peccata Belli Ducis.

* 12 Peccat *Primò* iniustum bellum inshoando, vel continuando. Bellando absque recta intentione, & modis, vel insidijs illicitis, & iniustis. 2. *Damna* non necessaria inferendo; & iniustè illata, sive propijs, sive alienis subditis, non compensando. Innocentes directè vexando, occidendo, &c. 3. *Iniustas* prædas faciendo, vel militibus facere permittendo. Sine necessitate bellando in die festo. 4. *Oblatas* iusta satisfactione à bello cœpto non desistendo. Infideles in auxilium vocando contra Christianos.

5. *Damna* ab hoste Ecclesijs, vel subditis suis illata sine eorum consensu absque necessitate remittendo. 6. *Fidem* publicam, etiam hosti datam non servando. Iuramentum violando. 7. *Repressalias* iniustas faciendo, vel concedendo. 8. *Dissimulando* in militibus crimina, quæ facilè posset emendare, & sic se faciendo participem alienorum peccatorum. 9. *Duella*, torneamenta, &c. permittendo. 10. *Militibus* stipendium subtrahendo, &c. Ultra hæc Belli Dux se examinet ex peccatis militum. Ex vtrisque examinare se possunt alij Officiales Belli.

Peccata Gubernatoris, Præfecti, Consulis, Consiliari, Senatoris, vel Scabini maioris, &c. respectivè.

* 13 Peccat *Primò* hunc Magistratum ambiendo, emendo, vel obtinendo sine sufficiente scientia, & peritia, vel per favores, & dona; non communis, sed privatæ vtilitatis gratia. 2. *Violando* iuramentum præstitum de fideli muneris sui administratione, Regni, vel Provinciæ Legum, privilegiorum, vel consuetudinum conservatione. 3. *Bona Reip. sibi*, vel suis amicis appropriando, vel leviori pretio emendo. Officia gratis conferenda vendendo, vel indignis dando. Consilia, vel iudicia negligendo. 4. *Non* invigilando Officialibus sibi subditis, vt iustitiam servent, sed eorum iniustitias dissimulando.

5. *Negotia* publica negligendo, privatis potiùs commodis inhiando. Factiones excitando, alios iniustè turbando, populum novis oneribus, seu exactionibus gravando. Ex depositо, vel pignore lucrum quærendo. 6. *Creditoribus* debita, Operarijs mercedem non solvendo; pauperum cautas negligendo, viduas, & pupillos opprimendo. Non dando pauperibus, quæ eis relicta sunt. 7. *Chirographa* creditorum Reip. vili pretio emendo, & sibi plenam, vel longè meliorem solutionem ex bonis Reip. faciendo. 8. *Non* providendo de annona, nec attendendo ad eius pretium, quo venditur, nec ad eius qualitatem, seu bonitatem, vel vitium, ac defectum.

9. *Non viſitando*, vel fideliter viſitari faciendo loca publica pro tali proviſione deputata, an adſit ſufficiens proviſio in carnibus, vino, frumento, pane, &c. Idem eſt de neceſſarijs bellicis, & Hoſpitalibus, ſive militum, ſive civitum. Idem eſt etiam de viſitatione carcerum, vt incarceratis denur neceſſaria. 10. *Incarcerando* iniuſtè, vel nimis ſeverè, ac inhumanè. Non invigilando vigilijs, & excubijs, an vbique rectè fiant. 11. *Permittendo latrones*, graſſatores, maleficos, vel alios infames, ac flagitioſos homines; vel alia crimina in tabernis. Permittendo publica peccata, v. g. Concubinariorum, circulatorum, præſtigiatorum; laſciva ſpectacula, ac Comœdias.

12. *Uſurpando* bona Eccleſiæ, aut præiudicando eius immunitati, ac libertati. 13. *Accipiendo* munera in favorem offerentium, vel propinquorum iniuſtè iudicando, votando, ſuffragando, eligendo, Secretum Reſp. non ſervando. 14. *Se*, vel ſuos propinquos à tributis, vectigalibus, vel militum hoſpitio iniuſtè eximendo: vel eis revelando diminutionem monetæ, vel taxæ frumenti, aut vini in conſilio concluſam, vt per hanc notitiam damnum evitent. Eadem notitia vtendo peccant etiam ipſi Conſiliarij, vendendo ſtatim currente adhuc maiore pretio plus frumenti, quàm alias erant vendituri. Plura vide ſuprà de peccatis Principis, Belli Ducis, Militis.

Peccata Magiſtrorum, ſive Doctorum, & Profeſſorum.

* 14 Peccant *Primò* Profeſſuram ambitioſè, vel ſine ſufficiente doctrina quærendo; & obtinendo per fraudes, pecunias, favores: vel dignioribus eam præripiendo. 2. *Tenendo*, vel legendo libros prohibitos ſine licentia. Oſtentationis gratia, vel arrogantes curioſa, vel prohibita tradendo, aut vtilia omittendo. 3. *Ad ſuam* ſcholam admittendo non admittendos, v. g. Sacerdotes, vel Religioſos ad medicinam; aut ius civile ſine debita licentia. 4. *Docendo*, vel defendendo ſententias falſas, periculoſas, ſcandaloſas, temerarias, &c.

5. *Lectionis* ſine rationabili cauſa omittendo Diſcipulorum profectum negligendo, ſuo malo exemplo eos ſcandalizando, ad malum inducendo. Se ſolùm laudando, cæteros Profeſſores contemnendo, eis detrahendo: modis illicitis eorum Diſcipulos ad ſe trahendo. 6. *Indignos* ad gradum admittendo, aliculius promotionem ad gradum malevolè impediendo. 7. *In Academia* diſſenſiones excitando, fovendo, &c. eius leges, ſtatuta, aut privilegia, vel ſuum iuramentum violando. 8. *Exigendo* pecuniam, ac ſtipendium ab Auditoribus, dum iam habent beneficium, vel ſtipendium publicum ob id muneris collatum.

Peccata Scholaſticorum, ſive Diſcipulorum.

* 15 Peccant *Primò* ſtudendo ob finem (præſertim mortaliter) malum. Ex cauſa iniuſta eligendo Magiſtrum minùs idoneum. 2. *Studendo* negligenter, vel doctrinis prohibitis. Condiſcipulos ad id ſeducendo. Vel eos vilipendendo. In Schola diſſenſiones excitando, fovendo, &c. Statut Academiæ violando. 3. *Promotiones* dignioribus præripiendo, præſertim fraude dolo, &c. aut gradum non obtentum ſibi arrogando. 4. *Pecunias*, ſtudiorum cauſa datas, malè dilapidando, per compotationes, luſus, meretrices, &c. 5. *Profeſſori* non obediendo, eum non honorando, inhonorando, irridendo, debitum ſalarium ei non ſolvendo. 6. *Contra* veritatem contendendo, ne victus videatur. 7. *Præceptori* familiaritatem vtendo.

Peccata Teſtatoris.

* 16 Peccat ille *Primò* Teſtamentum ſcienter nullum faciendo. Solemnitates fraudulenter omittendo. Vel illud condendo, cùm non poſſit, ſed iurè ſit prohibitus. 2. *Legitimos* hæredes, præſertim neceſſarios; & egentes, excludendo; vel legitimam denegando, aut minuendo, aut extraneum in hæredem inſtituendo. 3. *Sine iuſta* cauſa vni proli plus quàm alteri reliquendo. 4. *Exheredando*, vel hæreditatem filijs, ſive nepotibus minuendo, ideò quia amplectuntur ſtatum Religioſum. 5. *Teſtamentum*, vel legatum mutando, aut in alium transferendo ex vindicta, odio, aliove pravo affectu; ſive ob alterius blanditias. 6. *Non iubendo* in teſtamento, vt ſolvantur debita, & reſtituantur aliena. Non intendendo per teſtamentum Dei honorem, & animæ ſuæ ſalutem.

Peccata Teſtamentarij, ſeu Executoris teſtamenti, hæredis, legatarij.

* 17 Peccat *Primò* executionem committendo alteri contra voluntatem Teſtatoris. Exequendo illud contra tenorem teſtamenti. 2. *Executionem*, præſertim quoad cauſas pias longo tempore differendo, & ſine iuſta cauſa; & per hoc legatarijs faciendo expenſas, ac inferendo damna, eaque non reſarciendo. 3. *Prius* exequendo donationes gratuitas defuncti, quàm ſolvendo debita, cum Creditorum damno, vel periculo.

4. *Hæres* peccat quærendo, vel accipiendo ex hæreditate id, quòd ſibi non debetur, quocunque modo hæredibus præiudicando, non implendo voràs realia defuncti; non ſolvendo eius debita, vel damna ab eo alijs illata. 5. *Legatarius* peccat, legata pia debito tempore, & modo non ſolvendo. Non impleto pacto, vel conditione, quam Legator poſuit, legatum retinendo, & non tradendo alteri, quem Legator nominavit; ſuppoſito, quòd ſit conditio à iure non reiecta. Hæredi applicari poſſunt, quæ ſunt dicta de Teſtamentario: Legatari autem, quæ de vtroque.

Peccata Tutoris, Curatoris, & Hoſpitalarij.

* 18 Peccat *Primò* non conſervando, nec defendendo, bona ſui pupilli, vel minoris. Sine neceſſitate illa alienando, ea deteriorando. Actionem, vel ius eius culpabiliter perdendo. 2. *Res mobiles* (quæ ſi aſſerventur, nullam vtilitatem pariunt) non vendendo, & pretium in rem fructiferam non convertendo. 3. *Non* reſtituendo damna per hanc negligentiam illata. Negligendo inſtructionem Pupilli in bonis moribus. 4. *Cum* venderentur ſub auctione aliqua Pupillorum bona, ante aliorum emptorum adventum, faciendo accelerari ipſam auctionem, vt res ſibi minore pretio maneret, quàm alioquin

venderetur. 5. *Pupillis*, aut viduis non providendo de neceſſarijs. Hæc proportionatè poſſunt applicari Hoſpitalario.

Peccata Mercatorum.

* 19 Peccant *Primò* faciendo iniuſta cambia. Utendo vſura palliata, aut varijs huius pallij modis. 2. *Sine* licentia Papæ ferrum, vel arma portando ad infideles. 3. *Illicitè* retendo monopolia. Conveniendo cum alijs, ne aliqua vendant, niſi pretio tanto, vel aliàs pretium iniquum exigendo. 4. *Mutuando* propter vtilitatem pretio æſtimabilem, ex vi mutui accipiendam. 5. *Vectigalia*, & gabellas iuſtas fraudando. Falſam; vel diminutam monetam ſcienter dando pro bona.

6. *In ſocietate* cum alijs fideliter non agendo, ſed occulta lucra retinendo. 7. *Utendo* doloſis menſuris, ponderibus, &c. In mercantia vtendo periurijs, mendacijs, &c. Scienter emendo res furtivas. 8. *Sine neceſſitate* dictus feſtis negotiando, ſeu mercando, præſertim notabili tempore. 9. *Agendo* mediatorem malorum contractuum. 10. *Vendendo* talia, quibus homines communiter malè vtuntur, quibus etiam præſumunt ementem malè vlurum, v. g. venenum, larvas, &c. 11. *Vendendo* merces vitiatas, non declarato vitio.

12. *Merces* cariùs vendo illis, qui earum valorem non noſcunt. 13. *Merces* alicui venditas ſtatim ab eodem iterùm emendo longè viliori prætio. Vel venditas merces, antequam è domo efferantur, deteriorando, materiam corruptam admiſcendo, &c. 14 *Triticum* ponendo in loco humido, vt ſic turgeſcens plures impleat modios. 15. *Ordinario* prætio alteri vendendo Capitale, cuius debitorem occultè ſcit non eſſe ſolvendo; & faciendo vt ei mutuetur pecunias, vt ipſe accipiat ſolutionem. 16. *Non reſtituendo* damna in his, & ſimilibus caſibus illata.

Peccata Opificum, & Artificum.

* 20 Peccant *Primò* infideliter agendo in executione ſui operis, alios fallendo, gravando, vnam rem pro alia tradendo, decipiendo in ſubſtantia, quantitate, qualitate rei traditæ. 2. *Alijs artis ſuæ* Magiſtris invidendo, detrahendo, &c. 3. *Mentiendo*, iurando, peierando, aliquid ad certum diem promittendo, & ex culpa promiſſis non ſtando. 4. *Opificium* ſuum iniuſto pretio vendendo. 5. *Pro ſuo* opere plus materiæ requirendo, quòd aliunde ex data materia ſuperfluum eſt. 6. *Novos modos*, vel formas ad malum finem excogitando, vel irrationabilem propter hoc mercedem exigendo. 7. *Tyrones*, qui pro ſua inſtructione dant pecuniam, non bonè inſtruendo; vel in alijs præter artem occupando.

Cauponum Peccata.

* 21 Peccant *Primò* detinendo in ſua, vel vicina domo meretrices in gratiam hoſpitum adventantium, ob quòd ſunt in continuo peccato mortali. 2. *Vinum* vendendo ei, quem ſciunt certò inebriandum. 3. *In die prohibito* apponendo cibos illi, quem ſcit peccare comedendo illos. 4. *Vendendo vinum* (idem eſt de frumento) propter diſpoſitionem, quàm habet ad corruptionem, non diù in ſua bonitate permanſurum; ſi vendens ſciat, vel dubiter illud diù aſſervari non poſſe, & non manifeſtet hoc vitium. 5. *Vendendo vinum* aqua mixtum pretio puri vini, vel mixtum vino longè viliori, vel per artem deductum ad generoſitatem vini Hiſpanici. Vel ſi ſit muſtum ex pyris expreſſum, vel ſimiles fraudes adhibendo. 6. *Non* reſtituendo damna per hoc illata. 7. *Se*, vel alios inebriando, ad hauſtus æquales provocando.

Peccata Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ.

* 22 Peccant Medicus, & Chirurgus, *Primò* præſumendo mederi periculoſo morbo ſine ſufficiente ſtudio, ſcientia peritia, approbatione, vel non cognita qualitate morbi: vel eà cognita negligenter ſe habendo in curâ, non ſtudendo, nec aliorum conſilia capiendo, infirmum rarò, vel nunquàm viſitando: præſertim ex pravo affectu, odio, &c. 2. *Medicinas* periculoſas, dubias, &c. applicando. Ratione maioris lucri morbos protrahendo. 3. *Medicinas* ſuprà conſuetum pretium taxando, & in hoc cum Pharmacopolis colludendo. Iniuſtum ſtipendium exigendo.

4. *In favorem* Pharmacopolarum ſuperfluas Medicinas præſcribendo. 5. *Infirmi* mortem per quaſdam Medicinas accelerando. Cùm notabili vitæ eius periculo periculoſam experientiam faciendo, Medicinas probando, &c. 6. *Conſulendo* aliquid infirmo in præiudicium ſalutis æternæ, v. g. pollutionem. 7. *Vendendo*, præſcribendo, vel dando pharmacum ad faciendum abortum, vel ad impediendam conceptionem fœtus. 8. *Non* maturè monendo ægrum in morbo periculoſo, vt ſibi prouideat de medicinis ſpiritualibus, ſeù animæ, nimirum ſacramentis: præſertim non apertè dicendo mortem eſſe vicinam, cùm ſit, & eſſe ſciat. 9. *Aliorum* Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum famæ detrahendo, eorum curas, aut medicinas contemnendo. 10. *Cum malè* habentibus ſine ſufficiente cauſa in ſcrupulo Eccleſiaſtico diſpenſando, vel potiùs eos diſpenſatos declarando. 11. *Pauperi* alium Medicum, vel Chirurgum non habenti, ſuccurrere recuſando.

Hæc proportionabiliter applicari poſſunt Pharmacopolæ, qui vltra hæc peccat: *In medicinarum* confectione omittendo aliquid eorum, quæ Medicus præſcripſit. *Item non dicendo* quòd tales, vel tales ſpecies non habeat. Ponendo vnum pro alio, v. g. mel pro ſaccharo. Pharmaca vitiata, corrupta, &c. *Vel alienis* mixta vendendo pro puris, & incorruptis. *Venenoſa dando*, vel vendendo eis, quos ſcit, vel præſumit, aut dubitat eis malè vſuros. *In venditione aromatum* vendo iniuſtis menſuris, vel ponderibus, vel aliàs malè menſurando. *Vendendo* pretio irrationabili. *Subornando Medicos*, vt faciant taxam maiorem, quàm par eſt.

Peccata Parentum erga Filios.

* 23 Peccant *Primò*, notabiliter minuendo legitimam filiorum per liberales donationes, vel proles ſine legitima cauſa exheredando. 2. *Non conſulendo* ſaluti ſpirituali eorum per media vitæ ſpirituali neceſſaria, eos non inſtruendo, nec inſtrui faciendo in rudimentis fidei, in modo orandi, crucem formandi, ſacramenta recipiendi. Non adſtringendo eos ad Miſſam, Concionem, Catecheſim, Scholam, &c. 3. *Non removendo* filios ab occaſionibus peccandi, connivendo eorum vitijs, amatorijs illecebris, impuris amoribus, luſibus, compotationibus, rixis, duellis, &c.

4. *Permittendo* filiam sponsam vacare impudicis tactibus cum sponso, vel econtra. 5. *Prolem* absque necessitate exponendo. 6. *Prolem* tenellam tecum nocte ad lectum ponendo, & sic periculo oppressionis exponendo in somno. 7. *Filium*, vel filiam ad matrimonium, vel statum religiosum cogendo. Illis dando malum exemplum per ebrietatem, luxuriam, blasphemias, mendacia, rixas, & contentiones, &c. 8. *Prolibus* (etiam spurijs) alimenta, ac vitæ necessaria non suppeditando. Nimis crudeliter castigando.

Peccata filiorum, puerorum, servorum, & vicissim Dominorum.

* 24 Peccant *Primò* se præbendo inobedientes, aut molestos *Patri*, *Matri*, *Magistro*, *Præceptoribus*, animarum Curatoribus, eos percutiendo, inhonorando, vel non honorando. Alijs detrahendo. 2. *Vota* non implendo; mendaciter, irrationabiliter, aut cum dubio de veritate iurando, nomen diaboli frequenter proferendo. 3. *Furando*, gulæ serviendo, & ludo, pecunias inutiliter impendendo, dilapidando lusibus, aut meretricio, vel compotationibus. 4. *Turpia* cantando, loquendo, &c. tixando, duellando, alios irridendo. Tempus otiosè transigendo. Missam, Lectiones, seu scholas, ac confessionem omittendo. Plura vide de peccatis scholasticorum.

Hæc proportionatè applicari possunt. 1. *Pueris*, qui tamen (præsertim puellæ) non facilè, nisi à longè, de carnalibus sunt examinandi, ne adhuc incorrupti discant. 2. *Servis*, qui vltra hæc peccant infideliter serviendo, bona Domini destruendo, dilapidando, non meliorando, vel augendo, vbi possunt, & tenentur, eà perire, vel deterioriari permittendo, secreta domestica externis propalando, pigritando, murmurando, Dominis obloquendo, &c.

Econtra Domini peccant negligendo procurare eà, quæ spectant ad salutem spiritualem servorum, vel etiam corporalem, præsertim in gravi infirmitate. Sine iusta causa eos impediendo ab audienda Missa, Concione, &c. cogendo eos laborare in die festo. Non puniendo, vel corrigendo eorum vitia, præsertim in re lubrica cum ancillis. Non dando necessarium victum. Defraudando mercedem. Eos asperè tractando, percutiendo, &c. contumelijs afficiendo, præsertim vocando nominibus indignis, à quibus aures bonorum abhorrent, vti sunt, canis, diabole, &c. Eos immodicis laboribus gravando, &c.

Peccata Coniugum, Viduarum, Sponsorum.

* 25 Peccant Coniuges *Primò* matrimonium scienter contrahendo cum impedimento dirimente, vel impediente: Item, sic consummando. Vel etiam cum dubio impedimento. 2. *Contrahendo* cum hæretico, vel hæretica. Vel in peccato mortali, aut excommunicatione. 3. *Copula carnali* vtendo præcisè vel spretis gratia, vel modo, aut situ ad generationem non congruo, vel tempore menstrui, aut dum vxor est gravida, cum periculo abortus, vel gravis damni. Excedendo limites verecundiæ in blanditijs carnalibus. 4. *Iniustè*, & sine rationabili causa negando debitum. 5. *Actum* coniugalem exercendo in loco Sacro, vel tali, vbi ab alijs videri potest. Item autè benedictionem sponsæ. 6. *Petendo* dum petens non habet ius petendi debitum, vt si habeat votum simplex castitatis; vel si illud exigat, dum ratione adulterij est eò iure privatus.

7. *Consortem verbis*, vel factis exacerbando, percutiendo, cum eà contendendo, in zelotypia vivendo. 8. *Domus*, seù rei domesticæ Curam, sive œconomiam negligendo. Bona coniugis dissipando, alienando, malè insumendo, externis largiendo, &c. 9. *Vxor peccat*, suprà maritum se extollendo. Maritus peccat vxoris insolentiam, & peccantis licentiam non coercendo. 10. *Peccant* coniuges non cohabitando, sed se propria authoritate separando.

11. Vidua peccat sensualiter, & carnaliter se delectando de copula carnali habita vt præsente. 12. *Sponsi* peccant, fictè sibi promittendo matrimonium, vel nuptias fraudulenter protrahendo. Item carnaliter se erga se invicem delectando, tactus impudicos faciendo. Opere ipso inter se, vel cum alio, aut alia peccando.

Peccata Clericorum, Sacerdotum, Beneficiatorum, Canonicorum, Parochorum, Confessariorum, Concionatorum.

* 26 Peccant *Primò* Beneficium, Canonicatum, Parochiam, Catedram, obtinendo simoniacè. 2. *Simoniacè*, vel ab Episcopo simoniaco recipiendo Ordinem, vel ante legitimam ætatem, aut in peccato mortali, in excomunicatione, irregularitate, suspensione, sine dimissorijs. Exercendo Ordinem in censura, vel peccato mortali. Simoniam committendo in sacramentis. 3. *Non* frequentando Chorum, seu divina, dum vrget obligatio. Non deferendo tonsuram, & habitum Clericalem. Sine sacris vestibus actus Ordinum exercendo, vel Sacramenta ministrando.

4. *Exercendo* officia sæcularia, vt Advocari in foro civili, Procuratoris, Medici, Mercatoris, Hystrionis, &c. ludos, choreas, venationes faciendo, larvas portando, arma sine necessitate portando, causæ sanguinis se immiscendo. 5. *Horas Canonicas* omittendo; pro ijs, dum tenetur, non restituendo; sub eis voluntariè se distrahendo, aut opera manualia exercendo sub eisdem eas non integrè pronuntiando. Debitam in & attentionem non servando. Ordinem horarum sine iusta causa immutando. Eas plus æquo differendo. Matutinum (dum commodè potest) Missæ non præmittendo.

6. *In Sacramentis* (maximè in Baptismo puerorum) debitam intentionem, materiam, formam, & ritum non servando, vel non intelligendo. 7. *Sine dispensatione* celebrando bis in die, vel non ieiunè, vel in mortali sciemer non præmittendo confessionem, dum fuit copia Confessarij, vel celebrando tempore, & loco inconvenienti, sive in altari fracto, corporali, aut calice immundo, vino acetoso, pane corrupto, nimis festinanter, sine debitis cæremonijs, intentione, attentione, reverentia, devotione, potiùs lucri causa, post pollutionem mortalem. Vel ad superstitiones, maleficia, ad alterius mortem. Non celebrando saltem in maioribus festis per annum. Effundendo aliquid ex calice, &c.

8. *Sine* legitima causa, & dispensatione tenendo plura Beneficia, vel Canonicatus. 9. *Pro* pluribus stipendijs dicendo solùm vnicam Missam. 10. *Paramenta*, & vasa Ecclesiæ, vel altaris, sacrariuma,

baptisterium, &c. in immunditia, seu sordibus relinquendo. 11. *Suspectum* personam domi tenendo. Vivendo in concubinatu præsertim notorio, meretricio, ebrietate, seditionibus, aliarumve fœminarum familiaritatibus; præsertim cum scandalo.

12. *Reditus* Ecclesiasticos non bene dispensando pauperibus, aut fabricæ Ecclesiæ, aut alijs pijs causis, sed potiùs suis consanguineis, eos ditando; vel proventus illos luxui vestium aut conviviorum, &c. insumendo. 13. *Parochi* peccant curam animarum obtinendo, dum sunt incapaces, & indigni, vel eam negligenter administrando, ita vt Parochianus aliquis moriatur sine Sacramentis. Item peccant infirmos non visitando, non consolando non hortando ad recipienda Sacramenta, ad condendum testamentum, &c.

14. *Recusando Parochianorum*, legitimè petentium Confessiones audire, Conciones sine iusta causa, vel Catechesin, ac Christianæ doctrinę explicationem omittendo. De modo ritè confitendi, communicandi, Missam attentè audiendi, ac obligatione ad ista non instruendo. Pro Parochianis Missam non applicando. 15. *Negligendo* crebram renovationem Eucharistiæ, seu Monstrantiæ, Ciborij; vti & suo tempore sacri Olei, ac Chrismatis. Idem est de lumine ante SS. Vener.

16. *Non* residendo in sua Parochia, vel locò Canonicatus, sive Beneficij. Oves deserendo, etiam tempore contagionis, seù pestis, sive personaliter, sive quoad servitia. 17. *Confessarius* peccat, cum incapacitate hoc munus suscipiendo, vel confessiones audiendo tantùm lucri temporalis gratia, aut sine legitima facultate. 18. *Sigillum frangendo*. Pœnitentem intra, vel extra confessionale ad mallum sollicitando. Non examinando, vel instruendo, vbi est necesse. Vel indiscretis interrogationibus eum docendo mala, quę non scivit. 19. *Confessiones* audiendo perfunctoriè nimis properanter, non attendendo ad singula peccata; eorum gravitatem non discutiendo, nec pœnitenti exaggerando. 20. *Pœnitentiam*, vel indiscretam, seù nimis gravem, vel nimis modicam iniungendo. Non curando, vt debitas medicinas præscribat, præsertim recidivis.

21. *Indifferenter* quoscunquè, & à quibuscunquè peccatis absolvendo, non considerando, an possit necne, an sint reservata, &c. Vel absolvendo, quos oportebat sine absolutione dimittere. 22. *In dubijs* non consulendo doctiores, seù libros. Errorem, vel defectum in absolutione commissum non emendando, dum emendari potest. 23. *Absolvendo* eos, qui sunt in occasione proxima peccati mortalis, vel quos scit certò sibi mentiri, vel non monendo de nullitate confessionis nuper factę, dum advertit eam fuisse invalidam, licèt sit alteri facta. 24. *Non* monendo pœnitentem de restitutione, absolvendo nolentem restituere, dum tenetur, & potest. Absolvendo conditionaliter, v. g. sub conditione restitutionis, vel non relapsus. 25. *Concionator peccat* prędicando sine facultate, & licentia sive Episcopi, sive Superioris sui. In Concionibus mentiendo; alijs, maximè Prælatis, detrahendo; curiosa, vaniloquia, ridicula miscendo; magis intendendo suam vanam gloriam, & ostentationem, aut lucrum temporale, quam Dei honorem, & animarum salutem; Item prædicando falsa miracula, aut falsas, aut indiscretas indulgentias, vel simoniacè, &c.

Peccata Religiosorum, & Monialium, ac eorundem Prælatorum.

* 27 Peccant *Primò* Religiosi, & Moniales ingrediendo Religionem simoniacè; non habendo rectam intentionem, sed solùm ad fugiendos labores; ad acquirendum victum, & amictum. 2. *Examinatoribus* autè ingressum, vel instante Professione, veritatem non dicendo, tacendo impedimenta, vt infirmitates, debita, ligamen coniugij, vel alterius Professionis, votum Ordinis arctioris, servitutem, &c. 3. *Alios* per mendacia, aut austeritates tacendo ad ingressum inducendo, vel à meliore Religione avertendo. 4. *In visitatione* Prælato non revelando, quæ revelanda sunt.

5. *Principaliores* Ordinis cæremonias ignorando, vel omittendo. Tempus otiosè, vel inutilibus, aut mundanis occupationibus transigendo. 6. *Habitum* temerè dimittendo, aut vestem sibi convenientem cum tonsura non portando. 7. *Clausuram* violando, sive per egressum, sive per ingressum, aut aliorum, vel aliarum introductionem. 8 *Castitatem*, Paupertatem, Obedientiam, Officium, Regulam, Statuta, &c. non observando, transgrediendo, ex consuetudine, contemptu, &c. 9. *Malè eligendo*, nimirum magis ex passione, & ob privatum commodum, quàm ex zelo iustitiæ, ac boni communis. Votum sine iusta causa denegando in receptione ad Ordinem.

10. *Sacramenta*, Confessiones, Communionem, preces, vel horas omittendo. Quòd & Moniales concernit. Pro Benefactoribus non orando. 11. *Inordinatum* affectum gerendo erga res temporales, erga consanguineos, affines, quoscunquè alios. Pacem turbando, impatientiam, dissolutionem, murmura exercendo. 12. *Sine licentia* ab vno Ordine ad alium transeundo. 13. *Faciendo* se consecrari in Virginem cùm non sit.

* 28 Prælati, & Prælatæ Regularium peccant *Primò* Religiosæ disciplinæ observantiam non solùm in se, sed & in subditis negligendo, eis quoad Chori frequentationem, ieiuniorum, Regulæ, statutorum observationem, & in similibus bono exemplo non prælucendo, eis nimiùm indulgendo in potu, *cibo, somno, otio, vagationibus, recreationibus*, externis (præsertim cum alterò sexu) conversationibus, familiaritatibus, &c. non tollendo abusus, & vanitates in vestibus, tonsura, &c.

2. *Nimias* quibusdam concedendo exemptiones à Chori, & communis mensę sequela. Contra paupertatem quoad pecunias, sive recipiendas sive expendendas nimiùm indulgendo. Quà in re etiam ipsi subditi se examinent. *Item* non curando, vt Chorus persolvatur devotè cum debitis pausis, & cæremonijs, ac consueta oratione mentali. 3. *Subditis* de victu, & amictu non providendo. Bona Monasterij dilapidando per lusus, convivia, munera, donationes, &c. Eà fine Superiorum licentia, & Capituli consensu alienando, diruendo, permutando in rè gravi. 4. *Absolvendo* à casibus Papalibus, à quibus non potest. 5. *Non attendendo*, vt iuniores Religiosi, in ijs, quæ Ordinis sunt, debitè probentur, & instruantur. Capitula non celebrando. Malos non puniendo, bonos non præmiando, indignos officijs præficiendos, dignos amovendo. 6. *Infirmorum* curam non gerendo in medicinis sive corporalibus, sive spiritualibus. Suffragia mortuorum, Monstrantiæ,

ut Ciborij crebriorem renovationem *, Lampadem ante Venerabile negligendo. 7. *In Electionibus* factiones, seù discordiam fovendo.

Plura plurium variæ conditionis hominum peccata deprehendes in hoc Opere, vt eligentium, divinantium, augurum, planetarlorum. Locantium domos, vel pecunias, Conductorum, Captivorum, nutrientium columbas, Venatorum, Piscatorum, Cædentium ligna, pascentium pecora. Depositariorum, fœminarum, hæreticorum, &c. Hæc facilè invenies in Indice Operis quærendo quemlibet terminum iuxta Alphabetum.

EXAMEN V.

De Lege humana.

De qua Angelicus Doctor agit 1. 2. *quæst.* 95. & 96. & 97.

* 1 QUÆRO I. Cuius est condere leges humanas, sive Ecclesiasticas, sive civiles? *Respondeo* 1. Papa habet potestatem legislativam pro tota Ecclesia, immediatè à Christo collatam Petro, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quibus verbis Petrus (idem est de Successoribus) iure divino, vtpote immediatè à Christo fuit factus Christi Vicarius in terris. Ergo accepit suprematn Iurisdictionem, & potestatem gubernativam, quæ nequit esse sine Legislativa.

* 2 *Resp.* 2. Episcopi, alijque Prælati habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem, habent potestatem condendi leges pro suis Diœcesibus, ac subditis datam à Christo solùm mediatè. *Ratio.* Quia sunt Rectores solùm alicuius Ecclesiæ particularis, non verò vniversalis.

* 3 *Resp.* 3. Papa habet quidem potestatem condendi leges civiles pro statu, seu Dominio Ecclesiastico, id est, pro terris, ac Regnis, quæ sunt Patrimonium S. Petri, & à Principibus Ecclesiæ donata: extra verò illa circa alias provincias directè civiliter disponere nequit. *Ratio.* Papa in suis terris non solùm gerit se vt Princeps Ecclesiasticus, sed vt simul Sæcularis, & Politicus: extra verò solùm vt Ecclesiasticus vtitur potestate clavium.

Dixi *directè*. Quia potestas indirecta civiliter disponendi circa alia imperia, & Reges, non debet Papæ denegari, in quantum subordinatur fini salutis animarum, quem Papa directè respicit: in quibusdam autem casibus ei aliter consulare nequit. Hinc Sedes Apostolica sæpè regna de vno in alterum transtulit, pro bono communi Ecclesiæ, & ipsius Regni. Item Leges illas civiles, quæ illegitimis prolibus alimenta denegant, & præscriptionem cum mala fide permiserunt, correxit, & abrogavit.

* 4 *Resp.* 4. Imperator habet potestatem condendi leges civiles pro solo, & toto Imperio Romano. Quilibet Princeps, aut Respublica suprematn habens Iurisdictionem vt Venetæ, &c. habet eam pro solo, & toto suo Regno, Principatu, seu terris; sic vt extra non ligent, nisi etiam alibi acceptentur: & speciali alterius Provinciæ Constitutione roborentur. *Ratio* patet ex ipso supremi Principis, ac iurisdictionis charactere

* 5 *Oppono* 1. Quivis homo ex natura sua nascitur liber, & non vt alteri subiectus. Ergo vnus homo alteri nequit ponere leges. 2. *Videtur* sufficere Lex naturalis, & divina positiva. Ergo.

Ad 1. *dist. cons.* In statu naturæ integræ, id est, si perseverâsset status innocentiæ, in quo erat Adam ante lapsum, & in quo nulla erat rebellio carnis contra spiritum, aut spiritus, seu rationis contra Deum, *C. cons.* In statu naturæ corruptæ, *subdist.* Non data, vel translata adhuc ex communi consensu populi in alterum potestate, *C.* secùs; *N. conseq. Ad* 2. *N. ant.* Quia Lex naturalis, & positiva divina multa in moribus humanis reliquit indeterminata. Ergo prò vlteriori morum disciplina necesse erat, ea determinari per Leges humanas: velut per radios, & rivulos à Lege Dei æterna, & naturali derivatos.

* 6 QUÆRO II. Fœmina estne capax iurisdictionis spiritualis, seu Ecclesiasticæ? *Resp.* Probabilior est sententia negans, decisa in c. *novas*, 10. *de pœnit. & remiss.* vbi sic legitur: Nova quædam nostris sunt auribus intimata, quòd Abbatissæ moniales proprias benedicant, ipsarumque quoque confessiones in criminalibus audiunt, & legentes Evangelium præsumunt publicè prædicare. Cùm igitur id absonum sit pariter, & absurdum, mandamus, quatenus, ne id de cætero fiat, cæteris firmiter inhibere: quia licèt Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniversis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni Cœlorum commisit. *Hæc ibi.*

Et S. Thom. *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. *q.* 3. *ad* 4. *ait*: Mulier secundùm Apostolum est in statu subiectionis, & ideò quia ipsa non potest habere aliquam iurisdictionem spiritualem, quia etiam secundùm Philosophum in 8. *Ethic.* corruptio vrbanitatis est, quando ad mulierem pervenit dominium. Unde mulier non habet neque clavem Ordinis, neque clavem iurisdictionis, sed mulieri committitur aliquis vsus clavium; sicut, habere correctionem in subditas mulieres. Hæc ibi. Et *dist.* 25. *q.* 2. *q.* 1. ait: *De Abbatissis tamen dicitur, quòd non habent prælationem ordinariam sed quasi ex commissione*: Dein subdit: *Debora præfuit in temporalibus, non in sacerdotalibus: sicut & nunc mulieres possunt temporaliter dominari.* Ita S. D. Si enim sit, vti est, capax Regiæ successionis, & gubernationis, cur non & potestatis legislativæ? dum enim in l. *fœmina* ff de R. I. dicitur, fœminas ab omnibus officijs civilibus, vel publicis remotas esse, & ideò nec Iudices esse posse, nec magistratus gerere, sermo non est de fœminis præcellentibus, vt sunt Reginæ, sed de ijs, quæ sunt sortis inferioris. Vide T. 14. E. 1. n. 1.

† *Ratio sententiæ nostræ est*: Clavis iurisdictionis spiritualis nequit esse in eo, nisi qui habet, seu habere potest clavem Ordinis, cùm ex illa dimanet: Sed hanc fœmina habere non potest, cùm nec Ordinis, nec primæ Tonsuræ capax sit, vt probabitur infrà in T. 15 E. 2. n. 7. vbi & dicetur de Ioanna Papissa. Porrò potestas Elisabethæ Anglicæ fuit quoad quietum spirituale vsum para, & iniusta. Ergo fœmina non est capax iurisdictionis spiritualis. Ita noster Donatus, cum quo ex his: *Infero*, Abbatissam in suas subditas habere solùm potestatem quandam maternam, domesticam, & civilem, qualem habet mater in filios, Magistratus in cives, ac proinde potest suis monialibus præcipere; eiusque præcepta obligant sub mortali, si sint circa materiam grávem.

* 7 *Sed numa* potest aliquid præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali? Ratio du-

dubitandi est, quia Moniales vovent obedire Abbatissæ. *Dico*: In rigore non potest. *Ratio*: Moniales vovent obedire Abbatissæ iuxta potestatem, cuius ipsa est capax, *ait Donatus*, quę est sicut potestas matrisfamilias, cuius est imponere præcepta temporalia, spectantia ad politicam, & pacificam domus gubernationem, iuxta *Regulam*, & *Statuta sua*, quorum observantiam debet promovere: obligant tamen in conscientia.

Nonne Abbatissa potest suos Clericos suspendere ab officio, & beneficio? Vel beneficia conferre? *Dico*: Non potest hic, vt suspensi ministeria obeundo irregularitatem incurrant, nec suspensio illa est censura propriè dicta, cùm eam mulier ferre non possit. Potest tamen suos Clericos suspendere impropriè in quantum suspensio est quędam prohibitio, nè quis fungatur suo munere. Hinc etiam Abbatissa non potest iure ordinario, sed solùm ex Apostolicæ Sedis privilegio, cum Capituli sui consensu conferre beneficia, instituere Clericos in Ecclesijs ad suum Monasterium spectantibus, dando eis possessionem, ac titulum, non verò iurisdictionem ligandi, & solvendi. Quia *nemo dat, quòd non habet.*

Potestne Abbatissa irritare vota supererogationis suarum Monialium, facta sine, vel cum consensu eius? *Dico*. Ex causa rationabili potest vi potestatis antè explicatæ.

Potestne subditas benedicere? *Dico*. Potest privatè, sicut mater filias, non verò solemniter, quasi publicè, & ex officio: vti nec potest publicè prædicare, vel in Missa Evangelium legere, quamvis illud legere possit ipsa, vel alia in Matutinis; à quò Diaconissa vocatur. De quò infrà in *Tract. de Ordine*. *Nota* tamen, quòd Papa, Generalis, vel Provincialis Ordinis, vel Episcopus, sub cuius obedientia Moniales vivunt, possit Abbatissæ, seù Priorissæ committere aliquem vsum iurisdictionis, saltem indirectè, vt si Provincialis cum Moniali dispenset in lege ieiunij sub conditione relata in arbitrium Abbatissæ, quoties illa iudicaverit adesse causam non ieiunandi: vel si Monialibus imponatur præceptum obediendi Abbatissæ in tali causa finem spiritualem concernente aliquid præcipienti.

* 8 QUÆRO III. Quanta debet esse promulgatio legis humanæ, vt obliget? *Resp.* 1. Vt obliget lex imperatoria, debet elabi bimestre, & quidem post publicationem in singulis Imperij Provincijs factam ita habetur in *Nov.* 66. *Resp.* 2. Lex Pontificia si Romæ sit promulgata, licèt non publicetur in partibus, habet vim obligandi pro tota Ecclesia, nisi aliud exprimatur, aut obstet consuetudo, vel privilegium, vt aliqui scribunt habere Reges *Hispaniæ*, & *Galliæ*, vt nimirum, Diplomata Pontificia in eorum Provincijs non obligent, nisi in ijs sint publicata, immò publicari nequeant sine consensu Regis. Ita colligitur ex praxi Curiæ Romanæ, nam causæ ex toto Orbe ad eum devolutę iudicantur secundum Bullas Romæ tantùm publicatas, & non in partibus, seù in alijs locis, nec Corpori Iuris insertas.

Cur ergo Bullæ Pontificis posteà publicantur in partibus? Hoc enim videtur esse supervacaneum, si publicatio Romæ facta sufficit ad obligandum. *Dico*, fieri ad melius esse, non vt simpliciter necessarium. Fit *ergo* ideò, vt in partibus vltramontanis tollatur ignorantia Legis, & virtus intensiva obligandi, acquisita Romæ, se ad extra diffundat, & extendat. Pro quò.

Not. quòd promulgatio Legis sit duplex. Vna essentialis, & sufficiens, quæ fit, quando Princeps, vt Persona publica suis subditis in Curiæ existentibus legem per modum imperij proponit, & intimat, & hæc promulgatio sufficit, vt lex obliget, quantum est de se, etsi non sufficiat ad tollendam ab omnibus subditis ignorantiam legis, qui proindè, dum eam invincibiliter ignorant, ab eius transgressione excusantur: & tamen lex obligat, quòd ex eò constat, quia aliàs ignorantia legis impropriè diceretur excusare: excusatio enim supponit obligationem. Altera est promulgatio solemnis, vel solemnior, & accidentalis, ad tollendam ignorantiam subditorum ordinata, quę fit, quando Lex iussu Principis per Præcones in omnibus Provincijs, aut præcipuis earum civitatibus publicatur; quæ non est de essentia legis. Sic Lex Evangelica, seu Lex Christi de Baptismo hoc secundo modo promulgata est in & à die Pentecostes ab Apostolis velut Christi Præconibus; & Lex Mosaica à Moyse toti populo proposita quinquagesimo die à Paschate Iudæorum. Primo autem modo Lex Christi de Baptismo ab ipso Christo in die Resurrectionis fuit promulgata verbis illis ad Discipulos: *Euntes in mundum universum docete, &c. baptizantes*, &c. vt dicetur infrà de Bapt. Lex Mosaica verò ab ipso Deo tamquam Principe, & Legislatore, quando eam dedit Moysi in monte Sina.

* 9 *Quid sentis* de Lege Episcopali? *Dico*. Sufficit esse promulgatam in Ecclesia Matrice.

* 10 *Sed quid* de illis Bullis Pontificijs, quę aliquas Authorem sententias damnant, vt scandalosas, temerarias, &c. *Dico*: Præter publicationem Romæ factam non requiritur publicatio in alijs Diœcesibus, sed sufficit, quomodocunque dam natio illa, vel sententia innotescat. Et hoc magis indubitatum est quàm de legibus. *Ratio*: Omnes fideles tenentur se submittere declarationi definitivæ Summi Pontificis, ex Cathedra loquentis, qualiter est Regula infallibilis, non solùm in credendis, sed & in agendis, quæ proponit; tenentur, inquam, quomodocunque illa declaratio eis innotescat. *Subsumo*: Sed dictæ Bullæ non sunt solùm præceptivę, sed & veritatis declaratorię, exponentes, quid sit Iuris divini, & naturalis, non statuentes ius novum. Ergo.

* 11 QUÆRO IV. Valor, & efficacia legis dependerne ab acceptatione populi? *Resp.* Probabilius est, quòd per se loquendo non dependeat, licèt sit Lex civilis. *Ratio imprimis de Lege Ecclesiastica est*: Quia potestas Legislativa Papalis (vt antè dictum) data est immediatè à Christo: & quæ est in Episcopo, est quidem immediatè à Papa, est tamen à Christo mediatè: quę verò est in quibusdam Prælatis inferioribus, data est ab Episcopo, adeòque nullibi est à populo. Ergo nec in exercitio eius obligatio à populo dependet.

Ratio de lege civili est 1. Qui in vtroque foro, nimirum tam *poli* quàm *fori* tenetur Legi obedire, in eius placito, seu facultate non est, eam acceptare, vel reijcere, immò tenetur eam recipere: Sed Legi iustæ, & rationabili Superioris tenetur populus in vtroque foro obedire, vt de foro poli probabitur posteà. Ergo.

Ratio: Quando populus in Principem transfert absolutam potestatem gubernandi, non reservat sibi facultatem acceptandi, vel non acceptandi legem: Sed per se loquendo populus ita transfert. Ergo. Dixi *per se loquendo*. Si enim populus ea conditione,

id est,

id-est, reservata facultate accipiendi; vel non accipiendi legem, gubernium transferret in Principem, est locus contradictioni.

* 12 *Quomodò* ergo excusas illos, qui non acceptarunt illam Legem Concilij Trid. de abstinentia à lacticinijs, & ovis in Quadragesima, & similibus Legibus. *Excusso sic*: Lex sæpè continet notabile gravamen, & quidem, quòd maius est pro vna, quàm pro altera Provincia, & prudenter potest præsumi, Legislatorem non voluisse Populo imponere tam grave onus, quia vt S. Thom. *q.* 95. *art.* 3. ex Isidoro docèt, *Lex debet esse honesta, iusta, possibilis secundùm naturam, secundùm consuetudinem patriæ, loco, tempori que conveniens, &c.* Hinc contingit, tales leges non fuisse in Diœcesibus publicatas, earumquè obligationem ex tacito Legislatoris consensu, & conniventia suspensam; tandem præscriptam. Non ergo excusantur per hoc, quasi valor Legis à consensu Populi pendeat.

Oppono. Gratianus dicit: Leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium comprobantur. Ad hoc patet *R.* suprà in hoc *T. E.* 1. *num* 7.

* 13 QUÆRO V. Potestne potestas saltem Ecclesiastica directè præcipere actus merè internos? *Resp.* Probabiliùs negativè cum S. Thom. *q.* 100. *art.* 9. *in c. Ratio S. D. est.* Illud directè cadit sub præcepto legis, ad quòd lex cogit, nimirum metu pœnæ; quia præceptum Legis habet vim coactivam: Sed Ecclesia non potest cogere ad actus purè internos, nec pro ijs pœnam infligere. Ergo nec potest eos directè præcipere. *Min. prob.* Pœna Legis non infligitur nisi pro ijs, de quibus Legislator habet iudicare, quia ex iudicio Lex punit: Sed Legislator humanus non habet iudicare, nisi de actibus exterioribus, quia *homines vident eà, quæ parent.* 1. Reg. 16. Soliùs autem Dei est iudicare de interioribus, quia est scrutans corda, & renes. Psalm. 7. Ergo.

Declaratur vlteriùs sub distinctione: Alij sunt actus purè mentales, seu merè interni, & *per se* occulti, consistentes in sola interiori cogitatione, nec sunt vllo signo externo manifestari. Et de his procedit data resolutio, & probatio. Vnde etiam simoniaci, hæretici, & vsurarij purè mentales non incurrunt pœnas iuris. Alij sunt actus *per accidens* occulti, attamen externi, sed fecretè, seu nemine vidente facti, qui proindè nullo teste, vel documento possunt probari. Et licèt defectu probationis iudicium humanum per accidens effugiant, sublunt tamen iurisdictioni Ecclesiæ. Hinc si ferretur censura in eum, qui fecerit furtum sacrilegum, eam incurrit furans sacrilegè, etiam occultissimè, seu nemine vidente. Idem est *de eo*, qui sine licentia occultè legit libros hæreticos. Tandem alij sunt *actus mixti*, id est, partim externi, partim interni, in quibus ad moralem operis externi perfectionem necessaria est quædam interna animi præparatio, v. g. attentio, vel intentio: & hos actus internos potest Ecclesia præcipere indirectè, dum tale opus externum præcipit directè, vt patet in exemplis mox dandis. Et huius *Ratio est*: Quia, vt loquuntur Canonistæ, *de connexis idem est iudicium*, dicere volo: Quando duò sunt connexa, sic, vt vnum sit de morali perfectione, ac integritate alterius, qui vnum potest præcipere directè, potest & alterum indirectè: Sed Ecclesia directè præcipit opus externum, v. g. celebrationem Missæ, administrationem, ac receptionem Sacramentorum, horarum Canonicarum recitationem, &c. quæ validè, aut rectè non perficiuntur sine interiori devotione, attentione, intentione, aut (vt in Sacramento Pœnitentiæ) contritione. Ergo hos actus internos Ecclesia præcipit indirectè.

* 14 *Oppono* 1. *contra* 1. *p.* Ecclesia in Sacramento Pœnitentiæ remittit peccata merè interna. 2. *Subinde* eà reservat. 3. *Dispensat* in votis purè mentalibus. Ergo.

Ad 1. & 2. *R.* id fieri authoritate Christi, seu Dei, quàm pro foro Pœnitentiæ datam esse constat ex S. Scriptura; non autem constat; Ecclesiæ defacto esse datam (an absolutè potuerit dari non disputo) potestatem præcipiendi, aut puniendi actus purè *internos*: immò ex Ecclesiæ praxi colligitur, datam non esse. *Ad* 3. *R.* dispensationem illam non posse fieri, nisi vovens per exteriorem manifestationem voluntariè se subiniittat Ecclesiæ: quæ tunc habet iurisdictionem super actum internum externè manifestatum.

* 15 *Quid ergo sentis* de illis Religiosis, quibus Regula sua, vel Statura præcipiunt actum internum Orationis mentalis, seu Meditationis? *Dico* 1. Ad evitandum periculum peccati mortalis Prælati bene facerent, talem actum, vt purè internum, non præcipiendo sub rigore præcepti, sed solùm exteriorem vacationem. *Ratio*: Ne laqueus injiciatur conscientijs. *Dico* 2. Si quibusdam Religiosis Statuta strictè præcipiant Orationem purè mentalem, valet præceptum. *Ratio*: Quia tales Religiosi per votum obedientiæ, etiam quoad actus internos voluntariè se subdiderunt suis Superioribus, & statuis.

* 16 QUÆRO VI. Finis Legis cadine sub lege, aut modus Præcepti, ac Virtutis sub præcepto? Ant. *R. Not.* quòd *finis Legis est, facere homines virtuosos*, vt patet ex S. Thom. *quæst.* 92. *ar.* 1: & finis præcepti est Charitas 1. *Timoth.* 1. *v.* 5. Hinc quæstio est, an si quis legem impleat quidem, sed non virtuosè; immò potiùs cum intentione mala, ac in statu peccati mortalis, tamen satisfaciat, vel sit reus transgressionis? Hoc notato.

Resp. 1. Modus operandi ex habitu virtutis non cadit sub præcepto Legis sive divinæ, sive humanæ. Ita S. D. *q.* 100. *art.* 9. in fine corp. *Rationem* dat dicens: Neque enim ab homine, neque à Deo punitur tanquam præcepti transgressor, qui debitum parentibus honorem impendit, quamvis non habeat habitum pietatis. *Resp.* 2. Modus operandi *scienter, deliberatè*; & ex intentione cadit sub lege, saltem divina. Ita *S. D. ibid. Rationem* dat, *dicens*: Quòd enim aliquis facit ignorans, per accidens facit. Deinde: Homo, dum operatur vt homo, debet operari modo humano, id est, deliberatè, & ex intentione, ac advertenter.

Resp. 3. Plura sunt præcepta, quæ homo potest implere, licèt non sit in Charitate; seu, modus Charitatis non cadit vniversaliter sub lege, vel præcepto. Ita *S. D. q.* 100. *art.* 10. vbi sic *discurrit*. Quidam dixerunt absolutè, modum Charitatis esse sub præcepto, alij verò dixerunt non esse: vtrique autem, quantùm ad aliquid, verum dixerunt, actus enim Charitatis dupliciter considerari potest: *Uno modo*, secundùm quòd est quidam actus per se, & hoc modo cadit *sub* præcepto legis, quòd de hoc specialiter datur, scil. Diliges Dominum tuum, & diliges proximum tuum; & quantum ad hoc primi verum dixerunt. Non enim est impossibile hoc præceptum observare, quia homo potest se disponere ad Charitatem habendam, & quando habuerit eam, potest ea vti. *Alio modo* potest considerari actus Charitatis,

ſtratis, ſecundùm quòd eſt modus actuum aliarum virtutum, hoc eſt, ſecundùm quòd actus aliarum virtutum ordinantur ad Charitatem, quæ eſt finis præcepti. 1. *Tim.* 1. intentio autem finis eſt quidam modus actus ordinati in finem. Et hoc modo verum eſt, quòd ſecundi dixerunt, quòd modus Charitatis non cadit ſub præcepto, id eſt, in hoc præcepto, *Honoram Patrem*, non includitur, quòd honoretur *Pater ex Charitate*. Vnde qui honorat Patrem, licèt non habeat Charitatem, non efficitur tranſgreſſor huius præcepti, ſed illius, quòd eſt de actu Charitatis. Hæc S. D. *Ratio* datur ibidem in *Sed cont.* Ex oppoſita ſententia ſequitur, quòd quicunque non habet Charitatem, peccat *mort.* in omni opere quòd facit, quantumcunque ſit de genere bonorum; quòd eſt inconveniens. Ergo.

Not. ex S. Thom. *ibid. ad* 2. cùm illa duò præcepta (nimirum de Dei, & Proximi dilectione, & de Parentum honoratione) ſint affirmativa, non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare; & ita poteſt contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione Parentum, tunc non tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi Charitatis.

* 17 *Reſp.* 4. Finis, & intentio Legiſlatoris (qui eſt facere homines bonos, & virtuoſos) non cadit ſub præcepto vniverſaliter, ſed ſunt diverſa præcepta, quæ poſſunt impleri, dicèt operans habeat malum *finem*, aut vitioſam circunſtantiam, vt dare eleemoſynam, dicere horas, audire Miſſam, &c. in ſtatu peccati mort. vel ex vana gloria.

Declaratur ex Gonet, tomuli octavi *part.* 1. *diſp.* 4. *art.* 1. *in* R. *ad Obiect.* 2. Leges ſunt in duplici differentia, aliquæ dantur de actibus humanis præcisè quoad ſubſtantiam, & entitatem phyſicam, vel (quòd idem eſt) quoad bonitatem obiectivam materialem, vti ſunt, quæ præcipiunt ſuccurrere indigenti, audire Sacrum, & ſimiles; & hę impleri poſſunt per actum, qui nullam habet bonitatem formalem, ſeù ex parte ſubiecti, dummodò circa materiam bonam, ſeù obiectum materialiter bonum verſetur, licèt operans ſit, & maneat in peccato mortali. Aliæ ſunt leges, quæ dantur de fine, & modo prædictorum actuum, & conſequenter de eorum honeſtate, & bonitate formali, vti ſunt illæ, quæ diſponunt de interiori rectitudine hominis, ac de his, quæ pertinent ad directionem cordis, & ad ipſam iuſtificationem, & munditiem interiorem, vti ſunt dilectio Dei, pœnitentia, contritio, &c. *Ratio* 1. Partis huius declarationis eſt eadem, quæ pro *Reſp.* 3. *Ratio* 2. *β.* Quia interna cordis mundities per illos nequit obtineri, niſi ſint boni bonitate formali, ſeù ex parte ſubiecti, ac Charitate formati, quales etiam actus fidei, ac ſpei formatæ. Ex his ſequitur, & cum dictis ſtat, nullius præcepti impletionem eſſe meritoriam apud Deum, ſi fiat ſine Charitate, vt probat S. Doct. infrà *quæſt.* 114. *art.* 4.

* 18 *Reſp.* 5. Vt ſatisfiat alicui præcepto, v. g. non occidendi, non mœchandi, non comedendi carnes, &c. non requiritur aliqua intentio, ſed ſola omiſſione impletur, licèt nulla ſuper illud fiat reflexio, etiam ab homine vſus rationis compote. *Ratio*: Quia pro obiecto non habet actum moralem, & humanum, ſed ſolam omiſſionem.

* 19 *Reſp.* 6. Probabilius eſt, quòd, vt ſatisfiat præcepto affirmativo, ſufficiat, & neceſſariò requiratur, voluntariè, ſeu advertenter ponere opus, quòd præceptum eſt, licèt non adſit expreſſa voluntas, ſeu mentalis ſignata; ac reflexa intentio ſatisfaciendi præcepto vt tali. *Ratio.* Lex non plus præcipit, niſi voluntariam operis executionem. Ergo ſatisfit per intentionem ponendi opus, quòd præceptum eſt, licèt non adſit reflexa intentio ponendi formaliter, vt præceptum eſt. Quòd exemplificari poteſt in recitatione horarum, ieiunio, auditione Miſſæ, &c. *v. g.* voluntariè audio Miſſam in die, qui eſt feſtus, ſed ignoro eſſe feſtum, quòd tamen poſteà reſcio, non eſt opus de novo audire Miſſam: ſecùs, ſi involuntariè. Vide de intentione infrà T. 11. *E.* 4. *n.* 11. *& ſeqq.*

* 20 *Quid cenſes* de eo, qui in die feſto audit Miſſam, vel erat horas, cùm abſoluta intentione præceptum illo actu non implendi, ſed aliam Miſſam audiendi, & horam repetendi? *Reſp.* Talis non ſatisfacit, niſi de novo Miſſam audiat, & horam repetat. *Ratio.* Quia primam Miſſam, & horam Deo quaſi liberaliter donavit. Sicut ergo, qui mihi debet centum imperiales, ſi det mihi centum, non animo ſolvendi, ſed gratis donandi, non ſolvit debitum: ita ſimiliter.

* 21 QUÆRO VII. Poteſtne Lex humana, etiam civilis, obligare in conſcientia, & quidem ſub mortali, ac cum periculo vitę? Ante R. *Nota* 1. Sermonem eſſe de Lege iuſta; quando autem iuſta ſit, explicat S. Thom. *quæſt.* 94. *ar.* 4. *in c. dicens*: Dicuntur leges iuſtę, & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune, non verò ad Authoris propriam cupiditatem, & gloriam; & ex *Authore*, quando ſcilicet Lex lata non excedit poteſtatem ferentis; & *ex forma*, quando ſcilicet ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera, in ordine ad bonum commune. Iniuſtę dicuntur ex oppoſito. Subdit S. D. 1 Leges iniuſtę non obligant in foro conſcientię, niſi fortè propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quòd etiam homo iuri ſuo debet cedere, ſecundùm illud Matth. 5. *Qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo: & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium.* Subdit. 2. *Alio modo* leges poſſunt eſſe iniuſtæ per contrarietatem ad bonum divinum, ſicut leges Tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcunque aliud, quòd ſit contra legem divinam, & tales leges nullo modo licet obſervare: quia, ſicut dicitur *Act.* 4. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.*

Not. 2. Leges eſſe in triplici differentia. 1. *Eſt Lex* merè pœnalis, quæ verbis expreſsis nihil prohibet, vel præcipit, ſed præcisè ſtatuit pœnam contra tranſgreſſores, hoc *v. g.* tenore: Qui hoc, & hoc fecerit, *v. g.* frumentum è Patria evexerit, vel in eam non invexerit, ſolvat pro pœna decem imperiales. 2. *Alia* eſt merè præceptiva, vel prohibitiva, præcipiens, vel prohibens aliquem actum, non ſtatuendo pœnam contra tranſgredientes, vti eſt illa, *v. g.* de audiendo Sacro diebus feſtis. 3. *Eſt Lex* mixta, prohibens actum, & ſimul taxans pœnam. Et hæc iterùm eſt duplex, vna mixta copulativè, quæ nimirum actus prohibitioni adjicit pœnam, non addendo particulam diminutivum *Vel*, v. g. nemo frumentum evehat ſub pœna decem imperialium. Altera mixta diſiunctivè per ly *vel*, v. g. nemo frumenta evehat, vel pro mulcta, ſeu pœna ſolvat decem imperiales, id eſt, niſi velit ſubire hanc pœnam.

Not. 3. ex S. Thom. 1. 2. *q.* 87. *art.* 7. *&* 2. 2. *q.* 102. *ar.* 4. Pœnam poſſe dupliciter conſiderari. 1. *Simpliciter*, ſtrictè, & rigoroſè, & ſic dicit intrinſecum ordinem ad culpam propriam, etiam theologicam, ſeu ſupponit eam, vel actualem, vel ori-

originalem. 2. *Magis latè*, in quantum solùm dicit aliquam pœnalitatem, vel molestiam pro bono communi inflictam, & sic non necessariò præsupponit culpam theologicam (quę est talis coram Deo) sed solùm *politicam*, *seu civilem*, quæ est talis coram homine. His prænotatis scitu necessarijs.

* 22 *Resp.* Probabilius est, quòd Lex humana justa, non solùm Ecclesiastica, sed & civilis, possit habere, & de facto sæpè habeat vim obligandi in conscientia, scil. sub culpa Theologica etiam mortali, licèt simul constituat pœnam immò & cum dispendio, scù periculo vitæ. Est contra hæreticos, concedentes quidem Prælatis Ecclesiasticis vti & Politicis, facultatem ferendi leges pro conservatione pacis, & disciplinę inter cives, negantes tamen, eas obligare in conscientia, quàm dicunt soli Deo subjici, & ab eò solo posse ligari. *Item contra Ioann. Gerson*, qui legibus humanis, maximè Ecclesiasticis quidem non denegat vim obligandi in conscientia, vult tamen, hanc vim eas habere à solo Deo, scù Christo; Legislatores verò humanos obligationem à Deò impositam solùm declarare, leges condendo. Sicut infirmus (ait ipse) teneretur obedire Medico, non vt imperanti, sed solùm vt declaranti id, ad quòd ægrotus Lege Naturali, & Divina tenetur.

Favet menti nostræ S. Scriptura Matth. 18. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut, &c.* Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Et 1 Cor. 10. dicit Apostolus: *Præcipio ego, non Dominus.* Et 1. Pet. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquàm ab eò missis, &c. hæc est enim voluntas Dei.*

Ratio est, quàm insinuat S. Thom. *hic q. 94. art. 4.* Quidquid ab alio derivatur, in quantum huiusmodi, participat illius virtutem, & efficaciam, sicut, quòd derivatur ab igne, participat calorem: Sed omnes leges justę, tam civiles, quàm Ecclesiasticæ, etiam pœnales, derivantur à Lege æterna, vt probatum est suprà *E. 2. n. 3.* Lex autem æterna habet vim obligandi, & obligat in conscientia, aliquando sub veniali, vt patet in prohibitione mendaci officiosi, aliquando sub mortali, vt constat in prohibitione mendacij gaviter pernicioši: aliquando cum dispendio vitę, vt dum cives, & milites pro bono Reip. tenentur tenere stationem periculosam: Ergo idem possunt Leges humanæ, Ecclesiasticæ, & Civiles. Dixi in *R. licèt simul statuat pœnam*, nimirum copulativè Nam quòd Lex humana statuat pœnam temporalem, non est incompatibile cum obligatione ad culpam, scù in conscientia, licèt eam non exprimat: immò appositio pœnæ ad hoc tendit, vt Lex eò accuratiùs servetur, & actus præceptus fiat, prohibitus omittatur. Et hinc in *Concil. Lateran.* extat Lex, quà statuitur, vt Beneficiati, qui post tot menses ab obtento beneficio non recitant horas, fructus non faciant suos: quæ Lex licèt sit pœnalis, cùm privet fructibus, tamen obligat in conscientia. Ergo Lex humana, etiam pœnalis, obligare potest sub culpa, nisi Legislator contrarium exprimat. Ita probabiliùs docent *Soto, Sylvester, Gonet, &c.* Vide in *Not. 2.* quomodò Lex pœnalis mixta describatur.

* 23 *Oppone* 1. contra rationem datam: Si Leges nostræ deriventur à Lege æterna Dei, *Sequitur* 1. esse Leges divinas, & non humanas. Vel saltem *Sequitur* 2. quòd non obligent virtute accepta ab homine sed à solo Deo, & solum declarent obligationem Legis divinę, vt vult Gerson, exemplificans hoc in Medico, vt dictum est. Ergo.

2. *Contra* 2. *p.* R. Potestas Principis politici est merè temporalis, cuiusquè finis non est salus animarum, sed tantùm salus Reip. & tranquillitas civium: Ergo non potest ligare in conscientia. *Prob. cons.* Inferior non potest ligare in foro superiori: Sed forum conscientiæ (forum poli dictum) est superiùs civili. Ergo.

Ad 1. *Resp.* negando veramquè sequelam. Primam quidem; quia ad hoc esset necesse, vt Leges nostræ à Lege æterna derivarentur immediatè, sicut Lex divina, & naturalis ab eà originantur: Leges autem humanæ ab eà solùm derivantur mediatè, nimirum mediantè discursu humano, deducto ex Legibus, & principijs naturalibus, ac divinis, quorum sunt conclusiones: *Conclusio* autem *sequitur partem debiliorem*, vt ait Dialecticus. Ex quò fit, quòd omnis, qui peccat contra Legem humanam immediatè, contra Legem æternam peccet mediatè... *Secunda Sequela* negatur ideò, quia licèt vis obligandi Legum humanarum sit à Deo, scù Lege æterna *remotè, radicaliter, & mediatè*, & vt à principio universali, est tamen simul à potestate humana, vt à principio proximo, & particulari: cùm enim Princeps, sive sæcularis, sive Ecclesiasticus, respectu suorum subditorum fungatur authoritate publica (in quò differt à Medico) est in eò vera potestas Legislativa Deo subordinata. Exemplum est in effectu, qui est à causa prima, & secunda.

Ad 2. *Oppos. dist. ant.* Ex parte eius quòd respicit per se primò, *C. ant.* per se secundò, & ex consequenti, *N. ant.* & *dist. similiter cons.* Quia ad pacem Reip. Principibus etiam sæcularibus necessaria est potestas ferendi leges obligantes in conscientia: quia multi timoratæ conscientiæ, ad Legis observantiam magis urgentur formidine culpæ quàm pœnæ temporalis. *Ad prob. cons. dist. mai.* Inferior non potest, &c. si à superiore ad id non acceperit potestatem, *C. mai.* si acceperit. vti res se habet in præsenti, cùm omnis Lex iusta à Lege æterna Dei derivetur, vt probatum est suprà, *N. mai.* & concessa min. *dist. cons.*

* 24 QUÆRO VIII. Obligant ne omnes Leges humanæ in conscientia, seu sub culpa, si non mortali, saltem veniali? dubium enim est de quibusdam Legibus pœnalibus. *Resp.* Probabiliùs negativè. *Ratio*: Quia Constitutiones Ordinis FF. Prædicatorum sunt verę Leges, vt patet, si eis applicetur definitio legis: Sed illę vt tales non obligant ad culpam. Ergo *Min.* patet tum ex Constitutionum nostrarum Prologo, tum ex S. Thoma 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. *dicente*: In Religione Fratrum Prædicatorum transgressio, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam, quia per hunc modum ad talia observanda obligantur, qui tamen possunt venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, vel contemptu. Hæc S. D. subdens *ad* 2. Non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam.

* 25 *Oppone*: Ergo non omnis Lex iusta, saltem pœnalis, obligat sub culpa theologica, nimirum in Ordine Prædicatorum *Ad hoc* b. verum esse in eo casu, quo Legislator exprimit, & expresse declarat, se præcisè obligare velle ad pœnam, vti fit in nostris Constitutionibus. Servit hic illa Regula Iuris: *Ubi non est culpa, non est pœna, nisi subsit causa.*

Ex qua *Regula* patet, posse statui pœnam (adeòque & legem pœnalem) non propter culpam theologicam, sed ob aliam causam. Sic captivo ad mortem iustè damnato, è carcere fugienti gravis statuta est, & infligitur pœna, & tamen coram Deo non peccavit fugiendo è carcere. Item si quis teneret, irregularitatem, quam incurrit bigamus, & Iudex, iustè etiam damnans reum ad mortem, esse pœnam, deberet sentire, eam infligi sine culpa, & tamen non sine causa. Nam causa est, quia in matrimonio bigami non significatur perfectè vnio Christi cum Sponsa Ecclesia, quæ est vnius ad vnum: & in actu prædicti Iudicis recedit à significatione manifactudinis Christi. Alia Responsio patet suprà n. 21. in *Not.* 3.

* 26 QUÆRO IX. Dum agimus de Lege pœnali, dic mihi, quando, & quomodò transgressor tenetur subire pœnam taxatam? Teneturne antè, vel post sententiam Iudicis, & per propriam cooperationem?

Resp. 1. Loquendo de pœnis merè privativis latæ sententiæ, vt sunt excommunicatio, irregularitas, suspensio, privatio vocis activæ, & passivæ, idem est de lege Ecclesiæ, quæ statuit impedimentum criminis respectu matrimonij, &c. transgressor ijs ligatur ante sententiam Iudicis, non verò si sint sententiæ ferendæ. *Ratio* huius patet ex ipso textu Legis, si nimirum addat, vel non addat has particulas, *ipso facto*, *ipso iure*.

Opponi potest: Lex naturæ dictat, quòd nemo debeat condemnari inauditus. Sed hoc verum est de condemnatione per sententiam Iudicis, cuius est examinare reum, & testes; non verò de condemnatione per Legem, quæ relinquitur conscientiæ ipsius rei, seù condemnati, cuius est discutere an pœnam incurrerit, necne.

Resp. 2. Loquendo de pœnis activis, seù ad sui executionem requirentibus aliquàm actionem, vt sunt spoliatio bonorum, exilium, pœna mortis, &c. probabiliùs est, quòd transgressor non teneatur eas subire ante sententiam Iudicis. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *Ratio*: Esse executorem pœnæ, præsertim gravis, & acerbæ, in se ipso nimis durum, & rigidum est, ac naturæ repugnat, & bono communi sufficit, pœnam pati, post sententiam Iudicis: Lex autem humana, vt suprà dictum est, debet esse accomodata humanæ conditioni. Dixi, *gravis*, & *acerbæ*. Nam in quibusdam Ordinibus Religiosi pro pœnitentia tenentur recitare aliquas preces, vel moderatè se castigare, & hoc, licèt Prælatus id non declaret.

Resp. 3. In probabiliori sententia transgressor Legis prænalis post sententiam Iudicis tenetur in conscientia, seù sub peccato, subire pœnam, etiam activam, & in seipso exercere actionem, si sit talis, quæ non sit nimis crudelis, & iniuriosa, & commodiùs fiat ab ipso reo, vt sunt scalam patibuli conscendere, collum gladio præbere, è Regno, vel vrbe egredi, pecuniam solvere, &c. non verò si sit crudelis, & meliùs exerceatur à Ministro Iustitiæ, sed sufficit esse paratum eam pati, v. g. strangulationem, suspensionem, veneni in se infusionem, &c. *Ratio* est, quæ antè. Et ita docèt S. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. *dicens*: Nullus ita condemnatur, quòd sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur, & ideò non tenetur facere *id*, vndè mors sequatur, quòd est manere in loco, vndè ducatur ad *mortem*: tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quòd iustum est, eum pati. Sicut etiam, si aliquis sit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat, si cibum occultè ministratum sumat, quia non sumere esset se ipsum occidere. Hæc S. D. puta, indirectè, ad quòd homò non tenetur in quovis casu. Vide *T.* 9. *E.* 2. *num.* 12.

* 27 QUÆRO X. Dic mihi aliqua documenta, & Regulas, ex quibus cognosci possit, transgressionem Legis humanæ esse peccatum mortale? Et quid quoad hoc valeat intentio Legislatoris?

Resp. 1. Transgressio Legis humanæ, etiam in minimis, si fiat ex contemptu, semper est peccatum mortale: & hic contemptus semper specialiter in Confessione est explicandus. Hæc est tutior, & probabilior opinio, intelligitur autem non de contemptu secundum quid sed simpliciter tali, quem S. Thomas explicat, & hanc sententiam probat 2. 2. *q.* 166. *art.* 9. *ad* 3. dicens: *Tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi Legis, vel Regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra Legem, vel Regulam: quando autem è converso propter aliquam particularem causam, puta, concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta Legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simile peccatum iteret: frequentia tamen peccati dispositivè inducit ad contemptum.* Hæc ibi.

Ratio 1. Contemptus Legislatoris vt talis, ac potestatis Legislativę, est peccatum mortale, etiam in minimis, iuxta S. Thom. 2. 2. *q* 147. *art.* 3 *ad* 2. dicentem: *Si quis authoritatem Legislatoris, transgrediendo statutum, contemnit, peccat mort.* Et hoc ideò: Quia contemptus Legislatoris creati, vti talis, eiusque potestatis legislativæ est contemptus ipsius Dei, qui ei potestatem dedit, vt testatur ipse Christus Luc. 10. dicens: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*: contemptus verò Dei, etiam in minimis, est peccatum mortale. *Subsumo*: Sed qui ex contemptu, etiam in minimis, transgreditur legem, contemnit Legislatorem vt talem, eiusque potestatem. Ergo peccat mortaliter. *Ratio* 2. Constitutiones nostræ sunt quid minimum in genere legum, cùm sub nulla culpa, sive mortali, sive veniali ex se obligent, vt patet ex dictis antèà n. 21. Sed qui eas transgreditur ex contemptu, peccat mortaliter, vt legere est in Declarationibus super Prologum Constitutionum nostrarum Litt. *N.* idque patet ex S. Bernardo dicente: *Neglectus est semper culpabilis, contemptus verò damnabilis.* Ergo.

Dixi notanter, *Contemptus Legislatoris vt talis*. Quia aliud est contemnere rem præceptam, secundùm se, & materialiter sumptam, & Legislatorem vt privatum hominem, *hoc* enim potest esse veniale, & contemptus levis: & aliud est, contemnere rem formaliter vt præceptam, quia sic involvit Legislatorem, eiusque potestatem, vt talem; & est contemptus simpliciter, ac mortalis. Et hæc transgressio habet duplicem malitiam, quarum vna est contra virtutem, contra quam est transgressio, *v. g.* contra veracitatem, si quis ex contemptu Legis mentiretur officiosè: altera contra virtutem obedientiæ, & remotè contra virtutem humilitatis quia omnis contemptus nascitur ex superbia. Hinc tale mendacium non solùm esset officiosum, sed & perniciosum, vtpotè cedens in gravem iniuriam proximi, nimirum Superioris, immò & Dei, qui in Superiore contemnitur.

* 28 *Resp.* 2. Ut Lex humana obliget sub mortali, requiritur materia gravis, nec potest materiam le-

vem

vem præcipere sub mortali. *Ratio*: Quia oppositum videtur esse inordinatum, & irrationabile. Vide R. *ad 7. Oppos. n. 31.*

* 29 *Resp.* 3. Quatuor solent assignari Regulæ cognoscendi gravitatem, vel levitatem materiæ respectu Legis humanæ. *Prima* desumitur ex magna vtilitate, quæ in Communitatem redundat ex observantia Legis, licèt eius materia secundum se videatur esse levis: fit enim gravis ratione huius circunstantiæ, seu commodi. Hinc non est dubitandum, valere leges, quæ apud quosdam Religiosos pro certo tempore sub mortali præcipiunt silentium, aut prohibent alterius cameræ ingressum. *Item esus vnius pomi Adamo* prohibitus secundum se, est res levis, erat tamen res gravis sub eâ formalitate, quâ substabat legi divinæ, quæ eum prohibebat in speciale signum subiectionis, & recognitionis supremi domini, ac beneficiorum. *Secunda* Regula sumitur ex appositione gravis pœnæ, vti in spiritualibus est *excommunicatio maior*; *privatio sepulturæ Ecclesiasticæ*; pœna *suspensionis*, *interdicti*, *irregularitatis*, *&c.* In temporalibus pœna mortis, mutilationis, infamiæ, exilij, acerbi cruciatus, confiscatio bonorum, &c. *Tertio* est prudentum virorum existimatio. *Quarta* sumitur ex tenore verborum, quibus Lex ponitur, v. g. Præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto, qui est mos *nostri Ordinis*, vel sub interminatione divini iudicij, sub indignatione Dei, & Sanctorum, &c. nam materiæ levi non censetur apponi gravis pœna. Hinc solus vsus verbi imperativi non indicat materiam gravem sub mortali obligantem; quia tale verbum est commune omni materiæ. Nam S. August. in Regula ait: *Hæc sunt, quæ præcipimus, vt observetis in Monasterio constituti*; & tamen non omnia illius Regulæ præcepta obligant sub mortali.

* 30 *Resp.* 4. Ad obligationem sub mortali in lege humana præter materiæ gravitatem requiritur *intentio Legislatoris*, qui, licèt materia in se gravis sit, si tamen non intendat obligare sub mortali, sed solùm sub veniali, idquè declaret, & sit in materia præcisè dependente à suo placito, lex sub mortali non obligat. Hæc sententia est contra aliquos intra, & extra Scholam D. Thomæ, videtur tamen mihi cum Gonetto, & alijs practicè probabilior.

Ratio 1. Actus agentium moralium non operantur vltra intentionem ipsorum: Sed Legislator humanus, legem condens, agit vt agens morale: Ergo lex non obligat vltra ipsius intentionem. *Ratio* 2. Qui potest maius, potest etiam minùs in eodem genere: Sed Legislator ad rem gravem potest obligare sub mortali. Ergo & sub veniali quòd est peccatum minùs. *Item Ecclesia* rem sæpè proponit solùm sub consilio; item potest eam prohibere sub sola pœna (vt patet in nostris Statutis) licèt res secundùm se aliquando ad mortale sufficiat. Ergo & sub solo veniali. *Ratio* 3. Lex Ecclesiæ de ieiunio, & auditione Missæ certis diebus est in materia gravi: Sed in potestate Ecclesiæ est, vt illa Lex solum obliget sub veniali. Ergo. *Min. prob.* 1. Constitutiones Religiosorum sunt veræ Leges, vt suprà probatum, & quidem apud quosdam non merè pœnales, & tamen non semper obligant sub mortali, sed fænè solùm sub veniali, licèt sint de re ad mortale sufficiente, si strictiùs præciperetur, v. g. de ieiunio certis diebus, de audiendo Sacro, &c. Ergo. *Prob.* 2. Hæ Religiosorum Leges verfantur circa eandem materiam, circa quàm est Lex Ecclesiæ, nimirum circa auditionem Sacri, & ieiunium; Sed Lex aliquorum Religiosorum quoad similia solum obligat sub veniali, vt patet ex S. Th. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. Ergo & Lex Ecclesiæ potest.

Confirm. hæc secunda probatio Minoris: Lex Ecclesiæ, & Religiosorum versantur circa eandem materiam, & eodem modo. Ergo si, &c. *Prob. ant.* Si non, &c. id esset ideò, quia provt in Religione præcipitur, non est res gravis, sicut est, quatenus præcipitur ab Ecclesia; sed, quatenus præcipitur in Religione, etiam est res gravis. Ergo. *Min. prob.* Sub mortali nihil potest obligare nisi sit grave: Sed dicta materia, v. g. ieiunij, etiam provt in Religionibus præcipitur, obligat quandoquè sub mortali, vt patet in ieiunio Franciscanorum à Festo Omnium Sanctorum, vsquè ad Nativitatem Domini. Ergo.

* 31 *Oppono* 1. *contra R.* 4. Iuxta dicta obligatio legis humanæ derivatur à Lege æterna, & naturali, ad certam materiam applicata: Sed lex æterna, & naturalis, in materia gravi semper graviter obligant. Ergo Legislator creatus non potest eius obligationem restringere. 2. *Legislator* humanus solùm se habet per modum conditionis, obligationem Legis naturalis ad certam materiam applicantis: Sed conditio applicans non potest minuere virtutem agentis, vt patet in applicatione ligni ad ignem, ignis enim agit naturaliter, non liberè. Ergo. 3. *Quòd* ad legem sequitur naturaliter, seu vt necessaria proprietas, non potest ab ea separari: Sed obligatio sit sequitur ad Legem. Ergo. 4 *Quia* aliàs radix peccati venialis, aut mortalis posset esse voluntas hominis, nimirum Legislatoris, cùm tamen sit ipsa natura obiecti. Ob quam rationem. 5. *Deus* non potest rem gravem præcipere sub obligatione levi. Ergo multò minùs homo. 6. *In voto* non potest materia, secundùm se obligans sub mortali, ex Voventis intentione obligare sub veniali. Ergo nec in Lege. 7. *Iuxta* dicta res levis ex intentione Legislatoris nequit obligare graviter. Ergo nec res gravis, leviter.

Ad 1. patet R. suprà *n.* 23. ad 1. Oppos. *Ad* 2. Transeat *mai.* & *dist. min.* Non potest à priori, *C. min.* à posteriori, *N. min.* & *cons.* Nam & applicatio ligni ad ignem prout est maior, vel minor, facit lignum magis, vel minùs, seu citiùs, aut tardiùs comburi. Dixi, *Transeat*, propter ea, quæ dixi loco mox citato de differentia Medici à Legislatore.

Ad 3 *dist. mai.* Quòd sequitur in impedibiliter, *C. mai.* impedibiliter, vti in præsenti ob rationes assignatas, *N. mai.* Ad omnem ergo legem, etiam merè pœnalem, sequitur aliqua obligatio; quòd autem sit tanta, vel talis, posset impediri, & de facto impeditur in nostris, & aliorum Religiosorum Statutis: licèt enim propietas physica absoluta non possit impediri, benè tamen moralis. *Ad* 4. R. sicut ad 1.

Ad 5. *N. ant.* Si enim id asseratur de homine, à fortiori asserendum est de Deo, si sermo sit de ijs, quæ præcisè à placito Dei dependent, non verò de de eis, quæ ex naturâ rei prohibentur, vtpotè quia habent intrinsecam, & essentialem gravem malitiam, v. g. fornicatio, &c. quæ Deus non potest prohibere sub veniali. *Ad* 6. concesso ant. dè quo infrà *T. 10. C. 3. n.* 22 datur disparitas. Quia votum fit Deo, vt Superiori, per illud acquirenti novum ius in Voventem iuxta naturam promissionis. Ergo sine placito Dei non potest voti obligatio relaxari, nec à à Prælatis relaxatur, nisi in potestate Dei: Lex verò respicit subditum, quem proinde Legislator potest stringere moderatiùs, vel arctiùs. Præterea Obligatio

voti quoad conscientiam, licèt voluntatem hominis supponat, est tamen magis naturalis, & divina, estque immediatè à iure divino, quia homo non habet iurisdictionem in se ipsum: è contra obligatio legis humanæ solùm remotè est à iure divino, & naturali, & Legislator pro libito habet potestatem in subditum.

Ad 7. Nec. Disparitas est: Quia rei levi imponere obligationem sub mortali, est imponere gravamen vltra finem potestatem, quòd est irrationabile, ac subditis onerosum, ac odiosum, odiosa autem sunt restringenda: sed rei gravi imponere obligationem levem, est gravamen, quòd possit imponi totum, alleviare quod ex causis potest esse rationabile: estque favorabile, & accomodum humanæ fragilitati; favores verò sunt ampliandi.

* 32 QUÆRO X. Scitne aliquam Regulam ad dignoscendum, quando Lex humana obliget cum periculo vitæ? et quid in hoc passu sentis de lege abstinentiæ Carthusianorum a carnibus, ac Lege clausuræ Monialium in casu periculosæ infirmitatis? *Ante R.* Suppono vt certum, quod Lex humana non semper obliget cum dispendio vitæ. *Ratio*: Quia Lex humana non tam stricte obligat, ac divina: sed hæc non semper ligat cum periculo vitæ, & quidem ex benignitate Legislatoris. Ergo nec illa, & hoc simul ex defectu potestatis. *Min prob.* ex facto *David*is, qui 1 *Reg* 21. comedit panes propositionis, ne morerentur fame quos nonnisi solis Sacerdotibus licebat edere. Et *Matth.* 12. Christus apud hæreticos excusavit suos Discipulos, quòd propter necessitatem in sabbatho vellerent spicas, quod erat lege prohibitum. Item integritas Confessionis sacramentalis est de iure divino, & tamen non ita per obligat cum notabili detrimento. Idem patet in obligatione voti, & restitutionis. Hoc supposito.

Resp. 1. Potissima Regula cognoscendi, an Lex humana obliget cum periculo vitæ, est: Si Legis observantia prudenter iudicetur esse maius bonum, quàm propriæ vitæ conservatio, tunc obligat cum dispendio vitæ; si verò propriæ vitæ conservatio (vti contingere potest in Principe, Belli Duce, &c. censeatur esse bonum maius, non obligat. *Ratio est*: Quia ex duobus malis minùs eligendum, & bonum maius minori præferendum est. Altera Regula esse potest, si transgressio Legis humanæ cum metu mortis alicui incutiatur in contemptum Legislatoris, v. g. Ecclesiæ in statuto ieiunij, vel auditionis Missæ, tunc enim oportet magis mori, quàm legem violare. Exemplum est in Eleazaro, qui laudabiliter maluit mori, quàm carnes porcinas comedere. *Ratio est*: Quia maioris momenti est defensio fidei, & Ecclesiasticæ potestatis, quàm conservatio propriæ vitæ.

* 33 Probabilior est sententia nostri *Arauio*, *Genetti*, *& aliorum*, quòd Lex abstinentiæ Carthusianorum a carnibus respectu periculosi infirmi obliget cum dispendio vitæ. *Ratio ex dictis est*: Quia vita vnius Carthusiani debet cedere conservationi strictioris observantiæ, ac disciplinę in toto Ordine illo. Vnde & legitur, quòd sancta illa Carthusianorum Lex ortum habeat ex miraculo, quò carnes pro quodam eiusdem Ordinis infirmo præparatę, in pisces sunt conversæ.

Nonne idem iuris de alijs Religiosis quoad sua Statuta? *Affirmo*, si ex eorum violatione notabiliter labefactaretur religiosa disciplina. *Ratio* est, quæ antè.

* 34 *Resp.* 3. Quòd concernit Clausuram Monialium in causa, vel casu egressus, Concil. Trid. *sess.* 25 *cap.* 5. *de Regular.* solùm statuit, vt Moniales è Monasterio non egrediantur, etiam ad breve tempus, nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda. Verùm *Pius V.* postea huic devoto fœmineo sexui omnem præclusit viam, statuens tantùm tres egressus causas. *Prima* est incendium, cui æquiparatur ingens inundatio, & incursus hostium infidelium. *Secunda est*, si Monialis lepra sit infecta, vt extrà curetur, ne alias inficiat. *Tertia* ob eandem rationem est, si qua incipiat laborare epidemia, vel peste.

An egressum ex his causis sufficitne licentia proprij Prælati? *Affirmo* dico, attendendam esse loci consuetudinem; fuerunt enim aliqui, requiri approbationem Episcopi, quod negant alij, tenentes esse consuetudine contraria abrogatum.

* 35 *Resp.* 4. Præter causas à Pio V. statuas dantur adhuc aliæ ad egressum Monialium sufficientes per consuetudinem receptæ. *Prima est*: Si Monialis deferatur ad aliud monasterium, vt illi præficiatur, vel alio officio penitus necessario fungatur. 2 *Correctionis gratia*, si aliarum in hoc monasterio scandali causa sit, & ibi corrigi nequeat. Sed hæc translatio non temerè, & facilè, sed gravissimo iudicio, & vrgente necessitate est facienda. 3. *Si* vel ob loci incommoditatem, aut aliam rationabilem causam, omnes Moniales ex vno in aliud monasterium migrare oporteat. An etiam in his casibus necessaria sit licentia Episcopi, attendatur loci consuetudo. Quia diversi *DD.* planè ipsius Papæ licentiam requirunt.

* 36 *Nunquid* Constitutio *Pij V.* potest extendi ad omnem lethalem morbum, intra monasterium medicorum iudicio incurabilem? *Affirmant* aliqui *DD.* Monialem posse egredi de licentia sui Prælati, & Episcopi. *Rationem dant*: Quia Lex humana non obligat cum dispendio vitæ. Alij negat, ex eo, quia Pius V. solùm expressit causas, quę inferunt monasterijs incommentum commune, non verò privatum vnius personæ: Nec referre, dicunt, quòd vnius, ac alterius Monialis vita exponatur periculo, pro bono communi inviolatæ clausuræ: & ne per exemplum alijs Sororibus incipiat dominari *Mercurius*, seu spiritus vagandi. Verùm ego in hoc passu censeo, diversarum Religionum, ac monasteriorum approbatas consuetudines esse attendendas, quia in alijs strictior, in alijs laxior clausura servatur. Et in nostra Germania exempla quotidiana docent. Moniales cum suorum Superiorum licentia, non solùm ob vitæ periculum, sed alijs etiam de causis, è quibusdam monasterijs ægredi. De monasterijs Monialium nostri Ordinis in nostris Constitutionibus *dist.* 2. *cap.* 18 *in fine sic legitur*: Si quis Sæcularis, vel Regularis in aliquod prædictorum monasteriorum intrare, vel sorores aliquæ inde exire sine licentia Magistri Ordinis ausi fuerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, à qua nonnisi per Papam, vel Magistratum Ordinis, vel ab aliquo Fratre, cui prædictus Magister facultatem concesserit absolvi possint. Hæc ibi. Plura patebunt ex mox dicendis.

* 37 *Sed quid sentis* de ingressu clausuræ Monialium? *Dico*: Omnibus tam viris, quam mulieribus prohibitum est monasteria Monialium, & mulieribus monasteria virorum ingredi, vel in ea admitti. Et intrantes vltra casus necessarios (qui casus sunt de opera *Confessarij*, *Medici*, *Chirurgi*, *Architecti*, *Opificum*, &c.) & sine licentia, peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem Papalem, ipso facto, Su-

Superiores vtriusque sexus, admittentes, vel ingredi permittentes, etiam sub pretextu facultatis, vel Privilegij Papalis. Religiosi autem eos, etiam absque tali prætextu admittentes, incurrunt ipso facto suspensionem à divinis, privationem Officiorum, inhabilitatem ad alia in posterùm obtinenda, ex variis Moribus plurium Pontificum, præsertim *Gregorij XIII.* & *Pij V.* Quid Tridentinum statuerit, patebit ex dicendis. De censura hac redibit sermo infrà inter casus reservatos *T. 14. E. 2. n. 21.* Hinc non sunt audiendi illi *DD.* qui fœminas monasteria virorum sine scandalo, & pravo fine ingredientes à mortali excusant: eò quòd, vt aiunt, hoc nullo *iure* statuatur. Nam Bulla Pij V. Bullario *inserta* clarè loquitur. Nihilominus circa Reginas attendenda est consuetudo loci: non enim videntur comprehendi dictis Decretis. Idem est de ancillis eas ex more assequentibus. Hoc tamen extendi non debet ad Ducissas, Marchionissas, Comitissas, &c. nisi (quod Gregor. XIII. in Extrav. *Quæ Sanctimonialium quietem*, &c. concessit pro Regnis Hispaniæ) sint ipsorum monasteriorum *Fundatrices*, vel *domatrices*. Similiter audiendi non sunt, qui dicunt prohibitionem *Pij V.* solùm esse latam contra eas, quæ prætextu privilegij, & licentiæ monasteria iurant. Nam *Pius V.* vivæ vocis oraculo *Anno* 1568 die 27. *Ian.* contrarium declaravit Cardinali Alexandro Cribello.

* 38 *Quid intelligis* per Monasterium, seù Clausuram? *Dico*, intelligi claustrum, dormitorium, & officinas interiores, vt patet ex Innocent. IV. & Gregor. IX. qui in causa ingressus ita explicant Regulam Minorum. Hinc dictas Pontificum Leges non violant mulieres, quæ Sacristiam, & hortos monasteriis contiguos intrant, dummodo intent non per portam Conventus, sed per aliam propriam. Vndè dum Gregor. XIII. in suo motu proprio vetat intrare *monasteria*, & *loca*, hæc pro eodem sumit. Hinc & in nostro Capitulo Generali, celebrato 1686. *Confirm.* 5. sic legitur: *Confirmamus, quod in postremo Capitulo ordinatum est Ordinat. 5. de stricta in nostris Conventibus clausura, ab ingressu fœminarum sub excommunicationis, interdicto: comprehendendo sub clausura omnes cameras, & officinas, quæ licèt extra commune dormitorium existant, nihilominus à Religiosis inhabitentur.* Vide ibidem pœnam superiorum admittentium fœminas ad clauſuram. Et vt adducit noster de la Cruz in Glossa, & declarat. super nostras Constit. *dist.* 2. *c.* 1. Vbi ponitur pœna gravioris culpæ introducentibus mulieres in *hortos*, in *dormitorium*, in *cameras*, vel alias Officinas interiores. Ex quò patet, quòd etiam introductio ad hortos clausuro contiguos severè sit *prohibita*. Præterquàm quòd magni scandali occasio esse possit.

* 39 *Datur ne* parvitas materiæ in fractione clausuræ? *Affirmo* probabiliùs contra aliquos, si fiat sine contemptu, scandalo, ac malo fine, vt, si quis ingrediatur medio corpore, manens in limine, seù partim intrà, partim extrà, vel si per valdè brevem moram ingrediatur ad duos pedes, & statim regrediatur. Quòd etiam de egressu intelligendum. *Idem* est à pari de aliis legibus purè humanis.

* 40 *Quid tenes* de ingressu parvularum puellarum, victus, & institutionis gratia? Aut viduæ cohabitare volentis? *Dico* 1. puellæ ab anno 7. vsquè ad 12. educationis gratia, cum Superioris, & Superiorissæ consensu in Monasterio Monialium commorari possunt, modò, quòd *NB.* habitent in loco à dormitorio, & laboratorio Monialium separato, & famulatum secum non introducant. *Ratio*: Quia sub hac distinctione turbant, vel non turbant regularem observantiam. Notandum tamen tertiò, quòd puellæ admissæ per Sorores Religiosas nullatenus in mundi vanitatibus, *vestium luxu*, *capitis ornatu*, &c. sed in ornatu spiritus, seù animæ sint instruendæ. Nec permittendæ ad libitum in & egredi.

Dico 2. De vidua, etiam honesta, in habitu sæculari Monialibus, etiam perpetuò, convivere volente benè resolvit negativè Tamburinus *de Iure Abbatiss. disp. 24. q. 14. num.* 3. sentiens, nec Episcopum ad hoc posse dare licentiam. *Ratio*: Quia per viduam à fortiori, per nuptam) faciliùs divulgantur mores sæculares in claustro, quam per dictas puellas. Attendenda est rationabilis Consuetudo loci, & qualitas clauſuræ, ac Monasterij.

* 41 *Quid de* Confessario? Visitatore? Medico, &c. *Dico* 1. Confessarius (idem est de Medico, & similibus) si (nimirum cum Socio, vbi is haberi potest) necessitatis causa intret, cessante causa, vltra vnum, alterumve *Pater noster*, &c. moram trahere non debet, sed ad summum infrà horæ quadrantem egredi, ni morta iter velit peccare: attamen modicum vltra manendo non videtur incurrere censuram, cùm enim hæc ut lata in eos, qui sine licentia ingrediuntur, tanquàm odiosa non est extendenda ad eos, qui sunt ingressi cum licentia, quà modicum abutuntur. sciant etiam Confessarius, & Socius, quod intra clauſuram propter infirmam pernoctare non audeant, (nisi fortè in casu valdè raro, & vrgente, & tunc se non separent) nec in locis Monasterio contiguis, in quibus (vti in Parlatorio sit occasio conversandi, aut loquendi cum Monialibus. Sed cùm clausura in omnibus Monasterijs non sit æqualiter in hore & rigore, servetur praxis, quæ viget, scientibus Superioribus

Dico 2. in Constitutionibus Sororum Ordinis nostri sic dicitur *cap.* 30 Licitum est Magistro Ordinis, vel Priori Provinciali sub tempus visitationis ingredi Monasteria Sororum, vna duntaxat vice in anno: ita tamen, vt si vnus ex illis Monasterium visitando ingrediatur, alter eodem anno ingredi non possit, iuxta tenorem Bullæ ab Alexandro VII. editæ, quę incipit. *Fidei Sacrarum Virginum*, &c. Vbi hoc etiam cavetur, vt Magister Ordinis cum duobus Socijs, iam verò Prior Provincialis nonnisi cum vno Socio Monasteria ingrediantur. Vide *Q.* 12 quòd possit etiam cum duobus. Et Gregor. XIII. in quadam Constit quæ incipit: *Dubijs, quæ emergunt*, &c. data Romæ apud S. Petrum die 23. Decemb. 1581. Superioribus Regularibus facultatem concedit ingrediendi Monasteria Monialium, in casu scilicet necessitatis: si verò aliquis extra omnem necessitatem ingrediatur, pœnam excommunicationis, ac privationem officij supra eundem decernit. Hæc ibi.

Dico 3. Dictæ Sororum nostrarum Constitutiones ibidem sic habent: Quando aliquis prædictorum ingreditur, Priorissa cum tribus antiquioribus eum semper comitetur, aliæ verò non discurrant, sed sint in capitulo, vel in ecclesia, vel in alio loco honesto omnes, præter illas, quę necessario occupantur in aliquibus officijs, donec regressus fuerit extra domum. Nulla loquatur cum aliquo ingredientium seorsim ab alijs, nisi forsan occasionaliter cum aliquo prædictorum, qui possunt, & debent intrare, & hoc de licentia, exceptis Priorissa, & tribus Sororibus ad hoc deputatis. Priorissa, & prædictæ tres Sorores simul ibunt, & simul vadant binę, & binæ. Loquan-

tu-

sur autem cum illis, quos ex aliqua causa contigerit ingredi, de expedientibus, breviter, & succinctè. *Item*, si oportet intra terminos Sororum aliqua opera fieri necessaria, poterunt intrare operarij aliqui de licentia Prioris Provincialis, vel Vicarij: & tunc Prioriſſa, & Superioriſſa, & Procuratrix, vel aliæ tres de Sororibus antiquioribus, & maturis, ad hoc deputatæ, Operarijs loqui poterunt ita tamen, quòd vna ab alijs duabus audiatur, aliæ verò nullo modo loquantur eis, nec etiam ad eos accedant. Hæc ibi.

* 42 *Quæritur* ſe habebit Confeſſarius, ſi intra clauſuram infirmæ Monialis debeat miniſtrare Sacramenta? *Dico*: Hic ibidem, noſtris præſcribitur modus: Si aliquam ita infirmari contigerit, quòd ad locum conſuetum Confeſſionis, ac Communionis venire non poſſit, ſi deſideret confiteri, tenebitur Confeſſarius ad cameram infirmæ venire, aſſociatus à Prioriſſa, & duabus alijs Sororibus antiquioribus, & audire, dum infirma confitebitur, ſocius Confeſſarij, cum eo Monaſterium ingreſſus, manebit penes Prioriſſam, & illas duas Sorores ſupradictas in loco remotiori, dummodò tamen Confeſſarium infirmæ aſſiſtentem commodè videre poſſit iuxta Bullam Alexandri VII. Si verò etiam eam communicare oportuerit, Sacerdos in ſuperpelliceo cum ſtola Corpus Chriſti deferens reverenter, præcedentibus eum duabus Sororibus cum cereis, & vna cum aqua benedicta, & alia campanulam deferente, aſſociantibus nihilominus aliquibus de maturioribus Sororibus ad infirmariam vadat, & infirmam communicet, prout in Ordinario continetur. Si autem aliqua Soror infirmetur in tantum, quòd eam inungi oporteat, tunc Sacerdos indutus, vt ſuprà de Communione dictum eſt, Oleum Sacræ Vnctionis deferat, & vna Sorore Crucem portante, præcedentibus duobus cum cereis ad infirmariam vadat, & totus Conventus cum proceſſionaliter antecedat, intrans autem Sacerdos infirmariam dicat: *Pax huic domui*: & cætera fiant, ſicut notatum eſt in Ordinario, ita tamen quòd abſterſiones cum ſtupis fiant, vel à Prioriſſa, vel ab aliqua Sorore, cui iniunxerit Cavendum eſt autem, ne de facili multiplicentur ingreſſus, modò cauſa *Communionis*, modò cauſa *Vnctionis*, ſine magna neceſsitate; ſed ſimul fiat vtrumquè. Cùm autem ſimul communicari, & inungi aliquam oportuerit, Soror aliqua Crucem portet, & Pater ſocius ſacram deferat Vnctionem, & primò fiat Communio, deindè Vnctio: & in illo caſu remaneat Conventus in infirmaria vſquè ad completionem Officij. Porrò vbi copia Miniſtrorum ſupradictorum non habetur in promptu, vel propter aliquam neceſsitatem feſtinare oporteat, omiſſa Miniſtrorum aſſiſtentia, omniquè alio apparatu, ac ſolemnitate fiant omnia eò modo, quò melius perfici poterunt.

* 43 *Eſtne* Monialium Confeſſario, vel Superiori licitum intra clauſuram in infirmaria, vel cella vicina aperta in altari portatili decenter præparato legere Miſſam pro ſolatio infirmæ Monialis? *Reſp.* 1°. Non licèt ſaltem ordinariè, nec in ordinarijs, etiam gravibus infirmitatibus, quamvis ſint magna feſta. Ita patet ex Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 5. ſic ſtatuente: *Ingredi intra ſepta Monaſterij nemini liceat cuiuſcumquè generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excom. mnouncationis pœna ipſ. facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſarijs, neque aliter ullo modo poſſit, etiam vigore cuiuſcumque ſiat facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.* In præſenti autem non eſt caſus vrgens, vel neceſſarius pro ingreſſu, quia Moniales, tam graviter infirmæ, vt ad Chorum, vel Cratem accedere nequeant, ad Miſſam audiendam non tenentur. Vndè & Sacra Congregatio Rituum anno 1605. die 22. Auguſti declaravit, *ne in Monialium infirmaria ſacrificium Miſſæ celebrari permittatur.* Ex quibus patet, quòd per Tridentin. ſit revocatum privilegium in hoc caſu à Leone X. conceſſum Monialibus S. Claræ.

Dico 2°. In caſu raro, & extraordinario infirmitatis per plures annos durantis, & vix curabilis, ita vt infirma ad Cratem accedere, vel deferri nullatenus poſsit, probabiliùs eſt cum debito Superiorum conſenſu id licere, ſaltem aliquoties in anno in magnis feſtivitatibus, in quibus infirma ſpecialiter petit Sacram Communionem. Ita à fortiori debent decere illi, qui tenent id licere toties, quoties Moniales iuxta ſuam Regulam tenentur communicare, nimirum Miranda, qui citat Rodriguez, & Pobabillan. Item Pellizarius. *Ratio*: Tum quia hoc nullibi reperitur iure prohibitum, nec dictum Privilegium Leonis X. quod hanc rarum caſum videtur revocatum per Tridentin. aut per illam Cardinalium declarationem, quia ad hunc caſum non cenſentur ſe extendere, qui videtur eſſe ſat vrgens, ac neceſſarius, ne infirma tot annis careat ſolatio Sacræ Miſſæ, dum enim certè eſſet eò tamdiù carere. Tum etiam, quia non violatur clauſura, ſupponitur enim, quòd Confeſſarius, vel Prælatus aliunde teneatur, & debeat ingredi ad Sacram Communionem infirmæ dandam, immò id per Celebrationem fieret cum maiori reverentia, ac decentia, & ſine diſcurſibus, qui debent fieri in aſportatione Sacramenti. Tum tandem quia Cellæ Clauſtrales Regulariter ſunt loca decentia, & honeſta, nec ſunt privatæ domus, ſed ad Eccleſiam pertinentes, vndè non comprehenduntur in Decreto Trident. quò prohibet celebrari in privatis domibus. Pro maiori dictorum intelligentia.

* 44 QUÆRO XII. Quiſnam poteſt dare licentiam non ſervandi Legem clauſuræ, ac ingrediendi? Hæc quæſtio movetur propter adducta verba Concilij Trid. loquentis disjunctivè, *ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia*, ita vt alterutrius licentia videatur ſufficere. Vndè

Reſp. Probabilior ſententia eſt, quòd licentia ingrediendi Monialium monaſteria non exempta, ſed pleno iure Epiſcopis ſubiecta, ab ipſis ex cauſa neceſſaria dari poſsit: ſecus eſt de moneſterijs exemptis Regularium quæ ingrediendi licentia dari poteſt, & debet à Superioribus eorundem. *Ratio*: Quia hoc apertè innuit modus loquendi Concilij ſub diſiunctione. Idem clarè legitur in Bulla Pij V. incip. *Vt Mendicantium Ordines*, §. 7. Quæ etſi per *Gregor. XIII.* ſit revocata quoad illa, quæ ſunt contra, non verò quoad ea, quæ ſunt iuxta *Concil. Trid.* Vnde & Conſtitutiones noſtræ Authoritate Apoſtolica approbatæ *diſt.* 2. *cap.* 1. *lit.* L. poſt relata *Concilij Trid.* verba ſubdunt: *Cui decreto inhærens Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, cenſuit, licentias ingrediendi intra ſepta Monialium ex mera tantùm neceſsitate concedendas, quoad monaſteria Regularibus ſubiecta, pertinere tantùm ad ipſos Superiores Regulares.* Anno 1597. die 19. Iul. Quamobrem poſt decretum *Concilij Trid.* Bononiæ 1564. *ipſum habetur*: Admonemus, Reverendos Provinciales, vt circa ingreſſum ad monaſteria Monialium magnam cuſtodiam

diam adhibeant, & quando gravis necessitas pro sui executione officij intrare compulerit, vnum tantùm, aut duos, vt plurimum socios eosque graves secum adducant. Inferioribus autem Monialium Præfectis ipsi Provinciales Leges præscribant, quando eis, & cum quibus socijs ingredi liceat: super quo eorum conscientias oneramus. *Hactenus.*

Verùm eadem Sacra Congregatio 3. Nov. 1610. aliter sic statuit: *Monialium monasteriorum exemptorum, & Regularibus subiectorum septa nemini ingredi liceat, nisi licentia in casibus necessarijs concedenda, modum à Superioribus Regularibus, sed etiam à locorum Ordinarijs obtenta fuerint. Non obstantibus quibuscumque contrarijs legibus, statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Tandem, vt tolleretur omnis difficultas, quę ex hoc decreto fortè posset oriri, negocio iterùm in eadem sacra Congregatione proposito, & Sanctissimo Papæ relato die 21. *Maij* 1630. Sanctitas sua declaravit, huiusmodi licentias à Superioribus Regularibus non esse petendas in illis locis, in quibus adesset consuetudo, vt istæ ab Episcopis tantùm concedantur: hoc enim casu statuit, & decrevit, talem consuetudinem esse observandam, & ipsorum Episcoporum tantummodò licentias sufficere, etiam privativè quoad ipsos Regulares, &c. Standum ergo est his declarationibus. De quibus (*ait noster Donatus Tom. 4.*) ego nullatenus dubito; tum quia fuerunt sub diversis Pontificibus multoties vniformiter repetitæ: tum etiam quia videntur renovatæ per decretum eiusdem Sacræ Congreg. *Urbani VIII.* editum 15. Nov. 1623. Et *Ratio est*: Quia consuetudo legitimè præscripta veterem Legem, abrogat, & novum privilegium infert.

* 45 *Debetne* licentia ista necessariò haberi in scriptis? *Affirmo* iuxta clara verba *Concilij Trid.* Hoc tamen probabilitis practicè intelligendum est de casibus, extraordinarijs, & quidem etiam in foro conscientiæ, non verò de repentinis, & ordinarijs, vti est, ingressus Medicorum, Chirurgorum, Operariorum, &c. *Ratio 1. p.* Tum vt evitetur periculum incurrendi excomunicationem, tum etiam, vt licentiam detur rariùs, & maturiùs. *Ratio 2. p.* Tum quia esset valde onerosum toties petere, & dare licentiam in scriptis; tum etiam quia non semper est facilis accessus ad Superiorem. Ergo sufficit consensus naturalis requisitus, ore tenus datus, vel præsumptus ex rationabili legitimè præscripta consuetudine.

* 46 QUÆRO XIII. Cuius est clausuram Monialium promovere, conservare, visitare? *Item possuntne* Episcopi pro libito, aut visitationis, vel electionis causa intrare, vt clausuram inspiciant, an ritè servetur? *Resp. 1.* Concil. Trid. Sess. 25. de *Regul. cap. 5.* decernit, Bonifacij Octavi Constitutionem (quæ incipit: *Periculoso*) renovans sancta Synodus vniversis Episcopis sub obtestatione divini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus monasterijs subiectis, ordinario; in alijs verò Sedis Apostolicę auctoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui; & vbi inviolata est, conservari maximè procurent: inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Quòd auxilium, vt præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, & sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus sæcularibus iniungit. *Hactenus ibi. Subiungit in fine eiusdem Cap.* Et quia monasteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, vel oppidi constituta, malorum hominum præda, & alijs facinoribus sine vlla sæpè custodia sunt exposita, curent Episcopi, & alij Superiores, si ita videbitur expedire, vt Sanctimoniales ex ijs ad nova, vel antiqua monasteria intra vrbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachij sæcularis. Impedientes verò, vel non obedientes per censuras Ecclesiasticas parere compellant. *Ita Concil.*

* 47 *Resp. 2.* Episcopi, & alij Monialium superiores Prælati possunt quidem in casu necessario, *v. g.* visitationis, vel similis rei gratia cum se ipsis (vti cum alijs) dispensare ad ingressum clausuræ sibi subiectæ: attamen in tutiori, & probabiliore sententia pro libito, sine iusta, & legitima causa, ac vrgente necessitate id non possunt. Ita apertè colligitur ex ante adductis verbis Tridentini: *Ingredi nemini liceat, cuiuscumque conditionis fuerint.*

Ratio 1. p. Tum quia id nullo iure expresso videtur prohibitum, tum etiam quia, vt dicetur infrà num. 90. qui in similibus potest dispensare cum alijs, potest & secum, ex iusta tamen causa. *Ratio 2. p.* Iuxta Legem, Illud. ff. ad L. *Aquiliam, cum mulis similibus*, vbi est eadem ratio, idem esse ius, censendum est. Et iuxta L. *non possunt*, ff. de Legibus, valet argumentum à simili. *Subsumo*: Sed quoad hoc eadem, aut saltem similis ratio dictat, quòd Episcopi, & Monialium Prælati non debeant sine legitima causa, ac necessitate ingredi clausuram; vt nimirum Monialium quieti consulatur. Ergo.

Confir. ex Bulla extrav. *Gregorij XIII.* incip. *Dubiis, quæ emergunt*, edita 1581. die 23. Dec. in qua, facta hac Episcopis, & Prælatis prohibitione, subditur: *Quòd si contra fecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis Dignitatis fuerint, eos pro prima vice, quo contra fecerint, ingressę Ecclesię interdictos: pro secunda, à munere pontificali, & à divinis suspensos, ac deinceps ipso facto, absque alia declaratione excommunicatos existere: Regulares verò omni officio, ac ministerio privatos excommunicationi similiter subiacere. Non obstantibus quibuscumque, &c.*

* 48 *Resp. 3.* De facto iuxta probabiliorem sententiam procurare observantiam Clausuræ Monialium, etiam exemptarum non spectat ad solos Episcopos, etiam vt Sedis Apostolicæ Delegatos, sed simul, coniunctim, & cumulativè ad ipsos, & ad proprios Monialium exemptorum Prælatos. Ita patet clarè ex Constitutione Pij V. incip. *Cura pastoralis*, edita 1566. Kalendas Iunij, vbi Ordinarijs locorum mandat, *vt in Monasterijs Monialium sibi ordinario iure subiectis, suo: in his verò, quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate, vna NB. cum Superioribus eorumdem clausuram, vt præmittitur, quam primùm poterint, feruari procurent.* Hinc etsi Episcopus potestatem visitandi clausuram exemptam Monialium non habeat dependenter à Prælatis Regularibus, eam tamen licitè exercere non potest sine illis: nisi moniti, vt, quæ ad clausuram pertinent, procurent, recusent, vel tardent procurare: quia in hoc casu *posset Episcopus Moniales Regularibus subiectas in ijs, quæ clausuram concernunt toties visitare, quoties verò cognoverit expedire*, vt Sacra Congregatio Concilij censuit 17. Iulij 1597. seù *quoties, & quando opus fuerit*, vt dicitur in Bulla: *Infrascripta*; non autem si nulla appareat

reat necessitas, vel suadeat vtilitas: hoc enim esset sine causa inquietare Moniales, & abuti sua potestate.

* 49 *Resp.* 4. Episcopi, prætextu videndi, an clausura sit violata, non possunt licitè intrare Monasteriam Monialium sibi non subiectarum, nisi sit publicum, quòd sit violata, & semel iterumquè monuerit ordinarios earum Prælatos. Vndè possunt tantùm videre, vel visitare exteriùs. *Ratio*: Quia Concil. Trident. expressè prohibet ingredi, nisi in casu vrgente, & necessario, qui in præsenti non est.

* 50 *Resp.* 5. Nec possunt Episcopi intrare ad consecrandas, vel benedicendas Sorores. Nec ad faciendam electionem, vel Confirmationem Abbatissæ, nec ad faciendam exhortationem, vel ad indicendam, aut faciendam visitationem Sororum. *Ratio*: Quia hæc omnia possunt fieri ad crates. Ergo non est casus necessarius, & vrgens à Tridentino requisitus.

* 51 *Resp.* 6. Tutiùs, & probabiliùs ad mentem Tridentini est, quòd nec ordinarijs Prælatis Monialium ingressus clausuræ sit licitus præcisè ad faciendam electionem, exhortationem, visitationem Sororum, vel ad eam indicendam. *Ratio* est quæ antè. Dixi, *precisè*. Si enim concurreret simul alia causa, vt ad clausuram interiorem perlustrandam, ad visitandas infirmas, ad videndum an ædificia, dormitoria, officinæ, &c. sint religiosè, ac convenienter aptata: vel si quid tale sit, quòd ad crates commodè fieri non potest, licitus est ingressus.

* 52 QUÆRO XIV. Quomodò resolvis hos casus? 1. *Episcopus*, vel Prælatus potestne dare matri licentiam ingrediendi clausuram, vt invisat suam filiam graviter decumbentem; vel vt intersit eius Professioni, aut Investiturę? 2. *Potestne* deficiente Medico mulier medica intrare Monasterium virorum, vt curet Religiosum periculosè infirmum, exire non valentem? 3. *Monialis* itinerans, vel fugitiva potestne recipi ad clausuram alterius Monasterij sui Ordinis? 4. *Possuntne recipi Infantes, aut amentes?* R. *ad* 1. negativè, iuxta quandam expressam Declarationem Cardinalium. *Ratio*: Quia non est casus necessarius, presentia enim matris non curabit infirmam, & filia loco solatij ob amoris teneritudinem magis affligetur. *Ad* 2. probabilius affirmo cum nostro de la Cruz, si fiat saltem cum licentia Prioris de consilio discretorum, associandibus quibusdam sæcularibus, vt sic vitetur scandalum. *Ratio*: Quia observantia clausurę solùm est de Lege humana, conservatio autem vitæ est de iure naturę.

Ad 3. R. negativè pro vtraquè parte. *Ratio*: Quia non est casus necessarius à Tridentino requisitus, possunt enim tales Sorores ad interim extra clausuram accomodari. Vndè non possunt ad clausuram admitti sine speciali consensu Sedis Apostolicæ, & ita habet praxis Romana. Fortè tamen ad id licentiam dare potest Nuncius Apostolicus istius Provinciæ. Consuli etiam potest Ordinarius loci, si fortè speciali quadam facultate polleat quoad hoc.

Ad 4. de Infantibus R. quòd possint ad clausuram admitti, & Moniales non peccent eos admittendo, puta, qui sunt doli expertes, seù discretione, ac vsu rationis carentes. Secus est de amentibus adultis. *Ratio* 1. *p.* Quia infantes non possunt Moniales inquietare, nec eis esse occasio peccati. Hinc illa suprà adducta verba Tridentini, *cuiuscumq; ætatis*, intelliguntur de illis, qui habent vsum rationis. *Ratio* 2. *p.* Licèt amentes adulti revèra sint incapaces obligationis Legis, ac peccati, prohibentur tamen admitti intra septa Monasterij Monialium ideò, quia possunt illis esse occasio peccati, & tumultus, inter illas excitando turbas, iocando, turpiter loquendo, vel agendo. Ergo Moniales mortaliter peccant immò excommunicationem incurrunt eos admittendo.

* 53 *Oppono* 1. contra hoc de amentibus. Etiam Infantes masculi Monialibus, & Infantes fœminæ Monachis possunt esse occasio peccandi per tactus, oscula: Sed hoc non obstante possunt illi admitti; ergo & amentes à Monialibus. 2. *Admittere* aliquem ad clausuram, cui ingressus non est prohibitus, non est peccatum: Sed ingressus clausuræ amentibus non est prohibitus, quia non sunt capaces Legis. Ergo. 3. *Hominem* vsu rationis carentem admittere ad clausuram, idem est ac admittere brutum: Sed Monialibus licèt admittere brutum. Ergo 4. *Amentibus* in die ieiunij non tantùm semel, sed sæpius licèt dare carnes, & hoc ideò, quia non tenentur Lege Ecclesiastica ieiunij, aut abstinentiæ. Ergo similiter.

Ad 1. *dist. mai.* Possunt esse occasio proxima, & per se, *N. mai.* Quia communiter, & per se loquendo ad Infantes non habetur affectus libidinosus. Possunt esse occasio valdè remota, & solùm per accidens, nimirùm præcisè ex malitia huius, vel illius Monialis Infantem per tactus, aut aspectus in partibus secretioribus abutentis, *C. mai.* & concessa *m.* *N. cons.* Fateor tamen optimè, & prudentissimè facturos Monialium Superiores, si severè prohiberent masculorum ad eas ingressum. Et eadem ratione in aliquibus locis sanctè eis prohibentur *catuli*, & alia quædam bruta, Monialium vsui non necessaria.

Ad 2. *dist. mai.* Si ex illa admissione non possint sequi mala, absurda, & inconvenientia, vti ostensum est magis ordinariè posse sequi ex admissione amentium, quàm infantium ad clausuram, *C. mai.* secus, *N. mai.* Bene enim stat, quòd is, qui amentem ad aliquos actus inducit, graviter peccet, licet amens Legis, & peccati incapax sit.

Ad 3. *dist. mai.* Si præcisè consideretur carentia vsus rationis, *C. mai.* Si simul consideretur occasio malorum, & inconvenientium, *N. mai.* *Ad* 4. *N. cons.* Disparitas est: Quia ex vno non sequuntur mala, quę ex altero. *Item ingressus* monasterij Monialium in amente adulto non potest aliqua ratione cohonestari, sicut ministratio cibi alias prohibiti, nimirum vel ratione morbi, vel ne humor melancholicus amentiam augeat, aut vitæ periculum causet.

* 54 QUÆRO XV. Quid sentis de Lege tributorum, & vectigalium? *Ante* R. *Suppono* 1. hæc, & similia nomina, *vectigal*, *tributum*, *gabella*, *collecta*, *præstantia*, *accisa*, *stipendia*, *talia*, *pedagia*, &c licet pro locorum, & occasionum, vel rerum diversitate varientur, quoad præsens tamen à *DD.* pro eodem semuntur, cùm eadem sit ratio tractandi de vno, ac de alio. Significat autem censum, vel pensum aliquod ex subditorum bonis, agris, domibus, pecoribus, mercibus, &c. vel etiam ratione transitus præstandum Principi terræ pro sua, ac Reipublicæ necessitate.

Suppono 2. Vt tributa sint iusta, requiri 1. *Vt* sint imposita ab habente auctoritatem, *v. g.* à Capite Reipublicæ perfectæ, aut à consuetudine immemoriali. 2. *Vt* non imponantur ad ditandos Reges, aut in luxum eorum, vel res vanas, sed ad congruam Prin-

Principis ſuſtentationem, & communem vtilitatem, *v. g.* ad iuſtum bellum, ad viarum reparationem, &c. qua cauſa ceſſante ceſſet tributum: cui conſuetudo etiam immemorialis obſtare nequit. 3. *Vt* in ſolvendis tributis ſervetur proportio in ordine ad neceſſitatem communem, & ad ſubditos, ita vt pro parva, & brevi neceſſitate non petantur tributa magna, & diuturna: nec tantum à paupere, quantum à diuite. 4. *Vt* non imponantur Perſonis priuilegiatis, ſeu exemptis ſine licentia Papæ, *v. g.* Religioſis vtriuſque ſexus, aut Clericis maiorem Ordinum, vel etiam minorum, ſi beneficium habeant. Nam ab ijs exigentes, & ad id conſiliantes, auxiliantes, fauentes, exequentes, &c. excommunicantur. Addunt aliqui inſignes Doctores, vt *Caietanus, Nauarrus, &c.* hanc conditionem, vt ſcilicèt non imponantur illis, quæ vehuntur ad proprium vſum. Sed praxis huic ſalutari doctrinæ obſtat, vt patet in tributo, dicto *acciſa*, quòd in quibuſdam locis imponitur, *vino, oleo, carnibus*, ad proprium vſum deſtinatis; vti, & pecoribus domi priuatim laginatis, ac macdatis. Rex ſanè dura, & niſi neceſſitas excuſet, periculoſa: Vtinam ſaperent, & hæc practicè intelligerent quorundam Principum Conſiliarij in gabellis excogitandis, & Principali ſuo ſuggerendis dexterrimi. His ſuppoſitis.

* 55 *Reſp.* 1. Leges iuſtæ tributorum, & vectigalium non ſunt purè pœnales, ſed obligant in foro conſcientiæ, non tantùm ad ſolvendum, ſed etiam ad non ſolutum, & defraudatum, reſtituendum. Hæc eſt ſententia tutior, & probabilior apud Thomiſtas, & multos extrancos, qui tamen non negant, poſſe in aliquò caſu à Principe cuidam loco in pœnam alicuius delicti imponi legem cuiuſdam tributi purè pœnalem. *Ratio* 1. Quia obediendum eſt iuſtis Legibus. Vndè Apoſtolus ad Rom. 13. ait: *Neceſſitate ſubditi eſſote, etiam propter conſcientiam, ideò enim* (vbi notetur connexio cum eò, quòd dixit de conſcientia) *& tributa præſtatis. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* *Ratio* 2. Leges tributorum, & vectigalium fundantur, tum in iuſtitia legali, quâ pars iuxta virium ſuarum proportionem tenetur in ſubſidium communis neceſſitatis: tum in commutativa, quâ propter onera, & curam boni publici, ſuo Principi, vel Magiſtratui ſubditi debent ſuſtentationem, & congruos reditus. Ergo.

* 56 *Reſp.* 2. Si communi fama, ac populi perſuaſione tributum, aut vectigal conſtarent eſſe iniquum, aut ſub prætextu congruæ ſuſtentationis, vel alterius neceſſitatis impoſitum, cedat in vſus non neceſſarios, v. g. ad nutriendam pompam ſuperfluam, vel ad auaritiam, &c. non obligat in conſcientia: tùm ad ſolvendum, ſive ad non ſolutum reſtituendum. Ita Sylveſter, & alij. *Ratio*: Quia Lex iniuſta ſecundùm ſe non ligat in conſcientia. Dixi, *ſecundùm ſe*, quia benè monet dictus Author, quòd in hoc caſu poſſit peccari ratione mendacij, periurij, vel ſcandali, & huiuſmodi: adeòque ratione ſcandali, vitandi, & publicæ tranquillitatis cauſa quilibet indiſtinctè tenetur.

* 57 *Reſp.* 3. Si quis iniuſtè eſſet à Principe damnificatus, vel Princeps eſſet eius debitor, & non poſſet vlla alia via à Principe, huius debiti conſcio, rehabere ſuum, poteſt ſibi, ſecluſo ſcandalo, & alio quouis peccato, ſatisfacere non ſolvendo gabellas, licèt quidam tertiùs eas emerit: niſi iudicet, hunc emptorem graviter damnificandum. Ita Sylveſter, & alij. *Ratio eiuſdem eſt*: Tum quia illi communiter gabellas emunt minori pretio, propter ſimiles fraudes, quas ſciunt communiter fieri: tum etiam, quia Princeps non poteſt alteri vendere meum, ſed meum eſt ius retinendi mihi illud, quòd alijs Principi deberem, ſi ille mihi non deberet. Ergo.

* 58 *Reſp.* 4. Si non apertè conſtet de iuſtitia, nec de iniuſtitia gabellæ, aut vectigalium, ſed dubitetur, tutius, & probabilius eſt, ſubditos in conſcientia teneri ſolvere. *Ratio* patet ex illo generali principio: *In dubijs præſumendum eſt pro Principe, ſeù Superiore*; à quò ſi ſemel recedatur, ruet tota boni Regiminis ratio. Nec valet, quòd alij dicunt, hoc principium ſolùm verificari, quando non agitur de intereſſe Regis. Non, inquàm, valet, quia intereſſe Regis quà talis, eſt intereſſe ipſius Regni. Nam *Rex propter Regnum*, non econtra; vt ſuprà dixi. Vndè in favorem ſubditorum etiam hic non valet illud: *Melior eſt conditio poſſidentis*; de quò in *T. 2. de Conſcientia E. 1. n* 12.

* 59 *Quomodo* reſolvis hunc caſum? In cuiuſdam Principis conſilio tractatur de impoſitione alicuius tributi iniuſti, maior pars Conſiliariorum conſentit. Quid faciet pars minor, voris inferior? nonne ſalva conſcientia etiam poteſt conſentire, quia plurima vota valent? *Dico*: Non poteſt ſine mortali. *Ratio*. In nullo caſu licet approbare malum, vel poſitivè ad illud concurrere. Si minor pars, ſciens, ſe non conſentiente, maiorem partem ſua vota retractaturam, tamen conſentiret, peccaret non tantùm contra Charitatem, ſed & contra iuſtitiam, adeòque teneretur ad reſtitutionem. *Ratio*: Quia eſſet cauſa efficax iniuſtitiæ. Si autem minor pars, ſciens, ſe non conſentiente, tributum tamen eſſe imponendum, conſentiret, peccaret mortaliter, ſed ſolùm contra charitatem, non contra iuſtitiam. *Ratio*: quia non eſt cauſa efficax iniuſtitiæ, vtpotè, quæ nihilominus fieret. Simile eſt in eligente indignum, qui aliunde eligeretur. Vide *T. 2. E. 3. n.* 38. quam ſententiam teneatur ſequi Princeps in impoſitione tributorum.

* 60 QUÆRO XVI. Teneanturne omnes lege humana, etiam ipſe *Legislator, Princeps, Monarcha*? *Clerici*, & *Religioſi* lege ciuili, vel diœcesana? & quomodo *peregrini, vagi, pueri, amentes*? vel dicanturne homines exeges?

Reſp. 1. Nulli dantur in hac vita homines, etiam iuſti, *exleges*. Ita S. D. *q. 96. a. 5. in Sed cont.* ſic arguens: Apoſtol. Rom. 13. dicit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Sed non videtur eſſe ſubditus poteſtati, qui non ſubijcitur legi, quam fert poteſtas. Ergo omnes homines debent eſſe legi ſubiecti; conſequenter non dantur homines exeges. *Declara*: hoc vlteriùs *S. D. ibid.* Lex de ſui ratione duo habet: *Primò quidem*, quod eſt regula humanorum actuum; ſecundò, quòd habeat vim coactivam. Dupliciter ergo aliquis homo poteſt eſſe Legi ſubiectus; vno modo, ſicut regulatum regulæ, & hoc modo omnes illi, qui ſubduntur poteſtati, ſubduntur legi, quam fert poteſtas. *Alio modo* dicitur aliquis ſubiectus legi, ſicut coactum cogenti; & hoc ſecundo modo malorum virtuoſi, & iuſti non ſubduntur legi, ſed ſolli multi; quod enim eſt coactum, & violentum, eſt contrarium voluntati; voluntas autem bonorum conſonat legi, à qua malorum voluntas diſcordat. Et in hoc ſenſum *S. ad* 1. explicat S. D. illud 1. ad Timot. 1. *Iuſto non eſt poſita Lex*. Vide ſupr. in hoc *T. E. 2. n.* 7.

* 61 *Reſp.* 2. Princeps, & Monarcha, tenetur ſuis legibus quoad vim directivam, eſt autem ſolutus ab ijs quoad vim coactivam. *Declara*, & pro-

bat hoc 2. D. *Sid. ad* 3. *dicens*: Princeps dicitur esse solutus à Lege quantum ad vim coactivam Legis, nullus enim proprie cogitur a se ipso; Lex autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate. Sic igitur Principi dicitur esse soluta a Lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra Legem agat. Unde super illud *Psal.* 50. *Tibi soli peccavi*, &c. dicit Gloss. quod *hoc non habet homo in se, qui sua facta dijudicet*. sed quantum ad vim directivam Legis Princeps tenetur Legi propriæ voluntate, secundum quod dicitur *extra de constit. Cum omnes*: Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure vti debet. Et Sapiens dicit authentica: Patere Legem, quam ipse tuleris. Improperatur etiam illis a Domino: Qui dicunt, & non faciunt, & quia illis onera gravia imponunt: & ipsi nec digito volunt ea movere, ut dicitur Matth. 23. Unde quantum ad Dei judicium Princeps non est solutus a Lege, quantum ad vim directivam illius, sed debet voluntarius, non coactus Legem implere. Est etiam Princeps supra Legem, in quantum, si expediens fuerit, potest Legem mutare, & in ea dispensare pro loco, & tempore. Hactenus. Ex his patet, quod si quando Papa teneatur ad Jejunium, confessionem annuam, &c. & Rex ad certa mercium pretia à se fixenda. Fateor tamen, si Lex circa materiam, cujus observantia conditionem Principis deceret, v. g. de non portando gladio, &c. eum non ligaret, etiam quoad vim directivam. Hinc dicta retractio tantùm intelligitur de materia, quæ subditis, & Principi est communis, non quæ subditis est propria.

Dixi in n. 2. *Princeps, & Monarcha*, sive sit Ecclesiasticus, sive sæcularis. Est autem Monarchia Principatus unius, seu quando unus præest alio uni, & independens ab alijs. Et hic tenetur suis Legibus, quoad solam vim directivam. Nam si loquamur de Regimine *Aristocratico*, vbi Optimates dominantur, eiusque Leges vocantur *Senatus consulta*: vel si loquamur de Regimine *Democratico*, vbi summa potestas est penes cœtum populi, eiusque Leges vocantur *Plebiscita*: non est dubium, quemlibet tum ex Optimatibus, tum ex populo teneri Legibus, etiam *vi coactiva*; quia quilibet horum respectu totius cœtus est verus subditus.

* 62 *Resp.* 3. Clerici, ac Religiosi Legibus pro communi Reipublicæ gubernio latis, suo statui, ac immunitati non præjudicantibus tenentur indirectè, ac solâ *vi directiva* directè orta ex Lege naturali, & Ecclesiastica, quæ vult, vt qui sentit commodum (Reipublicæ) sentiat etiam onus, saltem, quòd suo statui non præjudicat: non verò teneantur ij directè, ac vi coactiva. *Ratio* 1. *p.* est hic in terra per ly, *Qui sentit commodum, &c. Ratio* 2. *p.* Quia Clerici, ac Religiosi non sunt subditi *fori civilis*.

* 63 *Resp.* 4. Tutiùs, & probabiliùs videtur, quòd Religiosi exempti, quoad eà, quæ suo statui, & privilegijs non præjudicant. & ad communem observantiam, ac totius Populi devotionem spectant, vt sunt, *festa, publicæ Processiones, jejunia, &c.* sub peccato mortali in re gravi teneantur Legibus Episcoporum saltem indirectè, & ex naturali æquitate rationis conformitatis cum alijs. 2. Licèt non directè, & ex vi earum.

Ita de festis, & censuris, ac Processionibus *Sess.* 25. *c.* 12. *statuitur à Tridentino decernente*: Censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque serventur, dies etiam festi, quos in Dioecesi tu servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur. *Et cap.* 13. Exempti autem omnes, tam Clerici sæculares, quàm regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati, accedere compellantur: iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. Hæc Concilium. Quod ibi præmittit, omnes Religiosorum, & Clericorum controversias de precedentia *in* Processionibus, vel Sepulturis, & similibus, esse componendas ab Episcopo, amota omni appellatione. *Ratio* 1. *p.* de obligatione incerta est. Quia ratio, & æquitas naturalis dictat, quod pars debeat habere conformitatem cum toto. *Ratio* 2. *p.* Quia Religiosi exempti non sunt subditi Episcopo, sed habent Superiores, iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, immediatè sub eodem Papa.

* 64 *Resp.* 5. Qui sunt in territorio alieno, sive transeundo, sive immorando, non tenentur Leges particulares sui territorij servare. 2. Nisi sint tales, qui ex officio teneantur esse præsentes, aut quibus absentia, seu omissio moraliter imputatur. *Ratio* 1. *p.* Nullum agens agit extra suam sphæram: Sed sphæra activitatis Legislatoris est propriùm territorium. Unde est illud axioma: *Extra territorium jus dicenti non paretur impune*. Ergo extra illud non habet jurisdictionem saltem actualem in subditum peregrinum, sed solum habitualem. *Secunda pars* patet ex eo, quia Parochus extra Dioecesim vagans peccat contra Leges Dioecesanas, non faciendo ea, quæ sunt Officij Pastoralis. Idem est de Clerico non comparente ad Synodum.

* 65 *Resp.* 6. Probabilius, & tutius est, peregrinos, & advenas teneri servare Leges territorij, per quod transiunt, v. g. in celebratione festi audiendi Sacrum, abstinendo ab opere servili, vel à cibis prohibitis in die jejunij, si tamen ibi toto tempore respectu festi, vel toto die respectu abstinentiæ, nisi ex alio capite excusentur. *Idem à fortiori* dicendum est de vagis, id est, nullibi domicilium habentibus, vel diù morantibus. *Ratio* datur à Gonet: Si brevis absentia sufficit ad Viatores eximendos à subjectione Legis proprij territorij, à quo discedunt, debet quoque sufficere ad illos subjiciendos Legibus alieni territorij, per quod transeunt: *par enim est, vt sentiat onus, qui sentit commodum*, vt habet Regula Juris.

Sequitur ex dictis, 1. *eum*, qui manè discedit ex territorio, vbi ligat Lex jejunij, & vesperè venit ad locum, vbi non est jejunium, posse in cœna comedere carnes; quia non tenetur ad Legem particularem sui territorij; nec committur quis ex dolo agere, qui utitur jure suo, nisi expressè dolum, seu fraudem intendat. *Sequitur* 2. Eos à fortiori, statim subjici Legibus particularibus loci, qui ad eum veniunt animo ibi perpetuò, vel ad longum tempus, vel ad aliquot mentes, aut septimanas manendi, alicujus negotij tractandi causa, v. g. Legatos, Studiosos, Mercatores, &c. *Sequitur* 3. à fortiori, advenas, & Peregrinos teneri Legibus communibus Loci, ad quem veniunt, licèt illæ in propria Patria non vigeant, v. g. quidam Mediolanensis veniens in Germaniam: primis quatuor diebus Quadragesimæ tenetur ad jejunium, à quo Mediolani esset immunis. *Ratio*: Quia illa immunitas est contuetudo, vel privilegium locale à jure communi exorbitans. Ergo debet restringi ad terminos loci.

* 66 *Resp.* 7. Puer dum pervenerit ad usum ratio-

nationis (quòd censetur communiter fieri circa septennium) *statim* incipiunt subjici Legibus, non solùm Divinis, sed & Ecclesiasticis excepta Lege ieiunij, & Communionis. Est communis sententia. *Ratio*: Quia antè vsum rationis Lex non censetur promulgata. Exceptio à Lege ieiunij, & Communionis patet in propriis locis.

Not. tamen, quod illud ly *statim* non debeat sumi physicè, sed moraliter, præsertim quoad Leges Ecclesiasticas. Ecclesia enim veluti pia mater non videtur velle pueros ad auditionem Missæ, v. g. obligare, mox, vt sunt capaces Rationis, nisi ad summum sub veniali: & hoc ideò, quia adhuc imperfectè apprehendunt, tum mysteria, tum præceptum ipsum. Ex quò fit, quòd facilè negligant ea, quæ ad præcepti implerionem requiruntur. Hinc & DD. in diversas abeunt sententias, dum aliqui sentiunt, pueros post septennium obligari Ecclesiæ Legibus, tempus obligationis expresè non determinantibus, vt sunt Leges auditionis Missæ, annuæ Confessionis, &c. de ieiunio enim determinant. De Confessione vide *T. 13. E. 4. n. 12.* Hæc, vt plurimùm determinanda sunt iudicio prudentum, Confessariorum, ac Parentum, qui sciant, vti tenentur, attendere, an pueri discernant bonum à malo, an erubescant de mendatio, aut commissa impudicitia, &c. alijs enim citiùs, alijs tardiùs iudicium maturescit. *Illis firmiter assentior*, qui tenent, pueros post, vel etiam antè septennium obligari præcepto diuino Confessionis in articulo mortis, posito quòd aliquid commiserint, cui peccatum mortale subesse possit, ne exponantur periculo æternæ damnationis.

* 67 *Resp.* 8. Amentes, & lunatici habentes lucida intervalla obligantur omnibus Legibus pro eò tempore, quo vtuntur ratione. Idem est de ebrijs, dormientibus, ignorantibus culpabiliter, pro tempore ebrietatis, dormitationis, &c. *Ratio*: Quia non est rationabilis causa deobligationis, cùm ebrij, dormientes, ignorantes, culpabiliter tales, sua culpa se conjecerint in eum statum, in quò Legis obligatio eis est impossibilis. Sicut etiam non apparet ratio, cur amentes lucida intervalla habentes pro illo tempore lucidi non teneantur: adsunt enim omnia ad obligationem requisita. *Resp.* 9. Qui permanenter carent vsu rationis, nullis tenentur Legibus. *Ratio*: Quia iuxta S. Thom. *q. 17. de Verit. art.* 3. Lex est quoddam vinculum rationale.

* 68 *Tenentur* ne infideles, & hæretici Legibus Ecclesiæ Catholicæ. *Affirmo* de hæreticis, nego de infidelibus. *Ratio*: Quia infideles, cùm non sint baptizati, Ecclesiam nondum sunt ingressi; & Ecclesia nullam adhuc habet in eos iurisdictionem. Hæretici verò per Baptismum veluti ianuam, Ecclesiam sunt ingressi, & eius iurisdictioni subiecti. Licèt enim non agnoscant se subditos Papæ, & Ecclesiæ, hoc fit via *facti*, non *iuris*. Item licèt in pœnam suæ rebellionis ab Ecclesia sint eiecti, & excommunicati, possunt tamen ab eà cogi ad redeundum: & ipsi continuò redire tenentur. Hinc toties peccant, quoties Leges Ecclesiæ transgrediuntur, nisi aliqui, nimirum hæretici materiales, excusentur ratione invincibilis ignorantiæ. Hæc doctrina scitu necessaria est Confessori in casu, quò aliquem hæreticum vult reducere ad Ovile Ecclesiæ Romanæ, vt cum eruditi pro facienda prima Confessione sacramentali.

* 69 QUÆRO XVII. Potestne subditus interdum vti *EpiKeia*, seu agere contra verba Legis? *Resp.* affirm. cum S. Thom. *q. 194. a. 6.* Declaratur, & *Ratio* datur ex eodem *ibid.* Omnis Lex ordinatur ad communem salutem, vt suprà dictum est, & in tantum obtinet vim, & rationem Legis: secundum quòd ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet: Sed contingit multoties, quòd aliquid observari communi saluti est vtile, vt in pluribus. quòd tamen in aliquibus casibus est maximè nocivum, cùm enim Legislator humanus non possit omnes singulares casus intueri, proponit Legem secundum ea, quæ in pluribus accidunt. Ergo si emergant casus, in quo observatio talis Legis sit damnosa communi saluti, non est observanda.

Explicat hoc exemplo: Si in civitate obsessa statuatur Lex, quòd portæ civitatis maneant clausæ, hoc est vtile communi saluti, vt in pluribus: si tamen contingat casus, quòd hostes insequantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset civitati, nisi eis portæ aperirentur. Ergo in hoc casu essent portæ aperiendæ contra verba Legis, vt salvaretur vtilitas communis, quam Legislator intendit. Subdit deinde *S. Thom.* Si periculum non sit subitum, sed patiatur moram, non pertinet ad quemlibet, vt interpretetur, quid civitati sit vtile, vel inutile, sed solùm ad Principes, qui in huiusmodi casibus habent authoritatem in Legibus dispensandi. *Not.* quòd sit triplex interpretatio Legis 1. *Authentica*, quę fit authoritate illius, qui Legem tulit; & habet vim Legis. 2. *Usualis*, quę fit vsu, & consuetudine, quę inde dicitur *optima Legum interpres.* 3. *Doctrinalis*, quæ fit per doctrinam, seu interpretationem Doctorum, & non habet quidem propriè vim Legis, non tamen ei deest pondus authoritatis.

Cuius virtutis actus est interpretatio Legis? *Dico*: Est actus virtutis, quę est species iustitiæ, iuxta *S. Thom. 2. 2. q. 120. ar. 2. in c.* cui virtuti nomen, *EpiKeia*, dicta latinè *æquitas*, quę est virtus dirigens actiones in casibus, in quibus Leges, & Regulæ operandi deficiunt. Plura de hoc vide supra in hoc *T. E. 2. n. 11.*

* 70 QUÆRO XVIII. Quid est consuetudo? potestne abrogare, aut inducere Legem, seu habere vim Legis? *Resp.* 1. Consuetudo bene definitur: *Ius quoddam moribus hominum institutum, quod pro Lege suscipitur, cùm deficit Lex.* Unde consuetudo propriè non est ipse frequens hominum vsus, sed *ius* ex eo ortum: vnde differt à corruptela, seu abusu, in quo non est ius. Dixi, *cum deficit Lex*, quæ tripliciter potest deficere. 1. *Cùm* planè non est Lex. 2. *Cùm* fit inutilis. 4. *Dum* est dubia, vel obscura.

* 71 *Resp.* 2. Consuetudo est triplex. 1. *Secundum Legem*, & hæc Legem vel confirmat, vel saltem interpretatur, ac declarat, si sit dubia, vel obscura. Vnde, vt antè dictum est illud: *Consuetudo est optima Legum interpres*: & sic valet contra tertium defectum. Altera est *præter Legem*, seu inducitur moribus vtentium, vbi Lex non est, quæ præcipiat, aut prohibeat; & sic valet contra primum defectum. *Tertia* consuetudo est contra Legem, seu quæ aliquid obtinet quòd repugnat præcepto, vel prohibitioni Legis; & sic valet contra secundum defectum. Et de hac potissimùm est difficultas.

* 72 *Resp.* 3. Consuetudo habet triplicem vim, nimirum *interpretandi*, *abrogandi*, ac *inducendi* Legem. Ita sequitur ex dictis, & docetur à *S. Thom. q. 97. a. 3. in c. Ratio* S. D. est: Lex proficiscitur à ratione, ac voluntate Legislatoris: sed hæc non tantum manifestatur verbo, sed & facto. Ergo sicut

Lex potest declarari, abrogari, introduci verbo, ita & facto, seu actibus multiplicatis. Et *ad* 2. ostendit, quòd is, qui incipit primò agere contra legem, non agit malè, dicens: *Leges humanæ in aliquibus casibus deficiunt*, vt suprà dictum; *unde possibile est, quamcumque præter legem agere, in casu, scilicet, in quo defecit Lex, & tamen actus non erit malus; & cum tales actus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem, quòd Lex ulterius non est utilis.* Hæc ibi.

* 73 *Resp.* 4. Vt consuetudo Legem abroget, & ipsa vim Legis obtineat, diversæ requiruntur conditiones. *Prima est*, vt sit iusta, ac rationabilis, ita vt non sit contra aliquam Legem *naturalem*, vel *divinam*, vt patet clarè *ex dict. S. Thom. ad* 1. Vnde si quid fiat contra Leges, est corruptela, vt patet in toleratione *Lupanarium*, de qua suprà: item vt non præiudicet communi vtilitati, vt constat ex definitione Legis.

Secunda. Actus consuetudinem non introducunt, nisi sint externi, à populo, ac Principe cogniti. *Tertia.* Debent esse actus voluntatis: Vnde si alicubi esset consuetudo celebrandi festum alicuius Sancti, quia corpus eius ibi creditur esse sepultum, si postea reperiatur, non esse ibi sepultum, consuetudo non amplius obligat. 4. *Si Princeps*, vel qui præest Communitati, reclamat contra consuetudinem, non obtinet vim Legis, nec Legem abrogat; adeoque requiritur eius consensus saltem tacitus, seu præsumptus, consistens in hoc, quod non contradicat, cum tamen facilè possit. Quamobrem Leges Ecclesiæ in ijs locis, vbi Catholici, & hæretici sunt mixti, non abrogantur per contrariam consuetudinem hæreticorum. 5. *Vt seruetur* à maiori parte populi, nimirum à duabus partibus populi, si eum dividas in tres, loquendo de solis, qui Lege tenentur, vtque non computentur infantes, amentes, extranei, &c.

Sexta conditio est, vt consuetudo non inducatur ex sola *devotione*, sed cum animo se, aliosque obligandi: quia aliàs nunquam esset Lex, ad hanc enim in Legislatore requiritur intentio obligandi. Exemplum consuetudinis ex devotione est in receptione cinerum in feria 4. *ante Dom.* 1. *Quadr.* Item in more quotidie ter pulsandi propter Salutationem Angelicam, & audiendi tres Missas in Natali. In dubio, an sit mera devotio, an vero Lex sub peccato obligans, quid sit faciendum, vide in *T.* 2 de conscientia. *E.* 1. *n.* 15. 7. *Vt non sit præcisè* inchoata, nec per contrarium actum interrupta, quia alias de novo esset reincipiendum; sed vt sit frequentia actuum continuata, & tandem completa, ac perfecta.

Ultimò requiritur certum tempus; hinc si consuetudo inducatur à populo cum consensu Principis solùm tacito, seu præsumpto (nam si sit expressus, consuetudo statim obtinet vim Legis) seruandum est tempus à Iure requisitum; Princeps enim præsumitur velle seruare ea, quæ iure communi statuta sunt. Cæterum, cùm nec in Iure civili, nec in Canonico vllum certum tempus legatur determinatum pro inducenda consuetudine (*vt disseruit Gonet.*) hinc fit quòd tempus à Iure requisitum ad præscriptionem (de qua infrà *T.* 8. *D.* 4. *n.* 1.) requiri censeatur ad consuetudinem. Vnde iuxta hanc Regulam consuetudo contra Legem civilem requirit *decem annos*; contra Ecclesiasticam, *quadraginta*. Sed hoc est pro foro fori; nam pro foro poli sufficit, si videamus, prudentes, & timoratæ conscientiæ, viros plerosque tales, morem seruare.

* 74 *Potestne* per actus illicitos Lex humana abrogari? Dixi *abrogari*, quòd enim per eos non possit institui, patet ex prima conditione. *Affirmo* cum *Caietano*, & *Soto*. Et in eo casu licèt primi, qui contrà Legem iustam egerunt, peccarint; nisi ex alio capite excusentur attamen consuetudine iam completa non amplius erit peccatum. Et ita est de illis locis, *vt in Belgio*, in quibus à festo *Nativitatis Domini* vsque ad festum *Purific. B. V.* vescuntur carnibus in Sabbatho. Licèt ergo medium, quo consuetudo fuit inducta, non fuerit rationabile, ipsa tamen postea est rationabilis, si habeat præfatas conditiones. Et in hoc differt à præscriptione; ad huius enim etiam inchoationem requiritur bona fides; & hoc idcirco, ne daretur occasio rapiendi rem alienam, eamque aliquo tempore retinendi, & ita præscribendi; quod esset absurdum.

* 75 QUÆRO XIX. Potestne in Legibus humanis dispensari? & à quo? *Dare* 2. *Not.* quod dispensatio, prout de ea hic agitur) definiatur: *actus iuris communis relaxandi facta ab eo, qui habet potestatem relaxandi*, seu authoritatem publicam superius: sic vt Lex communis respectu vnius, vel alterius relaxetur, manente eius vigore, seu obligatione respectu cæterorum. Differt *ab extinctione*, vt patebit infrà *T.* 10. de Relig. *E.* 3. *n.* 38. Differt *ab abrogatione*, quia per eam tota Lex; & *à derogatione*, quia per eam aliquid Legis tollitur respectu omnium. *Ab Epikeia*, seu Legis interpretatione, quia hæc, vt antè dictum, potest etiam fieri à subditis, saltem vtilis: dispensatio verò est actus iurisdictionis, adeoque Superioris. Differt à *simplici licentia*, qualis est, *v. g.* in monasterio, vt nemo exeat, nisi cum licentia, hæc enim nihil aliud est, nisi positio conditionis, quam Lex requirit, quæ conditio est positio, & concessio exitus: dispensatio autem est directa exemptio à Lege. Differt *ab absolutione*, quia dispensatio est contra Legem communem, vt patet ex eius definitione: absolutio verò, si absolvendus sit ea dignus, non est contra, sed secundùm illam. Tandem *à privilegio* differt, quòd hoc aliquando sit præter, & non contra ius; si autem sit contra ius, tunc est idem, quòd dispensatio. Quæ quia debet esse ex causa, non verò privilegium necessariò, ex hoc patet altera differentia. Hoc præmonstrato

Resp. 1. Legislator humanus potest propriè dispensare in sua Lege, seu quæ suæ authoritati instituitur, licèt sit à Superiore confirmata. Ita *S. Thom. quæst.* 97. *art.* 4. *Ratio*: Quia eiusdem potestatis est, Legem condere, ac tollere, ex toto, vel ex parte. Ergo. Dixi: *Licèt sit confirmata.* Quia illa confirmatio habet se per modum nudæ approbationis, sine animo inducendi novam obligationem, nisi confirmans sibi reservaret facultatem dispensandi.

* 76 *Resp.* 2. Legislator potest secum dispensare in sua Lege, vti & in Legibus prædecessorum, cum quibus parem habet potestatem: à fortiori in legibus suorum inferiorum, *v. g.* Iudicum *Ratio est*, tum eadem, quæ est data pro R. 1. tum quia *par in parem non habet imperium*, bene tamen in subordinatum.

Declaratur vlteriùs, quòd, & quomodo Legislator possit etiam secum dispensare: Principis prudentiæ conceditur gubernatio totius Reipublicæ, quæ est maioris momenti, quam dispensatio secum. Ergo etiam potest illi permitti iudicium de æquitate cautæ, vt secum dispenset. *An autem* hæc sit dispensatio propriè dicta (de quo potest dubitari, cùm Legis-

gislator solùm indirectè obligetur sui Lege, & nemo propriè possit exercere iurisdictionem in se ipsum; parùm facit ad praxim. Saltem hoc certum est, quòd dispensatione alijs à se data ipse gaudere possit (cessat enim tunc Lex naturæ, vi cuius tenebatur se conformare toti) adeòque secum saltem indirectè dispenset. Non enim in similibus debet esse deterioris conditionis, quàm subditi. Ex his.

Sequitur 1 Papam posse dispensare ex plenitudine suæ potestatis in omnibus Legibus (si nihil Legis divinæ involvant) ac statutis priorum Pontificum (vtpote quibus est par) ac Conciliorum generalium, Cùm sit super illa, tanquam Caput. *Sequitur* 2. quòd Papa, sicut potest frui indulgentijs, quas alijs concessit, ita & dispensatione Legis ieiunij Quadragesimalis, voti, iuramenti, &c.

Oppono 1. Papa non potest seipsum absolvere à peccatis, nec excommunicare. Ergo nec secum dispensare. 2. *Nemo* sibi ipsi potest conferre beneficium, seu præbendam. Ergo similiter. *Ad* 1. *N. cons.* Quia illi actus personales, vel ex iure divino, vel ex natura rei requirunt personarum distinctionem. *Ad* 2. etiam *N. cons.* Quia in iure specialiter prohibetur, ne quis sibi ipsi conferat beneficium, ad evitandam labem avaritiæ.

* 77 *Resp.* 3. Prælatus inferior per se loquendo cum suis subditis non potest dispensare in Lege superioris Prælati, bene tamen per accidens, & in certis casibus, *v. g.* Episcopus in Lege papali, non tamen Papa in Lege divina. *Ratio* 1 *& 3. p. est*: Tum quia potentia inferior per se non potest impedire superiorem in agendo, tum quia S. D. docet, Legislatorem posse dispensare in Lege, quæ innititur suæ auctoritati, qualis non est Lex Superioris. Similiter nec Lex divina innititur auctoritati Papæ, licèt enim sit Vicarius Christi, non tamen Successor, nec æqualis in potestate.

Secunda pars declaratur assignando casus, & mentem Tridentini. Hoc enim *Sess.* 24. *cap.* 6. expressè concedit Episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (exceptis ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs ad forum contentiosum deductis) & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis. Excipitur etiam irregularitas ex bigamia, & iudicio sanguinis, ac illegitimis natalibus. De quibus infrà de censuris in proprio loco.

Deindè interpretativè per legitimam consuetudinem Episcopis commissum est, vt dispensent: *Primò* in omnibus votis simplicibus, si quinquè excipias Papæ reservata, de quibus infrà in *T. 10. E 3. n.* 42. *Secundò* in causis levioribus 3. *In casibus* frequentissimè occurrentibus, vt in lege ieiunij, abstinentiæ, in celebratione festorum 4 *In impedimentis* matrimonio supervenientibus (nam in ijs, quæ antecedunt solus Papa dispensat) seù post matrimonium cum bona fide, saltem alterius coniugis, contractum, deprehensis, si non sit facilis recursus ad Papam, aut eius Delegatum, nec coniuges possint sine gravi scandalo, aut infamia separari. 5. *Ex benigna* interpretatione, & præsumpto consensu Pontificis in casu magnæ necessitatis, & periculi infamiæ, scandali, &c. & si facilè nequeat esse dictus recursus, potest Episcopus dispensare etiam in impedimento dirimente, alias dispensabili, ante matrimonium, vt si hoc Confessario à sponsa detegeretur immediatè ante nuptias, & non esset alius modus evadendi. 6. *Hæc* reducitur casus maximæ vtilitatis, in quò etiam ille recursus fieri nequit. Plures casus adducuntur ab Auctoribus, in quibus videantur.

* 78 QUÆRO XX. Potestne quis facultate dispensandi præditus, validè, aut licitè in se, vel Superioris Lege dispensare sine iusta causa? *Resp.* 1. Probabiliùs est, quòd Legislator in propria Lege, vel alius ei æqualis possit, sine iusta causa dispensare *validè*, sed non *licitè*: sic, vt dispensans *peccet*, dispensatus verò licitè possit frui data dispensatione, nisi fortè per accidens sequatur scandalum, vel damnum tertij, cuius causam vitare tenetur; vel fuisset ad eam cooperatus positivè, dum petendo, consulendo, &c. Ita S. Thom. *art.* 4. *in c.* dicens: *Si absque ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens; infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret.* Hæc ibi.

Ratio: Quia Lex in esse, fieri, & conservari dependet à voluntate sui Authoris, cùm liberè eam posuerit. Ergo, sicut eam validè sine iusta causa potest tollere totaliter, vt subditi ad eam non amplius teneantur, ita & restringere per dispensationem. Peccaret tamen dispensans, quia esset infidelis, & imprudens, vt ait S. D. Exceptiones in *R.* 1. factæ patent ex se ipsis, nam in talibus casibus etiam dispensatus non esset in conscientia tuta, *v. g.* si quis sine legitima causa esset dispensatus in pluralitate beneficiorum, nam hæc potest præiudicare Ecclesiæ, & omnia Ecclesiarum bona sunt Dei; vel si Religiosus sine legitima causa dispensetur ad ingressum laxioris Religionis: vel si Ecclesiæ Curatæ Præfectus ex dispensatione statuatur talis, qui habilis non est, qui potest præesse, sed non prodesse. *Nota proindè*, quòd sine iusta causa dispensans peccet ex genere suo mortaliter, nimirum contra iustitiam: potest tamen in aliquo casu esse veniale, si materia sit levis.

* 79 *Resp.* 2. Probabiliùs, & tutiùs est, quòd si inferior in Lege superioris sine iusta causa dispensat (vti in certis casibus posse antè dictum est) dispensatio invalida sit, & nulla, nec dispensatus possit eà frui tuta conscientia. *Ratio*: Quia inferior Prælatus circa Legem superioris nihil potest, nisi ex eiusdem expressa, vel præsumpta voluntate: Sed nemo prudens præsumet, superiorem inferiori dare facultatem in ipsiusmet Superioris Lege dispensandi sine iusta causa. *Ergo*. Ex quò fit, quòd si Papa absque legitima causa cum aliquo dispensaret in voto, iuramento, aut alijs, quę sunt de iure divino, aut naturali, dispensatio esset nulla, nec dispensatus eà posset licitè vti; & hoc ob rationem dictam.

* 80 *Oppono* contra hanc rationem: Qui in propria Lege dispensat, etiam habet potestatem à populo, de quò similiter non potest præsumi, quòd det potestatem dispensandi sine iusta causa. Ergo. *Dist. ant.* habet potestatem totam, & pro omni casu. *C. ant.* pro vno, vel altero ielum casu, vti alter, *N.* Benè ergo stat, quòd, qui habet potestatem dispensandi in omni casu, eà in aliquo casu abutatur, & tamen dispensatio sit valida: sit qui censetur eam alteri dare pro aliquò solùm speciali casu, non præsumitur eam dare, nisi in casu, & causa rationabili.

Quid si dispensatio sit obtenta ex causa falsa, valeme? *Non valet. Ratio*: Concessio facta sub conditione non est valida, nisi ponitur conditio: Sed dispensatio facta propter aliquam causam, vnicè, vel prin-

principaliter motivum est quasi conditionata. Ergo non valet, nisi verificetur illa conditio, scil. casus. *Sed quid*, si casus à principio fit verus, sed postea ex toto, vel ex parte cesset, re adhuc integra, id est, dispensatione executioni nondum data? Sic duplex casus: *Primus est.* Episcopus habet à Papa delegatam potestatem dispensandi cum filio Comitis, dispensandi in impedimento disparitatis, ut filius Comitis contrahat cum filia . . . omissis ad fidendas lites, quæ cessant ante executionem, an valeat dispensatio? *Secundus casus est*: Cum Petro est dispensatum, ut carnes lardinales possit comedere carnes in Quadragesima, sed is citra medium Quadragesimæ recipit perfectam sanitatem, an dispensatio durat per totam Quadragesimam? *Ad utrumque* probabilissimè R. negativè. *Ratio*: Quia cessante causa finali, vel principali dispensationis, cessat & ipsa.

Quantum tempus datur cessandi? *Dico* esse varium . . . *Et rationem* in tempore, quia cum tempore mutantur & hominum conditiones. 2. *Motiva* utilitas Ecclesiæ, vel boni publici, ut scilicet alii revertantur ad bonum, à quo sunt aversi. 3. *Qualitas* personæ, meriti, scientiæ, &c. cùm aliis æquè dignis non sit. 4. *Necessitas*. 5. *Pietas*. 6. *Exemplum rei*. 7. *Scandalum* multitudinis. Ita Sylvester, *quæ addit*: Sed quia casus sunt innumerabiles, nec in hoc dari potest certa Regula, standum in hoc est arbitrio boni viri, judicantis causam esse rationabilem.

Esto dispensatio explicanda rigorosè, seù per modum Legis odiosæ, aut favorabiliter? *Dico* esse registrandam instar rei odiosæ, nec trahendam in consequentiam. *Ratio*: Tum quia, *quæ à jure communi exorbitant, non sunt trahenda in consequentiam*, ut habet Regula Juris: Sed sic est de dispensatione, ut patet ex ejus definitione. Ergo. *Tum etiam* à pari: Quia vulnus naturale corporis est res odiosa. Ergo etiam vulneratio moralis, uti est dispensatio, quæ Can. *Ipsa pietas*, causa 23. vocatur *vulnus*, seù *vulneratio* Legis communis. Et omnis recessus à jure communi est odiosus. *Qui habet* potestatem dispensandi in Lege, potestne eam commutare in aliud onus? *Affirmo*, à fortiori. *Ratio* dabitur infrà de voto, T. 10. E. 3 n. 44.

* 81 QUÆRO XXI. Potestas dispensandi exspiratne cum morte concedendis re adhuc integra, seù si dispensatio nondum sit executioni mandata? Et hoc quæro de quacunque alia gratia, seù privilegio, v. g. à reservatis absolvendi, vota commutandi, Confessarium eligendi, beneficia conferendi, legitimandi illegitimos, suscipiendi Ordines, &c. *Resp.* 1. Licèt jurisdictio delegata contentiosa, seù fori externi, exspiret morte concedentis, re adhuc integra, ut patet *c. gratum* & *c. licèt undique de offic. deleg.* non tamen jurisdictio fori interni. *Ratio*: De prima sic statuunt Leges, de secunda praxis, & intentio conferentis.

Resp. 2. Generalis est Regula ex jure, quòd gratia facta non exspiret per mortem Superioris concedentis, vel per amotionem ejus ab officio, re adhuc integra; benè tamen gratia facienda. *Declaratur*: Gratia facta est, si facultas, v. g. absolvendi, dispensandi, commutandi, beneficia conferendi, &c. sit concessa in gratiam ipsius Delegati, seù Commissarij, v. g. Confessarij, & non pœnitentis: quòd cognoscitur ex eò, quando datur pro personis incertis, & in facultatis concessione nulla persona absolvenda, vel dispensanda, &c. in particulari nominatur, sed Delegato absolutè, in ejusque favorem, absolutè, & in communi pro certis casibus datur facultas: quia tunc est gratia actu facta Confessario. Et hæc potest vti post mortem Papæ, vel Episcopi concedentis. Gratia facienda verò est tunc, quando facultas datur, non in favorem Commissarij, sed alterius certæ personæ, v. g. pœnitentis, & est tunc, quando in facultatis concessione nominatur in particulari persona absolvenda, dispensanda, seù in ordine, ad quam facultas est exercenda; tunc enim non est gratia Confessario facta, ut constat, nec actu facta pœnitenti, quia ipsi adhuc per Confessarium est facienda; Et hæc exspirat, si concedens exspiret, antequàm Delegatus facultatem dispensandi, commutandi, absolvendi, beneficia conferendi, &c. ad executionem. *Ratio*, & disparitas utriusque gratiæ ejus est. Quia in primo casu gratia est omnino perfecta, & nullius executione eget respectu ejus, in cujus favorem concessa est, v. g respectu dispensati, absoluti, beneficia collati, &c. & habet rationem donationis, quæ non exspirat per mortem donantis: at in secundo casu eget executione commissarij, ut gratia alteri fiat, quia mandatur fieri ei, in cujus favorem conceditur: & sic habet vim commissionis, & mandati, quòd perit morte mandantis, re adhuc integra.

Quid dicis ad hunc casum? Episcopus concedit pœnitenti facultatem, vi cujus se faciat absolvi à quocunque Confessario, quicunque ille sit, in Lege, v. g. dotis, aut dispensari, vel illud commutari, antequàm verò dispensetur, exspirat Episcopus? *Dico*: Non exspirat morte concedentis. *Ratio*: Quia est gratia ipsi pœnitenti jam immediatè facta, non faciunda, sed solum per alium exequenda.

* 82 QUÆRO XXII. *& ultimò.* Quid, & quotuplex est privilegium? Cessatne Lex per illud? *Resp.* 1. Privilegium dicitur, quasi *privatum Lege*, seù ab ea eximens; sive in alicujus, aut aliquorum favorem data, quasi *privatum Lex speciale aliquid indulgens*, ut patet ex S. Thom. *1. 2. q. 96. art. 1. ad 1.* Propriè tamen non est Lex. *Ratio*: Quia Lex ligat, privilegium verò non ita ligat, ut non possimus licitè illo non uti. Quomodo privilegium differat à dispensatione, patet suprà n. 77.

Resp. 2. Privilegium est multiplex. 1. *Aliud est reale*, quòd nimirum immediatè datur rei, muneri, dignitati, causæ piæ, alicui Ecclesiæ, Statui, v. g. Clericali, vel Regulari, conditioni pupillorum, Scholasticorum, &c. & hoc perpetuatur cum re, loco, officio, vel statu, cujus est. *Aliud est personale*, quòd immediatè datur personæ, ut si eximatur à Lege vectigalis, aut tributi: vel si detur alicui facultas absolvendi à reservatis, &c. Et de hoc est Regula *Juris in 6.* Privilegium personale personam sequitur, & cum persona extinguitur. 2. *Aliud est generale*, quò in quocunque loco; aliud locale, quò in certo solùm loco vti concessum est. 3. *Aliud* affirmativum, quò datur facultas aliquid agendi; aliud negativum, quò datur facultas aliquid omittendi. 4. *Aliud* est gratiosum, seù gratis, ac sine privilegiati meritis concessum; aliud remunerativum, quòd est præmium meritorum. *Aliud* conventionale, datum cum interventu pacti, aut conditionis. 5. *Aliud* est favorabile, ex quò alteri nullum sequitur damnum, ut si quis privilegietur ad esum lacticiniorum in Quadragesima; *aliud odiosum*, oppositò modo se habens, ut si cum aliorum onere quis eximatur à Lege tributi, accisæ, &c. Ex his patet, quomodò per privilegium Lex

cessat

ceſſet ſe extendere ad aliquos, nimirum privilegiatos, ad quos antè ſe extendebat.

Nonne requiritur notitia privilegij, vt illud habeat ſuos effectus? *Dico*, non requiri in eò, contra quem obtinetur, benè tamen in privilegiato, ſi tamen ſubſit periculum peccati. Sicut conſanguinei, qui petierunt diſpenſationem contrahendi in gradu prohibito, non poſſunt contrahere, ſi ignorent, diſpenſationem eſſe datam, licèt ſit petita. *Not.* tamen ex Syluestro, poſſe eſſe casum, vt quis gaudeat privilegio, cuius nondum habet ſcientiam, ſi conſtet eam eſſe voluntatem concedentis. *Immò* ſi quis per ſe, vel per alium obtineat aliquod privilegium Papale, v. g. ne à ſuo Epiſcopo poſsit excommunicari, mox, vt hoc privilegium fuerit bullatum, incipit habere ſuos effectus, licèt privilegiato nondum innotuerit. Quia præter voluntatem concedentis, adeſt etiam voluntas privilegiati acceptantis ſaltem per aliud.

* 83 *Quomodò* ceſſat privilegium? *Dico*: Ceſſat variis modis. 1. *Morte* concedentis, attamen in ſenſu explicato ſuprà in hoc E. n. 83. 2. *Præſcriptione*, ac non vſu. Præſcriptio privilegij contra Eccleſiam Romanam, requirit non vſum 100. annorum: contrà aliàs Eccleſias 40. annorum: contra Monaſteria, loca, perſonas, vel alia bona Religioſorum, 60. annorum: contra perſonam privatam, 10. annorum, vt probat noſter de la Cruz *l. 2. c. 3. dub. 2.* Vbi benè notat, vt hæc præſcriptio currat, duò requiri, nimirùm vt habeatur notitia talis privilegij, & voluntas non vtendi illo. Deindè, vt infrà huius præſcriptionis tempus occurrat caſus, de quò privilegium loquitur: quia aliàs eſſet non vſus merè negativus, qui privilegio non obeſt, nam ad eius ceſſationem requiritur non vſus privativus, ſicut cùm quis eò poteſt vti, & non vult. 3. *Ceſſat* per abuſum in exceſſu privilegij, vel per vſum contrarium, qui eſt quædam tacita renuntiatio, vt ſi privilegiatus ſine proteſtatione ſe voluntariè ſubjiciat Legi, à quâ erat exemptus. 4. *Per renuntiationem* liberè factam ab aliquò, qui eſt adæquatum ſubiectum privilegij. Dixi, *adæquatum*, quia vnius, alterius ve renuntiatio, non ſufficit, vt ceſſet privilegium toti cuidam Ordini, vel Statui conceſſum. Hæc renuntiatio alia eſt expreſſa, alia (quæ ex dictis patet) tacita. 5. *Per revocationem* (puta, ſi ſit privilegium merè gratuitum) eius, qui conceſsit, vel alterius illi æqualis, factam, vel expreſsè, nimirum per illam clauſulam, *non obſtantibus privilegijs, &c.* vel tacitè, id eſt, per Legem, ſeù ſententiam, privilegio contrariam. 6. *Per expirationem*, quia ceſſante principali motivo (ideo eſt de tempore) ſub quò privilegium eſt conceſſum, ceſſat & ipſum. Sicut & perſonale extinguitur cum perſona, vt antè dictum.

* 84 *Quid cenſes* de communicatione privilegiorum inter Religioſos? *Dico* 1. Communicatio privilegiorum inter Religioſos conſiſtit in hoc, quòd privilegium vni Religioni, *v. g.* Dominicanæ, conceſſum, cenſeatur etiam datum alijs Religionibus, & econtra. *Dico* 2. Omnes Religiones, ſive ſint, ſive non ſint mendicantes, communicant in privilegijs, niſi expreſsè in Bulla fiat reſtrictio. Ita conceſſerunt diverſi Summi Pontifices; intelligitur autem ſic, vt privilegia conceſſa Generali vnius Ordinis cenſeantur etiam conceſſa Generali alterius; quæ Provinciali, vel Prioribus vnius, etiam ſint conceſſa Prælatis aliarum Religionum. Idem eſt, ſi vni toti Religioni detur.

Nec obſtat, quòd aliquę Religiones ſint iuniores alijs, v. g. *Ieſuitæ*, *Minimi*; & *alij*, quibus poſteà diverſa privilegia ſunt conceſſa: in quibus tamen Religioſi ſeniores communicant. Quia plures Pontifices à noſtro de la Cruz *lib. citat. c. 4.* citati de novo conceſſerunt privilegia aliorum Religioſorum. Et poſteà *Gregor. XIV.* Bulla 3. determinavit, Ciſtercienſes frui poſſe privilegijs Societatis concedendo eis communicationem omnium privilegiorum omnium Ordinum. Immò idem *Gregorius* Ordini Cruciferorum ſpecialiter conceſsit, vt fruatur privilegijs Societatis. Ergo, & aliæ Religiones gaudent illo privilegio. *Prob conſ.* Quia communicant in privilegijs Ciſtercienſium, & Cruciferorum.

Quid verò, ſi ante *Gregorium XIV.* Societati Ieſu fuiſſet conceſſum aliquod privilegium, exprimendo, non eſſe communicabile alijs Religionibus. *Dico*: id nihil obeſt, quin de facto alij Religioſi in eo communicent per extenſionem dicti *Gregorij XIV.* vtpotè, qui abſolutè, & ſine reſtrictione conceſsit, & communicavit omnia privilegia Societatis Ieſu.

***

TRA-

TRACTATUS VII.

De virtutibus Theologicis Fide, Spe, & Charitate, & vitijs oppositis.

De Secunda Secundæ Angelici Doctoris à Quæst. 1. usque ad 45.

Sensa mente sua S. Ambros. lib. 6. Exam. c. 7. *Attende quàm grandem animum, ac mentem habeas, cui dixit Deus: Ego, ego, loquebar, ideò mentem.* Ille animus à Deo fingitur, qui habet in se virtutem gratiam colligere: pleba autem ab elegantissimè, si refulgeat Virtutibus Theologicis omnium præstantissimis, eo quòd, vt ipsi nomini's Dictionalogia præ se fert, sanctè illæsèque occupent circa ipsum Primum, & Increatum omnis Creaturæ Opificem Deum, credendo, sperando, amando. De quibus, earumque oppositis vitijs egendum est.

EXAMEN I.

De Fide, & Fidei Regula, S. Thom. à Quæst. 1. usque ad 10.

* 1 QUÆRO I. Teneantur Confessarius habere notitiam virtutum Theologicarum? *Resp.* Hoc extra omne dubium est. *Ratio*: Quia spuries certè esset ille Vicarius Christi, nimirum Confessarius, qui humanarum virtutum apparatu contentus horum rogaret, & divina animo non versaret, nec pœnitentium animis inspiraret, quantum Doctorem is profiteatur, & Medicum: hoc autem maximè fit in Theologicarum virtutum Schola, vt patet ex nomine Etymologia, in Prologo to infirmata.

* 2 QUÆRO II. Fides Theologica quid, ac quotuplex est, & quòd obiectum eius? *Acta sep. Resp.* quòd fides diversas habeat significationes, nam significat subinde idem, quòd *confidentia*, quod *fiducia*, *fidelitas*, *veritas*, *sex veracitas*; sed hæ significationes non sunt ad propositum, sed tantùm hic pro habitu intellectus, quo assentimus alicui veritati præcisè propter authoritatem dicentis; qui dicens, si sit homo, dicitur *fides humana*; si Deus, est *fides divina*, & Theologica; De qua hic est sermo. Hoc notato.

Resp. 1. *Fides, est substantia rerum, argumentum non apparentium*, vt dixit Apostolus Hebr. 11. & adducit S. Tho. *hic q. 4. a. 1.* dicens: *Licèt quidem dicat, præcisa Apostoli verba non esse fidei definitionem, quia definitio indicat rei quidditatem, & essentiam. Tamen, si quis recte consideret quæ dicta sunt, ex quibus fides potest definiri, in prædicta descriptione sunt quæ sunt*, vt ibidem fusè explicat. Dicitur autem *substantia*, non quòd sit de prædicamento substantiæ, cùm fides sit accidens, sed prout substantia significat idem, quòd prima inchoatio, basis, ac fundamentum cuiuscunque rei; est enim fides prima inchoatio totius vitæ supernaturalis, & ordine generationis prima inter omnes virtutes supernaturales, quia nihil est in voluntate, nisi prius sit apprehensum ab intellectu, in quo fides residet; licet charitas eam præcedat ordine dignitatis, & imperij, tanquam aliarum virtutum forma, earum actus perficiens, informans, & ad vltimum finem dirigens, velut ad suum obiectum. Dicitur *argumentum, non apparentium*, id est, facit certò, seu firmiter iudicare de rebus veritatibus clarè non apparentibus, sed obscurè creditis. Ex quibus patet differentia ab opinione, quæ est cum formidine; & à scientia, quæ habet evidentiam, seu claritatem. *Si quis ergo habitus.* S. Th. ibidem.] *In formam definitionis earumdem verba reducere volit, possit dicere: Fides est habitus mentis, qua inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus.* Vel: Fides est *virtus divinitus infusa, qua mediante à Deo revelatis quæ omnibus obscuris intellectus humanus firmiter assentitur.* Addi potest, sive Scripta illa sint, sive non sint.

* 3 *Resp.* 2. Fides alia est *formata*, alia *informis*. Utraque iterum vel est *Theologica*, vel *Catholica*, seu universalis. *Declaratur* prima divisio: Si fides habeat adiunctam gratiam, & charitatem, vt est in homine iusto, dicitur *formata*, & sic est virtus perfecta, id est, non solùm quòd substantiam sed etiam quòd actum, & perfectionem, ex vi charitatis, quæ est omnium virtutum forma, nimirum extrinseca. Unde Apost. ait: *Fides, quæ per dilectionem operatur.* Si verò fides sit in peccatore, adeòque sine gratia, & charitate, dicitur *informis*; idem est de spe: nam sicut hæc non tollitur nisi per desperationem, ita nec fides, nisi per infidelitatem, quod his duabus virtutibus speciale est; & charitate advenisente fit formata, sine qua virtus, seu informis, est imperfecta.

* 4 *Sunne ergo* eadem, vel idem habitus? est vera habitus quoad entitatem, qui mutatur solùm quoad statum, & modum perfectionis. Unde S. Thom. *quæst. 4. ar. 5. ad 3.* ait: *Fides formata, & informis non differunt specie* (puta essentiali) *differunt autem sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie. Unde fides informis non pertingit ad perfectam rationem virtutis.*

* 5 *Sed quæ ratio*, quòd fides formata, & informis differant solùm specie accidentali, & non essentiali? *Rationem* dat *S. Thom. a. 4. in c.* Habitus diversificantur secundùm illud, quòd per se ad habitum pertinet: Sed fides est perfectio intellectus. Ergo non potest specie diversificari nisi per aliquid pertinens ad intellectum. Sed diuisio fidei formatæ, & informis est secundùm id, quòd pertinet, non ad intellectum, sed ad voluntatem, nimirum secundùm charitatem. Ergo.

* 6 *Da rationem*, cur fides informis (idem est de spe) maneat vera virtus, licèt imperfecta? *Ratio* patet

ter ex *S. Thom. 2. 5. in f.* Quia fides etiam informis adhuc infallibiliter tendit in suum obiectum, quòd est verum supernaturale. Cur verò sit virtus imperfecta, patet ex dictis. Quia vt virtus sit perfecta, debet eius actus efficaciter tendere, & à charitate dirigi in vltimum finem: Sed hoc deest actui fidei, & spei informi. Ergo. Secunda diuisio in *Resp.* data explicabitur infrà in hoc *E. n.* 12.

* 7 *Resp.* 3. Obiectum adæquatum formale *quòd* fidei est Deus, in quantum est prima veritas in essendio; seu est ipsa Deitas, seu essentia Dei, quatenus excedit naturalem cognitionem. Obiectum formale *quo*, seu ratio formalis *sub qua*, seu medium assentiendi est infallibile testimonium Dei, seu est authoritas Dei, sive prima veritas in dicendo, seu reuelando, non præcisè, sed prout complectitur veritatem in cognoscendo. Tandem obiectum materiale fidei est omne illud, quòd diuina reuelatione nobis innotescit; vti sunt, quæ continentur in Symbolo Apostolico, vel reducuntur ad illud.

Supponit 1. hæc *Resp.* quòd humana ratione, non ingredietur rationem obiecti formalis fidei, de qua hìc agitur, quia aliàs non esset virtus purè Theologica, quia huius obiectum formale debet esse quid purè diuinũ. *Supponit* 2. Obiectum alicuius habitus, vel potentiæ *aliud* esse materiale, quòd non attingitur ratione sui, sed ratione alterius, eique subsstat. *Aliud* obiectum formale, quòd per se, & ratione sui attingitur, alia verò nimirum materialia ratione illius, aut per ordinem ad illud; & hoc est duplex: scilicet obiectum formale *Quòd* nunc expositum, & obiectum formale *quo*, seu ratio formalis *sub qua*, mediante quo, aut sub cuius lumine attingitur primum. Sic respectu visus obiectum formale *quo* est lux; Formale *quòd* est color; Materiale est corpus, in quo est color.

Supponit 3. Quòd, vt notat Genet, intellectus noster triplicem in Deo distinguat veritatem. *Prima* est veritas in essendo, seu transcendentalis, quæ est passio entis. Per hanc Deus est verus Deus, à Dijs fictis distinctus. *Secunda* est veritas in cognoscendo, & hæc est ipsa infinita Dei Sapientia, qua tam certè cognoscit omnia, etiam ipsa cordium arcana, vt falli non possit. *Tertia* est veritas in dicendo, seu infinita Dei veracitas, ac infallibilitas in dicendo, ex qua habet, quòd neminem fallere possit. His præmissis.

Ratio primæ partis est: Obiectum adæquatum formale est, quòd per se, ac ratione sui respicitur, & in ordine ad quòd respiciuntur omnia obiecta partialia: Sed omnia alia, quæ fides attingit, vt, *ea, quæ pertinent ad Humanitatem Christi, & ad Sacramenta Ecclesiæ, vel ad quascunque creaturas*, cadunt sub fide, seu respiciuntur ab ea, *in quantum per hæc ordinamur ad Deum, & eis assentimus propter diuinam veritatem*, ait S. Thom. *q. 1. ar. 1. ad 1.* etiam ipsa peccata, non vt talia, seu in quantum committuntur, sed in quantum puniuntur, vel prout sunt obiectum fugæ, ac detestationis. Ergo.

* 8 *Oppono. S. Thom. a. 1. cit. in s.* Deum numerat inter obiecta materialia fidei. Ergo non est obiectum formale. *Ad hoc dico*, quòd Deus possit considerari, vel comparativè ad alia obiecta reuelata, ad Deum relata, & sic est obiectum formale *quòd*, vel comparative ad ipsam reuelationem, vt rationem formalem *sub qua*, seu motivum formale assentiendi, & respectu huius habet se materialiter. Et hoc vult S. Thomas. *Ratio* secundæ partis est: Illud est obiectum formale *sub quo* fidei, quòd est medium, motivum, & causa assensus; quia omnis fides innititur testimonio, & authoritati dicentis, non quia iustus, aut sapiens est, sed quia verax est. *Subsumo*: Sed medium, & motivum assentiendi rebus fidei nostræ est veritas prima, vt reuelans, & testificans. Ergo illa est obiectum formale sub quo fidei.

Confir. Fides summè certa, & infallibilis debet habere motivum summè certum, & infallibile: Sed fides nostra est talis; quòd nemo Catholicus negat. Ergo. *Subsumo*: Sed non haberet motivum summè certum, & summè infallibile, nisi complecteretur veritatem in cognoscendo, & dicendo simul, quia ab vna habet, quòd non possit falli, ab altera, quòd non velit fallere. Ergo.

* 9 *Oppono*: Veritas prima in dicendo resolvitur vltimatè in primam veritatem in essendo. Ergo non est motivum formale saltem vltimatum nostræ fidei. *Prob. ant.* Quærenti, cur Deus sit prima veritas in dicendo, datur vlterior ratio hæc, quia est prima veritas in essendo. Ergo *Ad hoc dist. ant.* Resolvitur in esse rei, seù vt in causam virtualem in essendo, *conc. ant* in esse obiecti, seù vt in vlteriùs motivum assentiendi, *neg. ant. & conseq.* Deus enim non potest nos movere ad assensum fidei, in quantum in se, & quoad se verax est, sed in quantum nobis loquitur. *Ratio* 3. *p.* est: Obiectum materiale est, quòd subsstat formali: Sed omne, quòd actu à Deo reuelatum est, subsstat reuelationi Dei, seù primæ veritati in dicendo. Ergo.

* 10 QUÆRO II. Obiectum formale fidei estne diuina reuelatio actiua, vel passiua? *Resp.* Est reuelatio actiua (prout indistincta à prima veritate reuelante) quatenus est actus Dei formaliter immanens, & virtualiter transiens, & directus ad nobis loquendum: non verò est reuelatio passiua, si per eam intelligatur signum aliquod creatum, per quòd reuelatio nobis innotescat, vel authoritas, ac definitio Ecclesiæ, credendorum propositio, species intelligibiles, lumen intellectus, apprehensio obiecti, seù apparentia suauis mysterij: attamen reuelatio passiua est conditio extrinseca applicans: si verò in alio sensu accipiatur pro forma extrinsecè denominante rem passivè reuelatam, est etiam obiectum formale fidei. *Ratio*: Virtus adæquatè theologica, & fides summè infallibilis debet habere obiectum formale formaliter adæquatè diuinum, & motivum assentiendi summè infallibile: Sed talis virtus est fides, quà de causa dicitur diuina. Ergo debet habere tale obiectum, & motivum. Sed sola reuelatio actiua est talis, non verò passiua in primo sensu, quia est quid creatum, benè tamen in secundo, quia sic in recto est ipsa reuelatio actiua extrinsecè terminata ad obiectum reuelatum: in primo tamen sensu mysteria credenda nobis applicat, seù proponit. Ergo.

* 11 *Oppono*: Licèt authoritas Ecclesiæ, quàm habet à doctrina, & sanctitate Fidelium, non sit diuina, benè tamen quatenus est organum Spiritus S. per eam loquentis, ciuisque assistentiam infallibilem habet. Ergo saltem sub hac ratione potest spectare ad obiectum formale fidei. *Ad hoc neg. conseq.* Quia, vt dixi, formale motivum fidei debet esse diuinum formaliter; item debet reperiri in omni eius actu: Sed authoritas Ecclesiæ, in quantum regitur à Spiritu S. non est formaliter sed solùm directivè diuina, nec est in omni actu fidei; quia authoritas Ecclesiæ non erat respectu fidei Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, &c. Ergo.

* 12 QUÆRO IV. Ad fidem infusam, seù divi-

divina n, sufficiat revelatio Dei privata? *Resp.* Distinguendo cum Thomistis fidem: Sic vt alia sit Theologica, seù divina, quæ nil aliud dicit, quàm assensum rei obscuræ, innixum Authoritati, seu testimonio Dei, licèt obiectum revelatum credatur solùm ab vno, illo nimirum, cui revelatio est facta; adeoquè est fides privata, & particularis. Alia verò sit Fides Catholica, id est, vniversalis, cùm sit de obiecto, quòd tota Ecclesia credit. Ad primam fidem sufficit revelatio privata, vel etiam personæ privatæ, v. g. S. Birgittæ à Deo facta. *Ratio est*: Quia habet obiectum formale fidei, antè explicatum; supponoenim veritatem revelatam esse talem, quæ ordinetur ad Deum, & concernat communem Ecclesiæ vtilitatem. *Ad Fidem* Catholicam, seu vniversalem necessario requiritur revelatio publica, id est, facta toti Ecclesiæ, vel personis in eà habentibus authoritatem, fidei doctrinam manifestandi, vti erant Prophetæ, & Apostoli, & nunc Papa. *Ratio est*: Quia tota Communitas, vel Ecclesia non obligatur credere fide divina id, quòd proponitur à privata persona.

Dixi, *supponi esse veritatem, quæ ordinetur ad Deum, &c.* Si enim veritas privatæ personæ revelata non ordinaretur ad Deum, nec cederet communem Ecclesiæ vtilitatem; quæ revelatio vocatur privata ex parte rei, seu materiæ, sicut prior vocatur talis ex parte personæ, quæ est privata vt si Deus alicui revelaret, quot sint arenæ in littore maris, quot arbores sient in sylva, quot capilli sint in capitibus hominum totius mundi; hæc revelatio non sufficeret ad fidem Theologicam, etiam privatam, ob rationem insinuatam.

Dic mihi, si revelatio privata in sensu explicato sufficit ad fidem divinam, si quis tali revelationi discrederet, esseme hæreticus? *Dico.* Non esset: Quia hæreticus solùm est, qui pertinaciter negat veritatem ab vniversali Ecclesia creditam, peccaret tamen mortaliter, & esset infidelis Deo, vtpotè cuius testimonio fidem negaret.

* 13 QUÆRO V. *Dicta* revelatio ad fidem requisita, debetne necessario esse formalis, vel sufficit virtualis? *Ante R. Nota*, revelationem iterum dividi in formalem, & virtualem. Formalis fit duobus modis. *Primo* explicitè, seù expressis verbis; exemplum est in ijs Scripturæ locis, vbi legitur, quod *Deus sit Trinus*, quòd *Verbum sit Caro factum. Secundò* confusè, quando nimirum in aliquò explicitè revelato, vt in toto, continetur aliud vt pars, sive substantialis, sive accidentalis, sive subiectiva, v. g. anima in homine, propositio particularis in vniversali. Hoc secundo modo revelatum est, quòd Christus habeat *animam*, *pedes*, *caput*. Revelatio virtualis consistit in hoc, quòd aliquid radicaliter, & virtute contineatur in alio formaliter revelato, habeatque infallibilem connexionem, naturali evidente discursu ex eo deducibilem, v. g. in hac veritate formaliter explicitè revelata, *Christus est homo*, virtualiter continetur hæc, *Christus habet voluntatem*, & ex ea deducitur hoc discursu: *Omnis homo habet creatam voluntatem: Sed Christus est homo. Ergo Christus habet voluntatem creatam.* Ubi *Mai.* est naturalis: *Min.* est de fide.

Quæritur ergo, an hæc Conclusio sit de fide *Ratio ambitandi est*: Quia conclusio scientifica non est de fide: Sed ista Conclusio est scientifica, nimirum Theologica. Ergo non est de fide; vel certè sequitur, quòd omnis Conclusio Theologica sit de fide, quia nulla est, quę non sit virtualiter revelata, cùm in omni discursu Theologico saltem vna Præmissa sit de fide. Conclusio verò continetur virtualiter in Præmissis. Hoc notato. *Resp.* Sufficit virtualis. *Ratio*: Tum quia dantur plures veritates fidei solùm virtualiter revelatæ, vti sunt illæ ab Ecclesia contra hæreticos debitę, v. g. quòd in Christo sit *vnitas personæ*, quòd in eo præter voluntatem divinam sit etiam *creata*, &c. *Tum etiam*, quia tales veritates subsistant *rationi formali*, *sub qua* fidei, nimirum authoritati, ac revelationi Dei, vt motivo formali, cuius lumen se diffundit ad veritatem evidenter connexam. Ergo.

Not. tamen, quòd hæc annexio necessariò debet esse evidens, quia aliàs non excludit omnem formidinem, qua debet carere fides: non tamen est necesse, quòd sit evidentia *physica*, sed sufficit *moralis*. Unde supposita revelatione, quòd Deus totum mundum puniverit diluvio; teneamur etiam credere, quòd etiam puniverit Armeniam, licèt de eius existentia solum habeamus evidentiam, & certitudinem moralem.

Ad rationem dubitandi dist. *Mai.* Conclusio scientifica, *vt* scientifica reduplicativè, seu sub hac formalitate, *C. mai. Quæ* scientifica, materialiter, ac specificativè sumpta, ac sub alia formalitate, *N. mai.* & sic *Min. mia. N. Conf.* Eadem ergo propositio, seu veritas sub diversa ratione est Conclusio Theologica, seu scientifica, & est de fide. Scientifica est, in quantum motivum assentiendi est discursiva connexio ex præmissis artificiosè dispositis; sic enim non innititur præcisè authoritati divinæ, adeòque spectat ad scientiam Theologiæ. De fide est, in quantum præcisè innititur divinæ revelationi: discursus verò syllogisticus solùm est conditio veritatem illam applicans, & manifestans, ex quo patet, quomodò revelatio virtualis sub diversa ratione spectet ad rationem formalem *sub qua* fidei, ac Theologiæ.

* 14 QUÆRO VI. In quid fit vltima resolutio assensus fidei nostræ? *Sensus* quæsiti est, an homo possit veritatibus à Deo revelatis supernaturali assensu fidei assentiri, pro vltimato formali motivo, ad assentum determinante, sumendo authoritatem Ecclesiæ, non quidem, vt præcisè est congregatio hominum (sic enim non est regula infallibilis sed quatenus est columna, & firmamentum veritatis, habens in proponendo eis infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, & authoritatem non humanam, sed divinam. Supponitur autem, quòd fides ex sua specie, seu essentia non necessariò petat resolvendi in Authoritatem Ecclesiæ, etiam vt regulæ proponentis, vt patet in fide Angelorum, Prophetarum, Apostolorum.

Resp. 1. Motivum formale, in quòd assensus fidei vltimatè resolvitur, est sola authoritas Dei, seu prima veritas revelans. Hinc quærenti, cur credis Deum esse Trinum, respondendum est, Quia Deus ipse hoc testatus est. *Ratio* patet ex probationibus datis *n. 7. Resp.* 2. Motivum formale vltimatum assensus fidei non potest esse authoritas Ecclesiæ etiam in sensu paulò antè explicato; admitto tamen, quòd assensus fidei vltimatè resolvatur in eam velut in fidei regulam, & conditionem motivi formalis applicativam.

Prima pars patet ex dictis n. 11. Fateor quidem, quòd Ecclesia in prætacto sensu sit columna, & firmamentum veritatis: Sed columna requirit priorem basim, & fundamentum cui insistat. Et quamvis Ecclesia posset in eo sensu etiam dici fundamentum veritatis, non tamen est fundamentum primum, quòd infa-

infallibilitatem habet à se, cùm hoc sit sola authoritas Dei revelantis) sed solùm secundum; quòd non sufficit.

Secunda pars est S. August. in lib. contra Epist. fundamenti, C. 4. dicentis: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas commoveret. Et Ratio est:* Quia certum est, quòd ad assensum fidei necessariò prærequiratur credendorum propositio; Ergo prærequiritur regula proponens, & quidem infallibilis: Sed talis solùm est Ecclesia, quæ *Timoth.* 3. vocatur columna, & firmamentum veritatis; multùm enim phantasizant hæretici, dum pro ista regula statuum suum privatum spiritum, seu privatam (vt putant) revelationem; tum quia motivum fidei debet esse vniforme, & vniversale, vt per illud omnes in vnitatem fidei conveniant: Sed ille privatus spiritus non est vniformis, quia ipsosmet hæreticos scindit in plures sectas, & schismata, ac loquitur contradictoria. *Ergo.* Tum etiam, quia motivum fidei non potest esse falsum: Sed revelatio illa privata potest esse falsa, quia solùm putativè est revelatio. Ergo.

* 15 *Oppono*: Videris committere circulum; Quia credis Evangelio, sive Deo, quia Ecclesia testatur esse Verbum Dei. Credis Ecclesiæ authoritatem, quia Evangelium seu Deus testatur. *Distinguo*: Committi circulum irregularem, & vitiosum, *N* regularem, *C*. Nam circuire ex vno in alterum, vnum ex altero inferre, aut in alterum resolvere sub diversa ratione, aut in diverso genere causæ, non est circulus vitiosus: Sed hoc fit in præsenti. Ergo. *Prob. min.* Quia Authoritatem Ecclesiæ resolvo in testimonium Dei tanquam in motivum formale; testimonium Dei resolvo in Ecclesiæ authoritatem, vt in regulam, & conditionem applicantem. *Ergo.* Hinc sicut Christus commendavit Ioannem, & Ioannes Christum: Et in naturalibus materia causat formam, & forma materiam, cùm causę sint sibi invicem causæ, & vapor est causa pluviæ, & pluvia est causa vaporis Item vestes calefaciunt corpus, & corpus calefacit vestes. Ita similiter.

* 16 QUÆRO VII. Fidei Theologicæ potestne subesse falsum? *Resp.* cùm *S. Thom. hic q.* 1. *art.* 3. *negativè*. Unde fides nostra est certissima, & certior quovis assensu scientifico. *Ratio est* ex *S. Thom. hic q.* 1. *art.* 3. Nihil potest subesse alicui potentiæ, habitui, vel actui nisi mediante ratione formali obiecti, sicut color non potest videri nisi per lucem, & Conclusio cognosci non potest nisi per medium demonstrationis, & quò certius est hoc medium, eò certior est habitus, vel actus. *Subsumo*: Sed, vt ex dictis patet, ratio formalis obiecti fidei est veritas prima. Ergo nihil potest cadere sub fide, nisi in quantum stat sub veritate prima, vt revelatum ab illa. Sed sub ea nullum potest stare, nec ab ea revelari falsum, quia mentiretur, mentiri autem est intrinsecè malum, & sic non esset prima veritas: deinde prima veritas vtpotè divina, est certior omni medio, & obiecto formali cuiusque scientiæ creatæ. Ergo. Hæc eadem ratio probat, quòd Deus non possit falsum dicere per alium, quia *quòd quis facit per alium, per se ipsum facisse censetur*, vt habet Regula Iuris. Item probat, id non posse etiam per absolutam suam potentiam.

* 17 *Oppono* 1. Aliqua Scripturæ loca insinuant, quòd Deus aliquos inducat in errorem, & deceptionem. 2. *Deus* in natura assumpta potuit pati, & mori, cur non mentiri? 3. *Deus* per suos Prophetas Ezechiæ mortem, & Ninivitis prædixit subversionem, quæ tamen non secuta sunt. Ergo. 4. *Luc. vlt.* de Christo dicitur, *Finxit se longius ire*. Ergo. *Ad* 1. *Resp.* intelligi permissivè, sicut docetur de peccatis, & de induratione, excæcatione. *Ad* 2. est disparitas, quia pati, & mori sunt defectus naturales, & ad Deum ordinabiles; at mentiri, & peccare est defectus moralis, & à Deo deordinans. *Ad* 3. *dist. ant.* prædixit absolutè, *N*. Comminatoriè, & conditionatè, nisi Ninivitæ egerint pœnitentiam, nisi Ezechias rogaverit Deum, *C. ant.* & *N. Conseq.*

Aliter dici potest, has predictiones intelligi, & veras esse secundùm ordinem causarum secundarum, vt S. D. 2. 2. *q.* 171. *art.* 6. *ad* 2. explicat, dicens: *Sensus Prophetiæ est, quòd inferiorum causarum dispositio, sive naturalium, sive humanorum actuum hoc habet, vt talis effectus eveniat; & secundùm hoc intelligitur verbum Isaiæ dicentis: Morieris, & non vives, id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur. Et quòd dicitur Ionæ* 3. *Ninive subvertentur, id est, hoc merita eius exigunt, vt subvertatur.* Subdit: *Dicitur Deus pœnitere metaphoricè in quantum ad modum pœnitentis se habet, prout scilicet mutat sententiam*, puta, conditionatam, vel comminatoriam.

Ad 4. S. Thom. *infrà q.* 111. *art.* 1. *ad* 1. ait ex S. August. Non omne, quòd fingimus, mendatium est; sed quando id fingimus, quòd nihil significat, tunc est mendatium. Cum autem *fictio* nostra refertur ad aliquàm significationem, non est mendatium, sed aliqua figura veritatis. Et subiungit exemplum de figuratis locutionibus, in quibus fingitur quædam res, non vt asseratur ita esse, sed eam proponimus, vt figuram alterius, quòd asserere volumus. Sic ergo Dominus in Evangelio finxit se longiùs ire, quia composuit motum suum, quasi volentis longiùs ire, ad aliud figuratè significandum, scilicèt quòd ipse ab eorum fide longè erat, vt Gregorius dicit. Vel, vt August. *dicit*: Quia cùm longiùs recessurus esset, ascendendo in Cœlum, per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra. Hæc ibi. Plura de hoc infrà *T.* 10. *E.* 4. *n.* 20. Vbi agetur de mendatio, & restrictione mentali, & æquivocatione.

* 18 QUÆRO VIII. Mysteria nostræ Fidei sumne evidenter credibilia? *Ante R. Not.* multùm differre esse evidenter credibile, & esse evidenter verum, aut evidenter esse possibile. Vt obiectum sit evidenter verum, necesse est, vt obiectum in se ipso, sive eius quidditas, ac connexio prædicatorum essentialium clarè, & manifestè appareat, seù videatur; & dum in hoc nulla apparet implicantia, seù contradictio, est etiam evidenter possibile. Hæc evidentia, seù claritas non stat cum fide, hæc enim cùm innitatur motivo extrinseco, scilicèt testimonio dicentis, necessario petit (si non vt prędicatum essentiale, saltem vt conditionem) obscuritatem ex parte rei revelatæ Sed vt aliquid sit evidenter credibile, sufficit, quòd eius credibilitas manifestè videatur per argumenta, ac motiva, quę persuadent, ac convincunt, rationi, & prudentiæ omninò esse conforme, vt credatur, & in hoc consistit evidentia credibilitatis, quæ differt ab evidentia in attestante, de quà posteà. Sicut ergo aliquid propter rationes (quarum probabilitas est manifesta) dicitur evidenter probabile, licèt per hoc in se, seù ex parte obiecti non sit evidens. ita similiter; *Hoc notato.*

Resp. Mysteria fidei Christianæ sunt evidenter credibilia fide divina, non tantùm comparativè ad aliàs Sectas, sed etiam absolutè, & secundùm se,

ita probabiliter Thomistæ. *Ratio* : Ista dicta, evidentis credibilitatis est judicium quoddam evidens, quòd intellectus judicat, & clarè videt, ac convincitur, fidem præstari adhiberi posse alicui propositioni, licèt non convincatur ad evidentiam veritatis, utpotè obscuræ. *Sublumus* : Sed tale judicium habemus de mysterijs nostræ fidei, judicium, inquam, prudentiæ humanæ ut ea credamus fide divina. Ergo *Prob. min.* assignando motiva talis judicij : Intellectus noster illud clarè judicat esse credendum fide divina, quòd communiter à viris doctis, & timoratis asseritur ut dictum à Deo. 2. *Probatur* defensione multa Christianorum millia, & milliones constantissimè gravissimum subierunt martyrium 3. *In cujus* confirmationem plurima sunt patrata miracula 4. *Quod* concedetur cum Propheciarum Vaticinis : Sed sic se habent mysteria nostræ fidei, quæ etiam roborantur ex stabilitate Ecclesiæ Catholicæ ; nulla enim Monarchia tam diu perstitit sub ijsdem Legibus, ac doctrina Christi per continuam successionem Summorum Pontificum a tempore S. Petri usque nunc. *Ergo.*

* 19 *Oppono* 1. Quàm evidentiam credibilitatis salvas in pueris, & rudibus rusticis ? 2. *Fides* nostra continet multa Deo indignissima, horrore plena, ut, Deum in vero mulieris portarum, ex eâ natum, in cunis jacuisse, &c. vagijsse, frigoisse, esurijsse, &c. *In Eucharistia* a nobis manducari, dentibus rodi, &c. Ergo fides nostra potius est evidenter incredibilis.

Ad 1. R. Evidentiam credibilitatis non in omnibus esse æqualem, sed majorem vel minorem juxta credentium capacitatem. Hinc in pueris, & rudibus plerumque sufficit, quòd audiant, fidei mysteria a parentibus, pastoribus, Episcopis, à tota Communitate doceri, credi, praedicari, perpetuò credita, & prædicata esse *Ad* 2 *dist. ant.* Si considerentur indebitè, & sine modo, ac circumstantijs, cum quibus facta sunt. *Tranſeat* ; cum ijs, *neg.* Nam fidei nostræ mysteria facta sunt cum circumstantijs, in quibus divina Majestas, & Omnipotentia maximè relucent, ut explicat Gonet : Conceptus est Christus, sed de Spiritu S. natus, sed ex Virgine : in præsepio reclinatus, sed à Regibus adoratus : In cunis vagijt, sed tunc Herodem Regem totamque Ierosolymam perterruit : Vixit inter homines, sed infinita inter eos parravit miracula : Crucifixus est, *sed confitenda eius Majestatis sensum* (ut verbis magni Leonis utar) *Sol obscuratis luminibus, & terra graviter concussa accepcrunt*. Denique mortuus est, sed virtute propria paulò post resurrexit.

Quòd concernit manducationem Eucharistiæ, nullus ingeritur horror, quia Christus non manducatur sub propria Specie, sed sub speciebus talium rerum, quibus communiter vescimur : nec ipse dentibus teritur, nec lædituir, nec corrumpitur, cùm sit in Eucharistia modò indivisibili, ut explicatur in *Tract. de Eucharistia*, & omnes illæ actiones exerceantur circa species sacramentales.

* 20 *Explica* : Si veritates fidei nostræ sint clarè, & evidenter credibiles, undè est, quòd non omnes eas credant, v. g. *Turcæ*, *Hæretici* ? Quòd enim est evidenter credibile, ab omnibus debet credi. *Ioan* non capio, cur Thomistæ requirant piam motionem voluntatis, quâ intellectus captivatur in obsequium fidei. Nam ad quid eâ, si mysteria fidei sint clarè credibilia ?

Dico : Si Sol in meridie sit clarè visibilis, cur non videntur ab ijs, qui oculos claudunt, aut ignorabunt, vel sunt in tenebricoso carcere, in quem lumen ingredi nequit ? Mysteria ergo Fidei nostræ non creduntur ab omnibus, vel quia oculos, & aures claudunt Apostolicæ prædicationi ; vel quia eis omnino nondum sunt, vel non sat sufficienter explicata, ut contingit etiam hæreticis, vel formalibus, vel materialibus. *Ad alterum* R. esse ideò, quia per evidentiam credibilitatis intellectus solùm convincitur ad tenendum, quòd mysteria Fidei sint fide digna, immò dignissima : quia verò cum hoc stat inevidentia, seu obscuritas ex parte obiecti, retrahens intellectum, ne expeditè judicet eâ esse in se ipsis vera, ideò requiritur dicta pia motio.

* 21 QUÆRO IX. Cum fide infusa stare evidentia in attestante ? *Ante* R. *Not.* illud dici evidens in attestante, quòd licèt in se clarè non cognoscatur, vi fit per claram scientiam ; quòd cum fide respectu eiusdem obiecti stare posse negant Thomistæ ; constat tamen ita esse, quia evidenter cognoscimus, quòd ille testificetur, quem evidenter scimus non posse mentiri, ut scimus de Deo. Hoc nomine.

Resp. Probabilius *affirm.* cum S. Thom. *quæst. 5. art. 1. in corp. Ratio est* : Assensus, quem do alicui veritati, quæ in se, seu ex parte obiecti manet obscura, nec clarè apparet connexio prædicati cum subiecto, quem, inquam, do unicè propter Dei loquentis authoritatem, est actus fidei Theologicæ : Sed sic est, licèt adsit evidentia in attestante. Ergo. *Mai.* est S. Thom. loco mox citato dicentis : *Illa fides magis firmatur exclusis fidei rationem, per quam resultat apparens, vel visum id, in quo principaliter est fides.* *Min.* etiam constat : nam quamdiù motivum assentiendi est meritè extrinsecum, tamdiù veritas manet obscura in se ipsa ; Sed licèt revelatio sit evidens, motivum tamen est meritè extrinsecum, scilicèt authoritas Dei. Ergo.

* 22 *Oppono* 1. *Fides*, cùm essentialiter sit obscura non compatitur evidentiam. Ergo. 2. *Ex quò* sequitur evidenter veritas rei attestatæ, ex eò etiam sequitur evidentia eiusdem rei, adeòque fidem tollit : Sed ex evidentia testimonij divini evidenter sequitur veritas rei attestatę. Ergo & evidentia rei. 3. *Effectus* creati sunt aliquid extrinsecum Deo, & tamen per eos Deus scientificè demonstratur à posteriori. Ergo similiter.

Ad 1. *dist. ant.* Evidentiam obiecti in se ipso, & quoad rationes intrinsecas, *C. ant.* in testificante, & quoad rationes extrinsecas, *N. ant.* & *Cons.* Vidè sub hac diversa ratione veritas fidei est evidens, & inevidens. *Vel dico sic* : Obiectum, quòd credo, est *inevidens* : at testimonium, cui credo, est evidens esse divinum : & hac propter signa, quę nemo potest facere, nisi Deus, ut si in confestationem alicuius veritatis mortuus, maximè quatriduanus, resuscitetur ; si cæco nato visus reddatur, ut Christus fecit. *Ad* 2. *dist. mai.* Ex quò sequitur per locum intrinsecum, *C. mai.* per locum solùm extrinsecum, ut est in præsenti auctoritas Dei, *N. mai. Ad* 3. *dist. ant.* Sunt quid extrinsecum in effendo, *C. ant.* in cognoscendo, *N. ant.* Effectus ergo propter intrinsecam habitudinem, & annexionem, quam habet cum sua causa (in cuius virtute continetur) est in cognoscendo medium intrinsecum ad cognitionem causæ.

* 23 *Dic mihi* : Quinam habent illam evidentiam in attestante ? *Dico*. Habent eam omnes Fideles, majorem, vel minorem pro subiecti capacitate, qui cognoscunt signa, quæ Christus in confirmationem suæ doctrinæ fecit, eum posse esse, nisi à Deo. Habent

hebat eam Deipara in conceptione Verbi Divini, *tum* propter multa grandia prodigia, quæ Deus in huius veritatis confirmationem edidit, *tum* quia sciebat, se solius Dei operatione concepisse, & peperisse. Habebat eam supremus Angelus, vt Viator, in revelatione mysteriorum supernaturalium, vtpotè qui clarè cognoscebat se in ijs à solo Deo illuminari posse. Habuerunt eam Apostoli, innumerorum prodigiorum Christi oculati testes.

* 24 QUÆRO X. Creverunt ne Articuli Fidei secundùm successionem temporum? *Resp.* Sub distinctione cum S. Thom. *hic q. 1. art. 7. in c.* dicente: *Quantùm ad substantiam articulorum Fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quæcumquè posteriores crediderunt, continebantur in Fide præcedentium Patrum, licèt implicitè: Sed quantùm ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. Vndè Dominus Moysi dicit Exod. 6. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & nomen meum Adonai non indicavi eis. Et David dicit: Super senes intellexi. Et Apostolus dixit ad Ephes. 3. In alijs generationibus non est agnitum mysterium Christi, sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis, & Prophetis.*

Colligitur ex dictis, in Concilijs, vel à Summo Pontifice nihil decerni spectans ad Fidem, quòd non habeatur in Sacra Scriptura explicitè, vel implicitè, aut ex Apostolorum Traditione: quia Ecclesiæ non fiunt novę revelationes, sed revelationes antè occultas Ecclesia manifestat.

* 25 QUÆRO XI. Quid, & quotuplex est Symbolum Fidei, & cuius est illud ordinare? *Resp.* 1. Symbolum iuxta S. Thom. *hic q. 1. art. 9. in c.* Est *collatio sententiarum nostræ Fidei*, seù summa veritatum nostræ Fidei, sive regula eius. Et est triplex. 1. *Symbolum* Apostolorum ab ipsis Apostolis conditum, & traditum. 2. *Nicænum*, nimirum in Concilio Nicæno contra Arrianos compositum, postea in Concilio Constantinopolitano editum contra Macedonium, & explicatum in Ephesino contra Nestorium. 3. *Est S. Athanasij*, quòd, licèt à privata persona per modum cuiusdam doctrinæ, & non per modum Symboli sit editum, fuit tamen authoritate Summi Pontificis pro regula Fidei approbatum, & receptum iuxta Sanct. Thom. *art. 10. ad 3.*

Resp. 2. Nova editio Symboli spectat ad solam authoritatem Summi Pontificis. Ita S. Thom. *q. 1. art. 10.* Cuius *Ratio est*: Editio Symboli ordinatur contra insurgentes errores in materia Fidei. ergo ad illius authoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, ne sint in nobis Schismata: Sed hoc pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, vtpote, qui præest toti Ecclesiæ. Ergo.

* 26 QUÆRO XII. Quid, & quotuplex est regula Fidei? *Resp.* 1. Regula Fidei est signum quoddam sensibile commune permanens per quòd infallibiliter nobis innotescit, & proponitur divina revelatio, vt conveniamus in stabilem Fidei vnitatem. Dari Regulam Fidei non negant hæretici, sed in ea assignanda à nobis discrepant. *Resp.* 2. Regulæ Fidei sunt quinque. *Prima.* Ecclesia in sensu explicato suprà n. 14. 2. *Concilium generale* sumptum cum Papa, vt explicabitur infra n. 34. 3. *Papa* vt loquens ex Cathedra etiam solus, seu sine Concilio, vt patebit n. 32. 4. *S. Scriptura*, de qua n. 41. 5. *Traditiones*, de quibus infrà n. 43.

* 27 *Potestne admitti* hæc propositio: Credo in Ecclesiam? *Dico cum S. Thom. q. 1. ar. 9. ad 5.* dicente: *Si dicatur in Symbolum Ecclesiam Catholicam, hoc est intelligendum, secundùm quòd Fides nostra refertur ad Spiritum S. qui sanctificat Ecclesiam; vt sit sensus: Credo in Spiritum S. sanctificantem Ecclesiam. Sed melius est, & secundùm communiorem vsum, vt non ponatur in, sed simpliciter dicatur sanctam Ecclesiam Catholicam.* Hęc S. D. Hoc autem non est ideò, quasi Ecclesia non sit columna, & firmamentum veritatis, sed quia ista propositio, *Credo in Ecclesiam*, dicit, motivum formale credendi respectu nostrę fidei esse Ecclesiam, quòd est falsum. Unde & S. Augustt. *Tract. 27.* in Ioannem ait: *Credimus Paulum, sed non in Paulum*, quia motivum formale credendi non est Paulus, sed prima veritas revelans.

* 28 QUÆRO XIII. Quid est Ecclesia, estne *visibilis, infallibilis*, & quot sunt characteres, seu notæ veræ Ecclesię, extra quam non est salus? *Sermo est* de Ecclesia militante in terris, non de triumphante in Cœlis, nec de patiente in Purgatorio. *Resp.* 1. Ecclesia est Societas, seu Congregatio Fidelium, seu baptizatorum sub vno Capite Christo in Cœlis, & Vicario eius in terris, Pontifice Romano, inter se eodem cultu communicantium. *Resp.* 2. Ecclesia est visibilis. Est de fide. *Ratio est*: Quia in Sacra Scriptura vocatur *lucerna, non sub modio, sed super candelabrum, & civitas supra montem posita, Tabernaculum in Sole positum*, &c. Item Pastores Ecclesiæ sunt visibiles, visibiliter visibilia Sacramenta ministrant, oves visibiles visibiliter docent. Ergo & Ovile est visibile.

* 29 *Resp.* 3. Universalis Ecclesia Christi est infallibilis regula Fidei, seu nequit errare, nec erravit vnquam in rebus Fidei, quod etiam verum est de Concilio Oecumenico, seu generali sumpto vnà cum Papa vt Capite. Est de Fide, & patet ex Sacra Scriptura; quia Matth. 16. dixit Christus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi*, per quas intelligitur Dæmonis potentia, & astutia in disseminandis erroribus, & hæresibus, *non prævalebunt adversus eam.* Et 1. ad Tim. 3. dicitur *columna, & firmamentum veritatis.* Quòd non esset, si errare posset. Nam ille error refunderetur in Christum, qui Matth. vlt. dixit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Et in Spiritum S. cuius perpetua assistentia Ecclesię promissa est. Ioann. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et Luc. 22. dixit Christus ad Petrum: *Rogavi pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*, &c.

Dixi 1. *Universalis Ecclesia*, quia non nego aliquam particularem Ecclesiam errare posse. Dixi 2. *Hoc etiam verum esse de Concilio Oecumenico*, quia non nego posse errare Concilium Episcopale, vel diœcesanum, quòd constituitur ex Parochis vnius Diœcesis ab Episcopo congregatis: vti & Provinciale, in quo Episcopis Suffraganeis suis præsidet Archiepiscopus: vti & Nationale, in quo sub vno Primate, aut Patriarcha multarum Provinciarum Episcopi conveniunt. Ratio mox dabitur.

Dixi 3. *Sumpto vnà cum Papa.* Quia assistentia Spiritus S. non est promissa nisi toti Ecclesiæ: sed Concilium acephalum, seù sine Summo Pontifice, vt Capite, non est tota Ecclesia, vt nec Concilium Provinciale, aut Nationale. Ergo. Item: Si Ecclesia iam semel defecisset, ex Christi Sponsa meretrix facta, & deprehensa vt adultera (quę sunt calumniæ hæreticorum) sequitur 1. falsa esse omnia,

quæ

quæ de perpetua conservatione Christi cum Ecclesia à Prophetis, & Apostolis fuit prædicta, tam locis ante dictis, tum Orat. 2. *Spondeo ut missi in semperternum.* Semper 2. Christum aliquem tandem non habuisse Synagoga, sed habituram. Semper 3. Ex his habetur eam esse *Universam*, & *Catholicam*, adeòque eam esse legitimam hæc spiritus Ecclesiæ filios, & Ecclesiam universam in cœli *terra* noverunt, ac spectare manum. Semper 4. Ipsis etiam Reformatoribus non est dubium fuisse Ecclesiam, quod enim Fidem, & Sacramenta retinuerint, ut ibi mentiuntur, cogitur Ecclesiæ Pontificiæ, etiam ipsorum Ecclesiæ convenire posse.

* 30 *Resp.* 4. Quamdiu, seu vera vera Ecclesiæ sunt 4. ut minus esse vt Concilium Nicænum agnoscit, *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam. Prima vera Ecclesia nota est* Vnitas, vt patet Canonis 6. *Hæc vera unitas, & unus Pastor.* Et Epist. 4. *Vnum Corpus, & unus Spiritus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, &c. Secunda vera est* Sanctitas; non quòd omnia Ecclesiæ membra sint sancta, quia in domo Dei sunt vasa aurea, & fictilia, Virgines prudentes, & fatuæ: sed quia eius doctrina est purissima, & omnes, qui eam profitentur, sunt Sancti, & Sacramenta eius, ac cæremoniæ nihil redolent nisi Sanctitatem. *Tertia nota est*: esse Catholicam, seu vniversalem, *diffusam à Solis Ortu vsque ad Occasum. Quarta est*: esse *Apostolicam*, id est, fundatam super Apostolos, vtpotè primos Fidei Christi Præcones.

* 31 *Resp.* 1. Hæ notæ conveniunt soli Ecclesiæ Romanæ, non illi particulari, quæ est Romæ, sed toto orbe diffusæ, iuxta definitionem in *Resp.* 1. datam. *Declaratur*: Imprimis Ecclesia Romana, id est, Romano Pontifici per totum orbem adhærens, est una. *Tum* Vnitate Capitis, ad quod omne dubium, si quod in materia Fidei, ac morum oriatur, decidendum refertur. *Tum* Vnitate Sacramentorum, septenario numero comprehensorum. *Tandem* Vnitate credendorum. Licèt enim Theologi circa multa in Theologia, quæ ab Ecclesia nondum sunt definita, in diversas abeant sententias, non tamen circa articulos Fidei, sed circa eos per totum orbem est omnimoda concordia, nisi forte quis ex invincibili ignorantia aliquid non teneret, vt articulum Fidei. Verùm Lutheranis, & Calvinistis deest vnitas tum Capitis visibilis, tum & credendorum, ac Sacramentorum, cùm aliqui Lutherani, duo, alij tria admittant; & aliqui Calvinistæ, vt Genevenses, verum Christi *descensum* ad *inferos* negent, alij verò, Anglici nimirum, credant: isti Regem, immò & Reginam militantis Ecclesiæ caput esse contendunt, illi permegent.

Secunda Romanæ Ecclesiæ convenit Sanctitas, prout Insinuatum est in explicatione secundæ notæ. Nam nihil docet, quòd tendat ad sanctitatem, vt patet tum in doctrina, quam profitetur, tum in Sacramentis, Confessione, Sacrificio Missæ, Votis, Professione Religionis, Consilijs Evangelicis, ieiunijs, cultu Sanctorum, miraculis, &c. quæ omnia recensere non est huius instituti, sed quam sanctè, scilicet, vixerint Lutherus, & Calvinus, quomodo, dum miraculis doctrinam suam confirmare, dæmones expellere, mortuos suscitare tentabant, facies deluserit, in specie Calvinus, dum è vivo mortuum fecit; ex authenticis historijs sat constat.

Tertiò Ecclesia Romana est Catholica, seu vniversalis, cum etiam extra Europam, & antiquum Orbem in omnibus quatuor partibus novi Orbis, nimirum ad Orientem in *Indijs*, ad Occidentem in *America*, ad Septentrionem in *Japonia*, ad Meridiem *Brasilia*, Ecclesiæ Romanæ fides sit plantata, & indies magis per Missionarios plantetur, & gloriosis martyrijs confirmetur. Econtra Secta Lutherana hæreat in aliquo angulo Germaniæ, vel Regnorum Septentrionalium; Calvinistica in quodam angulo Galliæ, Angliæ, Belgij: Zwinglianæ in angulo Helvetiæ, &c. *Quartò* est Apostolica, quia probat, & tenet successionem sacrorum Episcoporum, & Pastorum (adeòque & doctrinæ) ab ipsismet Apostolis vsque huc sine vlla interruptione. De quo nulla Secta Acatholica gloriari potest.

* 32 QUÆRO XIV. Papa esse infallibilis regula fidei, & morum, etiam sine Concilio, dum loquitur ex Cathedra, non solùm circa ea, quæ sunt iuris, sed etiam quæ sunt facti? Item esse supra Concilium, & hoc ab eò, non ab alio congregandum? *Adest Resp. Nota*, Papam dupliciter considerari posse. *Primò* vt est privata persona, seu vt scribit, aut docet tamquam Doctor privatus, & particularis, & sub hac ratione non est dubium, quin possit errare, immò de facto aliqui erraverint. *Secundò* vt gerit publicam Personam supremi Pastoris, & Vicarij Christi, & vice seu nomine Christi post loquens ex Cathedra, quibus verbis non intelligitur materia is Cathedra, sed dicitur Papa loqui ex Cathedra, quando secundo modò se gerit, ac publica negotia, nimirum in materia fidei, aut morum, tractat, inque suis Decretis vtitur terminis Apostolicam authoritatem significantibus. *Hic notare.*

Resp. 1. Papa sub secunda formalitate sumptus, seu vt ex Cathedra loquens, etiam sine Concilio, non potest errare in ijs, quæ iuris sunt, quoties aliquid definit, sive ad fidem, sive ad mores spectans. *Est de fide. Ratio est* 1. In omni republica bene ordinata præter leges scriptas est aliquis animatus Iudex, cuius sit leges interpretari, & iuxta earum interpretationem sententiam ferre. Vsque *Deut.* 17. divina lege statuitur, vt, quodcumque ambiguum, & difficile acciderit, deferatur ad Sacerdotes Levitici Generis, ab ijsque exquiratur sententia. *Sed iam.* Sed nemo Christianorum dubitat, Rempublicam Christianam à Christo esse optimè, & sapientissimè ordinatam. Ergo præter librum Legis, qui est S. Scriptura, tanquam norma, & regula, dedit ei aliquem animatum Iudicem, cum authoritate controversias circa fidem exortas dirimendi. *Subsumo*: Sed hic non est alius quàm Pontifex Romanus, legitimus Petri Successor, & hic est infallibilis; quia enim Christus volebat suam Ecclesiam perpetuò duraturam, eam, dicendo: *Tu es Petrus, &c.* non fundavit [illegible] solam personam Petri, sed & super Successores eius; & dicendo: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos*, perpetuam assistentiam non promisit soli Petro, sed & legitimis Successoribus eius, & quidem independenter à Concilio; mandatur enim Petro, vt ipse Fratres suos, id est, *Concilium confirmet*. Ergo Papa ex Cathedra loquens non potest errare.

Dixi in R. 1. *Sive ad mores spectans*, cuius sensus est, quòd Papa non solùm non possit errare proponendo credenda, pro veris, & revelato approbando id, quòd est falsum, sed nec in proponendo agenda, turpia pro honestis, honesta pro turpibus approbando, adeòque nec possit errare in approbatione alicuius Status Religiosi, nec in Canonizatione sanctorum, quia Religiosorum Ordinum approbatio,

quà

quà perfectionis via determinatur ; & Sanctorum invocatio ad vniuerſæ Eccleſiæ mores ſpectat. Nec ergo in his Papa errare poteſt, qui etiam pro illis habet aſsiſtentiam Spiritus Sancti, Ioann. 16. *Ille docebit vos omnem*, *NB.* ly omnem, *veritatem*. Et aliàs certè Chriſtus Eccleſiæ ſuæ non ſufficienter providiſſet.

* 33 *Reſp.* 2. Pontifex etiam vt talis, cum cœtu ſuorum Conſiliariorum, & cum Concilio Generali poteſt errare in quæſtionibus, ſeu controverſijs, ac deciſionibus particularis cuiuſdam facti (in Scriptura non revelati) ad fidem non pertinentis, & pendentis ex teſtimonijs, ac informatione hominum. Ita S. Thom. quodl. 9. ar. 16. in c. dicens : *In ſententijs, quæ ad particularia facta pertinent, vt cùm agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de huiſmodi, poſſibile eſt, iudicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes.* Dixi *ad particularia facta* ; Quia circa quæſtiones facti, quæ concernunt publicam Eccleſiæ inſtructionem, & vtilitatem, vti involvitur in Canonizatione Sanctorum, Papa nequit errare, quia in his aſsiſtentia perpetua Spiritus Sancti à Chriſto promiſſa facit, ne teſtimonium humanum aliàs fallibile fallatur.

Ratio etiam eſt 1. Quia ab actu ad potentiam eſt bona conſequentia : Sed de facto quidam Pontifices, & Concilia ob malas informationes errarunt in quæſtionibus facti cuiuſdam particularis, &, quòd vnus Pontifex ſtatuit, alter revocavit, quorum alterutrum erraſſe neceſſe eſt. Ergo. *Min.* patet inſpicienti Authores plura afferentes exempla, inter cætera hæc : Ad inſtantiam Monachorum Ratisbonenſium Leo LX. pronunciavit Corpus S. Dionyſij è Gallia translatum eſſe Ratisbonam, quòd Gallia negat. Zacharias Papa perſuaſione, quorundam Coſmographorum circumventus excommunicavit *S. Vigilium*, eò quòd docuerit, dari Antipodas, propter quòd tamen Antipodæ non deſierunt eſſe. Et Cardinalis de Turre Cremata docet, Patres ſextæ Synodi generalis erraſſe ex falſis rumoribus, &, non bene intellectis Honorij Epiſtolis, Honorium damnaſſe, & annumeraſſe Hæreticis Monothelitas.

Ratio 2. *eſt.* Suprà probatum eſt, fidei non poſſe ſubeſſe falſum, vti nec id, quòd non innotuerit ex verbo Dei ſcripto, aut Traditione, ab Apoſtolis, & *PP.* vſque ad nos derivata ; quia Eccleſia non habet novas revelationes, ſed antiquas ſolùm proponit, & explanat. *Subſumo* : Sed quoad quæſtiones, non iuris, ſed facti particularis, in Scriptura non revelati, deciſionibus Summorum Pontificum, & Conciliorum propter malas informationes poteſt ſubeſſe falſum ; hinc ferri poſſet, ſententiam damnati, quæ non deberet ; aliquem excommunicatum [illegible] apud Deum eſt innocens, &c. quamobrem etiam codicillo diplomatibus pontificijs inſeritur clauſula hæc : *Si preces veritate nitantur.* Et ſupponitur, quòd facta, de quibus eſt ſermo, non conſtent ex verbo Dei ſcripto, nec ex Traditione. Ergo. Dixi : *facti in Scriptura non revelati.* Si enim in ea expreſſum, & revelatum ſit, ad Fidem pertineri, vt patet 2. *Timoth.* 2. de hæreſi Hymenæi, & Phileti. Ergo.

* 34 *Reſp.* 3. Summus Pontifex, vt talis, ſimpliciter, & abſolutè eſt ſuprà totam Eccleſiam, & ſuper Concilium Generale, ſecundùm ſe, & ſine Papa ſumptum : ſi autem ſumatur Concilium Generale ſimul cum Papa, eſt paris authoritatis cum ipſo. *Ratio eſt* : Paſtor eſt ſupra gregem, Rector eſt ſupra ſubditos, Caput eſt ſupra membra, & Chriſti Vicarius eſt ſupra eos, ſuper quos eſt Chriſtus, & quos, aut quorum Statuta, poteſtate à Chriſto ſibi data, confirmat : Sed Papa eſt Paſtor, Rector, & Caput Eccleſiæ, & Chriſti qui eſt ſupra Concilia, Vicarius, ab eoque habet authoritatem confirmandi Concilia, vt patet ex citatis verbis Chriſti ad Petrum : *Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.* Ergo eſt ſupra Concilium.

* 35 *Oppono* 1. Concilium Conſtantienſe *Seſs.* 4. definit, Concilium Generale habere à Chriſto immediatam authoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiamſi Papalis dignitatis exiſtant. Quòd & de facto Ioann. XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII. depoſuit, & elegit Martinum. V. 2. *Ratio dicitur*, quòd totum eſt maius ſua parte, & potentia agendi eſt ſemper principalior in toto quàm in partibus : Sed Eccleſia, ſeu Concilium eſt quoddam totum, & Papa ſolùm eſt pars. Ergo Concilium eſt ſupra, &c.

Ad 1. dico, Definitionem Concilij Conſtantienſis intelligi non abſolutè, ſed ſolùm in certo caſu, nimirum tempore ſchiſmatis, quando neſcitur quiſnam ſit verus Papa, quia dubius Papa habetur pro non Papa. Ergo exinde non probatur, quòd Concilium habet poteſtatem ſupra Papam. *Ad* 2. *diſt. mai.* Eſt maius quantitate molis & ſi formo ſit de corpore naturali, vel politico, ac de quantitate virtutis, *ſubdiſt.* ſi virtus à toto deriveturin partes, *C. mai.* ſi econtra ab vna parte principali fluat in totum, vti in præſenti derivatur à Papa, cui Chriſtus eam dedit, *N. mai.* & applicata *diſt.* ad *min. N. conſeq.*

Not. has duas propoſitiones ab Alexandro VIII. 1690. eſſe damnatas, nimirum num. 29. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.* Et n. 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad vllam Pontificis Bullam.*

* 36 *Reſpondeo* 4. Nullum Concilium Generale legitimè congregatur niſi authoritate Summi Pontificis, qui extra Vrbem non ſolet ei intereſſe, vel præſidere perſonaliter, ſed per Legatos. *Hæc R.* ſequitur ex ratione præcedentis R. Hinc dum legitur, quòd Imperatores Concilia congregaverint, id, vel attentatum fuit via facti, non Iuris ; Vel ad Papæ inſtantiam, vt brachio ſæculari, ac potentia Imperatoris Concilij libertas, & authoritas defenderetur. Similiter, quòd primis trecentis annis non fuit ideò, quia Imperatores non erant Chriſtiani, ſeu defectu poteſtatis, ſed defectu opportunitatis ; tunc enim ob aſsiduas perſecutiones Chriſtianis non licebat ex diverſis Provincijs in vnum locum convenire.

* 37 QUÆRO XV. Poteſtne Papa alteri in foro fori committere iudicium ſupra ſe ? *Reſp.* Nego de Iudicio coactivo, affirmo de iudicio diſcretivo, ſeu diſcuſsivo. *Ratio* 1. *p. eſt.* Quia prima Sedes à nemine iudicatur, cùm non habeat ſuperiorem in terris, cui obedientiam præſtet. Ergo tota eius cauſa reſervatur iudicio Dei ; Nec poteſt à Papa ad Concilium appellari, vt patet n. 2. *Secunda pars*, patet ex divertorum Pontificum factis, Sixti III. & IV. Symmachi, &c. qui, cùm accuſarentur, cauſas ſuas in Concilio Epiſcoporum diſcuti, & examinari voluerunt. Immò legitur, quòd Leo Papa, in querelis contra ſe propoſitis ſe ſubiecerit iudicio diſcretivo Imperatoris Ludovici, & Legatorum eius, non

ex

ex necessitate Iuris, sed virtute humilitatis, ad comprobandam suam innocentiam. *An & quando* Papa *in foro Pœnitentiali*, quòd est favorabile, & necessarium post Baptismum se alteri posit subjicere, vide infrà in Tract. 3. de Pœnit.

* 38 QUÆRO XVI. Quid agendum in casu, qui possibilis est, quo Papa, credendo, vel docendo, vt Doctor particularis fieret hæreticus, vt contigit *Honorio I.* & *Marcello*, qui hus adhibuit Idolis, fiet Petrus Christum negavit? *Resp.* Non esset eo ipso depositus, seu authoritate Papali privatus, sed post duas monitiones, nisi resipisceret, deponendus per Concilium Generale, non quidem per potestatem authoritativam, vtpotè quam non habet, vt dictum est, sed per potestatem ministerialem. *Ratio* 1. *p. est.* Quia dignitas Papalis est de iure divino, & post Deum nemo in terris est supra Papam. Ergo solus Deus potest eam tollere ab homine: Sed nullibi constat, quòd in casu hæresis eo ipso Deus eam tollat. Ergo. *Declaratur vlterius hoc pari*: Papa cadens in hæresim, cùm vita spirituali quæ est per gratiam, ac vitali motu fidei careat, definit quidem esse membrum vivum Ecclesiæ quoad se, vt privatus homo est, & fit membrum putridum eius, non tamen definit esse Caput Ecclesiæ, in ratione cuius constituitur per authoritatem iurisdictionis, donec deponatur, quia in officio Capitis in ordine ad Ecclesiam non erravit, nec quoad hoc alsistentiam divinam amisit. Ergo. *Ratio* 2. *p. est.* Quia ipse S. Clemens refert, a S. Petro sibi dictum, Summum Pontificem ob nullum aliud crimen esse deponendum, quàm ob hæresim, & hoc post duas monitiones, vt habetur ex Apostolo ad Titum 3. dicente: *Hereticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita* indubiè ob periculum; hoc autem foret maius respectu Papæ, quàm alterius. Ergo esset deponendus per Ecclesiam, seu Concilium Generale: Non authoritativè, quia Concilium non habet authoritatem supra Papam, sed instrumentaliter, seu ministerialiter, hoc est, cùm ad altius tribunal in terra non sit recursus, Concilium potest declarare eum esse maximè nocivum Ecclesiæ, & esse talem, quem omnes debent vitare, nec pro Capite habere, quia in omnium sententia, Iure naturæ licitum est subditis Superiorē toti Communitati nocivum, refugere, & excludere. Ergo.

Sed quis in eo casu congregabit Concilium, cuius congregatio iuxta antè dicta spectat ad solum Papam? *Dico*: Dum Ecclesia habet verum, ac certum Pontificem, & hunc Fidei Romanæ professorem, ab eo solo Concilium generale convocari potest, & quidquid sine eo in Concilio fieret, esse nullum: Dùm verò Pontifex est dubius, & incertus, vti est tempore schismatis, vel à Fide caderet in hæresim, tunc sine eius consensu potest Concilium convocari, non quidem authoritativè per aliquem Prælatum particularem, sed communi consensu Prælatorum Ecclesiæ, saltem partis eorum, qui habent ius comparendi in Concilio, promoventibus hoc negotium sacro Cardinalium Collegio, & sæcularibus etiam Ecclesiæ Principibus. Colligitur ex his, quòd licèt Collegium Cardinalium Papam eligat, non tamen potest se solo Papam hæreticum factum, etiam ministerialiter deponere, sed hoc spectat ad totam Ecclesiam in Concilio congregatam.

* 39 QUÆRO XVII. Quid agendum in his tribus casibus. 1. *Si* non constet de legitima electione Papæ. 2. *Si Pontifex* detineretur captivus sine spe liberationis 3. *Si incideret* in amentiam perpetuam? *Resp.* In primo casu esset agendum sicut quando est Papa dubius, & incertus, de quo constat ex dictis, esset que procedendum ad novam electionem. *In secundo* casu illa detentio non sufficit ad creandum novum Pontificem; sicut nec sufficiebat detentio Petri per Herodem. *In tertio* casu esset procedendum sicut Sede vacante, quia deficiente vita rationali (licèt naturalis maneat) Pontifex moraliter est mortuus.

* 40 QUÆRO XVIII. S. Scriptura, seu Verbum Dei scriptum Biblij nostris vulgaris contentum esse regula fidei, & sola controversiarum Fidei iudex? *Resp.* 1. ad 1. quæsiti partem affirmativè. Est de Fide iuxta *Trident. Sess.* 4. vbi assignantur omnes libri Canonici; Et omnia in ijs contenta Spiritus Sanctus locutus est.

Resp. 2. Licèt sacra Scriptura (præter cæteras Regulas supra *n.* 26. assignatas) sit norma, & Regula, secundum quam est iudicandum, ipsa tamen sola non est controversiarum fidei iudex. Est contra Lutheranos, & Calvinistas *Ratio est* 1. *Multa* creduntur, vt de Fide, quæ tamen in S. Bablijs non sunt scripta, *v. g.* de remedio peccati Originalis ante, vel post Abrahamum pro fœmellis, vel ijs, qui non anticipabant octavum diem; Vti & de perpetua *Virginitate Deiparæ*; Item ipsimet hæretici credunt, certos solùm libros esse Canonicos, & tamen in Scriptura S. non est expressum à Spiritu Sancto quinam illi sint, & non alij. Vti nec, quod baptizati non sint rebaptizandi. Ergo.

Ratio 2. Iudex inter litigantes ita debet pronunciare sententiam, vt vterque litigantium clare intelligat, quæ sit decisio Iudicis, vt vnus fateatur esse pro se, aiter contra se, aliàs non erit finis litium: Sed Scriptura licèt in multis sit clara, & perspicua, non tamen in omnibus. Ergo. *Min. prob.* 1. Ipsi Lutherani, & Calvinistæ (qui tamen in hoc conveniunt, quòd S. Scriptura sit clara, & perspicua, & ad omnes controversias dirimendas sufficiens, nec vlli falsitati subesse posit) à tot annis inter se litigant de verijs controversijs, *v. g.* de reali præsentia Christi in Eucharistia, & tamen Scriptura hanc litem hactenus non potuit dirimere, nec vlla pars vsque hue fassa est, nec fatebitur, sententiam contra se esse latam. Ergo. *Prob.* 2. *eadem min.* S. Petrus Epist. 2. c. vlt. loquens de Epistolis D. Pauli, dicit: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant.* Et ad quid aliàs tot Commentaria super Scripturas? quis credet, eas omni plebeio, & cerdonibus esse perspicuas? Et quòd privatus Spiritus, qui (vt putant hæretici) cuivis in aurem loquitur, sit phantasticus, iam ostendi supra *n.* 14. Fateor, ait Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Et Psam. 13. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Verum hoc intelligitur de Verbo Dei explicato, perspecto, & cognito; antequam verò explicetur, manet obscurum.

* 41 QUÆRO XIX. Habeantne Acatholici legitimam S. Scripturam? *Resp.* negativè. *Ratio*: Si Lutherani, & Calvinistæ haberent legitimam sacram Scripturam, cuique librorum Canonum, deberent eam habere per Traditionem, quia immediatè à Deo eam non acceperunt: Sed non admittunt Traditiones. Ergo nec habent legitimam S. Scripturam. Vel certè nolentes volentes debent admittere Traditiones de Fide, quia fide tenent hanc, & non aliam esse legitimam S. Scripturam. *Declaro* vlterius: Dicunt Acatholici, quòd legitimam Scripturam acceperint à Luthero, & Calvino, sed dicant, a quo illi acceperint? *Dicent*: ab illis, qui eo tempore vixerunt.

Sed

Sed quinam illi? Erant Catholici Pontificij. Ergo acceperunt ab illis. Ergo Catholici tempore Lutheri, & Calvini, &c. habebant legitimam S. Scripturam: Sed non habebant illam, quam nunc habent Lutherani, cùm à Lutero sit reformata, vt ipsi asserunt. Ergo. *Confirmatur*: Si Acatholici Legitimam Scripturam acceperunt ab Ecclesia Romana, cur eam arguunt hæreseos, & Apostasię? Cur ei quosdam esse *libros* apocryphos obtrudunt?

Si Respondeant, se veritatem Scripturæ haurire ex græcis, hebræisquè fontibus, manet argumentum, quia admittunt Traditionem, per quàm solam eos fontes acceperunt, & quidem à Catholicis Pontificijs: *Item*, cur fontes græci, ac hebræi non potuerunt ante Lutherum ita depravari, vti depravatos asserunt Latinos, cùm pluribus fuerint obiecti, & expositi hostibus, ac tot annorum lapsu æquè potuerint corrumpi? *Item instamus*: Vel sentiunt suam textus græci, & hebraici explicationem esse infallibilis veritatis, vel non? *Si non*, ergo totam credentium multitudinem decipiunt in negotio salutis, & in primo fundamento incertos faciunt. *Si sic*, ergo admittunt dari aliquos S. Scripturæ interpretes infallibiles, & qui errare non possunt; quòd alias negant.

Si cum alijs Respondeant recurrendo ad ipsam S. Scripturam, quòd nimirum hæc dicat, ac in diversis locis ipsamet testetur, se esse verbum Dei. *Contra est*: Quò pacto probabunt has ipsas sententias, quæ id affirmant esse verbum Dei? Etiam Alcoranus Mahometicus, & Talmud Hæbraicus hoc sibi dant testimonium, an propter hoc eis credimus? *Si cum alijs Respondeant*, S. Scripturam sua velut ex fronte, & divina, quàm spirat, indole, agnosci posse, non secùs ac Solem ex lumine, ita vt illa sit, quę simul, & cernitur, & quà oculi intellectus nostri irradiantur?

Contra est. Baptizato adulto, ac primis Fidei rudimentis imbuendo hinc libros Talmudicos, inde sacra nostra Biblia propone, putasne nativa hæc ab illis luce distincturus est? Si ex hoc Sole tanta lux effulgeat, cur ad eam Genres non festinant? Aut si solis pareat renatis, cur eam in his libris non ęquè observat Lutherus, & Calvinus, qui tamen sibi in multis contradicunt? Cur ex his nonnullos, quos alij repudiant, admittunt alij?

* 42 QUÆRO XX. Traditiones suntne admittendæ, & quidem vt infallibilis Regula Fidei? *Resp.* 1. Traditio est doctrina non scripto sed verbo, seù vivæ vocis oraculo tradita, sive de aure in aurem propagata. *Resp.* 2. Traditio est triplex. *Prima divina*, quæ est immediatè à Christo, & censetur esse tunc, quando aliquid in S. Scriptura non expressum, à tota Ecclesia tenetur tanquàm de Fide, vel in praxi servatur, superatquè omnem humanam potestatem, vti sunt aliquà circa institutionem, & confectionem Sacramentorum, quæ Christus viva voce Apostolis tradidit, de quibus patebit posteà ex Trident. 2. *Alia* traditio est Apostolica ortum habens ab Apostolis cum assistentia Spiritus Sancti, & censetur esse tunc, quando aliquid Conciliorum, & Pontificum Decretis antiquius à tota Ecclesia creditur, vel in praxi tenetur, quòd Apostolicam potestatem non excedit, vt mixtio aquæ cum vino in sacrificio Missæ, observatio Quadragesimæ, cultus diei Dominicæ, & non Sabbathi, quamvis & prior posit dici Apostolica in hoc sensu, quòd à Christo per Apostolos ad nos sit derivata. 3. *Est Ecclesiastica*, quę post tempora Apostolorum invaluit longo, & antiquo Ecclesię vsu, ab Ecclesiæ Prælatis introducta.

Resp. 3. De Fide est, admittendas esse in Ecclesia Traditiones divinas, & Apostolicas, tanquàm infallibilem regulam Fidei, ostendentem credenda Fide divina. *Ratio est*: Nam Apostol. Paulus 2. *Thessal.* 2. clarè ait: *Tenete Traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Ergo saltem aliquas Traditiones hæretici necessario tenentur admittere, & credere aliquid, quòd in sacra Scriptura non est expressum. Et indubitatum est, plura esse talia. Vndè ante mortem dixit Christus, Ioann. 14. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, quæ Apostolos docuit post Resurrectionem, Act. 1. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei.* Vndè & Trident. ad Traditiones recurrit, *Sess.* 14. *c.* 1. de Sacramento Extremæ-Vnctionis. Et do Canone Missæ, *Sess.* 22. *c.* 4. Et de Sacramento Matrimonij, *Sess.* 24. in Proœmio. Circa numerum Librorum Canonicorum, *Sess.* 4. in Decreto. Quòd enim hi, & non alij sint Canonici, habemus præcisè ex Traditione, nec in Scriptura est expressum. Nam impiùs loquendo de Veteri Testamento multi eius Libri perierunt. Quia 1. Paralip. vlt. dicitur: *Gesta David Regis priora, & novissima scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan Prophetæ, atquè in Volumine Gad Videntis.* Et 3. Reg. 4. dicitur: *Locutus est Salomon tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinquè millia*, quæ omnia non extant.

Deindè si loquamur de novo Testamento, certum est, periisse Epistolam D. Pauli *ad Laodicenses*, cuius ipse meminit *Coloss. vlt.* Et vndè constat, quòd in Nova Lege non sunt plura Evangelia Petri, Andreæ, Bartholomæi, Thomæ? Vnde constat, Evangelium, quòd modo legitur, non esse suppositicium, vt dicunt Mahumetani? Vel depravatum, vt olim dicebant Manichęi, & nunc Anabaptistæ? Certè in Sacra Scriptura hęc non sunt expressa. Ergo admittendæ sunt Traditiones.

Confirm. 1. Plura sunt dogmata Fidei, quæ hæretici nobiscum credunt, & tamen non sunt expressa in Scripturis sacris, sed habentur ex sola Traditione: nimirum 1. *Symbolum Fidei* esse verè Canonicum, & Apostolicum. 2. *Spiritum Sanctum* procedere etiam à Filio, habetur ex Symbolo Athanasij; quia Scriptura solùm dicit Ioann. 15. *Quia Patre procedit.* 3. *Infantes* esse baptizandos, & non solos adultos. 4. *Baptizatos* ab hæreticis non esse rebaptizandos. 5. *In Baptismo* pronunciari debere hanc formam: *Ego te Baptizo in nomine Patris, &c.* 6. *Deiparam* manisse semper Virginem, etiam post partum. Ergo. *Confirm.* 2. Ritus Ecclesiæ non nisi ex Traditione habentur, v. g. quòd Exorcismus, & alię cæremoniæ adhibeantur in Baptismo; & quòd in eo nat trina immersio. Quòd Chrisma singulis annis renoventur. Quòd in Calice Eucharistico aqua vino misceatur. Quòd Eucharistia sumatur à ieiunis. Quòd in Sacrificio Missæ orctur pro defunctis. Quòd signum Crucis formetur in fronte. Quòd aqua benedicatur. De quibus, & similibus Tertull. in lib de Corona militis c. 4 ait: *Hæc enim, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenio Traditori auctrix, Consuetudo confirmatrix, & Fides observatrix.* Et licèt multorum rituum observatio non sit simpliciter ad salutem necessaria, est tamen ad eam necessarium ea non contemnere, & credere, ea esse bene instituta.

* 43 *Resp.* 4. Traditiones *Apostolicæ* habent parem

cum sacra Scriptura authoritatem, nec hæc sine illis est sufficiens Regula Fidei. Traditiones purè *Ecclesiasticæ*, licèt non sint paris authoritatis cum Apostolicis, meritò tamen à Christianis sunt servandæ, nec sine temeritate possunt negari, vel in dubium revocari. *Ratio primæ partis est*: Verbum Dei viva voce prolatum, & scripto non expressum est æquè infallibile, ac si esset litteris exaratum, quia suam infallibilitatem atramento, aut characteribus non sortitur. Ergo potest quòd esse infallibilis Regula Fidei ac Verbum Dei scriptum. 2. Pars patet ex probatione *R.* 2. *&* 3. *n.* 42. 3. *Pars* patet ex antè dictis.

Opponunt hæretici aliqua Scripturæ loca, quibus dicitur, Verbo Dei nihil addendum esse, mandatum Dei per Traditiones irritum fieri, & iuxta SS. PP. in Scriptura S. inveniri omnia, quæ ad Fidem spectant. *Verùm* in ijs Scripturæ locis sermo est de Traditionibus Scripturæ contrarijs. SS. PP. verò sic loquentes, Scripturam non accipiunt strictè pro solis libris canonicis, sed amplè pro Verbo Dei, prout complectitur omnem veritatem à Deo revelatam. Plura hac de re vide in Controversistis.

EXAMEN II.

De actu interno, & externo Fidei, ac de credendis.

De quibus S. Thomàs, hic quæst. 2. *&* 3.

DVplex est actus fidei, nimirum internus, qui sola mente; Externus, qui ore, vel opere tanquàm fidei internæ pro seu confessio perficitur.

* 1 QUÆRO I. Fides est ne necessaria, & sola sufficiens ad salutem? *Ante* R. *Not.* dupliciter aliquid posse ad salutem esse necessarium, etiam simpliciter, & non solùm ad melius esse. *Primò* necessitate medij, & est illud, sine quo finis, v. g. salus, simpliciter obtineri nequit: & hæc necessitas, vel est ex natura rei, propter intrinsecam connexionem talis medij cum tali fine: vel ex institutione iuxtam quàm debet adhiberi, vel in re, vt Baptismus respectu parvulorum; vel in voto, vt Baptismus respectu illorum adultorum, quibus impossibilis est in re. *Secundò* necessitate præcepti, & est illud, sine quò quidem finis absolutè haberi potest, sed quia de eo extat præceptum, est observatu necessarium, vt Communio in Paschate. Vlterior vtriusquè necessitatis differentia est, quòd ab his, quę sunt necessaria necessitate præcepti, possit excusare ignorantia, vel impotentia, vt patet de Communione Paschali, sine Salutis dispendio: secùs est de ijs, quæ sunt necessaria necessitate medij, vt patet in Baptismo, sine cuius reali susceptione parvulus salvari nequit. *Hoc notato.*

Resp. 1. Omnibus adultis vsum rationis habentibus, aliquis actus internus fidei divinæ Theologicæ est necessarius necessitate medij in re; adultis amentibus, vti & parvulis necessaria in re necessitate medij est fides habitualis. Ita Apostolus Hebr. 11. dicens: *Sine fide impossibile est placere Deo*, nimirum, vel habituali, vel actuali iuxta sensum huius 1. R. Unde Trid. Sess. 6. cap. 8. definit: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis.* Ratio 1. Quia Adultus vsus rationis capax iuxta cursum ordinarium non iustificatur, nec salvatur, nisi per proprios actus tendat in Deum, vt finem supernaturalem: Sed hoc nequit, nisi habeat actum internum fidei, quia *nihil volitum quin præcognitum*, finis autem supernaturalis cognoscitur per fidem. Ergo adultis actus internus fidei, est necessarius necessitate medij. Et quia actus fidei est primus, ac initium totius vitæ supernaturalis, non potest in alio actu priore, eiusve virtute contineri. Ergo non potest haberi in voto, sed debet haberi in re, ad differentiam Baptismi, & similium respectu adultorum. Cùm autem amentes, parvuli eius non sint capaces, eis non est necessarius. Quia tamen & hi non possunt salvari sine gratia sanctificante, & huic habitus fidei Theologicæ instar proprietatis necessariò sit annexus, non salvantur sine habitu fidei in re.

* 2 *Resp.* 2. Contra hæreticos: Sola fides adultos non iustificat, nec salvat, sed requiruntur etiam pij motus voluntatis. Ita D. *Iacobus* in sua Epistola c. 2. clarè dicens: *Quid prodest, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid fides poterit salvare eum?* Et subdit: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et tandem concludit: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Quòd testimonium tam perspicuum est, vt hæretici coacti sint negare Epistolam illam esse canonicam. *Ratio* congruentiæ est: Quia homo, dum peccat, à Deo per voluntatem avertitur. Ergo vt peccatum ei remittatur, debet per actum voluntatis ad Deum reverti. Ergo non sufficit actus intellectus vti est fidei. Unde Luc. 13. dicitur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et Apostolus 1. Cor. 3. *Si habuero omnem fidem, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Quomodo ergo explicas loca Scripturæ, & SS. PP. in quibus fides dicitur esse forma iustificans, & salvificans, & opera excluduntur? *Explico* 1. Intelligi in sensu antè pro *R.* 1. insinuato ex Concilio Tridentino. *Secundo* intelligi de fide viva, & quæ per dilectionem operatur, seu opera habet adiecta. Dum opera excluduntur, sermo est de operibus non ex gratia, sed solis viribus naturæ factis.

* 3 *Quomodo* cum R. 1. salvas doctrinam S. Thomæ de Verit. *qu.* 14. *art.* 11. *ad* 1 de puero ab infantia in sylvis nutrito, docentis, quòd si sequeretur ductum rationis naturalis in prosecutione *boni*, & fuga *mali*, certissimè tenendum esse, quòd Deus illum iustificaret: Sed ille puer nullam haberet fidem, quia non haberet vllam notitiam mysteriorum Fidei. Ergo adultis ad salutem non est necessarius actus fidei. *Ad hoc N. min.* nam *S. D. ibidem docet*, certissimè tenendum esse, quòd Deus talem puerum de mysterijs ad salutem necessariò credendis esset illuminaturus vel per internam inspirationem, vel per ministerium alicuius Prædicatoris, Angeli, vel hominis; prout Deus de facto fecit Eunucho Reginæ Candacis *Act.* 8 mittendo ei Philippum: & Cornelio, ad eum mittendo D. Petrum, *Act.* 10. Et S. Dionys. c. 9. de cœlesti Hierarch. refert, multis Gentilibus beneficio Angelorum mysteria Fidei fuisse revelata, eosque salvatos. Prout etiam patet ex Angelico Doctore hic qu. 2. art. 7. ad 3. vbi addit: *Invenitur etiam in historijs Romanorum, quòd tempore Constantini Augusti, & Helenæ Matris eius inventum fuit quoddam sepulchrum, in quo iacebat homo, aureum laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol! sub Helena, & Constantini temporibus iterùm me videbis.*

* 4 *Quomodo* cum hac solutione salvare potes com-

communem doctrinam; quæ dicit, omni homini debere patere aditum ad ſalutem abſque miraculo, quia præfatus modus inſtructionis videtur eſſe miraculoſus? *Dico*, non eſſe proprie miraculoſum, licèt ſit rarus, & extraordinarius. *Ratio eſt*: quia ad generalem Dei providentiam in ordine gratiæ ſpectat, non permittere, vt boni pereant, adeòque & hominem in caſu talis neceſſitatis ſic illuminari, quamvis ſit de rarò contingentibus; ſicut ad generalem providentiam Authoris naturæ ſpectat, citrà miraculum providere etiam in caſibus rarò contingentibus. Immò ordo gratiæ connaturalis exigit, vt non ponentibus obicem detur auxilia ſaltem ſufficientia, quando obligatio alicuius præcepti ſupernaturalis vrget: quia aliàs homo obligaretur à Deo ad aliquid impoſsibile, quòd non ſtat cum infinita eius bonitate.

* 5 *Quid ſentis de hoc*: Homo baptizatus obtento vſu rationis, aliquamdiù vivere poteſt non eliciendo actum fidei, & non peccando mortaliter, & ſic mori in innocentia baptiſmali, adeòquè ſalvari, & tamen eſſet adultus? *Ad hoc* nego talem non peccare, & ſalvari; quia omnis homo vſu rationis obtento ſtatim ſub mortali tenetur ſe, & omnia ſua in Deum convertere, vt patebit ex ſtatim dicendis ad *Q.* 2. quòd non ſit ſine actu Fidei.

* 6 QUÆRO II. Teneturne omnis homo in primo inſtanti vſus rationis ſub mortali per actum fidei, & charitatis ſe convertere in Deum, haberquè ad hoc à Deo auxilia ſufficientia? Ante *Reſp. Nota* 1. Pervenire aliquem ad vſum rationis nihil aliud eſſe, quàm pertingere ad illum ſtatum, in quo expeditam habet facultatem ad diſcernendum inter *bonum*, & *malum morale*, ſeù peccatum, quæ facultas pueris tunc ineſſe cenſetur, quando maiè agendo ſe *abſcondunt*, vel *erubeſcunt*. *Not.* 2. Per primum inſtans rationis non intelligi vnicum momentum temporis, ſeù inſtans indiviſibile phyſicum, ſeù mathematicum, ſed *inſtans morale*, ſeù morulam illam temporis, quæ moraliter, ſeù prudentum iudicio ſufficit, vt (pro diverſitate tamen ingenij in vno citiùs quàm in altero matureſcentis) puer in eò deliberet, ac ſe determinet, an amplecti velit bonum honeſtum, vel eò relicto bonum ſenſibile, ſeù delectabile. *Not.* 3. Duplicem poſſe dari converſionem in Deum, vnam explicitam, ſeù formalem, quæ conſiſtit in actu dilectionis Dei cogniti vt talis, ſeù per fidem, & ſic eſt ſupernaturalis: vel per lumen naturale rationis, & ſic eſt converſio naturalis: alteram ſolùm implicitam, & virtualem, quæ fit per propoſitum ſequendi in omnibus bonum honeſtum, in quo Deus, vt boni huius Auctor, & finis virtualiter, & implicitè continetur.

Nota 4. Certum eſſe ſaltem in aliquo, nimirum in ſecundo ſenſu aſſignando, quòd Deus omnibus hominibus viatoribus, etiam reprobis, ſive adultis, ſive parvulis det media, ſeù auxilia ſufficientia ad ſalutem, quia aliàs non ſalvaretur illud Apoſtoli 1. Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, qui enim vult finem, etiam vult mediá. Verùm ly *dare* poteſt dupliciter ſumi 1. *quatenus eſt* correlativum ad recipere, & dicit receptionem, ſeù impreſsionem gratiæ, ſive auxiliorum in homine; & ſunt vel interna, vt pij motus, inſpirationes, vel illuminationes internæ: vel externa, v. g. Sacramenta recepta, & hæc auxilia aliquando ſunt proxima, quę homini dant facultatem proximam operandi bonum, & conſequendi ſalutem; aliquando remota, quæ proximè quidem diſponunt ad aliquos actus præliminares, remotè tamen ſolùm ad ſalutem; ſi enim homo actus illos præliminares eliceret, acciperet vlteriora gratiæ auxilia, ad credendum v. g. & pœnitendum, &c. *Secundò* poteſt ly *dare* ſumi prout idem eſt ac præparare, ac omnibus in communi offerre, pro omnibus inſtituere, & quantum eſt ex parte ſua, conferre paratum eſſe; & hoc modo, vt dixi, certum eſt, quòd Deus omnibus det media, & auxilia ſufficientia, vti ſunt Sacramenta, paſsio Chriſti, prædicatio, &c. *Nota* 5. Quòd in pœnam peccati mortalis actualis, vel Originalis multi homines auxilijs intrinſecis, ſeù auxiliorum ſufficientium receptione priventur, non quòd peccatum ſit ratio neceſsitans, ſed quòd ex eò ſumatur ratio ſufficiens huius denegationis. Nam multi Chriſtiani grandiora patrant ſcelera quàm infideles, & tamen Chriſtianis plura auxilia dantur, quàm infidelibus. Ratio ergo efficax eſt divina voluntas, quæ, *cuius vult, miſeretur*, & cui vult, dona ſua gratuita largitur, vocat, iuſtificat, ſalvat, ſine iniuria alteriùs; per hoc enim, quòd vni fiat gratia, alteri non fit iniuria. Hoc notabile patet partim in parvulis, vel in vtero matris, vel poſt ortum, ſine Baptiſmo decedentibus; partim etiam in adultis peccatoribus morientibus in ſomno, amentia, ebrietate etiam involuntaria, phreneſi, apoplexia, in infidelitate. Omnibus tamen his auxilia oblata, & præparata non deſunt. His notatis.

* 7 *Reſp.* 1. Tutiùs eſt, & probabiliùs, quòd homo, ſeù puer in primo inſtanti moralis vſus rationis ſub mortali teneatur ſe convertere in Deum, vt vltimum finem per actum dilectionis, & fidei, ſi fides cognoſcatur. Ita S Thom. 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. *in c.* dicens: *Cùm vſum rationis habere inceperit, non omnino excuſatur à culpa venialis, & mortalis peccati; ſed primum quòd tunc homini cogitandum occurrit, eſt, deliberare de ſe ipſo, & ſi quidem ſe ipſum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem Originalis peccati. Si verò non ordinet ſe ipſum ad debitum finem, ſecundùm quòd in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens, quòd in ſe eſt.* Et ad 3. ait: *Ab alijs peccatis mortalibus poteſt puer, incipiens habere vſum rationis, per aliquod tempus abſtinere, ſed à peccato omiſſionis prædictæ non liberatur, niſi, quam citò poteſt, ſe convertat ad Deum. Primum enim, quod occurrit homini diſcretionem habenti, eſt, quòd de ſe ipſo cogitet, ad quem ſe, & alia ordinet ſicut ad finem, finis enim eſt prior in intentione; & ideò hoc eſt tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dixit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Zach.* 1. Hæc S. D. & cum eo omnes Thomiſtæ nomine excepto, vt ait Gonet: licèt in hoc differant, an illa converſio debeat eſſe explicita, & formalis, vel ſufficiat implicita, & virtualis.

Declaranetur verba S. Thom. ex dicto Gonet: Venire ad vſum rationis, non eſt diſcernere inter bonum, & malum in abſtracto, ſed relativè ad ſe ipſum, diſcernendo quid ſibi, vt *fini cui* bonum ſit, vel malum. Ergo, vt finis aliorum, quæ ſunt extra ipſum, homo ſibiipſi in illo inſtanti primò occurrit tanquàm is, cui bonum proſequendum ſit. Verùm homo reſpectu aliorum, quæ ſunt extra ipſum, non eſt finis vltimus, ſed ſolùm intermedius, vltra relatus ad Deum, vt finem ſimpliciter vltimum omnium creaturarum. Ergo ex quo homo eſt finis aliorum, & non eſt finis vltimus, ſibi primò occurrit deliberare de ſe ad vltimum finem ordinato; deliberatio enim non eſt de fine, ſed de ijs, quę ſunt ad finem, de fine verò eſt intentio, & eò immo deliberatur de mediis. *Rurſ*

est : Homo legem iustam, sufficienter sibi promulgatam, tenetur statim acceptare, & ei se subjicere, quia aliàs non agnoscit se subditum, sed potiùs rebellem, & id potest, quia non datur lex ad impossibile, sed in primo morali instanti vsus rationis per dictamen synteresis, & lumen naturale rationis, à Deo intimatur lex naturalis, quæ dictat, sequendum esse bonum honestum, seù conforme rationi, & præferendum bono vtili, ac delectabili, seù sensibili. Vnde S. Cyrillus, alijque Sanctorum Patrum illud Ioann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, intelligunt de illuminatione in primo instanti vsus rationis, cùm enim in eò homo, incipiat vivere vt homo, dicitur moraliter venire in mundum, licèt physicè iam ante sit in illo. Ergo tunc homo statim ex vi præcepti naturalis sub mortali tenetur hanc legem amplecti, sequè resolvere ad prosecutionem boni honesti, sed sic se resolvendo virtualiter, & implicitè se convertit in Deum, vt patet ex *Not.* 3. Ergo tenetur se convertere in Deum saltem implicitè. *Sub sumo* : Sed hæc conversio fit per actum dilectionis, qui est actus voluntatis. Ergo tenetur in eodem sensu Deum diligere; sed nihil volitum quin præcognitum. Ergo præsupponitur actus intellectus Deum cognoscentis. Ergo si sit conversio supernaturalis, de quà statim plura, præcedit actus fidei, ad cuinquè est obligatio; si naturalis, præcedit actus rationis naturalis, Deum naturaliter cognoscentis. *Confirm.* Maximè consentaneum est rationi, vt homo tunc terminum præfigat viæ, quando viam aggreditur. Sed iuxta explicationem dicti *Ioannis* 1. homo in primo instanti vsus rationis propriè incipit esse viator. Ergo ratio dictat, vt in eodem sibi præfigat terminum, seù finem: Sed finis vltimus omnis creaturæ est Deus. Ergo si hunc sibi non præfigat, mortaliter peccat.

* 8 *Resp.* 2. De facto, sçù suppositâ elevatione naturæ humanæ ad ordinem, seù finem supernaturalem, dicta lex de diligendo Deo in primo instanti vsus rationis, per se loquendo obligat ad actum supernaturalem, seu ad formalem, & explicitam conversionem in Deum, vt Authorem, & finem supernaturalem, à qua tamen multi per accidens excusantur: aut nemo excusatur à conversione naturali saltem implicita, & amore virtuali, & dantur ad hos actus à Deo auxilia sufficientia *Hæc Resp.* conciliat duas oppositas sententias Thomistarum, quarum ante memini.

Ratio 1. *p. est* : Tum quia actus voluntatis, vti est amor, debet proportionari actui intellectus, ad quem sequitur: Sed suppositâ elevatione per sed cognoscit homo Deum per lumen supernaturale fidei, & vt Authorem supernaturalem, ac explicitè Ergo amor secutus debet esse supernaturalis, & explicitus. *Tum etiam*, quia *S. D.* citatus dicit, per talem conversionem hominem iustificari; quòd posteà magis explicabitur. Ergo debet esse supernaturalis. *Tum tandem*, quia suppositâ elevatione homò in primo instanti vsus rationis obligatur vivere honestate proportionata naturæ, non secundùm se, sed vt elevatæ, quæ est honestas supernaturalis. Item per se obligatur præceptis, non solùm naturalibus sed & supernaturalibus; & peccando recedit non solùm à Deo, vt vltimo fine naturali. *Ergo*. Dixi, *honestas supernaturalis*, quæ est bonitas conveniens homini secundùm rationem regulatam inspirato lumine transeunte fidei, & prudentia supernaturali, velut regula, quæ mundo, & natura superior est, sicut honestas naturalis est bonitas conveniens homini secundùm rationem regulatam lumine synteresis, & prudentia naturali.

Ratio 2. *p. est* : Nihil volitum quin præcognitum, & eo modo (scilicet implicitè, vel explicitè) volitum, vel amatum, quo præcognitum: Sed multi sunt pueri, nimirum in sylvis, & apud barbaras Gentes, educati, qui in primo instanti morali vsus rationis explicitè non cognoscunt Deum; vt Authorem supernaturalem, nec Evangelium, vel mysteria Fidei sunt eis prædicata, sed invencibiliter pro tunc ignorant illa. Ergo excusantur ab amore explicito Dei, vt Authoris gratiæ. *Dico, vt Authoris gratiæ*, quia vt Author naturæ non potest invincibiliter ignorari, vt probavi suprà. Ergo eo ipso, quòd cognoscitur bonum esse amandum, etiam cognoscitur amandum esse eius Authorem Deum, & ad hoc habent auxilium sufficiens. *Aliud* est de pueris inter Christianos, & Catholicos, salutis animarum studiosos, educatis, qui, antequam annos discretionis attingant, à parentibus, vel instructoribus de Deo, & Fidei nostræ mysterijs multa audiunt; sicque in primo vsus rationis instanti fidei lumine irradiati explicitum de Deo iudicium formare possunt. Ergo hi tenentur ad amorem explicitum Dei, vt Authoris gratiæ. Quod totum patet ex ipso *S. Thom. cit.* dicente: *Secundùm quòd in illa ætate est capax.*

Vel paulò aliter dico: Omnis homo perveniens ad vsum rationis perfectum, nedum intra ordinem naturæ, sed etiam intra ordinem gratiæ, quidesunt, qui Evangelio sibi prædicato, vel mysterijs Fidei explicatis, à Deo de illis illuminantur, tenetur in eo instanti ad conversionem supernaturalem tantùm. *Tertia*, & 4. pars patet: ex probatione *R.* 1.

Oppono: Lex illa de se convertendo in Deum in primo instanti vsus rationis non constat ex Sacra Scriptura, sed est à *S. Thoma* inventa, & plerique extra scholam *S. Thom.* eam negant, nec homines, etiam timorati, de eius legis transgressione, etiam sub dubio, se accusant. Et certè hæc sententia hominem scrupulis obruere, ac intricare potest de lege non impleta. Ergo. *Ad hoc* dico, vt ex *S. Thom. cit. patet*: Sacra Scriptura huic legi *Zach.* 1. satis favet; nullum enim aptius tempus legi de conversione hominis per fidem, & charitatem in Deum (quo per se obliget) potest assignari, vt patet tum ex *prob. R.* 1. Tum etiam: Si enim quis assignet tempus mortis, quasi ante illud non liget, est enim nimis: Si solos dies Dominicos, & Festivos, id asseritur sine fundamento: si præcisè tempus gravis tentationis contra charitatem, & fidem, tunc solùm per accidens, & omnibus communis est obligatio eliciendi actum fidei, & charitatis. Ergo tempus, quo obliget per se, est dictum instans, pro quo vide *n.* 19. Hinc S. Thom. non invenit hanc legem, sed tantùm assignavit tempus, quo liget. Cuius sententiam sequuntur etiam multi extra Scholam *S. Thom.* Quòd verò verò alij discendant, est, vel quia oppositæ sententia ipsis videtur probabilior, vel saltem probabilis, cuius sequelam esse licitam sentiunt; qua de causa de huius legis transgressione se non accusant; Uti nec illi, qui hanc sententiam tenent, nam si supponunt, se in primo instanti honesta fuisse secutos, vt & supponere possunt, cum de oppositio non constet, & ideò scrupulis locus non est.

Sed instans illud, & lex à pueris etiam sagacissimis non dignoscitur, quomodo ergo in eò se possunt convertere in Deum? *Distingue*: Non cognosci quidem

dem in actu signato, benè tamen exercitè, quando, & quia in eò instanti per dictamen synteresis practicè pueris proponitur obligatio prosequendi bonum, adeòquè & amandi eius Authorem. Fateor tamen, hanc ipsam propositionem non relicto vllo vestigio, cum eodem instanti evanescere, vt homo sine novo discursu denuò non assequatur cognitionem eius.

Explico vlteriùs *cit. verba S. Thom. dicentis*: Hominem per dictam conversionem consequi remissionem peccati, seù iustificari; quòd certè de conversione naturali verificari nequit, nisi apud Semipelagianos.

Explico 1. *ex R.* 2. Sensus est, quòd quia supposita elevatione naturæ humanæ in sensu composito, seù potentia consequente, homo per se loquendo non potest se convertere in Deum conversione naturali sive supernaturali, si nimirum de mysterijs supernaturalibus iam sit illuminatus; ideò S. Thom. dicit: Quòd homo (vtpotè pertingens ad vsum rationis perfectum etiam in ordine gratiæ, vt antè loquebar) præceptum tunc implens, iustificetur, non ratione conversionis naturalis, sed supernaturalis, ad gratiam, quâ peccatum tollitur, disponentis. Quòd proindè non verificatur de illis, qui per accidens, seù defectu cognitionis Dei, vt Authoris gratiæ, se convertunt in eum conversione solùm naturali.

Explico 2. cum quibusdam Thomistis: Si puer (etiam apud infideles) veniens ad vsum rationis faciat, quòd est in se, & convertatur in Deum, vt Authorem naturæ, ad providentiam Dei spectat, eum etiam de mysterijs supernaturalibus gratuitò edocere, eique dare auxilium fidei sufficiens, consistens in pia cogitatione supernaturali; cui si consentiat, iustificabitur à peccato Originali; si dissentiat, peccabit mortaliter. Quòd intelligitur eò modo, quò dixi *n.* 3. de puero in sylvis nutrito, ficut in eodem instanti temporis sit conversio naturalis, & supernaturalis, & vtraquè fiat per auxilium supernaturale; licèt enim per auxilium naturale non possit elici actus supernaturalis, benè tamen econtra per auxilium supernaturale actus naturalis, & hoc propter eminentiam, & virtualem eius continentiam. Hęc explicatio admittit aliquid plus, quàm 2. *pars Resp.* 2.

* 10 *Oppono* 1. contra primam explicationem. Sequitur ex eà, quòd nulli, etsi reprobo, venienti ad vsum rationis perfectum, id est, tam intra ordinem naturæ quàm gratię, seù qui de mysterijs fidei est instructus, denegentur auxilia sufficientia: Sed hoc non videtur dicendum, quia illa multis denegantur. Ergo.

Oppono 2. contra 2. *explic.* Sequitur ex eà contra S. Thomam, non dari infidelitatem negativam, quàm Thomistæ admittunt in illis, ad quorum aures prædicatio Evangelij nondum pervenit, qui habent ignorantiam invincibilem, & inculpabilem mysteriorum nostræ Fidei *Probatur seq.* Si cuilibet homini in primo instanti vsus rationis detur auxilium sufficiens, scilicèt illustratio fidei, est culpabilis, si ei non consentiat, & ignorantia mysteriorum sit vincibilis, adeòquè est infidelitas privativa. Ergo.

Ad 1. *dist. mai.* dicendo, esse veram de auxilijs sufficientibus supernaturalibus saltem extrinsecis, oblatis, & præparatis, non verò semper de intrinsecis, receptis, sive effectivè datis, provt dare est correlativum ad recipere. Pro quò. *Not.* 1. Dupliciter posse aliquid alicui esse possibile. 1. *Per potentiam intrinsecam*, seù quæ inest ipsi subiecto. 2. *Per potentiam extrinsecam*, quæ inest alteri, per quem potest agere, recipiendo tamen ab eò vires intrinsecas, ad quas dandas semper est promptus, & paratus, vti est Deus respectu cuiusvis hominis. Unde ait Apostolus: *Omnia possum in eo, qui me confortat. Not* 2 Ex Godoy, quòd ab extrinseco posse consequi salutem stet dupliciter: *Primò* posse de potentia absoluta, & hoc modo illud etiam convenit Angelis, & hominibus damnatis, quòd tamen non sufficit, vt quis dicatur esse in statu salutis. 2. *De potentia* ordinaria, id est, secundùm modùm ordinarium causatum naturalium, aut moralium, quòd posse non solùm fundatur in potentia Dei, sed etiam tum in libertate arbitrij, qua non gaudent Angeli post lapsum, nec homines damnati, cùm indefectibiliter adhæreant malo, & continuò peccent, cùm tamen teneantur peccatum vitare, & non possint vitare sine auxilio gratiæ, sed eo carent ex suâ culpa: tum in virtute passionis, & meritorum Christi, quæ pro Angelis, ac hominibus damnatis, nec quoad sufficientiam à Christo fuerunt applicata, nec à Patre cœlesti pro ijs acceptata.

Ad 2 *N. mai.* prob. *dist. ant.* Si detur illustratio de mysterijs distinctè, *C. ant.* si solùm confusè, *N. ant.* & *conf.* Non ergo æquè expressè, ac distinctè cuivis puero ad vsum rationis venienti repræsentatur vltimus finis supernaturalis, vti nec naturalis. Si puer circa duos articulos, nimirum existentiæ Dei, & Providentiæ, seu *quòd Deus sit*, & inquirentibus, *quod remunerator sit*, Hebr 11. in omni statu ad credendum necessario, in primo instanti sufficientem accipiat illustrationem, eò quòd tunc tam distinctè, & expressè proponantur, vt ad assensum induci possit, puer autem huic vocationi, & interno lumini oculos claudat, & non pareat, non excusatur, nec manet infidelis negativè, sed fit talis privativè, & peccat non credendo: si verò finis vltimus puero repræsentetur tam confusè, vt præcisè apprehendat rationem honesti supernaturalis, quòd ante expositi, & non illustretur circa alia mysteria necessario credenda, peccat quidem mortaliter, si illud respuat, & amplectatur bonum sensibile, non tamen peccat peccato infidelitatis, sed manet infidelis negativè.

* 11 *Oppono* contra hanc solut. Qui potest, & tenetur credere duos præfatos articulos, non credendo fit infidelis privativè, seù peccat peccato infidelitatis: Sed omnis homo habens vsum rationis tenetur duos illos articulos credere distinctè, & potest. Ergo. *Min. prob. pro* 2. *p.* Iuxta dicta Deus omni homini dat auxilia sufficientia, saltem extrinseca, ad salutem, quibus potest eum acquirere, & præcepta implere. Ergo potest credere. *Ad hoc dist. mai.* Qui potest potentia proxima, & intrinseca, quæ in præsenti esset, si adesset illustratio distinctè circa dicta mysteria, *C. mai.* Qui potest potentia solùm extrinseca, vti est in præsenti defectu distinctæ propositionis credendorum, *N. mai.* Et hoc *dist. mai.* *N. conf.* Patet autem ex *Not.* quòd & ob quàm causam auxilia sufficientia intrinseca multis à Deo denegentur, qui tamen tenentur ad actum præcepti, quia potentia intrinseca carent ex sua culpa Infidelitas ergo negativa non est peccatum personale formaliter, defectu voluntarij personalis, sed est pœna peccati Originalis; vti & motus primo primi sensualitatis.

* 12 *Quid sentis* de hominibus iustis, qui nullum

vll,

vnquàm commiserunt peccatum mortale, an illis Deus semper det auxilia sufficientia intrinseca proxima, quando vrget impletio præcepti sub mortali obligantis? *Affirmo*: Quia in ijs non est ratio denegandi, nimirum peccatum, sive Originale, sive actuale mortale; si tamen Deus vellet denegare ex alio capite sibi noto, v. g. ad ostendandum suum supremum dominium, & creaturæ infirmitatem, potest

* 13 *Quid ergo censes* de peccatoribus, dum vrget præceptum? Si enim dicas, eos habere auxilia mere extrinseca, & oblata, dicam ego eos non posse culpari. Nam infidelibus negativis ideò infidelitas non imputatur ad culpam, quia licèt habeant auxilia externa, & præparata ad credendum, non tamen habent interna, nimirum internam fidei illustrationem. *Dico*, præter auxilia extrinseca, & oblata eis dari intrinseca saltem remota in *Not.* 4. explicata, in quò differunt ab infidelibus negativis. Hinc Trid. *Sess.* 6. *c.* 11. *S.* August. *l. de Nat. & Grat. c.* 43. dicit: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quòd possis, & petere quòd non possis; & adiuvat ut possis.* Quibus verbis possibilitas servandi præcepta Dei refunditur in admonitionem, & editorium Dei, quæ significant auxilium internum.

* 14 QUÆRO III. Quænam sunt necessario, explicitè, vel implicitè credenda? *Aut. Resp. Nota* 1. Fidem esse duplicem, vnam explicitam, quà veritas aliqua fidei attingitur specialiter in seipsa, v. g. quòd Deus sit trinus, & vnus: aliam implicitam, quà credo aliquid vt implicitè, aut virtualiter contentum in alio explicitè credito. Sicut qui explicitè profitetur, se credere, quidquid credit Ecclesia, implicitè credit omnes eius veritates. *Not.* 2. Non omnes æqualiter teneri ad fidem explicitam, sed maiores, v. g. Episcopi, Magistri, Doctores, Superiores, Pastores, &c. cum minoribus mysteria fidei debeant explicare, debent habere maiorem credendorum notitiam, & plura explicitè credere; prout S. Thom. hic q. 2. ar. 6. in Sed Cont. explicat ex Iob 1. vbi dicitur, *quòd boves arabant, & asinæ pascebantur iuxta illas*; *quia videlicet minores, qui significantur per asinos, debent in credendis adhærere maioribus, qui per boves significantur*, vt exponit S. Gregor. in 2. moral. Et in corp. ait: *Explicatio credendorum fit per revelationem divinam, creabilia enim rationem naturalem excedunt, revelatio autem divina ordine quodam ad inferiores pervenit per superiores*, vt ibi magis explicat. His notatis.

Resp. 1. In omni statu fuit ad vitam æternam necessarium necessitate medij explicitè credere, quòd sit Deus, & remunerator sit bonorum operum. Ita S. Thom. q. 2. a. 3. citans illud ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est. Ratio est*: Cùm nihil velitum, quin præcognitum, vt aliquis tendat in certum finem, debet eum cognoscere: Sed Deus vt Remunerator, & Glorificator est finis vltimus hominis. Ergo. *Not.* In hoc, quòd Deus sit Remunerator, implicitè continentur, & creduntur hæc tria. 1. *Quòd* Deus habeat omnium rerum providentiam. 2. *Quòd* opera nostra bona ei placeant, mala displiceant. 3. *Quòd* anima nostra sit immortalis, cui post hanc vitam Deus opera bona remuneret.

* 15 *Resp.* 2. Post sufficientem Evangelij promulgationem, ad salutem æternam cuiuslibet hominis, fides explicita Christi Salvatoris, seu Verbi incarnati, vti & mysterij Sanctissimæ Trinitatis est necessaria necessitate medij. Ita colligitur ex illo Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Idem docet *S. D. hic quæst.* 2. *ar.* 7. & 8. *Ratio* 1. *p.* est: Quia perfectior fides in Christum requiritur post adventum Christi, quàm ante: Sed ante sufficiebat implicita. Ergo nunc requiritur explicita.

Quid dicendum de illis, qui habent invincibilem ignorantiam Evangelij, quia respectu eorum prondè est, ac si non esset sufficienter promulgatum. *Ad hæc* patet ex dictis, quòd propter invincibilem ignorantiam non peccent peccato infidelitatis, eosque (si servaverint totam legem naturæ, & ex auxilio supernaturali eis dato fecerint totum quòd est in se) à Deo illuminandos esse, vel ab ipsomet interiùs, vel per externam prædicationem. *Ratio* 2. *p.* est: Quia mysterium Verbi incarnati (vtpotè secundæ personæ) non potest explicitè credi sine mysterio SS. Trinitatis.

* 16 *Resp.* 3. Fides explicita mysterij Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis est omnibus fidelibus etiam necessaria necessitate præcepti divini. Ita constat *Marci ult.* vbi Christus de mysterio Trinitatis loquens ait: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et 1. Ioann. 3. dicitur: *Hæc est mandatum, vt credatis in nomine Filij eius Iesu Christi.* Not. tamen, quòd rudibus sufficiat scire, in divinis esse tres personas distinctas, sub nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, easque esse vnum Deum, & secundam personam assumpsisse naturam humanam, vt homines liberaret à peccatis. De doctioribus iam dictum est in *Not.* 2.

* 17 *Resp.* 4. Omnes Fideles ex præcepto tenentur explicitè credere 12. *articulos* fidei contentos in vulgato Symbolo. *Ratio est*: Quia in ijs continentur præcipua Fidei Christianæ mysteria. Hinc parentibus, & animarum curatoribus strictè incumbit, vt pueri Symbolum, vti & eà, quorum fiet mentio, addiscant. Interim absolutè necesse non est, vt rudiores illud sciant recitare memoriter eò ordine, & verbis quibus communiter proponitur, sed sufficit illud scire, quoad substantiam, ita vt de singulis articulis interrogati rectè possint respondere; licèt non sciant omnes circumstantias, v. g. Christum tertio die resurrexisse, passum esse sub Pontio Pilato, &c.

Resp. 5. Omnibus Fidelibus ex præcepto etiam est necessaria fides explicita eorum, quę spectant ad *Baptismum*, *Eucharistiam* cum reali præsentia Christi in eà, & ad *Confessionem* sacramentalem. Cæterorum Sacramentorum fides explicita non est necessaria nisi illis, qui eà suscipiunt, vel ministrant.

* 18 *Resp.* 6. Idem (*quod in R.* 5.) dico de ijs, quæ pertinent ad Decalogum, & Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam. Non quòd quivis homo maximè simplex teneatur eà scire verbatim, vt sunt conscripta; sed quoad sensum, & pro modulo suo, quantùm capax est, sive crassiori Minerva saltem. *Ratio est*: Quia ex Decalogo, & præceptis Ecclesię quilibet debet discere, quid sibi sit agendum, quidve omittendum. Deindè ex Oratione Dominica, & Salutatione Angelica discit, quid à Deo petere, ac sperare debeat. Ergo debet eà scire.

Esne eadem obligatio, nimirum sub mortali, sciendi formare crucem? *Affirmo*: Nam nemo non reprehenderet graviter adultum nescientem formare signum S. Crucis, nisi fortè vt puer à parentibus abstra-

ſtractus, & inter barbaros enutritus fuiſſet. *Reſp.* 7. Quilibet Fidelis in illo articulo, *Credo, quidquid Sancta Mater Eccleſia credendum præcipit, & tradit*, tenetur implicitè credere omnes Fidei articulos. *Ratio*: Quia aliàs non eſt Fidelis.

* 19 QUÆRO IV. Cùm præceptum credendi ſit affirmativum, adeòquè non obliget ſemper, & pro ſemper, quando per ſe determinatè obligat? *Reſp.* 1. Hæc propoſitio ab Alexandro VII. anno 1665. 24. Septembris eſt damnata: *Homo nullo unquàm vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Reſp. 2. Præceptum credendi per ſe, & ratione ſui non obligat in probabiliori ſententia, niſi tunc quando homo de aliqua fidei veritate eſt ſufficienter inſtructus. Et hoc etiam in primo morali inſtanti vſus rationis, vt patet ex dictis *n.* 6. & 7. poſtquàm autem ſemel actualiter credidit, poſteà per ſe loquendo, ſufficit habitualiter credere, hoc eſt quod in promptu habeat fidem, vt aſſenſum præſtet, quando fuerit neceſſarium.

Reſp. 3. Præceptum fidei per accidens obligat, quando quis tenetur elicere contritionem, vel actum dilectionis Dei ſuper omnia, hi enim actus elici nequeunt ſine actu fidei. *Item*, quando vrget gravis tentatio, quæ videtur non poſſe vinci ſine actu fidei. *Item*, quando quis tenetur debito modo, & magna cum fiducia orare Deum, quòd non videtur poſſe fieri ſine prævia fide. Plura tempora aſſignantur ab alijs. Vide dicta *n.* 7.

* 20 QUÆRO V. Qui negat vnicum fidei articulum, negarne, ac perdit totam fidem, vel retinetne fidem informem circa articulos, quos non negat? *Reſp.* Probabilius eſt, quòd non retineat fidem etiam informem. Ita S. Thom. *hic q.* 5. *art.* 3. *Ratio* S. D. Deſtructo obiecto formali fidei implicat manere fidem ab eò ſpecificatam: Sed per actum infidelitatis circa vnicum fidei articulum reſpectu eius deſtruitur obiectum formale fidei infuſæ. Ergo & fides. *Prob. min.* Obiectum formale fidei infuſæ eſt *prima Veritas*, ſeù Deus, vt infallibilis Regula, per Scripturam, & Eccleſiæ propoſitionem manifeſtata: Sed reſpectu eius, qui ſcienter, & cum pertinatia vnum etiam fidei articulum negat, *prima Veritas*, vt per Eccleſiam propoſita non manet regula infallibilis, ſed fit fallibilis; quia tenet, eam revelaſſe, & Eccleſiam propoſuiſſe falſum. *Ergo.* Ex hac ratione patet differentia fidei ab alijs habitibus intellectualibus, v. g. Logices, Phyſices, &c. in quibus etſi quis erret circa aliàs Concluſiones, ob hoc non perdit ſcientiam circa alias. Et hoc ideò ait S. D. ibidem ad 2. *Quia in diverſis Concluſionibus vnius ſcientiæ ſunt diverſa media, per quæ probantur, quorum vnum poteſt cognoſci ſine alio, & ideò homo poteſt ſcire quæſitam Concluſionem vnius ſcientiæ ignoratis alijs: ſed omnibus articulis fidei inhæret fides propter vnum medium, ſcilicèt propter Veritatem primam. Et qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.*

Not. Intelligi hoc de materiali diverſitate, ſeù multiplicatione mediorum, ſeù motivorum in ſcientijs. Negari enim non poteſt, quòd ab illis abſtrahatur vna ratio formalis ſecundùm ſpeciem, à quâ ſcientia habet ſuam vnitatem ſpecificam. *Similiter* ex dictis patet differentia fidei divinæ ab humana, quæ non perditur per hoc, quòd quoad vnum alicui homini diſcredat. *Ratio eſt*: Quia motivum fidei humanæ, ſcilicèt authoritas dicentis, non eſt in omnibus infallibilis ſicut divina.

* 21 *Oppono* 1. Ex data R. ſequitur, Theologum, qui fieret hæreticus, amittere ſcientiam Theologiæ: Sed hoc eſt falſum. Ergo. *Mai. pat.* Quia articuli fidei tunc principia Theologiæ. *Min.* verò *prob.* Talis æquè poteſt Theologiam defendere, ac docere, in ea ſyllogizare (excepto illo, in quò eſt hæreticus) ac ante. Ergo non perdidit Theologiam. *Oppono* 2. Qui negat vnum articulum fidei, reliquis æquè firmiter adhæret, ac ante. *Ergo* circa illos retinet fidem.

Ad 1. Conceſſa *ſeq. N. min. Ad prob. diſt. ant.* Poteſt æquè in rei veritate, *N.* putativè, ſeù exiſtimatè, vel ex conſuetudine, *C.* Talis ergo alios articulos tenet ſolum propria voluntate, & iudicio, ſeù per opinionem quandam, vt ait S. D. *loco cit. in fine corp. & ad* 1. Fide humana, non verò divina niſi erroneè exiſtimata. Et ex illa fide humana poteſt eal lemmet Concluſiones deducere, quas deduceret ex fide divina, ſi eam adhuc haberet. In hoc enim nullum invenitur inconveniens, ait noſter Ferre, nam benè poſſunt ſupernaturalia tractari naturaliter, ſicut ſcientia multoties tractantur probabiliter. Ex quibus patet ad 2. *Sed nonne* per frequentatos actus talis Theologus generabit in ſe habitum eiuſdem ſpeciei cum habitu Theologiæ noſtræ? *Minimè*, quia illi actus, ſeu aſſenſus non habent idem obiectum formale, ac noſtri aſſenſus Theologici, vt patet ex probat. Vnde S. Dionyſius, *cap.* 2. *de Div. Nom.* ait: *Theologus eſſe non poteſt, qui fidelis non eſt.* Remanet ergo, & augetur in tali Theologo quoddam fidei acquiſitæ ſimulacrum, non verum fidei aurum, ſed aurichalcum (vt loquitur *Comenſon*) non eandem facilitatem ingerens, ſed ſimilem. Vel fortè verius dici poteſt, ait idem Author, ſolùm eſſe eandem facilitatem extrinſecam, quæ provenit ex remotione impedimentorum, & exercitio actuum, non verò intrinſecam ab habitu ingeneratam.

Quomodo eſt poſſibile, quòd habitus corrumpatur per vnicum actum vitij contrarij? Oppoſitum enim videtur in virtutibus moralibus. *Dico*, id fieri, ſi pereat ratio formalis obiecti, ſicut ea re reſpectu fidei divinę perit per vnicum actum infidelitatis. *De virtutibus* moralibus vide ſuprà *T.* 4. *E.* 1. *n.* 29 quòd virtutes infuſæ cum gratia habituali perdantur per vnicum peccatum mortale, acquiſitæ verò hanc gratia, & charitate vix mereantur nomen virtutis, licèt quoad ſubſtantiam ſint tales, cùm retineant ſuum obiectum. Alia difficilis obiectio videatur in Gonet hìc *diſp* 4. *a.* 2. §. 3. *obj.* 3.

* 22 QUÆRO VI. Exterior confeſſio fidei eſtne ad ſalutem neceſſaria? *Reſp.* 1. In nullo caſu licitum eſt verbo, vel ſigno veram fidem negare, aut falſam profiteri; etiam exteriùs tantum. Ita docet ipſe Chriſtus Matth. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, & licèt exteriùs ſolum ſimulet ſe *v. g.* Mahometanum, vel Lutheranum, & ſic quoad Deum infidelis, aut hæreticus non ſit, mentitur tamen in re graviſſima. Ergo mortaliter peccat. Hinc & S. Auguſt. *lib. contra Mendacium*, *c.* 2. contra S. Hieronymum, & alij SS. PP. docent, peccaſſe Iehu 4. *Reg.* 10. ſimulantem ſe velle colere *Baal*, vt facilius eius cultores cognoſceret, & interficeret. Nec obſtat, quòd ibidem dicatur ſtudioſè egiſſe, fueriſquè à Deo remuneratus. Nam, vt S. Thom. *infrà quæſt.* 111. *art.* 1. *ad* 2. ait: *Commendatus, & temporaliter remuneratur à Deo, non pro ſimulatione, ſed pro zelo, quò deſtruxit cultum Baal.*

Reſp. 2. Præceptum de confitenda exteriùs Fide eſt affir-

affirmativum obligans quidem semper, sed non pro semper, obligat autem pro loco, & tempore secundùm circumstantias debitas. Ita S. D. *hic quæst. 3. art. 2. in c.* Vbi ponit duos casus huius obligationis. *Primus* est: Si confessio fidei sit necessaria ad honorem Dei, & per omissionem confessionis subtrahatur honor debitus Deo. *Secundus* est, vtilitas proximi existentis in periculo fidei, cui tua publica confessione succurrere potes. *Ratio* vtriusquè casus est: Quia præceptum de exercicio actus cuiusquè virtutis obligat, quando incipit esse necessarium ad finem charitatis erga Deum, proximum, & erga se ipsum. Ergo si prævideas, ex tua taciturnitate, dissimulatione, fuga, &c. secuturum esse Fidei Catholicæ contemptum, proximorum scandalum, seù ruinam: econtra vero ex tua publica confessione magnum Fidei nostræ incrementum, aut cultum Dei (cui vita corporalis meritò sit postponenda) teneris publicè Fidem confiteri. Ibidem ad 3. ait S. D. *Si ex manifestâ Fidei confessione sequatur turbatio infidelium, non vero vtilitas Fidelium, non est laudabile in tali casu Fidem publicè confiteri. Vnde Dominus dicit* Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos, ne conversi dirumpant vos.*

* 23 *Resp.* 3. Qui à Tyrano, seù Magistratu ex odio Fidei Christianos, vel Catholicos persequente interrogatus de Fide, negat se esse Christianum, vel Catholicum, vel tacet, peccat mortaliter. Patet tum ex citatis verbis Christi, tum ex data ratione. Cui adde, quòd in eò casu præceptum Tyranni secundùm se sumptum non obliget directè, & per se, ad confitendam Fidem publicè, sed præceptum divinum in his temporis, & loci circumstantijs, vbi honor Deo debitus, & proximi vtilitas periclitatur.

Dixi 1. *Interrogatus à Magistratu*; si enim interrogetur à personis privatis, non est tanta obligatio, nec ita periclitatur honor Dei, & vtilitas proximi. Quia actus, qui coram Magistratu fiunt, multò magis æstimantur, quàm qui exercentur inter privatas personas. Dixi 2. *ex odio Fidei persequente*; si enim persecutio esset ex alia ratione, nimirum quia Tyrannus crederet, Christianos esse homines sceleratissimos, tunc non peccaret mortaliter, qui se negaret esse Christianum, interrogatus; quia interrogatio interpretanda est iuxta animum interrogantis, sed animus interrogantis tunc non est de Fide. Ergo.

* 24 *Resp.* 4. Si Imperator Turcarum ferret Legem, vt Christiani vtantur certo signo, quò à Turcis distinguantur animo occidendi Christianos, adeòquè ex odio Fidei, peccant mortaliter, qui in illis locis signo Fidei contestativo non vterentur. Idem est, si Rex Angliæ talem legem ferret contra Catholicos. *Ratio* patet ex dictis, quia facto negarent Fidem, & portando signum contestativum Fidei alienæ, etiam solùm exteriùs, mentirentur in re gravissima. *Sed nonne* licèt alicui tunc aufugere ex ijs locis? *Affirmo*, quia ipsa fuga testatur se esse Christianum; nisi esset Episcopus, vel similis Pastor animarum, cui non licèt deserere oves.

* 25 *Resp.* 5. Si illa lex esset lata ob alias causas, v. g. ob bonum publicum, ne hominibus diversarum Religionum confusis (vt dignosci nequeant,) Respublica turbetur, vel signa non sint peculiariter instituta ad hoc, vt per eà honor deferatur *Sectæ*, vel *Authori* eius, non peccat mortaliter, qui ob tuendam vitam omitteret signum Christiani, & portaret signum *Saraceni*, vel *Turcæ*. Patet ex dictis.

Resp. 6. Si res Fidei nostræ à Paganis, vel hæreticis irrideantur, aut malè tractentur coram Catholico, tunc hic, etiam cum periculo vitæ, tenetur Fidem publicè confiteri, & pro viribus Fidem defendere. Patet ex primo casu S. Thomæ ante posito. Plura de hæresi in Examine sequenti.

EXAMEN III.

De vitijs oppositis Fidei, & Confessioni eius, nimirum de Infidelitate, de quâ S. D. agit quæst. 10. De Hæresi, quæst. 11. De Apostasia, quæst. 12. De Blasphemia, quæst. 13. & 14. De Schismate, de quo infrà quæst. 39. per 4. articulos.

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotuplex est Infidelitas? Estne peccatum? *Resp.* Infidelitas est carentia Fidei, & est triplex: *Negativa*, *privativa*, *contraria*. Prima non est peccatum, benè tamen secunda, & tertia. *Declaratur* ex S. Thoma *hic quæst. 10. art. 1.* Infidelitas negativa est nuda carentia Fidei, seù pura negatio in eò, qui nihil audivit de Fide, vel audivit ita obiter, vt mysteria Fidei non sint ei ostensa evidenter credibilia, & hæc non est peccatum, sed est pœna peccati Originalis, defectu voluntarij personalis; nec propter eam homines damnantur, sed propter peccatum Originale, & alia peccata, quæ sine Fide remitti non possunt. Vide dicta Examine præcedenti, *num.* 1. Verum NB. vt in aliquò dicatur esse infidelitas negativa, non solùm debet carere fide, sed & omni excellentiore cognitione mysteriorum fidei: hinc quia Christus, & Beati habent excellentiorem cognitionem articulorum Fidei, nimirum claram visionem, licèt fidem, vtpotè ratione obscuritatis statui beatifico repugnantem, non habeant, non sunt infideles negativè.

Infidelitas privativa est carentia fidei in eo, qui potuit, & debuit credere, sed non voluit, fide sufficienter sibi proposita licèt in intellectu nullum positivum errorem habeat. *Infidelitas contraria* est carentia Fidei in eo, cui etsi Fides sufficienter sit proposita, non tamen vult credere, sed vel expressè, ac formaliter aliquam Fidei veritatem negat, vel asserit errorem ei contrarium. Vtraque hæc infidelitas est peccatum mortale. *Ratio est*: Quia omnis homo Fidem, extra quam non est salus, sufficienter sibi propositam sub mortali tenetur acceptare.

* 2 QUÆRO II. Infideles, & hæretici quomodo tenentur inquirere de vera Fide? *Resp.* 1. Infideles, qui aliquid audierunt de Fide Christiana per famam, rumorem, vel per aliqualem prædicationem, non tamen exactam, & sufficientem, vti fit inter Turcas, & similes barbaros, tenentur sub gravi præcepto adhibere sufficientem diligentiam, vt mediante aliquo Doctore veniant ad sufficientem Fidei cognitionem. Si sufficiente diligentia adhibita adhuc non habeant sufficientem Fidei cognitionem, excusantur à peccato infidelitatis. *Idem* proportionabiliter intelligo de hæreticis horum temporum comparativè ad finem Romano-Catholicam, qui tamen vtpotè nobis viciniores difficiliùs excusantur. *Ratio est*: Quia licèt illa imperfecta propositio non fuerit sufficiens ad convincendum, fuit tamen sufficiens ad rationabiliter dubitandum, & ad movendum, vt repellatur ignorantia: Sed ne-

mini

mini licèt manere in tam gravi dubio practico. Ergo.

* 3 *Resp.* 2. Infidelis non tenetur vniversaliter præbere auditum cuivis homini, eum de alia Religione erudire volenti. *Ratio est*: Quia infidelis non habet aliud lumen quàm naturale: Sed hoc non dictat, quemvis hominem in materia Religionis esse audiendum, quia aliàs æquè esset audiendus Iudæus, aut Lutheranus. Ergo.

* 4 *Resp.* 3. Licèt infidelis Evangelium explicitè audiat ab aliquo Prædicatore verè Christiano, non statim credendo non committit peccatum infidelitatis, nisi prædicator edat testimonia ad credibilitatem convincendam sufficientia. Prima pars patet ex illo Eccles. 19. *Qui citò credit, levis est corde.* 2. pars constat ex eo, quia in re tanti momenti (vti est cultus veri Dei) tenetur homo sequi dogma omnium probabilissimum, aliàs amabit periculum, & peribit in illo. Non deesse in eo casu auxilium credendi supernaturale sufficiens, patet in Examine præcedente, *n.* 9.

* 5 QUÆRO III. Estne quælibet actio hominis infidelis peccatum? *Resp.* Negativè cum S. Thom. hic q. 10. a. 4. *Ratio eius est*: Quia peccatum mortale tollit quidem gratiam gratum facientem, non tamen totaliter corrumpit bonum naturæ: Sed infidelitas (in sensu ad *q.* 1. dicto) est peccatum mortale. Ergo ratione eius infideles quidem carent gratia sanctificante, & non possunt facere opera meritoria vitæ æternæ, cùm hæc debeant dirigi fide infusa; manet tamen in eis aliquod bonum naturæ, & lumen rationis naturalis. Ergo possunt facere opera naturaliter moraliter bona, *v. g.* dare eleemosynam, solvere debita, &c. Ergo non peccant in quavis actione.

* 6 QUÆRO IV. Quot, & quæ sunt species Infidelitatis? *Resp.* Cum S. Thom. *q.* 10. *a.* 5. Secundùm comparationem ad Fidem tres sunt species infidelitatis, scilicet *Paganismus*, *Iudaismus*, & *hæresis*; ad eas cæteræ omnes reducuntur. *Ratio* S. D. est: Cùm peccatum infidelitatis consistat in renitendo Fidei, hoc potest contingere dupliciter. Quia aut renititur Fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est *Paganorum*, sive *Gentilium*: aut renititur Fidei Christianæ susceptæ, vel in figura, & sic est infidelitas *Iudæorum*; vel explicitè, seu in ipsa manifestatione veritatis, & sic est infidelitas *hæreticorum*. Ergo. Dixi, *secundùm comparationem ad fidem*. Nam si species infidelitatis distinguantur secundùm errorem in diversis, quæ ad fidem pertinent, ait S. D. tunc non sunt determinatæ species infidelitatis, possunt enim errores in infinitum multiplicari.

Species, quæ præter prædictas possunt assignari, sunt: *Primò Atheismus* negans omnem Deum, verùm hic reducitur ad Paganismum, vt species materialis quia Paganismus aliquando est cum, aliquando sine cognitione veri Dei. Si sine, tunc est Atheismus. *Secundò* dabitur *Antichristianismus*, qui Christum negabit, & omnibus sectis, adeòque etiam Paganismo, & Iudaismo adversabitur, proindè non videtur ad eos posse reduci. Sed *dico* reducendum ad Iudaismum, quia Antichristus erit de sanguine Iudæorum, nimirum ex tribu *Dan*, ideòque vetus Testamentum admissurus, factas in eo de Messia promissiones in se impletas esse contendet. Nec persequetur omnes sectas, sed tantùm eas, quæ omninò non conveniunt cum ipso.

Tertiò: *Mahometismus* quò reducitur? *Dico* reduci ad Paganismum, Mahometani *enim non* renituntur fidei susceptæ, vel in figura, vel explicitè profitendo se habere fidem Christi. Nec obstat (vti opponi posset) quòd in multis articulis cum vera Fide conveniant; hoc enim non est ex eo, quasi Mahometani eam Fidem, vt à Christiana derivatam professi sint, sed quia eorum Dux pro libitu ea illis proposuit, vt amplectenda.

Quartò: Possibilis est quædam infidelitas *Philosophica*, vti aliquibus loquitur placet, quæ esset in eo, qui esset conditus in puris naturalibus, & vellet colligere vnum Deum præcisè, vt ratione naturali cognitum, qui certè videtur nec esse Hæreticus, nec Paganus, nec Iudæus. Sed, *dico*, hæc infidelitas philosophica manifestè esset Paganismus, quia adversatur Fidei, nullo adhuc modo susceptæ.

Quintò: Sit casus, quòd homo baptizatus deficiat à toto Evangelio, vti fit in Renegatis apud infideles. *Dico*, talem formaliter fore hæreticum, quia renititur fidei semel explicitè susceptæ, manentque in eò character baptismalis, immò & aliorum sacramentorum, si ea receperit: erit tamen in eò casu materialiter Iudaismus, vel Paganismus; quòd si ad quempiam ex eis deflexo pœnitens, in Confessione tenetur exprimere, in quàm speciem infidelitatis lapsus sit.

* 7. QUÆRO V. Liceat Christiano, aut Catholico Principi in suis Provincijs permittere libertatem conscientiæ, tolerando infideles, & hæreticos? *Resp.* 1. Principes Christiani licitè quandoque permittunt in suis Provincijs infideles, id est, nunquam baptizatos, *v. g.* Iudæos, nimirum negativè se habendo, non verò positivè approbando eorum ritus. *Ratio*: Quia permissio rituum Iudæorum affert Ecclesiæ specialem vtilitatem, nam ab ijs etiam, vt ab inimicis Ecclesia habet testimonium veritatis; fatentur enim Messiam esse promissum, & admittunt Vetus Testamentum, ex quo nos probamus promissionem illam esse impletam.

* 8 *Resp.* 2. Permissio hæc non est licita, nisi cum certis conditionibus 1. Vt Iudæi suos Ritus non exerceant cum scandalo Christianorum, & blasphemia Christiani nominis. 2. Vt novæ Synagogæ non erigantur, nec quæ semel in Ecclesias conversæ sunt, restituantur, sed antiquæ solùm conserventur, modo non sint vicinæ Ecclesijs Christianorum. 3. Vt in die Parasceves in Publicum non exeant, sed januas, & fenestras clausas habeant. 4. Vt vtantur signo aliquo distinctivo, quo à fidelibus discernantur.

* 9 *Resp.* 3. Facilius permittuntur infideles, *v. g.* Iudæi, quam hæretici *Ratio*: Quia hæretici inducunt maius perversionis periculum, quàm Iudæi, vix enim audiunt est, Christianum transiisse ad Iudæos. Ergo.

* 10 *Resp.* 4. Infideles, qui nunquàm fidem Christi susceperunt, vti sunt Gentiles, & Iudæi, non possunt a Christianis Principibus directè compelli ad fidem nostram: possunt tamen cogi, vt fidem non impediant blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus, nec resistant prædicationi Evangelij: vel etiam posset eis negari habitatio in terris Christianorum, nisi se convertant, ita S. Thom. *hic q.* 10. *art.* 8. *Ratio* 1. *p.* Quia, qui non est baptizatus, (cùm baptismus sit ianua Ecclesiæ) quoad animam, & supernaturalia non habet iurisdictionem Ecclesiæ, vel Christianorum Principum, sed solius Dei. Ergo. *Confirmatur*. Omnes quidem totius mundi homines tenentur legem Christi

suscipere, adeòque possunt ad hoc compelli, aſt non à quolibet, sed solùm ab eò, qui ad hoc habet iurisdictionem: Sed qui non sunt baptizati, quoad supernaturalia, non subsunt iurisdictioni vllius hominis. Ergo. *Secunda pars* patet exemplis diversorum Principum, nimirum *Sisebuti* Regis Hispaniæ, quoad Judæos; *Constantini*, quoad Paganos; *Caroli Magni*, quoad infideles Saxones. Et *Ratio est*: Quia omnis Respublica benè ordinata debet habere potestatem reprimendi suos impugnatores, & hostes. Ergo.

* 11 *Resp.* 5. Hæreticis, & à fide suscepta Apostatis licitè quandoquè ad vitanda maiora mala negari è permittitur libertas conscientiæ Colligitur ex S. Thom. *art. cit. ad* 1. Vbi respondens ad exemplum Evangelij de parabola zizaniorum ex sententia Augustini *Epist.* 48. sic ait: *Quòd ergo Dominus dicit, Sinite utraquè crescere vsquè ad messem, qualiter intelligendum sit, apparet ex hoc, quòd subditur: Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum. Ratio est*, Prudentia dictat, non solùm mala esse cohibenda, sed etiam dictat, ex duobus malis minus esse eligendum; & ordo charitatis postulat, vt correctio non fiat sine fructu. Sed si ex coactione hæreticorum, & Apostatarum sequeretur dissidium, & schisma in populo, & Provincia, fidelium oppressio, &c. hoc esset maius malum, quàm eorum permissio, & correctio fieret sine fructu. Ergo. *Confirm.* Licèt Principi Christiano incumbat, de vera Religione in suo regno promovenda esse sollicitum, id tamen debet fieri secundum Regulas prudentiæ, & absquè detrimento fidelium. Ergo.

* 12 *Resp.* 6. Infideles, qui quandoquè fidem Christi susceperunt, sicut hæretici, & omnes baptizati Apostatæ, corporaliter possunt compelli, vt impleant, quòd promiserunt; & teneant, quòd semel susceperunt. Ita S. D. *art. cit. in fine corp. Ratio*: Licèt Princeps non possit compellere subditos ad servandam legem superioris ordinis, quàm nondum receperunt, benè tamen quando eam receperunt: Sed omnes fideles in Baptismo se obligarunt ad fidem Christi, vel per se ipsos, vt adulti; vel per Patrinos, vt parvuli; in quo differunt ab infidelibus. Ergo.

* 13 QUÆRO VI. Licetne cum infidelibus disputare, vel communicare, seù commercium habere? *Ante R. Nota*, duplicem esse communicationem; vnam civilem, & politicam, seù materialem; alteram formalem, quæ potest fieri sic, vel quòd fidelis ingerat se operibus infidelitatis, vel quòd infideles admittantur ad exercitia nostræ fidei. Hoc notato. *Resp.* 1. Qui fidem Christi semel susceptam, & ex motivo dubitationis fidei suę cum infidelibus disputat, mortaliter peccat, & est infidelis. Ita S. Th. 2. 10. *art.* 9. *Ratio*: Quia dubius in fide est hæreticus, vt patebit in sequentibus.

* 14 *Resp.* 2. Ex parte audientium aliquando licèt, aliquando non licèt publicè de fide disputare cum infidelibus. *Declarat hoc S. D. q.* 10. *art.* 7. *in c.* dicens: *Si disputet aliquis de Fide ad confutandum errores, valetiam ad exercitium, laudabile est. Ex parte vero audientium considerandum est, vtrùm illi, qui disputationem audiunt, sint instructi, & firmi in Fide, aut simplices, & titubantes, & quidem eorum sapientiores in Fide fuerint, nullum periculum est disputare de Fide. Sed circa simplices est distinguendum; quia, aut sunt solliciti, sive pulsati ab infidelibus, puta, Judæis, vel hæreticis, sive Paganis aliter ibus corrumpere in eis Fidem: aut omnino non sunt solliciti super hoc, sicut in terris, in quibus non sunt infideles. In primo casu necessarium est publicè disputare de Fide, dummodò inveniantur aliqui ad hoc sufficientes, & idonei, qui errores confutare possint. Per hoc enim simplices in Fide firmabuntur, & tolletur infidelibus decipiendi facultas, & ipsa taciturnitas eorum, qui resistere debent pervertentibus Fidei veritatem, esset erroris confirmatio. Vnde Gregorius in secundo Pastoralis: Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. In secundo verò casu periculosum est, publicè disputare de Fide coram simplicibus, quorum Fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt ab eò, quòd credunt. Et idcò non expedit eis, vt verba infidelium audiant disputantium contra Fidem.* Hæc S. D. Quomodò non liceat disputare cum Hæreticis, vide infrà in hoc Exam. *n.* 50

* 15 *Resp.* 3 Communicatio formalis, id est, in operibus infidelitatis (idem est de Hæresi) iure divino, & naturali est prohibita. Patet ex multis textibus Scripturæ, & Iuris. *Ratio est*: quia talis communicatio est superstitiosa, & intrinsecè mala.

* 16 *Resp.* 4. Iure naturali prohibita est omnis illa communicatio cum infidelibus, & hæreticis, ex qua imminet periculum perversionis in se, aut in alijs periculum scandali. *Ratio est*: Quia, qui amat periculum, peribit in illo *Sequitur* ex hoc, malè agere illos parentes, qui prætextu mercaturæ, studiorum, aut politicæ conversationis proles suas mittunt ad Hæreticos, communiter enim aliquid de moribus ex fermento eorum imbibunt, & corrumpuntur. Pariter malè agunt, qui Hæreticis famulantur, cum apud Catholicos æquè, vel ferè æquè commodè famulatum habere possint.

* 17 *Resp.* 5. Communicatio infidelium, etiam hæreticorum, cum fidelibus in rebus divinis quandoque est iure divino, & naturali prohibita, tanquam intrinsecè mala, vt patet in admissione ad participationem Sacramentorum, per eam enim Sacramentis maxima infertur iniuria: quandoque est permissa tanquam indifferens, aut etiam conveniens, vt si speretur eorum conversio, iuxta mox dicenda.

Sequitur ex hoc 1. *Licèt* infidelis conversus ad Fidem possit manere in priori matrimonio cum infideli, sine contumelia Creatoris cohabitare: attamen baptizato non licet cum infideli Matrimonium contrahere, tum ob periculum perversionis, tum ob irreverentiam Sacramenti Matrimonij. De quo infrà. 2. *Iudæis*, & hæreticis potest tribui panis, & aqua benedicta, &c. si absit periculum irreverentiæ. 3. *Possunt* admitti ad Concionem nostram, & ad Missam, saltem vsque ad Offertorium exclusivè, si non sit hæreticus publicè, id est, per sententiam iudicis denuntiatus, & desit dictum periculum, ac speretur vtilitas spiritualis. 4. *Licèt* privatim pro eis orare, ac de mysterijs nostræ Fidei eos instruere.

* 18 *Resp.* 6. Communicatio civilis, ac politica cum infidelibus, & hæreticis non est intrinsecè mala, nec iure divino, aut naturali prohibita. *Ratio*: Quia ibi secundùm se nullum subest periculum.

* 19 *Resp.* 7. Lege Ecclesiastica prohibitum est: *Primò* sub excommunicatione, ne Fideles in eadem domo cohabitent Iudæis, aut Saracenis, id est, quibusque; non baptizatis. *C. Iudæi*, per quòd tamen non prohibetur habere servos Iudæos, vt patet ex *c. Et si Iudæos.* 2 *In Concilio* Agatensi *C.* 40. inhibetur, ne Fideles accedant ad convivia Iudæorum, & ne hos invitent ad sua. Non peccat tamen, qui casu,

&

& prater lectionem conveniat cum Iudæis in eadem mensa. 3. C. *nullus* 28. q. 1. prohibetur, ne Fideles comedant azyma Iudæorum. 4. *Ibidem*, ne vtantur Medico Iudæo, nisi esset casus gravis necessitatis. 5. *Ne* in eodem balneo cum Iudæis laventur, nimirum per modum societatis, id est, ex intentione societatem quærendo. 6. *In C. ad hæc de Iudæis* vetatur Fidelibus, ne famulentur Iudæis, nisi locando operas ad modicum tempus, & ne Iudæos eligant ad officia. 7. *Ne nutrices* Christianæ nutriant Iudæorum infantes intra domos ipsorum. In his casibus levitas materiæ excusare potest.

* 20 *Resp.* 8. Turcis alijsque nominis Christiani inimicis, vel hæreticis per sedis Apostolicæ sententiam expressè, & nominatim declaratis deferre, vel transmittere arma, ferrum, chalybem, equos, milites, naves, vel navium ligna, & similia, quibus Catholicos impugnant; vel quoquo modo eorum bella auxilia, vel consilio adiuvare, prohibitum est ab Ecclesia sub excommunicatione latæ sententiæ, Papæ reservata in Bulla Cœnæ, de qua infrà T. 14. E. 2. n. 32.

* 21 QUÆRO VII. Quid sentis de lectione librorum hæreticorum, & infidelium? *Resp.* 1. Antiqui libri, ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, & verborum proprietatem permittuntur. *Iudæorum* verò, & *Mamorum*, sive *Thalmut*, sive alij codices de eorum erroribus agentes prohibiti sunt, non minùs, ac hæreticorum. *Ratio* discriminis est: Quia antiqui Gentilium libri non continent errores, nisi omnino evidentes, eos, quibus non est periculum perversionis: alij verò continent errores *occultos*, & *latentes*, quibus Fideles facilius seducuntur. Ergo.

* 22 *Resp.* 2. Iure quidem *naturali* prohibitum est legere libros hæreticorum, quando est periculum subversionis, Iure autem *Ecclesiastico* generaliter omnibus etiam doctissimis viris illicitum est eos legere absque licentia Sedis Apostolicæ, licèt, eos intendant refutare. *Ratio* 1. *p. est*: Quia natura prohibet seipsum exponere periculo subversionis. *Secunda pars* patet ex Bulla Cœnæ, quæ sub excommunicatione latæ sententiæ generaliter omnibus, nemine excepto, prohibet, ne libros hæreticorum hæresim ex professo continentes, vel de Religione ex professo tractantes, sine authoritate Sedis Apost. scienter legant, retineant, imprimant, vel quomodo libet defendant ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore.

Sequitur ex hoc 1. Nomine legentium etiam intelligi eos, qui scienter visu percurunt partem notabilem libri, qualis iuxta communem sententiam est Præmium, Epistola Dedicatoria, vel vna pagina ex reliquis, si liber sit magnus. 2. *Comprehendi* etiam eos, qui audiunt legi, si sint causa lectionis. 3. *Non* comprehendi eos, qui legunt, sed non intelligunt. 4. *Parùm* refert, an liber sit impressus, vel manu scriptus: vnde ad censuram incurrendam sufficit, scienter legere hæreticorum quaterniones, aut scripta quæcunque, hæresim continentia, aut de Religione tractantia; cùm hæc omnia ad libros reducantur, & librorum appellatione veniant, ait noster de la Cruz. 5. *Non* comprehendi eos, qui legunt litteras, seu Epistolas hæreticorum, hæresim continentes, quia illæ in acceptione saltem vulgata nec dicuntur libri, nec reducuntur ad libros. *Idem* est de Concione hæretica, eò quòd solùm contineat vnum, alteriumve folium. 6. *Non* comprehendi libros hæreticorum, qui ex professo hæresim non continent, aut de Religione non tractant, licèt hinc inde hæresim aliquam immisceant. 7. *Non* comprehendi libros Catholicorum, in quibus hæreses, vel hæreticorum argumenta referuntur. 8. *Ut* ex *ly scienter* constat, non comprehendi ignorantes librum esse hæreticum, aut hæresim continere, vel de Religione tractare.

* 23 *Sed explica.* Quinam dicuntur libri de Religione tractantes. *Explico* cum de la Cruz, & dico, intelligi omnes libros, qui ad Fidei expositionem spectant, & consequenter eos, quibus divina Scriptura, vel aliqua pars illius explicatur, eos etiam, qui Theologiam scholasticam totam, vel parte illius tractant. Item qui tractant de cultu Deo debito, de Religione Christiana, de statu Religionis, ac de Ecclesiasticis: quia Religio non solùm accipitur pro virtute, cuius proprium est Deo cultum exhibere, sed etiam pro congregatione hominum Deum colentium, complectente tarum Christianorum, statum Clericorum, & Religiosorum.

* 24 QUÆRO VIII. Peccamne Fideles Infidelibus vendendo aliqua, quibus vtuntur ad suos ritus? *Ante R.* Notandum, ea, de quibus quæritur esse dupliciat, nimirum aliqua, quorum vsus est secundùm se bonus, vt vestes, & cib. communes; alia verò, quorum vsus per se, seu ex institutione sua est ordinatus ad superstitionem, vt Idolum, vestis Sacerdotis infidelis, &c. Hoc notato

Resp. 1. Fideles non possunt licitè infidelibus vendere, vel parare ea, quæ per se ad eorum ritus sunt instituta. Ita docet, & probat S. Thom. infrà q. 169. ar. 2. ad 4. dicens: *si qua ars est ad faciendam aliqua opera, quibus homines vti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote prabentes directè alijs occasionem peccandi, puta, si quis fabricaret Idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.* Hæc S. Thom. Cum hoc stat, quòd si quis fidelis haberet Idolum, vel valdè artificiosè, vel ex pretiosa materia factum, posset hoc retinere, vel alteri fideli vendere in signum antiquitatis, vel victoriæ contra infideles reportatæ.

* 25 *Resp.* 2. Fideles licitè possunt infidelibus vendere, & parare ea, quorum vsus secundùm se est bonus, licèt fiant, quòd infideles eis male, nimirum ad ritum, vel sacrificia sua vsuri sint, vt sunt, *v. g. panus, jericum, candela.* Ita S. Thom. loc. cit. subdens: Si qua verò ars sit, cuius operibus homines possunt bene, & malè vti (sicut gladij, sagittæ, & alia huiusmodi) vsus talium artium non est peccatum. Hæc ille. *Ratio est*: Quia Fidelis in eo casu, nec indirectè vult ritum Infidelis, nec potest, nec tenetur eum impedire, cùm toleretur à Republica. Ex quo patet dilucidatio, cur non liceat vendere gladium, vel venenum illi, de quo scitur, quòd sit eo vsurus ad necem alterius. Quia saltem ex charitate tenetur defendere proximum, & hoc peccatum à Republ. non toleratur. Colligitur ex dictis, an liceat, vel non liceat, hæretico vendere hostias, & vinum pro sua Cœna

* 26 QUÆRO IX. Licetne Principi Christiano infideles vocare in auxilium, vel in bello eos iuvare? *Resp.* 1. Si Princeps Christianus bellum gerat contra alios infideles, v. g. *Turcas*, licitè in auxilium vocat infideles, *v. g. Persas*, aut ijsdem necessaria subministrat, vt communiter tenent *DD.* saltem cum consensu Summi Pontificis, & si magna subsit causa, & hoc commercium Christianos per accidens non exponat periculo perversionis. *Rati*

Quia unus lex canonica prohibens communicationem cum illis, non videtur tantùm per obligare.

Exp. 2. Si Princeps Christianus iniquum bellum gerat contra alium principem Christianum, per se quidem, & ex natura rei illicitum non est ei auxilium vocare Infideles, sicut pro suâ, & rectâ causa defensionis licitum est conducere milites; & sic velut instrumento iniquæ defensionis eorum opera uti, si non possit aliter se defendere, & debitas pecuniolas circumstantias, vt mores, & Fidei Christianæ corruptio, Christianorum interventum abdicatio. Verùm quia hæc circumstantiæ raro desunt, communi sententiâ Christianos Saracenorum esse censetur, & incurrit Excommunicationi latæ sententiæ, cuius facilis est resolutio in *Exp. S. ad Q.* 6.

Quæri hîc potest an pueri Iudæorum, aliorumque Infidelium in his partibus sint baptizandi. Sed de hoc infra de Baptismo. T. 11. E. 5. a. 25.

Hæresis.

De quâ S. Thom. agit 2. 2. *quæst.* 11. *per* 4. *art.*

* 27 QUÆRO X. Quid est Hæresis, ac quotuplex? Ubi de potestate, & quæ pœna sit? *Resp.* 1. Hæresis definitur, quòd sit error pertinax, manifestè contrarius vitæ Catholicæ in eo, qui Fidem Christi professus est, in obligatione ex S. Thom. *loc. cit.* 2. *Declaratur*: Ly *error* ponitur loco generis, pro, error in credendum. Hinc quidquid externus propositiones hæreticas profitetur, nisi modo Hæreticorum Communis sit, Gentilium dicta ex mera morosa audacia, vera fide interius carens, gravissimè quidem peccat, attamen in foro poli hæreticus non est, sicut in foro fori ab Ecclesia, quæ de solis exterioribus iudicat; vt talis habeatur, & puniatur. *Dicitur* 2. *Pertinax*, seu voluntarius cum certa scientia. Unde pertinaciter errare in præsenti non est idem, quod mordicus tuum errorem tueri, sed est, cum resistere, etiam quando scit contrarium tenenti reliquæ universali Ecclesiæ Christi, cui tamen iudicium præfert, vel est manifesta pertinacia. *Vel melius* dico, pertinaciam esse tunc, quando licèt obiectum, v. g. ipsa infallibilis authoritas Ecclesiæ Romanæ, evidenter, sufficienter credibiliter proponatur, ita vt prudenter de eo non possit dubitare tamen tenet oppositum, a quo nolit dimoveri: in casu, si talem evidenter clarè convictus. Pro quo vide supra, quòd mysteria Fidei nostræ sint evidenter credibilia, saltem essentiali obscuritate; Item quòd Ecclesia Romana sola habeat notas veræ Ecclesiæ.

Dicitur 3. *Contrarium Fidei Catholicæ*, id est, Romanæ, seu veritativus, sive in Scriptura, sive ab Ecclesia, nimirum Papa, ex Cathedra loquente, vel universali Concilio, ad credendum propositis. Pro quo vide supra datas Regulas Fidei. Dicitur 4. *Is est, qui Fidem Christi professus est*, seu suscepit, etiam solùm in Baptismo; quibus verbis excludumur Pagani, & Iudæi, hi enim non sunt hæretici, cùm nunquam susceperint Fidem Christi. De Catechumenis, id est, qui Baptismum desiderant, si deficiant, dico sub *vid.* nimirum, quòd sint verè hæretici coram Deo, qui revera cum pertinacia recedunt à Fide Christi interius sincerè recepta, vt supponi: non tamen sunt verè hæretici coram Ecclesia, nec excommunicentur, quia Ecclesia non procedit nisi contra illos, qui per Baptismum veluti per ianuam intrarint.

* 28 *Resp.* 2. Hæresis est peccatum mortale, vt patet ex ipsa definitione. Eius pœna est excommunicatio maior latæ sententiæ Papæ reservata: quæ, vt incurratur, requiritur, 1. Vt sit hæreticus formalis, & non purè materialis, seu ex ignorantia credens aliquam propositionem hæreticam. 2. Vt hæresis non contineat pure in animo, sed signo aliquo externo se prodita. Quia Ecclesia in iudicio fori externi non iudicat de internis, nec punit solas cogitationes; est tamen peccatum mortale. 3. Vt manifestetur cum animo defendendi hæresim: si enim hac causa quæ-rendæ instructionis, non incurritur censura. Ex his

* 29 *Resp.* 3. Hæresis alia est purè mentalis, de qua mox dictum; alia externa, quæ si sit meræ externa, seu simulata, patet de eâ in Declaratione 2, 1. Si fidem etiam internam excludat, censuram incurrit.

30 *Resp.* 4. Hæretici externi aliquando sunt occulti, aliquando manifesti, sive id possit, sive non possit in iudicio probari. Qui hæresim animo concepcam verbo, vel signo sufficiente declarat, quamvis maximè in occulto, etiam nemine videante, vel audiente, censuram incurrit *Barin*: Quia in eo casu est actus ex natura sua in iudicio probabilis, & sufficiens per accidens occultus.

* 31 *Resp.* 5. Nihil interest, verbis vel factis hæresis manifestetur, in facto explicando. *Declaratur*: Si quis ex hæretico motivo hæretico, verbis non expressis, diebus veteribus carnes comedat, diebus festis Missam omittat, ad Elevationem in Missa non adsurgat, imagines concutiat, &c. si in his casibus, consideratis circumstantiis loci, temporis, & personæ, &c. homines talem actum moraliter accipiant pro signo hæretico, incurritur censura; si verò moraliter hominum iudicio nullo in tuto sit de hæresi, vt quis homines putent carnes comedi ex necessitate, Missam non audiri, ad Elevationem non adsurgi ex oblivione, imagines concuti ex mero motu me, censura non incurritur. Breviter dico: Non sufficiunt signa, quæ aliquem leviter de Fide suspectum faciunt: sufficiunt tamen regulariter ea, quæ vehementem, & violentam faciunt suspitionem.

* 32 *Resp.* 6. Hæresis (vti & hæreticus) alia est formalis, alia materialis, vt antè insinuatum. Formalis est, à sit cum pertinacia, explicata in declaratione 2. 1. Altera, quando quis ex simplicitate, vel invincibili ignorantia credit aliquid, quod putat verè Fidei esse conforme, cui tamen sit ei contrarium, estque paratus errorem deponere, quàm primùm aliter fuerit instructus. Et tales hæretici meræ materiales adhibita morali diligentia iustificari tales, nec peccant peccato hæresis, nec incurrunt censuram, postmodùm præmissa sufficienti instructione à locorum Parochis aciolvi, edita etiam prius, & id fieri posset, coram teatibus Fidei professione: nisi consuetudo Dioeceseos habeat, quòd etiam tales mittantur ad eos, qui habent facultatem absolvendi hæreticos formales. In absolutione eorum pro cautela potest adhiberi conditionalis. Si v. g. *absolvo te à vinculo Excommunicationis, & ipsius in hæresim, si quam incurristi.* Vti & pro cautela tecutius erit semper, petere prius licentiam à tis occasio parendi.

* 33 *Resp.* 7. Qui ex ignorantia crassa, immò & affectata superiùs explicata tenet aliquam propositionem contrariam Ecclesiæ Romanæ, cuius tamen authoritatem agnoscit, corrigi paratus data sibi instructione, non est hæreticus, nec incurrit censu-

ram,

tam, quia non est pertinax. Peccat tamen graviter propter negligentiam, quia non curat, aut non vult scire, quòd tenetur scire. Dixi; *cuius authoritatem agnoscit*, vndè hoc non tenet in illis, qui alienam ab Ecclesia Romana, v. g. *Zvvinglij*, vel *Lutheri* sectam profitentur ex crassa, vel affectata ignorantia alicuius, vel aliquarum veritatum catholicarum, hi enim hæreticis formalibus annumerandi sunt. Quia culpabiliter impugnant authoritatem Ecclesiæ, in cuius fide baptizati sunt, in quò differunt ab eò, qui laborat ignorantia invincibili iuxta R. 6.

Not. Non esse de necessitate Confessionis, vt pœnitens exprimat, an, vel quòd inciderit in hæresim *Lutheri*, vel *Zvvinglij*, vel *Calvini*, quia circunstantia authoris non mutat speciem, nec notabiliter aggravat, sed sufficit explicare, quòd tot veritates Fidei toties negaverit. Si tamen sit simul Apostata à Fide, tenetur id confiteri, quia Apostasia notabilissimè aggravat.

* 34 Pro maiori dictorum intelligentia *Not.* Propositiones Fidei repugnantes alias esse hæreticas, alias erroneas, suspectas, malè sonantes, scandalosas, & temerarias. *Hæretica est*, quæ manifestè repugnat Fidei Catholicæ. *Erronea est*, quæ repugnat propositioni manifestè per necessariam consequentiam deductæ ex vna de Fide. Hinc propositiones veritatibus in Theologia demonstratis contrariæ, sunt erroneæ; si tamen nondum sint formaliter definitæ ab Ecclesia, nec sint Traditiones, nec contineantur in Scriptura sacra: quia aliàs essent hæreticæ. Suspecta dicitur, quæ licèt absolutè possit habere bonum sensum, consideratis tamen circunstantijs (vbi & quando dicatur) suspitionem gignit hæreseos, seù hæresim sapit, vt, si quis in libris Arrianorum reperiat hanc propositionem, quæ alias est Catholica: *Pater maior me est*; est suspecta, & hæresim sapit. *Malè sonans, seù piarum aurium offensiva* vocatur, quæ licèt absolutè prolata possit habere bonum sensum; tam malè tamen profertur, vt offendat, v. g. si quis dicat, Papam non benè vocari Sanctissimum, scandalosa est, quæ non tantùm malè sonat, sed etiam præbet occasionem ruinæ, vt si quis publicè explicaret varia inconvenientia pullulantia ex Confessione. Vel si quis Auditoribus non benè traderet, vel explicaret materiam de prædestinatione. Tandem temeraria est, quę in doctrina Fidei, & morum profertur sine aliqua authoritate contra communem Doctorum sententiam.

* 35 QUÆRO XI. Dubius in Fide estne hæreticus? *Resp.* 1. Qui involuntariè dubitat, dubio non consentiendo, sed potiùs dolendo de illo (quòd est sufficiens signum negati consensus) ti illud per actum Fidei prompte repellat, meritum sibi acquirit: si negligenter se habeat ad repellendum sine periculo consensus, peccat venialiter. Talia ordinariè sunt dubia simplicium. Idem est de ijs, quibus sæpè incidunt cogitationes hæreticæ, & blasphemiæ, quas serio detestantur, & contra eas protestantur.

Resp. 2. Qui voluntariè dubitat ex ignorantia crassa, orta ex culpabili negligentia sciendi, quòd talis articulus sit indubitatus, & ab Ecclesia definitus, peccat quidem mortaliter ratione ignorantiæ, vt antè dictum est, sed non ratione hæresis. *Ratio*, quia non est pertinax.

Resp. 3. Qui de aliquò Fidei articulo est dubius solùm negativè, ideſt, suspendit iudicium, per se, & simpliciter non est hæreticus. *Ratio*: Quia non habet iudicium, cùm illud suspendat. Ergo nec habet iudicium erroneum. Secus est, si ideò suspendat, quia virtualiter iudicat, non liquere de certitudine objecti.

Resp. 4. Probabiliùs est, quòd formaliter hæreticus sit, qui voluntariè, seù deliberatè, positivè, sive affirmativè, adeòque pertinaciter dubitat de aliquò Fidei articulo, v. g. qui affirmat, revera dubium esse, an detur Purgatorium, cùm tamen sciat, ità credi à tota Ecclesia. *Ratio*: Quia talis positivè negat infallibilitatem Ecclesiæ. Ergo negat positivè articulum Fidei. Et de illo verum est illud in iure: *Dubius in Fide est hæreticus*, qui proindè non potest à quovis absolvi.

Fateor tamen, eos qui inter hæreticos nati, & educati, mysteria Fidei Orthodoxæ invincibiliter ignorant, non peccare dubitando vsquè dum instruantur, & rectè apprehendant Fidei nostræ argumenta, & credibilitatem. Vide infrà de blasphemia hæreticali in hoc E. n. 59. R. 3.

* 36 QUÆRO XII. Hæretici sunne tolerandi, vitandi? Possunne legi eorum libri, cum eis disputari, eorum templa licitè frequentari, Conciones audiri, funera comitari, Cœna fictè sumi, proles ex fonte levari? *Resp.* 1. De tolerantia hæreticorum, & libertate conscientiæ sufficienter dictum est ad Q. 5. & 6. n. 7. 8. & 9. & de lectione hæreticorum librorum ad Q. 7. vbi vide n. 10. *Resp.* 2. Hæreticus non est necessario vitandus, sed licèt cum eò agere, conversari, negotiari secluso periculo scandali, & perversionis; nisi sit publicè, & nominatim denuntiatus. Ita constat ex Concilio Constantiensi. De hoc plura in Tractatu de Censuris. *Resp.* 3. Laicis, seu Sæcularibus non licet cum hæreticis de Fide disputare. Ita constat ex c. 2. §. *inhibemus*. Et ex Alexandro IV. cap. *quicunque*, *de hæreticis*, in 6. vbi oppositum facientes excommunicantur. Quam censuram Sylvester, Bannes, Sylvius, &c. tenent, esse sententiæ ferendæ. Pro quo.

Not. Quòd hæc prohibitio contraria consuetudine sit abrogata in locis, vbi hæretici, & Catholici vivunt mixtim inter se: Vti nec tenet in casu necessitatis, vt si quis hæreticus cum magno scandalo, & periculo perversionis audientium, contra Fidem Catholicam multa effutiret, in quo casu Laicus idoneus, abiente Clerico, iure naturæ teneretur se opponere, & Fidem defendere. Nec in casu, quo ipsimet Catholici in communi colloquio honoris, & exercitij causa, inter se de rebus Fidei disputant. Pro quo.

Resp. 4. Probabilius est, dictum Ecclesiæ præceptum debere intelligi de formali disputatione, & publica, ex condicto, seu ex professo instituta, contra Fidei Catholicæ inimicos ad aliquem errorem confutandum, vel ad confirmandos vacillantes in Fide. *Ratio*: Odiosa sunt restringenda: Sed hoc præceptum est odiosum. Ergo est restringendum, nimirum ad formalem publicam disputationem.

Resp. 5. Clericis, ac Religiosis capacibus, & doctis licitum est contra hæreticos formaliter, & publicè de Fide disputare. *Ratio*: Quia nullo iure hoc eis est inhibitum. Debet tamen adesse rationabilis causa, nimirum, vt speretur fructus in hæretico, cum quo; vel in auditoribus, coram quibus disputatur.

* 37 *Resp.* 6. Non peccat Catholicus, si secluso scandalo, & perversionis periculo intret templum, vel audiat Conciones hæreticorum, v. g. servus ad comitandum suum Dominum, vel vir doctus ad confundendos hæreticorum errores, vel ficta recens clam conversa, quæ sine gravi damno nondum publi-

bliè poteſt ſe Catholicam declarare, ſi comitetur Matrem ad Concionem Prædicantij. *Ratio*, quia adeſt juſta cauſa, & neceſsitas. *Sed quid* ſi fieret ex ſola curioſitate? *Dico*, peccare ſaltem venialiter, ſi deſit prædictarum periculum. *Reſp.* 7. Non peccat Catholicus (in locis mixtæ Religionis) ſi interſit hæreticorum Matrimonijs, & funeribus. *Ratio*: Quia hæc fiunt ſolùm ex honore politico, & Eccleſia tolerat, ſciens, & non contradicens, & oppoſitum turbaret pacem, & tranquillitatem Reipublicæ.

* 38 *Reſp.* 8. In nullo caſu, nec ex gravi metu licitum eſt Catholicis occultis, etiam ioium ſimulatè, & extrinſecè, hæreticorum *Cœtum* ſumere, eorum cæremonijs ſe ingerere, Pſalmos cum illis in templis eorum publicè canere. Idem poteſt applicari Catholicis, inter Sinarum viventibus; & hoc tenius, & probabilius eſt. *Ratio*: Licèt illa Cœna, & Pſalmorum canatio ſit quodammodo indifferens, ex circumſtantijs tamen perſonarum loci, & temporis, vel quorundam ſubdolè verborum, ab hæreticis adjunctorum, determinatur ad profeſſionem falſæ hæreſis. Vel *dato*, quòd vera Fides interius remaneat, committitur tamen ſcitè, & opere grande mendacium. Hinc debes malle mori, quàm hic fœdari.

Reſp. 9. Si Princeps hæreticus publico edicto præcipiat ſuis ſubditis Catholicis, ut frequenter hæreticorum templa, interſint cæremonijs, precibus, Concioni, tutius ac probabilius eſt, quod non poſſint licitè obedire, etiam ſolùm materialiter, id eſt, nudè intereſſendo ad evadendam pœnam, eorumque cæremonijs non communicando. Ita declaravit Pius V. in Reſcripto ad Catholicos Angliæ. Et *Ratio eſt*: Quia in his circumſtantijs frequentare hæreticorum templa, continet cultum ſuperſtitioſum; quia tale præceptum Principis tendit ad augmentum ſectæ hæreticæ. Ergo eius *obſervatio* cedit in injuriam Fidei Catholicæ, nil forſan ex alio motivo timeas, & rarò ac deeſſet omne periculum ſubverſionis, ac ſcandali. De hæreticorum prolibus è ſacro fonte levandis, vide infrà de Baptiſmo.

Quæri hic poteſt, quiſnam ab hæreſi poſsit abſolvere? Sed hoc colligitur ex dictis pro diverſitate hæreſis formalis, vel materialis, pure mentalis, aut externæ, adeòque, quòd ſit, & quando ſit caſus Papæ reſervatus. Et de hoc redibit ſermo. *num.* 47. & in Tractatu de Cenſuris, & Caſibus reſervatis.

Apoſtaſia.

De qua S. D. 2. 2. q. 12. per duos articulos.

* 39 QUÆRO XIII. Quid, & quotuplex eſt, & quæ eius pœna? Ante *Reſp.* Not. quòd Apoſtaſia ex vi nominis ſit idem, quòd retrocesſio: unde ſumi poteſt generaliter, & ſic omne peccatum eſt apoſtaſia, utpotè retrocesſio à Deo, eiuſque mandatis, ut patet ex S. *Thom. a.* 1. nos autem eam hic ſumimus propriè, & ſpecialiter. Unde.

Reſp. 1. Apoſtaſia propriè accepta eſt retrocesſio à bono, quòd quis ſolemniter profeſſus eſt, ut patet ex S. D. ibidem. Unde tres ſunt ſpecies Apoſtaſiæ, nimirum à Fide, quàm quis profeſſus eſt in Baptiſmo; ab Ordine Sacro, ſeù ſtatu Clericali, quem ſolemniter ſuſcepit; & à Religione, quàm per ſolemnia vota profeſſus eſt, & ſine legitima facultate ſibi propoſito reverendi deſerit. Apoſtaſia à Fide poteſt eſſe totalis, & ſic vel eſt Paganiſmus, vel Judaiſmus; vel poteſt eſſe partialis, & ſic eſt hæreſis. Hinc omnis Apoſtata à Fide eſt hæreticus, ſed non econtra, propriè loquendo.

* 40 *Reſp.* 2. Apoſtaſia à Fide non differt ſpecie eſſentiali ab hæreſi, ſed tantum accidentaliter, eſt tamen gravior hæreſi, & exprimenda in Confeſſione. Ita S. Thom. *art.* 1. *ad* 3. *Ratio*: Quæ conveniunt in eadem definitione eſſentiali, non differunt ſpecie eſſentiali: Sed ſic eſt de hæreſi, & Apoſtaſia à Fide. Ergo. *Min. prob.* Hæreſis definitur, quod ſit error pertinax contrarius Fidei Catholicæ in eo, qui profitetur Fidem Chriſti: Sed hæc definitio convenit Apoſtaſiæ à Fide, quod enim ſit error circa paucos, aut plures, vt in hæreſi, quæ ſaltem admittit aliquas Fidei Catholicæ veritates, vel circa omnes articulos, vti fit in Apoſtaſia, qui deflectitur ad Judaiſmum, vel Paganiſmum, hoc habet ſe de materiali, & infert ſolùm maiorem gravitatem accidentalem, & malus ſcandalum, cùm nomen Chriſtiani totaliter exuatur. Ergo Reſponſio ſecunda tota eſt vera. Et quæcunque ſuprà ſunt dicta de hæreſi, eiuſque pœna, etiam dicenda ſunt de Apoſtaſia.

Sequitur ex hoc, quòd ſi quis Catholicus ſæcularis ampiectatur Lutheraniſmum, vel Calviniſmum, propriè non ſit dicendus Apoſtata, ſed hæreticus. Et Religioſus id attentans, vel Clericus, ſi vocentur Apoſtata, propriè hoc intelligitur de Apoſtaſia à Religione, vel Ordine ſacro.

* 41 *Reſp.* 3. Religioſus, qui ſine Superiorum licentia poſt ſolemnem Profeſsionem ſimpliciter à ſua Religione recedit cum animo nunquàm redeundi, Fide Chriſti retenta, eſt verè Apoſtata, licèt habitum non dimittat. Ita probabilius teneo cum Cajet. Sylveſtro, & communi Canoniſtarum. An etiam excommunicetur, dicam Reſponſione ſequenti. *Ratio*: Sicut Monachum non facit ſolus habitus, ſed Monaſticæ vitæ profeſsio, ita Apoſtatam non facit ſola habitus dimiſsio (licèt hæc ſit vehemens indicium apoſtaſiæ) ſed à Monaſtica Profeſsione receſsus: Sed ille, de quo in *Reſp.* 3. animo, & opere totus recedit à profeſsione ſua, obedientiæ jugum excutit, in bonorum temporalium diſpenſatione Prælato ſubeſſe renuit. Ergo, &c.

* 42 *Reſp.* 4. An is, de quo in *Reſp.* 3. ipſo facto excommunicetur, cùm ex jure communi non colligatur, ſciendum eſt ex Religioſorum privilegijs, & propriis Statutis cuiuvis Religionis. Noſtræ Conſtitutiones *diſt.* 1 *c.* 20 *lit. A.* ſic habent: *Quicunque NB quicunque apoſtaverit, ipſo facto ſit excommunicatus, quam excommunicationem ferimus ex nunc prout ex tunc.* Quod autem ibi non ſit ſermo de caſu, quo dimittitur habitus, ex hoc patet, quia de novo poſtea ibidem ſpecialiter declaratur ſic: *Quilibet Religioſus tenetur deferre patentes habitum ſuæ Religionis, cùm procedit in publicum. Quicunque autem temerè habitum ſuæ Religionis dimiſerit, peccat mortaliter, & eſt excommunicatus de Jure. C. ut periculoſa* tit. de Apoſtat.

Reſp. 5. Religioſus ſine debita licentia à Religione diſcedens, cum animo tamen redeundi, etſi habitum dimittat animo divagandi, peccat quidem mortaliter, & ipſo facto eſt excommunicatus, ut patet ex mox dictis, & dicendis, non tamen eſt apoſtata, ſed fugitivus. *Ratio*: Quia non recedit ſimpliciter à Religione, dimittit tamen temerè habitum.

* 43 *Reſp.* 6. Qui ſine legitima cauſa, & licentia, habitu ſuæ Religionis dimiſſo, tranſit ad aliam Religio-

ligionem sive strictiorem, sive laxiorem, excepta Carthusiana, peccat quidem mortaliter, & ipso facto excommunicatur, non est tamen propriè apostata. *Ratio 1. & 2. partis est*: Quia ex hoc transitu ex natura rei sequitur magna perturbatio, & scandalum in eà Religione, quæ deseritur. Hinc Martinus V. tulit pœnam excommunicationis contra Religiosos mendicantes transeuntes ad aliquàm Religionem Monachalem, excepta Carthusiana. *Ratio 3. partis est*: Quia talis non recedit ab alijs, quę Religioni sunt essentialia, vti sunt tria vota; hęc enim in quavis Religione servantur. Ergo.

* 44 *Resp. 7.* Contra Religiosos habitum suum temerè dimittentes est excommunicatio lata in *cap. sit. vt periculosa*, quàm incurrit etiam is, qui suæ Religionis habitu dimisso assumit quemcumquè alium, vt occultata persona, & ne cognoscatur, possit liberè per vicos, & plateas vagari, licèt id faciat solùm ad modicum tempus. *Ratio*: Motivum huius Canonis est temeraria habitus dimissio, & materia ad vagandum: Sed iuxta arbitrium prudens hæc adest in hoc casu. Ergo ipso facto excommunicatur. Dixi, *temerè dimittentes* id est, causa evagandi. Vndè non incurritur. 1. Si habitus dimittatur causa somni, quietis, infirmitatis, balnei, &c. 2. Non incurritur à Religiosis aliorum Ordinum, qui in Terra Sancta ad interim assumunt habitum S. Francisci, in eà Regione cognitum, vt securè possint loca sacra ibidem invisere. 3. Religiosus licitè assumit habitum alterius Religionis ob singularem necessitatem, & ex consensu Prælati illius ad præstandum necessarium aliquòd obsequium, pro quò non adest alius, v. g. ad disputandum publicè, vel concionandum in eò habitu. 4. Religiosus cum licentia extra claustrum degens, vel noctu iter agens, vrgente necessitate, potest licitè dimittere, vel potiùs occultare habitum religiosum, si rationabiliter timeat, ne eum deferendo det scandalum, & noceat bono nomini suæ Religionis. 5. Non sunt condemnandi Religiosi, qui ob transitum per infidelium, aut hæreticorum loca, Religionis suę habitum vel occultant, vel ad tempus deponunt ratione periculi. *Ratio*: Quia non est temeritas, sed rationabilis illa habitus dimissio, vel occultatio.

* 45 *Resp. 8.* Religiosus occultans habitum si id faciat dolosè, aut malo animo, nimirum vagandi causa, est excommunicatus. Ita communiter Canonistæ. Et habetur ex Glossa in Clement. De vita, & honestate Cleric. *Ratio*: Licèt enim materialiter habitus non dimittatur, formaliter tamen, seù moraliter, & arbitrio prudentum deponitur, cùm non appareat signum distinguens Religiosum à Sæculari, vel Clerico, nec adsit rationabilis causa, vt supponitur.

Resp. 9. Religiosus professus temerè dimittens habitum intrà claustrum, non incurrit dictam excommunicationem. *Cap. vt periculosa. Ratio*. Cessante causa formali cessat legis dispositio, maximè si sit pœnalis, adeòquè odiosa, & restringenda: Sed sic est in casu. Ergo. *Min. prob.* Causa finalis dicti Canoni est libera vagatio: Sed hæc cessat in casu posito, vt patet. Ergo.

* 46 *Quid sentis* de ijs, qui Religiosum apostatam, licèt habitum iuxta. *Resp. 3.* Non dimittat, scienter recipiunt, occultant, defendunt? *Dico*, certum esse, quòd saltem mortaliter peccent. Excommunicationem quòd concernit, noster Donarus Laynensis, *tom. 1. T. 6. de Apostatis, q. 22.* docèt, & probat, quòd non tantùm alij Regulares, sed & Sæculares, qui in suis domibus tales Apostatas, vel fugitivos tenent, occultant, aut favorem iis impendunt, vt in tali statu permaneant, ipso facto sint excommunicati. Dixi, *vt in tali statu permanent*, si enim eos non teneant aut occultent eò malo fine, sed quia sunt ipsorum consanguinei, amici, aut in necessitate constituti, censuram non incurrunt, & interdum non pecant mortaliter, si nimirum in aliquo casu esset rationabilis causa.

* 47 QUÆRO XIV. Possuntne Prælati Regularium suos Apostatas sponte reversos, vel ad Ordinem reductos, ab incursis censuris absolvere, sive à Fide, sive solùm à Religione defecerint? *Resp. 1.* Scire hoc debent Regularium Prælati ex Ordinis sui privilegijs, & Statutis Nostrę Constitutionis in Prologo, *text. 2. lit. F.* sic habent: Priores in Conventu suo, & in eorum absentia Superiores, & eorum Vicarij, omnes Fratres nostri Ordinis ad eorum Conventus declinantes, ab omnibus peccatis, & censuris, tam à Iure quàm ab homine generaliter prolatis, Sedi Apostolicæ specialiter non reservatis, possunt absolvere. Hæc ibi. *Et dist. 1. cap. 14. text 3. lit. C.* Quilibet Prior in suo Conventu, cùm habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, potest quemcumquè Fratrem Ordinis nostri, etiam hospitem, ad Conventum suum venientem à quocunque peccato, & ab omni sententia Iuris, & Judicis, generaliter, & non in particulari prolata, absolvere, nisi fortè talis esset excessus, vt meritò sedes Apostolica esset consulenda. Hæc ibi. *Et post pauca*: Cùm verò Magister Ordinis curam animarum omnium Fratrum nostri Ordinis plenè, & liberè habeat, ipsique Fratres authoritate propria ligare, & absolvere possit, vt patet per privilegia, omnibus excessibus & censuris etiam Sedi Apostolicæ reservatis, potest absolvere, nisi essent hæretici relapsi, vel Schismatici, aut litteras Apostolicas falsificantes, vel ad infideles prohibita attulissent. Hæc ibi.

Noster de la Cruz, *lib. 1. de Stat. Relig. dub. 14. concl. 1. & 2.* ostendit, quòd olim potuerint, sed nunc Prælati Regulares non amplius possint suos subditos absolvere à Casibus Bullæ Cœnæ, Hæreti, & alijs. *Rationem dat*: Quia ista Bulla quotannis promulgatur, & in illa expresè revocantur contraria privilegia Mendicantium, & aliorum Ordinum sub quavis forma concessa. Hinc pro absolutione ab hæresi vel recurrendum est Romam, vel ad Illustrissimos DD. Nuntios cuiusvis Provinciæ, vel quilibet Provincialis deberet è Roma sibi providere de facultate suos Apostatas à Fide, dum redeunt, absolvendi per se, vel per alium.

* 48 *Resp. 2.* Prælati Regulares possunt absolvere suos subditos, etiam relapsos, ab hæresi occultà, & in foro conscientiæ tantùm. Ita Anno 1617 in sacra Pœnitentiaria fuisse responsum refert ex Filuccio noster Donatus, *tom. 2. T. 11. q. 18. Ratio*: Tum quia aliàs Prælatorum Regularium subditis non esset benè provisum, & essent illi peioris conditionis quàm sæculares subditi Episcoporum. Tum etiam, quia quę in Iure conceduntur Episcopis, censentur etiam concessa Prælatis Regularibus pro suis subditis, nisi oppositum exprimatur: Sed à Conc. Trid. *Sess. 24. de reform. cap. 6.* Episcopis restituitur facultas subditos suos absolvendi à casibus Bullę Cœnæ occultis, nimirum ab hæresi per se ipsos, ab alijs verò per se, vel per Vicarium ad id specialiter deputandum. Ergo idem competit Prælatis Regularium. Hinc Regularium privilegijs nihil quoad hoc est derogatum quoad absolutionem pœnitentium Reli-

Religiosorum in foro animæ, & quoad occulta; sed solum quoad Sæculares. De quibus inter propositiones ab Alexandro VII. 1665. damnatas est hæc num. 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

* 49 *Quid intelligis* per casus occultos in Trident. *loc. cit. Verò illos eos*, qui in judicio probari non possunt, sed sola delinquentis confessione manifestantur. Undè Episcopus potest absolvere hæreticum, qui solus absque ullo tali hæresim aut verbo aut signo aliquo exteriore sufficienter expressit, & eam, cujus hæresis judicialiter probari nequit.

Nota, quàm brevissimas Privilegia Episcopis, & Prælatis Regularibus concessa, præsertim quoad Hispaniam revocata fuisse propter Privilegia usquisitorum.

Apostasia à Clericatu, seu Sacro Ordine.

* 50 QUÆRO XV. Quid de eâ sentis? *Auct. R. Nor.* Apostasia à Sacro Ordine est, cùm quis à perfectiori Statu Clericali, quem in manu Episcopi, edito etiam Continentiæ voto, *aliumpserat, ad* Statum Conjugij, vel Laicæ conversationis, dimisso suo habitu, propria temeritate se transfert. Hoc notato. *Resp.* 1. Retrocedere à statu Clericali sive quis sit in Sacris, sive in Minoribus tantùm) ex dispensatione Papæ obtenta ex legitima causa, nullum est peccatum, sive transitus fiat ad Statum militarem, sive ad matrimonialem. Hoc patet per se.

Resp. 2. Ab Ordine Sacro sine legitima causa ex dispensatione retrocedere ad vitam Laicalem, seu sæcularem, est peccatum mortale, & apostasia, licèt uxor non ducatur. *Ratio*: Quia peccatur toto gravi, & illa retrocessio est una ex speciebus apostasiæ in *R. 1. ad Q.* 13. adductis. Immò si talis uxorem duceret, peccaret simul contra votum solemne castitatis, & matrimonium esset nullum.

* 51 *Resp.* 3. Probabilius & tutiùs est, quòd Clericus majorum Ordinum, qui animo vagandi per vicos, & plateas ad malum, dimittit, aut occultat habitum, ita ut à circumstantibus cognosci non possit, (licèt ad breve tempus id faciat) peccet mortaliter. Ita cum Bannes, de la Cruz, &c. *Ratio*: Quia *est* temeraria dimissio habitus, & quoad hoc videtur esse eadem ratio de Clerico, ac Religioso, cùm Jura utrumque ad Status sui habitum portandum obligent. Dixi, *temeraria*, qualis non est, si Clericus habitum dimittat ad tuendam vitam, v. g. si moretur inter hæreticos, vel ob honorem, aut divitias, etiam alienas, tuendas, aut dimittat ab breve tempus ex rationabili causa, v. g. ratione balnei, honesti ludi, vel repræsentationis, recreationis: ubi tamen venialia subindè intervenire possunt.

* 52 *Resp.* 4. Probabilius est, quòd Clericus majorum Ordinum, deferendo sine justa causa solam tonsuram absque habitu Clericali, peccet mortaliter. *Ratio*: Quia ista dimissio habitus sub gravissimis pœnis vetita est in C. *præcipimus* 21. *q.* 4. Et in Clem. Quoniam de vita, & honest. Cleric. Et hæc sententia maximè vera est, ait de la Cruz, quando illius Status non potest nosci alio signo externo; nam si alio signo externo noscatur, erit peccatum veniale, ait Bannes. Quodnam hoc signum sufficiens sit, pensandum est ex more Patriæ.

* 53 *Resp.* 5. Clericus facilius peccat mortaliter (saltem in Germania) non gestando habitum Clericalem, quàm non gestando coronam. *Ratio*: Ita suadet communis hominum apprehensio. Nam si homines videant aliquem Parochum, *in cujus* vertice nec vestigium coronæ apparet per sex, vel octo septimanas, ex eo non ita scandalizabuntur, nec damnabunt peccati mortalis: dato etiam quòd in ea Diœcesi Constitutiones Synodales mandent eam quovis mense saltem renovari; at si videant Clericum instar *Lanionis, Venatoris, Senatoris*, &c. id est, in habitu omninò profano publicè per plateas, & campos triduo, quatriduo, incedere, vix erit, qui non graviter offendatur.

* 54 *Resp.* 6. Si Clericus, in Sacris constitutus, habitum suum ita dimittat, ut Status ejus nullo signo externo, cujus in prob. *R.* 4. fuit facta mentio, possit cognosci, peccat mortaliter, licet id non faciat animo occultandi personam. Hoc est tutius, & probabilius. *Ratio*: Causa principalis, ob quam Jura Clericis præcipiunt gestare habitum Clericalem, est dignitas, & excellentia sacra mentorum, ut eorum ministri decenter incedant, velut à plebeiis, & Laicis segregati, ut Laici eos sciant præ cæteris honorare. Ergo si Clericus sine justa causa, & ex mera quasi lascivi libidine non portent, quamvis est ex parte sua gravem Sacramentis irrogans injuriam, violando eorum dignitatem. Ergo mortaliter peccant.

Dixi, *si nullo signo externo possit cognosci status ejus*, ubi intelligitur signum, statum, & conditionem personæ manifestans; unde non sufficit cognosci ex facie, & gestibus. Immò etsi posset ex tali signo Status cognosci, si tamen ex non gestatione habitus sequerentur scandalum, eius vitandi gratia teneretur totum habitum deferre. Alia ratio patebit ad *n.* 9. Addo, quod hoc de omnibus quidem, qui sunt in Sacris, sed maximè de Sacerdotibus verum sit; Sacerdos enim cum præ omnibus plus quàm angelici intus renitear dignitate, ut loquitur noster *Cavanilas*, necesse est, ut per specialia signa eam foris ostendat, ut ei reverentia exhibeatur, quæ exhiberi nequit, si ut Laicus, seu purus Sæcularis, sive ut unus de plebe incedat, & dignitatem suam vilipendio exponat, immò periculo despectus, percussionis, interfectionis. Ergo.

* 55 Retrocessio ab Ordinibus minoribus ad Laicatum sine bona intentione, & justa causa, est quidem peccatum, sed ad summum venialc. *Prima pars* patet: Quia ut opus aliquod non sit vitiosum, debet fieri ex bona intentione, seu bono fine: Vide *T.* 15. *E.* 1. *n.* 7. *Secunda pars* etiam constat: Quia Clericus minorum Ordinum nec voto, nec juramento nec præcepto Statui Clericali adstrictus est. Nec adest contemptus formalis, ut suppono, nec virtualis, eò quòd adsit justa causa. Ergo. Tota Resp. etiam patet à paritate Novitij egredientis è Religione.

Resp. 8. Clericus minorum Ordinum non habens beneficium, si tonsuram, & habitum clericalem non portet, peccat quidem, sed solùm venialiter. *Ratio p.* 1. Quia in Jure præcipitur, ut omnis Clericus, etiam minorum Ordinum, deferat habitum, & tonsuram clericalem. Ergo, qui non defert, peccat. *Ratio* 2. *p.* Talis Clericus non est perfectè in statu clericali, nec alitur ex bonis Ecclesiæ. Ergo saltem sub mortali non tenetur portare insignia eius.

* 56 *Resp.* 9. Probabilius, & tutius est, quòd Clericus minorum Ordinum, immò primæ Tonsuræ, habens *præsentiam, pensionem, dignitatem* Ecclesiasticam, aut *beneficium*, ex quo honestè sustentari potest,

potest; teneatur deferre tonsuram, & habitum Clericalem sub peccato mortali, & privatione beneficiorum, ac pensionum, & ipso facto declaratur privatus à Sixto V. in motu incipiente: *Cùm sacrosanctæ*, edito 5. Idus Ianuarij 1588. vt adducit de la Cruz citans nostrum Bannes 2. 2. *q.* 12. *a.* 3. & Ledesma *c.* 9. de Ordine. *Ratio*: Talis Clericus alitur ex bonis Ecclesiæ. Ergo natura dictat quòd teneatur portare insignia eius, quam aliàs profectò videtur vilipendere.

Hæc *ratio* à fortiori probat de ijs, qui sunt in Sacris, sed, proh dolor! non est pusillus Grex eorum in Sacris, quàm in minoribus existentium, qui ad hanc salutarem doctrinam obsurdescunt, magno animas suas periculo exponentes. Nec refert, quod multi inter illos sint *Prænobiles*, *Perillustres*, *Illustrissimi*, quia Nobilitas, Clericos à præceptis Ecclesiæ non eximit, quibus statum hunc, ligendo sponte sua se subdiderunt: nec Ecclesia, nec Deus personarum acceptor est; *Et vera est nobilitas, clarum virtutibus esse.* Habent Religiosi, etiam Mendicantes filios Regia Stirpe progenitos, nec tamen hi mendicantium Ordinum insignia seu habitum etiam pilosum gestare erubescunt.

Schisma.

De hoc quidem S.D. tractat infrà q. 39. *per* 4. *art. Cum tamen Schisma ad Hæresim, ac Apostasiam propè accedat, de eo hic aliquid dicendum est.* Vnde.

* 57 QUÆRO XVI. Quid est Schisma, & in quo ab hæresi differt, & quę eius pœna? *Resp.* 1. Nomen Scismatis à *scissura* animarum vocatum est, scissio autem vnitati opponitur, vnde & peccatum *Schismatis* directè, & per se opponitur *vnitati*. Et ideò propriè Schismatici dicuntur, qui propria sponte, & ex intentione se ab vnitate Ecclesię separant, qui Summo Pontifici subesse renuunt, & qui membris Ecclesiæ, ei subiectis, communicare recusant. Ita S. Thom. *loc cit. a.* 1. *in c.* vt, si aliquod Regnum constitueret sibi specialem Episcopum, vel Patriarcham, cui in spiritualibus obediat, aut alios speciales Religionis cultus adhibeat, nolens parere mandatis Summi Pontificis, Pontificatum tamen Romanum, aut nullum alium Fidei articulum non negans. Et hoc vocatur Schisma purum; si verò aliquem Fidei articulum neget, dicitur Schisma hęresi mixtum.

* 58 *Resp.* 2. Differentiam hæresis, & Schismatis explicat S. D, *a.* 1. *cit. ad* 3. dicens: *Hæresis*, & *Schisma* distinguuntur secundùm ea, quibus vtrumque per se, & directè opponitur. Nam hæresis per se opponitur Fidei, Schisma autem per se opponitur vnitati Ecclesiasticæ charitatis. Et ideò sicut fides, & charitas sunt diversæ virtutes, quamvis, quicunque caret fide, careat charitate, ita etiam Schisma, & hæresis sunt diversa vitia, quamvis, quicunque est hæreticus, sit etiam Schismaticus, sed non convertitur. Et hoc est, quòd Hieronym. dicit: Inter Schisma, & Hæresim hoc interesse arbitror, quòd hæresis perversum dogma habet, Schisma ab Ecclesia separat. Et tamen, sicut amissio charitatis est via ad amittendam fidem, ita etiam Schisma est via ad hæresim. Unde Hieronymus subdit, quòd Schisma à principio aliqua in parte potest intelligi diversum ab hæresi. Cæterùm nullum Schisma est, quòd non sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Hæc S. Thomas.

* 59 *Resp.* 3. Pœna Schismaticorum est excommunicatio latæ sententiæ, reservata in Bulla Cœnæ. Et meritò, quia, per quæ peccat quis, per ea debet puniri: *Sup.* 11. vt arguit S. Thom. *a.* 4. *in c.* Schismaticus autem peccat, separando se à communione membrorum Ecclesiæ. Ergo. Ex quo infertur, absolutiones Sacramentales à Schismatico Sacerdote datas esse nullas, defectu iurisdictionis, vtpote qua propter excommunicationem caret.

Explica vlteriùs: si quis solùm segregaret se ab Ecclesia quædam particulari, denegans obedientiam alicui certo Episcopo, paratus tamen obedire Summo Pontifici, esset ne Schismaticus? *Dico*: Non esset; Schisma enim est separatio ab Ecclesia vniversali.

Quid ergò, si quis teneretur subesse Papæ, vt privatus homo est, ex particulari aliquo odio contra eum, aut eius familiam, vel nollet obedire vni speciali mandato ob specialem eius difficultatem, *v. g.* de ieiunio? *Dico*: Non est Schisma, quia ad hoc requiritur resistentia facta Summo Pontifici vt tali.

Blasphemia.

S. Thom. 2. 2. q. 13. *per quatuor art.*

* 60 QUÆRO XVII. Quid de ea sentis? *Resp.* 1. Blasphemare est Deo aliquid denegare, quòd ei convenit; vel attribuere, quòd ei non convenit, dicendo: Deus non est iustus, Deus est miser: vt patet ex S. Thom. *a.* 1. *in c.* qui ibidem *ad* 3. explicat, esse etiam Blasphemiam, creaturæ attribuere, quòd Deo proprium est, *v. g.* Omnipotentiam. Quidquid enim est Deo proprium, est ipse Deus (arguit S. Thom.) Sed creaturæ attribuere, id quòd est proprium Deo, est Deum dicere creaturam: Ergo. *Paulo* aliter dici potest: Blasphemia committitur, quando proferuntur verba, vel exercentur signa contra Deum, aut Sanctos, quibus inhonorantur, seu vilipenduntur, etiam solùm mentaliter.

Resp. 2. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale. S. Thom. *a.* 2. *Ratio*: Tum quia Levit 24. dicitur: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*: Sed pœna mortis non infertur nisi pro peccato mortali. Ergo. *Tum* etiam quia blasphemia secundùm genus suum repugnat divinæ charitati, quia vt patet ex definitione, derogat divinę bonitati, quę est obiectum charitatis. Ergo.

* 61 *Oppono*: Omne peccatum mortale debet opponi alicui præcepto Decalogi. *Ad hoc* R. cum S. Thom. ad 2. *dicente*: Cùm blasphemia opponatur Confessioni fidei, (vt patebit postea,) eius prohibitio reducitur ad prohibitionem infidelitatis, quæ intelligitur in eo, quòd dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Vel prohibetur per id, quòd dicitur: *Non assumes nomen Domini tui in vanum.* Magis enim in vanum assumit nomen Dei, qui aliquid falsum de Deo asserit, quàm qui per nomen Dei aliquod falsum confirmat. Ita S. D.

* 62 *Resp.* 3. Blasphemia alia est *communiter dicta*, quæ ex dictis patet, & opponitur virtuti Religionis: alia *hæreticalis*, vt si quis ferió, & pertinaciter dicat: Deus non est iustus, est maledictus, renego D. Petrum, & Sanctos. Vel si dicat, eos non esse Sanctos, eos apud Deum nihil posse. Et hęc non

tantum Religioni, sed & Confessioni fidei opponitur, juxta S. Thom. *a. 1. in c. & ad 1.* & de ea assero, quidquid dixi de hæresi, modo adsit error in intellectu cum pertinacia. Si enim quis ore dicat, maximè in ira, Deus est iniustus, quod tamen in corde non tenet, est quidem peccatum mortale, sed non est hæresis, nec blasphemia hæreticalis.

* 63 *Resp.* 4. In peccato blasphemiæ necessariò explicandum est, an sit in Deum, Beatam Virginem, vel Sanctos. Ita tutior & probabilior sententia. *Ratio*: Quia blasphemia in Deum virtuti *Latriæ*, quæ est in Sanctos, virtuti *Duliæ*, quæ est in Beatam Virginem, repugnat virtuti *Hyperduliæ*. Ergo specie differunt. Et hoc siquis neget, negare tamen non audet, quin extrà caput blasphemia notabiliter aggravetur. Sanctum tamen illum, in quem quis blasphemavit, exprimere non est necesse; licèt enim unus Sanctus sit maior altero, non tamen inde notabiliter aggravatur.

* 64 *Resp.* 5. Probabilius, & tutius est, exprimendam etiam esse qualitatem blasphemiæ, nimirum an blasphemavit, Deo aliquid tribuendo, quod non habet, ut appellando crudelem, Tyrannum, maledicendo Deum, exprobrando ipsi etiam quod habet, sed irreverenter, & cum irrisione, & contemptu, v. g. membra Christi, pedes, natum, vel per ea turpiter iurando, vel id quod Deo est proprium, creaturæ tribuendo. *Ratio*: Quia licèt hæc non differant specie, ut patet ex S. Thom. *a. 1. ad 3.* peccatum tamen in sua specie notabiliter aggravatur.

* 65 *Resp.* 6. Blasphemia non tantum committitur verbo, sed etiam facto, ut si quis contra Deum in aerem expuat, vel, ut Iulianus Apostata, suum sanguinem proijciat in contemptum Dei. Ubi etiam explicandus in Confessione est modus blasphemiæ, nimirum an fuerit expressa voluntas iniuriandi Deo, vel Sanctis convitium, an implicita. Et tali facto etiam potest quis se hæreticum constituere.

* 66 *Resp.* 7. In blasphemia formali, seu quæ sit experfecta deliberatione, non datur parvitas materiæ, propter quam fiat peccatum veniale. *Ratio*: Nam materia blasphemiæ ex se est gravissima, quia per eam peccatur in Deum, vel in Sanctos, ut dicunt ordinem ad Deum. Vel ergo convitium, quòd contra Deum dicitur, est contra divinum Intellectum, & sic ponitur in Deo error, vel falsitas. Vel est contra Voluntatem divinam, & sic ponitur in Deo malitia. Vel est contra divinam entitatem, & sic ponitur in Deo malum naturæ, quæ omnia sunt materia gravissima. Ergo.

Resp. 8. Indeliberatè blasphemans ex consuetudine, quàm advertit, & ex notabili negligentia non curat emendare, peccat mortaliter: secus si nitatur contra eam. *Ratio*: Quia talis blasphemia est voluntaria in sua causa in primo, secus in secundo casu.

Ex quibus patet, quomodo Confessarius debeat judicare de ijs, qui non Deo, sed homini indignando proferunt mortem Dei, septem Sacramenta, vulnera, Sanguinem Christi, &c. non enim committitur communiter blasphemia, sed vanus usus divini nominis, qui saltem est grave veniale, vel interdum mortale, vel ratione periculi incidendi in blasphemias, vel ratione scandali. Pro quò vlteriùs *Not.* blasphemiam duobus modis fieri posse. 1. Sic, ut blasphemans non advertat id, quòd dicit, vel facit esse blasphemiam, ut si verba erumpat ex subito motu, & non advertatur eorum significatio, & hæc indeliberatio, & subreptio excusat à mortali. Sic, ut blasphemans verborum significationem consideret, attamen ex passione, deliberationem omninò completam antecedente, ea profert; & in hoc casu blasphemans à mortali non excusatur, ut nec is, qui ex subito motu iræ alterum occidit; quia gravitas materiæ eum cogit ad deliberationem, eò ipso, quod advertit ad id, quòd facit.

* 66 *Quid iudicas de ijs*, qui passim dicunt: Hoc tam verum est, quàm quòd *Deus exist*, quàm quòd *Verbum Caro* factum sit; hoc tam verum est, quàm *Evangelium*; estne blasphemia? *Ratio* dubitandi est, quia veritatem obiecti creati æquare cum divina, est mortale, immo hæreticum. *Dico*: Si homo per tales locutiones absolutè intenderet æquare infallibilitatem veritatis creatæ, & increatæ, peccaret mortaliter, & esset hæreticus, sed hoc nunquàm, vel raro contingit. Committitur ergo vanus vsus divini nominis, qui aliquando veniale, aliquando mortale peccatum est, ut antè dictum. Ex quò patet ad rationem dubitandi.

EXAMEN IV.

De Spe, ac Timore, & vitijs Spei oppositis, nimirum de desperatione, & præsumptione.

De quibus S. D. agit, nimirum de Spe, q. 17. & 18. De Timore, q. 19. 20. & 21.

* 1 QUÆRO 1. Spes Theologica, quid ac quotuplex est, ac quòd obiectum eius, & subiectum *Lugo R. Not.* Spem aliquando impropriè, & latè accipi. Pro expectatione cuiuscunque eventus futuri, sive boni, sive mali, & sic de eà hìc non est quæstio: Sumitur verò strictè & propriè in ordine ad bonum tantum, & sic dividitur in sensibilem (quæ est in parte irascibili, etiam brutis conveniens, de quà actum est suprà *T. 4. E. 1. n. 14.*) & in intelligibilem, seu intellectualem, quæ est in appetitu rationali, & postea definitur, sumiturque hìc pro habitu: licèt aliquando accipiatur pro obiecto, ut ad Tit. 3. *Speratæ beatam Spem*; aliquando pro eò, a quò bonum speratur, ut Psal. 90. *Tu es, Domine, Spes mea*: aliquando pro actu, ut Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*. Revidendæ hìc sunt definitiones virtutis *T. 4. E. 1.* traditæ *n. 2.* Item, quòd in hoc tractatu *E. 1.* diximus de fide, cur dicatur Theologica; quòd alia sit formata, alia informis, & tamen quoad entitatem vnus habitus solo perfectionis modo diversus; hoc ipsum enim etiam de Spe verificatur. Hoc notato.

Resp. 1. Spes Theologica definitur sic: Est virtus Theologica quâ voluntas viatoris fertur in Deum, ut beatitudinem suam obtentu arduam, divino tamen auxilio assequibilem. Spes alia est formata, alia informis, ut loco citato diximus de fide, vbi vide. Definitio clarescet ex dicendis. *Resp.* 2. Obiectum formale, *quòd* adæquatum Spei, seù per se primò terminativum, est ipse Deus in quantum est beatitudo nostra obiectiva: Beatitudo formalis, seù clara Dei visio à Beato elicita non intrat rationem obiecti formalis, sed solùm est conditio requisita in obliquo connotata. Ita docèt S. Thom. *hic q. 17. art. 2. in c.* Quid sit obiectum formale *quòd*, *quò* & materiale. Vide *E. 1. in hoc T.*

Ratio

Ratio prima, & secunda partis est: Virtus purè Theologica debet habere obiectum adæquatè divinum: Sed Spes est talis virtus. Ergo. *Subsumo*: Sed beatitudo formalis est quid creatum, obiectiva verò est quid purè divinum. Ergo. *Ratio secundæ partis*: Obiectum formale, *quòd* adæquatum Spei est, in quòd Spes per se primò tendit, & in omnia alia ratione illius: Sed in Deum, vt est beatitudo nostra obiectiva, Spes per se primò tendit, & omnia alia ratione illius, tanquàm in media ad illius consecutionem, seù vt in obiecta materialia, & secundaria. Ergo. *Ratio* 3. *partis*. Beatitudo obiectiva, actum Spei non terminat, nisi vt possidenda: sed vt talis connotat saltem in obliquò claram visionem, quia per eam possidetur, & aprehenditur. Ergo.

Resp 3. Obiectum motivum, seù formale *quò* Spei Theologicæ est Deus vt auxiliator, seù Omnipotentia, vt auxilians in superanda arduitate, seù divinum auxilium activè sumptum. *Ratio*: Motivum formale Spei est id, cui illa innititur, & quò homo præmunitur contra desperationem. Sed illud est auxilium divinum iuxta illud Psalm. 17. *Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum*. Ergo. Dixi, 1. *auxilium activè sumptum*; si enim sumatur passivè, est quid creatum; quòd nequit esse ratio formalis virtutis Theologicæ. Dixi 2 *In superanda arduitate*; hæc enim ex parte obiecti essentialiter connotatur.

Resp. 4. Obiectum materiale, & secundarium Spei complectitur omnia bona supernaturalia absentia, & ardua, divino auxilio assequibilia. *Ratio*: Quia hæc omnia Spes attingit, quatenus referuntur ad obiectum suum primarium assequendum.

* 2 *Resp.* 5. Habitus Spei non erat in Christo vt Viatore; nec est in Beatis, nec in damnatis. Ita S. D. *quæst.* 18. *art.* 2. & 3. *Ratio*: Quia in illis deficit obiectum Spei; hoc enim est bonum arduum futurum, Christus verò vtpotè à primo conceptionis instanti clarè Deum videns, adeòquè beatus, iam erat in termino, & beatitudinem possidebat; idem est nunc de alijs Beatis: respectu damnatorum non est, nec potest apprehendi vt futura. Ergo.

Sed nonne continuatio gloriæ, vel gloria corporis sufficit ad obiectum Spei in Beatis? *Dico*: Non sufficiunt: Quia neutrum est bonum arduum; non continuatio gloriæ, quia hæc Beato debetur ex intrinseca ratione beatitudinis, & æternitatis participatæ: nec gloria corporis, quia huius iam possident radicem, nimirum gloriam animæ.

Resp. 6. Habitus Spei est in Angelo, & homine viatore, etiam peccatore, excepto hæretico, & desperante. Item est in animabus, quæ sunt in Purgatorio, & erat in ijs, qui erant in Limbo. *Ratio*: Quia respectu Angeli, & hominis viatoris, etiam peccatoris, vti & animarum in Purgatorio, & Limbo, manet obiectum Spei iam explicatum, quòd non destruitur nisi per suum oppositum, nimirum per desperationem, cùm per eam tollatur eius radix, ac fundamentum, quòd est Fides, definita, quòd sit *sperandarum substantia rerum*.

* 3 *Oppono*: Animæ in Limbo habebant, & in Purgatorio habent certitudinem de sua salute. Ergo non Spem. *N. cons.* Quia illa certitudo non aufert rationem obiecti ardui nondum habiti, quia aliàs etiam Spes non debuisset poni in B. V. quia & illa erat certissima de sua salute.

* 4 QUÆRO II. Quid, & quotuplex est timor, & quòd obiectum eius? *Resp.* 1. Timor potest tripliciter considerari. 1. *Vt est passio* appetitus sensitivi, nam hic naturaliter refugit malum, sub quâ ratione de eò actum est suprà. 2. *Vt est vitium* fortitudini oppositum, quò homo refugit malum, quòd secundùm rectam rationem non esset fugiendum. 3. *Vt est donum* Spiritus Sancti, quò frenatur mens hominis, ne per Spem in præsumptionem erigatur.

Resp. 2. Iuxta S. Thom. *hic q.* 19. *art.* 2. Timor est quadruplex, nimirum timor *filialis*, quò quis convertitur in Deum timore culpæ, seù offensæ, nam filiorum est timere offensam patris, ait S. D. *Servilis*, quò quis convertitur in Deum propter timorem pœnæ. *Initialis*, inter vtrumquè medius, quò quis Deo adhæret propter timorem culpæ, & pœnæ. *Mundanus*, seù *humanus*, quò quis propter malum temporale (quòd timet) à Deo recedit: quòd semper malum, & peccatum est iuxta S. Thom. *q.* 19. *art.* 3. *in c.* Ex his solus timor *filialis* est timor castus, & donum Spiritus Sancti. Quòd concernit timorem servilem, si pœna timeatur tanquàm principale motivum, *malus est*, & Charitati opponitur, vt benè distinguit S. D. *art.* 3. Si verò pœna non timeatur, vt principale motivum, sed ordinetur in Deum, vt in finem, *bonus est*, & honestus, vt patet suprà T. 13. E. 3. *n.* 7. & 9.

Resp. 3. Timor castus, & filialis habet pro obiecto immediato culpam, non secundùm propriam rationem, vt culpa & voluntaria est, sed in quantum est à causa extrinseca, v. g. tentatione dæmonis, vel alio inducente. *Ratio*: Obiectum immediatum timoris debet habere rationem ardui, ac terribilis quòd timeatur: Sed culpa vt talis, & vt voluntaria, cum sic subiaceat nostro beneplacito, non habet rationem terribilis, benè tamen vt habet causam extrinsecam, quia vt talis non subiacet voluntati nostræ. Ergo.

Desperatio.

Duplex vitium virtuti Spei opponitur; vnum per defectum, nimirum desperatio; aliud per excessum, nimirum, præsumptio. De vtroquè aliquà sunt dicta de peccatis in Spiritum Sanctum, T. 5. E. 5. n. 10.

* 5 QUÆRO III. Quid est desperatio, & quòd obiectum eius? *Resp.* 1. Peccatum desperationis consistit in actu voluntatis, seù est motus appetitus, oppositus Spei, conformiter se habens ad existimationem falsam, quòd Deus peccatori pœnitenti veniam deneget, vel quòd peccatores ad se non convertat per gratiam iustificantem, nec eis conferat auxilia ad obtinendam Salutem, vt explicat S. Th. *q.* 20 *art.* 1. Quoties ergo homo talem actum deliberatè elicit, toties mortaliter peccat. Vel definitur sic: *Desperatio est fuga voluntatis, quâ quis refugit Salutem æternam acquirere per media ordinaria, eo quòd iudicet, eam obtentu sibi esse impossibilem.*

Resp. 2. Obiectum desperationis est æterna beatitudo. *Ratio*: Sicut Spes est prosecutio obiecti sperati, ita desperatio est fuga illius: sed obiectum speratum, seù æterna beatitudo est obiectum Spei. Ergo etiam est obiectum desperationis.

* 6 QUÆRO IV. Desperatio potestne esse cum fide, seù sine infidelitate? *Resp.* affirm. *Rationem* dat S. D. *quæst.* 20. *art.* 2. dicens: Remoto posteriori non removetur priùs: sed spes est posterior fide. Ergo remota spe potest remanere fides. Quòd autem sublata fide non maneat spes, patet ex ratione data pro R. 6. *ad Q.* 1. Nam sublato priori tollitur posteriùs.

* 7 QUÆRO V. Desperatio in damnatis estne peccatum? *Resp.* Negativè cum S. Thom. *hic art. 2. ad 1.* dicente: *Damnati non sunt in statu sperandi propter impossibilitatem reditus ad beatitudinem, & ideo quòd non sperent, non imputatur eis ad culpam, sed est pars damnationis ipsorum.*

* 8 QUÆRO VI. Nonne una desperatio est gravior altera? *Resp.* Affirm: secundùm gravitatem objecti, circà quòd versatur. Sic gravissimum peccatum est, desperare de salute; gravius de remissione peccatorum; minùs grave de emendatione vitæ propter experimentum propriæ fragilitatis, & difficultatum aliàs probatarum: adhuc minùs est desperare de consecutione temporalium, nolendo se committere divinæ providentiæ: leve verò, de impetrando per orationem, quòd petitur ob propriam indignitatem. Judicium quò quis judicat, Salutem sibi esse impossibilem, non est secundùm se desperatio, si tamen ad eam consequendam conetur adhibere proportionata media. *Notand.* benè, quòd desperatio, vt sit verè talis, debet esse planè deliberata, & moralis, vndè à mortali excusari possunt, qui desperant, vel quasi desperant ex superabundante melancholia, animum ita dejiciente, vt sint quasi fui impotes, & cerebrum lædant.

* 9 QUÆRO VII. Si Deus (vti per absolutam potentiam potest) alicui certò, & absolutè revelaret, quòd ob peccata sit damnandus, cui revelationi homo ille prudenter non potest dissentire, possitne, & teneaturne adhuc sperare suam beatitudinem Spe Theologica? Hæc Q. quidem partim facit ad praxim, explicat tamen vberius naturam virtutis Spei. Vndè ante R.

Suppono 1. Quòd ille cui Deus suam damnationem revelaret, posset suam salutem, & eà, quæ ad vitanda peccata sunt necessaria, adhuc concupiscere ac desiderare concupiscentia aliqua supernaturali. *Probo est*: Quia concupiscentia, & desiderium non respiciunt bonum, vt assequendum, & futurum, sed secundùm se, & vt possibile absolutè, nec sunt actus aggressivi ad vincendam ardvitatem; in casu autem dictæ revelationis beatitudo adhuc apparet bona, & absolutè possibilis. Verùm non esset eà Spes Theologica; quando enim hæc deficit circa objectum primarium, nequit manere circa secundarium: Sed in dicto casu deficeret circa objectum primarium, vt probabitur. Ergo etiam circa secundarium, vti sunt media, quibus vitantur peccata.

Suppono 2. Quòd is, cui Deus non tantùm revelaret damnationem, sed & peccatum pro quo damnabitur, pro hoc peccato vitando teneretur adhuc sperare, ac petere auxilium sufficiens, sicut & teneretur habere displicentiam de illo peccato: auxilium verò efficax posset quidem desiderare, non tamen sperare, nec teneretur hoc à Deo petere, quia auxilium efficax datur ad actualem peccati evitationem, quam homo in eo casu prudenter apprehendere non posset: pro alijs verò peccatis vitandis teneretur sperare auxilium sufficiens, & efficax ob rationem oppositam. His suppositis.

Resp. Negativè de Spe Theologica, contra aliquos Thomistas, inter quos est Contenson. *Ratio* 1. Motus Spei non fertur in beatitudinem tantùm, vt speculativè possibilem, sed vt possibilem in praxi, vt arguit noster *Ferre*; ideò enim dicitur, quod objectum Spei sit beatitudo futura, seu de qua quis possit prudenter judicare, quòd sit eam assecuturus in re; sed hoc non salvatur in casu posito. Ergo. *Maj.* non negatur ab adversarijs, & expressè docetur à S. *Thom. 1. 2. quæst. 40. art. 1. in c. Min. prob.* Ut quis prudenter judicet, beatitudinem esse futuram, debet carere judicio dissentè non esse futuram: Sed homo in nostro casu tali judicio non caret, imò habet illud, vt supponitur. Ergo.

Notand. ex dicto Authore, quòd possibilitas specularia consistat in non repugnantia prædicatorum, & terminorum, & in potentia absoluta Dei, & de hac tantùm convincitur, dùm opponitur, quòd talis homo habet auxilia sufficientia, est in gratia, habet habitum spei, potest aliquamdiù manere in gratia, & charitate, & bene operari; hæc enim faciunt beatitudinem solùm esse assequibilem, spes verò eam respicit prudenter judicatam, vt futuram, seu assequendam: esse verò possibile practicè est, esse in tali dispositione, quòd quis prudenter judicare possit, se illud consecuturum: objectum enim spei est bonum *ardvum, possibile, futurum*

Ratio 2. In tantùm quis Spe Theologica potest sperare beatitudinem, in quantum prudenter potest judicare, se esse vnum ex illis, in quibus adimplenda est divina promissio: Sed in casu posito homo hoc non potest prudenter judicare, cùm sit certissimus de opposito. Ergo non potest beatitudinem sperare. Ergo. nec tenetur, qui nemo tenetur ad impossibile. Quid adversarij ad has rationes respondeant, patebit ex oppositione primæ.

* 10 *Oppono* 1 cum Contenson: Salus æterna non est minùs futura reproba post revelationem, ac antè. Ergo ruit totum fundamentum *Prob. Ant.* Salus potest esse certò futura dupliciter: nimirum, vel certitudine absoluta, cui non possit subesse falsum; vel certitudine conditionata, id est, ex vi bonorum operum à gratia oblata elicitorum, per quæ salutem consequitur homo, si velit, seu nisi per ipsam steterit: si verò eam non obtineat, erit ex sola malitia liberi arbitrij, non ex defectu divinæ Misericordiæ. *Subsumo*: Sed reprobus ante revelationem non habet certitudinem absolutam, cui sua spes innitatur, cùm de facto non sit salutem consecuturus. Ergo habet solùm conditionatam mox explicatam: Sed hanc retinet etiam post revelationem, quia etiam post eam in gratia, & charitate existens potest talia opera exercere per auxilia sibi à Deo data. Ergo. Illustrat hanc rationem Contenson exemplo in Schola S. Thomæ celebri: Deus vult conditionatè per voluntatem antecedentem salutem reprobi, & vult absolutè per voluntatem consequentem ipsum non salvari absque aliqua pugna in judicio divino de eodem pronuntiante. Ergo & reprobus in casu posito potest sub diversa ratione judicare salutem conditionatè sibi esse futuram, absolutè non futuram.

Oppono 2. cum eodem: Ratio, quare reprobus ante revelationem potest, & tenetur sperare, seu motivum sperandi non est ignorantia suæ reprobationis; quia illa nec possibilitatem, nec futuritionem talis causat, nec divina præscientia, aut revelatio necessitat, vel ordinem rerum immutat. Ergo objectum Spei eodem modo respectu illius reprobi se habet ante, ac potest revelationem, consequenter post eam æquè potest sperare. *Confirm.* Ad sperandam Beatitudinem non requiritur, quòd sit futura in re, vt patet in reprobis viatoribus verè eam sperantibus. Ergo.

3 Ex hac sententia *Sequitur* 1. quòd homo cogitur desperare. *Prob. seq.* Quia salus ei representata æquè impossibilis, ac damnatione executa, sed ea executa cogitur homo desperare. Ergo. *Sequitur* 2.

Quòd

Quòd homo teneatur velle ſuam damnationem. *Prob.* Quia homo tenetur ſe conformare divinæ voluntati certò cognitæ. Ergo. *Sequitur* 3. Talem hominem poſt revelationem non teneri ad obſervantiam legis, & poſſe cuivis vitio ſine culpa ſe dedere. *Prob.* Qui non tenetur ad proſequendum finem, etiam non tenetur proſequi media: Sed homo non potens ſperare finem ſalutis, non tenetur ad proſecutionem huius finis. Ergo nec ad media. Sed hæc media ſunt obſervantia legis, & bona opera, etiam actus Spei Theologicæ. Ergo. *Sequitur* 4. Quòd ſi Deus alicui revelaret futurum peccatum, etiam auferretur ſpes, adeòque & obligatio illud evadendi; & ſic non peccaſſet Petrus Chriſtum negando, nec Iudas eum tradendo. Quia Chriſtus Petro id prædixit Matth. 26. *Antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Et Iudæ ibidem. *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum, Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti.*

* 11 *Oppono* 4. Poſſum, & licet mihi, efficaciter conari in oppoſitum illius, quòd cognoſco abſolutè Deum velle, vt ſi Deus abſolutè mihi revelaret mortem Patris mei, poſſem adhuc adhibere remedia, ſicque conari ad vitandam mortem. Ergo ſimiliter in caſu poſito. 5. *Cùm* abſoluta revelatione damnationis ſtat potentia, ſaltem antecedens, ad ſalutem conſequendum Ergo etiam ad ſperandum. *Prob. conſ.* Maius quid eſt conſequi ſalutem, quàm eam ſperare. Ergo ſi, &c. *Patet Conſ.* nam qui poteſt maius, poteſt etiam minus. Immò dictæ revelationi magis opponitur conſecutio ſalutis, quàm eius ſpes. Ergo. 6. *Hæretici*, licèt non habeant fidem, conſequuntur, nec ſpem in fide fundatam, tenentur adhuc, & poſſunt ſperare. Ergo ſimiliter. 7. *Toli* homini eſſet revelarum, quòd ſit damnandus ob propria peccata. Ergo adhuc teneretur, ac poſſet ſperare. *Prob. Conſ.* Si Deus alicui ad alicuius actus elicientiam ob propria peccata denegaret non ſolùm auxilium efficax, ſed & ſufficiens, talis adhuc teneretur; licèt enim ſit impotens, attamen eſt talis ſua culpa, vt patet in eo, qui proijceret Breviarium in mare, qui tamen teneretur recitare horas: Sed in caſu poſito, ſi homo eſt impotens ad ſperandum, eſt talis ſua culpa, vt ſuppono. Ergo.

Confirm. Ponamus, quòd Deus homini illi revelet, quòd ſit damnandus propter peccatum deſperationis, quòd revelationem ſubſequetur, ſaltem tunc adhuc teneretur ſperare. *Prob.* Si non teneretur, non peccaret non ſperando, & ſic caſſam faceret Dei revelationem: Sed hoc non admittitur. Ergo.

* 12 *Ad* 1. *Oppoſit. N. Ant.* Ad *prob.* Tranſeat totus Syllogiſmus. Et *N. vlt. min.* quia bona opera, & auxilia non præcontinent in ſe Beatitudinem, vt futuram, niſi Deus ea velit continuare vſque ad finem vitæ, ſeu cum pœnitentia, & gratia finali, in qua homo decedit, velitque eam operibus dare vt præmium: Sed hæc voluntas Dei in caſu poſito non eſt, vt ſupponitur. Ergo ex vi illorum operum non poteſt formari prudens iudicium de futuritione Salutis, ſed ſolùm de poſsibilitate ſpeculativa eius, quæ ad ſpem Theologicam non ſufficit. Unde ad Beatitudinem in re aſſequendam talia media ſunt omninò enervata. Hinc illa certitudo conditionata, *Conſequetur homo per hæc opera Salutem, ſi ipſe velit*, non ſubſiſtit in Theologia Thomiſtica, hæc enim non admittit, quòd efficacia gratiæ habeatur ex ſola cooperatione creaturæ, ſed vtitur illo Apoſtoli: *Non eſt currentis, neque volentis, ſed ſolius Dei miſerentis.* Unde & voluntas antecedens, qua Deus omnes vult ſalvare, eſt inefficax, nec facit ſalutem omnium hominum eſſe conſequenter futuram.

Contra: Chriſtus vt homo multa ſciebat abſolutè non eſſe futura, quæ tamen efficaciter poterat intendere, vt eſſent. Ergo abſoluta præſcientia de non futuritione eventus, non tollit, quin ille poſsit efficaciter intendi. *Prob. Ant.* Quia Chriſtus erat liber. Ergo. *Ad hoc N. Ant.* loquendo de iis, vti loqui debemus, quæ Chriſtus evidenter ſcivit non eſſe futura, quia aliàs Chriſtus efficaciter potuiſſet aliquid intendere contra efficax, & abſolutum decretum Dei, quòd implicat. Nec id poteſt vlla libertas creata, etiam Chriſti, (vtpotè abſoluto Dei decreto ſubiecta) Non, inquam, poteſt potentia conſequente.

Ad 2. *Oppoſ. diſt. ant.* Non eſt motivum, ita tamen vt ſit conditio, *ſine quâ non*, *C. ant.* vt nec ſit conditio, *N. ant. & conſeq.* Licèt enim divina præſcientia non neceſsitet, nec mutet ordinem rerum, ex eius tamen revelatione naſcitur diverſum iudicium de aſſecutione obiecti, ex cuius iudicij diverſitate mutatur tendentia voluntatis. Nam licèt revelatio ſit extrinſeca reſpectu obiecti, iudicium tamen ex illa formatum non habet ſe extrinſecè ad movendam voluntatem, ſed eſt applicatio intrinſeca obiecti, ex cuius mutatione mutatur voluntas. Unde & nunc in præſcitis ignorantia reprobationis non eſt ratio formalis ſperandi, ſed eſt conditio, ſine quâ non ſit applicatio rationis formalis obiecti ſpei ad voluntatem. *Ad Confirm. diſt. ant.* Non requiritur, vt ſit futura in re, id eſt, effectiuè cum actuali eventu, *C. ant.* Secundùm prudens iudicium, *N. ant & conſ.* Itaquè obiectum Spei alicui eſſe futurum, non intelligitur, quòd ſit futurum in re cum actuali eventu, ſed ſecundùm iudicium practicum, & prudentiale, cùm de oppoſito non conſtet, & hoc iudicium poteſt quidem habere reprobus, ſuam damnationem ignorans, non verò is, cui certò eſt revelata; à quo proinde præceptum ſpei tollitur.

Ex quibus ſolvuntur hæ inſtantiæ. 1. Omnis viator tenetur tendere ad ſuum terminum, eumque ſperare: Sed talis homo eſt viator, & terminus *ad quem* hominis viatoris eſt Beatitudo, viator verò conſtituitur per fidem, & ſpem. Ergo. Nam *ſolvitur dicendo*, illam eſſe veram, ſi poſsit habere dictum iudicium; Vel dico, talem eſſe ſolùm viatorem *negativè*, id eſt, non eſſe in termino, non verò *poſitivè*, quia poſitivè non moveretur ad conſecutionem Beatitudinis. 2. Per revelationem obiectum ſpei non mutatur, ſed eodem modo ſe habet, ac antè. *Solvitur dicendo*, eſſe ſolùm verum de obiecto quoad ſe, non verò comparativè ad hunc hominem.

Ad 3. Oppoſ. *diſt. primam ſeq.* Cogitur deſperare *negativè*, *C. poſitivè*, *N.* Deſperatio ergo duplex eſt. Una negativa, quæ eſt mera omiſsio præcepti Spei, quòd homo implere non poteſt, adeòque, nec eſt moralis, nec peccaminoſa. Altera poſitiva, quæ actus formalis, & expreſſus deſperationis, quo quis vel iudicat, quòd Miſericordia Dei peccata non remittat, & ſic eſt hæreſis. Vel æſtimat, quòd Deus ſit tam ſeverus, vt abſolutè, & non propter peccata propria tantum, nolit alicui in particulari miſereri, & ſic eſt blaſphemia Ex quo patet, quòd talis homo nec præcepto *affirmativo* ſpei teneatur, nec *negativo* de non omittendo actum ſpei, quòd in priori includitur. De actu, ſeu executivè damnatis (de quibus ibidem ſit mentio) eſt diſparitas, & *N. mai.*

quia

quia desperatio est pars damnationis ipsorum, vt dictum est R. ad Q. 5. num. 9. Ad 2. Seq. pat. R. suprà T. 3. E. 3. 2. §. Ad 3. Seq. admitto, quòd talis homo non teneatur ad obseruantiam legis, seu præceptorum de actu Spei, bene tamen aliorum præceptorum; vade nego, quòd cuiuis vitio sine culpa se dedere possit. Ad prob. dist. mai. Non tenetur prosequi media, quorum ratio formalis obiectiua non manet, C. mai. si hæc maneat, N. mai. Transe. min. & dist. simil. conf. Licèt ergo talis homo non teneatur ad præceptum Spei, bene tamen aliarum legum, & præceptorum, ac bonorum operum, quia manet eorum ratio formalis obiectiua, non autem Spei, vt probatum est.

Contra. S. D. dicit: *Per spem præmij inducitur homo ad obseruantiam præceptorum*. Ergo etiam talis homo tenetur præcepto Spei, vt alia præcepta possit obseruare. Ad hoc dico, S. D. velle, quòd spes præmij sit quidem medium, sed non vnicum, seu vnicè necessarium, quia ipsa obiectiua aliorum præceptorum honestas potens est mouere ad obseruantiam eorum. Ex dictis etiam soluitur instantia, quæ solet obici ex illo textu S. Scripturæ: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*.

Ad 4. seq. N. ant. Disparitas patet ex dictis *ad 3. sequel.* quia cum reuelatione futuri peccati stat honestas, & ratio formalis motiua aliorum præceptorum, & alia ad eorum obseruantiam requisita; cum reuelatione verò damnationis non manet hæc ratio formalis respectu Spei, quia deficit futuritio. Vnde homo, de quò est casus, nec quidem potestate antecedente posset præceptum Spei implere, nec dictum prudentiale iudicium de futuritione elicere ob rationem mox insinuatam; benè tamen id posset, quoad alia præcepta, & bona opera, si non formaliter, vt media ad Beatitudinem, saltem vt secundùm se bona, & honesta sunt. Hinc graviter peccauit Petrus negando, & Iudas tradendo Christum.

Ad 4. Oppos. dist. ant. Licèt efficaciter efficacia imperfecta, & secundum quid tali, nimirum per modum desiderij, C. ant. efficacia simpliciter tali, vti est in Spe, N. ant. & conf. Solutio patet ex *suppos.* 1. Itaquè in impossibile, seù in oppositum illius, quòd quis euidenter cognoscit, Deum absolutè velle, non potest homo tendere efficaciter, nisi efficacia imperfecta, & secundum quid, quæ solum est efficacia desiderij; ad Spem autem requiritur efficacia, quà voluntas intendit victoriosè superare arduitatem rei consequendæ; ad quòd requiritur motus aggressiuus. Hinc patri (de quò ibi fit mentio) medicina potest adhiberi ex desiderio, non ex spe euadendi mortem, quòd etiam in nostro casu iam est admissum.

Ad 5. Oppos. N. conf. ad probationem dicitur verum esse, si cætera sint paria. Disparitas est: quia ad posse saluari sufficit possibilitas salutis, quæ manet cum dicta reuelatione, vti & auxilia sufficientia: verùm ad posse sperare requiritur futuritio obiecti prudenter apprehensa, vt dictum est; quę in casu reuelationis non manet. Paulò aliter dici potest, quòd talis homo possit saluari loquendo de salute speculatiuè, non verò practicè possibili; sed est idem dicere. Ex dictis facilè soluuntur hæ instantiæ. 1. Possibilitas salutis petit possibilitatem mediorum: Sed inter hæc est Spes. Ergo. 2. Ordinatus ad salutem æternam, etiam est ordinatus ad Spem eius. Ergo.

Ad 6. N. conf. Disparitas est: Quia hæretici possunt errores suos relinquere, & fidem veram tam quàm spei regulam, ac basim amplecti, & sic obiectum spei sub ratione futuri attingere: at ille, cui facta est à Deo absoluta reuelatio suæ damnationis, hanc notitiam non potest deponere, quia tenetur Deo credere: ideòque Beatitudinem sub ratione futuri non potest prudenter apprehendere. Notandum hìc, quòd si homo, de quò agimus, reuelationi diuinæ non crederet, fieret infidelis, & amitteret Fidem circa omnia alia credibilia, qui enim vnum Fidei articulum sufficienter propositum negat, omnes, & totam Fidem negat, vt probatum est suprà. *Ad 7. N. conf. ad prob. N. ant.* si enim Deus velit hominem obligare ad aliquem actum, saltem aliquod auxilium sufficiens illi dare debet. Ad illud de Breuiario dico esse verum, quamdiù non retractatur mala voluntas, quà seriò retractata, abiectio Breuiarij non est amplius voluntaria.

Ad conf. N. ant. ad prob. part. dist. ex R. ad 3. oppos. Ex hactenus dictis facilè soluuntur hæ instantiæ: 1. Suppositâ dicta reuelatione homo tenetur adhuc se amare, se non perdere, immineus maximum malum cauere, cùm non sit Dominus vitæ corporis, vel animæ. Ergo tenetur adhuc quærere Beatitudinem: Sed hæc quæritur sperando. 2. Physicè prædeterminatus ad aliquem actum retinet potentiam antecedentem ad oppositum, immò etsi physicè esset prædeterminatus ad desperandum, potest adhuc, & tenetur adhuc sperare. Ergo, & in hoc casu. *Prob. conf.* Quia prædeterminatio fortius mouet, quàm mera externa reuelatio. 3. Qui per diuinam reuelationem esset certus de præmotione physica, sibi deneganda ad præcepti impletionem, adhuc tenetur implere. Ergo similiter. 4. Si Deus absolutè alicui reuelaret, quòd non sit facturus restitutionem rei furtim ablatæ, talis adhuc teneretur restituere. Ergo similiter. 5. Qui habet habitum Spei Theologicæ, potest sperare: Sed talis homo, quamdiù est in gratia, habet habitum Spei Theologicæ formatę, cùm hęc sit proprietas Gratiæ sanctificantis. Ergo.

* 13 QUÆRO VIII. Quandonam obligat præceptum Spei? Reuideantur, quæ dicta sunt in hoc *T. E. 2. ad Q. 2. Resp.* 1. Homo in primo instanti vsus rationis (vt suprà probauimus) tenetur sibi præfinire vltimum finem, & se, & omnes suos actus, *fidem, spem, & amorem* suum illi consecrare, adeòque & actum Spei elicere, cuius præceptum hæc per se obligat.

Resp. 2. Præceptum Spei per accidens obligat. 1. Quoties volumus Deum orare, vel de peccatis pœnitere, quia hos virtutum actus sine Spe non possumus debitè exercere. 2. Quando grauem tentationem desperationis non possumus aliter vincere. 3. Quando quis resipiscit à nefando desperationis flagitio, tenetur actum Spei elicere, vt horrendum peccatum retractet. 4. In receptione cuiuslibet sacramenti, quia per illud gratiam consequitur, quæ proindè speranda est, cuius tamen actus omissio non est speciale peccatum in Confessione exprimendum. Tandem bonus Christianus crebrò in actum Spei prorumpere debet.

* 14 *Peccatne*, qui Deo libenter cedens cœlum, desiderat perpetuò manere in terra? *Dico*: Si deliberatè id desideret, peccat mortaliter contra præceptum Spei diuinæ, quà quidem homo obligatur Deum, & diuina præ omnibus sibi concupiscibilibus concupiscere. Sæpè homo talem actum elicens, vel est Atheista, vel Atheismo vicinus.

Pro-

Præsumptio.

Alterùm vitium, quòd Spei opponitur per excessum, est Præsumptio, de quò vide T. 5. E. 5. n. 10. & de eò agit S. D. hìc Q. 21.

* 15 QUÆRO IX. Quid est Præsumptio, & an peccatum? *Resp.* 1. Præsumptio importat quandam immoderantiam, seù excessum spei; & definitur, quòd *sit vitium, vel actus voluntatis, quò bona supernaturalia inordinatè expetuntur*, v. g. gratia, gloria, & similia. *Sicut* (vt ait S. D. *art.* 1. *in c.*) *cùm aliquis sperat, se veniam obtinere sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis.*

Resp. 2. Cum S. Thom *ibid.* subdente. Hæc præsumptio est propriè species peccati in Spiritum Sanctum, quia scilicèt per huiusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adiutorium Spiritus Sancti, per quòd homo revocatur à peccato. S. D. *art.* 2. *in c.* hoc magis explicat dicens: Præsumptio habet se conformiter intellectui falso, sicut & desperatio. Sicut enim falsum est, quòd Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quòd peccantes ad pœnitentiam non convertat, ita falsum est, quòd in peccato perseverantibus veniam concedat, & à bono cessantibus opere, gloriam largiatur, cui existimationi conformiter se habet præsumptionis motus. Et ideò præsumptio est peccatum, minùs tamen quàm desperatio, quoniam magis proprium est Deo, misereri & parcere, quàm punire, propter eius infinitam Bonitatem; illud enim secundùm se Deo convenit, hoc autem secundùm nostra peccata. Ita S. Thomàs.

Et ad 2. *ibid. ait*: Præsumptiò non importat super excessum spei ex hoc, quòd aliquis nimis sperat de Deo (cuius potentia, & misericordia est infinita) sed ex hoc, quòd sperat de Deo aliquid, quòd Deo non convenit. *Et ad* 3. *dicit*: Peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ, ad præsumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendè, cum proposito abstinendi à peccato, & pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis, sed hoc peccatum diminuit: quia per hoc videtur habere voluntatem minùs firmatam ad peccandum. Hæc ibi.

Essetne peccatum præsumptionis, & specialiter in Confessione exprimendum, peccatum grave iterare ideò, quia primum simile admisit, eadem opera expiandum? *Dico*: Quòd sit gravis præsumptio, & circumstantia necessariò exprimenda. *Ratio*: Quia talis præsumit, & sibi pollicetur, quòd tam facilè plurium peccatorum mortalium remissionem sit accepturus, quàm vnius. Ergo. De Præsumptione etiam actum est suprà T. 5. E. 1. n. 10. Sed sub alia ratione.

EXAMEN V.

De Charitate, de qua S. Thomas agit q. 23. per 8. art. & de ordine diligendorum, de quo q. 26. per art. 13.

* 1 QUÆRO I. Charitas quid est, quòd obiectum eius, ac præceptum? *Resp.* 1. Charitas definitur, quòd sit virtus Theologica, qua voluntas Deum diligit tanquam summum bonum propter se, & proximum propter Deum. *Resp.* 2. Obiectum formale Charitatis tam *quòd*, seu terminativum, quàm *quo*, seu motivum, est sola Bonitas divina, non verò vt abstrahens à creata, & increata. *Ratio*: Virtus purè Theologica debet habere obiectum formale purè divinum: Sed Charitas est virtus purè Theologica, ergo. *Resp.* 3. Obiectum materiale primarium Charitatis est Deus, secundarium est proximus, nimirum homo, & Angelus Beatitudinis capax. *Ratio*: Quia Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Dixi, *Beatitudinis capax*, ad excludendos dæmones, & homines damnatos.

Resp. 4. Eadem specie virtus Charitatis est, qua Deus propter se, & proximus diligitur propter Deum. *Ratio*: Quia vtraque hæc dilectio habet idem obiectum formale, vt pulchrè explicat S. D hic *q.* 25. *art.* 1. vbi videatur. Quia ratio diligendi proximum est Deus.

* 2 *Oppono*: Iuxta S Thom. *infrà quæst.* 103. *art.* 3. Cultus *Latriæ*, quò Deum colimus, specie differt à cultu *Duliæ*, quò colimus Sanctos propter Deum. Ergo similiter. *N. conseq.* Disparitas est, quia respectu duliæ, quà colimus Sanctos propter Deum, Deus solùm est motivum extrinsecum; motivum enim intrinsecum est propria, & intrinseca Sanctorum excellentia: respectu verò dilectionis proximi divina bonitas se habet, vt motivum intrinsecum.

* 3 *Resp.* 5. Præceptum charitatis per se obligat omnem hominem in primo instanti morali vsus rationis. Pro quò revidenda sunt, quæ diximus de præcepto Fidei in hoc T. E. 2. *in R. ad Q.* 2. & Q. 4. Et Exam. præcedenti in R. *ad Q.* 8. de præcepto Spei.

* 4 *Resp.* 6. Præceptum Charitatis obligat, quotiescunquè est periculum labendi in odium Dei, nisi actus Charitatis eliciatur. *Item*, dum quis in peccato mortali existens non habens copiam Confessarij exponitur periculo vitæ, tunc enim tenetur elicere perfectam contritionem (cùm sine eà non possit salvari) hæc autem includit Charitatem *Item*, obligat quemvis constitutum in articulo mortis, & hoc ex præcepto naturæ, quò iubemur in eò articulo omni meliori modo animæ consulere; consulitur autem optimè per actum Charitatis. Tandem obligat in periculo alias succumbendi tentationi contra quamcunquè virtutem à Charitate distinctam.

* 5 QUÆRO II. Estne Charitas virtutum omnium præstantissima, & aliarum forma, ita vt nulla virtus possit esse sine illa? *Ante R. Not.* 1. ex S. Thom. 3. *p. q.* 50. *art.* 5. quòd, aliquid esse simpliciter tale, dupliciter intelligatur. 1 Quia est absolutè tale, id est, sine addito. 2. Quia est omnibus modis tale. Vnde fit, quòd aliquid simpliciter, seù absolutè sit perfectius altero, non tamen omnibus modis: aliquando verò, vtroquè modo. Sicut corpus incorruptibile simpliciter, & absolutè est perfectius corpore corruptibili, non tamen omnibus modis, quia corpus corruptibile potest informari ab aliquâ forma, modo quidem corruptibili, aut ita, vt forma in entitate excedat corpus incorruptibile, qualis forma est anima rationalis: econtra substantia spiritualis non solùm absolutè, sed omnibus modis est perfectior quàm corporea, nec sub vlla ratione ab ea exceditur. *Not.* 2. Charitatem posse dupliciter accipi. 1. In esse entis, sive in esse habitus, & qualitatis secundùm physicam entitatem. 2. In esse mo-

fit, & virtutis, & sub propria ratione Charitatis, seù amicitiæ erga Deum, & in quantum est radix meriti. *Not.* 3. Quòd perfectio entitativa habitus, vel actus, ex parte principij sumatur quidem ex modò, quò potentia procedit; quia tamen modus potentiæ ordinatur ad attingendum obiectum, completè, & adæquatè sumitur ex illo; provt terminatur ad obiectum, seù provt includit attingentiam obiecti, in quâ perfectio, & specificatio actus completur. His notatis.

Resp. 1. Charitas non solùm in genere moris, & virtutis, sed etiam in esse entis, est simpliciter absolutè perfectior Fide, aliisquè habitibus supernaturalibus, qui sunt in homine Viatore. 1. *Pars* est contra Lutherum, qui, cùm doceat hominem per solam Fidem iustificari, docèt, eam in esse moris esse perfectiorem charitate: sed obstant multa S. Scripturæ loca, vt 1. Cor. 12. & 13. *Maior horum est Charitas*, Matth. 22. &c. quæ loca saltem convincunt maiorem perfectionem in esse moris. *Ratio* 1. *partis est*: Inter virtutes Theologicas, & alias supernaturales illa simpliciter in esse moris est perfectior, quæ perfectius attingit Deum, iuxta S. Thom. *hic q.* 23. *art.* 6. *in c.* quæ hominem facit Deo gratum, bonum, & perfectum, tanquàm Christianæ perfectionis Summa, & ad quam ordinantur omnia præcepta, ac consilia tam Veteris quàm Novæ Legis, & à quâ procedit omne meritum. *Subsumo* 1. Sed Charitas perfectius attingit Deum quàm Fides, & Spes (idem consequenter est de alijs virtutibus) quia Fides attingit Deum in quantum ex ipso nobis provenit cognitio veri; Spes, secundùm quòd ex eò nobis provenit adeptio boni; Charitas verò sic attingit Deum, vt in ipso sistat, iuxta illud Ioann. 14. *Qui manet in Charitate, in Deo manet*. Ergo. *Subsumo* 2. Sed Charitas est Christianæ perfectionis Summa, est amicitia cum Deo, & de eâ dicitur 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti Charitas*, ab eâ procedit omne meritum, & vltima dispositio ad gratiam. Ergo.

Not. 3. Quòd duplex sit amor, vnus amicitiæ, seù benevolentiæ; alter amor concupiscentiæ. Primus est, quo quis vult bonum ipsi amato, seu terminatur ad bonum amici, vt bonum ipsius est, & hic est de ratione Charitatis, vt si amem Deum propter bonitatem, qua sibi, seu in se ipso; non verò qua mihi bonus est. Secundus est, quo quis vult bonum amici, in quantum redundat in bonum ipsiusmet amantis, & quasi in interesse ipsius.

Ratio 2. *partis* ex S. D. *pro* 1. *parte* iam est insinuata, quæ etiam probat de esse entis. Et quòd S. Tho. hanc excellentiam præ Fide attribuat Charitati, clarè patet: quia *art.* 6. *cit.* sibi hoc obijcit argumentum: Altioris potentiæ altior est virtus, sicut & altior operatio: Sed intellectus, in quo est Fides, est altior voluntate, in qua est Charitas. Ergo Fides est altior Charitate. Quòd argumentum, vt constat, loquitur de excellentia physica; vndè nisi S. Thom. agnosceret in Charitate maiorem perfectionem in esse entis, seu physicam, potuisset vnico verbo illud diluere, dicendo, non esse contra se, eò quòd agat solùm de maiore perfectione morali: noluit tamen hæc dicere, sed aliter respondet, dicens: *Operatio* intellectus completur secundùm quòd intellectum est in intelligente. Et ideò nobilitas operationis intellectualis attenditur secundùm mensuram intellectus. Operatio autem voluntatis, & cuius libet virtutis appetitivæ perficitur in inclinatione appetitus ad rem, sicut ad terminum; ideò dignitas operationis appetitivæ attenditur secundùm rem, quæ est obiectum operationis. Ea autem, quę sunt infra animam, nobiliori modo sunt in anima, quàm in se ipsis: quia vnumquodquè est in aliquo per modum eius, in quo est, vt habetur in libro de causis. Quæ verò sunt supra animam nobiliori modo sunt in se ipsis, quàm sint in anima. Et ideò eorum, quę sunt infra nos, nobilior est cognitio, quam dilectio. Propter quòd Philosophus in 7. *Ethic.* prætulit virtutes intellectuales moralibus. Sed eorum, quæ sunt supra nos, & præcipuè dilectio Dei, cognitioni præfertur. Et ideò Charitas est excellentior Fide. Hæc S. Thom. Quæ verba clarè probant de perfectione physica.

Iterum S. D. sibi obijcit aliud argumentum: Illud, per quòd aliud operatur, videtur esse inferius eo, sicut minister, per quem operatur dominus, est inferior domino: Sed *Fide per dilectionem operatur* ad Gal. 5. Ergo Fides est excellentior Charitate. Respondet dicens: *Fides non operatur per dilectionem sicut per instrumentum, vt dominus per servum, sed sicut per formam propriam. Et ideò Ratio non sequitur. Not.* Charitati non esse essentiale, quòd reguletur per Fidem, ac cognitionem obscuram, sed convenire hoc ei solùm per accidens pro statu viæ: Sed, quia est prima proprietas gratiæ sanctificantis (quæ est semen gloriæ) per se petit regulari lumine gloriæ, ac clara visione Dei. Ex quo solvitur hæc instantia: Regula est perfectior regulato: Sed Fides est Regula Charitatis. Ergo.

* 6 *Resp.* 2. Simpliciter vera virtus sine Charitate esse non potest. Ita S. D. hic *q.* 23. *a.* 7. *Ratio* S. D. *est*: Virtus vera simpliciter est illa, quæ ordinat ad principale bonum hominis, nimirum ad vltimum finem; sicut etiam *Philosophus in* 8. *Ethic. dicit*: Quòd virtus est dispositio perfecti ad optimum: Sed sola Charitas ordinat hominem simpliciter, & perfectè ad vltimum finem verum, ab hoc enim homo in peccato mortali existens est aversus. Ergo.

In *R. ad* 1. *ibidem* ait S. D. Sine Charitate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfectè bonus, quia deest debita ordinatio ad vltimum finem. Plura de his dicta sunt supra T. 4. *E.* 1. ad *Q.* 9.

* 7 *Resp.* 3. Charitas est omnium aliarum virtutum forma. Ita S. D. *art.* 8. *Ratio eius est*: In moralibus, quòd actui dat ordinem ad finem, dat ei, & formam, quia finis est obiectum, & quasi forma voluntatis, quæ est principium actuum moralium: sed, vt dictum est, per Charitatem omnium aliarum virtutum actus ordinantur ad vltimum finem. Ergo ipsa dat formam aliarum virtutum actibus, seù est virtutum forma, non quòd sit forma essentialis, vel exemplaris, sed magis effectiva, vt ait S. D. *ad* 1. in quantum ab eâ imperantur ad finem Charitatis. Et in hoc sensu Charitas etiam dicitur aliarum virtutum finis, vt ait *ad* 3. Et sub alia diversa ratione dicitur earum fundamentum, & radix, in quantum nimirum ab eâ sustentantur, & nutriuntur, vt inquit *ad* 2.

* 8 QUÆRO III. Charitas amittiturne per vnicum peccatum mortale? *Resp.* affirmat, cum S. Thoma *hic q.* 24. *art.* 12. *Ratio eius est*: Vnum contrarium per aliud contrarium superveniens tollitur: sed quodvis peccatum mortale contrariatur Charitati secundùm propriam rationem, quæ consistit in hoc, quòd Deus diligatur super omnia, & quòd homo totaliter se illi subijciat, omnia sua referendo in ipsum. Ergo impossibile est simul stare in eodem.

QUÆ-

* 9 QUÆRO IV. Quem ordinem ſervat Charitas inter diligendos, ſeu quem debet magis diligere? De hoc S. D. agit hic *q.* 26. *per* 13. *art.* Ante *R. Not.* 1. quòd, magis diligi, poſsit contingere dupliciter. 1. *Magis* intenſivè, quando nimirum quis fortiori conatu, ac maiori feruore diligit vnum quam alium; quæ maioritas penſatur ex parte ſubiecti amantis. 2. *Appretiativè*, quando nimirum quis ita diligit vnum præ alio, vt paratus ſit potiùs alium relinquere, quàm huic diſplicere, & eum offendere; ſicque hæc maioritas penſatur ex parte amici amati, iuxta maiorem æſtimationem eius. Sicut ſubinde aliqua domicella intenſivè magis amat catellum quàm pretioſam gemmam, aſt hanc, magis appretiativè.

Not. 2. quòd per proximum intelligatur omnis homo capax beatitudinis, ſive is ſit *Gentilis*, *Indus*, *Turca*, *hæreticus*, ſive *Catholicus*, ſive *inimicus*: & hunc proximum tenetur homo diligere ſicut ſeipſum. Quæ dilectio conſiſtit in duobus. 1. *Vt quis* erga ipſum habeat interiorem affectum propter noſtram ſimilitudinem, & propter præceptum Chriſti. 2. *Vt illius* bonum procuremus, & impediamus malum, quando commodè poſſumus; vt magis patebit in ſequentibus. His notatis.

Reſp. 1. Licèt Charitas ex natura ſua inclinet ad diligendum Deum magis intenſivè, quàm ſeipſum, & proximum; de facto tamen, & in exercitio aliquando inclinat ad diligendum magis intenſivè ſeipſum, & proximum, ac ideò non obligat, vt Deum diligamus magis intenſivè. *Ratio* 1. *p. eſt*: Omnis habitus ex natura ſua immediatiùs, & intenſiùs inclinat in obiectum primarium, quàm in ſecundarium, & Charitas ex ſua natura inclinat ad magis diligendum id, quòd eſt melius, & diligibilius: Sed Deus eſt obiectum primarium Charitatis, & melius; proximus verò eſt obiectum ſecundarium. Ergo.

Ratio 2. *p.* Homo habens Charitatem poteſt maiori feruore, non ſolùm ex proprijs viribus, ſed etiam ex Charitate cauſato, conari ad dilectionem ſui ipſius, & proximi, quàm Dei, qui eſt ratio formalis diligendi proximum. Ergo. *Prob. ant.* Intenſio dilectionis non eſt attendenda per comparationem ad rationem diligendi, ſed per comparationem ad ſubiectum, ſeu hominem, qui diligit. Ergo. *Ant.* eſt S. Thom. hic *q.* 26. *art.* 7. *in c.* Et patet: quia aliàs cum eadem intenſione dilectionis Dei, non poſſet vnus proximus ex Charitate intenſiùs diligi, quàm alter, quia reſpectu vtriuſque eſt eadem ratio formalis diligendi: Sed hoc eſt falſum. Ergo. *Declaratur vlteriùs*: Licèt Charitas ſecundùm ſe conſiderata ſemper inclinet ad intenſiùs diligendum Deum, quàm ſe ipſum, & proximum, non tamen conſiderata vt nobis infuſa, quia nobis infunditur iuxta modum noſtrum, qui eſt operari liberè; proinde poſſumus habitu Charitatis in exercitio interdum erga Deum remiſsiùs vti, quàm erga proximum, manente radicali inclinatione ad diligendum intenſiùs Deum. Idem patet in alijs habitibus. Ex his ſolvi poteſt hæc inſtantia: Quòd rei convenit ex natura, ſemper ei convenit. Item habitus magis inclinat erga obiectum formale, quàm materiale: Sed Charitati ex natura convenit magis inclinare erga Deum, & Deus eſt obiectum eius formale, proximus verò eſt obiectum materiale. Ergo. *Ratio* 3. *p. eſt*: Præceptum Charitatis ad ſui impletionem nullam requirit determinatam intentionem, ſed impletur actu quantumvis remiſſo veræ dilectionis Dei, quia per eum homo adhæret Deo tanquam vltimo fini, & vt loquitur Apoſt. 1. Cor. 6. *efficitur vnus Spiritus cum eo*. Et certè oppoſita ſententia requirens actum intenſiſsimum, hominem ſubijcit multis ſcrupulis, cùm talis actus non bene poſsit cognoſci. Ergo.

* 10 *Reſp.* 2. Homo obligatur ex Charitate plus appretiativè diligere Deum, quam ſeipſum, & proximum. Eſt de Fide, & inculcatur in variis Sacræ Scripturę locis. *Ratio*: Homo obligatur ex Charitate diligere Deum ſuper omnia: Sed non poteſt Deum diligere ſuper omnia, niſi ipſum diligat plus *appretiativè*, quàm ſe ipſum, & proximum, qui enim creaturam pluris æſtimat, quàm Creatorem; non diligit eum ſuper omnia. Ergo.

* 11 *Reſp.* 3. Ex Charitate magis diligendi ſunt, qui nobis ſunt coniunctiores, quàm qui his ſunt meliores. Ita S. D. *q.* 26. *a.* 7. *Ratio*: Licèt meliores actu plus participent rationem diligendi, ſcilicet bonitatem ſupernaturalem, & coniunctionem cum Deo, ij tamen, qui ſunt nobis coniuncti illa ratione non carent, & inſuper in eis invenitur vinculum naturale conſanguinitatis, vel quia concives ſunt, quòd Charitas etiam reſpicit. Ergo.

Not. Quòd tota præſens doctrina de ordine Charitatis ſolùm intelligatur, quantum eſt ex parte Charitatis, & rebus ipſis ſecundùm ſe conſideratis: nam ex aliqua circunſtantia fieri poteſt, vt ordo ille non ſit ſervandus. *Item* intelligitur de neceſsitate extrema, extra hanc enim licet ordinem præterire, & interdum maius bonum velle amico, quàm parenti, aut fratri, dummodo homo non deficiat in exercitio debito ſecundùm præceptum aliarum virtutum, ſcilicet Orationis, Eleemoſynæ, &c. in quibus Charitas ordinem ponit. Unde hic ſolùm determinatur, quiſnam in extrema neceſsitate ſit magis diligendus, ita vt ei præ alio in conſimili neceſsitate conſtituto ſit ſuccurrendum.

* 12 *Reſp.* 4. Parentes, & filij ſunt magis diligendi quàm quivis alius, licèt ſit inſignis benefactor, qui eum à morte, aut alia gravi calamitate liberavit. *Ratio*: Inhumanum videtur relinquere patrem bonum, aut filios pios, & ſubvenire amicis particularibus quantumlibet magis; vt enim ait S. Thom. infrà *q.* 21. *a.* 3. *ad* 3. nullius benefactoris beneficium eſt tantum ſicut Parentum, & ideò parentes in compenſandis beneficijs ſunt omnibus alijs præferendi, niſi neceſsitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio. Ergo. Deinde licèt parentes nihil debeant filijs, ſed filij parentibus, filij tamen ſunt aliquid parentum. Ergo ſicut quilibet, cuicunque benefactori debet præferre ſeipſum, ita & filium.

* 13 *Reſp.* 5. Per ſe loquendo magis diligendus eſt pater, quàm mater, & pater carnalis magis, quàm ſpiritualis, & pater magis, quàm filius. *Ratio* 1. *p. eſt*, vt arguit S. Thom. *a.* 10. Pater, & mater amantur, vt principia quædam naturalis originis: Sed pater habet excellentiorem rationem principij vtpotè agentis, quàm mater, quæ eſt principium per modum paticnis, & materiæ. Ergo. Hoc intelligendum eſt, ait S. Thom. *ibid. in c.* per ſe, nimirum de patre in quantum pater eſt, quia per accidens poteſt fieri oppoſitum, vt in intercurreret ratio boni communis, aut mater eſſet valde benefica erga filios tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus; pater verò vitioſus, & circa curam filiorum negligens.

Ratio 2. *p.* Licèt Religioſus in exercitijs ſpiritua-

cis debeat magis cooperari Patri spirituali, quàm carnali, extra tamen hæc exercitia maiori debito obstringitur Patri carnali, quàm spirituali: quia ratio debiti gratitudinis, & pietas erga Patrem carnalem longè antiquior est, quàm erga Patrem spiritualem. Ergo priùs solvenda est, dum tempus occurrit, modò Religiosus non deficiat in exercitijs spiritualibus sui status erga Patrem spiritualem. Idem dicendum est de Fratribus spiritualibus, & carnalibus. *Ratio 3. p.* Tum quia pater filio communicat propriam speciem: Sed ex hac communicatione nascitur maius debitum diligendi patrem. Ergo. *Tum* etiam, quia, licèt filius sit aliquid patris, non tamen est ipse pater. Ergo licèt quis in casu necessitatis non teneatur deserere seipsum propter patrem, bene tamen filium.

* 14 *Resp. 6.* Pater, & mater sunt magis diligendi, quàm vxor, hæc tamen magis diligenda est, quàm filius. Ita S. D. *art. 12. Ratio*: In primis debitum erga parentes est antiquius, & ratio boni, quæ est obiectum dilectionis, eminentior est in parentibus, quia hi diliguntur sub ratione principij. Ergo pater, & mater magis diligendi sunt, quàm vxor. Deindè vxor diligitur, vt comprincipium ad filiorum procreationem, filius autem diligitur vt effectus: sed comprincipium habet rationem excellentioris boni, quàm effectus. Ergo vxor est magis diligenda, quàm filius.

* 15 *Oppono 1.* Nullus dimittit rem aliquàm, nisi pro re magis dilecta: sed *Gen. 2.* dicitur, quòd propter vxorem relinquet homo Patrem, & Matrem. Ergo magis debet diligere vxorem. 2. *Apost. ad Ephes. 5.* dicit, quòd viri debent diligere vxores sicut se ipsos: sed homo debet magis diligere seipsum, quàm Parentes. Ergo & vxorem.

Vtrumque solvit S. Thom. *art. 11.* dicens: Non quantùm ad omnia deseritur Pater, & Mater propter vxorem; in quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quàm vxori; sed quantùm ad vnionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis parentibus homo adhæret vxori. In verbis Apostolicis non est intelligendum, quòd homo debeat diligere vxorem suam æqualiter sibi ipsi, sed quia dilectio, quàm aliquis habet ad seipsum, est ratio dilectionis, quàm quis habet ad vxorem sibi coniunctam. Hæc S. D.

* 16 *Resp. 7.* Benefactor insignis, qui aliquem à morte, aut alia gravi calamitate, cum ingenti periculo vitæ, aut magnis suis expensis liberavit, magis diligendus est, quàm frater, soror, aut consanguineus *in 2. & 3. gradu. Ratio*: Maior ratio debiti est erga talem benefactorem, quàm erga quemcumque consanguineum. Ergo. *Ant. prob.* Ibi est maior ratio debiti, vbi est maior ratio boni, quæ est formalis ratio diligendi: sed maior ratio boni est in tali benefactore, quàm in consanguineis. Ergo. *Alia prob.* Ibi est maior ratio boni, vbi est ratio principij: sed hæc est in benefactore, quia beneficiatus est quasi quoddam opus benefactoris, vndè consuevit dici de aliquo: Iste est factura illius, ait S. Thom. *art. 12. in c.* Ergo.

* 17 QUÆRO V. Sunne peccatores, & inimici diligendi, & quæ dilectionis signa eis exhibenda? *Resp. 1.* Peccatores sunt ex Charitate diligendi. Ita S. D. *hic q. 25. art. 6.* iuxta distinctionem mox dandam. *Ratio S. D. est*: S. Aguſt. dicit in *1. de Doct. Christ.* Cùm dicitur, diliges proximum tuum, manifestum est, omnem hominem, nimirùm gratiæ, & beatitudinis capacem, proximum esse: sed peccatores non desinunt esse homines, quia peccatum non tollit naturam. Ergo. *Declaratur* hoc S. Th. dicens: In peccatoribus duo possunt considerari, scilicèt natura, & culpa; secundùm naturam quidem, quàm à Deo habent, capaces sunt beatitudinis, super cuius communicatione Charitas fundatur. Et ideò secundùm naturam suam sunt ex Charitate diligendi, sed culpa eorum Deo contrariatur, & est beatitudinis impedimentum. Vndè secundùm culpam sunt odiendi quicunquè peccatores etiam Pater, & Mater, & propinqui, vt habetur. Luc. 14. Hæc S. Doct.

Et iuxta hoc explicat illud Psal. 118. *Iniquos odio habui*, id est, in quantum iniqui sunt, seù iniquitatem ipsorum. Et hoc est perfectum odium, de quò Psal. 138. *Perfectio odio oderam illos.* Ita in *R. ad 1.* In *R. ad 2.* docèt S. D. quòd, quando peccatores in maximam malitiam incidunt, & inſanabiles fiunt, de quibus magis præsumitur aliorum nocumentum, quàm eorum emendatio, secundùm legem divinam, & humanam præcipiantur occidi. Et tamen hoc facit Iudex non ex odio ipsorum, sed amore Charitatis, quò bonum publicum præfertur vitæ singularis personæ. Ex quò intelligitur sensus illius Exod. 23. *Maleficos non patieris viuere*.

In *R. ad 3.* explicat S. Thom in quò sensu Sancti peccatoribus optant mala, iuxta illud Psalm. 9. *Convertantur peccatores in infernum.* Et ait, posse intelligi tribus modis; vno modò per modum *prænuntiationis*, non per modum optationis, vt sit sensus: Convertantur peccatores in infernum, id est, *convertentur*. Alio modò per modum *optationis*, vt tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad iustitiam puniendi, secundùm illud Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam*; quia nec ipse Deus puniens lætatur in perditione impiorum, vt dicitur *Sap. 1.* sed in sua iustitia, quia iustus Dominus, & iustitias dilexit. *Tertiò*, vt desiderium referatur ad remotionem culpæ non ad ipsam pœnam; vt scilicet peccata destruantur, & homines remaneant. Hæc S. D. *In R. ad 5.* S. D. explicat, *quomodo liceat cum peccatoribus conuiuere*; & dicit, hoc infirmis quidem est vitandum propter periculum, quòd eis immineat, ne ab eis subvertantur; perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile est, quòd cùm peccatoribus conuersentur, vt eos convertant. Sic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, vt dicitur *Matth. 9.* conuictus tamen à peccatorum, quantùm ad consortium peccati, vitandus est omnibus. Et sic dicitur *2. Cor. 6. Exite de medio eorum, & immundùm ne tetigeritis*, scilicet secundùm peccati consensum. Hæc S. D.

* 18 *Resp. 2.* Probabiliùs est, quòd ex præcepto naturali omnes teneamur diligere inimicos nostros, eisque exhibere signa dilectionis communia, non tamen specialia, nisi in præparatione animi, & casu necessitatis. Hæc S. D. *q. 25. a. 8. & 9.* Intelligitur proportionabiliter iuxta mox dicta, & patet ex multis Sacræ Scripturæ locis, in quibus mònemur, & iubemur non quærere vltionem, oblivisci iniuriæ, non reddere malum pro malo. Et specialiter *Matth. 5.* dicit Christus: Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed circa hunc textum.

Notes 1. Christum non voluisse dicere, quod apud aut quos fuerit lex, aut legi inditum, quod inimici sunt odio habendi, sed dicendo, audistis, quia dictum est antiquis, &c. significare voluit, quod

aliqui Iudæi ex illo *Lev.* 9. diliges amicum, inculerint hanc consequentiam: Ergo odio habebis inimicum tuum, contra illud *Exod.* 23. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. Si videris asinum inimici tui iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eò. Quia ergo Iudæorum illatio pessima fuit in lege veteri, non aliqui concessum fuit odium inimico, quàm in lege Nova, sedequè prohibitum in sensu explicando, nimirum vt inimicus est. Vndè Christus, dicendo: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, non correxit legem, cum nulla fuerit lex de Inimicis odio habendis, sed correxit malum intellectum legis.

Not. 2. ex S. Thom. *q.* 25. *art.* 8. circa sensum Responsionis 2. inimicum posse dupliciter considerari. 1. Vt inimicus est, faciens cum peccato aliquòd malum proximo. 2. Vt est proximus, seù homo, & contrarer, eiusdem naturæ consors, & beatitudinis capax. Primo modò inimicum non esse diligendum, certum est, quia hoc esset velle malitiam eius: vndè loquimur de 2. modò.

Not. 3. Signa dilectionis, & beneficia, alia esse communia, quæ nimirum quibusvis hominibus communiter exhibentur, vt sunt communes orationes, communes eleemosynæ, mercium expositarum venditio, distributio bonorum communium, sive hæc fiant ex debito, sive ex mera liberalitate, v. g. totum aliquòd collegium, vel familiam invitando ad prandium: item resalutatio, responsio, &c. vel, vt alij loquuntur communia dilectionis signa sunt, quæ Christiano debentur à quovis Christiano in communi, concivi à concive, cognato à cognato, &c. Specialia dilectionis signa sunt, quæ præstantur determinatis personis, aut singularibus amicis, v. g. salutare, alloqui, ægrotum invisere, mœstum consolari, hospitio excipere, familiariter cum aliquò agere, vinum vini, vt Germanis solemne est, in camara charitatis propinare. Cæterùm supponitur hìc, quòd ob aliquas circunstantias occurrentes, v. g. ratione scandali, &c. contingere possit, quòd teneatur inimico maiora dilectionis signa exhibere, quàm præceptum charitatis absolutè, & secundùm se (qualiter de eò loquitur *Resp.* 2.) præscribat. His notatis: 1. *pars*, quòd scilicèt teneamur diligere inimicos, patet ex adductis verbis Christi.

2. *Pars*, quòd scilicèt teneamur præcepto naturali, patet ex illo Legis naturæ principio, *Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nemo autem vult, vt sibi reddatur malum pro malo à particulari homine, sed vt sibi in necessitate existenti succurratur. Vndè, & ipsi infideles hanc obligationem non ignorant, vt patet ex *lib.* 28. Dialogorum Platonis, vbi ait: *Nulli faciendum est malum, etiamsi ab ipso passus sis iniuriam.* Ex quò clarè patet, quòd aliqui malè distinguant, dicentes, quòd de dilectione inimicorum solis perfectis detur præceptum, minoribus autem solùm consilium: patet, inquàm, quia à præceptis naturæ nemo eximitur.

Item, patet solutio huius instantiæ: Vnaquæque res naturaliter odio habet id, quòd est sibi contrarium: sed inimici sunt nobis contrarij. Ergo. *Min.* enim est vera de inimicis in quantum sunt inimici, non verò vt sunt homines, & beatitudinis capaces, vt distinguit S. Thom. *art.* 8. *ad* 2.

3. *Pars*, quòd scilicèt teneamur inimicis exhibere communia signa dilectionis, est S. Thom. *q.* 25. *art.* 9. *dicentis*, & *eam sic probantis*: Sunt quædam signa, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, puta, cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut aliquòd beneficium impendit toti Communitati, & talia inimicis exhibere est de necessitate præcepti, si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ. Ita S. D. Idem patet ex adducto principio Legis naturæ: *Quòd tibi non vis fieri, &c.* Nos autem vellemus nobis exhiberi communia signa dilectionis. Immò esset occasio de novo scandalizandi, tum alios id advertentes, tum ipsum inimicum, odij fomitem ei subministrando.

Vltima pars de signis specialibus est etiam S. Th. *art. mox citato*, vbi subdit: Alia sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis, & talia inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi, vt scilicèt subveniatur eis in articulo necessitatis secundum illud, Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, cibà illum, si sitit, dà illi potum*: sed quòd propter articulum necessitatis huiusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis. Hæc S. D. *Ratio etiam est*: Quia specialia dilectionis signa actu, & extra casum necessitatis est nobis liberum (secluso scandalo) exhibere, cui volumus, nec tenemur exhibere etiam ijs, qui non sunt inimici, nec offendimus illos eà non exhibendo: Ast in præparatione animi, & casu necessitatis tenemur eà exhibere omni proximo. Ergo & inimico.

* 19 Ex dictis sequuntur hæ resolutiones. 1. Si tibi obvier inimicus tuus, non teneris illum salutare, vel alioqui, quia hæc sunt signa dilectionis specialia, & actus liberi inter personas æquales conditionis. Et licèt inimicus sit aliàs valdè notus, aut coniunctus, negatio allocutionis, aut salutationis non esset peccatum mortale, quia solùm opponitur affabilitati, quæ ad venialem obligat. Hoc autem solum est verum per se loquendo, quia ex circunstantijs posset esse mortale; si inimicus cederet in magnam iniuriam, aut alij scandalizarentur, aut si salutatione posset quis inimicum sibi, & Deo reconciliare.

2. Si inimicus tibi obvians te salutet, teneris eum resalutare, eò quòd hoc spectet ad communia amoris signa; nisi inimicus esset notabiliter inferioris conditionis, vt servus respectu viri Nobilis, filius respectu Patris, subditus respectu Prælati, tunc enim præsumendum est talem negationem non fieri animo malevolo. Sed in his omnibus opus est prudentia, & circunspectione circumstantiarum, quia alij ordinariè indè sumunt malum exemplum, præsertim si plures adsint, & resalutentur omnes excluso inimico.

3. Qui toti Communitati præstat beneficium, non potest excipere inimicum, quia ipsi, in quantum est pars Communitatis, competit ius gaudendi beneficijs communibus, nisi fors etiam plures excluderentur non inimici, tunc enim etiam inimici sine scandalo possunt excludi, vel etiam, nisi qui beneficium præstat, sit Iudex, vel Prælatus, qui potest delinquentem punire, excipiendo illum, si delictum sit tale, vt tali mereatur privari gratia.

4. Si inimicus tuus sit in extrema indigentia, teneris ipsum alere, exsipitur inimicus Reipublicæ iniustum contra eam bellum gerens, quem, quando potsis occidere, alere non teneris, nisi quando sunt induciæ in bello, tunc enim licèt eum occidere.

5. *Si inimico tuo*, qui verè & non ex vana tua apprehensione talis est, desideres aliquod malum temporale (quòd non sit iusto gravius) in quantum ipsi conducit, *v. g.* morbum, vel adversitatem, vt emendetur à peccatis, & nullatenus ex vindicta, non est peccatum; si verò ex vindicta super eum ores Psalmum 108. mortaliter peccas. 6. *Quarere* vindictam inimici publicam, non ex livore, sed ex zelo iustitiæ, & boni communis, & sclusa scandalo est omnino licitum, modo omnis pravus affectus sit depositus, nec extra iudicium enm ullo modo lædas, sive in fama, sive in rebus externis; hoc enim non licet. 7. *Si deposito* interiori odio ex eius aspectu, memoria, vel illatæ iniuriæ mentione insurgat aliquis motus, seu passio indeliberata, non est peccatum, vel ad summum veniale; quæ tamen potest fieri mortalis, si procederet ex renovato interno gravi odio.

* 20 QUÆRO VI. Quis modus reconciliandi Inimicos? *Resp.* 1. Is, qui proximum offendit, tenetur proxima occasione pro ratione circumstantiarum loci, temporis, personarum, negotiorum, omnibus postpositis procurare reconciliationem. Hoc est expressum Domini præceptum Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri suo, &c.*

Resp. 2. Si vterque offendit, seu læsus, is, qui prior causam dedit, provocando alterum, prior esse debet in procuranda reconciliatione; ad quam procurandam per se loquendo, nisi aliæ circumstantiæ adsint, non tenetur ille, qui planè non læsit, sed solùm læsus est. Ita constat ex citatis verbis Christi, *Si frater tuus habet aliquid adversum te*, id est, si eum læsisti, offendisti, &c.

Resp. 3. Qui læsus est, tenetur reconciliationem rationabiliter oblatam acceptare. Ita iubet Deus Luc. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.* Dixi *rationabiliter oblatam*, quòd sit, quando, qui offendit, agnoscit culpam, deprecatur pro modulo suo, & loci consuetudine, paratus damnum illatum resarcire, &c.

Resp. 4. Si offensus videat inimicum suum esse omnino obstinatum, nec posse vllatenus induci, vt ipse prior de reconciliatione agat, videtur offensus in eo casu teneri per accidens, & ad tollendum scandalum, vel si ex alio capite hoc esset inimico debitum, ad id teneri, *vt vincat in bono malum*, iuxta præceptum Apost. Rom. 12.

Resp. 5. Si offensus etiam in casu debiti talia deneget inimico, non statim condemnandus est peccati mortalis, si nimirum solùm neget ex aliqua animi aversione, sine periculo gravis scandali, vel damni, & non ex gravi interno odio, quo grave malum desideret ei, qui læsit. In his omnibus Confessario magna opus est prudentia; nec potest vna certa regula statui.

* 21 QUÆRO VII. Estne magis meritorium diligere inimicum; quam amicum? *Ante R. Not.* Si dilectio inimici procedat ex Charitate intensa, amici verò ex Charitate remissa, certum est, dilectionem inimici esse magis meritoriam: quæstio autem præsens est hæc, si tanta intentione diligatur inimicus, quanta amicus propter Deum, ita vt vterque actus sit intensivè æqualis, *v. g.* vt sex, & tota differentia solùm consistat in hoc, quòd vnus, qui diligitur, sit amicus, alter inimicus, quis horum actuum sit magis meritorius. Hoc notato.

Resp. simpliciter, & absolutè loquendo, seu per se, & cæteris paribus dilectio amici est melior, & magis meritoria quàm inimici. Ita S. Thom. hic *q.* 27. *a.* 7. *in c. Ratio S. D. est*: Ille actus simpliciter, & absolutè est melior, consequenter magis meritorius, qui est melioris, & excellentioris obiecti, & in quo est maior ratio virtutis; ad hanc enim sequitur maior bonitas, & ad hanc maior ratio meriti tanquam proprietas bonitatis: Sed sic est de dilectione amici. Ergo. *Min. prob. pro 1. parte*: Dilectio amici tendit in ipsum, quatenus est amicus tam Dei, quàm nostet in actu, dilectio verò inimici tendit in ipsum, quatenus est amicus tam Dei, quàm nostet, solùm in potentia: Sed amicus in actu est obiectum melius, & excellentius. Ergo. *Prob. eadem min. pro 2. parte*, scilicet, quòd in dilectione amici sit maior ratio virtutis: In eo actu est maior ratio virtutis, in cuius actu opposito est maior ratio peccati, quid gravius peccatum maiori virtuti contrariatur: Sed maior ratio peccati est in actu oppositio dilectioni amici, quàm inimici, vt docet S. Thom. a. 7. citato dicens: *Peius est odire amicum, quam inimicum*, Ergo.

* 22 *Oppone* 1. Diligere inimicum meretur mercedem, diligere verò amicum non meretur mercedem. Ergo primum est melius. *Prob. ant. pro 2. parte.* Matth. 5. dicitur: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Ergo. 2. *Tanto* aliquid est magis meritorium, quanto ex maiori Charitate procedit: Sed dilectio inimicorum procedit ex maiori Charitate. Ergo *Min. prob.* S. Aug. in Enchirid. c. 74. ait: *Diligere amicum est Charitatis imperfectæ, diligere inimicum est perfectorum filiorum Dei.* Et S. Chrisost. ait: *Tantum nobis non præstat pro amicis oratio, quantum pro inimicis deprecatio.* Et S. Bernard. explicans illud, Maiorem Charitatem nemo habet, &c. ait: *Tu, Domine, maiorem habuisti, quia pro inimicis vitam perdidisti.* Ergo.

3. *Vbi est maior* conatus ad bonum, ibi videtur esse maius meritu; quia vnusque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem, vt dicitur 1. *ad Cor.* 3. Sed maiori conatu indiget homo ad hoc, vt diligat inimicum, quia hoc est *difficilius*. Ergo. *Confirm.* Fortior est illa Dei dilectio, quæ animum hominis extendit ad remotiora: Sed inimicus est remotior ab amante, amicus verò coniunctior. Ergo.

Præterea Martyrium ideò dicitur excellentissimus actus Charitatis, quia Martyr agit rem difficillimam, nimirum, quia patitur mortem, quæ à Philosopho dicitur, *terribilium omnium terribilissimum*: Ergo excellentia actus debet pensari ex difficultate obiecti, non verò ex sola bonitate.

4. *Actus* virtutis heroicæ est magis meritorius quàm ille, qui non est talis: Sed dilectio inimici, non verò amici, est actus virtutis heroicę. Ergo. *Min. prob.* Si quis inimico benefaciat, miramur omnes. Ergo signum est, quòd sit, &c. 5. *Opera Consilij* sunt magis meritoria, quàm quæ sunt præcepti, vt communiter dici solet; Sed dilectio inimici solùm est de consilio, saltem extra necessitatem extremam, dilectio verò amici est de præcepto. Ergo

Antè solutiones audiantur verba S. Thom. *citat. ant. 7 in c.* Ratio diligendi proximum ex Charitate, Deus est. Cùm ergo quæritur, quid sit melius,

vel

vel magis meritorium, vtrùm diligere amicum, vel inimicum, dupliciter istæ dilectiones comparari possunt. Vno modò ex parte proximi, qui diligitur; alio modò ex parte rationis, propter quam diligitur. Primò quidem modò dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus & melior est, & magis coniunctus, vndè est materia magis conveniens dilectioni. Et propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est. Secundò autem modò dilectio inimici præeminet propter duò. Primò quidem quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quàm Deus, sed dilectionis inimici solus Deus est ratio. Quia præsupposito, quòd vterquè propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, scilicèt vsquè ad dilectionem inimicorum: sicut virtus ignis tantò ostenditur esse fortior, quantò ad remotiora diffundit suum calorem. Tantò ergo ostenditur Dei dilectio esse fortior, quantò propter ipsam difficiliora implemus. Sicut & virtus ignis tantò est fortior, quanò comburere potest materiam minùs combustibilem. Sed sicut idem ignis in propinquiora fortiùs agit, quàm in remotiora, ita etiam Charitas ferventiùs diligit coniunctos, quàm remotos. Et quantùm ad hoc dilectio amicorum secundùm se considerata est fervention, & melior, quàm dilectio inimicorum. Hęc S. D. qui per paritatem ignis fortiùs in propinquiora agentis dat aliam ad hoc probationem: ex cuiusquè verbis, vti & ex *Nor. antè R.* multa solvuntur argumenta; loquimur enim de dilectione amici per se, secundùm se, & absolutè spectato, ac cæteris paribus; nec negamus, dilectionem inimici aliquando posse esse magis meritoriam ex accidente (si nimirum procedat ex intensiore Charitate) & esse signum interdum laetitis maioris Charitatis: nos autem supponimus eius æqualitatem. Hoc præmisso.

* 23 *Ad* 1. *Oppos. N. min. Ad prob.* ait S. D. *art. citat.* Verbum Domini est per se intelligendum; tunc enim dilectio amicorum apud Deum mercedem non habet, quando propter hoc solum amantur, quia amici: & hoc videtur accidere, quando sic amantur amici, vt inimici non diligantur. Est tamen meritoria amicorum dilectio, si propter Deum diligantur, & non solùm quia amici sunt. Hæc S. D. *Ad* 2. & 3. patet ex dictis. *Min.* enim est vtrobique vera aliquando, non semper, quia circa duo obiecta, quorum vnum est difficilius altero, possunt versari actus intensivè æquales, & potest obiectum minùs difficile esse maioris bonitatis obiectivæ. Et sic explicantur Authoritates. Et in eodem sensu *Confirm. dist. mai.* Immò retorqueri potest ex paritate ignis fortiùs agentis in propinquiora.

Ad illud de Martyrio eodem modo *dist. ant.* nimirum quòd aliquando, non tamen semper sit actus excellentissimæ Charitatis, puta, imperatus ab ea, quia multi sancti Confessores sunt excellentioris Charitatis, quàm quidam Martyres. Hoc tamen verum est, quòd Charitas, dum est valde excellens, manifestiùs ostenditur in Martyrio, quàm in alia operatione, quàm Charitas imperavit. Unde non omnis actus virtutis difficilior est semper excellentior.

Ad 4. eodem modo *dist. min.* Itaque difficilia virtutum opera homines admirantur, & magnificant, quia ex illis maximè clarescit, quòd homo diligat Deum vt finem supernaturalem; faciliora verò virtutum opera non ita mirantur ob rationem oppositam, licèt fortè de facto fiant ex maiore dilectione. *Ad* 5. Transeat *mai. N. min.* vt patet ex *R.* 2. n. 76. in hoc *Exam.* Dixi, *transeat*, quia potest negari, nam S. Thom. infrà *q.* 184. *art.* 3. docet, quòd perfectio vitæ Christianæ per se, essentialiter consistat in observatione præceptorum dilectionis Dei, & proximi, instrumentaliter autem, & secundariò solùm in consilijs.

* 24 QUÆRO VIII. Licetne pro spirituali bono proximi subire, vel optare aliquod malum spirituale nimirum peccatum, aut gratiæ, vel beatitudinis carentiam? *Resp.* 1. Probabilius, & tutius est, quòd pro nullo bono spirituali etiam totius mundi licitum sit homini subire, vel optare aliquod malum culpæ, etiam venialis tantùm. Ita clarè S. Thom. hic *q.* 26. *art.* 4. in fine *C.* conformiter ad verba Apost. Rom. 3. *Et sicut aiunt quidam, nos dicere, Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est. Ratio*: Implicat esse licitum, & simul esse peccatum: Sed hoc sequeretur, vt patet consideranti. Ergo.

Oppono: Ex Regula Iuris: Ex duobus malis minus est eligendum: Sed culpa venialis est minus malum, quàm perditio totius mundi. Ergo. *Ad* hoc dico, hanc Regulam intelligi de malis pœnæ, & damni, quorum vnum necesse est fieri ab eodem eligente, ex his enim amplectendum est minus.

* 25 *Resp.* 2. Bona spiritualia consilij, seù supererogationis licèt, immò aliquando tenetur, quis omittere pro salute tam spirituali, quàm corporali proximi. *Ratio*: Quia ad talia opera aliunde homo minimè tenetur, vt supponitur. Ergo. Ex quò sequitur. 1. Preces ex devotione consuetas potest quis, & tenetur omittere, vt serviat infirmo. 2. Potest, & tenetur quis omittere ingressum Religionis ad subveniendum parentibus indigentibus, vel si sustentet multos pauperes, qui ob ingressum eius in Religionem maximam paterentur inopiam, nisi in sæculo manens versaretur in notabili periculo salutis spiritualis.

* 26 *Resp.* 3. Probabiliùs, & tutiùs est non solùm esse illicitum optare minùs diligi à Deo, vt alius magis diligatur, sed & esse illicitum, optare perpetuò carere beatitudine, & gratia Dei, vt alij eam obtineant, etsi beatitudinis carentia optetur salva Dei amicitia, & gratiæ privatio, vt non proveniens ex peccato.

Ratio 1. *partis*, quæ est S. Thom. citando pro 2. *parte* contra aliquos RR. Quamvis nullo præcepto teneamur ad perfectiorem Charitatem, ac excellentiores actus eius, & nullum sit peccatum, minùs diligere Deum, hoc tamen optare est aliquid desiderare contra ipsam Charitatis naturam, cuius prima inclinatio est, hominem, in quò est votre Deo, quæ vnio fit, tam quando homo diligit Deum, quàm cùm à Deo diligitur. *Subsumo*: Sed illicitum est optare aliquid contra naturam Charitatis. Ergo. *Confir.* Nunquàm licitum est à Deo petere, vt deneget auxilium ad ipsum magis diligendum: Sed optare minùs Deum diligere est idem, ac optare talem denegationem. Ergo.

Ex data ratione sequitur, etiam esse illicitum hunc actum: *Vtinam Deus ab æterno statuisset me minùs diligere, quàm alium.* Non tamen negatur, licitum esse gaudere, quòd multi in gratia, & gloria nobis præterantur, quia hoc nihil aliud est, quam sibi complacere de vel in ordine divinæ prædestinationis, vt ille impleatur: secùs est de primo actu. Ex quò patet alia ratio pro 1. *p.*

Secunda pars est contra D. Bern. *Serm.* 12. in Cant.

Cont. & nonnullos alios; docetur tamen cum prima parte a S. Thom. *q. 26. art. 4. etc.* vbi ait: Secundum naturam spiritualem debet homo magis se diligere post Deum, quàm quemcunquè alium, & hoc patet ex ipsa ratione diligendi. Nam Deus diligitur, vt principium boni, homo autem seipsum diligit ex Charitate secundùm rationem societatis in isto bono, consociatio autem est ratio dilectionis secundùm quandam vnionem in ordine ad Deum. Vndè sicut vnitas potior est, quàm vnio, ita quòd homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, quàm quòd alius associetur sibi in hac participatione. Et ideò homo ex Charitate debet magis se ipsum diligere, quàm proximum. Hæc S. D. *Ratio* patet ex verbis S. Thom. quia non licèt desiderare bonum divinum contra inclinationem Charitatis, quia hoc esset inordinatum: sed optare, perpetuò carere beatitudine, etiam salva amicitia, & privari gratia etiam privatione non proveniente ex peccato, vt alij eam habeant, est contra inclinationem Charitatis, hæc enim primò, & directè est ad vnionem cum Deo, quæ fit per gratiam, & beatitudinem, quâ vnione talis homo optaret carere. Ergo.

* 27 *Oppone* 1. contra hanc 2. *partem*: Moyses Exod. 32. pro populo ad Deum sic oravit: *Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, qui est liber vitæ, seù prædestinationis. Et Apostol. Rom 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*; anathema autem est idem, ac excommunicatio, seù separatio à Christo. Ergo. 2. Licitum est sibi optare malum pœnæ pro salute totius populi: Sed perpetua carentia beatitudinis (seù detentio æterna in Purgatorio) esset malum pœnæ. Ergo. 3. Licèt optare maius bonum neglecto minori: Sed salus æterna totius populi est maius bonum, quàm vnius hominis, & plus facit ad Dei gloriam. Ergo. 4. Homo debet eligere potius æternum pati in inferno pœnam damni, & sensus, salva Dei amicitia, quàm Deum offendere. Ergo idem potest eligere, ne totus populus Deum offendat, & pereat. 5. Licitus est hic actus: servirem Deo, licèt scirem mihi non esse dandum præmium. Ergo & hic: Opto, vt totus mundus sit in gratia Dei, & salvetur, & ego loco omnium salva Dei amicitia in æternum caream beatitudine.

Ad 1. S. Hieron. & Greg. intelligunt de libro viventium, non in Cœlo, sed in præsenti vita, *q. d. Aut dimitte populo, aut occide, & tolle me de hac vita.* Sed probabiliùs cum S. August. dicitur, quòd intelligitur de libro vitæ in Cœlo, seù prædestinationis, & sit ibi locutio per hyperbolem, quâ solùm significatur in Moyse vehemens desiderium salutis populi, non quòd verè optet deleri (hoc enim est impossibile) aut salutem suam, de quâ per revelationem erat certus, cum salute populi, commutari, sed vt hac phrasi aliqualiter patefaciat ingens desiderium salutis eorum. Vndè ex securitate familiaritatis cum Deo sic viriliter fuit argumentarus: aut dimitte eis, aut dele me, sed me non delebis. Ergo eis dimitte. Ita colligitur ex S. August. *qu. fi.* 147. in Exodum.

Verba Apostoli, Abulensis, & alij censent, esse hyperbolem, quâ Paulus voluit significare eximium suum erga Iudæos amorem, quò quavis pro eis pati optabat. S. Hieron. per anathema intelligit occisionem, seù mortem corporis, ac martyrium pro Iudæis. S. Thom. *hic q. 27. art. 8. ad 1.* ait: *Apostolus volebat ad tempus privari, id est, privatus manere spiritualiter divina ad hoc, quòd haberet Dei fruitionem proximis*; vndè solum petebat prolongationem huius vitæ, & dilationem beatitudinis ad tempus, vt maiorem Dei gloriam, & proximi salutem procurare posset.

Ad 2. *Oppos. dist. mai.* Licitum est, &c. salva inclinatione Charitatis, *C. mai.* contra eam, *N. mai.* Tranieat *min. dist. similiter conf.* Solutio patet ex dictis. *Ad* 3. datur eadem distinctio. *Ad* 4. *N. conf.* Disparitas est; quia per proprium peccatum homo bono divino detogat, & contrariatur, non verò per peccatum alienum totius populi, proindè ad primum actum Charitas inclinat, non ad secundum. *Ad* 5. *N. conf.* Disparitas est: Quia in primo actu volito est conformitas cum voluntate Dei, nimirum si Deus statuisset non dare præmium, tamen ei servirem; hoc enim actu homo probaret, amorem suum non esse concupiscentiæ, sed amicitiæ: in secundo verò actu optatur carentia beatitudinis absolutè, quod est inordinatum. Aliud est, si Deus ab æterno decrevisset hoc homini perpetuam carentiam beatitudinis pro salute totius populi, nam in hoc complacere, in quantum est conforme voluntati divinæ, licitum est.

* 28 QUÆRO IX. Teneturne homo, & quando, exponere vitam corporalem pro vita, sive animæ, sive corporis proximi? *Ante R. Not. 1.* Quod triplex sit necessitas, in quâ vita spiritualis proximi potest versari. 1. Necessitas extrema, in quâ versatur, v. g. vita animæ simplicis alicuius hominis iam iam teducendi ab hæreticis, vel alicuius filiæ ob inopiam, aliamve causam proximè à patre prostituendæ. 2. Gravis: in quâ versatur salus fidelium tempore pestis, vel persecutionis infidelium. 3. Communis: in quâ versatur salus hominis constituti in periculo peccati, quòd facilè posset evitare. *Nec.* 2. Quòd vita corporalis proximi possit dupliciter considerari. 1. Præcisè secundùm se, vt est vita, & bonum proximi. 2. Vt est occasio virtutis, & materia, circa quam actus honestus, & virtuosus exercetur, vt si eam servem amicitiæ causa, etiam cum vitæ meæ dispendio. Pro vita proximi primo modo iuxta pia nemo potest exponere suam, quia sic plus diligeret alterum, quàm se ipsum; bene tamen 2. modo, quia sic exponit vitam propter se ipsum (occasione servandæ alterius vitæ) virtute perficiendus, adeoque adhuc se magis diligit, quàm proximum. Quâ distinctione solvuntur argumenta, quæ contra dandam Resp. possunt objici ex SS. PP. & ex illis proloquijs, *Charitas bene ordinata incipit à se ipso; proximus tum ego mei mihi.* His notatis:

Resp. 1 Probabiliùs, & rutius est, quòd in extrema necessitate quilibet teneatur vitam corporalem exponere certo periculo pro vita animæ proximi. *Ratio*: Aliquis saltem casus est, in quo quilibet pro spirituali vita proximi tenetur profundere vitam, vt patet ex illo Ioann. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et S. Thom. *hic q. 26. art. 5. ad* 1. Et *ad* 3. *Subsumo*: Sed non est vrgentior casus, quàm extremæ necessitatis vitæ spiritualis. Ergo.

Dic mihi: Cur à pari non licet vitam spiritualem profundere (nimirum per peccatum) pro vita spirituali alterius? *Disparitas est*: Quia nulla bona intentio potest excusare, aut honestare pravam electionem, *v. g.* furtum eligere pro medio ad dandam eleemosynam, vt suprà docuimus; nec mala culpæ possunt eligi, vt media ad quemcunque finem bonum, hoc enim esset contra inclinationem Charitatis, vt antè dictum est.

* 29 *Resp.* 2. In necessitate gravi non tenentur, nisi

nisi ij, quibus ex officio incumbit providere saluti animarum, vt sunt *Episcopi*, *Parochi*, & qui à subditis accipiunt stipendia, ratione cuius magis obligantur, adeòque illi non possunt tempore pestis, vel persecutionis oves suas deserere, sed tenentur Sacramenta necessaria ministrare, doctrina fidei gregem pascere; nisi fortè substituant alios ad hæc munia æquè aptos, ac ipsi sunt. *Ratio*: Illi, quibus animarum cura incumbit, ex officio magis tenentur, quàm alij: Sed alij, immò omnes, tenentur in casu necessitatis extremæ. Ergo, qui tenentur ex officio, tenentur etiam in necessitate gravi.

* 30 *Resp.* 3. In casu necessitatis communis nemo tenetur vitam corporalem pro spirituali vita proximi exponere: potest tamen in necessitate communi, & gravi. *Ratio* 1. *partis*: Quando is, qui est in necessitate, ipsimet se ab ea potest liberare, nemo tenetur ei succurrere cum tanto dispendio, vti est vitæ: Sed qui est in necessitate communi, potest pluribus modis eam evadere, vt patet. Ergo. *Ratio* 2. *partis*: Licitum est facere actum pertinentem ad perfectionem Charitatis: Sed cum periculo vitæ corporalis succurrere spirituali vitæ proximi in necessitate communi, & gravi, est talis actus, & cum faciunt Religiosi tempore pestis se exponentes ad servitia infectorum. Ergo. *Quomodò* pestis tempore teneantur Parochi, & Religiosi se exponere, vide infrà de Extrema-Unctione *T.* 14. *E.* 4. *n.* 19. 20. & 21.

* 31 *Resp.* 4. Nemo tenetur pro corporali vita proximi certo periculo exponere propriam vitam corporalem, hoc tamen licitè potest, non quidem pro vita proximi, præcisè secundùm se sumpta, sed pro ea, vt est materia, & occasio virtutis. *Ratio* 1. *partis*: Nemo tenetur ad opera supererogationis, præsertim cum certo periculo vitæ, quia solùm sunt de consilio: Sed cum tanto periculo amicitiam, & Charitatem ostendere in conservatione corporalis vitæ proximi est bonum supererogationis. Ergo. *Ratio* 2. *partis* ex S. Thom. *loco cit.* Ordo Charitatis exigit, vt diligamus proximum sicut nos ipsos, adeòque nos ipsos priùs: Sed qui pro corporali vita proximi præcisè secundum se sumpta vitam exponeret, priùs diligeret proximum, quàm seipsum. Ergo inalè. *Ratio* 3. *partis*: Licet facere perfectissimum actum virtutis: Sed propter vitam amici, vt est materia, & occasio virtutis, seipsum morti tradere est perfectissimus actus virtutis iuxta illud Ioann. 15. *Maiorem hanc dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ergo. Verùm in eo casu prudentia est necessaria, nec licet cuivis in quovis casu pro quovis proximo exponere vitam, vt si quis sit valdè vtilis Reipublicæ, alter in periculo existens non item. Vel si quis habet familiam, & filios, qui sine eo educari non possunt. Vel si esset vir illustris, proximus verò plebeius.

* 32 QUÆRO X. Es Sacerdos, rure mulier prægnans, iamiam parturiens, sola tibi soli obviat, rogatque te, vt agas vices obstetricis, asserens, se aliàs, & prolem secum moriturum in vtero. Quid ages? Probabilius est, quòd teneor, præsertim ratione prolis aliàs anima, & corpusculo morituræ. *Ratio*: Quia cum iuxta Apostolum sint omnia munda mundis, molestia hæc casto animo, & sine lapsu in peccatum saltem mortale, subiri potest.

* 33 QUÆRO XI. Es Sacerdos, vocaris simul, vt baptizes infantem, & vt absolvas adultum, quorum alterutri, si alteri postponatur, certè morietur sine Sacramento. Quid ages? Responsio videatur infrà *T.* 11. *E.* 5. *n.* 14.

EXAMEN VI.

De effectibus Charitatis externis quoad Eleemosynam de qua S. D. agit 2. 2. q. 32. per 10. art. & Correctionem fraternam, de qua tractat quæst. 33. per 8. articulos.

Eleemosyna.

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotuplex est? *Resp.* 1. Eleemosyna est actus elicitus misericordiæ, quæ iuxta S. Thom. hìc *q.* 30. *art.* 3. *Est virtus moralis inclinans ad sublevandam miseriam proximi, seu pauperis ex compassione propter Deum.* Est etiam actus imperatus à Charitate, vt si fiat ex motivo amoris; vel à pœnitentia, vt si fiat ad satisfaciendum pro peccatis. Vnde eleemosyna sic potest definiri: *Est opus misericordiæ, quo aliquid datur indigenti ex compassione propter Deum*, seu ordinatum ad sublevandam miseriam proximi.

Resp. 2. Eleemosyna est duplex: Una *corporalis*, altera *spiritualis*, vt patet ex S. Thom. hìc *q.* 32. *ar.* 2. Opera Misericordiæ corporalia sunt septem, ab eodem S. D. insinuata hoc versu. *Visto, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.* Idest, pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, captivos redimere, ægrotos invisere, hospitio peregrinos colligere, seù recipere, mortuos sepelire.

Opera Misericordiæ spiritualia etiam sunt septem, ab eodem insinuata hoc versu: *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.* Idest, peccantes castigare, seù corrigere, ignorantes docere, tristes consolari, offensam remittere, ferre patienter iniurias, orare Deum pro salute proximi. Hic agitur de prioribus.

2 * QUÆRO II. Eleemosyna estne in præcepto, & quando? *Ante R. Not.* quoad præsens triplicem esse corporalem necessitatem. *Prima* est extrema, in quâ censetur esse, qui in tali est periculo, vt probabiliter cadat in gravem morbum, vel vitæ, aut membrorum diserimen, nisi ei subveniatur. Nec ad eam necessitatem requiritur, vt pauper iam agat animam mox exspiraturus, tunc enim eleemosyna amplius non eget. *Secunda* est necessitas gravis, seù notabilis, sive arcta, quæ est citrà extremam, seù est, quæ reducit hominem ad eum statum, in quo oportet eum multa pati, licèt sine periculo mortis, aut infirmitatis. Et in hac necessitate versantur non solùm valdè pauperes mendici, sed & illi, cuiuscunquè sint conditionis, qui cùm non sufficiant familiæ suę sustentationi, graviter affliguntur, carendo multis, aliàs pro suo statu necessarijs, & officia ab eo alicna exercendo. *Tertia* est necessitas communis, & est, quando pauper est egens, potest tamen vivere sine vrgenti necessitate, licèt non ita commodè, quæ est ordinaria pauperum mendicantium necessitas. Hoc notato

Resp. 1. De Fide certum est, Eleemosynam esse in præcepto; vt patet Lucæ 11. *Quòd superest, date eleemosynam. Ratio* 1. Occisio voluntaria proximi, etiam indirecta, est peccatum mortale: Sed omissio elee-

eleemosynæ est indirecta occisio proximi iuxta illud S. Ambros. *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti.*

Porrò præceptum Eleemosynæ est affirmativum, obligans *semper*, sed non pro *semper*, nec pro omni casu. Unde difficultas est, in quibus casibus obligat. Pro quo. *Not.* Quòd, cum eleemosyna fiat ex superfluo, superfluum dicatur duobus modis. 1. *Superfluum naturæ*, seu quòd supereft medijs ad suam, & sibi commissorum vitam necessarius. 2. *Superfluum* status est, quòd supereft medijs necessarijs ad vitam, & status sui decentiam, considerando simul casus, qui probabiliter occurrere possunt, in quibus sumptus faciendi sunt, prout recta ratio iudicaverit: quæ status decentia comprehendit etiam ea, quæ spectant ad sustentationem filiorum, famulorum, decentes donationes, hospitum tractationes, &c. Pariter dicitur aliquid necessarium dupliciter, nimirum vitæ, & statui, vt statim magis explicabitur ex S. Thom. Hoc notato

* 3 *Resp.* 2. cum S. Thom. hìc q. 32. ar. 6. dicente: *Necessarium dupliciter dicitur: Uno modo, sine quo aliquid esse non potest, & de tali necessario omnino eleemosynæ dari non debet, puta, si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solùm, unde posset sustentari, & filij sui, vel alij ad eum pertinentes. Ratio: De hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi, & suis vitam subtrahere. Sed hoc dico*, ait S. D. *nisi fortè talis esset imminuret, vbi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur, quia pro talis Personæ liberatione seipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret; cùm bonum commune sit proprio præferendum.*

* 4 *Resp.* 3. Pergit S. D. *Alio modo dicitur aliquid necessarium, sine quo non potest convenienter vita transigi secundùm conditionem, & statum propriæ personæ, & aliarum personarum, quarum cura ei incumbit. Huiusmodi necessarij terminus non est in indivisibili constitutus, sed multis additis, non potest dijudicari esse vltra tale necessarium, & multis subtractis, nihil hinc remanet, vnde possit convenienter aliquis vitam transigere secundùm proprium statum. De huiusmodi ergo eleemosynam dare est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Ratio: Inordinatum enim esset, si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, vt alijs largiretur, quòd de reliquo non posset vitam transigere conveniente secundùm proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet. Sed adhuc tria sunt excipienda*, ait S. Thom. *quorum primum est, quando aliquis statum mutat, puta, per Religionis ingressum, tunc enim omnia sua propter Christum largiens, opus perfectionis facit, se in alio statu ponendo. 2. Quando ea sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad conveniens vitæ, tamen de facili reparari possunt, vt non sequatur maximum inconveniens. 3. Quando occurreret extrema necessitas alicuius privatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipubl. in his enim casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, vt maiori necessitati subveniret.*

* 5 *Resp.* 4. Duò sunt casus, in quibus præceptum eleemosynæ obligat sub peccato mortali. *Primus*, qui à nemine negatur: Si quis habeat superflua naturæ, & petens eleemosynam sit in extrema necessitate. *Secundus*, qui ab aliquibus negatur, est: Si quis habeat superflua naturæ, & status, licèt pauperes non sint in necessitate extrema, sed alia notabili, seù gravi. Vt patet ex citatis verbis S. Thom. cuius sententia probabilior est. Constat ex Luc. 16. vbi avarus damnatur, quia non dedit eleemosynam Lazaro, qui tamèn non patiebatur extremam necessitatem, quia erat mendicus.

* 6 *Resp.* 5. Probabiliùs, & tutiùs est, quòd homo ex bonis statui superfluis iuxta divitiarum proportionem teneatur etiam succurrere pauperibus communem necessitatem patientibus, saltem interdum eis eleemosynam dando, adeòque mortaliter peccaret, qui formaret propositum nunquàm iis dandi.

Ita Colligitur ex S. Thom. *hìc art.* 5. *& infrà q.* 118. *art.* 4. *ad* 2. *& hìc q.* 66. *art.* 7. ait: Res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentioni. Vndè Ambros. *Serm.* 81. dicit: esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quòd tu recludis, miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis. Hæc S. D. Similia ex S. Basilio *refert hìc art.* 5. Ah vtinam saperent, & intelligerent hæc avari, & divites huius temporis: sed nolunt intelligere, vt benè agant. *Ratio* 1. Quilibet ex lege Charitatis obligatur subvenire proximo in quavis miseria existenti, si facilè eam sublevare possit; nam *cuivis Deus mandavit de proximo suo.* Eccles. 17. vt eum diligat sicut seipsum. *Subsumo*: Sed divites, & superfluum habentes, facilè, & sine notabili suo incommodo communium pauperum miseriam possunt sublevare. Ergo tenentur. 2. Deus divitibus non dedit divitias, vt eas in terram defodiant, cistis inclusas retineant, sed vt per opera misericordiæ, vti pauperes per patientiam) æternæ vitæ mercedem sibi comparent. Ergo.

Fateor tamen, quòd nemo teneatur etiam sub veniali cuivis communi pauperi petenti eleemosynam dare, vndè satis est, si pro excessu bonorum interdum det quasdam eleemosynas, provt prudens Charitas dictaverit.

* 7 *Quid sentis*, si quis communem pauperem inhumaniter, & asperis verbis à se repellat? *Dico*, nisi asperitas verborum sit nimis excessiva, peccat solum venialiter, & interdum nec venialiter, si mendicus esset nimis importunus. Cùd peccet. *Ratio est*, quia afflicto addit afflictionem.

Resp. 6. Quando sunt multæ necessitates, graves divites tenentur minuere sumptus, alias ad decentiam status non pertinentes, in cibis, vestibus, familitio, &c. *Ratio*: Tunc enim censetur periclitari bonum commune, cui quilibet ex iustitia legali tenetur succurrere.

Resp. 7. Pauperibus ex amore otij laborem, quò se facilè possent substentare, fugientibus, iustè eleemosyna denegatur. Patet in Examine hoc, *num.* 18.

Resp. 8. Magistratus, qui peregrinos mendicos è locis suis expellunt, non peccant, si id faciant ideò, quia tales solent invehere morbos, dissidia, proditiones, &c. vel quia aliàs pauperibus domesticis non posset sufficienter subveniri. Patet ex se. *Resp.* 9. Tenentur etiam fideles animabus in Purgatorio luentibus subvenire per eleemosynas, Missas, Orationes, & alia bona opera. Ita deducitur ex præcepto Charitatis.

* 8 QUÆRO II. Episcopi, & proportionabiliter Parochi, Canonici, alijque Clerici, novos stipendiis quàm alij ex Charitate tenentur dare eleemosynas ex beneficio, patrimonio, &c? *Resp.* affirm. *Ratio*: Quia ratione status debent, vt Magistri alios docere non solùm verbo, sed & exemplo, seu opere, iuxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant, &c.*

Quid

Quid ergò agerit; ſi ad Confeſſionale tuum veniret vnus talis, qui hanc doctrinam operè non ſervati *Dico* cum noſtro de la Cruz, Non abſolverem illum, niſi ſaltem quartam partem redituum erogaret pauperibus etiam in communibus neceſsitatibus. Nam in gravibus, quæ ſolent eſſe tempore peſtis, famis, aut plurimarum ægritudinum, ad ampliùs tenetur, iuxta proporcionem neceſsitatum ovium. Et aliquando ex ſupellectile, & vaſis ſuis argenteis eleemoſynas facere tenetur.

Teneturne Epiſcopus inquirire pauperes ſuæ Diœceſis, vel Parochus ſuæ Parochiæ? *Affirmo* cum noſtro Bannes, adeòque non ſatisfacit dando occurrentibus pauperibus. *Ratio*: Quia vocantur Patres pauperum, præſertim ovium ſuarum.

Oppono: Epiſcopus, vel Canonicus eſt Dominus ſuorum reddituum. Ergo non tenetur tanta cura alere pauperes. Admiſſo *ant. diſt. conſ.* Ergo non tenetur ex iuſtitia, *conc. conſ.* ex miſericordia, & Charitate *N. conſeq.*

Qui ergo in caſu præcepti omittit dare eleemoſynam, tenetúrne ad reſtitutionem? *Reſp.* negativè. Quia onus reſtitutionis non inducitur per violationem charitatis, ſed iuſtitiæ, peccat tamen talis mortaliter.

* 9 QUÆRO III. Poteſtne fieri eleemoſyna ex iniuſtè acquiſitis? *Reſp.* ſub *diſt.* cum S. Thom. *a. 7. dicente*: Tripliciter poteſt aliquid eſſe illicitè acquiſitum. 1. *Id*, quòd illicitè ab aliquo acquiritur, debetur ei, à quo eſt acquiſitum, nec poteſt ab eo retineri, qui acquiſivit, ſicut contingit in rapina, & furto, & vſuris. Et de talibus, cùm homo teneatur ad reſtitutionem, eleemoſyna fieri non poteſt. 2. *Eſt* aliquid illicitè acquiſitum, quia quidem ille, qui acquiſivit, retinere non poteſt, nec tamen debetur ei, à quo acquiſivit, quia ſcilicet contra iuſtitiam accepit, & alter contra iuſtitiam dedit. Sicut contingit in Simonia, in qua dans, & accipiens contra iuſtitiam legis divinę agit. Unde non debet fieri reſtitutio ei, qui dedit, ſed debet in eleemoſynas rogari. 3. *Eſt* aliquid illicitè acquiſitum, non quidem quia ipſa acquiſitio ſit illicita, ſed quia id, ex quo acquiritur, eſt illicitum; ſicut patet de eo, quòd mulier acquirit per meretricium. Et hoc propriè vocatur *turpe lucrum*, quòd enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei, ſed in eo, quòd accipit, non iniuſtè agit, nec contra legem. Unde, quòd ſic illicitè acquiſitum eſt, retineri poteſt, & de eo eleemoſyna fieri. Hæc S. D. Addo ex S. Thom. in *R. ad 2* cur ex tali turpi lucro non fiat Sacrificium, vel oblatio ad altare, iuxta illud Deut. 23. *Non offeres mercedem proſtibuli in domo Dei tui*. Nam diſparitas eſt, tum propter ſcandalum, tum propter Sacrorum reverentiam.

Oppono contra primum modum illud Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Ergo. *Ad hoc* S. Thom. *a. cit. ad* 1. Sicut Auguſt. dicit: Illud verbum Domini quidam malè intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant ſe facere, quòd præceptum eſt. Intellectus iſte corrigendus eſt: Sed omnes divitiæ iniquitatis dicuntur, quia non ſunt divitiæ iniquæ, niſi iniquis, qui in eis ſpem conſtituunt. Vel ſecundùm Ambr. iniquam Mammona dixit, quia variis divitiarum illecebris noſtros tentat affectus. Ita S. D.

* 10 *Quid ſenti de* lucro per aleas? *Dico* cum S. Thom. *ad* 2. In hoc ludo videtur eſſe aliquid illicitum iure divino, ſcilicet quòd aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt, ſicut ſunt minores, & furioſi, & huiuſmodi; & quòd aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum; & quòd fraudulenter ab eo lucretur. Et in his caſibus tenetur ad reſtitutionem, & ſic de eo non poteſt eleemoſynam facere ait S. D. Item ſentit, ſi alicubi in vigore ſit ius civile prohibens luſum. Cæterùm quidquid ex licito luſu licitè acquiritur, eſt materia, ex qua poteſt fieri eleemoſyna.

* 11 QUÆRO IV. Fictus pauper peccatne mortaliter, teneturque ad reſtitutionem, ſi petat, & accipiat eleemoſynam? *Reſp. affirm.* Quando eleemoſynæ ei darentur ſub conditione ſaltem tacita, quòd ſit pauper, vt ſit in amplis, & extraordinarijs eleemoſynis, vt ſi petatur eleemoſyna ad redimendum captivum, qui non eſt. *Ratio*: Quia eſt furtum, ſecus ſi donatio ſit abſoluta, vt præſumitur in eleemoſynis ordinarijs, licèt fiant ex motivo falſo.

* 12 QUÆRO V. Qui eſt ſub alterius poteſtate, poteſtne facere eleemoſynam? *Reſp.* cum S. Thom. *a. 8. in c. dicente*: Qui eſt ſub poteſtate alterius conſtitutus, in quantum huiuſmodi, ſecundùm Superioris poteſtatem regulari debet. Sic ergo ille, qui eſt ſub poteſtate conſtitutus, de re, ſecundùm quam Superiori ſubjicitur, eleemoſynam facere non debet, niſi quatenùs ei à Superiore fuerit commiſſum. Si quis verò habeat aliquid, ſecundùm quod poteſtati Superioris non ſubſit, quantum ad hoc proprij iuris exiſtens, de hoc poteſt eleemoſynam facere. Hæc ibi.

Reſp. 2. Ex R. ad 1. Monachus ſi habet diſpenſationem à Prælato commiſſum, poteſt eleemoſynas facere de rebus Monaſterij, ſecundùm quòd ſibi eſt commiſſum. Si verò non habet diſpenſationem, quia nihil proprium habet, tunc non poteſt ſine licentia Abbatis, vel expreſsè habita, vel probabiliter præſumpta, niſi fortè in articulo extremæ neceſsitatis, in quo licitum ei eſſet furari, vt eleemoſynam daret. *Hæc ibi.*

Reſp. 3. Ex R. *ad* 2. Si vxor habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad ſuſtentanda onera Matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocunquè alio licito modò, poteſt dare eleemoſynas, etiam irrequiſito aſſenſu viri, moderatas tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur: alias autem non debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri, vel expreſſo, vel præſumpto, niſi in articulo neceſsitatis, ſicut de Monacho dictum eſt. Quamvis enim mulier ſit æqualis viro in actu Matrimonij, tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent, vir Caput eſt mulieris, ſecundùm Apoſt. 1. *Corinth.* 11. Hæc S. D.

* 13 QUÆRO VI. Eſtne eleemoſyna magis danda propinquioribus? Cæteris paribus, illis, qui ſunt nobis magis coniuncti, magis debemus providere. Ita S. D. *art.* 9. id probans ex illo 1. Timoth. 5. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Et in *R. ad* 2. id probat ex ordine Charitatis, & ex S. Ambrol. in 1. de officijs, dicente: *Eſt illa probanda liberalitas, ut proximum ſanguinis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas; melius eſt animo, ut ipſe ſubvenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptum depoſcere.* Monet tamen S. D. *in c.* Eſt circa hoc diſcretionis ratio adhibenda ſecundùm differentiam coniunctionis, & ſanctitatis, & vtilitatis. Nam multò ſanctiori indigentiam patienti, & magis vtili ad communem bonum, eſt magis eleemoſyna danda, quàm perſonæ propinquiori: maximè ſi non ſit multùm coniuncta, cuius cura ſpecialis

nobis non immineat, etsi magnam necessitatem non patiatur. Hæc ibi.

* 14 QUÆRO VII. Subsidium, ad quod homo obligatur in extrema, vel gravi necessitate, estne dandum donatione absoluta, aut licetne sub conditione, vt restituat, si venerit ad pinguiorem fortunam, vel solùm commodare? *Resp.* Probabilius, & tutius est, quòd teneatur ad donationem absolutam rei, quæ talem est vsu consumptibilis. *Ratio*: Tum quia opposita sententia videtur valdè inhumana, & repugnans veræ misericordiæ, quæ debet esse gratuita. Tum etiam, quia proximus taliter indigens habet ius, eâ, quibus extremè indiget, si petendo obtinere nequiverit, palam accipiendi absque restitutionis onere. Ergo & alter sine eodem onere tenebatur dare. *Not.* tamen sermonem hic esse de pauperibus absolute, & non talibus *secundum quid* solùm, quorum necessitas tantùm aliquò tempore durabit, eò quod bona habeant in spe. His enim conditionatam restitutionem imponere rationi congruit. Plura de hoc vide *T. 8. E. 5. n. 34.*

Mendicitas Religiosa.

De quâ S. Tom. 2. 2. quæst. 187. art. 3. 4. & 5.

* 15 QUÆRO VIII. Tenenturne Religiosi manibus operari? *Ante R. Not.* ex S. Thom. *q. cit. art. 3. in c.* quod sub opere manuali intelliguntur omnia humana officia, ex quibus homines licitè victum lucrantur, sive manibus, sive pedibus, sive lingua fiant: vigiles enim, & Cursores, & alijs huiusmodi de suo labore viventes intelliguntur de operibus manuum vivere. Quia enim manus est organum organorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur, de quâ aliquis victum licitè potest lucrari. Hæc ibi. Hoc notato.

Resp. Cum S. D. *art. cit.* negativè. *Ratio eius est*: Labor manualis ad quatuor ordinatur. Primò, & principaliter ad victum quærendum. *in sudore vultus tui vescêris pane tuo*, Gen 3. 2. Ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur. *Multam malitiam docuit otiositas.* Eccles. 33. 3. Ad concupiscentiæ refrenationem, in quantum per eum maceratur corpus. 4. Ad faciendas eleemosynas. *Laboret operando manibus suis, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Ephes. 4. *Subsumo* 1. Sed Religiosi in primis non tenentur ad opera manualia ad quærendum victum. Ergo. *Prob. min.* Ille, cuiuscunque sit conditionis, tenetur manibus operari ad quærendum victum, qui aliunde non habet licitè, vnde vivat, aut vivere possit. Et hoc significant verba Apostoli dicentis: *Qui non vult operari, non manducet*: Sed Religiosi aliunde habent licitè, vnde vivant, nimirum ex eleemosynis, vt patebit ad *Q. 9. & 10.* Ergo. *Subsumo* 2. Sed Religiosi ad opera manualia etiam non tenentur, ad vitandum otium, aut ob corporis mortificationem, quia multis alijs modis potest caro macerari, nimirum per ieiunia, & vigilias. Ergo nec ad ea tenentur ad dandas eleemosynas, vt patet, nisi in casu necessitatis, in quo (si nullo alio modo pauperibus posset subveniri) obligarentur similiter Religiosi, & Sæculares ad opera manualia. Ergo.

Confirm. Licèt sit præceptum iuris naturæ, quòd Apost. 1. Thessal. 4. proponit, *Operamini manibus vestris, sicut præcipimus vobis.* Hoc tamen præceptum obligat quidem totam Communitatem, non tamen singulos in particulari, sed sufficit, quòd vnus vacet vni officio, alius alij: puta, quòd quidam sint opifices, quidam agricolæ, quidam Iudices, quidam Doctores, & sic de alijs, vt ait *S. D. ad* 1. Sicut est præceptum naturæ, vt agri colantur, matrimonia contrahantur, & tamen non omnes in particulari tenentur Matrimonium contrahere, nec agros colere. Ergo nec Religiosi manibus operari. *Notat* tamen S. D. *in c.* nisi forte ad hoc per Statuta sui Ordinis obligentur, sicut Hieron. in Epist. ad Rusticum Monachum dicit: Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens.

Oppono: Religiosi, cùm profiteantur statum perfectionis, debent imitari vitam Apostolorum: Sed Apostoli manibus laborabant 1. *Cor.* 4. *Laboramus operantes manibus nostris.* Ergo. *Resp.* cum S. Thom. *ad* 5. *dicente*: Quòd Apostoli manibus laboraverunt, quandoque quidem fuit necessitatis, nimirum, quando victum ab alijs invenire non poterant: quandoque verò supererogationis, in quo supererogationis opere non tenentur Religiosi Apostolum imitari. Vide S. Thom. qui hoc ibidem explicat.

* 16 QUÆRO X. Licetne Religiosis vivere ex eleemosynis? Sermo est de eleemosynis ipsomè oblatis. *Resp.* cum S. Thom. *art. 4.* affirm. *Ratio eius est*: Unicuique licet vivere de eo, quòd suum, vel sibi debitum est: Sed fit aliquid alicuius ex liberalitate donantis. Ergo Religiosi, & Clerici, quorum monasterijs, vel Ecclesijs ex munificentia Principum, vel quorumcunque fidelium sunt facultates collatæ, possunt licite de eis vivere, absque hoc, quòd manibus laborent, & tamen certum est, eos de eleemosyna vivere. Adducit etiam S. Thom. illud 1. Cor. 9. *Qui altari deservunt, de altari vivant*: Sed Religiosi, & Clerici altari deserviunt. Ergo. *Not. in c. art.* Si aliqui sint Religiosi, qui absque necessitate, & vtilitate, quam afferant, velint etiam de eleemosynis vivere, hoc est eis illicitum. Vtilitatem S. D. assignat, si ministrent altaris. Si inhæreant studio S. Scripturæ ad communem vtilitatem totius Ecclesiæ. Nam *laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* 2. Tim. 2. Si qui ex hoc scandalizentur, malitiosi sunt, more Pharisæorum, quorum scandalum contemnendum Dominus docet Matth. 15. ait S. D. ad 5.

* 17. *Oppono* 1. S. Hieron. ad Damasum Papam dicit: Qui bonis parentum, & opibus sustentari possunt, si, quòd pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt: Sed Religiosi possunt de labore manuum sustentari, si sint validi. Ergo peccant eleemosynas pauperum comedendo. Idem argumentum potest objici de Clericis, & Canonicis. 2. Religiosi sunt in statu perfectionis: Sed beatius est dare, quàm accipere. Actor. 20. Ergo.

Ad 1. S. D. dicit: Authoritates illæ sunt intelligendæ tempore necessitatis, quando scilicet non posset aliter pauperibus subveniri, tunc enim tenerentur non solùm ab eleemosynis accipiendis desistere, sed etiam sua, si quæ haberent, largiri ad pauperum sustentationem. Hæc ibi. *Ad* 2. ait: Cæteris paribus dare est perfectius, quàm accipere, & tamen dare, vel relinquere omnia sua pro Christo, & modica accipere ad sustentationem vitæ, melius est, quàm dare aliqua particulariter pauperibus. ita S. Thom.

QUÆ-

* 18 QUÆRÒ X. Licetne Religiosis mendicare? *Resp.* cum S. Thom. *art.* 5. affirm. *Ratio eius est:* Religiosis competit vivere ad imitationem Christi: Sed Christus mendicavit. Ergo. *Prob. min.* Ipse Christus per Psalm. 39. ait: *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Et S. Hieron. in quadam Epistola ait: *Cave, ne Domino tuo mendicante, filiciè Christo, alienas divitias congeras.* Ergo. *Notat* S. D. *in c.* Ad mendicandum potest homo ex duobus induci. Vno modò ex cupiditate habendi divitias, vel victum otiosè, & talis mendicitas est illicita. Alio modò ex necessitate, vt si aliunde habere non potest, vndè vivat, vel ex vtilitate, qualis est assignata ad *Q.* 9. & hoc modò mendicitas est licita.

* 19 *Oppono* 1. Quòd Lege est prohibitum, non competit Religiosis: Sed mendicare est Lege prohibitum Deut. 15. *Mendicus non erit inter vos.* Ergo. 2. Psalm. 36. ait David: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Ergo. 3. Secundùm iura civilia punitur validus mendicans, vt habetur Cod. *de validis mendic. tit.* 25. Sed dantur Religiosi validi, robusti, obesi. Ergo.

Respondet S. D. *in cit. art.* Quòd ibi non prohibetur indigentibus mendicare, sed prohibetur divitibus, ne tam tenaces sint, vt propter hoc aliqui egestate mendicare cogantur: avaritia divitum damnatur. *Ad* 2. R. quòd David non viderit quærentes panem ex cupiditate, & avaritia, sicut nunc subindè dantur, benè tamen ex necessitate. *Ad* 3. Iura Civilia puniunt robustos ex sola cupiditate habendi mendicantes, otiosos, laborem fugientes.

Correctio Fraterna.

De quâ S. D. agit quæst. 33. *per* 8. *art.*

* 20 QUÆRO XI. Quid est, quis eius finis, estne in præcepto, & quando? *Ante R. Not.* quòd Correctio fraterna (ad quàm etiam reducitur paterna) sit vnum ex septem operibus misericordiæ spiritualibus suprà assignatis. Aliqui DD. distinguunt inter *corripere*, & *corrigere*, quòd *corripere* sit *reprehendere*, & *increpare*, corrigere verò sit ipsa *emendatio vitæ*; solet tamen hìc sumi, & sumitur promiscuè. Hoc notato.

Resp. 2. Iuxta *S. Thom. art.* 1. Duplex est correctio delinquentis; vna, quæ adhibet remedium peccato, in quantum est malum ipsius peccantis, & ad eius, non punitionem, sed emendationem, & animæ lucrum, velut ad finem ordinatur, & est actus Charitatis, & ista est propriè fraterna Correctio, de qua hìc agitur, ac definitur, quòd sit *actus Charitatis, vel misericordiæ spiritualis, quo per convenientem sermonem conamur fratrem, id est, proximum à malo peccati convertere ad bonum virtutis.* Alia correctio est, ait S. D. quæ adhibet remedium peccati delinquentis, secundùm quòd est in malum aliorum, & præcipuè boni communis. Et hæc est actus iustitiæ, cuius est conservare rectitudinem vnius ad alterum, & vocatur iudicialis, estque superiorem erga inferiores puniendos. De ea hìc non agitur.

Resp. 2. Finis Correctionis fraternæ patet ex dictis. *Resp.* 3. Correctio fraterna est in præcepto, & quidem naturali, ac Decalogi de dilectione proximi. Ita S. Thom. *art.* 2. Et patet ex illo Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit in te,* id est, sciente te, *frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum,* id est secretò; *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Et Eccles. 17. *Unicuique Deus mandavit de proximo suo.* *Ratio:* Quia ex præcepto naturæ tenetur quilibet fratri, id est, proximo graviter egenti succurrere, dum potest sine gravi damno.

Resp. 4. Præceptum fraternæ Correctionis non est negativum, sed affirmativum. Ita S. Thom. *art.* 2. dicens: *Præcepta negativa obligant semper, & ad semper; Correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem, & ideò cadit sub præcepto, secundùm quòd est necessaria ad istum finem, non autem ita, quod quodlibet loco, & tempore frater delinquens corrigatur.*

* 21 *Resp.* 5. Correctio fraterna de peccato mortali per se loquendo obligat sub mortali. *Ratio:* Quilibet, dū potest, tenetur avertere grave malum præsertim animæ proximi: Sed omne peccatum mortale vtpotè mors animæ, est grave malum proximi. Ergo. *Resp.* 6. Probabilius est, vt præceptum correctionis fraternæ hìc, & nunc sub mortali liget, requiri quinque conditiones, quarum vel vna deficiente (vtrisepè deficit) non obligat sub mortali.

Prima conditio est: Vt peccatum sit secretum, seù occultum, & moraliter constet, proximum peccasse mortaliter, vel esse in periculo peccati mortalis, aut recidivæ, vel commisisse veniale periculosum, seù ordinatum ad mortale. *Secunda.* Vt speretur fructus, seù sit probabilis spes emendationis, ne reddatur deterior. Vndè S. Thom. *art.* 6. *in c.* ait: Vna est correctio delinquentis pertinens ad Prælatos, quę habet vim coactivam, & talis correctio non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur, sed est exigendus per pœnas, vt peccare desistat. Alia verò est correctio fraterna, cuius finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem, sed simplicem admonitionem. Et ideò vbi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, est ab huiusmodi correctione desistendum. Hæc ibi. *Tertia.* Opportunitas personæ, & temporis. Personæ, vt non sit alius, qui melius possit facere. Temporis, vt fiat tunc, quando pensatis circumstantijs differtio dictat cum maiori fructu fieri posse. *Quarta.* Vt correctio iudicetur necessaria, censetur autem necessaria, quando peccator per eam, & non aliter, creditur convertendus, ait Cajet. *Quinta.* Vt correctio possit commodè fieri, nimirum sine notabili damno, corrigentis, damno, inquam, salutis, honoris, famæ, fortunarum, &c. nisi frater esset in extrema necessitate.

* 22 QUÆRO XII. Præceptum fraternæ correctionis obligatne omnes homines, etiam subditos? vel solos Prælatos? Peccatores? *Resp.* 1. Obligat omnes homines ad corrigendum idoneos, concurrentibus adductis quinque circumstantijs. Constat ex citatis verbis *Eccl.* 17. & ratione adducta pro *R.* 3. *ad Q.* 11. Est autem hìc sermo de correctione, quę fit per solam admonitionem.

Resp. 2. In Correctione fraterna graviori est cura, & obligatio Prælatorum, quàm aliorum. Ita *S. Thom. art.* 3. *ad* 1. Idem de Parentibus, Dominis, Marito, Tutoribus, respectu filiorum, servorum, vxoris, &c.

Resp. 3. Prælatus, seu Superior sæpè non tantùm sub veniali, sed etiam sub mort. tenetur subditos corripere de venialibus, quando nimirum vergunt

in notabile detrimentum Regularis disciplinæ. Idem est de transgressionibus Regularum sub pœna solùm obligantium, vergentibus in simile detrimentum. *Ratio*: Superior ex vi officij in conscientia tenetur Regularem observantiam promovere, rationem strictam de sua, & subditorum salute, redditurus. *Ergo*. Ex quo sequitur, quòd Superior teneatur interdum inquirere in vitam subditorum, attamen prudenter, ne alios nimis temerariè, impassionatè, & nonnisi gravi infamiâ, vel alio probabili indicio.

Concionatoribus quoque cautè agendum, dum è Cathedris vitia corripiunt, ne videantur particulares personas tangere, aut scientia confessionali uti. Vel maximè cavendum, ne Prælatos è suggestu corripiant, nisi forte esset publicum scandalum, *v. g.* hæresis, quòd secreta monitione non posset emendari.

* 23 *Resp.* 4. Præceptum Correctionis fraternæ etiam obligat subditos erga Prælatos, sic tamen ut congruum modum adhibeant, & non cum protervia, & duritia, sed cum mansuetudine, & reverentia fiat. Ita S. D. *art.* Probat hoc ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. dicente: *Seniorem ne increpaveris sed obsecra ut Patrem.* Et ex Regula S. Aug. *non solùm vestri sed etiam ipsius*, scilicet Prælati, *miseremini, qui inter vos, quantò in loco superiori, tantò in periculo majori versatur.*

Resp. 5. Etiam peccator, per se loquendo, & concurrentibus prædictis circumstantijs, tenetur humiliter fraternè corripere delinquentem. Ita S. D. *art.* 5.

Rationem dat: Correctio fraterna per se pertinet ad aliquem, in quantum in eo viget iudicium rationis: Sed peccatum non tollit totum naturæ, quin in peccante remaneat aliquid de recto iudicio rationis. Ergo, Notat tamen S. D. quòd peccatum præcedens, præsertim si sit manifestum, correctioni, seu eius effectui possit ponere impedimentum. Non ergo ille corrigens debet obiurgare, sed ad pariter cavendum invitare. Nec sibi novam condemnationem corrigendo acquirit, licèt per hoc, vel in conscientia fratris, vel saltem sua pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat.

Oppono: Matth. 7. dicitur: *Quid vides festucam in oculo fratris tui?* Ad hoc dico, ibi solùm reprehendi peccatores, qui alios corripiunt ex iactantia, & hypocrisi, vel qui, ut se iustificent, alios temerariè iudicant. Unde subditur: *Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo*, &c.

* 24 QUÆRO XIII. In correctione fraterna estne servandus ordo, antè ex *Matth.* 18. traditus, ut nimirum delinquens, si peccatum sit secretum, priùs moneatur secretò, dein adhibeantur testes, tandem dicatur Ecclesiæ? *Resp.* affirm. cum S. *Thom. art.* 7. & 8. ita quidem ut peccatum secretum prius semel, vel pluries (quamdiu probabiliter est spes emendationis) secreta admonitione sit corrigendum, quæ si non proficiat, adhibeantur testes, coram quibus verecundetur, & resipiscat, & à quibus simul admoneatur; si nondum emendetur, dicatur Ecclesiæ, id est, Superiori. Excipit à secreta admonitione S. D. *art.* 7. peccata publica, & hæc dicit publicè esse arguenda iuxta Apost. 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeat.* De occultis distinguit: Quædam enim vergunt in nocumentum proximorum, seu boni communis, vel corporale, puta, si aliquis occultè tractet, quomodo civitas tradatur hostibus: vel si hæreticus privatim homines à Fide avertat: & in his oportet statim procedere ad denuntiationem, ut huiusmodi nocumentum impediatur, nisi fortè quis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire. Quædam verò sunt, quæ solùm vergunt in malum peccantis, & eius, in quem peccatur. Et in his servandus est prædictus ordo.

* 25 *Oppono* 1. Apost. Ephes. 5. nos monet: *Estote imitatores Dei.* Sed Deus interdum publicè punit hominem pro peccato, nulla secreta admonitione præmissa. Ergo. 2. *Christus* non legitur secretò admonuisse Iudam, antequam eum denuntiaret. *Item Act.* 5. Petrus Ananiam, & Saphiram occultè defraudantes de pretio agri publicè denuntiavit, nulla secreta admonitione præmissa. *Et Genes.* 37. Ioseph accusavit fratres suos apud Patrem crimine pessimo, nec tamen eos priùs monuit. Ergo. 3. *In Capitulis* Religiosorum aliqui proclamantur nulla secreta admonitione præmissa. Ergo. 4. *Religiosi* tenentur obedire suis Prælatis: Sed Prælati quandoque, vel communiter omnibus, vel alicui specialiter præcipiunt, ut eis dicatur, si quid sit corrigendum. Ergo secreta monitio non est de necessitate præcepti.

Ad hæc omnia Respondet S. D. *a.* 7. *Ad* 1. *quidem*: Omnia occulta, sunt Deo nota, & ideò peccata occulta eodem modo se habent ad iudicium divinum, sicut publica ad humanum. Et tamen plerumque Deus peccatores quasi secreta admonitione arguit interiùs inspirando, vel vigilanti, vel dormienti. *Ad* 2. Dominus peccatum Iudæ tamquam Deus sicut publicum habebat, unde statim poterat ad publicandum procedere, tamen ipse non publicavit, sed obscuris verbis eum de peccato suo admonuit. Petrus autem publicavit peccatum occultum Ananiæ, & Saphiræ, tamquam executor Dei cuius revelatione peccatum cognovit. De Ioseph autem credendum est, quòd fratres suos quandoque admonuerit, licèt non sit scriptum. Vel potest dici, quòd peccatum publicum erat inter fratres. Unde dicit pluraliter, accusavit fratres suos. Hæc ibi. *Ad* 3. dicit: Huiusmodi proclamationes, quæ in Capitulis Religiosorum fiunt, sunt de aliquibus levibus, quæ famæ non derogant. Unde sunt potiùs quasi quædam commemorationes oblitarum culparum, quàm accusationes, vel denuntiationes. Si tamen essent talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui per hunc modum peccatum fratris publicaret. Hæc ibi. *Ad* 4. *ait*: Prælato non est obediendum contra præceptum divinum, secundùm illud Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Et ideò quando Prælatus præcipit, ut sibi dicatur, quod quis sciverit corrigendum, intelligendum est præceptum sanè, salvo ordine fraternæ correctionis, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si Prælatus expressè præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, peccaret præcipiens, & obediens ei quasi contra præceptum Domini agens. Unde non esset ei obediendum, quia Prælatus non est Iudex occultorum (sed solus Deus) nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, puta, per infamiam, vel per aliquas suspiciones. Ita S. D. Ex quo sequitur, errare Religiosos, qui Visitatoribus denuntiant Fratres de crimine correctos, vel ordine Charitatis non servato. Optimè proinde faciunt Visitatores, qui ante inquisitionem admonent Fratres, ne denuntient eos, qui de secretis peccatis correcti sunt.

Quid

* 26 *Quid ergo sentis* de Statuto Societatis, quo defectus Fratrum non præmissâ secretâ admonitione deferuntur ad Prælatum, non vt Iudicem, sed vt Patrem, facta à quolibet Novitio, ante votorum biennij emissionem, renuntiatione iuris ad famam? Dico: bonum esse, vtpote à Greg. XIII. aprobatum. Ait tamen *Aranjo* Primarius Cathedráticus Salmant. Dicere, quòd Correctio fraterna melius facienda est per Prælatum quàm per socium, est etroneum & iniuriosum doctrinæ Christi. Ita ille. Dicere autem, quòd alio modo nulla Communitas possit bene gubernari, eodem modo iniuriosum est Christo, & iuri naturæ, vtpote cuius præceptum esset Communitati pernicioſum, adeòque nec in præcepto, nec in consilio.

Quid si ex timore, tepiditate, verecundia, &c. fraternam Correctionem quis omittat? *Resp.* Iuxta *S. Thom. a. 2. ad 3.* peccat solùm venialiter, si tamen ita paratus sit, quòd omnia Charitati fraternæ postponeret, si probabiliter crederet fratrem à se emendandum, & nisi ex omissione correctionis proximo sequeretur notabile damnum animę, vt si homo peccaret ex ignorantia culpabili, qua difficulter liberabitur nisi doceatur. Excipio si sit Prælatus, hic enim mortaliter peccat, si ex timiditate omittat correctionem. *Quid si peccatum* esset præteritum, nullo relicto complacentiæ vestigio, nec damni, aut recidivæ periculo? Cum Soto, & Bannes dico non esse obligationem corrigendi.

* 27 QUÆRO XIV. Tenerisne corrigere eum, qui peccat ex ignorantia invincibili? *Ante R.* vide suprà de ignorantia, & de lege naturali. *Resp. 1.* Teneor, & tenetur omnis homo (iuxta probabiliorem sententiam) à proximo tollere ignorantiam culpabilem, seu vincibilem cuiuscunque iuris naturalis, divini, & humani, dum est in periculo peccandi mortaliter; vti & ignorantiam facti contra tale ius, si sit spes emendationis, *v. g.* si Petrus accedat ad Mariam, vincibiliter putans esse suam vxorem, cùm tamen non sit. Vel si Sacerdos ignoranter vellet consecrare in aqua. *Ratio est* eadem, quæ data est pro *R. 3. & 5. ad Q. 11.* & Eccl. 17. citato. *Nota*, hanc, & sequentem *R.* de omni quidem homine, sed in maiori rigore veram esse de jis, qui gerunt aliorum curam, vt sunt Pater, Maritus, Dominus, Princeps, Episcopus, Prælatus, &c.

Resp. 2. Idem teneo de ignorantia invencibili (quæ an respectu iuris naturæ dari possit, hìc non decidditur, sed explicatum est suprà de Legibus) si tamen sit spes emendationis, saltem in futurum. Constat ex citato Eccles. 17. *Vnicuique mandavit Deus de proximo suo.* Hac in re maximè attendete, & pœnitentes instruere tenentur Confessarij, vtpote fungentes non tantum officio Iudicis, sed & Doctoris, ne Sacramentum conferant indigno, vti fieret saltem in priori casu. Et cogitandum est, quòd licèt admonitio, & instructio non videatur prodesse hic, & nunc, proderit tamen ad hoc 1. *Vt* proximus liberetur à sua ignorantia. 2. *Vt* malum statum in quo est, cognoscat, & fortè aliquando resipiscat: & sic in futurum proderit, patietur enim remorsus conscientiæ. 3. *Ne* possit conqueri de denegata sibi absolutione in casu *Resp. 1.* Consideranda etiam hìc sunt documenta, & Axiomata illa Iuris: *Utilius scandalum permittitur, quàm veritas victa relinquatur. Potens alios ab errore revocare, & tamen, & ipsum errare demonstrat. Error cui nihilominùs resistitur, approbatur.* Item illud: *Nulla lex obligat ad actus inutiles, & otiosos.* Magna ergo prudentia est necessaria, nec potest vna certa regula statui pro omni casu.

Casus, qui de nullitate matrimonij invincibiliter, vel vincibiliter ignorata possent proponi, resolventur in proprio loco, nimirum *T. vlt. E. 5. Q. 8.* vbi multa dicentur, quæ hìc seruiunt.

* 28 QUÆRO XV. Licetne, aut expedit interdum, hominem perditum non statim corripere, sed permittere labi in peiora, vt eò magis confusus facilius emendetur, & resipiscat? *Ante R. Not.* Quòd Deus duplici ratione permittat mala; *Primò.* In pœnam priorum peccatorum tradens peccatores in reprobum sensum, vt Scriptura loquitur. 2. *Vt* homo ferventius resurgat, & posteà cautius vivat; sicut fortè permisit peccatum Petri. Hoc notato.

Resp. Licèt tutior sit sententia negans, probabilior tamen videtur affirmans, quòd liceat permittere talem hominem labi, ea intentione, vt ferventius resurgat, vt sensus sit, quòd correctio differatur ad tempus, & permittatur potius non statim resurgere, vt eliciatur ex malo bonum, quàm quòd permittatur peccatum. *Hæc R.* supponit, quod homini non liceat peccatum, quòd evitare possumus, permittere in pœnam prioris peccati, hoc enim modo peccatores punire solius Dei est. Item à data *R.* excipitur casus, quo timetur, ne proximus cadat in gravissimum peccatum, *v. g.* ne fiat Hæreticus, Apostata, ne communicet in mortali, &c. Hoc supposito.

Ratio est 1. Correctio fraterna pro fine habet emendationem fratris. Ergo facienda est eo modo, quo melius ad hunc finem conducit. 2. *Licèt* non debeat permitti malum sub ratione mali, bene tamen ex intentione alicuius boni, ratione cuius potest etiam ipsi peccanti evenire vtilitas, vti & alijs. Unde suprà ostensum fuit, rationabiliter permitti Lupanaria. *Not.* quòd licèt non sint facienda mala, vt eveniant bona, bene tamen permittenda. De quo vide suprà, an ex duobus malis culpæ possimus consulere minus. *Quæri hìc* posset, an homo teneatur proximum corrigere cum periculo vitæ? Sed ad hoc patet ex dictis in hoc *T. E. 7. n. 28.*

EXAMEN VII.

De vitijs Charitati oppositis, nimirum Odio, Discordia, Contentione, Seditione, Scandalo, Schismate, Bello, Duello, Rixa.

Odium 2. 2. q. 34. per 6. articulos.

REvidenda priùs hìc sunt, quæ in *E. 5.* dicta sunt de dilectione Dei, proximi, & inimici.

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotuplex est odium? *Resp. 1.* Odium in genere est aversio voluntatis ab eo, quòd repræsentatur vt malum; nihil enim voluntas potest odisse, nisi sub specie mali, & nihil amare, nisi sub specie boni, licèt in re non sit tale. Hinc patet, quid in specie sit Odium Dei, & proximi, nimirum *aversio voluntatis à Deo, vel proximo sub specie mali, seu nocivi repræsentato.*

Oppone: Si solùm malum potest odio haberi, quomodo potest quis odisse Deum, cùm ille sit summè bonus? *Explicas* hoc S. D. *a. 1.* dicens: Quòd Deus, vt est in se, non possit odio haberi, bene tamen so-

cus-

cundùm quosdam effectus, qui repugnant inordinatæ, & per peccatum depravatæ voluntati, vt sunt indictio pœnæ, cohibitio peccatorum per Legem divinam, quos effectus vitiata voluntas attingit, vt sibi malos, molestos, &c.

Resp. 2 Odium est duplex. Unum *abominationis*, alterum *inimicitiæ*. Primum est aversio voluntatis ab aliquo, in quantum mihi, vel alteri, quem amo, malus apprehenditur. Secundum est, quo volo malum alterè personæ, vt illi malè sit. Et per vtrumque potest homo exardescere in Deum, & in proximum. In Deum; si enim avertetur dictos effectus vt sibi malos, est Odium abominationis in Deum; si Deo optet malum, *v. g.* vt deficiatur sua omnipotentia, vt desinat esse, est Odium inimicitiæ in Deum. Idem proportionabiliter dicitur de proximo, vt si voluntas eum attingat vt sibi nocivum, vel ei optet malum.

Sed si proximus nequam est, nonne licet eum odio habere? *Licet* quoad nequitiam, non quoad naturam, seu personam, vt explicatum est suprà.

* 2 QUÆRO II. Odium Dei esne peccatum, & quidem omnium gravissimum? *Resp.* affirm. cum S. D. 2. 2. *Rationem dat* 1. Optimo opponitur pessimum, vt patet per Philos. *in* 8. *Ethic.* Sed odium Dei opponitur dilectioni Dei, in qua consistit optimum hominis. Ergo odium Dei est pessimum peccatum hominis. 2. *Defectus* peccati consistit in aversione à Deo: Sed hæc aversio maior est in odio Dei quàm in alijs peccatis. Ergo. *Min. prob.* Quòd est per se, malus est eo, quòd est secundùm aliud: Sed avertio à Deo in odio peccati importatur per se, in alijs autem peccatis quasi participativè, & secundùm aliud. Ergo. *Min. prob.* Per odium Dei homo avertitur à Deo, secundùm se, & directè, in alijs autem peccatis, puta, cùm aliquis fornicatur, non avertitur à Deo secundùm se, sed secundùm aliud, in quantum scilicet appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam aversionem à Deo. Ergo.

* 3 *Oppono* 1. Omnium gravissima sunt pecata in Spiritum S. vtpote irremissibilia: Sed in ea non est odium Dei. Ergo. 2. *Peccatum* consistit in elongatione à Deo: Sed infidelis, vtpotè non habens cognitionem Dei, magis est elongatus ab eo. Ergo infidelitas est peccatum gravius odio Dei. 3. *Odisse* pœnam non est maximum peccatorum: Sed Deus solùm odio habetur ratione effectuum, scilicet pœnarum. Ergo.

Hæc omnia solvit S. D. a. citato *Ad* 1. *ait.* Sicut Gregor dicit: Aliud est bona non facere, & aliud est bonorum odisse datorem, sicut aliud est ex præcipitatione, aliud ex deliberatione peccare. Ex quo datur intelligi, quòd odire Deum omnium bonorum datorem, sit ex deliberatione peccare, quòd est peccatum in Spiritum S. Unde odium Dei maximè est peccatum in Spiritum S. secundum quòd peccatum in Spiritum S. nominat aliquod genus speciale peccati. Ideò tamen non computatur inter species peccati in Spiritum S. quia generaliter invenitur in omni specie peccati in Spiritum S. Hæc S. D. Ex quo patet *dist. min. Ad* 2. maior est vera solùm de elongatione voluntaria. Unde S. D. ait: Infidelitas non habet rationem culpæ, nisi in quantum est voluntaria. Et ideo tantò est gravior, quantò est magis voluntaria. Quòd autem sit voluntaria, provenit ex hoc, quòd aliquis odio habet veritatem, quæ proponitur. Unde patet, quòd ratio peccati in infidelitate sit ex odio Dei, circà cuius veritatem est fides. Et ideò sicut causa est potior effectu, ita odium Dei est malus peccatum, quàm infidelitas. Hoc ibi. *Ad* 3. *Mali* est vera de pœna secundùm se, falsa de ea sumpta cum Auctore eius. Unde S. Thom. ait: Non, quicunque odit pœnas, odit Deum pœnarum auctorem. Nam multi odiunt pœnas, qui tamen eas patienter ferunt ex reverentia divinæ iustitiæ. Unde August dicit. 10. *Confess. c* 28. Mala pœnalia Deus tolerari iubet, non amari. Sed prorumpere in odium Dei punientis, hoc est habere odio ipsam Dei iustitiam, est gravissimum peccatum. Ita S. D.

* 4 QUÆRO III. Odium proximi estne gravius cæteris peccatis in proximum commissis? *Resp.* affirm. considerando deordinationem peccati, non damna ex eo secuta. *Declarat hoc S. D.* ar. 4. Peccatum, quod in proximum committitur, habet rationem mali ex duobus 1. Ex deordinatione peccantis. 2. Ex nocumento, quod infertur ei, contra quem peccatur, vt patet in homicidio, furto, adulterio, &c. Primo modo odium Dei est malus peccatum, quàm exteriores actus, qui sunt in proximi nocumentum, quia per odium maximè, & ratione sui deordinatur voluntas, actus verò externi tantum sunt peccata, quia procedunt à quodam odio interiori, saltem virtuali, nec sunt peccata, si voluntas non sit deordinata, puta, cùm quis ignoranter, vel Zelo iustitiæ hominem occidit. Sed quantùm ad nocumentum, quod proximo infertur, peiora sunt exteriora peccata, quàm interius odium.

* 5 QUÆRO IV. Estne omne odium proximi peccatum? *Resp.* 1. Odium abominationis proximi secundùm ea, quæ proximus à Deo sive per naturam, sive per gratiam habet, semper est peccatum. *Ratio*: Bonum quà tale odio habere, est peccatum: Sed proximus sub dicta formalitate est bonus. Ergo.

Quomodo ergo explicas verba Christi Luc. 14. quibus vult, ad se venientes odisse Patrem, & Matrem? *Explico ea* intelligendo, vel vt *odisse* idem sit, ac *postponere*, relinquere, &c. vel vt sermo sit de affectibus inordinatis parentum, quibus nobis impedimento sunt in progressu virtutum, sub qua ratione sunt peccatores, & iniqui, qui vt tales odio haberi possunt, & debent, iuxta illud Psal. 138. *Perfecto odio oderam illos.*

Resp. 2. Omne odium inimicitiæ proximi est peccatum. *Ratio*: Quia per hoc desideratur alteri malum vt malum est, quod semper rectæ rationi repugnat. Ergo.

Resp. 3. Odium etiam proximi per se, seu ex genere suo est peccatum mortale. *Ratio*: Quia opponitur Charitati. Dixi *per se*, quia per accidens fit veniale. 1. Propter actus imperfectionem, vt, quia non est cum deliberatione perfecta. 2. Propter exiguitatem obiecti, vt quia proximo optat malum, sed leve.

* 6 QUÆRO V. Liceme de alterius malo gaudare, de bono dolere: *Resp.* sub *dist.* ex motivo aversionis, & displicentiæ personæ, illicitum est. *Ratio*: Quia tale gaudium, & tristitia contrariantur Charitati, nec aliunde possunt oriri quàm ex inimo odio. Ex motivo honesto (quòd omni aversione careat) non est illicitum, *v. g.* optare mortem prædoni, vt negotiatio fiat secura: ægritudinem peccatori, vt convertatur ad Dominum, dolere, quòd homo iniquus adeptus sit officium, quia malè tractaturus est populum. *Ratio*: Quia tale gaudium, & tristitia suam bonitatem, vel malitiam sumunt à motivo, ex

ex quo efficiuntur; nec feruntur in malum proximi sub ratione mali, sed sub ratione boni: non enim desideratur mors prædonis, vt homicidium est, sed quatenus est causa quietis publicæ.

* 7 QUÆRO VI. Liceatne proximo procurare malum iustis de causis, & modis? *Resp.* 1. sub *dist.* Ex ira, aut motivo vindictæ est peccatum mortale, vel veniale iuxta qualitatem odij, vel mali procurati. *Ratio*: Quia licèt causa sit iusta, vti & modus, motivum tamen est malum, bonum autem consurgit ex integra causa, malum ex minimo defectu. Hinc Iudex sententiam iustam ferens ex ira, peccat mortaliter, licèt non teneatur ad restitutionem.

Resp. 2. Procurare proximo malum ex motivo rationabili, non est peccatum, vt si procurando meam solutionem adducam proximum in debita, vel si sollicitem punitionem malefactoris, licèt enim is inde patiatur damnum, non tamen fum illius causa. *Ratio*: Quia vtor iure meo, & quamvis tam citò non exegissem, si me non offendisset; si tamen rationabile motivum habeo exigendi, *v. g.* incommodum, quòd patior, ex detentione pecuniæ meæ, non dicor vindicare exigendo, sed potiùs denegare beneficium, quòd præstare non tenetur.

* 8 QUÆRO VII. Liceatne sibi optare mortem? *Resp.* sub *dist.* Si fiat ex motivo desperationis, est mortale; si fiat ex motivo bono, *v. g.* vt quis ardentiùs Deum amet, vt Deum, non ampliùs offendat, &c. peccatum non est. *Ratio*: Quia in primo casu est contra Charitatem sui ipsius, non in secundo.

Quid si fœmina sæpè sibi optet mortem, vt evadat sævitiam mariti, à quo durissimè tractatur? *Dico*, probabilius esse, quòd mortaliter peccet, si fiat seriò, & cum plena deliberatione. *Ratio*: Tum quia non est Domina suæ vitæ; tum quia delinquit contra Charitatem sibi debitam in materia gravi.

* 9 QUÆRO VIII. Liceatne ob aliquod emolumentum temporale alterius mortem optare, saltem cum debita moderatione, vt si vxor marito, à quo durè tractatur, optet mortem vt à Deo ei infligendam? *Resp.* Probabilius negativè.

Ratio: Quia ratione præcepti Charitatis tenemur vitam proximi præferre commodo nostro temporali. Et certè opposita sententia asserens, quòd hoc non tam sit velle malum proximi quàm bonum inde secuturum, in praxi periculosa est, quidquid de ea sit speculativè loquendo.

Not. Inter 65. Propositiones ab Innocentio XI. damnatas esse & has: N. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Et n. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, sed vt bonum cupientis: qui nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* Et n. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

* 10 QUÆRO IX. Quid sentis de infirmo, qui in doloribus clamat, conqueritur, tristatur, corpus agitat? *Resp.* 1. sub *dist.* Si illæ externæ corporis commotiones leves sint, & moderatæ, & absque alia indecentia, nec demonstrent aliquam amaritudinem spiritus, resignationi, & regulæ rationis oppositam, non sunt peccata. *Ratio*: Quia sunt effectus naturæ sensibilis, quos animus, etsi pacatissimus, regere non semper potest, prout vellet, multi enim Sancti in doloribus clamaverunt.

Resp. 2. Si motus illi sint nimis violenti, & coniuncti cum indignatione, sunt peccata, sed nonnisi venialia. *Ratio* 1. *partis.* Quia sic contrariantur virtuti patientiæ, cuius est confirmare animum ad moderandam tristitiam ex morbo provenientem. *Ratio* 2. *partis*: Quia omnia illa non sunt nisi quidam excessus doloris, & tristitiæ per talia externa corporis signa manifestatus, qui mortalis esse non potest, nisi ratione scandali, aut alterius mali, ex tali impotentia secuti.

* 11 QUÆRO X. Estne peccatum, desiderare, vel procurare malum animalibus proximi? De quo *S. Thom. hic q. 76. art. 2. Resp.* 1. sub *dist.* Si fiat ex odio proximi, malum optatum referendo in ipsum, est peccatum mortale, vel veniale secundum qualitatem mali desiderati, seu procurati. *Ratio*: Quia hoc est odio habere proximum in suis animalibus. *Resp.* 2. Si fiat ex causa rationabili, *v. g.* propter damnum, quòd animalia inferunt non est peccatum. *Ratio*: Quia ad repellendum notabile damnum licet etiam occidi. Ergo &c. *Resp* 3. Si fiat ex ira, & passione in ipsa animalia, absque odio, vel damno proximi, tantùm est veniale, ratione iræ inordinatæ, non ratione animalium. *Ratio*: Cum enim hæc homini sint subiecta, potest illa odio habere, percutere, occidere pro libitu, secluso damno proximi. De his plura infrà de imprecatione.

* 12 QUÆRO XI. Teneorne in Confessione exprimere speciem mali, quòd proximo optavi, vel de quo gravius sum? *Resp.* Probabilius affirmo, loquendo consequenter ad sententiam nostram suprà de circumstantijs intra eandem speciem notabiliter aggravantibus. Et rationes ibi adductæ etiam hoc probant. Unde notabiliter graviùs peccat, qui alteri optat mortem, pestem, gehennam, &c. quàm qui ei optat amissionem alicuius animalis, vel etiam pecuniæ, etsi in magna quantitate.

Discordia q. 37. *Contentio* q. 38. Utrobique per 2. artic.

* 13 QUÆRO XII. Discordia quid, & quando peccatum est? *Resp.* 1. cum S. Thom. *q. 37. art.* 1. Discordia est vitium inclinans ad inordinatè ostendendum nostram voluntatem voluntati alterius præstare. Vel, Discordia est, qua quis voluntati alterius de bono divino, aut humano, cui debet contentire, scienter & ex intentione contrariatur.

Resp. 2. Discordia formalis, seu ex intentione talis, est peccatum mortale ex genere suo. *Ratio*: Quia directè est contra concordiam Charitatis iuxta S. Thom. Dixi *ex genere suo*, quia fit veniale propter imperfectionem actus, vel ex parte volentis, vt si sit motus primus discordiæ, vel ex parte materiæ, vt si sit in re levi; est autem res levis, quæ non est necessaria ad salutem, *v. g.* non velle fugere mendacia meræ officiosa. Notanter dicitur in 2. definitione (ait Caietanus) *cui debet consentire*, quia completum discordiæ peccatum tollit concordiam, non quamcunque, sed debitam, quia scilicet ex debito est, aut esse debet inter proximum, & se aut alium circa bonum divinum, vel proximi necessarium; quòd si vnus æstimet esse tale, alter contrarium opinetur, vel sentiat, est discordia. Si enim quis no-

lit

sit concordare cum proximo ad bonum supererogationis (puta, ad ingrediendum simul Religionem) non spectat ad vitium discordiæ, qui ad hoc bonum non tenetur consentire.

* 14 QUÆRO XIII. Contentio quid, & quando peccatum est? *Resp.* 1. Contentio est vitium inclinans ad inordinatè altercandum: nam *S. Thom. q. 38. art. 1. ait*: Contendere est contra aliquem *tendere*. Unde sicut discordia contrarietatem quandam importat in voluntate, ita contentio importat eam in locutione.

Resp. 2. Contrarietas locutionis potest attendi dupliciter, ait S. Thom. ibidem: Uno modo quantùm ad intentionem contendentis; si enim contrarietur veritati, est vituperabile; si falsitati, est laudabile. Alio modo quantùm ad modum, & sic considerandum est, an talis modus contrariandi conveniat; & personis, & negotijs, quia hoc est laudabile: vel an excedat convenientiam personarum, & negotiorum, & sic contentio est vituperabilis.

Resp. 3. Si Contentio pugnet contra veritatem cognitam, quoad gravitatem peccati iudicanda est iuxta naturam veritatis, hoc est, si veritas impugnata, est veritas Fidei, aut necessaria ad salutem alicuius, sive quantùm ad animam, sive quantum ad corpus, sive quantum ad res seu famam; & breviter, sive veritas est talis, vt eius mendacium esset perniciosum, Contentio pugnans contra eam est perniciosa, ideòque peccatum mortale; si verò non sit mendacium perniciosum, erit veniale vt explicat *Cajet.* Hoc intelligitur de Contentione formali, seu de eo, qui ex intentione pugnat contra veritatem, si enim fieret disputationis, vel exercitij gratia, est laudabilis, nisi fortè esset excessus in modo, ac clamore, ratione cuius potest fieri peccatum veniale, immò mortale, si adesset scandalum trahens ad mortale.

Schisma. De hoc cessatione Hæresis, & Apostasia, ad ad quas Schisma propè accedit, actum est suprà Tract. 7. Exam. 3. num. 56. & 57.

Bellum.

De quo S. Thom. quæst. 40. per 4. art.

* 15 QUÆRO XIV. Bellum quid, & quotuplex, & qua ratione licitum? *Resp.* 1. Bellum est congressio plurium, vi, & armis facta contra extraneos. Differt à duello, quòd hoc sit paucorum contra paucos, sive concives sint, sive extranei. Item à seditione, hæc enim est plurium contra plures in eadem Republica.

Resp. 2. Bellum aliud est defensivum, quòd assumitur ad iniuriam (quæ moraliter est in fieri) repellendam: aliud offensivum, quòd assumitur ad obtinendam satisfactionem pro iniuria iam illata.

Resp. 3. Utrumque bellum per se est licitum. Ita S. D. art. 1. *Ratio*: Iure naturæ omnibus concessum est vim vi reppellere. Ergo licitum est bellum defensivum. Dein, si non esset quandoque licitum bellum inferre (quòd est offensivum) posset Princeps absolutus, seu Respublica Superiorem non agnoscens alijs impunè inferre quamcunque iniuriam: Sed hoc nemo admittet. Ergo. Dixi in R. 3. *per se*: Quia bellum per accidens potest fieri illicitum ex defectu conditionum requisitarum ad bellum iustum. Pro quo.

* 16 *Resp.* 4. Tria requiruntur ad bellum iustum, quæ assignat S. Thom. *cit. art. 1. in c. Primò* auctoritas Principis, cuius mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest ius suum in iudicio Superioris prosequi. Similiter etiam convocare multitudinem, quòd in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cùm autem cura Reipublicæ commissa sit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam tueri. Et sicut licitè eam defendunt materiali gladio contra interiores perturbatores, dum puniunt malefactores. Rom. 13. *Non sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui malè agit*: ita etiam ad eos pertinet gladio bellico Rempublicam tueri ab exterioribus hostibus. Tales Principes sunt Papa, Imperator, Rex Hispaniæ, Galliæ, Respublica, v. g. Veneta, Superiorem non agnoscens. *Secundò*: Requiritur causa iusta, vt scilicèt illi, qui impugnantur, propter aliquàm, impugnationem mereantur, v. g. vt vindicare neglexerint, quòd à suis improbè factum est; vel reddere, quòd per iniuriam ablatum est. *Tertiò*: Vt intentio bellantium sit recta, quà scilicèt intenditur, vel vt bonum promoveatur, vel vt malum vitetur. Nam licèt adsit authoritas indicentis, & iusta causa, si tamen intentio non sit recta, bellum est illicitum. Pro quò S. Thom. citat S. Augustin. dicentem *l. 22. contra Faustum*: Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quà sunt similia: hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur.

Quarta: Ab alijs assignatur conditio, vt nimirum in bellando debitus servetur modus, puta, ne parti contrariæ alia inferantur damna, nisi quæ necessaria sint ad omnimodam satisfactionem pro iniuria illata, & expensis toto *belli* tempore factis. Item, vt media, quæ in bello adhibentur, non præjudicent Religioni, Iustitiæ, Charitati, &c. Item, vt ante bellum petita fuerit satisfactio, & à parte adversa denegata.

* 17 Assigna quasdam iniurias notabiles, quæ sint iusta belli causa, satisfactione petita, & denegata. *Dico*: Sunt 1. *Denegatio* innoxij transitus, & similium, quæ iure Gentium debentur omnibus; sicut enim quilibet privatus potest transire per tuum agrum, si is habeat servitutem viæ publicæ, ita & gens ex æquitate, & iure communi humanæ societatis per vias publicas alterius Regni. 2. *Pretiosa* Principis detenta, Civitas invasa, etiam parva ob periculum amittendi maiora. 3. *Supperiæ* latæ inimicis. 4. *Publica* Principis contumelia. 5. *Rebellio* Subditorum. 6. *Hæresis* Subditorum. 7. *Defensio* malefactorum, ne pœna luant. 8. *Fœdus* violatum. 9. *Negatus* locus prædicationis veræ Fidei.

* 18 *Oppone* 1. contra R. 3. & 4. Matth. 26. Christus dicit: *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit.* Ergo bellum non est licitum. 2. *Bellare* contrariatur divino præcepto. Ergo. *Prob. ant.* Matth. 5. dicitur: *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Et Rom. 12. *Non vos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ.* Ergo. 3. *Quòd* contrariatur virtuti, est peccatum: Sed bellum contrariatur virtuti, nimirum paci. Ergo est peccatum.

Hæc tolvit S. D. *art. cit. ad* 1. Sicut Augustin. dicit: Ille accipit gladium, qui nulla superiori, aut legitima potestate, aut iubente, vel concedente in sanguinem alicuius armatur; qui verò ex authoritate Principis, vel Iudicis, si sit persona privata, vel ex Zelo Iustitiæ, quasi ex auctoritate Dei, si sit persona publica, gladio vtitur, ipse non accipit gladium,

lium, ſed gladio ab alio ſibi commiſſo vtitur, vndè ei pœna non debetur. Nec tamen etiam illi, qui cum peccato vtuntur gladio, ſemper gladio occiduntur, ſed ipſi ſuo gladio ſemper percutiuntur, quia pro peccato gladij æternaliter puniuntur, niſi pœniteant. Ita S. D. *Ad* 2. *R.* eodem modò. Alia *R.* videatur in S. Thom. ibidem. *Ad* 3. *Min.* eſt vera de bello iniuſto. Vndè S. D. *ad* 3. ait: Etiam illi, qui iuſtè bella gerunt, pacem intendunt, & ita paci non contrariantur niſi malæ; quàm Dominus non venit mittere in terram, vt dicitur Matth. 10. Vndè Aug. dicit: *Non quæritur pax, vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur, vt pax acquiratur. Eſto ergo bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas.* Hæc ibi:

Not. Si ex bello iuſto facilè prævideantur eventura damna longè excedentia æſtimationem rei debitæ, fit illicitum. Hinc boni Principes, etiam ſuperiorem non agnoſcentes, ſolent aſſumere alium Principem, vt Iudicem compromiſſarium, aut arbitrum, & non cruento bello vindicare ius ſuum.

* 19 QUÆRO XV. Licetne in bello iuſto hoſtes ſpoliare, occidere, in ſeruitutem redigere, etiam innocentes? *Reſp.* 1. In bello iuſto tam defenſivo, quàm aggreſſivo licitum eſt hoſtibus (etiam parta victoria) vſque ad plenam ſatisfactionem inferre damna, vt arces deſtruere, prouincias occupare, reos occidere. *Ratio.* Quia hic eſt finis belli.

Reſp. 2. Licitum eſt in bello iuſto hoſtes bonis ſuis ſpoliare, etiam innocentes, ſi ſint pars Reipubl. delinquentis, & maximè illis bonis, quibus hoſtes contra iuſtum bellum gerentes poſſunt vti, vt ſunt arma, equi, &c. *Ratio eſt*: Quia horum bonorum ſpoliatio eſt iuſta quædam defenſio.

Reſp. 3. Alijs bonis innocentes ſpolari poſſunt per accidens, in quantum hæc ſpoliatio eſt neceſſaria ad conſequendum finem belli. Hinc iuxta mandatum, vel voluntatem explicitam, aut implicitam Belli-Ducis in bello iuſto poſſunt milites fruges deſtruere, pagos euertere, vrbes ſpoliare. *Ratio*: Quia ſunt executores iuſtæ ſententiæ, & vindictæ. *Excipio*, ſi Dux, ad parcendum hoſti id vetet, tunc enim damna inferentes peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, quia tunc hoſtis retinet ius in ſua bona, vti antè.

Reſp. 4. In bello iuſto per accidens, ſeu indirectè, ac præter intentionem interdum licitè occiduntur innocentes, vt ſi Ciuitas aliter capi, vel hoſtis aliter in prælio vinci non poſsit. Hinc turres, ac mœnia tormentis, vel ſuppoſito pulvere licitè euertuntur, quamvis certò conſtet quoſdam innocentes fore occidendos. Probat hoc praxis piorum, ac prudentum. Supponitur autem, quòd nunquam id liceat per ſe, & ex directa intentione; Reſpublica enim non habet dominum in vitam ſubditi, ſicut habet in bona temporalia, ſed ſolus Deus. De quo alibi.

* 20 *Quos intelligis* per innocentes? *Intelligo* Eccleſiaſticos, qui nec ſunt pars populi, nec tractant arma, vel conſilia belli. Item, pueros, ac mulieres, ſimplices ruſticos, & extenſos, caſu verſantes inter hoſtes, & armis eos non iuuantes.

Quid ſi in vrbe capta ſint multi innocentes, & pauci nocentes? *Dico*: Non licèt expugnare eos cum periculo innocentum. *Ratio*: Quia maior pars trahit ad ſe minorem. *Not.* Quòd etiam obſides dati, licèt ex parte dantis fides ſit violata, non poſſint occidi, ſi in cauſa belli ſint innocentes: poſſunt tamen captiuari, immò & (ſi infideles ſint) in ſeruitutem redigi; ſi autem ſint nocentes, & adſit culpa morte digna, poſſunt occidi.

* 21 *Reſp.* 5. Stando in iure Gentium in bello iuſto licèt captiuare hoſtes, immò & eorum infantes ratione carentes. *Ratio*: Quia infantes computantur inter bona nocentium, & Reipub. contra quàm iuſtè bellatur.

Reſp. 6. Infideles, id eſt, non baptizatos, vti & à Fide apoſtatas, contra Regem Chriſtianum bellantes, licèt redigere in ſeruitutem. *Ratio*: Quia diſpenſatio in iure Gentium de non efficiendo mancipia inter Chriſtianos in bello iuſto captos (Chriſtiani etiam à Chriſtianis capti, ſolùm detinentur, viquè dum pecunia redimantur) facta eſt in fauorem Fidei: Sed hanc non habent infideles, & Apoſtatæ eam reliquerant. Ergo.

Quid ſi inter hos ſint innocentes, cogniti tales? *Dico*, non fieri mancipia, ſi ſint adulti; benè tamen innocentes ratione carentes, ob rationem antè datam. Et hoc præſertim, ſi Belli-Dux tuliſſet pœnam, ſi ipſi rebellent, etiam ipſorum infantes mancipia futuros.

Quid ſentis de reis, ſeù nocentibus iuſto bello captis, poſſuntne occidi? *Dico*, poſſunt, ſpectato rigore iuſtitiæ; ſed charitas exigit, vt ſalvo bono communi Belli Dux ſanguini parcat. Dixi; *ſalvo bono communi*. Si enim contra hoſtes valdè pertinaces ſecuritas aliter obtineri non poſſet, vel damnari, aut convicti eſſent de magno crimine, v. g. perduellionis, aut læſæ Maieſtatis, occidi poſſunt.

Servi in bello etiam iuſto capti poſſuntne fugere? *Affirmo*: ſicut alibi docetur de iuſtè incarcerato.

* 22 QUÆRO XVI. Spolia à militibus capta cuius ſunt? Ante R. *Suppono* 1. quòd ſi alicubi ſit moris, vt omnia ſpolia deferantur ad Ducem, vt is ea pro meritis diſtribuat, illum morem ſeruandum eſſe. *Suppono* 2. Quæſtionem eſſe de bonis mobilibus, & immobilia pertinere ad Principem, cum hac tamen differentia, quòd ſi inter ea ſint aliqua ab hoſte (cui auferuntur) iniuſtè poſſeſſa, reſtituenda ſint primis Dominis, ſi illi non ſint hoſtes. His ſuppoſitis.

Reſpondeo verbis S. Thom. infrà *q.* 66. *art.* 8. *ad* 1: Circa prædam diſtinguendum eſt: Quia ſi illi, qui de prædantur hoſtem, habeant bellum iuſtum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, totum efficiuntur, & hoc non habet rationem rapinæ: vnde nec ad reſtitutionem tenentur, quamvis poſſint in acceptione prædæ, iuſtum bellum habentes peccare propter cupiditatem ex prava intentione, ſi ſcilicet, non propter iuſtitiam, ſed propter prædam principaliter pugnent. Dicit enim Auguſt. in lib. de verb. Dom. *quòd propter prædam militare peccatum eſt.* Si verò illi, qui prædam accipiunt, habeant bellum iniuſtum, rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur. Hæc S. D.

Ex quo patet, quòd bona mobilia in bello iuſto in prædam capta non computentur in ſatisfactionem rei, pro qua bellatur, ſed fiant capientium, poſtquam ad locum tutum delata fuerunt. Ita enim Iure Cæſario ſtatum eſt, & videtur eſſe è re boni communis, tum ad lites vitandas, tum ad milites animandos. Excipiuntur bona, quæ gaudent iure poſtliminij, *v. g.* beſtiæ, boues, equi, naues, & currus onerarij, vehentes commeatum, ſi hoſtis, *v. g.* Turca, talia rapiat, per noſtros milites verò recuperentur, debent reddi illis, quorum antè erant. Pro quo ex Syluestro, *Not.* Poſtliminium eſſe ius, quo reſti-

restituitur alicui res vsucapta, vel præscripta, quam propter captivitatem, vel servitutem amiserat, à qua reversus est. Item ius postliminij est ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo in statum pristinum restituendæ, moribus, legibusque constitutum, vt, si quis aliqua perdidit in bello, illi restituantur, si posteà recipiantur.

* 23 QUÆRO XVII. Potestne Princeps tuta conscientia circa indictionem belli, eiusque prosecutionem sequi sententiam probabilem, ac minùs securam relicta probabiliore? & quid agendum militi in casu, quo est dubium de iustitia belli? *Resp.* 1. ad 1. partem quæsiti probabilius negativè. *Ratio* huius patet in *T.* 2. *E.* 3. *n.* 36.

Resp. 2. Miles quicunque, sive officialis, sive gregarius paratus bellare in bello iusto, & iniusto, est in malo statu. *Ratio*: Qui amat periculum, peribit in illo: Sed talis exponit se periculo peccati mortalis. Ergo. Intelligitur autem resolutio, si ex parte eius, contra quem movetur bellum, etiam sit sententia probabilis. Hinc inter Christianos iusta bellum indicendi causa debet, omnibus rectè ponderatis, saltem moraliter loquendo esse certa, & evidens. Si causa sit dubia, & agatur de re ab alio possessa, melior est conditio possidentis, nec potest per bellum possessione spoliari. Si res à neutro sit possessa, debet per iurisperitorum sententias dubium decidi. Si vterque habet æquè multos pro se sentientes, debet res dividi, si divisibilis sit: vel sors mitti, si dividi nequeat.

Resp. 3. Miles dubitans de iustitia belli, si sit subditus Principis bellantis, aut ab eo conductus, tenetur practicè dubium deponere, & bellare. *Ratio*: Ad militem, si alias non sit Consiliarius, non pertinet examinare causas belli, sed habet se, vt Lictor, qui exequitur sententiam Iudicis, vt ait noster de la Cruz, nec Princeps cuivis militi tenetur reddere rationem belli. Vide de Conscientia dubia in *T.* 2. *E.* 1.

Resp. 4. Alij, qui non sunt subditi Principis bellantis, nec ab eo conducti, si de iustitia belli dubitent, non possunt in eo bellare. *Ratio*: Quia non tenentur obedire, vt patet, cum stipendium non accipiant, nec subditi sint; Et aliàs bellando se exponunt periculo peccati mortalis in irrogatione damnorum.

* 24 *Potestne* dari bellum ex vtraque parte iustum? *Dico*: impossibile esse per se loquendo. Quia iuxta Dialecticos ex duabus propositionibus contradictorijs vna necessariò est falsa. Potest tamen esse per accidens, propter invincibilem ignorantiam iuris alterius partis.

* 25 QUÆRO XVIII. Teneturne Princeps oblata iusta satisfactione, à bello (licèt iam cœptum sit) desistere? *Resp.* Probabiliùs affirm. *Ratio*: Quia sublata iniuria, & actione, non restat belli causa: Sed iuxta Iuristas per dignam satisfactionem tollitur iniuria, & actio. Ergo. *Quid si illi*, qui bello impugnantur, Principi bellanti intulissent iniuriam valdè atrocem, v. g. Patrem, Fratrem, aut alium propinquum contra omne ius occidendo? Sentiunt nonnulli DD. quòd in hoc casu Princeps offensus non teneatur à bello cessare, nisi oblata satisfactio esset de summo rigore iustitiæ, sic vt non tantùm compensaretur totum interesse, sed & nocentes neci darentur. Verùm alijs Canonistis, & Theologis sanior meritò videtur sententia, dicens & hoc punctum esse moderandum ex æquitate, & pio arbitrio boni Principis, considerando maxima damna, quæ ex bello pullulant; ne peccetur contra verba S. August. allata *n.* 15. in tertia conditione iusti belli.

* 26 QUÆRO XIX. Licetne Principi Christiano in auxilium vocare infideles, v. g. Turcas, vel in bello eos iuvare? Hæc *Q.* resoluta est in *T.* 7. *E.* 3. *num.* 26.

* 27 QUÆRO XX. Estne Clericis, & Episcopis licitum bellare? *Resp.* cum S. Thom. *art.* 2. negativè. *Ratio* S. D. est: Bellica exercitia hominem maximè à divinorum contemplatione avertunt, & ad humani sanguinis effusionem tendunt. Ergo non licent spiritualibus Personis, nisi in articulo necessitatis. Vnde Apost. 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Et (vt arguit S. Thom. in Sed Cont.) Matth. 26. Petro in persona Episcoporum, & Clericorum dicitur: *Converte gladium tuum in vaginam.*

* 28 *Oppono* 1. Episcopi, & Clerici tenentur defendere suas oves: Sed id nequeunt sine armis. Ergo ijs vti possunt. 2. Episcopis, & Clericis licèt alios ad bellandum inducere. Ergo & bellare. Quòd enim quis facit per alium, per se ipsum fecisse censetur. 3. Quòd secundùm se est honestum, Prælatis, & Clericis non est illicitum: Sed, vt dictum est, bellare quandoquè est honestum, immò meritorium. Ergo.

Hæc omnia solvit S. Thom. *art.* 2. *Ad* 1. *min.* est vera de armis spiritualibus. Verba S. Thom. sunt: Prælati debent resistere non solùm lupis, qui spiritualiter interficiunt gregem, sed etiam raptoribus, & Tyrannis, qui corporaliter vexant: non autem materialibus armis in propria persona vtendo, sed spiritualibus, quæ sunt salubres admonitiones, devotæ orationes, contra pertinaces excommunicationis sententia. *Ad* 2. *dist. cons.* Ergo eis licèt bellare physicè, *N.* moraliter *C. Cons.* Verba S. D. sunt *ad* 2. Prælati, & Clerici ex auctoritate Superioris possunt interesse bellis, non quidem vt ipsi propria manu pugnent, sed vt iustè pugnantibus spiritualiter subveniant suis exhortationibus, absolutionibus, & alijs spiritualibus subventionibus. Sicut & in veteri Lege mandabatur Iosuè 6. quòd Sacerdotes sacris buccinis in bellis clangerent, quòd autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est. Et *ad* 3. ait: Ad Clericos pertinet disponere, & inducere alios ad bellandum bella iusta. Non enim interdicitur eis bellare, quia peccatum sit, sed quia tale exercitium eorum personæ non congruit. *Ad* 3. *N. mai.* Nam (vt ait S. D. ad 4.) actus matrimonialis secundum se est honestus, & meritorius; & tamen virginitatem voventibus redditur dainnabilis propter obligationem ad maius bonum. Vel *dist. mai.* Hoc non est illicitum secundùm se, *C.* ratione conditionis personæ, *N.* Excipiuntur aliqui casus. 1. Si sint Clerici, v. g. Episcopi habentes dominium temporale cum authoritate indicendi bellum, hi enim bellum indicere, & pro eò ducem instituere possunt, non tamen semper eò ipso propijs manibus pugnare. 2. Possunt pugnare ex dispensatione Papæ, quia prohibitio solùm est iuris humani. 3. Si Clerici non possint vitam tueri aliter quàm pugnando. 4. Si per Clericorum pugnam Civitas possit conservari, vel ex eà pendeat victoria in bello iusto. 5. Si Clericus sine notabili suo periculo possit pugnando eripere innocentem.

* 29 QUÆRO XXI. Clerici spiritualibus medijs militibus assistentes, gaudeantne hostium spolijs? *Resp.* affirm. *Ratio*: Iuxta Reg. Iuris, qui sentit onus, sen-

sentiat & commodum ? Sed dicti Clerici sentiunt onus belli, eius periculis se exponentes, suntquè pars exercitus. Ergo etiam sentire debent commodum spolij. Et quamvis hoc ita sit, sedulò tamen cavere debent scandala pusillorum, & ne norentur labe avaritiæ.

* 30 *Possuntne* ipsi Clerici ab hoste spoliari ? *Dico*, non posse, si in bello per seipsos non pugnent. *Ratio*: Quia ipsi eorumquè bona gaudent privilegio immunitatis Ecclesiasticæ.

* 31 *Possuntne* in bello iusto Ecclesiæ devastari, dirui, incendi ? *Dico*: Per se, & ex intentione directa non possunt, ob rationem mox datam: benè tamen per accidens, si victoria aliter obtineri non possit. Et hoc solùm verùm est de Ecclesijs incastellatis, seù instar Fortalitij munitis, vt ex ijs hostis vis inferatur, licèt exindè etiam per accidens sequatur concrematio imaginum, & similium.

Sed quid si templa essent fortificata, seù incastellata præcisè pro defensione personarum Ecclesiasticarum, aut aliorum innocentium, aliter se defendere non valentium ? *Dico*, non posse dirui, vel incendi ob rationem antè datam: attamen arma, & tormenta bellica ibi collecta possunt abduci ne hosti serviant. Hæc omnia supponunt justitiam belli.

* 32 QUÆRO XXII. Licetne in bello justo vti insidijs ? *Resp.* Sub *dist.* cum S. Thom. *art.* 3. sic discurrente: Insidiæ ordinantur ad fallendum hostes. Dupliciter autem aliquis potest falli ex facto, vel dicto alteriùs. Vno modò ex eò, quòd ei dicitur falsum, vel non servatur promissum, & istud semper est illicitum. Et hoc modò nullus debet hostes fallere. Sunt enim quædam jura bellorum, & fœdera etiam inter ipsos hostes servanda, vt Ambr. dicit *in Lib. de Officijs*. Aliò modò aliquis potest falli ex dicto, vel facto nostro, quia ei propositum, aut intellectum non aperimus. Hoc autem facere non tenemur: Quia etiam in doctrina sacra multa sunt occultanda, maximè infidelibus, ne irrideant, secundùm illud Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus.* Vndè multò magis eà, quę ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda. Vndè inter cætera documenta rei militaris hoc præcipuè ponitur de occultandis consilijs, ne ad hostes pervadiant; vt patet in libro Stratagematum Francorum. Et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est vti in bellis justis. Nec propriè huiusmodi insidiæ vocantur fraudes, nec iustitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati. Esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab alijs occultari. Hæc S. D. Idem in Sed Contra probat ex *S. Augst. dicente in lib.* 83. *quæst.* Cùm iustum bellum suscipitur, vt apertè pugnet aliquis, an ex insidijs, nihil ad iustitiam interest. Et hoc probat authoritate Domini, qui mandavit Iosue, vt insidias poneret habitatoribus civitatis *Hai*, vt habetur *Iosue* 8.

* 23 QUÆRO XXIII. Licetne bellare in die festo ? *Resp.* Licet, si sit necessitas. Ita *S. D. art.* 4. *sic discurrens*: Observatio festorum non impedit ea, quæ ordinantur ad hominis salutem etiam corporalem. Vnde Dominus arguit Iudæos dicens Ioann. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbatho* ? Et inde est, quòd Medici licitè possint medicari homines in die festo. Multò autem magis est conservanda salus Reipublicæ, per quam impediuntur occisiones plurimorum, & innumera mala, & temporalia, & spiritualia, quàm salus corporalis vnius hominis. Et ideò pro tuitione Reipublicæ fidelium, licitum est iusta bella exercere in diebus festis, si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminente tali necessitate vellet à bello abstinere. Sed necessitate cessante non est licitum bellare in diebus festis propter rationes inductas, quia festa per se sunt ordinata ad vacandum divinis. Hæc S. D.

* 24 QUÆRO XXIV. Potestne Princeps sine subditorum consensu damna per bella illi illata remittere in tractatu pacis ? Et quid in specie sentis de damnis Ecclesiarum ? *Ante R. Nos.* per damna hìc non intelligi impensas, sed devastationes, & similia. Hoc notato.

Resp. 1. Si Princeps subditis invitis gesserit bellum iniustum, tenetur, etiam de suo, resarcire damnas *Ratio*: Quia omnis, qui damnum dedit, compensare tenetur. *Resp.* 2. Si bellum fuit iustum, tenetur omnem movere lapidem, vt subditis damna compensentur. Si verò damnis non remissis non possit obtinere pacem, quæ tamen Reip. sit valdè necessaria, potest etiam contra subditorum voluntatem damna remittere. *Ratio*: Quia sic remittendo vtiliter agit pro subditis, & bonum commune promovet, quòd Principi ex officio incumbit. *Resp.* 3. Princeps Laicus, seu Sæcularis sine consensu Ecclesiæ non potest remittere damna illata Ecclesijs. *Ratio.* Quia de bonis Ecclesiarum disponere est extra sphæram eius.

* 35 QUÆRO XXV. Estne fœdus, seu fides hosti etiam infideli, vel hæretico servanda ? *Ante R. Suppono* sermonem esse de fœdere, quòd ex obiecto suo bonum est, si enim est malum, non est obligatorium. *Item* Quæstionem esse de fide publica, id est, data à Principe, Republ. Communitate, &c. si enim sit fœdus à privato initum cum privato, vel aliena Republ. aut Principe, & cedat in præiudicium propriæ Reipubl. vel Principis (cui privatus præiudicare nequit, & cuius ius in privatorum pactis excipitur) potest dissolvi. Hoc supposito.

Resp. 1. Fides publica hosti, etiam iniustè vexanti, seu iniustum bellum gerenti data, est servanda, licèt dani sit perniciosa. Ita S. Thom. *hic art.* 3. *in c.* ex S. Ambros. dicente: *Sunt quædam iura bellorum, & fœdera etiam inter ipsos hostes servanda. Ratio*: Tum quia hoc est de Iure Gentium, tum etiam, quia aliàs nulla pax, aut societas in humano genere subsistere posset.

Resp. 2. Fœdus à duobus Principibus Catholicis inter se initum non potest pontificia authoritate per dispensationem, aut iuramenti relaxationem dissolvi directè. *Ratio*: Quia Pontifex directè non potest annullare ea, quæ sunt Iuris Gentium.

Resp. 3. Si fœdus illud successu temporis cedat in magnum detrimentum Ecclesiæ, potest Papa ex plenitudine potestatis suæ illud rescindere indirectè, nimirum, vel alteram partem compellendo, vt obligationem Ecclesiæ nocivam remittat; vel, si nolit, propria auctoritate eam relaxando. *Ratio*: Quia Reges, & Principes, qui se Ecclesiæ Catholicè Filios profitentur, fœdera inter se ineuntes, censentur involvere hanc conditionem, si non cedat in Ecclesiæ perniciem.

Resp. 4. Si Princeps, seu Rex Christianus fœdus publicum ineat cum infidelibus, id est, cum non baptizatis, *v. g.* Turcis, illud Papa nec directè, nec indirectè relaxare potest. *Ratio*: Papa nihil potest facere, quòd cedat in damnum, & contemptum Ecclesiæ; Sed hoc cederet in damnum Eccle-

fiæ. Ergo. *Min. prob.* Religioni Catholicæ eiusque Principibus nihil magis damnosum, ac indecorum est contra omnium Gentium Iura quàm violare fœdera, & fidem publicè datam, cùm author Fidei nostræ sit ipsa veritas, & veracitas per essentiam, nec fallere, nec falli valens, cuius nomen exinde apud omnes aliàs Nationes multùm blasphemaretur. Ergo.

Sed posset esse, quòd illud fœdus posteà cedat in perniciem Ecclesiæ, à quo tunc sperandum, & petendum auxilium? *Dico*, ab eo, qui dixit: Ego bovilcum sum vsque ad consummationem Sæculi, qui est summus Ecclesiæ (quam ipse supra petram ædificavit) Rector, & Defensor, qui non vult fieri mala, vt veniant bona, quòd tamen in eo casu fieret, quia perfidia, seu violario fidei datæ peccatum est.

Resp. 5. Idem dicendum est de fide publica à Catholicis data hæreticis, quamdiù ipsi fidem servare sunt parati. *Ratio* est eadem, quæ antè. Et militat contra hæreticos blaterantes, docere Catholicos, hæreticis fidem servandam non esse, sed cum consensu Papæ eam posse violari, qua de causa ipsi in omni fœdere cum Catholicis inito excludi volunt Pontificiam relaxandi facultatem.

* 36 *Oppono*: Hæretici de iure, ratione baptismi sunt *subiecti iurisdictioni* Ecclesiæ. Ergo ab ea possunt compelli, vt remittant fidem datam, quæ cedit in Ecclesiæ damnum: vel si id nolint, potest per Ecclesiam relaxari. *Disp. Conf.* Si illud compelli non cedat in maius Ecclesiæ damnum, & contemptum, *C.* secùs, *N.*

Opponunt 2. ipsimet hæretici: Ioanni Husio à Concilio Constantiensi datus fuit Salvus Conductus: Sed ille fuit ab ipsis violatus. Ergo *Ad hoc N. mai.* quæ probari non potest. Salvum Conductum Husio dedit Sigismundus Imperator, sed eum non violavit. *Ratio* 1. Husius post Salvum Conductum arripuit fugam à Cæsare sub pœna capitis ei vetitam. 2. *Salvus* Conductus Husio erat datus in forma Iuris communis, id est, salva iustitia, qualiter ipsa Synodus Sess. 6. Hieronymo Pragensi dedit omnem Salvum Conductum à violentia, iustitia semper salva. 3. *Potestas* sæcularis, vtpotè inferior, non potest dare Salvum Conductum, qui præiudicet Ecclesiasticæ, vt non possit inquirere de erroribus Personarum, & procedere contra pertinaces, vt declaratur in ipsa Sinodo Sess. 19.

Repressaliæ.

* 37 QUÆRO XXVI. Suntne licitæ? Et quid sunt? *Resp.* 1. Repressaliæ dictæ sunt à rè, & prehendo, quasi iteratæ apprehensionis, vt explicat Sylvester, sicut, cùm quis apprehendit res alienas illius, qui apprehendit suas. Et sumitur, vel pro actuali apprehensione, vel pro auctoritate, quàm Princeps, vel Respub. suis subditis iniustum damnum passis facit invadendi terram, & occupandi bona eorum, qui damnificarunt, vsquè ad iustam damni compensationem.

Resp. 2. De potestate concedendi Repressalias eodem modò discurrendum est, ac de potestate indicendi, ac gerendi bellum, quàm dictum est esse in solo Principe, vel Republica, Superiorem non agnoscente. Idem est de cautis eas concedendi. *Ratio*: Quia Repressaliæ sunt quædam species belli.

Resp. 3. Repressaliæ non sunt licitæ, nisi magna adsit necessitas, vti de bello dictum est, & ille, qui Communitati (quæ damnum intulit) præest, fuerit monitus de facienda, vel imperanda satisfactione, & recusaverit.

Resp. 4. Repressaliæ concedi, vel extendi nequeunt contra personas Ecclesiasticas, aut bona eorum: & hoc sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ in personas singulares, Interdicti verò in Communitatem, nisi talem præsumptam licentiam intra mensem post diem concessionis, aut extensionis revocent. *C. vnic. de iniurijs in 6.* Idem dicendum est de alijs Privilegiatis, v. g. Ambasciatoribus, & alijs, quos nominat Sylvester V. Repressaliæ. §. 8.

Duellum.

* 38 QUÆRO XXVII. Quid, & quotuplex, ac licitumne? *Resp.* 1. Duellum (vt Sylvester explicat) est quasi duorum bellum, quòd etiam dicitur monomachia, id est, singularis, seù vnius pugna, à *monos*, quòd est vnum; & *machia*, pugna. Est ergo *singulare certamen, seù deliberata duorum, vel paucorum pugna ex condicto inita cum periculo læsionis, statuto tempore, & loco. Resp.* 2. Diversi sunt fines, ob quos quis duellare posset. 1. Recreationis causa. 2. Ad ostendendas vires, vel artem. 3. Vt exploretur veritas rei dubiæ, de quà litigatur in Iudicio, vel extra. 4. Ad vindicandam iniuriam.

Resp. 3. Duellum ex quàcunquè harum causarum susceptum, est illicitum, & peccatum mortale iuxta tutiorem, & probabiliorem sententiam. *Ratio pro* 1. *p.* Recreare se cum periculo mortis, vel gravis læsionis sui, aut proximi, est peccatum mortale, quòd nemo negat. Ergo. *Pro* 2. *p.* est eadem ratio. *Pro* 3. *p.* Tum quia esset tentare Deum: Tum etiam, quia *omninò* superstitiosum est, pro reo habere eum, qui ab altero superatur. Vel econtra. *Pro* 4. *p.* Tum quia omnis privata vindicta est illicita, etiam sub mortali, dum est in re gravi, vti est in præsenti. Tum quia in duelio æquè posset succumbere ille, qui est iniuriatus, quàm qui iniuriavit.

Resp. 4. Licitum est acceptare duellum pro defensione vitæ contra iniustum invasorem, etiam occidendo eum cum moderamine inculpatæ tutelæ, si nimirum aliter vita defendi nequeat. De quò infrà T. 9. E. 2. *n.* 31. *Ratio*: Quia in eò casu non est propriè duellum, sed iusta defensio sui.

Resp. 5. Si ex causa publica, nimirum ob commune bonum Reipubl. belli finem, & securitatem Belli-Duces iudicent magis expedire, vt bellum resolvatur in duellum, quale 1. Reg. 17. fuit inter *David*, & *Goliath*, tunc licitum est ex communiori sententia. *Ratio*: Tum quia in eò casu cessat motivum, quò duellum redditur illicitum, quòd est conjicere se in periculum mortis sine sufficiente causa; nam in hoc, vti & in casu *R.* 4. est causa sufficiens. Tum etiam, quia si ob fines in *R.* 5. dictos licitum sit, vti est conflictus cum toto exercitu cum periculo plurimorum, à fortiori licèt paucis contra paucos cum periculo paucorum.

* 39 Ex quibus patet, dues esse casus, in quibus duellum est licitum. Maxima verò difficultas est, an duellum sit licitum pro defensione honoris, famæ, respectus, seù ad virandam ignominiam, quàm Nobiles, vel belli Officiales subindè sibi confingunt, eàquè de causa ad duellum provocant, vel provocati comparent. Pro decisione.

Resp.

Reſp. 6. Tutior, & practicè probabilior, & in praxi omninò ſervanda eſt ſententia docens, pro defenſione honoris non poſſe indici, nec acceptari duellum, ſive ſolemne, ſive privatum. Antè probationem. *Not.* Duella alia eſſe ſolemnia ſeù publica, alia privata: priora fiunt ex condicto, & provocando ad certum locum, diem, cum chartellis coram teſtibus, Patrinis, vt vocant, fideiuſſoribus, cum periculo mortis, vel mutilationis. Privata verò fiunt quidem, & ſunt concertationes duorum ex condicto cum determinatione loci, & temporis, & cum dicto periculo; ſed ſine chartellis, teſtibus, fideiuſſoribus, &c. Hoc notato ad probandum *R. 3.*

Exclamo ex Matth. 18. v. 17. *Qui Eccleſiam non non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Audite ergo Matrem veſtram Eccleſiam: *Concil. Trid.* Seſſ. 25. de Reform. *c. 19. ſic ſtatuit*: Deteſtabilis duellorum vſus, fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam pernicies lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac iuriſdictione, & dominio Civitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quòd ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur: & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuę infamię pœnam incurrant, & vt homicidæ iuxta ſacros Canones puniri debeant, & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli, tam in Iure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obſtante quocunque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili. *Hæc Concil. Trid.*

Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Eà, quæ à Prædeceſſoribus, &c.* plures alias addit pœnas, vt pœnas criminis læſæ Maieſtatis, carceris, inhabilitatis ad teſtamentum faciendum, & ſimiles, quas extendit ad eos, qui chartas provocatorias ſubſcribunt, affigunt, vel publicant, cum privatione beneficiorum, & inhabilitata ad eà, ſi Eccleſiaſtici tale quid commiſerint.

Gregorius XIII. in Bulla incipiente: *Ad tollendum, &c.* Decretum Tridentini extendit ad omnes illos, qui ex condicto ſtatuto tempore, & in loco convento duellum commiſerint, licèt nulli Patrini, aut ſocij ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nec provocatoriæ litteræ præceſſerint. Quæ ſunt duella privata.

Clemens VIII. in Bulla, cuius initium: *Illius vices, &c.* Confirmat, declarat, & extendit ſuprà dictas Conſtitutiones Apoſtolicas, vt locum habeant etiam circa milites ex privata inimicitia inter ſe duellantes, eorumquè Duces talia duella permittentes. Item in eà excommunicat etiam ſolùm provocantem ad duellum, licèt alter non acceptaverit, nequè effectus pugnæ ſecutus fuerit.

Alexander VII. per expreſſum Decretum inter alias damnat hanc Propoſitionem: *Vir Equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Ratio 1. Adducta eſt pro 4. *parte R.* 2. *Ratio* 2. Deſumitur ex periculo animarum, prout Concil. Trid. *cit.* inſinuat per illa verba: *Deteſtabilis duellorum vſus*, & cætera, quæ ſequuntur. *Ratio* 3. Non eſt Chriſtiani hominis, quantumcunquè Nobilis, pro defenſione honoris exponere ſe perpetuæ infamiæ: Sed iuxta Trident. duellantes incurrunt perpetuam infamiam, & alias graviſſimas pœnas. Ergo. *Ratio* 4. Iuri naturæ repugnat maximum hominis bonum exponere pro minori: Sed per duellum homo maximum bonum, quòd in ordine naturali habet, ſcilicet vitam exponit pro minori, ſcilicet pro honore, & fama. Ergo peccat contra Ius naturę. Nec verum eſt, quod acceptatio duelli (vt Pſeudopolitici ſibi imaginantur (habeat rationem defenſionis, ſub qua ratione aliàs licèt vitam pro rebus temporalibus magni momenti exponere; non, inquam, verum eſt, quia reſtant aliæ viæ defenſionis. *Ratio* 5. Licèt apud Atheiſtas, apud mundanos, apud ex leges, Deum non timentes, Eccleſiam non reverentes (de quibus verus Chriſticola curare non debet) ignominiæ tribuatur talis duelli recuſatio, tamen apud timoratos, & ſapientes id honori adſcribitur, & recuſans meritò laudatur tanquam timens Deum, & reverens Eccleſiam. Ergo.

* 40 *Oppono* 1. Vita, & fama pari paſſu ambulant, vt dici ſolet: Sed iuxta dicta licitum eſt duellum, ſi aliter vita defendi non poſſit. Ergo & pro defenſione honoris, ſi aliter recuperari nequeat. 2. *Provocatus* ad duellum, vel provocans poteſt antè confiteri, & communicari. Ergo non exponit ſe periculo damnationis.

Ad 1. patebit *R.* infrà de homicidio: pro nunc datur diſparitas, quia vix eſt caſus, in quo honori aliter conſuli non poteſt, quam occidendo infamantem: poteſt enim adiri ordinarius Iudex, vel adhiberi ſequentes modi reſpondendi, quibus famę conſulitur. Supponitur autem, quòd in caſu poſito vita aliter ſalvari non poteſt. *Ad 2. diſt. ant.* Poteſt ſacrilegè, *C. ant.* validè & cum fructu, *N. ant.* & *conſ.* Itaque ſi ante duellum priùs quis confiteatur, & communicet, plus *obeſt*, quàm *proſit*, & novum ſacrilegium eſt. Neſcit iuſtitia Dei patrocinium dare criminibus. Nec fur ſigno crucis ſe munit, vt proſperetur in furto.

Quid ergo Provocatus reſpondebit provocanti, vt honori ſuo conſulat? *Dico*, reſpondere eum poſſe: Non recuſo duellum ex timore, & deiectione animi, ſed quia Deum offendere nolo, quia Dei, & Eccleſiæ Leges reſpicio: Vel paratus ſum duellum acceptare, ſi divinis, & Eccleſiæ legibus non repugnatet. Vel Chriſtiani hominis non eſt, cruenta morte ſe, aut proximum diabolo in ſacrificium offerre; vel perpetuæ infamiæ ſe exponere, quam incurrunt duellantes. Ubicunque armis invaſus fuero, armis me defendam, vt vitæ meæ conſulam. Generaliter adhiberi poteſt quæcunque reſponſio, quę non importat acceptationem formalis duelli.

* 41 Ex dictis varij reſolvuntur Caſus. 1. *Si* viri pugnis ſe excipiant, vel alio inſtrumento non periculoſo; vel etiam mulieres capillos invicem ſibi evellendo, non eſt duellum. 2. *Sicut* nec rixa, quæ concitatur ex ſubita ira. Hinc etſi grave peccatum ſit, formaliter tamen duellum non eſt, ſi rixa in domo orta ex ira, etiam ex conventione ſtatim in viam, vel forum vicinum proſiliant, incœptam rixam proſequentes, quia non eſt pugna perfectè deliberata. Ad duellum ergo requiritur, vt ineatur deliberatè, & (vt ſolet dici) frigido ſanguine, ac

temperato sine cholera. Indubiè autem impetus animi tollit deliberationem perfectam. 3. *Si* quis ab aliquo sibi occurrente, & ad pugnam provocante acceperet, & statim sine interpolita mora pugnet, etsi graviter peccet, non tamen est formale duellum, quia non est ex condicto, vel convento. Vide *Nav. past. n.* 6. 4. *Si duo* duellaturi ad pugnam iam parati strictis gladijs iam stent in præfixo loco, ex intervenu autem amicorum pugna impeditur, vterque incurrit excommunicationem Clementis VIII. vt patet, licèt non eam, quę est in Bulla Gregorij XIII. vtpotè dicentis: *monomachiam committentes*, hęc autem non committitur, vbi pugna non sequitur. Vide verba *Concil. Trid. cit.* de iudentibus duellum.

5. *Ad* 4. *capita* possunt revocari actiones in Bullis prohibitę, ob quas excommunicationes incurrantur. 1. *Pugnantium* in duello, provocantium, vel acceptantium. 2. *Contendentium* locum, aut non impedientium, si sint Domini, qui valent impedire, ne in suis terris committatur duellum. 3. *Aliquo* pacto cooperantium ad duellum, vt consilio, mandato, auxilio, favore, chartula, litteris, intimatione, publicatione, licèt provocatio, vel duellum actu secutum non sit. 4. *Spectantium* ex industria, seu studio se conferentium ad locum duelli, ex quorum præsentia duellantes fiunt audaciores. Hinc si quis casu transeat locum duelli, pedem non figens, vel tam latenter aspiciat, vt à duellantibus adverti non possit, non excommunicatur.

6. Qui alterum provocat non animo pugnandi, sed pro honoris sui defensione aliquot ictus infligendi, cum morali certitudine, quòd nullum damnum sit secuturum, sed pax potius inde conciliandа, is in foro conscientiæ potest excusari à pœnis, & censura duelli; licèt enim accedat ad locum conventum, non tamen cum periculo lætionis; attamen in foro externo præsumetur duellum. 7. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ tantùm infligitur decedentibus in ipso conflictu, vt sonant verba Trident. *cit.* Hinc sententia id asserens etiam de ijs, qui non statim, sed alio die moriuntur, est nimis rigida; nisi fortè supponat eos decedere impœnitentes, seu in peccato mortali: omnes enim sic morientes privantur sepultura Ecclesiastica. 8. Hoc etiam verum est, licèt in loco duelli decedentes ante mortem dederint signa pœnitentiæ, & à Sacerdote cala intervenente fuerint absoluti. *Ratio*: Quia sepultura Ecclesiastica illis non denegatur præcisè ideò, quia decedunt in peccato mortali, sed in pœnam, & detestationem commissi duelli, ad deterrendos ab eò homines. Verùm attendenda hìc est consuetudo loci, iuxta quàm sepultura Ecclesiastica alicubi non denegatur illis, qui datis pœnitentiæ signis decedunt in duellis privatis. Plura dicentur hac de rè infrà de homicidio, & restitutione pro eò.

Quæri hìc potest, quis Confessarius absolvere possit duellantes? Sed hoc patebit, dum infrà *T. 14. E. 2. n.* 27. agetur de casibus reservatis, de quorum numero est duellum.

Exercitia ad res bellicas spectantia, nimirùm *Torneamenta, Hastiludium, agitationes taurorum.*

* 42 QUÆRO XXVIII. Quid sunt, & licitane? *Ante R.* audiantur verba S. Thom. *hìc q.* 40. *art.* 1. *ad* 4. *dicentis*: Exercitia ad res bellicas spectantia non sunt vniversaliter prohibita, sed inordinata exercitia, & periculosa, ex quibus occisiones, & deprædationes proveniunt. Apud antiquos exercitationes ad bella sine huiusmodi periculis erant, & ideò vocabantur meditationes armorum, vel bella sine sanguine. Hæc ibi. Hoc præmisso.

Resp. 1. Torneamentum, vt Sylvester ait, secundùm vulgare Italicum dictum est à circuitu, & regressione pugilum. Et est ludus, quo ad ostentationem virium, & audaciæ multi milites ex condicto conveniunt, & temerè congrediuntur, cum probabili periculo mortis, seù vt sæpè mortes hominum indè eveniant. *Resp.* 2. Torneamentum est peccatum mortale. *Ratio*: Quia homo in illo exponit vitam, absquè rationabili causa probabili periculo; & vt in pluribus in eò sequitur mors, vel mutilatio. Ergo. *Resp.* 3. Moriens in torneamento incurrit pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ. Ita statuunt Iura Canonica.

Resp. 4. Hastiludium est ludus (vt ait Caietan.) quò pro *exercitatione bellica*, aut pro solemnitate festivæ alicuius iucunditatis regiæ, duò armati equites contra se invicem currunt cum lanceis. *Resp.* 5. Hastiludium ex suò genere, seù per se peccatum mortale non est. Ita Caiet. *Ratio*: Ludi militares peccaminosi, & pernicioſi sunt, ex nocumento personali, communiter seu per se, & vt in pluribus sequi solito; actus enim humani iudicantur ex eò, quòd vt in pluribus invenitur: Sed in hastiludio, vt in pluribus non sequitur tale nocumentum, nimirum mors, vel mutilatio, aut periculum eius, vt supponit Caiet. & in hoc differt à torneamento. Ergo. Dixi, *ex genere suo*. Si enim hìc, & nunc cum periculo mortis, vel mutilationis fiat, est mortale. Vndè patet aliquando esse, aliquando non esse licitum.

* 43 *Resp.* 6. Ludus agitationis taurorum est, quò homines cum bestijs, seù tauris pugnant. Est peccatum mortale tam in eò, qui tauros agitat, quàm qui agitari facit. *Ratio* est eadem quę de torneamento. Quia ex hac agitatione communiter sequuntur hominum dilaniationes, mortes, vulnera, ossium rupturæ. Item ludus hic videtur hominem magis assuefacere ad hostem fugiendum, quàm expectandum.

Resp. 7. Domini, qui ferarum agitationes permittunt, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ. Et qui in hoc ludo moriuntur, privantur sepultura Ecclesiastica. Ita Bulla Pij V. quæ incipit: *De Salute.*

Rixa, q. 41. *per* 2. *art. Sedirio, q.* 42. *per* 2. *art.*

* 44 QUÆRO XXIX. Quid sunt, & quantum peccatum? *Resp.* 1. De Rixa ex verbis S. Thom. *art.* 1. *in c. dicentis*: Sicut Contentio importat quandam contradictionem verborum, ita etiam rixa importat quandam contradictionem in factis. Vndè super illud Galat. 5. rixæ, dicit Gloss. quòd rixæ sunt, quando ex ira invicem se percutiunt. Et ideò rixa videtur esse quoddam privatum bellum, quòd inter privatas personas agitur, non ex aliqua publica auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate, & ideò rixa semper importat peccatum. Et in eò quidem, qui alterum invadit iniustè, est peccatum mortale. Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non est absquè peccato mortali. In

eò

eò autem, qui se defendit, potest esse sine peccato, & quandoquè cum peccato veniali, & quandoquè cum peccato mortali secundùm diversum motum animi eius, & diversum modum se defendendi. Nam si solo animo propellendi iniuriam illatam, & cum debita moderatione se defendat, non est peccatum, nec propriè potest dici rixa ex parte eius. Si verò cum animo vindictæ, vel odij, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum. Sed veniale quidem, quando aliquis levis motus odij, vel vindictæ se immiscet, vel cùm non multùm excedit moderatam defensionem. Mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel cum graviter lædendum. Hæc S. Thom.

* 45 *Resp.* 2. De Seditione ex verbis eiusdem S. D. *q.* 42. *art.* 1. *in c.* vbi ait: Seditio est quoddam speciale peccatum, quòd quantùm ad aliquid convenit cum bello, & rixa, quantùm autem ad aliquid differt ab eis. Convenit quidem cum eis in hoc, quòd importat quandam contradictionem. Differt ab eis in duobus. Primò quidem, quia bellum, & rixa important mutuam impugnationem in actu: sed seditio potest dici, sive fiat huiusmodi impugnatio in actu, sive sit præparatio ad talem impugnationem. Vndè glossa 1. ad Corinth. 12. dicit: quòd seditiones sunt tumultus ad pugnam, cùm scilicèt aliqui se præparant, & intendunt pugnare. Secundò differunt, quia bellum propriè est contra extraneos hostes, quasi multitudinis ad multitudinem. Rixa autem est vnius ad vnum, vel paucorum ad paucos. Seditio autem propriè est inter partes vnius multitudinis inter se dissentientes, puta, cùm vna pars civitatis excitatur in tumultum contra aliam. Et ideò quia seditio habet speciale bonum, cui opponitur, scilicèt vnitatem, & pacem multitudinis, ideò est speciale peccatum. Hæc S. D.

Resp. 3. De peccato seditionis idem *S. D. a.* 2. *in c. dicit*: Manifestum est, quòd seditio opponitur iustitiæ, & communi bono, & ideò ex suo genere est peccatum mortale, & tantò gravius, quantò bonum commune, quòd impugnatur per seditionem, est maius quàm privatum, quod impugnatur per rixam. Peccatum autem seditionis primò quidem, & principaliter pertinet ad eos, qui seditionem procurant, qui gravissimè peccant. Secundò autem ad eos, qui eos sequuntur, perturbantes bonum commune. Illi verò, qui bonum commune defendunt, eis resistentes, non sunt dicendi seditiosi, sicut nec illi, qui se defendunt dicuntur rixosi, vt suprà dictum est. *Hæc S. D.*

Scandalum. Q. 43. per 8. art.

* 46 QVÆRO XXX. Quid est, quotuplex, & quale peccatum? *Resp.* 1. Scandalum benè definitur esse *dictum, vel factum minùs rectum, præbens proximo occasionem ruinæ.* Ita S. Thom. *art.* 1. qui definitionem sic explicat: Quòd græcè dicitur scandalum, nos offensionem, vel ruinam, & impactionem pedis possumus dicere. Contingit enim, quòd quandoquè aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam; & talis obex dicitur scandalum. Similiter in processu viæ spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum, vel factum alterius, in quantum scilicèt aliquis sua admonitione, inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum, & hoc propriè dicitur scandalum. Nihil autem secundùm propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi quòd habet aliquem defectum rectitudinis. Hæc S. D. Ergo.

In data definitione sub dicto, vel facto intelligitur etiam omissio alicuius dicti, vel facti, quòd dici, aut fieri deberet; eò ferè modò quò suprà *T.* 4. *E.* 1. *tract.* 28. definitio peccati applicata fuit peccato omissionis. Hinc scandalum debet esse actus externus, vel eius omissio. Dixi in definitione, *minùs rectum*, cuius sensus non est, quòd sit rectum, seù minoris rectitudinis, quàm alius actus; sed ly *minùs* est idem, ac *non*. Vel, quia est secundùm se malum, sicut peccatum, vel quia habet speciem mali, sicut cùm quis recumbit in dolio, (vt ait S. Thom. *art.* 1. *ad* 2.) quamvis enim hoc secundùm se non sit peccatum, si non fiat ex corrupta intentione, tamen quia habet quandam speciem mali, vel similitudinem venerationis idoli, potest alteri præbere occasionem ruinæ. Et ideò Apost. monet 1. *ad Thessal.* 5. Ab omni specie mala abstinete vos. Ex his patet sermonem hìc non esse de scandalo largè sumpto, vt significat quodvis impedimentum, quà ratione Christus, *Matth.* 16. Petro ex quodam erga Christum pietatis affectu passionem eius impedire volenti dixit: *Scandalum mihi es*; id est, impedimentum.

* 47 *Resp.* 2. Scandalum est duplex, nimirum activum, & passivum. Quòd S. D. *art.* 1. *ad* 4. sic declarat: Dictum, vel factum alterius potest dupliciter alteri esse causa peccandi. Vno modò per se, aliò modò per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere: vel etiam si ipse hoc non intendat, tamen ipsum factum est tale, quòd de sui ratione habeat similitudinem peccati. Et qui hunc actum facit, propriè dat occasionem ruinæ. Vndè vocatur scandalum activum. Per accidens autem aliquòd verbum, vel factum vnius est alteri causa peccandi, quando nimirum, & præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis malè dispositus ex huiusmodi opere inducitur ad peccandum, puta, cum aliquis invidet bonis alterius. Et tunc ille, qui facit huiusmodi actum rectum, non dat occasionem, quantum in se est, sed alius sumit occasionem, secundùm illud ad Rom. 7. v. 8. Occasione autem accepta, &c. Et ideò hoc est scandalum passivum sine activo, quia ille, qui rectè agit, quantum est de se, non dat occasionem ruinæ, quàm alter patitur. Quandoquè ergo contingit, quòd simul sit scandalum activum in vno, & passivum in altero, puta cùm ad inductionem vnius alius peccat. Quandoquè verò est scandalum activum sine passivo, puta, cùm aliquis inducit verbo, vel facto alium ad peccandum, & ille non consentit. Hæc S. D.

* 48 *Resp.* 13. Iuxta hanc S. Thom. doctrinam aliud est scandalum *per se*, quòd dicitur *datum*, suprà definitum: aliud *per accidens*, quòd dicitur *acceptum*, seù *merè passivum*. Ad scandalum datum iuxta cit. verba S. Thom. sufficit exercere tale quid, quòd ex sua natura, & circumstantijs aptum est proximo præbere occasionem ruinæ, v. g. die prohibito totam alijs comedere carnes, licèt ruina actu non sequatur, nec ab operante expressè intendatur, & carnes comedens fortè ob causam occultam sit excusatus. Scandalum per accidens, seù acceptum, sive merè passivum (quòd in ipsis S. Thom. verbis clarè explicatur) dividi potest in scandalum pusillorum,

vel

vel *infirmorum*, quòd oritur ex ignorantia, vel infirmitate hominis: & in scandalum pharisaicum, quòd ortum habet ex mera malitia hominis *scandalizati*, & nomen habet à Pharisæis, qui scandalum accipiebant ex bonis operibus Christi. Dico, *ex mera malitia*, quia scandalum pusillorum fit quidem etiam ex malitia, quia aliàs non esset peccatum; sed simul ex infirmitate, vel culpabili ignorantia.

* 49 *Resp.* 4 Scandalum semper est peccatum. Ita S. D. *art.* 2. *Ratio*: Ex hoc aliquid habet rationem peccati, quia deficit à rectitudine: Sed scandalum est dictum, vel factum minùs rectum. Ergo. *Declarat hoc* S. D. dicens *in c.* Duplex est scandalum, scilicèt passivum in eò, qui scandalizatur; & activum *in* eò, qui scandalizat, dans occasionem ruinæ. Scandalum ergo passivum semper est peccatum in eò, qui scandalizatur. Non enim scandalizatur, nisi *in* quantum aliqualiter ruit spirituali ruina, quæ est peccatum. Potest tamen esse scandalum passivum sine peccato eius, ex cuius facto aliquis scandalizatur: Sicut cùm aliquis scandalizatur de his, quæ aliis benè facit. Similiter etiam scandalum activum semper est peccatum in eò, qui scandalizat: quia vel ipsum opus, quòd facit, est peccatum; vel etiamsi habeat speciem peccati, dimittendum est semper propter proximi charitatem, de quâ vnusquisquè tenetur saluti proximi providere. Et sic qui non dimittit, contra charitatem agit. Potest tamen esse scandalum activum sine peccato alterius, qui scandalizatur, sicut suprà dictum est. Hæc S. Doct.

* 50 *Oppone*: Quòd ex necessitate evenit, non est peccatum, cùm debeat esse liberum: Sed Matth. 18. dicitur: *Necesse est, vt veniant Scandala.* Ergo. *Hunc* Scripturæ locum explicat S. D. *art.* 2. *ad* 1. *dicens*: Non est intelligendum de necessitate *absoluta*, sed de *conditionali*, quia scilicet necesse est, præscita, vel prænunciata à Deo, evenire. Vel necesse est, evenire scandala necessitate finis, quia vtilia sunt ad hoc, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Vel necesse est evenire scandala secundùm conditionem hominum, qui sibi à peccatis non cavent. Sicut si aliquis medicus videns aliquos indebita diæta vrentes, dicat, Necesse est tales infirmari: quòd intelligendum est sub hac conditione, si diætam non mutent. Et similiter necesse est evenire scandala, si homines conversationem malam non mutent. *Hæc S. D.* Sicut 1. Cor. 11. v. 19. dicitur: *Oportet, & hæreses esse.*

* 51 *Resp.* 4. Scandalum activum, quòd per se est tale, seu expressa intentione datum, est speciale peccatum in Confessione exprimendum, ita vt sic scandalizans committat duplex peccatum, vnum illius speciei, ad quòd alterum trahit; aliud scandali. Ita S. D. art. 3. *Ratio*: Speciali virtuti speciale peccatum opponitur: Sed scandalum opponitur speciali virtuti scilicet charitati, dicitur enim Rom. 14. *Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas.* Ergo. Dixi, *scandalum expressa intentione datum.* Nam si ruina proximi non sit directè, seu expressè intenta, sed solùm interpretativè, diversæ sunt sententiæ, an tunc scandalum sit speciale peccatum. Verùm, vt *Bannes* ait, hoc parùm refert ad praxim, quia sive sit, sive non sit speciale peccatum, tamen iuxta probabiliorem sententiam in Confessione est exprimendum, cùm saltem reductivè spectet ad speciem peccati, ad quòd pravo exemplo alterum inducit. Unde qui scandalizans est reus duplicis peccati, *proprij nimirum*, & alieni, & vtriusque species est confitenda.

* 52 *Resp.* 5. Scandalum etiam per se activum, & datum aliquando est peccatum veniale, aliquando mortale. Ita S. D. art. 4. *Ratio*: Gravitas scandali mensuranda est ex gravitate peccati, ad quòd inducit: Sed hoc aliquando est veniale, aliquando mortale. Ergo. Hinc etiam explicandus est numerus personarum ex tuo peccato scandalizatarum.

Notandum tamen hìc fertè est, quòd actus secundùm se venialiter malus ex circumstantijs, & respectu ad alterum (cui occasio mortalis ruinæ spiritualis præbetur,) fiat peccatum mortale. Hinc fieri potest, quòd Religiosus (coram fœminis proferens mendacium iocosum in ijs circumstantijs, in quibus illæ accipere possunt occasionem peccandi mortaliter) peccet mortaliter. Idem est de Adolescente verbum amatorium insinuante mulieri, marito valdè Zelotypo id audiente, ex quo probabiliter inter coniuges credatur secutura magna dissensio: sicut & leve mendacium in Prælato maius causat scandalum quam in plebeio. Et magis scandalizat dissidium inter Ecclesiasticos, quàm inter mulieres, vtpotè per se litigiosas.

* 53 QUÆRO XXXI. Caditne Scandalum sive passivum, sive activum in viros perfectos? *Resp.* Negativè, de scandalo passivo. Ita S. D. art. 5. *Ratio eius est*: Qui scandalizatur, parvulus est, vt dicit S. Hieron. super illud *Matth.* 18. Qui scandalizaverit vnum de pusillis istis. Ergo maiores, sive viri perfecti scandala non recipiunt. *Declarat* hoc S. D. dicens: Scandalum passivum importat quandam commotionem animi à bono in eo, qui scandalum patitur, nullus autem commovetur, qui rei immobili firmiter inhæret, maiores autem, sive perfecti, soli Deo inhærent, qui est immutabilis bonitas. Ergo. Admittit tamen 9. D. *in R. ad* 2. quòd viri perfecti possint impediri in actibus exterioribus, sed in interiori voluntate per dicta, vel facta aliorum non impediuntur, quò minus rendant in Deum, secundùm illud Rom. 8. *Neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei.* Et in hoc sensu explicat illud 1. Thess. 2 *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel, & iterùm, sed impedivit nos Satanas.*

Resp. 2. Etiam negativè de scandalo activo. Ita S. D. *art.* 6. *Ratio eius est*: Plus repugnat perfectioni scandalum activum, quàm passivum: Sed scandalum passivum non potest esse in viris perfectis. Ergo multo minus activum. Et in *C.* ait: Ad perfectos pertinet, eà, quæ agunt, secundùm regulam rationis ordinate. Subdit S. D. quòd licèt viri perfecti interdum ab ordine rationis modicum, & leviter recedant, hoc tamen non sit tam magnum, vt ex hoc rationabiliter possit ab alio sumi peccandi occasio.

* 54 QUÆRO XXXII. Suntne bona spiritualia dimittenda propter scandalum aliorum? *Resp.* 1. bona spiritualia, quæ sunt de necessitate salutis, vti est v.g. observatio præceptorum Legis naturæ, non sunt prætermittenda sub prætextu vitandi scandali. Ita S. D. *art.* 7. *Ratio eius est*: Nullus debet mortaliter peccare, vt alterius peccatum impediat, quia secundùm ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem dilegere, quàm alterius. *Subsumo*: Sed omittendo aliquid, quòd est de iure naturæ, peccatur mortaliter. Ergo.

* 55 *Resp.* 2. Bona spiritualia, quæ homo hìc, & nunc

nunc ex iure divino positivo teneatur facere tanquàm necessaria saluti, non potest sine peccato mortali omittere, licèt alij indè sint scandalizandi. Explicat hoc *Viggers*: Pastor non potest omittere baptizare infantem iamiam moriturum, licèt adsint, qui indè capient occasionem blasphemandi Sacramentum, & Religionem Christianum. Item, in articulo, pro quò obligat præceptum confessionis Fidei, non licèt eam omittere propter scandalum Tyranni, & ministrorum eius, qui indè accepturi sunt occasionem multorum peccatorum. *Ratio*: Quia scandalum passivum in his casibus non censetur datum, sed acceptum. Idem docet S. D. *hic art.* 7. vbi citat S. Gregor. super Ezechiel. dicentem: *Si de veritate scandalum sumitur, utilius nasci permittitur scandalum, quàm quòd veritas relinquatur. Subsumit S. Thom.* Sed bona spiritualia maximè pertinet ad veritatem. Ergo non sunt propter scandalum dimittenda.

* 56 *Resp.* 3. In bonis spiritualibus, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum, ait S. Thom. *art.* 7. *in c.* Quia scandalum, quòd ex eis oritur, quandoquè ex malitia procedit, cum scilicèt aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scandala concitando. Et hoc est scandalum Pharisæorum, quòd esse contemnendum Dominus docèt Matth. 15. vbi discipulis dicentibus: *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt*, respondit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.*

Quandoquè verò scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & huiusmodi scandalum est pusillorum, propter quòd spiritualia bona sunt vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet, quousquè reddita ratione huiusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse. Et sic propter ipsum non sunt huiusmodi spiritualia bona dimittenda. Hæc S. Doct.

* 57 *Sequitur ex his* 1. Si quis intendat ingredi Religionem (quòd opus non est de necessitate salutis, sed solùm est de consilio) prævidens, parentes suos ex infirmitate, vel ignorantia indè accepturos occasionem peccandi, v. g. filium, aut Religionem persequendi, damnificandi, convitiandi, &c. deberet ingressum differre, vsquè dum parentibus reddat rationem, seù informationem, quà data, si parentes non aliter se habeant, non tenetur amplius desistere ab ingressu, præsertim si desistentia, vel nimia dilatio cederet in notabile damnum profectus spiritualis. *Ratio*: Quia tunc scandalum passivum parentum erit pharisaicum, acceptum, non à filio datum, ait *Viggers*.

Sequitur 2. A punitione peccatorum cessandum esse, si ex eà timeatur periculum schismatis, vel simile malum. *Ratio*: Quia pœnarum inflictio non est propter se expetenda, sed pœnæ infliguntur, vt medicinæ quædam ad cohibenda peccata, & ideò in tantum habent rationem iustitiæ, in quantum per eas cohibentur peccata; si autem manifestum sit, ex eis plura, & maiora peccata sequi, tunc pœnarum inflictio non continebitur sub iustitia. Ita S. Thom. *art.* 7. *ad* 1.

* 58 *Oppono* 1. Sacra doctrina est de necessitate salutis: Sed ab eà cessandum est propter scandalum iuxta illud Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargatis ante porcos, ne disperfi disrumpant vos.* Ergo. 2. Correctio fraterna, cùm sit actus charitatis, est quoddam spirituale bonum: Sed illa interdum dimittitur ad vitandum scandalum aliorum, vt dicit S. Augustinus *in* 1. *de Civ. Dei.* Ergo. 3. Cuiuslibet etiam venialis peccati vitatio est quoddam spirituale bonum: Sed peccati venialis vitationem potest homo omittere, seù potest illud committere pro scandalo proximi vitando, v. g. si venialiter peccando possit alterius peccatum mortale impedire. Ergo.

Hæc solvit S. D. *cit. art.* 7. *Ad* 1. dicit: Circa doctrinam duò sunt consideranda, scilicèt veritas, quæ docetur, & ipse actus docendi. Primum est de necessitate salutis, vt scilicèt contrarium veritati non doceat (cui incumbit docendi officium) propter vllum scandalum. Sed ipse actus docendi inter spirituales eleemosynas computatur, quæ sicut interdum propter scandalum pusillorum occultandæ sunt, vel differendæ, vt S. D. *ait ad* 4. ita & actus docendi. Ex quò patet *dist. min. Ad* 2. *dist. mai.* Est spirituale bonum ordinatum ad emendationem fratris, vbi illa speratur, *C. mai.* secùs, *N. mai.* Vndè S. D. *ad* 3. ait: Correctio fraterna ordinatur ad emendationem fratris. Et ideò in tantum computanda est inter spiritualia bona, in quantum hoc consequi potest. Quòd non contingit, si ex correctione frater scandalizatur. Et ideò si propter scandalum correctio dimittatur, non dimittitur spirituale bonum. Hæc ibi. *Ad* 3. *N. min.* Si peccatum veniale faciendum est, iam non est malum, neque peccatum, nam peccatum non potest esse eligibile, ait S. D. *ad* 5. Et quamvis per veniale gratia non tollatur, attamen fervor charitatis per illud diminuitur.

* 59 *Resp.* 4. Generaliter loquendo, iuxta probabiliorem sententiam scandali vitandi causa nihil licèt prætermittere, quòd hìc, & nunc cadit sub præcepto positivo, sive divino, sive humano obligante sub mortali. Est contra diversos DD. Sed

S. Thom. videtur stare pro hac sententia. Nam 1. sic ait *cit. art.* 7. *in c. Ea, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.* Subsumo: sed impletio præcepti, sive divini, sive humani obligantis sub mortali, est de necessitate salutis. Ergo. 2. Docèt ibidem, in bonis spiritualibus, quæ non sunt de necessitate salutis, si sequatur scandalum pusillorum, esse vel occultanda, vel interdum differenda, non autem dicit esse *prætermittenda.* Et talia videntur esse sola, quæ sunt de consilio. Ergo à fortiori scandali causa omittenda non sunt, quia sunt de præcepto. Si tamen possint fieri occultè, vel ad tempus differri, occultanda, vel differenda. *Ratio*: Impletio operis præcepti nec in se est mala, nec habet speciem mali. Ergo si quis indè scandalizatur, scandalum non erit datum, sed acceptum. Ergo, qui indè scandalizatur, ruinam sibi imputet, non alteri. Nec obstat, quòd sit acceptum ex infirmitate. *Ratio*: Quia infirmitas illa non esset sine malitia, vt patet ex descriptione scandali pusillorum suprà in proprio loco.

* 60 *Oppono*: Quando concurrunt duò præcepta, quæ simul servari nequeunt, servandum est maius: Sed præceptum de non scandalizando proximo est maius (cùm sit naturale) quàm positivum diuinum, & humanum. Ergo. *Ad hoc dist. mai.* Servandum est maius, si sit præceptum absolutum, *C. mai.* respectivum, vel conditionatum, *N. mai.* Et sic *dist. min. N. cons.* Licèt ergo præceptum de non scandalizando sit naturale, non tamen est absolutum, sed obligans solùm in certis circumstantijs, quarum vna est, vt

opus, ex quò timetur scandalum, non sit de præcepto obligante sub mortali. Secundò clariùs *R.* concessa *min. dist. min.* Præceptum de non scandalizando formaliter, seù per se, & ex intentione, *C. min* per accidens solùm, ac præter intentionem, vti esset in hoc casu, *N. min.* Quia talis vitur iure suo

* 61 *Quid ergo* dicis ad hos Casus? 1. Persona quædam cognoscit, Confessarium suum graviter scandalizandum ex quodam peccato, si illud ei confiteatur, teneturne illud reticere? 2. Mulier honesta formosa cognoscit, si die festo ad Missam vadat, ex sui aspectu quendam *in particulari* (dicitur *in particulari*, si enim hoc timeat solùm de quibusdam indeterminatè, seù in communi, certum est, quòd non teneatur manere domi) accepturum ex infirmitate periculum gravis ruinæ spiritualis, teneturne abstinere ab audiendo Sacro, saltem semel, aut iterum? *Dico*, *semel*, *aut iterùm*, quia semper, vel valdè sæpè debere abstinere, nimis durum videtur. 3. *Uxor* prævidens, maritum ex ieiunio graviter offendendum, teneturne se mei, aut iterùm abstinere à ieiunio, adquòd subræortali tenetur?

Ad hæc affirmativè Respondent etiam quidam Thomistæ, qui nostræ Sententiæ contrariantur, fundante se in fundamento in *Oppono*. Sed consequenter ad positam sententiam, eiusque fundamenta, probabilior mihi videtur resolutio negativa ad omnes illos tres Casus. Nam in Confessario, & illo, qui scandalizatur ex aspectu honestæ mulieris, vti & in dicto marito, verum est illud: *Perditio tua ex te.* Et mulier in triplici hoc casu habet ius, & obligationem parendi Deo, & Ecclesiæ: Et qui in ijs casibus scandalizatur, liberè peccat. Si tamen in primo casu Confessio potest differri, differenda est; si alius Confessarius haberi possit, quærendus est. Et in secundo casu lascivus iuvenis prævidens ex aspectu suam ruinam, alijs medijs se iuvare potest, & tenetur, nimirum Missam alibi audiendo, vel si id non possit, oculos suos avertendo. Vide suprà de ornatu vestium, fucis, &c. *T. 5. E. 1. num.* 20. 21. & 22.

* 62 *Oppono*: Maxima illa communis est: Concurrentibus duobus præceptis, quorum vtrumque potest servari, servandum est maius. Unde tenet in Casibus, *v. g.* 1. *Die* festo inservit quis infirmo, qui solus non est relinquendus, non tenetur audire Missam, sed manere apud infirmum. 2. *Miles* die festo agit excubias, nec datur alius, qui pro eo excubet, non tenetur ad Missam. 3. *Die* festo domus mea, vel proximi est in periculo incendij ab inimico excitandi, quòd possum evitare, si maneam domi, non teneor audire Missam, &c. Quorum omnium ratio est adducta Maxima.

Dico: In his, & similibus Casibus tenet dicta Maxima. Disparitas autem est: Quia in ijs malum, quòd sequitur, non sequitur ex malitia, & libera voluntate eius, cuius est malum in secundo casu periclitatur bonum commune. In casibus autem prioribus malum, seu peccatum, sive scandalum pa[illegible] sequitur ex malitia, ac libera voluntate scandalizati, quòd NB. pro intelligentia. R. 4.

* 63 QUÆRO XXXIII. Sunne temporalia bona propter scandala dimittenda? *Resp.* cum S. Thom. *art.* 8 *dicente*: Circa temporalia bona distinguendum est; aut enim sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro alijs commissa, sicut bona Ecclesiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuscunque Reipublicæ Rectoribus. Et talium conservatio, sicut & depositorum, imminet his, quibus sunt commissa ex necessitate. Et ideò non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia, quæ sunt de necessitate salutis. Temporalia verò bona, quorum nos sumus domini, dimittere, ea tribuendo, si penes nos habeamus ea, vel non repetendo, si apud alios sint, propter scandalum quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quòd supra diximus esse scandalum pusillorum, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum est sedandum, scilicet per aliquam admonitionem.

Unde S. Augustin. dicit *in lib. de Serm. Domini in monte*: Dandum est, quòd nec tibi, nec alteri noceat, quantum ab homine credi potest. Et cum negaveris, quòd petit, indicanda est ei iustitia: & melius ei aliquid dabis, cùm petentem iniustè, correxeris. Aliquando verò scandalum nascitur ex malitia, quòd erit scandalum Pharisæorum. Et propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda, quia hoc & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent. Unde *Gregor. dicit in Moral.* Quidam dum temporalia à nobis rapiunt, solum modo sunt tolerandi: quidam verò æquitate servata, prohibendi; non sola cura, ne nostra subtrahantur, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. *Hæc S. D.*

* 64 QUÆRO XXXIV. Estne peccatum scandali, materialiter cooperari peccato alterius? *Resp.* Practicè probabilius est, quòd materialiter tantùm cooperari peccato alterius, exhibendo *v. g.* obiectum, materiam, vel occasionem (ad peccatum quà tale habendo se merè permissivè,) interdum sit licitum, si adsint hæ conditiones: *Prima*: Si tua cooperatio ex se non sit mala, sed bona, vel saltem indifferens. 2. *Ut* fiat recta intentione, seu ex rationabili causa, seu ex motivo alicuius virtutis, *v. g.* obedientiæ, vel ex amore ordinato sui ipsius, &c. 3. *Ut* peccatum proximi ex vi officij impedire non tenearis, & moraliter, seu sine proprio damno nequeas. 4. *Ut*, te non cooperante, peccatum tamen committeretur, quia nimirum non deerunt alij, qui materiam, vel facultatem subministrabunt. Qui si non adessent, gravior profectò causa, & necessitas requireretur, vt peccatum permittere, seu ei materialiter cooperari possis: vel abstinendum est.

Declaratur Casibus, & exemplis. 1. *Deus* ipse, per essentiam bonus, ad formale peccati se habet permissivè, & ad materiale peccati in genere causæ efficientis, vel præveniendo, vel saltem concomitando iuxta Theologos cooperatur. 2. *Coniux* coniugi voto castitatis ligato, debitum exigenti ex iustitia tenetur reddere, si non possit eum à proposito avertere, licèt coniux voto obstrictus petendo mortaliter peccet. Ergo. 3. *Peccatori* etiam excommunicato, seu hæretico occulto publicè Eucharistiam petenti tenetur Parochus eam dare. Idem est de eo, cuius indignitatem scit ex sola Confessione sacramentali, & petit etiam privatim. Ergo. 4. *Supra T. 5. E. 2. n.* 41. & 42. probatum fuit, potestate publica posse permitti lupanaria, & à privatis domos ei peccari posse, ad peccatum meretricij permissivè se habendo.

5. *Famula* istarum meretricum licitè eis inserviat ianuam amatoribus aperiendo, eas ad peccandum cum-

meritis associando, lectum componendo, dum tamen hoc non intendant, nec in eo sibi complaceant; vt ait noster de la Cruz, quia est cooperatio remota. Quòd famuli deferant litteras ad ea mala invitantes, vel amasium, aut amasiam vocent verbis à domino, vel domina prolatis, expressè nihil mali significantibus, licèt aliqui negent esse licitum, sed speciem lenocinij continere asserant, si tamen res bene consideretur, & defendentes, vel vocantes minimè ad peccatum incitent, nec in eo complaceant; videtur iuxta dictum de la Cruz esse eadem ratio, ac de prioribus. Nec video rationem disparitatis, cùm adsint dictæ conditiones, vt suppono. Verum domini pedem sustinere, scalas admovere, vt possit per fenestram introire ad fornicandum, seu furandum, non est licitum, quia nimis propinquè cooperatur peccato.

Ante dicta omnia non iustificantur per communem rationem famulitij, nec licent cuivis alteri, sed (præter 4. conditiones) requiritur, vt aliàs famulo grave damnum immineat, *v. g.* quòd sit expellendus, debitâ mercede privandus, & inde penuriam passurus, ad mendicandum necessitatus. Et certum est, quòd tales famulæ sub mortali pro possibili teneantur inquirere alios dominos honestiores; quibus serviendo se substentent. *Not. inter* 65. Propositiones ad Innocentio XI. damnatas esse hanc num. 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat tantùm notabilis detrimenti, puta, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, nè domo expellatur.*

6. *Item* supra offensum fuit, licitè permitti Synagogas, & ritus Iudæorum, vide in hoc *T. E. 3. n. 7.* & 8. quòd fideles licitè possint infidelibus vendere talia, quorum vsus secundùm se est bonus, licèt sciant, quòd eis sint vsuri ad suos ritus, & sacrificia, quæ sunt peccata. Vide ibid. *n. 21. & 22.*

7. *In loco* mixtæ Religionis, seu vbi Catholici, & Hæretici vivunt permixti, hospes Catholicus non peccat Hæretico carnes in die prohibito petenti, eas dando. Videatur quarta conditio antè posita.

Declaratur 2. vlteriùs: Graviot necessitas, & causa immò gravissima requiritur, vt liceat materialiter cooperari alterius peccato, si hoc sit contra iustitiam, seu pernitiosum, *v. g.* homo iratus, vel furiosus certò te occidet, nisi des ei ensem, vel nisi ei ad furandum admoveas scalam; non peccas cooperando.

* 65 *Quid sentis* de hoc Casu: Catholicus quidam oppidum, vel pagum Catholicum vult vendere Hæretico, à quo subditi certò cogentur ad hæresim? Licetne? Est enim res sua. *Dico*, Non licet, nec à peccato scandali excusari potest, nisi fors urgeret gravissima notoria necessitas. *Ratio*: Quia dominus, etiam temporalis, in conscientia tenetur habere maiorem curam salutis animæ proximorum, præsertim sibi subiectorum, quam bonorum temporalium.

Declaratur 3. Quò magis per se, seu quò propinquior est cooperatio, eò maior (cæteris paribus) requiritur causa; Et minor sufficit, si cooperatio sit tantùm per accidens, sive remota, *v. g.* fundere campanas, vel æneos characteres cuius licet, etsi à quibusdam sint adhibendi ad hæresim per Conciones, vel libros propalandam. Verum, vt alicui pro hæreticorum Concione campanam pulsare, aut prò eorum libris imprimendis characteres liceat ordinare longè gravior causa, & necessitas requiritur: quia hoc opus propinquius, & magis per se ordinatur ad hæresim.

* 66 *Quomodo* ex hoc resolvis hos casus? 1. *Casu* tuus Lutheranus sit Catholicus, possitne manere in servitio Ecclesiæ Lutheranæ, eam aperiendo, & claudendo, panem, & vinum afferendo, campanam prò Concione pulsando, &c? 2. *Est Typographus* hæreticus, cuius filius sit Catholicus, possitne manere apud patentem, & pro librorum hæreticorum impressione typum ordinare? 3. *Christiani* apud Turcas, vel Hæreticos captivi possuntne contrà Catholicos remigare, fornicationes facere, arma asportare, metu verberum, vel mortis ipsos cogente? 4. *Idem* quæro de casu, quo legitimus Princeps è Regno esset expulsus; an subditi Tyrannum possint fidendo, excubando, pecunias contribuendo, contrà legitimum Principem iuvare, immò iuramento operas suas, aut subsidium promittere? 5. *Pater* familias possitne licitè filio, vel famulo relinquere occasionem furandi, vt eum deprehendat in furto, & postea corrigat, vel vt graviori malo occurrat? 6. *Pharmacopola* possitne licitè cuivis postulanti vendere venenum, quòd præter hominis occisionem ad alium vsum, *v. g.* ad medicinam, vel colorum confectionem non servit? Plures Casus cum *Resp.* vide suprà de iciunio *T. 5. E. 4.* in *R. ad casus* 2. 3. & 4.

Ad 1. *R.* Non potest, nisi fortè prematur gravi necessitate; ratione cuius non patest statim deserere officium, vt si aliàs non habet, vnde vivat: attamen animo ita debet esse præparatus, vt omni possibili modo quærat aliam conditionem, & cum primum poterit, servitium relinquat, adhuc illos solùm faciat materialiter, non verò, vt formaliter respiciunt cultum hæreticum. Et hoc solùm verum est, si desit fallæ Religionis, etiam virtualis professio, & scandalum, quod tollere coram populo quacunque occasione protestando, ac infirmando, quod actus illos solum faciat materialiter; & ex gravi necessitate, & quam primum poterit officium illud deserere velit. *Ad* 2. eodem proportionabiliter modo R. si filius sine gravissimo suo detrimento parentem tam citò relinquere nequeat. Unde Lex Ecclesiæ prohibens hæreticorum scripta transcribere, vel imprimere, non obligat in casu tantæ necessitatis. *Ad* 3. *R. affirm.* de operibus materialiter sumptis, & de sola quarta conditione suprà posita. Si tamen status rei esset talis, vt captivi auxilium iuvandi negando Christianis possent esse occasio victoriæ, vel eos magno eripere periculo, tenerentur vitam perdere prò bono Reipublicæ Christianæ. *Ad* 4. *R.* eodem modo, si sit periculum, ne aliàs è Regno ejiciantur, vel bonis omnibus spolientur. Censeretur enim legitimus Princeps in talibus circumstantijs consentire ad interim. *Ad* 5. etiam affirmo iuxta datas clausulas, & in sensu explicato antea in *E. 6. num.* 28. Sed pecuniam opponendo furandi occasionem dare, teneo esse illicitum, quia esset cooperatio ad peccatum nimis propinqua. *Ad* 6. *R.* Negativè, quia & hæc esset cooperatio nimis propinqua peccato, & in damnum proximi.

* 67 QUÆRO XXXV. Licetne ab altero petere, vel ei confulere, quod ipse sine peccato non est facturus? Casus, de quibus potest esse quæstio, communiores sunt hi. 1. An liceat petere Sacramenta à malo ministro? 2. An liceat ab vsurario petere

mutuum ? 3. An liceat iuramentum petere ab eò, qui noscitur iuraturus per falsos Deos ? 4. An licèt iuramentum petere à Christiano, qui creditur peieraturus ? 5. An liceat à malefico petere, vt maleficium maleficio tollat ? 6. An ei, qui absolutè decrevit facere malum maius, v. g. homicidium, liceat suadere malum minùs, nimirum delumbationem, mutilationem?

Resp. 1. Simpliciter, & directè petere, vel consulere alteri id, quòd ipse sine peccato non potest facere, semper est peccatum scandali, v. g. invitare aliquem ad inhonestas Comœdias. *Ratio*: Quia hoc est directè alteri præbere occasionem ruinæ spiritualis. Nec obstat, quòd alter fortè iam sit paratus id facere, quia licèt tunc non sis causa peccati, vt intenti, benè tamen, vt executi.

Resp. 2. Probabilius est, quòd ex rationabili causa liceat ab alio petere id, quòd sine peccato potest facere, si velit, licèt sine peccato facturus non sit, ad peccatum habendo se permissivè. *Ratio*: Tum quia petens vtitur iure suo: Tum quia non consentit in malum, quà tale, sed solùm offert materiam ex se licitam, & permissivè solùm se habet ad hoc, quòd alter ex malitia abutatur illa. Dixi, *ex rationabili causa*. Quæ si non adsit, ex charitate, quæ dictat alteri non esse danda in novi peccati occasionem, tenetur homo talia non petere à tali.

Ad 1. *casum affirm.* In sensu tamen mox dicto *Resp.* cum S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *ad* 2. *dicente*: Ille, qui ad Sacramenta accedit, suscipit Sacramenta à ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ. Et ideò quamdiù ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eò suscipit Sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquàm ministrum exhibet. Si verò ab Ecclesia non toleratur, puta, cùm degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) peccat, qui ab eò accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius. Hæc ibi.

Declaratur hoc magis: Si homo Sacramentum petens à ministro malo, ab Ecclesia tamen toleratus, sit eius Parochianus, non peccat petendo, ac recipiendo ab ipso, quia vtitur iure suo, & petit rem bonam, quàm alter potest, & debet facere. Si tamen commodè possit habere ab alio, charitas dictat, vt cedat dicto iuri suo. Si autem illi ministro ex officio non incumbat Sacramenta ministrare, si tamen ad id paratus, & sit rationabilis causa petendi, licèt ab eò petere, ac recipere, quia tunc alterius peccato non cooperatur formaliter, sicut ad secundum casum dicetur de vsurario. Secùs si non sit paratus (ne detur occasio peccandi) vel si non sit rationabilis causa petendi. Tandem in casu extremæ necessitatis, licèt à quocunquè malo ministro, etiam non tolerato, immò ab hæretico, degradato (si non possit aliùs haberi) recipere Sacramenta ex iure divino obligantia, vti sunt Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia in articulo mortis, quia sine ijs decedere periculosum est, & aliàs Ecclesia saluti hominum non sufficienter consuluisset: respectu aliorum quatuor Sacramentorum non est tanta necessitas.

Ad 2. & 3. etiam in sensu iam dicto *R. affirm.* cum eodem S. D. *infrà q.* 78. *art.* 4. *in c. dicente*: Inducere hominem ad peccatum nullo modò licèt, vti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est, quia & Deus vtitur omnibus peccatis ad aliquod bonum, vt dicitur in Enchirid. Et ideò S. August. *Publicolæ* quærenti, vtrùm liceret vti iuramento eius, qui per falsos Deos iurat, in quò manifestè peccat, eis, divinam reverentiam adhibens, respondet, quòd, qui vtitur fide illius, qui per falsos Deos iurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quò per dæmonia iuravit, sed pacto eius bono, quò fidem servavit: si tamen induceret eum ad iurandum per falsos Deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est, quòd nullo modò licèt inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris: licèt tamen ab eò, qui hoc paratus est facere, & vsuras exercet, mutuum accipere sub vsuris propter aliquod bonum, quòd est subventio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licèt ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc, quòd non occidatur: exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro, vt dicitur Ierem. 41. Hæc S. D. Et *ad* 2. ibidem ait, quòd ille, qui accipit pecuniam mutuò sub vsuris, non dat occasionem vsurario vsuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem vsuratiùs sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: Vndè scandalum passivum ex parte sua est, non autem activum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passivum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat: quia huiusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia.

Ad 4. patet *R.* infrà *T.* 10. *E.* 4. *n.* 16. *Ad* 5. *R.* cum Cajet. negativè, licèt alter paratus sit maleficium maleficio tollere. *Ratio*: Quia nulla ratione licet hominem quantumvis paratum inducere ad offendendum Deum. Nec habet locum in proposito (ait Cajet.) distinctio inter inducere ad peccandum, & vti iniquitate alterius parati ad peccandum, vt distinguitur in vsura, & iuramento infidelium, quoniam illa distinctio non habet locum, nisi in illis, in quibus actio petita potest ab illo parato fieri sine peccato, si vult; & ex iniquitate sua facit in peccato, cui petens non communicat: v. g. vsurarius, si vellet, posset mutuum dare sine peccato; & idolatra posset iurare sine peccato, Deum verum agnoscendo, & per eum iurando. In proposito autem à malefico petitur, vt solvat maleficium eo modo, quo non potest sine peccato. Cæterùm si sine peccato posset illud solvere, si nimirum consisteret solùm in aliqua ligatura, quæ humana actione solvi potest, cuivis homini liceret eam solvere. Item si maleficus posset illud tollere duplici via, vna licita, altera illicita, liceret ab eo petere, quia petitio est de se indifferens, & potest licitè impleri, & in dubio potius debet præsumi in bonum, quàm in malum.

Ad 6. *R.* 1. Si illa duò mala respiciant diversas personas, quibus sunt inferenda, non potest quis, regulariter loquendo, licitè consulere minùs malum inferendum vni, ad cavendum maius inferendum alteri, v. g. Titius absolutè decrevit occidere Petrum, vel vulnerare Paulum eius amicum, sic vt ab vtroquè simul non sit dissuasibilis; & consulens non potest vtrumquè simul impedire. *Ratio*: Tum quia nulli privatæ personæ licitum est vni in re magni momenti benefacere, malefaciendo alteri innocenti. Tum etiam quia in eò casu Paulus, v. g. ad vulnus sibi à Titio infligendum est rationabiliter invitus, vtpotè habens ius ad conservationem vitæ, integritatis membrorum, salutis, bonorum. Ergo fieret ei iniustitia. Ergo non licèt. Dixi, *regulariter loquendo*. Si enim esset casus, in quò rationabiliter posset præsumi

sumi voluntas; seù consensus illius, v. g. ex solo titulo consanguinitatis, affinitatis, vel arctæ amicitiæ, quòd libentiùs esset passurus illud damnum, præsertim si sit valdè leve, quàm quòd tam grave damnum inferatur amico; tunc liceret ità suadere.

Resp. 2. ad 6. Si vtrumquè malum est contra eandem personam, probabiliùs est, quòd liceat consulere minùs malum, non quidem directè, absolutè, & per se, sed indirectè, & conditionatè, v. g. postquàm rogatus, & ferìò monitus fuit, vt neutrum faciat, dicendo, si firmiter statuisti voluntatem tuam explere, vel Petrum occidendo, vel eum vulnerando, suadeò, vt saltem ab homicidio desistas. *Ratio:* Tum quia in eò casu obiectum, & finis consulentis est bonus, nimirum proximum retrahere à maiori malo, & offensa Dei ad minùs malum, quà tale, habendo se permissivè. Tum etiam, quia eadem persona in hoc casu non esset rationabiliter invita, cùm res eius vtiliter agatur, & ipsa si sciret, & vtrumquè inevitabile esset, minus malum eligeret.

* 68 Contra hoc *Oppono* 1. Non sunt facienda mala, vt eveniant bona, vt monet Apostolus. Ergo nec suadendum minus malum, vt vitetur maius. *Prob. Cons.* Qui consulit aliquid, est causa (nimirum moralis) eius. Ergo. 2. *Non licet petere*, vel consulere, quòd alter sine peccato non potest præstare; Sed quòd in hoc casu consulitur, non potest fieri sine peccato. Ergo.

Ad hæc patet *R.* ex dictis. *Ad 1. N. cons.* Ad *prob. dist. ante.* Est causa eius, quòd directè consulit, *C.* & hoc solùm est evitatio maioris mali, & offensæ Dei. Eius, ad quòd solùm se habet permissivè, *N. Ad 2.* in primis *N. mai.* vt patet ex *R. 2. ad Q.* 35. Deindè *N. min.* Quia directè nil aliud consulitur, quàm evitatio maioris mali.

TRACTATUS VIII.

De Iure, & Iustitia.

Ex 2. 2. à quæst. 57. vsquè ad quæstionem 63. exclusivè.

IUstitia pax populorum est, tutamen patriæ, gaudium hominum, solatium pauperum, hæreditas filiorum, spes futuræ beatitudinis, ait Cyprianus de 12. abusionib. Ergo nunc reddenda est disputatio de Iustitia, quæ ipsa est summa virtus, aut fons ipse virtutis: quam non modò philosophi quæsiverunt, sed & poetæ, qui multò fuere priores. Hi planè intellexerunt abesse hanc à rebus humanis, eamque finxerunt offensam vitijs hominum, cessisse è terra, in Cœlumque migrasse, in quid *Lact. Firm. div. Instit. l. 5. cap. 5.* In cœlum ergo conscendamus, Regnum Dei quæramus, & Iustitiam eius cum Angelico, & cœlitus instructo divinæ mentis Interprete D. Thoma de Aquino, qui inter omnes Scholasticos, ait Bannes, vnus, quidquid ad Iustitiam attinens cognoscendum erat, suis numeris absolutum dedit, tamque miro ordine, eleganter, & doctè, vt loquitur Aragon, vt se ipso in hac re superior esse videatur.

EXAMEN I.

De Iustitia, eius obiecto, speciebus, vti & de Iudicio, præsertim temerario ac Suspicione.

S. Thomàs à quæst. 57. vsque ad quæst. 62.

* 1 QUÆRO I. Teneturne Confessarius habere notitiam huius Tractatus? *Resp.* affirm. *Ratio est* eadem, quæ supra *T. 6.* data est de notitia Legum, modò id, quòd ibi dictum est de Lege, applicetur virtuti iustitiæ.

* 2 QUÆRO II. Ius estne obiectum Iustitiæ, & in quo sensu, & quotuplex? *Ante R. nota*, Ius habere diversas significationes: significat enim 1. *Authoritatem*, seu facultatem aliquid faciendi. 2. *Libertatem*, vt cùm dicitur, Est homo sui iuris. 3. *Sententiam* latam secundùm iura. 4. *Locum*, in quo est lata, vnde dicitur, quis comparere in iure. 5. *Ipsam Iurisprudentiam*, vnde dicitur, Homo versatus in iure. 6. *Ipsam Legem*, nam Leges sunt iura. 7. *Idem est*, ac iustum quòd per actionem iustitiæ constituitur, & ad quòd ipsa terminatur, seu est æqualitas facta inter eos, inter quos erat inæqualitas, v. g. inter creditorem, & debitorem.

Nota 2. Iustum, & Iustitiam posse sumi dupliciter. 1. Generaliter provt comprehendit omnes virtutes; vndè dicitur homo iustus, qui est in gratia Dei, ac virtuosus. Et in hoc sensu de eo hic non agitur. 2. Specialiter, in quantum est idem, ac æquale, & alteri debitum, & Iustitia est virtus quædam particularis, cuius est facere hanc æqualitatem, reddendo cuivis, quòd suum est.

Nota 3. Aliud esse ius ad rem, puta, habendam, quæ nondum est in nostra facultate: aliud ius in re, quæ actu, vt propria possidetur. Vel, vt alij explicant, ius ad rem dicitur, quòd non tribuit actionem in rem, sed tantum in personam, & tale ius acquiritur per stipulationem, donationem, emptionem, alioquè contractus, ante rei traditionem: Item, per electionem, præsentationem, postulationem ad beneficium, ac per beneficij collationem, per successionem hæreditatis ante acceptionem. Ius in re dicitur, quòd tribuit actionem realem, seù quòd rem obligatam habet, ita vt res nobis obstricta sit, ad quemcunquè transeat, quia transit cum suo onere. Tale ius est, quòd habetur per emptionem, & alios contractus secuta rei traditione, ac per collationem beneficij, vel per testamentum, vel suc-

ſucceſſionem ab inteſtato ; ſecuta beneficij, aut hæreditatis acceptationē.

Nota 4. Quòd obligatio, ſeù debitum ſit duplex. Primum morale, ſeù ſimplicis honeſtatis, quòd fundatur in honeſtate virtutis, qualiter quis ex Lege charitatis obligatur vitare ſcandalum, & ex titulo gratitudinis ſe exhibere gratum erga patronum. Alterum eſt legale, ſeù rigoroſum, quòd oritur ex iure activo alterius, eſtque correlativum eius; ratione cuius etiam vocatur iuſtum paſsivum. Quòd autem vocetur debitum legale, eſt, quia fundatur in legitima poteſtate alterius, ſeù in iure fundato in lege. His notatis.

Reſp. 1. Ius, ſeù Iuſtum ſpecialiter ſumptum, ſeù æqualitas debita inter obligationem vnius, & ius activum alterius, eſt obiectum formale, *quòd* iuſtitiæ. *Ratio* ex S. D. *q.* 57. *art.* 1. Illud eſt obiectum formale, *quod* iuſtitiæ, quòd ipſa per ſe primò per ſuos actus intendit: Sed hoc eſt æqualitas inter rem, vel actionem legaliter debitam, & ius alterius, vt patet ex definitione Iuſtitiæ, vtpotè reddentis cuivis, quòd ſuum eſt; vadè nec eſt actus iuſtitiæ, niſi hæc adæquatio (ſaltem proportionalis) implicitè, vel explicitè intendatur, ad ſolvendum ſe ab obligatione, & exhauriendum ius legale alterius, vel ſimul, vel ſucceſsivè, in totum, vel in partem. Ergo. Dixi *in 2. obiectum formale quòd*, quia obiectum formale *quò*, ſeù motivum formale eſt honeſtas dictæ æqualitatis. Obiectum materiale remotum, eſt res legaliter debita: proximum, eſt operatio, per quam æqualitas ponitur, quia ſuper illam remotè, ſuper hanc proximè cadit dicta honeſtas. Tandem quia iuſtitia eſt ad alterum, habet etiam obiectum *Cui*, & hoc eſt perſona, cui redditur æquale, non quidem nudè, & materialiter ſpectata, ſed formaliter, vt informata iure activo, vi cuius in altero fundat obligationem, & debitum legale. Vide dicta ſuprà *T. 7. E. 1. in Subsen. 2. num.* 3.

Reſp. 2. Dividitur ius proportionaliter, ſicut lex (vndè vide *ſup. T. 6. de Legibus.*) pro lege ponendo ius, vt hoc ſit aliud naturale, aliud poſitivum, cuius ſubdiviſiones ibidem vide. Item ius naturale aliud eſt merè permiſsivum, de quò ibidem. Item ius aliud ad rem, aliud in re, de quò antè in *Not.* 3. De iure Gentium dicetur poſteà.

* 4 QUÆRO III. Quæ ſunt iuris naturæ poſſuntne mutari, diſpenſari, aut Epikeiam interpretari? Item, ſuntne omnia Decalogi præcepta iuris naturæ, aut poteſtne dari ignorantia eorum? Hæc omnia reſoluta ſunt ſuprà *Tract.* 6. *Exam.* 2. *num.* 1. & 11.

* 5 QUÆRO IV. Quid eſt ius naturæ, & Gentium, quæ vtriuſquè differentia? *Reſp.* 1. Ius naturale eſt, quòd ratio naturalis immediatè dictat, vel ex eâ immediatè ſequitur. Et hoc eſt ſimpliciter naturale: vide de Lege naturali. Dicitur etiam ius naturale, quòd oritur ex natura rei; vndè etiam datur in ordine gratiæ, ſeù ſupernaturali, ſicut ſuppoſita elevatione hominis ad ordinem gratiæ, & finem ſupernaturalem, tenetur homo ex iure naturæ gratiæ (ſeù quòd gratiæ eſt connaturale) ad actus virtutum Theologicarum, & Pœnitentiæ.

Reſp. 2. Ius Gentium eſt, quòd communi Gentium conſenſu eſt introductum, ſeù quòd omnes paſsim Gentes obſervant; vti ſunt, *ſervitus, diviſio, & proprietas rerum, uſus pecuniarum, immunitas Legatorum*, mos contrahendi matrimonium coram teſtibus, &c. Non quaſi omnes Gentes ad condendum hoc ius in vnum locum convenerint, ſed quia expreſſo, vel tacito omnium conſenſu eſt approbatum.

* 6 *Reſp.* 3. Ius Gentium ſimpliciter non ſpectat ad ius naturale, ſed ad poſitivum humanum, cuius eſt pars. Ita S. Thom. *q.* 57. *art.* 3. *Ratio*: Sola illa ſpectant ad ius naturæ, quæ vel ſunt prima principia practica, aut ex illis per bonam, & evidentem conſequentiam deducuntur abſolutè, ideſt, nulla facta ſuppoſitione, qualia ſunt, quę ſimpliciter ſunt neceſſaria ad comparandam rectitudinem naturalem, natura hominis abſolutè conſiderata, ita vt ſint intrinſecè bona, etiam antequàm per leges poſitivas præcipiantur, & eorum oppoſita ſint intrinſecè mala. *Subſumo* 1. Sed quæ ſunt iuris Gentium, antè nominata, non ſunt prima principia practica, vt patet: nec ex ijs deducuntur abſolutè, ſed facta quadam ſuppoſitione, ſeù ſuppoſita tali, vel tali hominis conditione, v. g. natura hominis abſolutè conſiderata de iure naturæ eſt habere media pro ſuſtentatione vitæ: Sed ſuppoſita corruptione naturæ humanæ per peccatum, ratione cuius magis inclinat in bonum proprium, iure Gentium facta eſt diviſio, & proprietas rerum, vti & ius pecuniarum, quia rebus ſic diviſis neceſſe eſt fieri commutationes. Item, Matrimonium abſolutè eſt de iure naturæ: Sed ſuppoſita perfidia hominum neceſſe erat iure Gentium introduci, vt fiat coram teſtibus. Ergo. Ex hac diſtinctione ſolvuntur multæ obiectiones. *Subſumo* 2. Sed quæ ſunt iuris Gentium, non ſunt ita bona, vt eorum oppoſita ſint intrinſecè mala, quia in primitiva Eccleſia, vti & in Religionibus approbatis non eſt diviſio rerum, ſed communitas, & capti in bello inter Chriſtianos non fiunt ſervi. Ergo.

Reſp. 4. Ius Gentium, licèt ob datam rationem propriè ſpectet ad ius poſitivum, attamen eſt quaſi mixtum ex naturali, & civili, & cum vtroquè magnam habet affinitatem, & ideò in inſtitutis interdum vocatur naturale, interdum civile. Quà ratione diverſæ, quæ in iſtitutis inveniuntur, locutiones poſſunt conciliari. *Declaretur*: Sicut ius naturale omnibus hominibus eſt commune, ita & ius Gentium. Sicut ius naturale non habetur in ſcriptis, nec ſcitur tempus inſtitutionis eius, nec ad illud condendum requiritur convocatio hominum, ſic idem eſt iure Gentium. Differunt verò, quòd quæ ſunt de iure naturæ, ex primis principijs naturæ ſequantur abſolutè, quæ verò de iure Gentium, ſolùm ex ſuppoſitione. Cum iure civili convenit in eò, quòd vtrumquè per legem civilem abrogari poſsit, licèt ad abrogationem iuris Gentium non ſufficiat voluntas ſolius Principis, ſed totius populi.

* 7 QUÆRO V. Quid eſt Iuſtitia, qualis virtus, & quæ ſpecies eius? *Reſp.* 1. Iuſtitia bene definitur, quòd ſit conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi. *Ita S. Thom. q.* 58. *art.* 1. vbi definitionem explicat dicens: Dicitur *voluntas*, ad oſtendendum, quòd actus iuſtitiæ debeat eſſe voluntarius; additur autem de conſtantia, & perpetuitate, ad deſignandam actus firmitatem; & ſenſus eſt, quòd requiratur propoſitum, & intentio ſemper, & perpetuò, ſeu in omni eventu tribuendi cuique, ius ſuum. Et ideò eſt completa definitio iuſtitiæ, niſi quod actus ponitur pro habitu, qui per actum ſpecificatur. Et ſi quis vellet eam in debitam formam definitionis reducere, poſſet ſic dicere: Iuſtitia eſt habitus, ſecundùm quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate ius ſuum vnicuique tribuit. *Ita S. D.* Ex quibus patet, quòd Iuſtitia, vt virtus, ſit in appetitu

petitu rationali, seu voluntate vt in subiecto. Item quòd cuique reddat ius suum, absque omni respectu humano, & personarum acceptione, vnde optimè dicit Calsiod. in Ps. *Iustitia non novit patrem, non novit matrem, veritatem novit, personam non accipit, Deum imitatur.*

* 8 *Resp.* 2. Iustitia est virtus, & quidem specialis, seu à cæteris specie distincta, ac moralis, habens medium rei, non rationis; & versatur immediatè circa actiones, non passiones.

Prima pars patet applicando definitiones virtutis datas suprà T. 4. E. 1. *n.* 2. Et *n.* 6. de subiecto virtutis. Et *n.* 15. de divisione virtutis. Item *n.* 18. an in homine iusto præter Iustitiam infusam, seu specialem, sit etiam acquisita, & naturalis. *Ratio* 2. *p.* Habitus virtutum diversificatur secundùm obiecta formalia: Sed Iustitia habet speciale obiectum formale antè assignatum, quòd nulla alia virtus respicit. Ergo. *Ratio* 3. & 4. *p.* Tum quia Iustitiæ convenit definitio virtutis moralis secundo loco citato. Tum etiam quia (quòd est proprium virtuti morali) consistit in medio, quòd autem hoc non sit medium rationis, sed rei, ostensum fuit suprà loco antè citato *n.* 10. *Ratio* 5. *p.* Inter Iustitiam, & alias virtutes morales appetitus sensitivi, est hæc differentia, quòd Iustitia disponat hominem ad alterum, aliæ verò, *v. g.* Temperantia, Fortitudo, disponant eum in se ipso. Ergo sola Iustitia immediatè versatur circa operationes, & res, quibus homo ordinatur ad alterum, velut circa propriam materiam à se rectificandam. Dixi, *immediatè*: Quia non negatur, quòd circa passiones versetur indirectè, & immediatè, nimirum per virtutes annexas, comites, & auxiliares. Vide suprà loco citato *n.* 5. & 12. Quid, & quotuplex sit passio.

* 9 *Oppono* 1. contra 5. *p.* Cuiuslibet virtutis est destruere impedimenta eius operationem impedientia: Sed passiones, v. g. cupiditas, ira, &c. sæpè impediunt operationem Iustitiæ, ne reddat æqualitatem. Ergo. 2. Contra rationem: dantur passiones, quibus homo ordinatur ad alterum, v. g. ira iniuriosa, qua intenditur homicidium, item cupiditas alienæ vxoris. Ergo ratio illa est nulla.

Ad 1. *dist. mai.* Impedimenta vel intrinseca, vel extrinseca, *C. mai.* semper extrinseca, *sub dist. mai.* Vel mediatè, vel immediatè, *C. mai.* semper immediatè, *N. mai.* & concessu *min dist.* similiter *conseq.* Obstacula ergo, quæ directè impediunt operationem virtutis, seu quæ circa proprium obiectum, v. g. difficultatem intrinsecam in reddendo alteri, quod suum est, vt voluntatem non reddendi æquale tollit Iustitia immediatè per seipsam: difficultates verò, quæ respectu obiecti Iustitiæ oriuntur ex ira, odio, amore, &c. sunt extrinsecæ, & has tollit mediatè, seu per virtutes sibi annexas. *Ad* 2. *dist. ant.* Quibus secundùm se sumptis ordinatur ad alterum, *N. ant.* vt habentibus adiunctas externas operationes saltem intentas, *C. ant.* & *N. cons.* Tales ergo passiones possunt considerari dupliciter. 1. Secundùm se, & sic nec prosunt, nec nocent proximo, sed soli operanti, earumque rectificatio sub hac ratione spectat ad illas virtutes, quarum est disponere operantem in ordine ad seipsum. 2. In quantum sunt principia operationum, quibus proximus læditur, & sub hac formalitate eas moderatur Iustitia. Vndè verum manet, quòd hæc immediatè versatur circa actiones, non verò passiones vt tales.

* 10 *Resp.* 3. Tres sunt species Iustitiæ. 1. Iustitia generalis, seu Legalis. 2. Commutativa. 3. Distributiva. Ita S. Thom. *q.* 58. *art.* 6. & 7. *Ratio*: Virtus Iustitiæ est ad alterum, & propriùs eius character est, operationes hominis rectificare in ordine ad alterum, tribuendo ei ius suum. Ergo totuplex est species iustitiæ, quotuplex in aliquâ Republica, vel Communitate est habitudo ad alterum, tribuendo ei, quòd suum est: Sed habitudo illa est Triplex, Ergo & Iustitia. *Min. subs. prob.* In primis in Republica reperitur habitudo partis ad totum, & pro hac rectificanda ponitur Iustitia generalis, seu legalis, cuius est bonum partium debitè ordinare ab bonum totius. 2. Reperitur habitudo totius ad partem, & pro eâ ponitur in Iitia distributiva, cuius est, partibus, seu civibus distribuere bona communia, dignitates, beneficia, &c. iuxta proportionem in eis repertam. 3. Datur habitudo partis ad partem, seu civis ad civem, & pro eâ ponitur Iustitia commutativa, cuius est servare æqualitatem in communicationibus, & mutuis contractibus, quos homines privati, aut quasi privati inter se ineunt.

* 11 QUÆRO VI. Hæ tres Iustitiæ suntne species perfectæ, & subiectivè, seu conceptum generis participantes vnivocè, & adæquatè; vel solum secundum quid, seu potentiales, id est, inadæquatè naturam generis, seu Iustitiæ, vt sic participantes, sicut participant pietas, religio, pœnitentia?

Resp. affirmando esse species subiectivas, & perfectas. *Ratio* pro Iustitia commutativa, de qua id nemo negat: Iustitia, quæ servat omnes conditiones ad rigorem Iustitiæ requisitas, est species eius subiectiva, & perfecta: Sed sic est de Iustitia commutativa. Ergo. *Min prob.* Conditiones ad rigorem Iustitiæ requisitæ sunt tres. 1. Debitum legale, fundatum in iure rigoroso proprietatis, vel quasi proprietatis. 2. Alteritas. 3. Æqualitas. *Subsumo*: Sed hæ conditiones perfectè servantur in Iustitia commutativa. De prima clarum est ex dictis, & dicendis. Deindè adest perfecta alteritas, est enim inter privatas personas, inter quas nulla est idemptitas, vel subordinatio. Nomine privatarum personarum intelligo etiam Principes, integras Respublicas, Communitates, si ineant contractus instar privatorum hominum, tunc enim non consideratur comparatio partis ad totum, vel econtra. Tandem in Iustitia commutativa servatur æqualitas perfectissima (vtpotè arithmetica) rei ad rem, quantitatis ad quantitatem. Ergo.

Ratio pro Iustitia legali: nam & in hac servantur dictæ conditiones perfectè, licèt non tam strictè, vti in commutativa. 1. *Adest* debitum legale, & rigorosum, quia pars rigorosè, & strictè obligatur Communitati, & Communitas habet strictum ius in bona partium, seu civium, & prævalet iuri particulari illorum. 2. *Adest* æqualitas. Nam qui tribuit quantum debet, reddit æquale: Sed subditus vi Iustitiæ legalis de suis bonis, vel actionibus Communitati tantum tribuit, quantum debet, seu quantum pro bono communi est necesse. Ergo. 4. *Est ad alterum.* Quòd S. Thom. *q.* 58. *art.* 5. *in corp.* sic explicat: Ad alterum potest quis se habere dupliciter. Uno modo ad alterum singulariter consideratum; alio modo ad alium in communi, secundùm quod scilicet ille, qui servit alicui Communitati, servit omnibus hominibus, qui sub communitate illa continentur. Ad vtrumque ergo se potest habere Iustitia secundum propriam rationem. Manifestum est autem, quòd omnes, qui sub communitate aliqua continentur, comparentur ad Communitatem, sicut partes ad totum,

totum, pars autem, id quod est, totius est. Unde & quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. *Hæc S. D.* Ergo Iustitia legalis est ad alterum, saltem in communi, quòd sufficit, licèt non in singulari.

Hoc paulo aliter alij explicant dicentes: Licèt inter patrem, & totum, quod filius ut pars habet, non habeatur pro differente persona, non sit vera alteritas; bene tamen datur *secundum quid*: Sed inter Communitatem politicam ex partibus, seu civibus, filiisve iuris naturæ distinctum pro diuersa persona, cum habeat distinctum finem, regimen, *alium* bonum à bono filiorum, & familiarum, inquam, à bono civium, quod vocatur *bonum commune*. Ergo est sufficiens alteritas suppositorum, seu agentium principium, requisita à *S. Th. q. art.* 2. non quidem physica, sed moralis, seu iuridica, quæ in præsenti sufficit.

Secus pro Iustitia distributiva est eadem: Quia salvantur in illa eadem conditiones. *Primo* Communitas, seu Superior non solum ex bonitate virtutis, *sed ex debito Iustitiæ*, seu legali tenetur subditis bona communia *iuxta singulorum* dignitatem, & proportionem distribuere, & subditi habent ius activum ad illa, non quidem proprietatis, seu condignitatis, ex quo debitum illud legale, seu Superioris oritur. *Secundo* adest sufficiens alteritas, eo modo quo dictum est de Iustitia legali. *Tertio* adest æqualitas: Quia Princeps distribuendo civibus bona communia, dat cuivis, quantum debet, iuxta meritorum dignitatem. Unde dat cuivis civi, quòd suum est, non vetiam proprium, sed vt appropriandum, sed quod suum est, non titulo proprietatis, sed titulo condignitatis, seu meriti. Ergo.

* 12 *Oppon* 1. iuxta *S. Thom. q.* 57. *art.* 4. inter patrem, & filium non emancipatum non est perfecta iustitia, vt nec inter dominum, & servum, qui est talis vera servitute legali. Ergo nec inter totum, & partes; consequenter iustitia legalis, & distributiva *non sunt species perfectæ*. *Prob. conf.* Ideò primum est verum, quia filius est aliquid patris, & servus est aliquid domini, ob quam causam inter eos non est perfecta alteritas: Sed etiam pars est aliquid totius. Ergo, si, &c.

2. *Ex violatione* perfectæ Iustitiæ *oritur* obligatio restituendi: Sed hæc non oritur ex violatione Iustitiæ legalis, aut distributivę. Ergo *hæ* non sunt perfectæ species Iustitiæ. *Min.* ex eo patet, si homo privatus, cui ex officio non incumbit, non impediat incendium, vel simile damnum Reipub. cum possit, non tenetur resarcire damnum, *vt par. ex S. Thom. hic q.* 62. *art.* 7. *ad* 3. Idem est de Principe non distribuente bona communia *iuxta* subditorum necessitatem, ac dignitatem. *Mai. verò prob.* Vera iustitia est sola illa, quæ alteri tribuit, quòd suum est: Sed sola iustitia, ex cuius violatione oritur obligatio restituendi, alteri tribuit, quòd suum est. Ergo. *Min. par.* Quia restituere est aliquem iterum statuere in rem suam.

3. *Patriæ* reddere debitum non est perfectæ iustitiæ; tum quia patriæ, & parentibus non possumus reddere æquale: Tum etiam, quia ideò pietas non est perfecta species iustitiæ, quia reddit debitum patriæ: Sed etiam iustitia legalis reddit debitum patriæ. Ergo non est vera iustitia.

Ad 1. neg. conf. Ad prob. dist. mai. Ideò, quia necessario est aliquid patris, vel domini, & non adsunt diversa iura, sed idem ius, quòd facit patrem, & filium (idem est de servo, & domino) moraliter, & legaliter haberi pro eadem persona, *conc. mai.* quia est aliquid *patris*, vel domini liberè, & voluntariè, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Cives enim liberè dependent à Republ. & domicilium mutando, hanc Reipubl. iuxta possunt eam relinquere, itaque adest sufficiens alteritas: filius verò non potest à se subjicere ius paternum, nec servus ius herile.

Ad 1. dist. mai. ex violatione iustitiæ in re, quæ iam est sub titulo proprietatis, seu quæ actu est appropriata, *conc. mai.* quæ est sua solum titulo condignitatis, & solum approprianda, *subdist. mai.* ex eâ oriatur, vel formaliter, seu immediatè, vel saltem connotanter, *conc. mai* semper formaliter, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conseq.* Ille ergo tenetur ad restitutionem, qui alterum lædit in re actu ei appropriata, qui autem peccat contra iustitiam legalem, vel distributivam, lædit alterum in re solum appropriandâ Reipubl. à cive, vel civi à Republ. vel Principe: cum vera hæc appropriatio non fiat nisi ratione admixtæ Iustitiæ commutativæ, quæ non intervenit nisi ratione contractus implicitè, vel explicitè, aut promissæ fidelitatis, quòd habent Principes, & alij Ministri, quibus ex officio incumbit providere bono communi; ideò violatio iustitiæ legalis, aut distributivę formaliter, & immediatè ex se non inducit obligationem restituendi, sed connotanter ratione admixtæ iustitiæ commutativæ. Hæc est mens S. Thom. *infrà q.* 62. *art.* 1. *ad* 3. dicentis: *Recompensatio, quam facit distribuens ei, cui debet minus quàm debuit, fit per comparationem rei ad rem, vt quanto minus habuit quàm debuit, tanto plus ei detur. Et ideò semper inest ad iustitiam commutativam.* Vide de hoc infrà de *restitut. cit. q.* 62. Vide plura de hoc.

Ad 3. *dist. mai.* patriæ, &c. in quantum est principium essendi, ac nativitatis, *conc. mai.* sic enim respicitur à pietate, quæ deficit à ratione strictæ iustitiæ ex defectu æqualitatis, & alteritatis. In quantum est quædam Respubl. vel locus habitationis, & in quantum bonum patriæ dicit habitudinem totius ad partes, seu ad cives, & hi ordinem partis ad totum, *neg. mai.* Et sub hac ratione patria respicitur à iustitia legali, in qua offendimus salvari omnes conditiones veræ iustitiæ. De partibus potentialibus Iustitiæ vide in procemio *T.* 10.

* 13 *Sed cur* à dictis speciebus iustitiæ excludis iustitiam æconomicam, & vindicativam? *Dico primò*: Iustitia æconomica est inter patrem, & filium, dominum, & servum. De quibus patet ex dictis in *Respons. ad primum Oppon.* quòd inter eos non sit perfecta iustitia. Item est inter maritum, & vxorem, sed nec inter eos est perfecta iustitia, quoad gubernationem familiæ, licèt enim sint æquales quoad opus Matrimonij, non tamen quoad dictum gubernium domus: quia vir est caput mulieris, & mulier sub potestate viri. Est tamen inter virum, & vxorem perfectior iustitia, quàm inter patrem, & filium, dominum, & servum; quia vir, vti & vxor verè manet domina rerum suarum; quòd tamen dominium est modificatum, & limitatum in ordine ad consortem, ita vt neuter possit eo vti, nisi in ordine ad alterum. Vide infrà *T.* 8. *E.* 4. *num.* 12. & *seq.*

Dico 2. Certum est, quòd vindicatio possit esse actus strictæ justitiæ, nimirum commutativæ, in quantum fit à Iudice, qui ex vi officij, & pacti ad malefactores puniendos cum communitate iniri obligatur. *Dico* 3. Licèt iustitia vindicativa, quà à Iudice delinquenti infligitur pœna delicto æqualis, sit spe-

specialis virtus, cùm habeat speciale obiectum, & ei conueniat definitio virtutis; non tamen est perfecta iustitiæ species, sed solùm potentialis; & secundùm quid. *Ratio*: Quia deficit conditio requisita, eò quòd illa æqualitas non sit eo debita ex iure activo hominis rei, vtpotè cuius voluntas à tali pœna est aversa.

* 14 QUÆRO VII. Nonne dantur plures differentiæ inter iustitiam commutativam, & distributivam, & quæ illæ? *Resp.* Dantur variæ, quæ ex dictis omnes colliguntur. *Primò* ex parte materiæ, nam iustitia commutativa, & distributiva habent quidem eandem materiam remotam, non tamen proximam, vt pat. ex *S. Thom. hic q. 61. art. 3.* Materia enim remota iustitiæ sunt res, personæ, vel opera, in quibus reperiri possunt jus, & iniuria, quæ eadem esse possunt respectu iustitiæ commutativæ, & distributivæ: Materia verò proxima est vsus materiæ remotæ, seu actiones ipsæ, per quas vtimur rebus; personis, vel operibus cum iure, vt fit in contractibus legitimis, & commutationibus voluntarijs, vt sunt emptio, venditio, mutuum, commodatum: vel contra ius, vt fit in commutationibus involuntarijs; *v. g.* furto, rapina, detractione, &c. Et inter has iustitia commutativa solùm versatur circà illas actiones, quæ sunt commutationes in rebus proprijs seu privatis huius, vel illius: distributiva verò solùm circa eas, quæ sunt distributiones, quibus res communes distribuuntur inter partes Reipubl. Hinc materia proxima vtriusquè est diversa.

2. Iustitia commutativa est ad alteram personam quà talem totaliter, & adæquatè distinctam: Distributiva verò ad partem totius, quòd in toto includitur, seu adæquatè physicè ab eò non distinguitur. 3. Commutativa respicit strictius ius, seu debitum, nimirum proprietatis, vel quasi, quòd est debitum legale, & ius partis rigorosè activum: Distributiva verò condignitatis, seu appropriandum. 4. Commutativa principaliter subiectatur in privatis: distributiva in Principe, vel Magistratu bonis communibus præsidente. 5. Ex violatione iustitiæ commutativæ oritur obligatio restituendi, non tamen ex violatione distributivæ formaliter quà talis, vt antè dictum.

6. Essentiale distinctivum vtriusquè est tertia differentia assignata, ex quà tanquàm proprietate dimanat, quòd iustitia commutativa constituat medium secundùm æqualitatem arithmeticam, quòd consistit in adæquatione rei ad rem, seu quantitatis ad quantitatem, *v. g.* decem ad decem: Distributiva verò medium secundùm æqualitatem geometricam, quòd consistit in adæquatione secundùm proportionem inter conditionem personarum, & quantitatem bonorum communium: Hinc medium in commutativa est, quòd nec plus, nec minùs detur, quàm debeatur, vt, si furatus es imperialem, reddas imperialem: sed in distributiva aliquando potest distribui minùs, quàm quis mereatur, si consideretur cum respectu ad rem distribuendam, cùm summa bonorum non semper sit tanta, vt cuivis possit dari tantum, quantum aliàs meritis eius requireret. Sit Casus: Mille imperiales sunt distribuendi inter viginti cives de Republ. benemeritos, tunc medium iustitiæ distributivæ non est, vt, si inter eos sint decem, quorum quivis se solo mereatur centum, cuilibet detur centum, quia sic alij decem nihil acciperent, sed medium est, vt qui plus merentur, plus accipiant; & qui minùs merentur, minùs accipiant, secundùm proportionem summæ distribuendæ, & meritorum omnium illorum, quibus summa illa distribuetur.

Quomodò definies hanc binam iustitiæ speciem? *Dico*, applicando definitionem generis, scilicèt iustitiæ, vt, *v. g.* iustitia *commutativa est constans, & perpetua voluntas* (sive virtus) *in parte, vel quasi in parte communitatis, alteri comparti tribuendi ius suum*, constituendo æqualitatem inter rem, & rem, sive inter datum, & acceptum.

Distributiva est *constans, & perpetua voluntas*, seu virtus *in Magistratu, vel Communitate partibus communitatis tribuendi ius suum*; constituendo æqualitatem inter proportionem partium, & res distribuendas. Definitio iustitiæ legalis patebit ex dicendis sequente *Num. in Not.* 1.

* 15 QUÆRO VIII. Iustitia legalis estne specialis, seu distincta virtus, vel generalis, & eiusdem speciei in Principe, ac subditis? *Ante R. Nota primò*, quòd S. Thom. *hic q. 58. art. 5.* Iustitiam dividat in generalem, & particularem. Si enim comparetur pars Reipubl. ad partem, *v. g.* civis ad civem, statuitur iustitia particularis: si pars comparetur ad totum, seu ad bonum commune, est iustitia generalis, seu legalis. Dicitur *generalis*; quia eius est omnium virtutum actus ordinare ad bonum generale, seu commune. Dicitur *legalis*; quia hoc à lege, & legislatore principaliter est intentum, nam bonum totius est etiam bonum partium. Hinc iustitia legalis benè definitur, quòd sit *constans, & perpetua voluntas, seu virtus communitati tribuendi ius suum*, omnium virtutum actus tanquàm Reipubl. debitos ad commune bonum eius ordinando.

Nota 2. ex S. Thom. *hic q. 58. art. 6.* dupliciter aliquid dici generale. Uno modo per prædicationem, sicut animal est generale ad hominem, & equum, & ad alia huiusmodi; Et hoc modo generale, oportet, quòd sit idem essentialiter cum his, ad quæ est generale, quia genus pertinet ad essentiam speciei, & cadit in definitione eius. Alio modo dicitur aliquid generale secundùm virtutem, sicut causa universalis est generalis ad omnes suos effectus, vt sol ad omnia corpora, quæ illuminantur, vel immutantur per virtutem ipsius. Et hoc modo generale non oportet quòd sit idem in essentia cum his, ad quæ est generale; quia non est eadem essentia causæ, & effectus. *Hæc S. D.*

Nota 3. Iustitiam legalem dupliciter dividi posse: Primò in talem strictè dictam, quæ procedit secundùm verba expressa Legis, & respicit finem, quem verba legis præseferunt. Et in EpiKeiam, quæ non procedit secundùm verba Legis, sed respicit mentem legislatoris; & finem ab eo in lege principaliter intentum, etsi per verba legis non expressum. De hac divisione hic agere non est operæ pretium. Videantur dicta de EpiKeia *T. 6. E. 2. n. 11.* Secundò iustitia legalis dividitur in eam, quæ architectonicè est in Principe; & vsualem, seu ministerialem, quæ est in subdito. Nam & principis, & subditi est, bonum commune promovere. His notatis

Resp. 1. Iustitia legalis est quidem virtus generalis secundùm virtutem, seu causalitatem, sed secundùm essentiam est virtus specialis, & ab alijs specie distincta. *Ita S. D. art. in 2. not. cit.* vbi post illa verba subdit: Hoc autem secundo modo Iustitia legalis dicitur esse virtus generalis, in quantum scilicet ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem, scilicet ad bonum commune, quòd est movere per imperium omnes alias virtutes, sicut charitas, quæ respicit bonum divinum vt proprium obiectum, est

specialis virtus secundùm essentiam, licèt aliarum virtutum actus dirigat ad suum finem. Ita & Iustitia legalis est specialis virtus secundùm essentiam, secundùm quòd respit commune bonum vt proprium obiectum. Et sic est in Principe principaliter, & quasi architectonicè, in subditis autem secundariò, & quasi administrativè, ait S. D.

Ratio: Habitus virtutum ponuntur ad superandas difficultates, & diversificantur secundùm obiecta formalia. *Subsumo* primo: Sed pro Iustitia legali est specialis difficultas; nam maximè laudabile, & non leviter difficile est, vt quis ita se, & suas actiones moderetur, vt per eas bono communi invigilet, quia contingit, interdum aliquem sibi bonum esse, cum tamen Reipubl. bonus non sit. Unde Philosophus 3 *polit. c.* 3. *ait*: Quod non sit eadem simpliciter virtus boni civis, & boni viri; potest enim quis in se esse malus, & tamen valdè utilis Reipubl. & econtra. Ergo Iustitia legalis est virtus. *Subsumo* 2. Sed Iustitia legalis habet obiectum formale distinctum ab obiectis formalibus aliarum virtutum. Ergo est virtus specie distincta ab aliis. *Prob. hæc min.* Iustitia legalis pro obiecto formali habet bonum commune, reddendo debitum Communitati, seu Reip. Sed hoc qua tale non respicitur ab vlla alia virtute. Non ab obedientia, hæc enim, præterquàm quòd principaliter sit in subditis, iustitia verò legalis principaliter sit in Principe, reddit immediatè debitum Superiori. Non a pietate, hæc enim solùm se extendit ad patriam, quatenus est nobis quoddam essendi principium, seu quia hoc est ei debitum ob beneficium ortus: iustitia vero legalis respicit bonum commune Reipubl. quatenus sumus cives eius, & membra, sive sit nobis principium essendi, sive non. Ergo.

* 16 *Resp.* 2. Iustitia legalis architectonica, & ministerialis, seu quatenus est in principe, & subdito, est eiusdem speciei infimæ. *Ratio*: Quia habent idem obiectum formale, nimirum bonum commune, vt adæquabile per positionem actus legaliter debiti.

Nota 1. Virtutem aliquàm dupliciter posse dici architectonicam: Primo obiectivè, quæ ab intrinseco respicit finem altiorem, sicut est ars equestris respectu frenifactivæ, & hæ speciè distinguuntur. Secundò solum subiectivè, seu ratione materiæ, & subiecti potentias subditas per modum imperij in suum finem ordinantis, respicientis tamen idem obiectum formale cum virtute visuali. Et hæ sunt eiusdem speciei. Et hoc secundo modò iustitia legalis est architectonica. *Nota* 2. Ex dictis, quòd in Principe, seù Magistratu actus iustitiæ legalis sit coniunctus cum actu iustitiæ commutativæ, sic vt, si sua negligentia Communitati pariat aliquod damnum, teneatur ad restitutionem ratione taciti pacti cum Republ. initi de procurando bono eius.

* 17 QUÆRO IX. Iudicare estne licitum, & actus iustitiæ? Et si in peccato fiat, estne peccatum, & quale? *Resp.* 1. Iudicium est actus elicitus iustitiæ. S. D. *q.* 60. *art.* 1. *Ratio* patet ex ipso nomine; nam judicium idem est, quòd dictio iuris, & judicare est idem, quòd jus dicere, & judex idem, quòd jus dicens: ex quò fit, quòd judicare sit actus, qui versatur circa jus; Sed jus est objectum justitiæ, vt patet ex dictis. Ergo.

Resp. 2. Iudicium in tantum est licitum, in quantum est actus justitiæ, ad quod requiruntur tres conditiones juxta S. Thom. *art.* 2. *Primò*, vt procedat ex inclinatione justitiæ. *Secundò*, quòd procedat ex auctoritate præsidentis, quia aliàs est vsurpatum. *Tertiò*, quòd proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ, id est, non ex levibus coniecturis: quia aliis erit suspiciosum, vel temerarium.

* 18 *oppono*: Matth. 7. dicitur: *Nolite iudicare vt non iudicemini*. Et Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum*? Et Rom. 2. *Inexcusabilis es, ò homo omnis, qui iudicas, in quò enim alterum iudicas, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas*. Ergo judicare non est licitum.

Hæc solvit S. D. *in cit. art.* 2. *Ad* 1. ait: Dominus prohibet iudicium temerarium, vel judicium, quòd non fit ex benevolentia, sed ex animi amaritudine. *Ad* 2. ait: Iudex constituitur minister Dei. Vndè dicitur Deut. 1. *Quòd institum est, iudicate*. Et posteà subdit, *Quia Dei est judicium*. Vult ergo S. Thom. dicere, verba illa intelligi, non licere judicium super alienum, id est, non subiectum. *Ad* 3. dicit: illi, qui sunt in gravibus peccatis, non debent judicare eos, qui sunt in ijsdem peccatis, vel minoribus, vt Chrysost. dicit super illud Matth. 7. Nolite iudicare. Et præcipuè hoc est intelligendum, quando illa peccata sunt publica: quia ex hoc oriretur scandalum in cordibus aliorum. Si autem non sunt publica, sed occulta, & necessitas iudicandi imminear propter officium, potest cum humilitate, & timore vel arguere, vel judicare. Vnde Augu. dicit *in lib. de Sermone Domini in Monte*: Si invenitemus nos in eodem vitio esse, congemiscamus, & adpatiter conandum invitemus. Nec tamen propter hoc homo sic seipsum condemnat, vt novum condemnationis meritum sibi acquirat, sed quia condemnans alium, ostendit se similiter condemnabilem esse propter idem peccatum, vel simile. Hæc S. D.

Ex quibus colligitur, quòd Iudex, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis existans in peccato mortali occulto, vel etiam publico ast non scandaloso, non peccet mortaliter, si iudicet, vti aliàs docuerat S. Thom. *in 4. Sent.* Sed hìc retractavit. *Ratio*: Quia talis Iudex habet titulum, seu auctoritatem, suppono enim non adesse casum excommunicationis eam auferentis, item animum tribuendi cuique ius suum, vt suppono: si verò iudicet existens in peccato mortali scandaloso, peccat mortaliter ex genere suo. *Ratio*: Quia quantum est de se, dat materiam scandali, & facit iudicium, ac iustitiam vilipendi a populo, videnti verificari illud: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas*.

Quid ergo facit Iudex talis in casu, quo necessariò esset ferenda sententia contra delinquentes in simili peccato? *Dico*: Publicè per pœnitentiam priùs ostendere debet, quòd abominetur pristina peccata, dein ad iudicium procedat. Dixi antè, *mortaliter ex genere suo*, potest enim esse veniale propter levitatem materiæ, si nimirum peccatum Iudicis scandalizet valde parum, vel non scandalizet in ordine ad sententiam ferendam, nec reddat eam contemptibilem, vt si peccatum, in quo versatur, sit avaritia, iudicet autem adulteros; vel sit publicus concubinarius, iudicet verò latrones.

* 19 QUÆRO X. Quid sentis de iudicio temerario? *Ante R. Nota primo*, quòd inter temporalia bona primum locum teneat fama, quæ nihil est aliud quàm bona de virtute proximi in nostrislis mentibus deposita opinio. Hinc sicut fidus pecuniæ depositarius graviter peccat sine consensu deponentis, aut legitima causa eam dispergendo, ita quilibet bonam de proximo opinionem à natura apud se depositam, iure naturæ tenetur servare illæsam, donec ipsius

naturæ,

naturæ, ſeu rectæ rationis dictamen inſinuet, ob proximi demeritā eam non eſſe retinendam. Unde ſunt illa Iuris Axiomata. *Quilibet eſt habendus bonus, donec probetur malus. Quòd tibi non vis fieri alteri, ne feceris.* Honor eſt teſtimonium de virtute alterius, quòd ſit honorifica appellatione, corporis inclinatione, potioris loci ceſſione, &c.

Nota 2. Quòd hæc tria inter ſe differant, licèt à quibuſdam Iuriſtis, & Theologis immeritò confundantur. *Dubium, Suſpicio, Iudicium temerarium.* Dubium eſt, quando animus manet omninò ſuſpenſus, nec affirmat nec negat, ſed ex argumentis pro & contra movetur in vtramque partem, ſed ad neutram ſe determinat. *Suſpicio* eſt opinio, ſeu aſſenſus debilis de malo proximi ad vnam partem determinatus cum formidine oppoſiti. Dixi, *de malo proximi*: per quòd differt ab opinione, quæ eſt tam circa bonum quàm circa malum. Dicuntur levia indicia, quæ ſecundùm æſtimationem prudentiæ non ſunt ſufficientia ad cauſandam perſuaſionem. *Iudicium* eſt determinata, & firma ſententia, carens omni dubitatione, & formidine. Ex quo patet, quomodo differat à ſuſpicione.

Nota 3. Hæc tria dividi in *dubium prudens, ſuſpicionem prudentem, iudicium prudens.* Quæ nimirum innituntur rationabilibus, & ſufficientibus argumentis, indicijs, vel coniecturis ad ingerendam alicui dubitationem, ſuſpicionem, vel iudicium de alterius qualitate. Et in dubium temerarium, ſuſpicionem temerariam, & iudicium temerarium; quæ ſufficientibus indicijs non innituntur; ſi enim indicia ſint ſufficientia ad perſuadendum, non ſunt actus temerarij, ſed rationabiles. Porrò maiora requiruntur indicia ad *ſuſpicandum* quàm ad *dubitandum*, majora ad *iudicandum* quàm ad *ſuſpicandum*.

His notatis quæſtio eſt de iudicio interno, ſeù purè mentali de fama proximi, an ſit peccatum mortale per ſe, ſeù ex genere, & obiecto ſuo, ſi ſit temerarium. Pro reſolutione

* 20 *Reſp.* Iudicium temerarium plenè deliberatum, etiam purè mentale, de malo proximi, ex genere ſuo eſt peccatum mortale: de facto tamen, & in individuo non ſemper eſt mortale, licèt ſit de peccato mortali: & econtra poteſt eſſe mortale, licèt ſit de peccato veniali, aut malo naturali. Ita communis ſententia cum S. Thom. *hic art.* 3. *Ratio* 1. *p.* Peccatum contra juſtitiam, ſeù violatio alieni juris ex genere ſuo eſt mortale, vt patebit ex prima propoſitione ſequentis Confirmationis: Sed iudicium temerarium etiam mentale, eſt peccatum contra juſtitiam, & violatio alieni juris, quia fit proximo injuria, & damnum in bonis famæ, dum ſine ſufficiente cauſa habetur malus, antequàm probetur talis, ſeù bona exiſtimatio in animo judicantis depoſita (ad quàm habet ius) extinguitur, quæ tamen *Proverb.* 22. melior eſt quàm divitiæ multæ. Ergo.

Confirm. Illud eſt peccatum ex genere ſuo mortale, quòd præcisè manendo intra limites ſuæ naturæ, ſeù obiecti, abſquè eò quòd trahatur ad aliam ſpeciem, poteſt eſſe mortale, licèt aliquando ex inconſideratione, vel ex imperfectione actus, aut parvitate materiæ ſit veniale: Sed iudicium temerarium etiam purè internum manendo intra limites ſuæ naturæ poteſt eſſe mortale. Ergo. *Min.* eſt S. Thomæ *cit. art.* 3. Vbi de iudicio temerario ait: *Et hoc ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale.* Rationem ſubdit: *In quantum hoc eſt ſuæ caritatis proximi.* Ergo. Ex quo pat. quòd, ſi iudicium temerarium

non poſſit trahatur ad aliam ſpeciem, vt ſi ſit ex odio Dei, ſit mortale.

Ratio 2. *p. partis*: Licèt per ſe loquendo, & ex genere ſuo omne peccatum mortale ſit materiæ gravis, & veniale ſit materia levis; in individuo tamen ſunt quædam peccata mortalia, quæ quorundam hominum iudicio non habentur pro infamibus, nec committentes per eà famam ſuam lædi exiſtimant, immò gloriantur in malitia, qui potentes ſunt in iniquitate, v. g. quòd de homine vilis conditionis, & ebrioſo quis judicet, quòd ſe inebriarit: De procace iuvene, quòd laſcivè amet puellam: de militre, quòd aliquem occiderit in duello: econtra ſunt quædam venialia, quæ quorundam judicio habentur pro infamibus, vt ſi quis de viro illuſtri judicet, quòd ſit ex gente Hebræa, vel ex ignobili gente: vel de viro honorato, quòd habeat conſuetudinem mentiendi, qui id ægriùs ferent, quàm ſi de ijs temerè judicetur, quod ſint fornicatij. Ergo.

Ex quo ſequitur 1. quòd in diſcernendo, an materia ſit gravis reſpectu iudicij temerarij, ſemper debeat haberi reſpectus ad conditionem perſonæ, quæ iudicatur, & ad malum, quod illa ægriùs fert; ſive dein malum, de quo iudicatur, ſit mortale, ſive veniale. *Sequitur* 2. Si inter Religioſos ſint aliqua, quæ, licèt ſecundùm ſe non ſint magni momenti, tamen reſpectivè ad conditionem ipſorum maximè ad eorum famam conducunt, mortale eſt eos de illis temerè iudicare, *v. g.* de Religioſo, quòd nullam gerat curam cæremoniarum, de Lectore vel Doctore, quòd parùm intelligat, de Carthuſiano, quòd carnes comedat.

* 21 *Eſtne pro* iniuria iudicij temerarij facienda reſtitutio? & quomodo? *Affirmo*: Quia qui eſt cauſa damni, tenetur illud reparare, quatenus poteſt; reparat autem in præſenti, tale iudicium retractando, & perverſum voluntatis affectum mutando.

* 22 *Hæc doctrina* eſtne extendenda ad defunctos? *Affirmo*: Licèt enim illi non ampliùs vivant vita corporali, bene tamen in honore, & fama poſt ſe relicto, quæ eſt quaſi vita *poſthuma* in poſterum memoria. Hinc ſi quis de quodam defuncto temerè aliquid probroſum iudicaret, mortaliter peccaret, & teneretur ad reſtitutionem modo mox dicto. De reſtitutione famæ, & honoris vide infrà *T. præſ. E.* 5. *n.* 33. & 34.

* 23 QUÆRO XI. Quid cenſes de ſuſpicione mentali temeraria? *Ante R. Nota* 1. dupliciter poſſe aliquem ſuſpicari malè de proximo. *Primo* tantùm ex errore intellectus, quo quis apprehendit ſigna ad ſuſpicandum eſſe ſufficientia, cum tamen non ſint; paratus ſuſpicionem deponere deprehenſa ſignorum inſufficientia. Et de hac ſuſpicione non quæritur; certum enim eſt, eam (idem eſt indicio temerario) non eſſe peccatum, quia non eà plenè deliberata, ideòque nec temeraria: *Secundò* non tantùm ex errore intellectus, ſed etiam ex pravo affectu, & malevolentia ſuſpicantis, deprehenſa etiam ſignorum inſufficientia in ſuſpicione perſiſtentis, vel ſaltem de illa inſufficientia dubitantis, ac ſigna examinare nolentis, aut voluntariè negligentis. Et in hoc ſenſu eſt ſuſpicio deliberata, de qua hìc eſt quæſtio.

Nota 2. *ex S. Thom. cit. art. in c. ſic diſcurrens*: Suſpicio importat opinionem mali ex levibus indicijs. Et contingit ex tribus. *Uno* quidem modo ex hoc, quòd aliquis ex ſcipſo malus eſt: & ex hoc ipſo,

quasi conscius suæ malitiæ, facilitèr de alijs malum opinatur, secundùm illud *Ecclesiast. 10. In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Alio *modo* provenit ex hoc, quòd aliquis male afficiatur ad alterum, cùm enim aliquem contemnit, vel odit aliquem, aut iratscitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur malè de ipso; quia unusquisque faciliter credit, quòd appetit. *Tertio modo* provenit ex longa experientia. Unde Philosoph. *dicit in 2. Rhet.* quòd senes sunt maximè suspicioſi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primæ autem duæ suspicionis causæ manifestè pertinent ad perversitatem affectus. Tertia verò causa diminuit rationem suspicionis, in quantum experientia ad certitudinem proficit, quę est contra rationem suspicionis. *Ita S. Doct.* His notatis.

* 24 *Resp.* Iuxta mentem S. August. & S. Thom. probabilius videtur, quòd suspicio merè mentalis, plenè deliberata, ex genere suo seù præcisè intra limites suspicionis manens, non sit peccatum mortale, sed solùm veniale, etiam in individuo, licèt sit de re gravi, aut etiam gravissima. Est contra diversos DD. etiam Thomistas nonnullos. Dixi, *iuxta mentem S. Aug. & S. Thom.* Nam prior *Tract. 90. in* Ioann. ait: *Ignoscatur nobis, quòd de occultis hominum aliquando, immò assidnè, non verè sentiamus, hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine quâ ista non potest duci vita.* Et post pauca subdit: *In his rerum humanarum tenebris etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitiones, firmasque sententias continere debemus; neque ante tempus indicare.* Item super c. 4. 1. ad Cor. ait: *In suspiciones, sicut & in alias tentationes, quæ oriuntur ex fragilitate humana, frequenter incidunt homines, etiam iusti, & timorati. Subsumo*: Sed peccata, sine quibus vita ista non potest duci, quę vitare non possumus, & in quæ etiam homines justi frequenter incidunt, nemo dicit esse mortalia ex genere suo, sed solùm venialia. Ergo.

Deindè S. Thom. *hic q. 60. art. 3. cit. in c.* constituit tres gradus suspicionis, & ait: *Primus gradus est, vt homo ex levibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat, & hoc est veniale, & leve peccatum.* Quòd probat ex cit. Aug. & Gloss. *Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indicijs, &c. Tertius gradus est, cùm aliquis iudex ex suspitione procedit ad aliquem condemnandum. Subsumo*: Sed S. D. sub primo gradu præter dubitationem comprehendit suspicionem propriè dictam. Ergo. *Prob. Min. subs.* S. D. ibi expresè agit de suspicione, cujus ibi dicit esse triplicem gradum. Ergo suspicionem propriè dictam comprehendit sub aliquo horum graduum. Sed eam non comprehendit sub secundo, & tertio, quia vterquè clarè procedit de judicio. Ergo eam comprehendit sub primo. Sed de primo gradu dicit esse veniale, & leve peccatum. Ergo. Item S. Thom. *quodlib. 12. art. 35.* nimis clarè pro nobis loquitur, dicens: *Suspicio est quid imperfectum in genere iudicij, estque imperfectus motus, & ideò non est mortale ex genere suo.* Vbi non loquitur de dubitatione, vt constat; nec de judicio temerario, quia de eò est communis sententia, etiam S. D. quòd sit mortale ex genere. Ergo de suspicione propriè dicta.

Respondent Adversarij, S. Aug. & S. Thom. loqui de suspicionibus subreptitijs, indeliberatis, & [illegible], easque oriri ex humana fragilitate, ad [illegible] tentationem pertinere, sine ijs vitam hanc [illegible] non verò loqui de plenè deliberatis, & [illegible] Sed

Contra est: S. Aug. loquitur de suspicione quam nus distinguitur contra definitivas, firmasque sententias: Sed suspicio quantumvis deliberata, & extraordinaria non est firma, & certa sententia. Ergo de ea S. Aug. loquitur. Deinde si *S. Thom.* loqueretur de suspicione indeliberata, non distingueret eam à iudicio temerario, quia etiam hoc solum est veniale, si sit indeliberatum: immò ineptè diceret, suspicionem ex genere suo non esse peccatum mortale, quia id, quod propter imperfectionem, ac indeliberationem actus est veniale bene potest esse mortale ex genere, vt constat in motibus indeliberatis luxuriæ. 1. 2. *quæst. 88. art. 2.* Ergo.

Ratio: Peccatum ex genere suo mortale debet ita contrariari dilectioni Dei, & proximi, vt cum ipsa consistere nequeat, vt patet ex S. Thoma loco proximè cit. Sed suspicio sic non contrariatur dilectioni. Ergo. *Min. prob.* 1. Si contrariaretur, &c. esset propter contemptum, quem invehit: Sed non invehit contemptum completum, & perfectum, licèt sit de re gravissima (quia hoc *S. D.* attribuit soli iudicio temerario) licèt ad eum disponat, sicut aliud veniale ad mortale. Ergo. 2. *Effect* ratione damni, seu læsionis famæ: Sed nec hæc in suspicione est tanta, quæ sufficia ad mortale, quia eius assensus est valde debilis, imperfectus, cum formidine oppositi, carens firmitate, &c. ideòque fama per eam solum leviter læditur, nec proximus, saltem naturam suspicionis intelligens, ob eam gravitet invitus rationabiliter dici potest. Ergo. Dixi, *ex genere suo*: si enim suspicio transeat in iudicium temerarium, vel fiat ex odio, vel ordinetur à suspicante ad aliud grave damnum proximi, ingreditur alienos limites, & fit mortale ab extrinseco.

* 25 *Oppono* 1. Iniuria, & contemptus proximi est peccatum mortale ex genere suo, vt dictum est in *prob. R. ad Q. 10. n. 11.* Sed suspicio est iniuria, & contemptus proximi. Ergo est mortale ex genere suo. *Subsumo*: Sed peccatum ex genere suo mortale, est etiam mortale in individuo, quando est in materia gravi. Ergo & suspicio si sit in materia gravi. *Prima Min.* est S. Thom. in cit. art. 3. ad 2. dicentis: *Hoc ipso quòd aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideò iniuriatur ei.* Ergo. *Ad hoc dist. mai.* Si subsistet firmo iudicio, *C. mai.* si iudicio debili, & fluctuanti, *N. mai.* Et sic *dist. min. N. cons.* Solutio patet ex *prob.* S. Thom. autem ibi loquitur de suspicione in 2. *gradu*, quatenus exit suos limites, & est iudicium certum, seu firmum, vt patet legenti argumentum, quòd sibi objicit.

Oppono 2. contra datam solutionem: Maiori iniuria afficit, & magis proximum contemnit, qui de eo gravissimum malum, *v. g.* incestum suspicatur, quàm qui de eo minora peccata temerè iudicat. Ergo. *Prob. aut.* Homines subindè mallent perdere magnam pecuniæ Summam, aut de se haberi iudicium temerarium de minoribus peccatis mortalibus, *v. g.* de simplici fornicatione, quàm suspicionem de delictis gravibus. Ergo. *Confirmatur*: Suspicio de gravissimo delicto, *v. g.* hæresi, est gravior iniuria, & contemptus proximi, quàm iudicium temerarium de minori mortali. Ergo. *Prob. aut.* Si quis de Clerico bonæ æstimationis ex levibus causis exterius diceret, se dubitare, an sit Catholicus; vel suspicari, quòd sit concubinarius, gravius eum iniuriaret, & contemneret, quàm si de eo mentaliter iudicaret, quòd volumariè vnà die omiserit Breviarum, licèt illud non assereret certò, & absque formidine. Ergo,

go, & graviùs peccaret, etſi illam ſuſpicionem ſola mente teneret. *Prob. conſ.* Peccatum interius, & exterius ſunt eiuſdem ſpeciei. Ergo per ea æqualis irrogatur iniuria.

Ad Oppoſ. 2. N. ant. Ad *prob. diſt. ant.* Homines mallent, &c. propter maiorem contemptum, vel iniuriam ſibi illatam, *N. ant.* mallent propter alia maiora mala, quę timent, ne ex tali ſuſpicione pullulent, *C. ant.* & *N. conſ.* Timent enim, ne vel ex ſuſpicione fiat indicium temerarium, vel ne ſuſpicio coram alijs narretur, & exinde diffamentur, aut perſecutiones patiantur; Et hoc vel maximè, ſi naturam ſuſpicionis non intelligant, ſed eam cum iudicio confundant. Quæ omnia ſi deſint, nemo prudens cuiuſcunque ſit authoritatis, graviſsimè poteſt offendi ex ſola ſuſpicione mentali, manente præcisè intra limites ſuos; immò potiùs eam ridebit, ſi innocens ſit. Negari tamen non poteſt, quòd in re gravi ſit veniale cæteris gravius. *Ad Confirm. N. ant.* ad *prob. N. conſ.* Si quis ergo in caſu poſito ſuam ſuſpicionem panderet coram viro timoratæ conſcientiæ, de quo eſt certus, quòd eam relationem ſit acceptaturus vt dubiam, nec ex *muſca elephantem* facturus, nec eam hominibus malignis propalaturus, minorem inferret iniuriam, quam ſi temerè iudicaret eum de minore peccato, ideòque nec mortaliter peccaret.

Ratio eſt, quia fama non tollitur niſi ab aſſertore, non verò ab eo, qui rem proponit vt dubiam. Si verò ille ſuſpicionem ſuam referret coram hominibus indiſcretis, *v. g.* garrulis, fœminis, &c. de quibus eſt moraliter certus, quòd relationem ſuam ſint accepturi vt certam, alijſque narraturi, ſcandalum, vel occaſionem detrahendi ſumpturi, non nego eum peccare mortaliter, ſi ſit in re gravi. Ad *prob. conſ. diſt. ant.* Sunt eiuſdem ſpeciei quoad ea quæ ſunt per ſe, *C. ant.* quoad aliquam circumſtantiam advenitiam, *N. ant. & conſ.* Si ergo actui externo ſuperveniat ſpecialis circumſtantia vitians (vti ſit in præſenti caſu) poteſt actus externus eſſe mortalis, licèt internus ſolùm ſit venialis. *Not.* Quòd dictum eſt de ſuſpicione, à fortiori dicendum eſt de dubitatione temeraria, quia hæc nullum aſſenſum dicit, ideoque minor ratio culpæ in ea reperitur.

* 16 QUÆRO XII. Sintne dubia in meliorem partem interpretanda, & quomodo? *Ante R. Not.* 1. ſermonem eſſe de dubio propriè dicto, *num.* 15. in *Not.* 2. deſcripto, & quidem rationabili, ſeu quòd pro vtraque parte præbet ſufficientia indicia, & motiva ad dubitandum. Et quoad hoc petitur deciſio tam de iudicio interno, ac ſecreto hominis privati, quàm de publico Iudicis cuiuſcunque.

Not. 2. quòd quis tripliciter poſsit ſe habere circa dubia: 1. *Iudicium* ſuſpendendo. 2. *Eo* interpretando in partem deteriorem. 3. *In partem* meliorem. Et hoc adhuc dupliciter, nimirum *negativè*, & *poſitivè*. Negativè, eſt non interpretari in deteriorem partem, & contingit, quando quis propter factum ambiguum, quòd de proximo videt, perſiſtit in eadem æſtimatione, quam habebat antè, & non formar peiorem, *v. g.* iudicat quis Ioannem eſſe virum ſobrium, dein videt eum comedentem, & bibentem, non iudicat in peius, ſed manet in priori iudicio. Poſitivè interpretari in partem meliorem, eſt, formare novum iudicium, iudicando id, quòd eſt melius, *v. g.* poſito caſu, quòd Ioannes comedat, & bibat ex neceſsitate, faciat benè, &c.

Nota 3. Obligationem interpretandi dubia in meliorem partem poſitivè dupliciter intelligi. 1. *Sic* quòd homo oblata occaſione dubij abſolutè teneatur exire in actum poſitivum judicij de proximo. 2. *Sic* quòd obligatio illa ſolùm ſit ex ſuppoſitione, vt ſuppoſito quòd homo velit exire in actum poſitivum, teneatur exire in talem, quò dubium interpretatur in partem meliorem, cùm tamen abſolutè actum ſuſpendere poſsit. His notatis

Reſp. 1. Indubium eſt, dubia in meliorem partem eſſe interpretanda, ſaltem negativè, in ſenſu antè explicato. *Ratio* patebit ex dicendis pro 2. R.

Reſp. 2. Ex ſuppoſitione, quòd quis in re dubia velit exire in actum poſitivum judicandi, tenetur dubium interpretari in meliorem partem poſitivè, ſeù habere actum bonæ æſtimationis de proximo. Ita S. D. *hic q.* 60. *art.* 4. Vbi id probat ex illo Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* Vbi Gloſſ. (vt ait S. D.) ait: *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda.*

Ratio tum ex illo juris naturæ principio: *Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Subſumo*: Sed nullus rationabiliter vult, actiones ſuas dubias accipi in pejus, ſed in meliùs. Ergo. Tum ex illis Regulis Iuris: *Cùm iura ſunt obſcura, reo favendum eſt potiùs quàm actori.* Item: *In pari delicto, & cauſa melior eſt conditio poſſidentis.* Quæ Regulæ etſi procedant de foro fori, poſſunt tamen accomodari judicio fori interni, in quo etiam quilibet eſt habendus bonus, donec probetur malus. Ergo.

Reſp. 3. Per ſe loquendo non tenetur homo dubia in meliorem partem interpretari poſitivè, v. g. in caſu poſitivo de homine ſobrio, quem video bibentem, non teneor de novo judicare, quòd id faciat ex neceſsitate, ſed ſat eſt, actum ſuſpendere. *Ratio* Quia per hoc ſatis conſulitur famę proximi in re ambigua. Dixi, *per ſe loquendo*: cùm enim in talibus dubijs actum ſuſpendere ſit difficile, & homini inſit magna ad malè de proximo judicandum proclivitas, poteſt ad vitandum malæ æſtimationis periculum contingere, quòd homo teneatur exire in actum boni judicij; ſed hoc eſt per accidens.

* 17 *Quomodò* reſolvis hunc caſum? Vir probatæ fidei refert de fœmina honeſtiſsima, quòd marito non ſervet fidem. Nam ſi credam viro referenti, & interpreter in partem deteriorem, facio injuriam fœminæ, quæ apud me eſt in poſſeſsione bonæ famæ: ſi non credo referenti, & interpretor in partem meliorem, injuriam facio illi, judicando eum eſſe mendacem. Ad hoc *Dico*: Sedulò imprimis conſiderandum eſt, quibus ex cauſis ille referens moveatur ad hoc referendum: ſi conſtiterit fieri ex paſsione, odio, inhoneſto amore, interpretatio facienda eſt in favorem fœminæ: ſi autem ex bono animo, vt nimirum adhibeatur remedium, optimum erit, ſuſpendere judicium: ſi autem in actum exire velim, dubium interpretandum eſt in favorem fœminæ, id eſt, in meliorem partem: Quia iuxta Regulis Iuris: *Quando partium iura ſunt obſcura, &c.* Hîc autem, de quo dicitur malum, obtinet locum Rei; *Iura promptiora ſunt ad abſolvendum, quàm ad damnandum*, vt ait Abulenſis ſuper *cap.* 5. de præſumptionibus.

Oppono: Ex hoc ſequitur jactura in honore ipſius referentis. *Reſp.* Imputet ſibi, quia abſque ſufficiente cauſa proximum diffamat.

* 18 QUÆRO XIII. Teneturne Princeps ſemper judicare ſecundùm verba Legis? *Reſp.* Diſtinguendo inter legem naturæ, & ſcriptam. Patet reſolutio ex dictis de Epikeia ſupra *T. 6. E. 2. n. 11. & ibi E. 5. n. 17.*

QUÆ-

* 29 QUÆRO XIV. Iudicium vſurpatum eſtne ſemper invalidum? Senſus quæſiti eſt, an ſententiæ, aut judicia, quæ feruntur ab aliquò authoritatem non habente, v. g. à Tyranno, ſeù Principe injuſtè per vim Rempubl. occupante, ſint invalida, ſic vt non teneatur quis eis obedire. Ex quò patet, illud dici judicium vſurpatum, quòd exerceatur ab eò, qui ad id non habet authoritatem; vel quòd ſit in perſonam judicanti non ſubjectam; vel in tali cauſa, in quâ ei ſubjecta non eſt. Pro quò

Not. Dupliciter aliquem dici Tyrannum 1. Vſurpatione poteſtatis, puta, qui abſque vllo jure Rempubl. invaſit, & oppreſſam tenet, quàm tamen de facto in pace gubernat, nec Reſpubl. ei reſiſtit, & de hoc eſt quæſtio. 2. Vſu regiminis, vt ſi ſit quidem legitimus Princeps, attamen tyrannicè gubernet, & omnia commoda Reipublicæ ad ſuam vtilitatem referat. Et de hoc certum eſt, quòd non peccet jus dicendo; modò ſecundùm juſtas leges judicet. Hoc præmiſſo.

Reſp. 1. Tyrannus, qui eſt talis vſurpatione poteſtatis, non ſolùm peccat Rempubl. invadendo, & oppreſſam retinendo (idem eſt de herede) ſed & jus dicendo. *Ratio* 1. *p.* Quia ille Tyrannus retinet, quòd non eſt ſuum. Ergo continuò peccat, vſquè dum legitimo titulo (v g. præſcriptionis) legitimus Princeps evadat. *Ratio* 2. *p.* Quia alienam poteſtatem vſurpare peccatum eſt.

Reſp. 2. Sententia talis Tyranni lata ſecundùm juſtas leges, eſt valida, & ſubditi tenentur ei parere, vſquè dum irritetur. *Ratio*: Licèt illa ſententia non habeat vim à tyrannica poteſtate, benè tamen à Repub. quæ ad majora mala vitanda, & publicæ quietis cauſa eam recipit, & tacitè approbat. Quâ de cauſa, nec ſubditi peccant parendo, nec Iudices inferiores à Tyranno conſtituti, jus dicendo.

EXAMEN II.

De Dominio, ejuſque Subjecto, & Objecto.

De quo S. D. agit in variis locis ſuæ Summæ, vti videre eſt in eius Indice, Verbo, Dominium, maximè 2. 2. q. 66. art. 1. & 2.

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotuplex eſt Dominium? *Reſp.* 1. Dominium definitur, quòd ſit *ius, ſeù facultas propria vtendi rè ad quemlibet vſum lege permiſſum.* Ita communiter Theologi, & Iuriſtæ, licèt quidam aliquas particulas addant, alij detrahant; attamen eodem modò explicant. Dicitur, *ius*; nam omne Dominium eſt jus, ſeù legitima facultas, licèt non econtra, vt patet in jure vtendi re commodata, vel conducta. Per ly *propria* Dominium differt à poſſeſſione, quæ poteſt eſſe ſine Dominio, vt patet in exemplo dato. Per ly *ad quemlibet vſum* differt ab vſufructu, qui eſt jus vtendi re ſalva ejus ſubſtantia, vti & à jure pignoris, & hypothecæ. Dominium verò eſt jus eam deſtruendi, alienandi, donandi. Dicitur tandem, *lege permiſſum*, quia leges interdum Domino prohibent certum vſum rei, licèt Dominium relinquant; ſic ad Gal. 4. dicitur: *Parvulus nihil differt à ſervo*, quoad vſum bonorum ſuorum, *cùm ſit Dominus omnium*, puta, quoad proprietatem.

* 2 *Reſp.* 2. Dominium variè dividitur. Nam cùm dicat authoritatem, vel in perſonam, vel in rem, *Primò* dividitur in Dominium iuriſdictionis, ſeu perſonarum, & proprietatis, ſeu rerum. *Primum* eſt facultas propria gubernandi proprios ſubditos, eiuſque actus ſunt præcipere, prohibere, judicare, præmiare, punire, permittere. *Secundum* eſt facultas propria diſponendi de re aliqua tanquam ſuâ in proprium commodum. *Ubi nomine rei intelligitur* quævis res, *v. g.* inanimata, vel brutum, immò & perſona, ſi ſit mancipium; ſecùs, non.

2. *Dominium* Iuriſdictionis ſubdivitur in Sæculare, & Eccleſiaſticum. 3. *Dominium* proprietatis dividitur in perfectum, quòd continet proprietatem rei, & commodorum ejus; & in imperfectum, quòd tantùm habet, vel proprietatem rei abſque emolumentis, vel emolumenta abſque proprietate. 4 *Dominium* imperfectum eſt duplex, nimirum directum, & vtile. Primum habet ſolam rei proprietatem. Et hinc dicitur Dominus proprietarius, quale Dominium habet Princeps in feudis. Utile eſt, quòd habet ſolam rei vtilitatem, vel fructum, quale eſt illud, quod habet vſufructuarius, feudatarius, emphyteuta, &c. Ne autem Dominium directum Domino ſit omninò inutile, etiam vtilitas in certis caſibus redit ad Dominum directum.

5. *Dominium* tam iuriſdictionis, quando proprietatis dividitur in *altum*, ſeu ſuperius, quòd habet Rex, vel Reſpublica in bona ſubditorum; & in ius *baſſum*, ſeu inferius, quòd in eadem bona habent Domini inferiores, vel ipſi cives. Primum etiam dicitur Dominium remotum, alterùm propinquum.

* 3 QUÆRO II. Quid eſt titulus, vſus, vſusfructus, emphyteuſis, feudum, ſuperficies, ſervitus, poſſeſſio? *Reſp.* 1. Titulus eſt cauſa moralis, ſeù *radix*, & *fundamentum Dominij*, ſeù ex quâ quis ſe probet Dominum rei, v. g. emptio, donatio, legatum, ſucceſſio hæreditaria, electio ad Regnum, &c. Præter titulum ad dominij acquiſitionem ordinariè tanquàm conditio requiritur traditio rei, ejuſque apprehenſio. Dixi, *ordinariè*, quia in certis caſibus traditio non eſt neceſſaria; vt 1. in beneficijs, in ijs enim ſufficit collatio, & receptio. In hæreditate ſola additione, & acceptatione ante apprehenſionem hæres acquirit dominium bonorum defuncti. 3. In legato. 4. Quando quid donatur, venditur, aut relinquitur civitatibus, Eccleſijs, aut alijs pijs locis, vel in redemptionem captivorum: alij caſus videantur in Authoribus.

Titulus alius eſt verus, qui à parte rei ſufficit ad juſtificandam poſſeſſionem, vel dominium; vt ſi res ematur à vero domino, vel accipiatur à tali, qui poteſt donare. Alius præſumptus, ſeù coloratus eſt, qui, licèt à parte rei non ſit verus, tamen ex bona fide, & invincibili ignorantia creditur eſſe verus; vt ſi ematur ab eò, qui non eſt verus dominus, probabiliter tamen præſumitur eſſe, v. g. à fure bona fide. Qui titulus licèt non ſufficiat ad dominium, habet tamen aliquos effectus; nam ſufficit ad rem bona fide præſcribendam, & ad verum titulum per eam efficiendum.

* 4 *Reſp.* 2. Vſus rectè definitur, quòd ſit *ius vtendi re alienâ, ſalva rei ſubſtantia.* Vſusfructus eodem modò definitur, modò addatur particula, *& fruendi*. Per ly *vtendi* differunt à jure, quòd creditor habet in pignus, vel hypothecam, & depoſitarius in rem depoſitam, qui ijs vti non poſſunt. Dicitur, *& fruendi*; plus enim juris eſt in vſufructu, quàm in

ſolo

solo vsu. Ille dicitur frui, vel vsufructuarius, qui in fructus habet plenam potestatem, vt possit eos vendere, donare, & rem fructiferam elocare alteri; redditus, vel pensiones percipere. Ille verò solùm dicitur vti, seù vsuarius, qui fructibus suis potest vti pro se, & sua familia, v. g. hortum intrare, in eo deambulare, fructus percipere, ijs vesci, & suos, vti & hospites alere. Dicitur, *salva rei substantia.* Nam vsufructuarius debet rem integram conservare proprietario. Hinc propriè loquendo, juxta sensum dictæ definitionis (quæ loquitur de vsu rerum permanentium) non videtur posse constitui vsusfructus in rebus vno actu consumptibilibus, v. g. vino, oleo, frumento, pecunia, &c. in quibus tamen vtilitatis causa constituitur quasi vsusfructus: & tunc dominium transfertur in vsufructuarium (si sit dominii capax) hic autem debet dare cautionem, quòd finito præscripto tempore pecuniam, vel rei æstimationem restituere velit.

* 5 *Resp.* 3. Emphyteusis est *concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis, retento directo sub onere certæ pensionis proprietario solvendæ, idque vel in perpetuum, aut ad certum tempus, aut ad vitam vnius, vel vrium*, quòd decennio non sit minùs. Differt ab vsufructu, quòd hic etiam constituatur in rebus immobilibus.

Feudum est *concessio rei immobilis, nimirùm agri, vel pagi, &c. cum translatione dominii vtilis, retenta proprietate, sub onere fidelitatis, & obsequij personalis præstandi.* Hi contractus licèt sæpè pro eodem sumantur, differunt tamen, quòd emphyteuta in recognitionem dominii directi teneatur præstare pensionem realem, feudatarius verò personale obsequium, cuius tamen loco solet imponi realis pensio, & tunc parùm differunt.

Not. Quòd Vassallus sine voluntate Domini feudum non possit alienare, donare, impignorare, nec alteri in feudum concedere, &c.

* 6 *Resp.* 4. Superficies est contractus, quò superficies alieni fundi, seù soli, alicui (qui indè dicitur superficiarius) conceditur ad ædificandam domum, plantandam vineam, vel hortum, &c. Hic contractus finitur domo, vel vinea destructa, quia non conceditur solùm, sed tantùm superficies soli, nec potest sine novo contractu de novo in eò ædificare. Eodem tempore contractus finito, domus, aut vinea, &c. pertinet ad dominum fundi, nec superficiarius potest eis vti, licèt dominus debeat ei solvere æstimationem illarum rerum, quæ sunt melioramenta illic facta in re aliena. Durante hoc contractu superficiarius domum, vel vineam potest locare alteri, si domino fundi non teneatur solvere pensionem: secùs, non potest; quia tunc sunt vera Emphyteuses.

Resp. 5. Servitus dupliciter sumi potest: 1. *Inquantum* est ipsa subiectio, & obligatio rei, ad hoc, vt alteri serviat, qui ex ea fructum percipere, vel ea aliquo modo vti, vel circa eam aliquid impedire possit. 2. *Pro* jure huic obligationi correspondente, & sic est jus vtendi, vel fruendi re aliena, aut aliquid circa eam impediendi.

* 7 *Oppono*: Ergo est idem, quòd vsus, & vsusfructus. *Neg. cons.* Licèt enim omnis vsus, & vsusfructus sit servitus, non tamen econtra. Nam jus, & obligatio, ne quis altiùs ædificet, est servitus; non tamen est vsus, vel vsusfructus.

Dividitur Servitus in *meræ personalem*, quæ à persona debetur personæ, vt si quis vsum sui servi concedit alteri. Et in *meræ realem*, quæ à re immediatè debetur rei, vti est jus agrorum, domorum, &c. v. g. jus, quò per tuum agrum vado, vel jumenta duco ad meum. Dixi, *immediatè*, quia mediatè etiam debetur personæ ministrum domino agri. Et *in mixtam*, quæ à re immediatè debetur personæ, quæ illa re immediatè potest vti, vel frui.

* 8 *Servitus realis* alia est rusticana, quæ prædio rustico; alia vrbana, quæ prædio urbano debetur. Prædium vrbanum vocatur quodvis habitaculum, licèt sit in villa, aut hortus annexus amœnitatis gratia. Jus ergo, quòd habes, ne vicinus tuus possit altiùs attollere domum, ne tibi impediat lumen, vel quòd in parietem vicini possis immittere tignum, seu trabem, est servitus vrbana. Prædium rusticum est, quodvis aliud, v. g. horreum, stabulum, ager, &c. vnde jus, quòd habes, vt per alterius agrum possis in tuum ire, aquam, aut jumenta ducere, est Servitus rustica.

* 9 *Resp.* 6. Possessio nomen habet à *pedum positione*, & potest sumi vel pro actu, & sic vocatur possessio facti; vel pro jure, & vocatur possessio juris. Prima est *detentio rei, corporis, & animi, & juris alimicula intervenientis*, id est jure non prohibente, sicut prohibet locum sacrum possideri à Laico. Altera est ipsum *jus*, quòd quis habet *re vtendi*, seu *ei insistendi tanquam sua, non prohibita possideri.* In hac definitione by *res* sumitur generaliter, vt comprehendat etiam res incorporales, v. g. census, beneficium, servitutem, &c. quę dicuntur quasi possideri. Dicitur, *corporis*, quia ad possessionis saltem inceptionem requitur, vt res aliquo modo manibus, vel pedibus, id est, corporaliter apprehendatur. Dicitur *& animi*: si enim non sit animus possidendi, res non possidetur, vt patet in deposito, sicut & solo animo possessio amitti potest. *Item* si in tuo agro, te nesciente, lateat thesaurus, eum non possides. Possessio alia est naturalis, qua præsens rem vt meam detineo; alia civilis, qua secundum juris Civilis æstimationem rem semel à me naturaliter possessam, etiam absens possidere censeor, si nemo alius à possessione me dejiciat, & maneat in me animus possidendi.

Apprehensio, quæ est possessionis rei inceptio, alia est vera, vt cùm rem *manibus apprehendo*, vel *pedibus insisto*: alia est ficta, vt si dominus rei talem faciat actum, quo juris æstimatione censetur alteri tradere rei, vel domus possessionem, v. g. tradendo claves domus; Immò dantur casus, in quibus ex juris dispositione acquiritur possessio absque vlla apprehensione etiam ficta.

Possessio iterùm alia est bonę, alia malę fidei. Possessio habet diversos effectus, & quasi privilegia, vt quòd possessor bonæ fidei possit rem præscribere, possit eam armis tueri, lite mota non teneatur probare rem esse suam; quòd sit melior conditio possidentis. De quibus plura vide apud Iuristas, & Canonistas.

* 10 QUÆRO III. In rebus vnico actu, seù vsu consumptibilibus, v. g. eiculentis, poculentis, &c. distinguiturne vsus, seù jus vtendi realiter à dominio? Vide infrà T. 9. *c.* 8. *num.* 1. inter res vsu consumptibiles computari etiam pecuniam.

Resp. Cum communiori sententia affirmativè. *Ratio*: Quæ realiter separantur, realiter distinguuntur, quòd nemo negat, quia idem à se ipso realiter nequit separari: Sed vsus, seù jus vtendi defacto in quibusdam realiter separatur à Dominio, vt patet in Religiosis, qui rerum, quibus vescuntur, habent legitimum vsum, etiam in particulari, & tamen nemo in particulari est capax Dominii, sed solum

in

in communi: immò Franciſcani, qui ſunt de Obſervantia, & Capucini, nec communi, nec in particulari bonorum ſuorum, ſive mobilium, ſive immobilium, etiam conſtibilium Dominium habent, ſed tantùm vſum, & Dominium eorum eſt penes Sedem Apoſtolicam auctoritate diverſorum Summorum Pontificum Clementis V. Innocentii IV. Alexandri IV. Gregorii IX. ac præſertim Nicolai III. (vel vt alii volunt IV.) qui hoc Dominium in ſe, & Eccleſiam Romanam receperunt. Ergo, &c.

* 11 *Oppono* 1. Ioannes XXII. hoc Dominium à ſe abdicavit exceptis Eccleſiis, Officinis, habitationibus, libris, & veſtimentis ſacris in extravag. *Ad Conditorem.* Ergo. 2. Idem Papa ibidem illud Dominium vocat partim negatorium, partim iuri repugnans. Quis enim ſanæ mentis credere poterit (aic) quòd intentio fuerit tanti Patris Nicolai Anteceſſoris veſtri ovi, ſeu caſei, & fruſti panis, & aliorum vſu conſumptibilium Dominium Romanæ Eccleſiæ, & vſum Fratribus retinere? 3. Qui rem poteſt permutare, vendere, donare, &c. habet dominium, & non ſolum vſum: Sed hoc poſſunt, & faciunt Franciſcani. Ergo. 4. Vſus definitur eſſe facultas vtendi re, ſalva rei ſubſtantia, vt antè diximus: Sed in rebus vnico actu conſumptibilibus non poteſt eſſe vſus, ſalva eorum ſubſtantia, cùm per vſum pereat ſubſtantia. Ergo. Hæc ſunt fundamenta Ioann. XXII.

5. Ergo verum eſt dicere: 1. Quòd Papa quaſi quotidiè Franciſcanos invitet ad prandium, & tractet. 2. Quòd Franciſcani, dum mendicant, mendicant pro Papa, quòd ſi ſcirent hæretici, Papam eſſe Antichriſtum blaterantes, nihil eis darent. 3. Quòd qui furatur Franciſcanis, furetur Papæ. 4. Quòd & Papæ teneatur reſtituere, non ipſis. *Prob. ſeq.* Quia reſtitutio debet fieri verò Domino: Sed hic eſt Papa. Ergo. 6. Non eſt intentio eorum, qui à Franciſcanis aliquid donant, vt tranſeat in Dominium Papæ. 7. Ergo ſi Papa modernus illud Dominium à ſe abdicaret, bona Franciſcanorum fierent primi occupantis. *Prob. conſ.* ex Reg. Iuris. *Quæ nullius, ſiunt primi occupantis.*

8. Sequitur ex hac ſententia, quòd vſus rei, vtpotè à Dominio ſeparatus, poſſit ſeorſim appretiari, & vendi, ſi res vendatur: Sed hoc eſt contra S. Thom. *hic quæſt. 78. art. 1. in c.* dicentem: In talibus non dicitur ſeorſim computari vſus à re ipſa: Sed cuicunque conceditur vſus ex hoc ipſo conceditur res. Ergo.

Ad 1. Reſp. Quòd quamvis ita ſit, alij tamen Pontifices illud Dominium rurſus admiſerunt, vt conſtat ex Privilegijs dicti Ordinis, Verb. *Paupertas.* Hinc ſtante illa abdicatione *Ioannis XXII.* Dominium illarum rerum manſit apud Donatores ob non acceptationem tum Papæ, tum Franciſcanorum, acceptantium ſolum vſum. *Ad 2. Reſp.* Ioannem XXII. ea Extravag. erraſſe, non vt erat Papa loquens ex cathedra in materia Fidei, vel morum, ſed vt Doctorem privatum. *Ad 3. diſt. mai.* Qui poteſt independenter à placito alterius, *conc. mai.* dependenter, *neg. mai.* Et ſic *diſt. min. neg. conſ.* Franciſcani ergo rerum hoc faciunt dependenter ab interpretativa voluntate Papæ. *Ad 4. mai.* eſt vera de vſu non generaliter ſed ſpecialiter ſumpto, prout præcisè comprehendit res permanentes. In generali debet definiri ſic: Eſt actus, vel ius, quo quis vtitur re aliena de alterius (ad quem ſpectat) conſenſu.

Ad 5. Admitto primam ſequelam, & gratulor fe-

licitati Convivarum. *Secundam* ſequelam veram eſt in ſano ſenſu, hoc nimirum, quidquid Franciſcani colligunt, & acquirunt, Dominio Papæ acreſcit, etſi res minima ſit. Nec hoc Dominium eſt inutile, quia conducit ad ſalvandum perfectiſſimum modum Evangelicæ paupertatis. *Tertia* ſequela non negatur, ſic tamen vt Franciſcanis fururus vſum. *Quarta* ſequela *neg.* Ad *prob. diſt. mai.* niſi Dominus velit, vt reſtitutio fiat alteri, cui conceſſit vſum rei, *conc. mai.* ſi id velit, vti in præſenti vult Papa, *neg. mai.* Sicque interpretamur intentionem eorum, qui eleemoſynas illis Patribus donant. *Ad 6. diſt. ant.* Non eſt intentio explicita *conc.* implicita *neg. Ad 7. neg. conſeq.* Ad *prob.* Regula eſt vera de ijs, quæ nullius ſunt tam quoad vſum, quàm quoad dominium. *Not.* tamen, ſi quis Franciſcanis aliquid donaret non abſolutè, & ſimpliciter, ſeu non independenter à ſua voluntate, dominium rei maneret apud Donatorem, & ſolus vſus apud Franciſcanos: hic verò eſt ſermo de donatione abſolutè facta non reſervato vllo iure rei.

Ad 8. diſt mai. Vſus poſſet ſeorſim æſtimari tanti quanti res ſecundùm ſe, & ſimpliciter valet, *neg. mai.* eſſet enim vſura, minoris tamen quàm res ipſa ſecundùm ſe, ſicut ex pretio vſus, & ex pretio rei coaleſcat vnum adæquatum pretium, quòd iuſtam rei æſtimationem non excedat, *conc. mai.* de quo vide infrà de Vſura *T. 9. E. 8. n. 1. S. Thom. cit.* loquitur de vſu, ſeu iure vtendi abſolutè tali, & quòd eſt independens ab alio.

Not. à quibuſdam *DD.* vſum rei (ſive ſit vſu conſumptibilis, ſive non) dupliciter accipi. 1. *Per modum habitus*, quem vocant vſum iuris, conferturque alicui irrevocabiliter, & eſt habitualis facultas vtendi re indepenter à voluntate concedentis. Et hic non diſtinguitur à Dominio. 2. *Per modum actus*, quem vocant vſum facti, conferturque revocabiliter, & eſt poteſtas actualis vtendi re, dependenter tamen à voluntate concedentis. Vocatur verò vſus facti, non quaſi nihil iuris habeat (aliàs enim ille vſuarius eſſet iniuſtus) ſed quia ius, quòd habet, non eſt abſolutum, ſed à placito alterius dependens. Et de hoc eſt ſermo. Exemplum primi eſt in pane mutuato, quem comedere potes etiam nolente eo, qui dat eum mutuò. Exemplum ſecundi eſt in pane oblato in convivio, quem comedis dependenter à placito eius, qui te invitat, cùm ſine iniuria eum tibi auferre poſſit. Hac diſtinctione varia ſolvi poſſunt argumenta, & textus iuris explicari.

Subiectum Dominij.

* 12 QUÆRO IV. Quinam ſunt capaces Dominij? Num parvuli, filiifamilias, vxor, ſervi? *Reſp.* 1. Parvuli ante vſum rationis (idem eſt de amentibus) habent Dominium habituale, fundatum in poteſtatibus naturæ rationalis; non tamen actuale, defectu vſus rationis, vt patet ex Epiſt. ad Gal. 4. *ut ſupra num.* 1.

Reſp. 2. Loquendo de filiisfamilias ſub patria poteſtate conſtitutis, quadruplex peculium eſt diſtinguendum. 1. *Caſtrenſe*, quòd in caſtris, ſeu in militia armata vel occaſione militiæ partum eſt, vt prædæ, ſtipendia, donativa, legata in bello accepta, & omne lucrum ex his proveniens, &c. Et huius peculij habent dominium directum, & vtile, ſeu non ſolum proprietatem, ſed & vſumfructum, ac adminiſtrationem, modò habeant annos pubertatis, id eſt,

eſt, decimum quartum ætatis. Nec parentes ex eis quidquàm vſurpare poſſunt, niſi alimenta filij.

Secundum eſt quaſi *Caſtrenſe*, ita dictum, quia gaudet privilegio peculij caſtrenſis, eſtquè omne illud, iuxta privilegium à Iuſtiniano Imper. Clericis conceſſum) quòd filius ex Beneficio, & poſt Clericatum acquirit ex militia togata, & ex Officio publico liberali, ſive non mechanico, v. g. Advocati, Iudicis, Profeſſoris Academici, Tabellionis, ſeù Notarij. Et huius peculij dominium tam proprietatis, quàm vſus eſt apud filium familias, vt dictum eſt de Caſtrenſi.

Tertium eſt Profectitium, quòd primariò à parente provenit, vt ſi parentes filijs concedant aliquorum bonorum adminiſtrationem; vel quòd principaliter, & proximè parentum cauſa, v. g. ob amicitiam, ſive obſequium eorum datur. Secùs, ſi detur ob reſpectum filiorum. Et hoc peculium tam quoad proprietatem, quàm quoad vtilitatem totum eſt parentum, ſine quorum conſenſu ſi illud expendant, peccant contra ſeptimum præceptum.

Quartum eſt adventitium, quòd filius aliundè quàm ex re patris, nimirum ex matris, vel aliorum hereditate, donatione, opificio, negotiatione, ſibi quoad proprietatem, patri quoad vſumfructum acquirit.

Reſp. 3. Vxor habet liberam diſpoſitionem, & plenum dominium bonorum paraphernalium, nimirum eorum, quæ præter dotem à ſuis accepit. In aliquibus ita habet dominium, vt marito cedat vſusfructus, qualia ſunt, quæ durante matrimonio inter ſe acquiſierunt pro media parte, niſi obſtet alia lex, aut aliter ſint ſtipulati, de quò vide infrà *in hoc T. E. 4. n.* 12. vbi hoc magis explicatur.

Reſp. 4. Servi propriè dicti non habent Dominium bonorum fortunæ perfectum, & independens à poteſtate dominorum. *Ratio*: Quia iuxta expreſsè dicunt, ſervos, quidquid quavis cauſa, vel occaſione acquirunt, domino acquirere. Dixi *perfectum*; quia dominium imperfectum aliquarum rerum habere poſſunt, vt ſi ſervis aliquid donetur ob induſtriam, præſtitum ſervitium, in compenſationem illatæ iniuriæ, &c. non intuitu domini.

Dominium Religioſorum.

* 13 QUÆRO V. Quid de eo ſentis? Præmiſſo, quidquid dicetur de Monachis, ſentiendum etiam eſſe de Monialibus. *Reſp.* 1. Religioſi profeſſi in communi, ſeu Communitates Religioſæ, (exceptis FF. Minoribus de Obſervantia, & Capucinis, de quibus antea dictum) ſunt capaces veri, & ſtrictè dicti dominij bonorum temporalium. Patet ex *Trid. Seſſ. 25. c. 3.* de Regularibus.

Reſp. 2. Religioſi ſolemniter profeſſi in particulari ſunt incapaces omnis dominij, ſeu proprietatis bonorum temporalium: Patet ex *Trid. ibid. c. 2. Ratio*: Quia per votum ſolemne paupertatis ſe fecerunt incapaces.

Dixi 1. *ſolemniter profeſſi*. Nam Religioſi *Soc. Ieſu*, quia poſt Novitiarum emittunt vota ſimplicia, licèt iuxta Bullam *Greg. XIII.* ſint verè, & propriè Religioſi, manent tamen (vſque dum edant vota ſolemnia) capaces dominij temporalis; quod tamen in eis eſt ligatum, & mutui ſuperioris ſubiectum. Dixi 2. *bonorum temporalium*; ſi enim ſermo ſit de iuribus, & bonis ſpiritualibus, vt ſunt honor, fama, beneficium, ius eligendi, manendi in tali Cœnobio, eorum retinent dominium, vel quaſi dominium, etiam in particulari: poſſunteque nomine proprio agere ad ea tuenda, illis enim renunciare non convenit, vt colligitur ex S. Thom. *infrà q. 186. art. 7. ad 4.*

Reſpondeo 3. Religioſus profeſſus in particulari etiam eſt incapax vſus, & vſusfructus, & adminiſtrationis temporalis à Superiore independentis. *Ratio* eſt eadem, quæ pro *Reſponſione* 2.

Reſp. 4. Religioſus, ne quidem per licentiam Papæ poteſt habere peculium independens, ita vt nec per Papam poſsit revocari, & ad certos vſus limitati. *Ratio* eſt eadem.

Reſp. 5. Licitum eſt Religioſo profeſſo habere pecunias in communi Confratrum depoſito aſſervandas (ad vſus ſibi à Prælato conceſſos, vel concedendos) in quantitate moderata. *Ratio*: Totum enim hoc fit ad nutum, & placitum Superioris: Ergo non læditur paupertas.

* 14 *Reſp.* 6. Iuxta probabiliorem ſententiam Religioſus (idem eſt de Moniali) profeſſus non peccat, etiam poſt *Concil. Trid.* ſi ex Prælati licentia, ſublato omni abuſu, & ſimulatione, habeat annuos cenſus, ſeu reditus in Regiſtro proventuum Monaſterij regiſtrandos per Cœnobij Syndicum, ſeu Procuratorem annuatim exigendos, in communi depoſito reponendos, & non niſi ſervatis communis depoſiti legibus) extrahendos: ſive Religioſus hos reditus in teſtamento ante Profeſsionem à ſe condito ſibi reſervaverit, ſive ſint empti ex bonis à Religioſo iam profeſſo acquiſitis, quorum dominium iam tranſierat in Communitatem. *Ratio*: Quia Communitas poteſt cenſum annuum (nomine Communitatis fundatum) Religioſo, vel in præmium laboris, vel pro decente veſtitu concedere. Et ita patet ex vſu ſapientiſſimorum, & timoratorum virorum.

Et hoc maximè verum eſt de Monaſterijs (quorum proh, dolor! ſunt multa nimis) ex refrigeſcente proximi charitate, tanta media non habentibus vt ſicut in victu, ita & in amictu perfectam ſervent Communitatem.

* 15 QUÆRO VI. Sciſne aſſignare aliquam regulam, & licentiam pro dignoſcendo, an, & quando Religioſus peccet contra paupertatem? *Reſp.* 1. Religioſus violans votum Paupertatis peccat mortaliter ex genere ſuo. *Ratio*: Quia per illud omni rei temporalis dominio, immò & vſu independente, ſe privavit. In individuo tamen non ſemper peccat mortaliter, ſed tantùm venialiter iuxta quantitatem rei, vti contingit in furto. Hinc quæ ex obiecto eſt materia gravis pro furto, erit etiam pro peccato mortali contra votum paupertatis.

* 16 *Reſp.* 2. Licentia eſt duplex: Una expreſſa, & formalis, & hæc licèt ſit optima, non tamen ſemper eſt neceſſaria, immò nec in quovis caſu haberi poteſt, vti ſi Superior non adſit. Altera eſt virtualis, ſeu interpretativa, vel rationabiliter præſumpta. Quæ variè poteſt intelligi: 1. *Sic*, vt ſubditus ſciat quidem licentiam, ſi eam petat, ſibi non eſſe denegandam; aſt ſimul ſcit voluntatem Prælati eſſe, vt nihil fiat ſine licentia eius expreſſa; & hæc licentia virtualis, vel præſumpta non ſufficit, vtpotè nimium laxans votum Paupertatis. Unde eſt regula iuris, *Expreſſa requiſitum facit teſſare præſumptum*. 2. *Sic*, vt ſi hoc, vel illud fecero, librum emero, aliquid donavero, &c. placebit Prælato, & is infallibiliter

consentiret, si licentia petereretur. Addi potest 3. nimirum tacita, seu implicita, quæ colligitur, vel ex communi consuetudine à Superioribus tollerata; vel est tunc, quando alius actus est expressè concessus, & in eo alius continetur, vti si alicui expressè sit data licentia peregrè eundi, implicitè ei datur licentia pecuniis ad honestos vsus accipiendi, & expendendi. Ex his.

* 17 *Resp.* 3. Probabilius est, quòd licentia tacita in sensu explicato excuset à peccato, vti & iustè, seu rationabiliter præsumpta ad aliquid recipiendum, vel dandum. Ita *Donatus*, de la *Cruz*, &c. *Ratio*: Tum quia eadem est vis taciti, & expressi, per L. *cùm quid*, *ff. de rebus creditis*. Tum quia præsumptio de voluntate domini sufficit, vt alienæ rei vsurpatio excuseturà furto, iuxta L. *inter omnes*, § *recte*, *ff. de furtis*. Ergo, & sufficit ad excusandum à violatione Paupertatis. Tum tandem quia subditus in hoc casu re temporali non vtitur independenter à placito Superioris, hic enim iustè præsumitur esse non invitus. Adstipulatur. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. vbi docet, quòd Religiosus, etiam non habens dispensationem rerum temporalium, possit ex licentia Superioris probabiliter præsumpta facere eleemosynas. Ad idem facit, quòd *NB.* Superiores alicubi non soleant tam rigorosè petitionem licentiæ in casu, de quo est termo, exigere ab emeritis, & gravioribus, quàm à iunioribus.

Hanc doctrinam meritò limitat noster Donatus. 1. *Non tenere*, si in aliqua Religione esset statutum, vel præceptum, vt licentia petatur expressè, vt patet ex Reg. antè cit. 2. *Non* habere locum in rebus gravibus; vt sunt distractiones rerum Religionis, pertinentia ad cultum divinum, &c. in ijs enim Superior magis præsumitur invitus quàm voluntarius. 3. *Licentiam* præsumptam sufficere quidem pro foro *poli*, non tamen semper pro foro *fori*, quia ne fiat mala consequentia, talis subinde sunt castigandi. Addi potest 4. *Qui operatur* ex licentia rationabiliter præsumpta, eò quòd antea Superiorem physicè, vel moraliter addire non potuerit, tenetur ei postea id dicere data occasione, nisi iusta causa excuset. Hoc ad licentiam tacitam antè explicatam non requiritur.

* 18 *Resp.* 4. Vt licentia Superioris vsum rei temporalis, subdito faciat licitum, debet esse libera, seù perfectè voluntaria. *Sensus est*: Licentia non debet esse obtenta per fraudem, aut metum: Vndè si Superior subdito licentiam det ex metu, ne querelis, vel murmure turbet Communitatem, aut si obtineatur falso prætextu, vel reticendo ea, quibus cognitis fuisset denegata, subditus non est liber à peccato. *Ratio*: Quia fraus, & dolus nemini patrocinantur.

Resp. 5. Licentia ergo debet esse ex iusta causa, quæ potest esse multiplex, nimirum *pietas in egentes parentes*, vel proximos consanguineos, *remuneratio, seù gratitudo*, *utilitas communis*, v. g. ad finem docendi, studendi, &c. *utilitas privata*, non solùm in vsu infirmitatis, sed & sanitatis, aut necessariorum vitæ, vel vestimentorum, vel ad similes decentes vsus non superfluos.

* 19 *Resp.* 6. Si Religiosus habeat à Superiore licentiam aliquas pecunias distrahendi, in quos voluerit vsus; si eas expendat ad inhonesta, & turpia, non excusatur à mortali violatione voti Paupertatis. Ita probabiliùs teneo cum Donato. *Ratio*: Tum quia licentia est interpretanda iuxta facultatem concedentis. Tum quia nemo potest plus iuris in alium transferre quàm ipse habeat, *c. nemo potest. de reg. iuris in* 6. Quia nemo dat, quòd non habet: Sed Prælatus non habet auctoritatem disponendi de rebus monasterij ad turpia, & inhonesta, nec est dominus, sed solum administrator bonorum eius. Ergo talem licentiam dare nequit.

* 20 *Resp.* 7. Religiosus facilius potest præsumere licentiam Prælati ad alteri commodandum aliquid, Communitati, vel sibi applicandum, quàm ad vendendum, donandum, commutandum, &c. *Ratio*: Quia commodare non est actus translativus dominij, sicut est venditio, donatio, commutatio. Eodem modò potest facilius præsumere voluntatem Prælati ad dandum aliquid Fratri de suo Conventu quàm Fratri alterius Conventus, vel Ordinis, aut Sæculari. Item ad rem levem facilius, quam ad pretiosam.

* 21 *Resp.* 8. Si Superior Religioso det licentiam ad vsus, honestos quidem, sed superfluos, ad emendam rem pretiosam superfluam, vasa aurea, argentea, gemmas, &c. illa licentia est quidem valida (nisi cederet in grave detrimentum Communitatis;) & subditus eà vtens non peccat peccato proprietatis; est tamen illicita, & subditus peccat contra statum Paupertatis, nec minùs Superior eam dando, cuius est zelare regularem disciplinam. *Ratio* 1. *p.* Tum quia aliàs venditor in eò casu peccaret mortaliter retinendo pretium, deberetque restituere: Sed hoc est contra communem praxim. Ergo. Tum etiam quia subditus non vtitur re temporali auctoritate propria, & independente ab alio. Ergo non fit proprietarius. *Ratio* 2. *p.* Tum quia Prælatus in eò casu graviter abutitur sua potestate, cùm non sit bonorum Cœnobij dominus, sed œconomus. Tum etiam, quia Religiosi ex vi voti paupertatis obligantur ad non habendum nisi necessaria iuxta decentiam status. Ergo si notabiliter excedant, peccant mortaliter contra statum paupertatis. Et hæc sententia probabilior est, & tutior, tenetquè non solùm pro Religione reformata, sed & reformanda, exceptis militaribus, Melitensi, Teutonica, &c. Ex dictis colligitur, quòd violatio voti paupertatis sit separabilis à vitio proprietatis.

* 22 Ad præsens optimè serviunt Responsa S. Congregationis ad quæsita sibi proposita. *Ad* 1. An ex dispensatione Superiorum liceat possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaquè bona immobilia, & mobilia superflua, non obstante Tridentino? Censuit non licere. *Ad* 2. An per talem dispensationem, seù licentiam excusentur à culpa, & pœna? Censuit negativè. *Ad* 3. An credendum sit Superioribus dicentibus, se posse dare licentiam talem? Censuit negativè. *Ad* 4. An Superioris arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quoad mobilium superfluitatem, vel convenientiam? Censuit, nisi de excessu arbitrij constiterit, vtiquè standum habita ratione Personæ, Officij, & Regulæ, statusquè paupertatis, quàm professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum. Hæc ibi.

* 23 QUÆRO VII. Quomodò resolvis hos casus? *Primus est*: Est quidam Religiosus, qui pecunias non imponit communi deposito, sed retinet in cella, cùm firmo tamen animo non expendendi nisi de licentia Prælati. Peccatne mortaliter? 2. Religiosi à quodam amico sæculari offeruntur pecuniæ, sed ipse dominum illum rogat, vt eas apud tertium deponat, vt casu, quo indiguerit, possit cum Superioris licentia aliquid indè pro sua necessitate accipere? Peccatne? 3. Prælatus Religioso denit licentiam ac-

ci-

cipiendi à suo deposito vnum aureum ad emendos libros, ipse verò illum expendit ad alios vsus, sibi tamen necessarios. 4. Prælatus videt, & scit, subditum aliquid distrahere, vel acquirere, & non contradicit. Hæc Prælati taciturnitas æquivalenne licentiæ tacitæ, ita vt excuset à vitio proprietatis? Ante resolutionem dico, certum esse, hæc omnia saltem esse contra perfectionem paupertatis. Quò præmisso.

Ad 1. *R.* Talem Religiosum non statim condemnarem peccati mortalis: quia *intentio subdcat omnes*: Hoc autem solùm verum est stando præcisè in natura voti paupertatis, id est, si non obstet speciale præceptum, & non fiat animo pecuniam occultandi Prælato. Cæterùm si à Prælato fieret scrutinium circa eà, quę quivis Religiosus habet, & nihilominus in cella, vel alibi occultaret, peccat mortaliter ex genere suo. Dico *ex genere suo*, quia in individuo posset esse veniale ob levitatem materiæ. Si verò eilam in re levi adesset contemptus obedientiæ, vel animus ad maiora occultanda, esset mortale. *Ad* 2. Suppositis clausulis mox insinuatis, *R.* quòd talis Religiosus non peccaret mortaliter contra paupertatem, quia nec proprietatem sibi attribuit, nec ius, nec vsum pecuniæ sibi appropriat. Hæc tamen praxis non est consulenda, quia potest esse scandalosa. *Ad* 3. Si adsit necessitas, vel parvitas materiæ, vel licentia rationabiliter præsumpta non peccat. *Ad* 4. difficultatem facit illa Iuris Regula. *Qui tacet, consentire videtur.* Sed Donatus noster ex Navarro bene distinguit duplicem taciturnitatem: Una est permissiva, sicut Deus permittit peccata, & hæc non excusat; altera approbativa, & hæc excusat.

Sed dic, Quomodo potes scire esse taciturnitatem merè permissivam, vel approbativam? *Dico*, Certam regulam pro hoc statui non posse. Præfatus Auctor ex alijs DD. id bene explicat. 1. *Debere* cognosci ex circumstantijs personarum, rei, occasionum, ob quas rationabiliter potest præsumi voluntas Superioris. *Item* ex causa taciturnitatis, quæ si sit iusta, indubiè excusat à vitio proprietatis, secùs si iniusta. 2. *Si Prælatus* sciens taceat ex verecundia, vel timore, aliove respectu, quia nimirum homo pacificus est, subditus verò est inquietus, agrestis, turbulentus, &c. est taciturnitas permissiva: approbativa verò est, si ex nullo simili motivo taceat, immò solitus etiam his occasionibus irasci, arguere, clamare, non clamet, non irascatur, non minetur. Et tunc tenet illa regula: *Qui tacet consentire videtur.*

* 24 QUÆRO VIII. Scisne assignare regulam pro directione ipsiusmet Prælati in danda licentia Religioso quoad vsum rei temporalis? *Resp.* Prima Regulâ patet ad *Q.* 6. *in R.* 6. *&* 8. quòd nimirum Prælatus non possit dare licentiam, vt subditus re temporali vtatur ad turpia, & superflua, sed requiritur justa causa licentiæ. 2. Idem debet observare etiam quoad suam Personam, & Communitatem. 3. Non potest subdito concedere facultatem irrevocabilem vtendi re temporali, quia hoc esset eum facere proprietarium. 4. Quomodò se habere possit, ac debeat in taciturnitate, patet ex antèà dictis. 5. Prælati Regulares possunt sibi, & suis concedere licentiam de bonis sibi applicatis donandi vsquè ad decem aureos pro causa pia, & rationabili, v. g. pro pauperibus, pro nuptijs cognatorum, pro gratificatione beneficiorum, pro cultu divino, & similibus. Non tamen possunt amplius sibimet facere suæ licentiæ Provincialis, aut alterius similis, vel superioris Prælati. Ita noster da la Cruz, citans Cordubam, & Ludov. Lop. addens: Et ita, ait iste, præceptum est FF. Ord. Præd in Capitulo Pisano. An verò Prælatus eandem licentiam dare possit, hospitibus sui Ordinis, concludit idem auctor negativè; quia in Const. FF. Prædicatorum, *d.* 1. *c.* 14. prohibetur, ne Religiosus pecunias expendiat sine licentia sui Prælati. Sed Prælatus vnius Conventus non est propriè Prælatus hospitum in suo Conventu existentium, licèt ex earundem Constitutionum, & Ordinationum dispositione, in aliquibus hospites ei subdantur. Ergo.

6. Potest Superior Religioso subdito dare licentiam ludendi pro modica quantitate, ludo tamen honesto, & intra limites honestatis manente, seclusoscandalo, & lege prohibente. *Ratio*: Quia ludus omni mala circumstantia carens est actus virtutis eutrapeliæ juxta S. Thom. 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. cuius doctrina fusè relata est suprà *Tract.* 3. *Exam.* 5. *num.* 9.

Dixi 1. *in modica quantitate*, pro quâ tamen certa regula statui nequit, sed relinquitur arbitrio viri prudentis, considerata Religione, persona, & dignitate ludentis, vti & quantitate concessi peculij. Dixi 2. *seclusa Lege prohibente.* Hinc Superior non potest indulgere, vt subditus Religiosus ludat principaliter proper lucrum, vel aleis, intelligendo per aleas omnem ludum, qui nititur sorte, casu, fortuna magis quàm arte, ac industria humana. Vide de hoc nostras Constitutiones *dist.* 1. *de gravi culpa cap.* 18. *text.* 1.

Sed quid si Religiosus luderet absque omni licentia? *Dico*, Peccat contra votum paupertatis. *Ratio*: Quia pecunias exponere ludo est actus dominij. Hinc, qui ab eo lucratur, tenetur restituere, non ludenti, sed Monasterio.

7. *Prælatus*, vel Prælata non potest Monialem licentiare, vt suo Confessario frequenter det multas pecunias, licèt eas accipiat à suis propinquis. *Ratio*: Quia Superior abuteretur gravitet sua potestate in rebus Monasterij, cui Monachus, vel Monacha acquirit quidquid acquirit, vnde & Confessarius teneretur ad restitutionem.

* 14 QUÆRO IX. Sit casus: In Camera defuncti Religiosi reperitur bursa multorum florenorum, estne præcisè ob hoc privandus Ecclesiastica sepultura tanquam proprietarius? *Resp.* Negativè. *Ratio*: Tum quia fundamentum privationis Ecclesiasticæ sepulturæ est notorium peccatum mortale, quoad præsens) proprietatis, in quo defunctus decessit, sed hoc non scitur de illo Religioso; dicta enim in meliorem partem sunt interpretanda, *& quilibet est habendus bonus, donec probetur malus*; hic autem non potest probari proprietarius, nam potest iudicari, quòd habuerit licentiam *ab alio* Superiore, *v. g.* Generali, vel quòd habuerit suum peculium in Camera ad lustrandum, & ostendum Superiori, fuerit autem morte prevenius. Vel (qua ratione resolutio etiam tenet de Religioso strictioris Observantiæ, alioquin peculium non habente) quòd pecuniæ sint apud eum depositatæ, aut ei commissę loco restitutionis, eleemosynæ, &c.

Oppono: Legitur, quòd B. Gregorius Monachum repertum proprietarium fecerit tumulari in sterquilinio; non obstante, quòd ante pœnituerit. *Ad hoc R.* factum esse in exemplum, & terrorem aliorum.

* 16 QUÆRO X. Quid sentis de bonis Religio-

gioſorum beneficiatorum, vel ad alium Ordinum tranſeuntium, electorum, fugitivorum, apoſtatarum?

Reſp. 1. Regulares ad quamcunque dignitatem, etiam Epiſcopalem, vel Cardinalitiam evecti, non ſunt domini reditum beneficij, ſed tantùm habent ius eos administrandi, vel diſpenſandi: tum ad congruam ſui ſtatus ſuſtentationem, tum ad alias pias cauſas. Ita S. *Thom. infrà q. 88. art. 11 ad 4.* cuius verba vide infrà in *T. 10. E. 3. ad q. 9. Ratio*: Quia votum paupertatis non eſt incompoſsibile cum ſtatu Eccleſiaſtico, immò exornat eum, vt patet exemplo Apoſtolorum. Ergo non eſt ratio, cur non maneat.

Reſp. 2. Bona, quæ Regulares beneficiati ſpirituali titulo Beneficij, vel Eccleſiæ acquirunt, acquirantur ipſi Eccleſiæ, id eſt, cœtui Eccleſiaſtico talis Eccleſiæ in communi, niſi Beneficium ſit Monaſterio, vel menſæ Abbatis incorporatum, vt patet ex Clement. vnica, *de ſupplend. neglig. Prælat.* ac proinde quando moriuntur, Eccleſia ſuccedit ab inteſtato. Si verò bona ſint comparata titulo profano, hæreditatis, donationis, induſtriæ, & beneficium ſit manuale, id eſt, ad nutum Prælati, vel Patroni beneficij auferibile, acquiruntur Monaſterio. *Ratio*: Quia tunc perſona Beneficiati adhuc ſubeſt Monaſterio. Ergo talia bona nec retinere, nec vſurpare poteſt abſque Prælati licentia. Si verò beneficium ſit perpetuum, etiam hæc bona ſunt Eccleſiæ. *Ratio*: Quia tunc perſona Beneficiati eſt Monaſterio ſeparata, quod ſua iuri circa ipſam ceſſit.

Reſp. 3. Bonorum Religioſi ad alium Ordinem tranſeuntis, actuale dominium Religioni, à qua tranſit, iam acquiſitum, manet penes ipſam. *Ratio*: Quia nulla eſt lex, quæ eam bonis illis priver; Nec Profeſsio facta eſt cum conditione, ſi manerit in Religione, ſed potiùs Lex ſolùm concedit illum tranſitum, vt fiat ſine præiudicio tertij. Ergo.

Reſp. 4. Bonorum, quorum ſolùm ſpem, & ius ad rem habebat prior Religio, vivente adhuc priore domino, dominium acquirit facta Profeſsione Religio, ad quàm tranſit, ſi illa ſit capax dominij; ſi verò eius ſit incapax, durante Novitiatu manent ſuſpenſa ſub dominio hæredum, & ipſi ſecura Profeſsione, ſuccedunt ab inteſtato. *Ratio* patebit immediatè ante *R. 6.*

Reſp. 5. Si Religioſus juſtè ſit electus, & ratione beneficij certæ Eccleſiæ addictus, bona eius acquiruntur Eccleſiæ ob rationem datam immediatè ante *R. 3.* Si autem vagus oberret, cum bona eius non ſint derelicta, aut vacantia, nec primò occupanti permiſſa, ſpectant ad Religionem, vndè eſt egreſſus. *Ratio*: Quia convenientior dominus non poteſt aſsignari.

Reſp. 6. Si ſit iniuſtè electus, manet membrum Religionis ac proindè illi tanquam ſuo corpori acquirit. *Ratio*: Nam electio iniuſta, vel contingit culpa ſoliùs Prælati, & tunc eſt perſonalis, quæ non debet nocere toti Communitati; vel culpa totius, aut maioris partis Conventus, & tunc meretur quidem horum bonorum privationem, ſed ante ſudicis ſententiam non incurrit pœnam.

Reſp. 7. Si fugitivi, & apoſtatæ acquirant aliqua, titulo beneficij Eccleſiaſtici, illa ſpectant ad Eccleſiam, cuius eſt beneficium, vt habetur *c. cùm in Novitiis, de Teſtam.* Si verò aliqua acquirant titulo quodam perſonali, illa veteri quidem jure eſſent Religionis, vndè exceſſerunt, ſicut bona ſervi fugitivi pertinent ad herum. *L. 1. §. de acquir. poſſeſſ.* Sed ex nova Extrav. Gregor. XIII. ſi foris moriantur, quocunquè titulo acquiſita, cedunt Cameræ Apoſtolicæ. Quòd ſi aliam Religionem ingrediantur, & per ignorantiam bona fide recipiantur, eadem Religio acquirit dominium, ſicut dominus bona fide emens ſervum profugum; ſed ſi recipiantur mala fide, dum nimirum ſcitur, quòd tranſitus ſit illegitimus, quæ acquirunt, ſpectant ad priorem Religionem.

* 27 QUÆRO XI. Teneturne Monaſterium ex delicto, vel debito Religioſi? *Ante R. Nor.* duplicem eſſe obligationem. Vna eſt civilis, ad quam nimirum datur actio in foro externo. Altera naturalis, cui licèt reges non aſsiſtant, in foro externo actionem concedendo, non tamen ei reſiſtunt, quin poſsit eſſe obligatio in conſcientia. Hoc notato:

Reſp. 1. Monaſterium ad nihil tenetur ex delicto Religioſi, etiam ipſius met Prælati, niſi in quantum exindè aliquid ad Monaſterium pervenit; vel conversum eſt in vtilitatem eius. *Ratio*: Quia delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ redundare non debet. *c. cùm olim 14 de Privil.*

Reſp. 2. Monaſterium non tenetur ex contractu, quem Religioſus poſt Profeſsionem inijt, niſi in quantum ipſi tacitè, vel expreſsè fuit commiſſa adminiſtratio. Cæteroquin poteſt eum vel ratificare, vel reſcindere. *Ratio*: Quia Religioſus Profeſſus tantum facultatis non habet. Dixi, *poſt Profeſsionem.* Certum enim eſt, quòd debita ante ingreſſum à Religioſo contracta Monaſterium teneatur ſolvere ex bonis per Religioſum acquiſitis. *Ratio*: Quia nemo debet, vel poteſt ex re aliena diteſcere: Sed in eo caſu bona Religioſi jam erant debita, & obſtricta alijs. Ergo.

Reſp. 3. Si in quodam contractu ex parte Religioſi intervenit culpa theologica injuſtitiæ, ipſe naturaliter obligatur reſtituere, & damnum datum pro poſſibili, quantum ſtatus patitur, compenſare etiam ex ijs, quorum ex Prælati licentia habet liberam diſpoſitionem. *Ratio*: Quia ſtatus Religionis non impedit naturalem obligationem compenſandi damnum injuſtè illatum, licèt illius obligationis, & reſtitutionis executionem ad tempus excuſet.

Reſp. 4. Si nulla injuſtitiæ culpa interceſsit, nulla contrahitur obligatio. *Ratio*: Quia contractus ex natura rei fuit nullus, & ſupponitur, quod non adſit vllus alius titulus vel rei acceptæ, vel injuſtæ acceptionis.

* 28 QUÆRO XII. Incapacitas dominij annexa voto paupertatis oriturne ex natura voti, vel conſtitutione Eccleſiæ? *Reſp.* Iuxta mentem Angelici Doctoris, probabiliùs eſt, quòd oriatur ex natura voti, jure naturæ ei annexa. *Ratio*: Si incapacitas dominij voto ſolemni paupertatis ſolùm eſſet annexa ex conſtitutione Eccleſiæ, Eccleſia poſſet in eà diſpenſare: Sed non poteſt; nam in *c. ad Monaſterium*, Innocentius Papa ait: Abdicatio paupertatis ſicut etiam cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſsit licentiam indulgere.

Dixi, *Iuxta mentem Ang. Doct.* Ille enim infrà *quæſt. 88. art. 11.* citans præfatum caput, negat Papam diſpenſare poſſe cum Religioſo profeſſo, aut facere, quòd Religionem profeſſus non ſit Religioſus. Verbà S. Thomæ nimis clara referentur infrà in *T. 10. de Relig. E. 1 n. 48. de Indiſpenſabilitate voti ſolemnis caſtitatis.* Ubi, quæ dicentur, omnia hic ſer-

ſerviunt. Vide verba S. Thomæ ſuprà cit. num. 26. *poſt R.* 1. Ex dictis colligitur hæc definitio Religioſæ paupertatis: Eſt voluntaria Renunciatio omnium rerum poſſeſſarum, omniſque iuris poſidendi per ſolemne votum facta in Religione approbata à Sancta Sede. An Religioſi poſſint teſtari, ſeu teſtamentum facere; vide infra *E.* 4. *n.* 22.

Dominium Clericorum.

* 29 QUÆRO XIII. Quid de eo cenſes? *Ames R. Nor* diſtinguendum eſſe inter bona Eccleſiaſtica, & Eccleſiaſticorum, ſeu Clericorum. *Prima* ſunt, quæ immediatè, ſeu proximè ſpectant ad ipſam Eccleſiam, *v. g.* vineæ, domus, agri, horti; &c. *Secunda* proximè ſpectant ad ipſos Clericos in particulari. Hæc ſubdividuntur in bona Sæcularia; & Clericalia; Clericália rurſum in verè, & quaſi talia, *Bona Secularia* Clericorum (dicta communiter Patrimonialia) ſunt, quæ eis obvenerunt ex quadam cauſa profana, ſeu titulo ſæculari abſque vllo reſpectu ad Ordinem, aut Beneficium Eccleſiaſticum, ſed *v. g.* ex donatione hæreditate, vſucapione, inventione, propria induſtria, vel arte.

Bona *quaſi Clericalia* (dicta communiter quaſi patrimonialia) ſunt, quæ Clerici acquirunt occaſione ſtatus, ſeu miniſterij Eccleſiaſtici; non proximè titulo beneficij veluti eius fructus, ſed vt præmium, & mercedem impenſi laboris, *v. g.* ſtipendia Miſſarum, Anniverſariorum, vel audientiæ Confeſſionum, Concionum, inde dicta induſtrialia, redditus ſtolæ, ex Sepulturis, Nuptijs, Baptiſmi collatione, &c.

Tandem bona *verè Clericalia* ſunt, quæ Clerico proximè obveniunt titulo Beneficij, v. g. Præpoſituræ, Decanatus, Canonicatus, Parochiæ, &c. vti ſunt annua ſtipendia fixa, decimæ, fructus agrorum, &c. Et hæc rurſum debemus partiri in eà, quæ ad honeſtam Clerici ſuſtentationem ſunt neceſſaria; & in eà, quæ honeſtæ ſuſtentationi ſunt ſuperflua; & in illa, quæ Clericus parciùs vivendo de congrua ſuſtentatione ſibi ſubtrahit, quæ vocantur *parſimonialia*. Ex his certum eſt, quòd dominium particulare bonorum, quæ Eccleſiaſtica diximus, ſit penes ipſam Eccleſiam particularem, cui in ſpecie ſunt applicata, nomine Eccleſiæ intelligendo ipſam Communitatem Eccleſiaſticarum perſonarum cum ſuo Capite. Hoc præmiſſo.

Reſp. Clerici ſunt veri, & abſoluti domini bonorum patrimonialium. Ità S. Doctor, *infrà q.* 185. *art.* 7. *in c.* dicens: Aliter eſt dicendum de bonis proprijs, quæ Epiſcopi poſſidere poſſunt, & de bonis Eccleſiaſticis. Nam propriorum bonorum verum dominium habent. Vndè ex ipſa rerum conditione non obligantur, vt eà alijs conferant, ſed poſſunt eà vel ſibi retinere, vel etiam alijs pro libito elargiri; poſſunt tamen in eorum diſpenſatione peccare propter inordinationem affectus, per quam contingit, quòd vel ſibi plura conferant quàm oporteat, vel alijs etiam non ſubveniant, ſecundùm quòd requirit debitum charitatis; non tamen tenentur ad reſtitutionem, quia huiuſmodi res ſunt eorum dominio deputatæ; ſed Eccleſiaſticorum bonorum ſunt Diſpenſatores, vel Procuratores; ad diſpenſatorem autem requiritur bona fides ſecundùm illud 1. Cor. 4. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inveniatur. Hæc ibi, *Ratio*: Quia nec ex voto, neque ex diſpoſitione juris ſunt incapaces hujus dominij.

* 30 *Reſp.* 1. Idem eſt de bonis quaſi patrimonialibus, ſeù quaſi clericalibus, vti & de bonis verè clericalibus, in quantum hæc ſunt neceſſaria ad congruam ſuſtentationem, ſic vt ſinguli Clerici in particulari habeant abſolutum dominium eorum, & non teneantur eà magis expendere in pios vſus, quàm patrimonialia. *Ratio* 1. *p.* Quia bona quaſi patrimonialia Clericis dantur, vt ſtipendium quoddam, & merces præſtiti ſervitij perſonalis abſque omni pacto expreſſo, aut tacito erogandi in pios vſus. Ergo.

Oppono 1. Hæc ſtipendia quandoquè excedunt operam. 2. Si ergo Clericus de illis bonis expendat in pias cauſas, poteſtne tantundem redditibus beneficij defalcare, ac de eis, vti de patrimonialibus, diſponere?

Ad 1. Dico, nihil refert; quia liberè dantur. Exemplum eſt in paupere, qui ſit dominus pecuniæ etiam magnæ quantitatis, licèt nullam præſtet operam. *Ad* 2. Affirmo.

Ratio 2. *p.* Quia bona verè clericalia congruæ ſuſtentationi neceſſaria debentur Clericis tanquam juſta merces ab Eccleſia, cui ſerviunt. Nam, *qui altari deſerviunt, cum altari participant.* 1. Cor. 19. v. 13. Et *dignus eſt operarius mercede ſua.* Luc. 10. v. 7. Et nemo cogitur militare proprijs ſtipendijs. Ergo. Hinc ſequitur, quòd ſi Clericus genium fraudando, vivat parciùs, quàm ſtatum eius deceat, poteſt ea, quæ congruæ ſuſtentationi ſubtraxit, (quæ ante vocavimus bona parſimonialia) expendere in quos libet honeſtos vſus ſive pios, ſive profanos: potuiſſet enim ea liberè abſumere.

Oppono: Si hoc ita eſt, cur Concil. Trid. *Seſſ.* 25. *c.* 1. interdixit, ne Eccleſiaſtici ſtudeant ditare Conſanguineos ex redditibus Eccleſiaſticis? *Dico*, Loqui de bonis congruæ ſuſtentationi redundantibus.

* 31 *Quid intelligis* nomine congruæ ſuſtentationis? *Dico*, Communiter intelligi omne, quòd Clerico moraliter neceſſarium eſt ad honeſtam ſui, & familiæ ſuſtentationem iuxta conditionem, ſtatus, ac dignitatis, *v. g.* debitam hoſpitalitatem non ſolùm erga pauperes, & peregrinos, ſed etiam, vrbanos, iuxta beneficij moderationem. *Item* moderatas donationes, remunerationes, recreationes honeſtas. Liberalitas enim maximè decet Clericum. Nec enim tenetur nimis parcè vivere, ne arguatur ſordidus avarus, ſed admittere poteſt liberaliorem tractationem, modò maneat intra limites temperantiæ, & modeſtæ frugalitatis. Cum qua clauſula etiam Nobilis, & Graduatus poteſt ſalumere plus, quàm minus literatus, & vilioris conditionis. De hoc vide infrà *n.* 35. Sed caveat, ne Nobilitas, vel Doctoratus ſit petra ſcandali, lapis offenſionis, eccalio damnationis.

Hactenus dicta apud omnes ferè ſunt communia; Sed difficultas eſt de bonis congruæ ſuſtentationi redundantibus. De quibus.

* 32 *Reſp.* 3. Poſt erecta beneficia, & certos proventus ſingulis titulis aſsignatos Beneficiarij, ſive Canonici, non tantum ſunt adminiſtratores, ſed & veri Domini ſuorum proventuum, etiam quoad illam partem, quæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluit, hoc tamen dominium eſt ità limitatum, vt ſecundùm turiorem, & revera probabiliorem ſententiam, non ſolùm ex charitate, ſed & ex juſtitia teneantur partem illam expendere in pias cauſas, ſeu vſus, id eſt, in Eleemoſynas, fabricam Eccleſiæ, cultum divinum, Cœnobia, eorum fundationes, conſervatio-

nes;

nes, pro animabus in purgatorio, &c. Si secus fecerint, iuxta eandem probabiliorem, & turiorem sententiam tenentur ad restitutionem, non solùm Beneficiarij, sed & qui scienter talia bona acquirunt.

Dixi, *post erecta beneficia*, quia, antequam singulis sua portio fuit assignata, Clerici vivebant in Communi, vti nunc Religiosi, & tunc dabatur ab Episcopo singulis quantum cuique opus erat, &, quòd supererat, dabatur pauperibus, aliisque pijs causis: postea verò ob graves causas bona Ecclesiastica fuerunt divisa in 4. *partes*, quarum prima cessit *Episcopo*, 2. *Clero*, 3. *Pauperibus*, 4. *Fabricæ Ecclesiæ*: prout explicat S. D. infrà q. 185. *art.* 7. *in c.*

Verba S. Thomæ sunt hæc: Sunt autem bona Ecclesiastica non solùm in vsus pauperum, sed etiam in cultum divinum, necessitates ministrorum expendenda. Unde dicitur 12. *quæst.* 2. de redditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his vna portio mittatur: duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profuturæ à Presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima Clericis pro singulorum meritis dividatur. Si ergo distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ erogandis, & si aliquid ibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda, non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem, quæ sunt specialiter vsui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de propriis bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum, & vsum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subveniat, sicut requirit debitum charitatis; Si verò non sint prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committur, & si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quin non possit homo in talibus punctualiter accipere illud, quòd fieri oportet. Si verò sit multus excessus, non potest latere: vnde videtur bonæ fidei repugnare, & ideò non est absque peccato mortali. Hęc ibi. Et ibid. ad 1. loquens de necessitate, & obligatione Episcoporum, illa, quæ eis supersunt, pauperibus largiendi, ait: *Non potest determinari, quando sit iste necessitas, quæ ad peccatum mortale obligat, sicut nec cætera particularia, quæ in humanis actibus considerantur: horum autem determinatio relinquitur humanæ prudentiæ.*

Ratio 1. *p.* Est S. Thom. *loco mox citato.* Iuxta Concil. Trid. *Sess.* 25. *c.* 1. *de reformat. Clerici*, qui non præstant, quæ iuxta Ecclesiæ statutum præstanda sunt, fructus non faciunt suos. Ergo argumento à contrario (quòd in jure fortissimum est) si præstent, quæ debent, fructus faciunt suos, eosque lucrantur: Sed hoc est idem, ac fieri dominum eorum, *arg. cap. vnic. de Cler. non resid. in* 6. Et in vsu Iuris Canonici illæ phrases, *facere suum*, & *fieri dominum* æquipollent. Ergo.

Dixi, *hoc dominium esse limitatum*, restrictum, & non omnino liberum. Cuius exemplum est tum in fideicommisso, legato, vel donato sub certo gravamine, v. g. Petrus Paulo Romam peregrinaturo dat titulo viatici 100 ducatos, eò tamen pacto, vt, si quid superfuerit, det pauperibus.

2. *Pars* videtur clarè colligi ex Trid. *Sess.* 25. *de reform. c.* 1. *vbi legitur*: Omnino eis (scilicèt Episcopis) interdicit, ne ex redditibus Ecclesię consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne Res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sunt, ijs vt pauperibus distribuam, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: immò quàm maximè potest, eos S. Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vndè multorum malorum in Ecclesia seminarium existat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque beneficijs Ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed etiam ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit. Hæc ibi. Ergo si Clerici in notabili quantitate de parte superflua erogent in vsus profanos (quales sunt ditare Consanguineos, notabiliter excedere in supellectile, convivijs, vsu, equis, canibus venaticis, largitionibus, &c.) saltem certum est, quòd mortaliter peccent. et hæc est etiam communis sententia. *Ratio*: Quia bona ad Dei honorem, & cultum promovendum oblata vertere in luxum, Fundatorum intentioni è diametro repugnat.

S. Thom. *infrà q.* 185. *art.* 7. *ad* 2. ad præsens sic inquit: *Bona Ecclesiarum non sunt solum expendenda in vsus pauperum, sed etiam in alios vsus, vt dictum est. Et ideò si de eo, quòd vsui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel alijs dare, non peccat, dummodò illud moderatè faciat, id est, vt non indigeant, non autem, vt ditiores indè fiant. Vndè Ambros. dicit in lib. de Offic. Hæc est approbanda liberalitas, vt proximos seminis sui non deficias, si egere cognoscas, non tamen, vt illos ditiores fieri velis ex eò, quòd tu potes conferre inopibus.* Hæc ibi S. D. Et ad 3. explicat S. Hieronym. dicentem: Clericos illos convenit stipendijs Ecclesiæ sustentari, quibus parentum, & propinquorum bona nulla suffragantur: qui autem bonis parentum, & opibus propijs sustentari possunt, si quòd pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt. Hæc verba explicat dicens: *Non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi fortè in articulo necessitatis, in quo etiam in redemptione captivorum, & alijs necessitatibus pauperum vasa cultui divino dicata distrahuntur, vt Ambrosius dicit. Et in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodò haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset.* Hæc ibi S. Doct. Ad 4. ibidem explicat, an liceat bona Ecclesiarum expendere ad redditus eorum ampliandos, dicens: *Bona Ecclesiarum vsibus pauperum deservire debent. Et ideò si quis necessitatem imminentem providendi pauperibus, de his, quæ superfluunt, ex proventibus Ecclesiæ possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum vtilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si verò necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est, & inordinata, vt aliquis in futurum, conservet: quòd Dominus prohibet Matth.* 6. *dicens: Nolite solliciti esse in crastinum.* Hæc ibi S. Doct.

3. *Pars* (quæ est de restitutione) oppositum docent quidem aliqui Recentiores, attamen valdè timidè, quia licèt sententiam oppositam, vt probabilem defendant, nostram tamen, velut sacris Canonibus, & rationi conformiorem, dicunt in praxi Beneficiarijs esse consulendam. Eam enim docent communiter antiquores DD. (est autem in sensibus consilium) quorum catalogum videre licèt apud Abb. *in c. cùm essas, n.* 21. Adrian. *in* 4. *de restit.* §. *proclarius sentent.* Nav. Covar. &c. Vndè, & S. Bernard. *Epist.* 2. *ad Canon. Lugdunenses*, ait: *Quidquid præ-*

ter

nec necessarium victum, & vestitum de alieno retinet, tunc non est, reputat se, sacrilegium facit; nimirum si in vsus profanos expendatur. Ergo est obligatio restitutionis. Idem patet ex verbis Conc. Trid. cit.

Ratio: Sacri Canones aiunt, res Ecclesiasticas esse res Dei, patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum, id est, fideles ea Deo obtulerunt per manus Prælatorum Ecclesiæ, vt per eos ad Dei honorem, & offerentium salutem fideliter dispensentur. Ergo eo ipso Ecclesia tacito pacto obligat ad hæc bona non in vsus profanos, sed pios expendenda. Ergo si id non fiat, oritur obligatio restitutionis. Revera periculosissima est sententia opposita, vti in genere superiùs probatum fuit de vsu cuiuscunque sententiæ probabilis concurrente probabiliore: Quòd etiam *NB.* pro *seq. Q.* 14. & 14.

Quòd dictum est de Beneficio, idem sentiendum est de Commendatario, id est, cui Beneficium est datum in Commendam. Ille enim substituitur muneri, & commodis Beneficiarij. Qui autem sentit commodum, sentire etiam debet onus. Item de Episcopis. Immò totum etiam de ipso Papa verificatur.

* 33 *Dixisti* ante ex Trid. quòd Episcopi possint saltem de dictis redditibus aliquid dare suis consanguineis, si pauperes sint, estne ergo necesse, vt sint mendicantes? *Dico*, intelligi non tantum si absolutè pauperes, vel indigentes sint, sed etiam considerato statu iuxta quem decenter vivere non possunt. Et Cajet. 2. 2. *q.* 43. *art.* 8. & alij benè docent, statum personæ nonnihil etiam indè excrescere, quòd habeat consanguineum Papam, Cardinalem, Episcopum, &c.

Sit Casus: Beneficiatus habet filios, & filias, non tantùm legitimos, sed & spurios, potestne illos alere ex redditibus Ecclesiasticis? *Dico*: Non potest, si liberi habeant sufficientia propria bona, v. g. adventitia à Matre, vel si Pater habet bona propria patrimonialia. Hoc autem non obstante posset, si Beneficiatus eos haberet in suo tervitio, seu familia, quam iuxta status sui decentiam alit. Quomodò Episcopi, & alijs Clerici teneantur ad eleemosynas, vide suprà *T.* 7. *E.* 6. *n.* 8.

* 34 QUÆRO XIV. Possuntne Clerici de redditibus congruæ sustentationi superfluis pro placito testari ad causas profanas? *Ratio* difficultatis est, cùm ita passim videamus practicari à Clericis Germaniæ, si excipias Episcopos, alibique Prælatos, qui solùm habent administrationem reddituum. Supponitur autem, quòd possint de ijs testari ad causas pias in locis, vbi eà viget consuetudo.

Resp. 1. Tutior, & probabilior est sententia negativa, adeòque dicta consuetudo est corruptela. Ita colligitur ex verbis Trid. *ante cit.* & doctrina ibidem subiecta. *Ratio est*: Consuetudo repugnans Legi divinæ, ac naturali, est corruptela: Sed sic est de dicta consuetudine. Ergo. *Min. prob.* Lex naturalis, & Divina (contra quam nec Papa potest) dictat, defunctorum voluntates, seu dispositiones, quæ factæ sunt ad causas pias, non esse tunc vrgente, & iusta causa convertendas in vsus profanos. Ergo. Dixi, *sine iusta causa*, quæ si adsit, non est illicitum, v. g. in remunerationem meritorum, & beneficiorum Ecclesiæ collatorum à Beneficiato, vel consanguineis eius Et tunc licentia testandi petenda est à Papa, qui quidem habet potestatem bona Ecclesiæ dispensandi, sed non dissipandi. Vel saltem (vbi ea consuetudo est) ab Episcopo loci, qui dispensandi causam benè examinet, ne communibus pauperum, & Ecclesiarum necessitatibus quicquam derogetur, responsurus desuper coram Tribunali Christi.

Oppon. Papa scit dictam testandi consuetudinem in Clero Germaniæ passim vigere, & non contradicit. Ergo eam tacite approbat. *Prob. cons.* Nam, qui tacet, consentire videtur. *Resp.* 1. *Neg. Cons. ad prob.* patet *R.* n. 25. *ad* 4. Casum. Vel paulò aliter, dico esse verum, nisi repugnet Legi naturali, aut divinæ, vti repugnat in præsenti, vt ostensum est. Vnde Papa dictam consuetudinem quidem permittit, ac tolerat ad maiora mala cavenda, cùm ea facilè non possit abolere, non verò eam approbat vt honestam, cùm sacris Canonibus, ac primæ Beneficiorum Institutioni sit contraria. Vnde & teste Navarro Clericis in Curia Romana decedentibus, licentia de bonis Ecclesiasticis ad causas profanas testandi concessa solùm fuit permissivè, & quoad forum externum. Vel si Papa specialiter quibusdam Clericis talem testandi facultatem concedat, non debet trahi in consequentiam; sæpè enim aliqua in vno, alterove casu rationabiliter conceduntur, quæ tamen rationabiliter non possunt concedi pro omni casu.

Multi etiam Clerici putantur testari ex superfluis, cùm tamen testentur ex bonis patrimonialibus, industrialibus, quòd possunt, vt ante dictum est. Multi verò volunt se, & animam salvare per vsum sententiæ probabilis, qualem censent oppositam esse, sed infeliciter. De quo suprà in *T.* 2. *E.* 3.

Resp. 2. Hæredes, & Legatarij ex dictis bonis superfluis scienter accipientes, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Et hæc sententia tanquam tutior, & probabilior sequitur ex iactis fundamentis. *Ratio*: Nam si dicti redditus superflui ex naturali lege iustitiæ necessariò sint erogandi in pium aliquem vsum, eò quòd cum tali onere, ac tacito pacto fideles eos dederint, evidenter sequitur, quòd, qui eos accipit titulo donationis, seu legati merè profano, in conscientia tutus non sit, sed ad restitutionem teneatur.

* 35 QUÆRO XV. Edic tuam sententiam de illis Beneficiatis, Canonicis, &c. qui plura simul habent Beneficia? *Resp.* Communis, tutior, & probabilior sententia docet, quòd qui sine legitima dispensatione tenet simul duo beneficia, etiam solùm tenuplicia incompatibilia, vel quorum quodlibet ad honestam Beneficiati, sive Canonici substentationem sufficit, peccet mortaliter, sitque in continuo peccato mortali, & statu damnationis æternæ, nec possit in foro conscientiæ absolvi, nisi prius vnum resignet, vel iustam dispensationem impetret.

Ita Conc. Trid. *Sess.* 7. *c.* 2. *statuens*: Nemo quacunque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias in Titulum, sive Commendam, aut alio quovis nomine contra sororum Canonum Instituta recipere, & simul retinere præsumat. Cùm valde felix sit ille censendus, cui vnam Ecclesiam bene, & fructuosè, cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. *Hæc Concil.* Vide, quæ sequuntur ibidem, & cap. 4. vbi ipso iure privatur alijs beneficijs, qui vltra vnam tenent. Et *Sess.* 24. *de reform. c.* 17. Cùm Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando vnus plurima Officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesijs conscribi. Verùm quoniam multi improbè cupiditatis affectu, se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, varijs artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non tan-

tribuerunt, ſancta Synodus debitam regendis Eccleſijs diſciplinam reſtituere cupiens præſenti decreto, quòd in quibuſcunque perſonis, quocunque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit, vt Imposterum vnum tantùm Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, Quòd quidem ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodò vtramque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. *Hæc Concil.* extendens hoc ibid. ad omnes Eccleſias, & quæcunque Beneficia etiam Commendata. Et S. Bernardus S. Thoma mox citando citatus ait: *Qui non vnus, ſed plures eſt in beneficijs, non vnus, ſed plures erit in ſupplicijs.*

Ang. Doct. *quodl. 9. art. 15.* ait: Quædam hominis actiones ſunt, quæ habent deformitatem inſeparabiliter annexam, vt fornicatio, adulterium, quæ nullo modò benè fieri poſſunt, & de numero talium non eſt habere plures præbendas, aliàs in nullo caſu diſpenſationem recipere poſſet. Quædam verò ſunt actiones de ſe indifferentes ad bonum, & malum, vt levare feſtucam de terra, inter quarum numerum quidam computant, habere plures Præbendas; ſed non videtur eſſe verùm, cùm hoc plurimas in ſe inordinationes contineat, vtpotè quia non eſt poſsibile, aliquem in pluribus Eccleſijs deſervire, in quibus eſt præbendatus, cum tamen Præbendæ videantur eſſe ordinatæ, quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium. Sequitur etiam diminutio cultus Divini, dum vnus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntarum Teſtatorum, qui ad hoc bona Eccleſijs contulerunt, vt certus numerus Deo ſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum vnus pluribus beneficijs abundat, & alius nec vnum habere poteſt. Vndè non poteſt contineri inter actiones indifferentes, & multò minùs inter eas, quæ ſunt ſecundùm ſe bonæ. Sunt verò quædam actiones, quę abſolutè conſideratæ deformitatem, vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circunſtantijs advenientibus bonæ efficiuntur, ſicuti hominem occidere. In numero harum actionum videtur eſſe, habere plures Præbendas: quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circunſtantiæ poſſunt ſupervenire, ita honeſtantes actum, vt inordinationes illæ totaliter evacuentur, puta, ſi ſit opus in pluribus Eccleſijs alicuius obſequio, & poſsit is plus ſervire Eccleſiæ, vel tantundem abſens, quàm aliùs preſens. Hæc S. D.

Rationes patent ex verbis Trid. & S. Thom. præſertim, quòd oppoſita ſententia repugnet iuri naturæ, quia ſine iuſta cauſa defraudat vltimas Teſtatorum voluntates.

* 36 Dixi 1. *in R. ſine legitima diſpenſatione*, quæ à ſolo Papa cum cognitione, & relatione iuſtæ cauſæ impetrari poteſt. Et ni cauſa ſit iuſta, diſpenſatus in conſcientia non eſt tutus, licèt fortè in foro fori non moleſtetur. Vndè S. Bernard. ad Robert. ait: *Quid tibi blandiris de diſpenſatione, cuius conſcientia tenetur divina ſententia ligata.* Iuſtitia verò cauſæ ſemper eſt metienda (vt ſacri Canones docent) non ex privato commodo diſpenſati, ſed ex vtilitate Eccleſiæ, quo etiam ſpectat prærogativa meritorum in Eccleſiam.

Vtilitas, vel neceſsitas Eccleſiæ, v. g. eſt, ſi ſit idoneorum miniſtrorum defectus, v. g. in locis, vbi Hæretici dominantur, vel Beneficijs ſe intrudere eos tendunt. Item ſi vnus ſolus doctrina, potentia, auctoritate videatur plus Eccleſiæ profuturus eam defendendo, ac Hæreticis obſiſtendo, quàm plures alij. Nec ſequantur cultus divini diminutio.

Merita in Eccleſiam ſumuntur ex laboribus, quos quis pro Eccleſia vtiliter geſsit, doctrina, ſcriptione, conſilio, legatione, prædicatione, &c. quà de cauſa talis de redditibus Eccleſiaſticis plus inſumere poteſt, quàm alius eiuſdem ſtatus, ſed Eccleſiæ minùs vtilis. Sicut etiam plus poteſt inſumere Epiſcopus, quàm Decanus, plus Epiſcopus Cardinalis, vel qui ſimul eſt Princeps Imperij, aut illuſtri, vel regio Sanguine ortus. Hinc Conc. Later *Seſſ. 7. de reform. c. 4.* damnans pluralitatem Beneficiorum maximè curatorum, & Dignitatum ſubdit: *Circa ſublimes tamen, & liberas Perſonas, quæ maioribus Beneficijs ſunt honorandæ, cùm ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.*

Nonus eſt iuſta cauſa diſpenſandi in pluralitate Beneficiorum, propoſitum, ac promiſſum ſuperfluos redditus erogandi in pios vſus? *Non eſt*: Quia per hoc non evitantur abſurda ex Trid. & S. Thom. adducta.

Dixi 2. *etiam ſolùm ſimplicia*: Quia de curatis, ſeu curam animarum, ſive in foro conſcientiæ, vti eſt Parochia, ſive etiam foro fori, vti eſt v. g. Decanatus, annexam habentibus, reſcit clara, quia ſingula eorum requirunt perpetuam reſidentiam, nemo autem poteſt in pluribus Eccleſijs reſidere continuè. Dixi 3. *Incompatibilia*, id eſt, quorum ſingula per ſe, vel naturali iure, vel ſaltem Eccleſiaſtica Conſtitutione exigunt continuam reſidentiam vt ſunt duo Epiſcopatus, duæ Abbatiæ, duę Parochiæ, duę perpetuæ Vicariæ; *Item* duo Beneficia vniformia ſub eodem tecto, v. g. duo Canonicatus in eadem Eccleſia, ſunt incompatibilia. Dixi 4. *Quorum qualibet ſufficit ad honeſtam ſuſtentationem*; poteſt enim quis tenere duo Beneficia ſimplicia reſidentiam non requirentia, quorum neutrum congruæ ſuſtentationi ſufficit. Immò alicubi adhuc in vſu eſſe legitur, quòd duæ parvæ Parochiæ vbi vicinæ, quorum neutra ſufficit congruæ ſuſtentationi, iungantur, & conferantur. Item cum Beneficio perpetuo poteſt teneri Commenda temporanea, id eſt, vt eam adminiſtrat, & ad tempus fructus percipiat, ac ſi eſſet Beneficiarius, quòd communiter fieri ſolet, cum non adſint alij ad eius Beneficij adminiſtrationem idonei. Tandem Parochia Beneficio ſimplici, v. g. Canonicatui vnita reputatur pro vno Beneficio. In his omnibus caſibus diſpenſatione opus non eſt. Dixi 5. *Quòd taliter peccet.* Quòd etiam verum eſt de amicis, & alijs ad id cooperantibus. Quia ad Rom. 1. *Digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

* 37 *Sit Caſus*: Petrus ſine iuſta cauſa, & diſpenſatione tenet plura Beneficia, quorum vnum congruæ ſuſtentationi ſufficit, nonne is eodem die tenetur pluries dicere horas? *Affirmo* cum Ferrarienſi dicente: *Vſus huius ſæculi obſervat, vt, qui habet plura Beneficia, ſemel tantùm horas dicat, neſcio autem, an vſus futuri idem ſervet.* Idem habet Reg. Iuris, *Qui ſentit commodum, ſentire debet & onus.* Hinc talis ſemel tantùm in die horas recitans ex duplici capite tenetur reſtituere fructus. 1. *Ratione* iniuſtæ poſſeſſionis Beneficij. 2. *Quia* non recitat horas pro multitudine Beneficiorum.

Quomodò reſolvis hos Caſus? 1. *Suppoſito*, quòd in quibuſdam Eccleſijs Cathedralibus Germaniæ ſit, vti eſt immemorialis conſuetudo, quòd tantùm requiratur reſidentia medij anni, vel trium menſium,

nomine duarum v. g. Ecclesiarum Præbendæ dicendę sunt Beneficia compatibilia? 2. *In* quibusdam locis Beneficia curata conferuntur Canonicis, Præpositis, & Decanis Ecclesiarum Cathedralium, administrantibus ea per Vicarios perpetuos, quibus datur competens sustentatio; Estne hoc licitum?

Ad 1. Dico affirmativè. Quia residentia in vtroquè loco, vtpotè successiva, non est incompossibilis. Hinc licitè tenentur tales Præbendę, si necessarię sint ad congruam sustentationem. *Ad* 2. Dico, si fiat sine iusta causa, aut cum damno Ecclesię, nulla consuetudo id licitum reddere potest. Licitum tamen est, si fiat ex iusta causa, v. g. quia Canonicatus, Præpositura, vel Decanatus, exiguos habet redditus, & Ecclesia per Vicarium æquè benè administrari potest. Vel Canonicus ille, aut Decanus habet singularem prærogativam meritorum in Ecclesia: de quò antè.

Obiectum Dominij.

* 38 QUÆRO XVI. Quænam res cadunt sub dominio hominis? *Resp.* 1. Iure naturæ homo non habet dominium in alterum hominem, seù nemo ex natura servus est. *Ratio*: Quia conditione omnes sumus pares; nec in statu naturæ integræ fuisset servitus. Quò iure (nimirum Gentium) in introducta servitus, vide suprà *Exam.* 1. *num.* 5. R. 2. & *seq.*

Resp. 2. Homo non est dominus vitæ suæ, aut membrorum, sed solùm vsuarius, & custos. *Ratio*: Dominium est super illas res, quas industria nostra possumus acquirere: Sed vitam, & membra non possumus acquirere nostra industria. Ergo. Hinc tenemur vitam, & membra nostra conservare quantùm possumus, nec licèt sine magna necessitate, vti est conservatio totius, eà amputare. De quò S. Th. *infrà q.* 64. *art.* 5.

Resp. 3. Princeps, vel Respublica non habet dominium vitæ subditorum. *Ratio*: Veri dominij proprietas est, posse rem ad placitum destruere, etiam voluptatis causa (etsi id non fiat interdum sine peccato) sed Respublica non potest ad placitum destruere vitam hominis, præsertim innocentis. De quò cum S. Thom. *infrà q.* 64. *art.* 6. Ergo.

* 39 *Oppono* 1. Respublica occidit malefactores. Ergo. *dist. ant.* vt dominus *neg.* vt custos, causa publicæ quietis, quà ratione etiam vitam subditorum in bello exponit periculo, *concedo.*

Oppono 2. contra R. 2. & R. 3. Potest homo (idquè potest ei à Principe mandari) pro amico, vel patria exponere vitam. Ergo vita non est res aliena, sed sub dominio hominis. *Neg. cons.* Quia hoc non est se ipsum occidere, aut vita vti, acsi homo esset illius dominus, sed est opus virtutis, v. g. fortitudinis, vel charitatis tanquàm bonum maius præponere vitæ corporali velut bono minori, idquè facit conformiter ad dictamen rectę rationis tanquàm potestatem consecutus à Domino vitæ, scilicet Deo: sicut Depositarius, vel alienæ rei custos, ex consensu domini potest rem distrahere.

* 40 *Resp.* 4. Homo est dominus famæ suæ. Ita patet ex S. Thom. infrà q. 73. art. 4. ad 1. dicente: *Sui arbitrij est, detrimentum sua fame pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum. Ratio*: Quia homo famam sua industria acquirit, & si est ab alio læsa, potest condonare restitutionem. Ergo.

Dixi ex S. Thom. *nisi vergat in periculum aliorum.* Nam sunt certi casus, in quibus homo tenetur famam servare, & contra iustitiam peccat, si se infamet. 1. *Si* ex tua infamia sequatur infamia alterius, sicut ex infamia Religiosi sequitur infamia Cœnobij. 2. *Si* tua fama sit necessaria, vt alteri præstes officium stricto iure ei debitum, vti est fama personæ publicæ, Episcopi, Abbatis, Prioris, Parochi, &c. vt subditos bene regat. 3. *Si* non quidem ex officio, bene tamen ex charitate teneris proximo subvenire, per infamiam verò reddaris ad hoc ineptus, tunc teipsum infamando peccas contra charitatem: sicut si quis pecunias, quibus pauperes posset iuvare, proijceret in flumen.

* 41 *Oppono* contra R. 4. Res, quæ cadit sub dominio, potest possideri: Sed fama non potest ab homine possideri. Ergo. *Min. prob.* Fama nihil est aliud, quàm bona opinio, quam alij in suis mentibus habent de homine. Ergo est deposita in mentibus aliorum. Ergo. *Dist. mai.* Potest possideri eo modo, quo est capax, *conced. mai.* secùs, *neg mai.* Et *dist. min.* fama non potest possideri eo modo, quo bona fortunæ, *conc. min.* alio modo, *neg. min.* & *conf.* Non enim possessio bonorum, quorum homo est Dominus, est eiusdem rationis in omnibus. Unde suprà dictum est, quòd aliquorum sit quasi possessio. Hinc pecuniæ, v. g. possidentur, quia sunt in nostra manu, seù potestate, honor verò, & fama (cùm alterius possessionis non sunt capaces) possidentur in mente, vel ore aliorum, qui bene de homine opinantur, ac loquuntur. An, & quando possit quis seipsum diffamare, vide infrà in hoc *T. E.* 5. *num.* 43.

EXAMEN III.

De modo acquirendi Dominium rerum, quæ vel communes sunt, vel dominium amiserunt, vel nunquam dominium habuerunt.

* 1 QUÆRO 1. Quid sentis de dominio animalium mansuetorum, ac mansuefactorum, seu cicuratorum, sylvestrium? *Resp.* 1. Animalia domestica, seu per naturam mansueta, vti sunt oves, boves, gallinę, anseres, porci domestici, &c. licèt procul aberrent, & domini custodiam egrediantur, manent sub eius dominio, eaque capiens, vel rapiens ex iustitia tenetur restituere, immò & ovem ex faucibus lupi creptam, etsi mortuam. *Ratio*: Talia animalia ex natura sunt mansueta, & domestica. Ergo per fugam non acquirunt libertatem.

* 2 *Resp.* 2. Animalia per naturam fera, sed industria hominum mansuefacta, seu cicurata, v. g. cuniculi, falcones, cervi, columbæ, &c. quamdiù habent consuetudinem redeundi, aut facilitèr reduci possunt, tamdiù manent sub dominio eius, cuius sunt, & sine iniustitia non possunt ab alio capi; si verò consuetudinem redeundi amiserint, fiunt primò capientis. *Ratio*: Quia in 2. casu censentur recuperasse nativam libertatem, secùs in primo.

* 3 *Resp.* 3. Animalia merè sylvestria, seu in sylvis, & montibus (vt lepores, cervi, aves, &c.) & in lacubus, fluvijs, piscinis, &c. oberrantia fiunt primò capientis. *Ratio*: Quia, quòd nullius est, naturali ratione adiudicatur primò occupanti, nisi loci consuetudine aliter observetur.

* 4 *Resp.* 4. Si dicta animalia primi capientis custodiam evaserint, recuperant naturalem libertatem, & fiunt posteà capientis. *Ratio*, quæ antè; quia iterùm erunt nullius.

* 5 *Resp.* 5. Si animalia, v. g. cervi, &c. transcenso muro diffugiant; vel aves, perdices, phasiani, &c. avolent; vel pisces ruptis septis ex inundatione emigrent è vivarijs, & non sit spes reditus, vel recuperationis, fiunt primò capientis. *Ratio*: Quia sic redeunt ad naturalem libertatem.

* 6 *Resp.* 6. Si animalia, seù feræ, &c. contineantur in sylvis, seù saltibus magnæ vastitatis, seù amplitudinis, sive arte, sive natura circunseptis, istæ feræ non sunt eò ipso sub dominio illius, qui est dominus sylvæ. *Ratio*: Quia adhuc censentur gaudere sua naturali libertate. Ex quò patet, oppositum esse dicendum, si ita inclusa sint, vt pro libito possint capi, vel illic reposita.

* 7 *Resp.* 7. Examen apum ex tuo alveario avolans, quamdiù ante tuos versatur oculos, sic vt à te facilè comprehendi possit, tamdiù subest tuo dominio: si verò disparear, & difficulter rursum capi possit, erit primi capientis, licèt in tuo capiatur fundo. *Ratio*: Quia, quòd alia animalia, v. g. aves, in tuo fundo condideant, vel nidificent, non eò ipso eorum dominus, vt constat; benè tamen si eà apprehendas, & capias. Ergo similiter.

Sed nonne possum quemvis extraneum impedire, ne ad capiendum illud examen apum agrum meam ingrediatur? *Affirmo*, potes.

Sed quid si contra prohibitionem meam capiat? *Dico*: Erit capientis; sed tibi tenetur compensare damnum, si quod intulit.

* 8 *Resp.* 8. Si vnus feram vulneravit, sed aliùs cœpit, distinguendum est: Si vulnus est mortale, adeoque sufficiens ad eam capiendam, & vulnerans insistat persecutioni feræ, cum morali certitudine illam capiendi, est vulnerantis; secus, est capientis. *Ratio*: Quia in primo casu fera moraliter iam est apprehensa, seu occupata, non autem in secundo.

Venatio.

* 9 QUÆRO II. Quid de eà censes? *Resp.* 1. Venatio secundùm se est licita, vt patet ex S. Thom. 1. *p. q.* 96. *art.* 1. *in c.* & *hic q.* 64 *art.* 1. *in corp.* dicente: *In ordine rerum imperfectiora sunt propter perfectiora, plantæ propter animalia, animalia propter hominem. Inter alios autem vsus maximè necessarius esse videtur, vt animalia plantis vescantur in cibum, & homines animalibus, quòd sine mortificatione eorum fieri non potest, &c.* Hinc ius naturæ nulli in particulari attribuit ius venandi, sed omnibus reliquit liberum, sicut ius occupandi alias res à nemine adhuc occupatas.

* 10 *Resp.* 2. Iure Canonico Venatio est prohibita personis Ecclesiasticis, nimirum clamorosa, & periculosa, seù quæ fit cum tumultu, & magno strepitu armorum, canum, Corniculi Venatorij. Item si nimis frequens sit, & solùm gratia voluptatis fiat. *Ratio prohibens*: 1. Quia inconditi clamores, qui in tali venatione fiunt, Clericorum modestiam decent, & multùm laxant. 2. Ex illa frequenti animalium cædè facilè affluxit quædam truculentia, vulnerans clericalem mansuetudinem. 3. Ne bona, pauperum necessitatibus, aliisque pijs vsibus destinata, expendantur in Venatores, canes, accipitres. Talis ergo Venatio pro quantitate scandali etiè peccatum mortale, veniale verò si fiat raro, & absquè scandalo.

Resp. 3. Quieta Venatio cum retibus, laqueis, pauciscque canibus, sive fiat causa necessitatis, sive honestæ recreationis, aut exercitij gratia, modò fiat rarò, nullum est peccatum. *Ratio*: Quia Trid. *Sess.* 24. *c.* 4. iubet Clericis, vt abstineant ab illicitis venationibus, & aucupijs. Ergo supponit, aliquas (nimirum modestas) venationes esse licitas.

* 11 *Oppono*: Ergone condemnandi sunt Clerici illi, nimirum magni Prælati, qui simul sunt Principes, vel cum Iurisdictione seculari simul habent bonum sylvestre, ac ius foresti, si faciant clamorosas Venationes? *Dico*: Si fiat ratiùs, & ex honesto fine, ac sine scandalo, debitæ modestiæ limites non excedendo, non ideò sunt condemnandi. *Ratio*: Venatio secundùm se est res indifferens. Ergo potest fieri licita, vel illicita, nimirum ex circunstantijs personæ, finis, temporis, ac modi. Hoc certum est, quòd Monachis, ac Religiosis Venatio adhuc strictiùs sit prohibita, eorumque professionem magis deceat.

Oppono 2. Piscatio Clericis, ac Religiosis non est tam strictè interdicta, cur ergo Venatio? *Disparitas est*: Tum quia ex piscatione non sequitur inconvenientia, vti dictum est sequi ex Venatione. Tum etiam quia pro piscatione stant exempla Apostol. Luc. 5. v. 4. vnde S. Hieron. *c.* 11. *dist.* 86. ait: *Pœnitus non invenimus, in Scripturis sanctum aliquem Venatorem, Piscatores invenimus sanctos.*

* 12 *Resp.* 4. Rectè prohibetur Venatio certis anni temporibus, quibus animalia, vel sunt gravida, vel parturiunt, vel tempore nivium, quò facilior est eorum captura, ne nimium deficiant. Item, ne fiat certis instrumentis, quibus soboles exinguitur, vel abigitur. Item, ne fiat in alieno fundo.

* 13 *Resp.* 5. Potuerunt Principes iustè subditis prohibere Venationem. *Rationes* iustæ sunt. 1. Ne ex permissa cuivis venandi licentia omninò pereant animalium species. 2. Ob convenientem Principis sustentationem, & recreationem. 3. Vt subditis tollatur occasio tenendi arma periculosa, quibus ad bellum intestinum se armare possent.

Si ergo lata est lex prohibens subditis Venationem, tenenturne etiam exteri eà Lege? *Affirmo*. *Ratio*: Ad populi gubernationem moraliter necesse est, vt qui ei vel ad tempus se admiscent, eiusdem populi institutis se conforment.

* 14 *Resp.* 6 Princeps tenetur resarcire damna, quæ ex reservata Venatione, vel ex Venationis exercitio, quo segetes, v. g. conculcantur, subditis inferuntur. *Ratio*: Quia par non est, vt Princeps capiat delectationem cum damno aliorum. Excusatur tamen, si populus liberè consentiat. *Ratio*: Quilibet enim suo iuri cedere potest. *Dixi liberè*, id est, non coactè, nec ex metu reverentiali erga Principem.

Resp. 7. Quando Principes, & Domini alijs prohibent Venationem, non debent imponere pœnas crudeles, & excessivas: sufficit enim pro prima vice transgressorem punire pœna pecuniaria; pro 2. dupla; pro 3. addatur aliquid aliud. Contra æquitatem verò est pœna mortis, mutilatio membri, & similia, ait nostet Lubilino citans Rodriguez. *Ratio*: Quia hæc pœna non esset proportionata delicto, sed excedens; vita enim hominis indubiè pluris æstimanda est, quàm bestia.

* 15 *Resp.* 8. Feram, quæ agrum tuum vastat, si dam-

damnum, fatam abigendo; aut aliter avertere nequeas, licitè occidis, ita vt occisor præcisè ex hac causa puniri non possit, modò probare possit damnum aliter avertere se non potuisse. *Ratio*: Homo cum moderamine inculpatæ tutelæ potest occidere hominem invadentem, de quò infrà T. 9. E. 2. n. 31. cur non & feram?

Piscatio, Aucupium?

* 16 QUÆRO III. Quid de his iudicas? *Resp.* 1. Piscari in aquis, aut fluminibus communibus, licèt sit prohibitum, non tamen est peccatum mortale, nisi magnum fiat nocumentum; nec pisces capti sunt restituendi. *Ratio* patebit infrà de lignatione in sylvis communibus.

Resp. 2. Piscari in alieno vivario clauso, furtum est. *Ratio*: Quia ille pisces pertinent ad dominum suum. *Resp.* 3. Idem est de piscatione in loco alieno, etiam non circumsepto, si pisces non sunt ibi, nisi ex eò, quòd dominus eos ibi posuerit. *Resp.* 4. Si pisces ruptis sepris emigrent, & non sit spes redditus, vel recuperationis, fiunt primò occupantis. *Ratio*: Quia redeunt ad naturalem libertatem. *Resp.* 5. Idem de avibus, perdicibus, phasianis, &c.

Resp. 6. Si pisces contineantur in lacibus magnæ amplitudinis, sive arte, sive natura circumseptis, ita vt nunquàm fuerint capti, nec ibi reposiri, & aqua ex lacubus non possit educi, nec pisces pro libitu extrahi, pisces non sunt eò ipso sub dominio eius, qui est dominus lacus. *Ratio* patet *num.* 6. *Resp.* 7. Volucres sylvestres vagabundæ fiunt primi occupantis, nisi certo loco claudantur iuxta dicta.

* 17 *Resp.* 8. Rectè prohibetur piscatio, & aucupium istis instrumentis, quibus vel piscium, vel avium soboles penitùs extinguitur, vel abigitur, vt fit immittendo aquis vel silvis eos cibos, quibus aves, vel pisces moriuntur, & aqua inficitur. Si quis tamen non multùm noceret, mortaliter non peccaret. Nota, quòd iure communi cuivis quidem liceat piscari in mari, & publicis fluminibus; de facto tamen Reges, Principes, Respublicæ, & Communitates sibi ius piscandi reservarunt, vel alijs elocarunt. Vndè consuetudines locorum sunt obseruandæ.

Columbaria.

* 18 QUÆRO IV. Quid de his sentis? *Resp.* 1. Columbaria sunt licita, nisi alicubi sint specialiter prohibita. *Ratio*: Tum quia iam est præscripta consuetudo omnium ferè gentium. Tum etiam; quia etsi tempore messis, & seminis columbæ alantur ex seminibus terræ mandatis, vel collectis, per hoc tamen non damnificant, quia spicas erectas non decerpunt, sed tantùm colligunt grana delapsa, vti & tempore seminis non deregunt grana, quæ terra obtexit, sed solùm eà, quæ iacent in propatulo, aliàs peritura, vt patet ex eò, quòd in agro (in quò columbarium est situm) non minùs fruuenti colligantur, quàm in alijs vicinis.

Resp. 2. Quoad columbaria minimè attendenda est consuetudo loci, quæ si sit, vt columbæ alantur domi, vel in agris propriis, peccat dominus eorum, & tenetur ad restitutionem si vicini ab ijs damnificentur. *Ratio*: Qui voluit est causa damni proximi, peccat, & tenetur compensare.

Resp. 3. Si columbæ retineant consuetudinem redeundi ad suum columbarium, furtum committit, & ad restitutionem tenetur, qui eas capit, rapit, vel occidit in alieno columbario, vel extra illud. Si eam consuetudinem amisisse credantur, licitè capiuntur. *Ratio*: Quia in 2. casu censentur sub nullius esse dominio, secùs in primo.

Resp. 4. Licitum quidem est sine fraude apponere bonum pabulum ad nutriendas proprias columbas, licèt eà occasione indirectè attrahantur alienæ: ast vti seminibus alienas columbas directè attrahentibus, non est licitum, sed lege positiva prohibitum, nisi fortè esset alicubi consuetudo, vt cuivis promiscuè liceat alterius columbas quovis licito modo sibi attrahere. Patet.

Resp. 5. Qui capit columbas extra leucam à Lege taxatam, non peccat, nec tenetur ad restitutionem. *Ratio*: Quia iam censentur esse communes.

Lignatio, Pastio.

* 19 QUÆRO V. Quid de his? *Ante R. Rocæ* quòd Respublica suis civibus lignationem, vel pastionem in pascuis, vel sylvis communibus possit iustè prohibere, saltem secundùm certum modum, & mensuram; v. g. ne tali tempore pascant, talem stirpem, ligna nascentia, arbores maiores excindant, cùm hoc bono publico valdè expediat. Dixi, *secundùm certum modum*, quia absolutè, & totaliter id inhiberi non posse videtur, nisi aliundè sibi possint providere. Cùm enim singuli habeant ius exindè sibi providendi, absquè suo consensu eò iure spoliari nequeunt. Hoc notato.

Resp. 1. Qui est membrum Communitatis alicuius pagi, vel oppidi, si contra prohibitionem pro familiæ suæ necessitate in sylvis communibus ligna cædat, non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem, modò non faciat magnam stragem. *Ratio*: Quia non accipit alienum, sed quòd sibi cum alijs commune est: Quia tamen contra prohibitionem facit, ordinariè tenetur ad persolvendam mulctam post sententiam Iudicis.

Resp. 2. Si in casu posito fiat magna strages, & damnum, sylvam vastando, ligna prohibita, vel nascentia, vel maiora nobiliora abscindendo, est grave peccatum, & incurritur onus restitutionis. *Ratio*: Quia tunc non potest præsumi, quòd Respublica solùm prohibuerit sub pœna.

Resp. 3. Si tamen in hoc casu certum esset, Rempublicam sola pœna contentari, quòd colligi posset ex eò, si à deprehensis tantùm exigat pœnam, aut mulctam, non verò damni compensationem, tunc à restitutione quidem excusatur, sed non à peccato. Patet.

Resp. 4. Si sylvà à Republica sit alteri vendita, vel elocata, alij sine peccato non possunt in eà ligna cædere. Idem est, si sylva spectet ad privatas personas. *Ratio*: Quia est acceptio rei alienæ invito domino. Ergo est furtum.

* 20 *Oppono*: Non est fur, qui in loco alieno non circumsepto venatur. Ergo nec in hoc casu. *Neg. cons.* Quia arbores sunt proprij fructus sylvarum; non item animalia per sylvam vagantia.

Quid tenet de ijs, qui ligna sicca cædunt? Quidnè de pauperibus? *Dico*: Non condemno eos peccati mortalis, & hoc ob tacitum, vel præsumptum consensum dominorum talia ligna parùm æstimantium.

* 21 *Resp.* 5. Qui cædunt ligna in sylva oppidi vicini, mortaliter peccant, & tenentur restituere. *Ratio*: Quia accipiunt aliena.

Resp. 6. Excusari tamen possunt saltem à restitutione, si incolæ vnius oppidi vicissim in sylvis oppidi alterius conluxerunt ligna cædere. *Ratio*: Quia tunc est mutua compensatio. Idem est, si certò existimetur, vicinos sola multa à deprehensis exacta esse contentos. *Haec multa* potestne esse corporalis? *Dico*, minimè, sed debet esse pecuniaria, & moderata; cùm tales, licèt revera furtum committant, infamia tamen furtum notari non soleant.

* 22 *Resp.* 7 Quòd dictum est de lignatione, proportionaliter dicendum est de pastione. Addo tamen duos casus. 1. *Excusatur* viator necessitate compulsus pascens equum in vicinis pratis. *Ratio*: Quia necessitas legem non habet. 2. *Si animal* sine tua culpa amissum depascat alienum, & velis potius relinquere animal, quam restituere damnum, es liber à restitutione. *L. 1. si Quadrupes* pauperiem fecit.

Quid fœnis de herba, quæ post fruges iam collectas in proprio alicuius agro restat, vel postea crescit, estne communis cunctis illius territorij incolis? *Dico*: Pensandum est ex locorum consuetudine, & legibus; plerumque non censetur esse Communis.

Gemmæ, & Venæ Metallicæ.

* 23 QUÆRO VI. Cuius sunt, si inveniantur? *Resp.* 1. Lapilli, gemmæ, corallia, &c. in littore maris, promontorijs, vel fluminibus inventa, sunt primi occupantis. Ita *S. Thom. infra q. 66. art. 5. ad 2.* *Ratio*: Quia domino carent.

Resp. 2. Stando in iure naturæ, & Gentium mineralia, & venæ metallicæ auri, & argenti, etiam antequam inveniantur non censentur inter bona domino carentia, sed spectant ad dominum fundi, si in eo sint. *Ratio*: Quia tales venæ, vel sunt pars fundi naturaliter ei agnata, nimirum si non renascantur metalla, vel marmora ibi excisa; vel sunt fructus fundi, puta, si renascantur. Et tunc etiam cedunt vsufructuario.

Resp. 3. Si inveniantur in loco publico, stando in eodem iure naturæ, & gentium, sunt inventoris tanquam primò occupantis. *Ratio*: Quia stando in hoc iure censentur inter bona, quæ nullius sunt. *Resp.* 4. Defacto, seu iure humano positivo Civili, & particulari regnorum, talia mineralia applicantur ad Cameram Principis: Æquitas tamen revera postulat, vt & domini fundi habeatur ratio (præsertim si ipsemet invenire potuisset) & vt inventor largiter remuneretur.

Thesaurus inventus.

* 24 QUÆRO VII. Cuius hic est? *Ante R. pro dictis, & dicendis Nota*, varia esse bona, quæ dicuntur inventa. 1. *Illa*, quæ adhuc in nullius fuerunt dominio; de quibus mox in *R. 1. ad Q. 6.* dictum est. 2. *Quæ* dominum habuerant, sed à longo tempore habere desierunt, vti sunt, quę longo tempore in mari fuerunt submersa, & fortuitò sunt iecta, vel extracta. Et hæc etiam sunt primò occupantis, nisi obstet alia lex loci. 3. *Bona* derelicta, vti sunt, quæ dominus ipse à dominio suo abiicit. Et hęc sunt primi occupantis, cùm sint nullius iuxta *S. Thom. infra q. 66. art. 5. ad 2. v. g.* missilia, seu nummi in certis solemnitatibus in populum spargi soliti. Omnia illa bona habentur pro derelictis, quando, etsi de voluntate expressa domini non constet, attamen dominus, cùm facilè possit, ea recuperare negligit, nec putatur alius eius nomine repetiturus, nec ipse arbitrio prudentis videtur desiderare, vt restituantur. Hinc bona in tempestate in mare proiecta, vel sub incendio posita ad plateam, non sunt derelicta. 4. *Bona* vacantia, quæ nimirum remanent post domini mortem, nullo hærede relicto saltem cognito. Et hæc devolvuntur ad fiscum. Excipitur, si Peregrinus alicubi moriatur intestatus, eius enim bona ita vacantia iuxta authenticam, *omnes peregrini*, sunt eroganda in pias causas ab Episcopo loci ex præsumpta mente morientis. 5. *Sunt bona*, quæ nascantur ex visceribus terræ: de quibus dictum est in *R 2. ad Q. 6.* 6 *Sunt Thesauri* inventi. Est autem Thesaurus nihil aliud, quàm *vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria*, vt iam dominum non habeat. Ubi per pecuniam intelligitur etiam alia res mobilis pretiosa, *v. g.* annuli, gemmæ, scyphi, armillæ aureæ, vel argenteæ, &c. Dicitur *vetus*, id est, pecunia à vetustiori tempore abscondita. 7. *Bona* incerta, seu perdita, id est, quæ quidem creduntur habere dominum, sed is ignoratur, vt si geminam, vel armillam argenteam, vel auream, vel marsupium pecunia plenum invenias in via. Hic sermo est de textu & *Q. 10. erit de septima significatione.* Vide.

* 25 *Resp.* 1. Stando in solo iure naturę & Gentium Thesaurus inventus transit in dominium inventoris. Ita *S. Thom. infra q. 66. art. 5. ad 2.* *Ratio*: Quòd nullius est, est primò occupantis stando in præfato iure: Sed thesaurus censetur esse nullius, cùm enim non sit pars agri (sicut mineralia, & venæ metallicæ) dominus agri non statim eius dominium sibi attribuere potest. Ergo.

Resp. 2. Spectando ius positivum, ac particularia cuiusvis Provinciæ statuta, quæ in similibus sunt servanda. 1. *Thesaurus* in proprio fundo inventus totus est inventoris. 2. *Si* in fundo alieno, etiam Principis, fortuitò repertus sit, medietas est inventoris, & medietas Domini fundi iuxta *S. Thom. loc. cit.* 3. *Si* non requisito Domino fundi ex industria sit quæsitus, & inventus, inventor potest quidem expensas a se factas deducere, at thesaurus totus est Domini fundi. 4 *Reperta* arte magica, sive in proprio, sive alieno fundo, est fisci. 5. *Si quis* sciens in alterius agro latere thesaurum, & Domino non manifestans, tantùm ab eo petat licentiam quærendi, thesaurus repertus est totus Domini fundi. *Ratio*: Quia licentia per errorem concessa pro nulla habetur. 6 *Si Dominus* fundi consentiat, vt alius in eius fundo thesaurum quærat, standum est conventioni factæ, si verò nulla conventio facta sit, thesaurus totus est inventoris: Quia tunc Dominus videtur cessisse iuri suo.

Resp. 3. Ubi consuetudo tenet, & viget, thesauros esse Principis, illa est servanda. *Ratio*: Licèt bona, quorum dominus non extat, iure Gentium concedantur primò occupanti, potest tamen Respublica ea sibi attribuere pro bono communi, quæ applicatione facta non sunt communia. Ergo.

* 26 QUÆRO VIII. Si quis sciat in agro latere thesaurum, & antequam eum emat, emat agrum, fitne dominus thesauri? *Respondeo* Probabilius affirmat indicat *S. Thom. q. 66. cit. art. 5. ad 2.* dicens: *Propter quod in parabola Evangelij dicitur Matth. 13. de inventore Thesauri abscondit in agro, quòd emit agrum, quasi ut haberet ius possidendi thesaurum.* Ita Chri-

Christus laudat prudentiam negotiatoris, vt ibidem videre est. *Ratio* 1. Talis erui thesaurum ex loco proprio, nec priori Domino tenebatur indicare, ibi latere thesaurum. Ergo. 2. *stimatio* emptoris circa ea, quæ non sunt de substantia rei, non auget eius valorem: Sed si ignoraret latere thesaurum, licitè agrum eo pretio emeret. Ergo & si sciat. 3. *Iustum* rei pretium non sumitur ab vtilitate, quam emptor ex ea capit, sed ex communi hominum æstimatione. Ergo & dictus ager iustè emitur ex tali æstimatione. 4. *Emptor* non acquirit dominium thesauri ex alterius venditione, sed ex inventione, & apprehensione. Ergo.

Oppono 1. Qui vili pretio à rustico, valorem ignorante, emit pretiosum lapidem, tenetur venditorem admonere, alias tenetur ad restitutionem. Ergo similiter, &c. 2. *Ager* cum thesauro valet, *v. g.* decem millia. Ergo si ematur solùm trecentis, est magna inæqualitas. Ergo iniustitia, &c. 3. *Antè* dictum est, quòd qui in alieno agro invenit Thesaurum, teneatur dimidium dare domino fundi. Ergo non potest emere, vt totum thesaurum sibi reservet. *Prob. Conf.* Dominus agri iam habet ius acquisitum ad dimidiam partem thesauri: Sed per talem emptionem ea mediante fraudatur. Ergo.

Ad 1. *R. Neg. conf.* Disparitas est, quia rusticus ille deciperetur quoad substantiam rei, in nostro autem casu thesaurus non est de substantia fundi, nec dominus fundi est dominus thesauri nisi eum inveniat, & apprehendat; & vendit agrum solum ratione superficiei. Sicut ergo, qui currenti pretio emit equum (quem vidit in flumine hausisse margaritam, quam postea eximit, & tacet) licitè emit, & obtinet dominium margaritæ, cùm illa non sit de substantia equi. Et pharmacopola agnoscens magnam vtilitatem in herba, alias inutili, & quæ in falce herbarum continetur, vt cum alijs in pabulum iumentorum vendatur, potest illum facem emere communi pretio. Ergo similiter. Vide *ad Q. 9. Ad* 2. *neg. ant.* vel dicitur esse verum, si thesaurus non ignoratus æstimetur. *Ad* 3. *neg. conf.* Quia in casu nostro thesaurus non eruitur ex fundo alieno, sed proprio. Ab prob. *neg. mai.*

* 27 QUÆRO IX. Si thesaurus sit absconditus in re mobili, *v. g.* sacco lana pleno, vel pecunia in pane, cuius thesauri venditor, nullam habet notitiam, emptor, vel donatarius sine dominus thesauri sicut lanæ? *Resp.* consequenter ad prædicta, Affirm. *Ratio*: Quia prior Domius sacci, vel pannis, cùm latentis illius thesauri nullam habuerit scientiam, non intendit illum occupare. Ergo non efficitur eius dominus, immò nec possessor; qui enim nescit, non possidet thesaurum, licèt habeat ius ante alios eum occupandi. Et supponitur, quòd non sciatur de vllo alio vero domino talis thesauri.

Bona incerta, seu perdita.

* 28 QUÆRO X. Cuius sunt, dum inveniuntur? *Resp.* 1. Certum esse, quòd ante talium bonorum applicationem inventor teneatur (ex suppositione, quòd ea acceperit, licèt absolutè potuisset relinquere in loco, vbi erant) diligenter inquirere eorum dominum per proclamationes, vel affixas schedulas, cui, si compareat, sunt restituenda. Si inquiri non possit, consilium salubertimum est, ea in pauperes, aut publicos, & pios erogare, maximè si inventor non egeat. Si verò ipse indigeret sit, potest sibi eorum, vel partem pro suâ necessitate applicare; optimè verò faciet si adhibeat ad hoc consilium Prælati, vel Confessarij. Si inventor dictam diligentiam non adhibeat, peccat & tenetur restituere, iuxta illud S. Augustini. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.*

Resp. 2. Si dominus compareat, postquam res in pauperes, vel pios vsus est erogata, si quid de re, vel pretio eius restet, tenentur hoc pauperes domino restituere, nisi ipse remittat. *Ratio*: Quia in distributione involvebatur hæc tacita conditio: Si dominus non compareat.

* 29 *Resp.* 3. Probabilius videtur, quòd stando in solo iure naturæ, & etiam communi, Ciuili, & Canonico, bona inventa, quorum dominus diligenter inquisitus adhuc nescitur, inventor salva conscientia sibi retinere possit, licèt non egeat; & non teneatur expendere in pios vsus. Ita indicat S. Thom. *q. 66. cit. art. 5. ad* 2. dicens: *Quædam verò res inventa fuerunt de propinquo in alicuius bonis, quæ si pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licèt eas sibi retineat, non committit furtum. Ratio* 1. Nullus textus iuris potest adduci, qui contrarium asserat. Nam Lex authentica, *omnes peregrini*, quam aduersarij obijciunt, loquitur de bonis intestatis, vt antea dictum. Et c. *Cùm in.* de Vsuris, tantùm loquitur de bonis iniustè, & ex delicto, vtpotè per vsuram acquisitis, quæ retineri non possunt. Et ideò in defectu domini eroganda sunt pauperibus, inventio autem est licita acquisitio, ait noster Conradus. Similiter S. Thom quem nobis obijciunt ex *q. 62. art. 5. ad* 3. expressè loquitur de bonis incertis iniustè acquisitis, quorum dominus diligenter inquisitus ignoratur, vt patet ex textu. Ergo. *Ratio* 2. Bona inventa, quorum dominus facta sufficiente inquisitione non potest inueniri, habentur pro derelictis. Ergo sunt nullius. Ergo primi occupantis. Ergo non sunt necessariò eroganda pauperibus, *Ratio* 3. Naturalis ratio dictat, vt bona expendantur iuxta interpretariam voluntatem *prioris possessoris*: Sed hæc est, vt maneant penes inventorem. Ergo. *Min. prob.* Voluntas interpretativa prioris possessoris est, vt bona maneant in tali statu, quo facilius possit ea recuperare; Sed potest ea facilius recuperare si maneant apud inventorem, quia interdum casu ab ipso domino, vel eius heredibus possunt agnosci, *v. g.* si sint vestes, gemmæ, libri, &c. vsque dum vel vetustate temporis res omninò pereat, vel possessor præscribat. Ergo. Ex his ruit fundamentum aduersariorum dicentium, interpretativam voluntatem prioris Domini esse, vt expendantur pro salute animæ eius; adeòque in pios vsus. Nam contrarium inox probatum est.

Resp. 4. Bona inventa (etiam facta sedula domini inquisitione) non statim sunt inventoris, vt domini, sed vt possessoris. Proinde, si dominus compareat, antequam elabatur tempus præscriptionis, tenetur ei restituere; secùs, posteà. *Ratio*: Vsque ad terminum præscriptionis inventor ob veri domini incertitudinem solum se habet vt possessor bonæ fidei, quæ bona fides cessat domino comparente: sed elapso termino præscriptionis, transfertur dominium. De quo postea. Ergo. Vide infra in hoc *l. 2. c. 6. dub.* 14.

Accessio, Alluvio, Inædificatio.

* 30 QUÆRO XI. Quid sunt, & quomodò

Vtrum

transferunt Dominium? *Resp.* 1. Accessio est, qua res accedit ad eam, quæ tua est, vel bona fide putatur esse tua, & ex hoc fit tua. Est duplex, vna naturalis, altera industrialis. Naturalis fit, vel per nativitatem, vt patet in partu servæ, fœtu pecoris, in plantis, & arboribus in solo nostro natis. Vel fit per alluvionem, quæ est incrementum, quòd ab alluente fluvio vni demitur, & alteri adjicitur. Hoc incrementum, vel fit latenter, vt dum vi fluminis quasi insensibiliter vni ripæ quid demitur, & alteri adjicitur; vel fit patenter, vt si impetus fluminis manifestè ab vna ripa partem avellat, & alteri adjiciat, vel novas insulas faciat; vel alveum fluvij totaliter mutet. Accessio industrialis fit per industriam, quâ quid implantatur, inseritur, inædificatur, intexitur, scribitur, pingitur, &c.

Resp. 2. Accessio per nativitatem tribuit dominium. Sic dominus servæ (licèt pater sit liber) fit dominus prolis. *Ratio*: *Quia partus sequitur ventrem.* Idem est de fœtu pecoris, de plantis, quæ crescunt ex fundo. *Ratio*: Quia accessorium sequitur suum principale, vt habet Reg. Iuris.

Resp. 3. Per Alluvionem latentem acquiritur dominium soli accrescentis, non verò per patentem, nisi dominus partis avulsæ habeat eam pro derelicta.

Resp. 4. Insula in medio fluminis nata, si ab vtraquè ripa æqualiter distet, est communis inter illos, qui in vtroquè littore habent prædia, si vni ripæ est propior, spectat ad eum, cuius est fundus illius ripæ: ita Iuristæ.

* 31 *Resp.* 5. Si flumen antiquo, & naturali alveo relicto occupet alium cursum, alveus relictus spectat ad eos, quorum sunt prædia propinquiora: econtra alveus de novo occupatus fit publicus, modò non transitoriè, sed longo tempore à fluvio occupetur.

Resp. 6. Accessionis industrialis regulam significant hi versus:

Quidquid plantatur, seritur, vel inædificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Resp. 7. Qui in proprio solo ædificat ex materia aliena, fit dominus ædificij cum onere satisfaciendi domino materiæ. *Ratio*: Quòd solo inædificatur, solo cedit.

Resp. 8. Si quis ex sua materia ædificat in solo alieno, ædificium est illius, cuius est solum; & si ædificaverit sciens esse alienum, in foro externo pro sua materia nihil exposcere potest, licèt domus diruatur. *Ratio*: Quia censetur donasse, vel temerè ædificasse. *Excipe*, nisi fortè hac ratione vtiliter gesseris negotium absentis.

Resp. 9. Si bona fide ædificavit in alieno solo, credens esse suum, debent ei à domino fundi expensæ, & pretium materiæ refundi. *Ratio*: Quia par non est, vt dominus soli locupletetur cum detrimento innocentis inædificantis.

* 32 *Resp.* 10. Sine consensu Principis non licèt in publicis fluminibus ædificare molendinum. *Ratio*: Ne impediatur publicus vsus Navigationis.

Resp. 11. In flumine proprio, ac privato potest quis sine speciali licentia construere molendinum, si per illud priori, & antiquiori non auferatur commodum naturale, & necessarium molendi, quod est aqua. *Ratio*: Novus molitor non potest detinere aquam in præiudicium prioris.

Resp. 12. Si ex constructione novi molendini antiquiori decrescat frequentia eorum, qui apportant frumenta ad molendum, nulla sit iniustitia. *Ratio*: Prioris molendini dominus nullum acquisivit jus in hominibus frumenta afferentes, cum eà pro sua libertate possint portare, quò placuerit.

Resp. 13. Si sit contentio loci, ne cum damno aliorum erigatur novum molendinum, antiquiores molitores possunt illud impedire, si probent se damnificari. Non tamen possunt impedire, quin illud extruat, præcisè pro proprio frumento, aqua non ex publico, sed ex proprio flumine derivata. Sed in his omnibus praxis, & consuetudo loci attendenda est. Plura de prædictis modis acquirendi dominium dici possent, sed hæc propriè spectant ad Iuristas, in quibus videantur.

EXAMEN IV.

De modò acquirendi Dominium per Præscriptionem, Promissionem, Donationem, Testamentum, Ludum, & Sponsionem.

Præscriptio, & Vsucapio.

* 1 QUÆRO 1. Quid sunt, & quomodò Dominium transferunt? *Resp.* 1. Præscriptio (provt in præsenti sumitur) est illa exceptio, quę opponitur domino vindicanti rem suam ab alio, per tempus à Lege definitum, & conditionibus ad id requisitis possessam. Vel, est acquisitio dominij, vel alicui iuris sive realis, sive personalis peremptio, per continuationem temporis lege definiti, aliasquè conditiones requisitas. Vsucapio est acquisitio dominij per continuationem temporis lege definiti. Vocatur verò vsucapio, quia per vsum *aliquid capitur, vt suum.*

Resp. 2. Inter Præscriptionem, & Vsucapionem aliqui sic distinguunt, quòd prima sit immobilium, vt sunt vineæ, agri, &c. altera mobilium, vt sunt pecora, libri, vestes, &c. Sed hæc doctrina communiter rejicitur. Quia ex Instit. de Vsucap. in principio patet, quòd vsucapio etiam sit immobilium. Vndè alijs meliùs distinguunt, quòd vsucapio propriè tantùm conveniat rebus corporalibus, vt sunt, quæ mox notavimus: Præscriptio verò tam corporalibus, quàm incorporalibus, v. g. iuribus, &c. Hinc omnis præscriptio est vsucapio, non tamen econtra, quia prima latiùs patet. Sicut omnis homo est animal, sed non econtra. Hodiè tamen communiter pro eodem sumuntur.

* 2 *Resp.* 3. Præscriptio legitima, seù quæ sit cum requisitis conditionibus assignandis, etiam in foro conscientiæ transfert dominium ab vno, etiam nescienre, & nullatenus rem suam negligente, in alium. *Ratio*: Iuxta communem DD. sententiam Leges humanę, etiam civiles, non solùm possunt mihi præcipere, vt pro salute boni communis bona mea alteri tradam, sed etiam bono communi sic requirente, me invito, eorum dominium possunt transferre in alios, & hoc etiam in foro conscientiæ; nam etiam in eo membra, vti sunt cives in Republica, tenentur succurrere suo corpori. *Subsumo*: Sed leges præscriptionis maximè stant pro bono communi. Ergo tenent etiam in foro conscientiæ. *Min. prob.* Ad bonum commune maximè conducit, vt sint certa rerum dominia, tranquilla possessio, vt tollatur longi temporis error, ne lites protrahantur, ne homi-

mines in suis juribus, & rebus conservandis sint negligentes: Sed hæc omnia respiciunt Leges præscriptionis, statuentes certi temporis spatium pro rebus inquirendis. Ergò.

Confirm. Sacri Canones dictis Legibus assistunt; Nam vt patet ex Concilio Lateranensi, relato *in c. Fin. de præscript.* tantùm præscriptionem cum mala fide ratione peccati excludunt. Ergò supponunt præscriptionem cum bona fide à peccato, & à restitutione immunem esse, licèt elapso præscriptionis termino superveniat cognitio fuisse alterius. *Nota*: Quando damnatur præscriptio, sermo est de eâ, quæ est cum mala fide.

* 3 *Oppono*: Locupletari quis non debet cum alterius detrimento, vt habet Reg. Iuris. Item Respublica non potest invitum spoliare re sua, nisi ratione delicti, vel nisi ipsa indigeat: Sed hoc fit per Leges præscriptionis. Ergo sunt iniustæ. *Ad hoc dico sub distinct.* Id non posse quidem fieri privata, benè tamen publica auctoritate, & bono communi sic exigente, vt probatum est.

* 4 *Resp* 4. Conditiones legitimæ Præscriptionis sunt quatuor. *Prima*: Res apta præscribi. Præscribi autem non possunt, quæ iure divino alicui competunt, vt iurisdictio Papæ. Nec quę iure naturæ sunt prohibita, v. g fornicatio. Nec quæ jure Civili, vel Canonico sunt prohibita alienari, v. g. res, & loca sacra, religiosa, vel publicis vsibus deputata, vt pontes, via publica, &c. Nec iura spiritualia, v. g. ius decimandi, beneficia conferendi, &c. à Laicis præscribi possunt contra Ecclesiasticos. Nec obedientia, nec visitatio, sic vt nulli quis subsit, à nemine visitetur, &c.

2. *Conditio*: Bona fides; id est, credulitas, quâ quis prudenter sibi persuadet, rem, quàm possidet, esse suam, vel saltem inculpabiliter nescit esse alienam. Vndè crassa ignorantia non facit bonam fidem, vti nec dubium, quamdiù hoc manet. Licèt ergo iure civili tantùm ab initio requiratur bona fides, & mala fides superveniens, præscriptionem non impediat, ius tamen civile in hoc est correctum à Iure Canonico. Vndè est Regula 2. Iuris in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Ergo nulla planè datur præscriptio sine bona fide.

Tertia: Iustus titulus. Quid sit titulus, & quotuplex, nimirum verus, & præsumptus, vide *L. 2. n. 3.* Ad præscriptionem sufficit titulus præsumptus, & putativus *loco tit. explicatus*. Quandoquè etiam præscriptio bonæ fidei procedit sine titulo, vt si quis 30. vel 40. annis rem possideat, immemor tituli, ex quò eam possidere cœpit. Idem est in præscriptione 100. annorum contra Ecclesiam Romanam, & 40. contra alias, in quibus non requiritur probatio tituli, sed bona fides. Deficiente titulo ostendendum est tempus immemoriale possessionis, quòd tempus est, cuius initij nulla extat memoria, etiam apud teniores.

Quarta conditio est: Possessio, & quidem tempore legitimo continuata. Nam ita habet Reg. 3. Iuris in 6. *Sine possessione præscriptio legis non procedit*. Quid, & quotuplex sit possessio, vide in hoc *Tract. Exam. 2. num. 9.*

* 5 Tempus præscriptionis est diversum pro diversitate rerum. Res mobiles, id est, quæ loco moveri possunt, v. g. pecuniæ, vestes, naves, animalia, &c privati hominis, vel cuiuscunquè Ecclesię, etiam Romanę, cum titulo præscribuntur triennio; sine titulo 30. annis. Res immobiles, seù quę loco moveri non possunt, vt prædia, domus, census, & redditus annui, beneficium, officium, &c. si sint privati hominis præscribuntur 10. annis inter præsentes, & 20. annis inter absentes. Præsentes censentur, qui domicilium habent in eadem Civitate, vel Provincia: absentes, qui in diversa Provincia, vel remota parte ejusdem Provinciæ. Nullo titulo intervenientè res immobiles privatorum præscribuntur 30. annis. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesias, aliaquè pia loca requiruntur 40. anni. Contra Ecclesiam Romanam 100. anni. Contra Ordinem S. Benedicti 60. Mendicantium, & eorum, qui cum illis participant, iuxta Molinam & Lessium, 100. anni.

* 6 *Resp.* 5. Contra præscriptionem in quibusdam casibus datur restitutio in integrum; quæ nihil est aliud, quàm quoddam beneficium, seù remedium juris, quòd facta præscriptione relinquitur priori domino, vt Iudicis auctoritate possit restitui in statum pristinum, seù in dominium, & possessionem rei amissæ. Vndè in tali casu, qui præscripsit, tenetur restituere post sententiam latam.

Resp. 6. Contra præscriptionem, etiam longissimi temporis, restitutio in integrum conceditur Minorennibus, vti & Ecclesijs, Hospitalibus, aliisquè pijs locis, quæ in favorabilibus æquiparantur cum minoribus, & pupillis. Maioribus autem hoc beneficium non conceditur, nisi ex causa, quam Iudex legitimam æstimaverit, qualis, v. g. est, si legitimè constet, quòd quis propter absentiam causa Reipublicę, vel studiorum causa, &c. præscriptionem litis contestatione interrumpere non potuerit. Hæc de **præscriptione Theologo** sufficiant; plura videantur **in Iuristis.**

Promissio.

* 7. QUÆRO II. Quid est, & quotuplex per eam transfertur Dominium? *Resp.* 1. Promissio est deliberata, & spontanea fidei obligatio, alteri facta, de re licita, possibili, ipsiquè grata.

Dicitur *deliberata*, id est, facta scienter, & volenter; & *spontanea*, id est, non exorta metu, vel fraude. Dicitur 2. *fidei*, id est, fidelitatis *obligatio*; tum quia per hoc differt à propositio, etiam firmissimo, quòd *NB.* ne confundantur promissio, & propositum, vti sæpè confundi solent à simpliciorius in materia voti. Tum etiam quia sine animo obligandi promissio est nulla, cum obligatio sit de intrinseca ratione eius. De ficta promissione Matrimonij dicetur alibi. Proindè consideranda est intentio promittentis, quæ si totum tendat ad placendum promissario, vel ad solum ostendendam animi promptitudinem, non est promissio. Si verò intendat se obligare, sed promissum non implere, subsistit promissio, & obligatio. Dicitur 3. *de re licita*. Quia nulla potest contrahi obligatio ad peccandum. Vndè est regula juris: *In malis promissis fidem servare non expedit*. De quò plura in R. 3. Dicitur 4. *de re possibili*. Quia ad impossibile nemo tenetur. Et hoc verum est, licèt res fiat impossibilis post prohibitionem. Immò etsi maneat aliqua possibilitas, si tamen ex totum, vel circumstantiarum mutatione tanta se ingerat ardultas, vt eà prævisa promissor non promisisset, vel certè casum hunc excepisset, non obligat. Dicitur 5. *grata promissario*. Cum enim in ejus gratiam promissio fiat, si ei ingrata, vel nociva sit, cessat obligatio.

* 8 *Resp.* 2. Promissio simplex, seu merè gratuita,

tuita, ac liberalis, homini exteriùs seriò facta, & ab eo acceptata obligat in conscientia; & talem promissionem non servare, est peccatum mortale ex genere suo. *Ratio*: Ratio naturalis dictat, fidem etiam hosti esse servandam.

Dixi 1. *exteriùs facta*. Quia ex merè interna non oritur obligatio, vt dicetur posteà. Dixi 2. *seriò facta*. Quia promissio iocosa non ligat. Dixi 3. *acceptata*. Nam quamdiù non est acceptata, potest à promittente revocari, & in nullo foro, etiam conscientiæ, obligat. Potest autem acceptatio fieri, non tantùm per ipsum promissarium præsentem, sed & per alium eius nomine: immò interdum silentium præsentis stat pro acceptatione; cuius intentio acceptandi probabiliter colligitur ex signis, & circunstantijs, vt verum sit illud: *Qui tacet, consentire videtur*. Licèt ergo obligatio promissionis simplicis pro causa directa respiciat solam voluntatem promittentis, attamen acceptatio promissarij est conditio *sine qua non*. Et licèt hæc promissio gratuita non sit de genere contractuum mutuorum in hoc sensu, quòd sit alicuius datio, & receptio, vti sunt emptio, & venditio, bene tamen in hoc sensu, quòd requirat vtriusque consensum. *Ratio* patet ex iure naturæ. Nemo enim sola sua voluntate potest facere, quòd res sua pertineat ad alium sine consensu eius, quia aliàs alterum invitum posset facere suarum rerum dominum, quòd est contra lumen naturæ, cùm non possimus inviti, & nolentes acquirere dominium alicuius rei.

Excipitur 1. Pollicitatio, seu promissio (idem est de donatione) facta piæ causæ, quæ non requirit acceptationem promissarij, vel donatarij, sed acceptatur à Deo. *Excipitur* 2. Promissio facta civitati, circa quam iure Civili statutum est, vt non possit revocari, licèt nondum sit acceptata; vel videtur acceptata ab ipsa Lege, seu iure. Dixi 4. *ex genere suo*. Quia in individuo non implere promissum, potest esse veniale, si nimirum res sit levis.

* 9 QUÆRO III. Promissio facta sub conditione turpi, obligatne in conscientia; *Ante R. Not.* Non quæri hìc de promissione rei turpis, & illicitæ; certum enim est, hanc impleri non debere, licèt iuramento sit firmata. Quia fides, & iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis, sed quæritur de promissione rei aliàs licitæ, *v. g.* pecuniæ, sed sub conditione turpi, seu ob turpem causam, *v. g.* si mecum fornicatus fueris. Et hæc promissio adhuc est duplex: Una per legem prohibita, vt quando non solùm opus malum, pro quo aliquid promittitur, est lege prohibitum, sed etiam est prohibitum pro eo aliquid dare, vel recipere, sicut est prohibitum, ne aliquid promittatur, vel detur iudici, vt iniustè iudicet. Et de hac promissione etiam non quæritur, nam de ea res per se clara est. Alia est per legem non prohibita; vt quando opus quidem est lege prohibitum, *v. g. meretricium*, *beneficium*, &c. non tamen est prohibitum aliquid dare ratione talis operis secundùm se sumpti, *v. g.* meretrici ratione lasciui vsus corporis. Et de hoc est sermo. Hoc notato

Resp. Promissio sub conditione turpi, antequam conditio redigatur in actum, non obligat: postquam verò in actum redacta est, in conscientia ligat. Ita habet probabilior sententia. *Ratio* 1. *p.* Ad peccandum non potest dari obligatio: Sed si promissio sub conditione turpi obligaret ante impletam conditionem, daretur obligatio ad peccandum. Ergo. *Min. prob.* Quia proximum inducere ad peccandum, est peccatum: Sed proximus sic inducerentur ad peccandum, nimirum ad implendam turpem conditionem, *v. g.* fornicationem. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Promissio de re licita, saluti non nociva, nec maiùs bonum prohibente est servanda: Sed in præsenti est talis promissio. Ergo. *Min. prob.* Meretrici post vsum corporis dare pecuniam, non est res mala, nec saluti nocet; Quia tunc non datur (vt suppono) intuitu, aut ex complacentia peccati (de quo fortè iam pœniteat) Sed ad servandam fidem datam, vel datur merè gratuitò, & ex liberalitate, & conditio turpis habetur pro non adiecta. Ergo. Hinc L. idem, *ff. de contract.* ob turpem causam dicitur: *Meretrix turpiter facit, quòd sit meretrix, sed non turpiter accipit, cùm sit meretrix.*

Oppono: In iudicio non datur actio contra talem promissorem. Ergo non obligatur solvere. *Disting. conf.* obligatione civili; *cons.* Naturali, orta ex natura promissionis onerosæ, *neg. conf.*

* 10 QUÆRO IV. Promissio, vel Donatio merè interna, homini facta, obligatne in conscientia, transferturque per eam Dominium? *Resp.* Probabilior est sententia id negans, & vltra asserens, quòd talis promissio, vel donatio possit à promittente celari, ac revocari ad libitum. Ita S. Thom. infrà *q.* 88. *art.* 1. *in c.* dicens: *Promissio, quæ fit ab homine homini, non potest fieri nisi per verba, vel quæcunque exteriora signa; Deo autem potest fieri promissio per solum interiorem cogitationem, quia vt dicitur* 1. *Reg.* 16. *Homo videt ea, quæ parent, sed Deus intuetur cor.* Hæc ibi. *Ratio*: Promissionem, ac donationem merè internam celando, ac donatarió, vel promissario non manifestando, aut eam revocando, nulla eis fit injuria. Ergo potest celari, ac revocari. *Prob. ant.* vbi non est jus, ibi non potest esse injuria: Sed quamdiù interna promissio, vel donatio exteriùs non manifestatur, ille, cui est facta, nullum habet jus ad rem. Ergo. *Min. prob.* Vbi non est dominium, non est jus ad rem: Sed per actum merè internum non transfertur dominium rei in alium hominem. Ergo. *Min. prob.* Omnes Iurisperiti ad translationem dominij requirunt actualem exhibitionem, & acceptionem rei: Sed illa est actus exterior. Ergo. *Confirm.* Homo ex sua natura constat corpore, & anima. Ergo sua opera non potest cum alio homine communicare, nisi modò conformi suæ naturæ, nimirùm, mediante corpore, & actione externa, seù per voces, & signa sensibilia. Ex quò fit, quòd in ordine ad hominem (de Deo est dispar ratio, vt patet ex verbis S. Thom. citatis) interna promissio actu non plus liget, quàm simplex propositum.

* 11 *Oppono* 1. Propter quòd vnumquodque tale, & illud magis tale, vt habet axioma: Sed promissio, vel donatio externa obligat propter internam, quia voces sunt signa conceptuum. Ergo interna magis obligat. 2. *Si non* obligaret, ille promittens revocando fieret mendax. *Prob.* Quia mentalis donatio, vel promissio est quædam locutio. Ergo. 3. *Solo* actu interno, quo quis non vult ampliùs rem habere in bonis suis, amittitur dominium, vel possessio rei. Ergo. & transfertur.

Ad 1. *dist. min.* Si simul sunt, *cons. min.* secùs, *neg. min.* Et *dist.* similiter *conf.* Non ergo solus conceptus obligat, nec solum externum signum, sed vtrumque simul, & vnum propter aliud, sic vt voluntas interna sit causa obligationis, & manifestatio externa sit conditio sine qua non; vti & acceptatio. Si ergo promissarius sit absens, vel si præsens, sit tamen

tem furdus, vel non audiat, adeòquè nec per se, nec per alium acceptet, licèt adsint testes, qui audierunt, nulla oritur obligatio in conscientia, sed potest revocari ante acceptationem. *Ad 2. neg. seq.* Mendacium enim est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, quòd non est in præsenti, quia promittens vtitur jure suo, quò (acceptatione nondum facta) actus suos revocare potest.

Sed quid, si promittens, vel donans actum internum firmasset juramento? *Dico*, tunc teneri in conscientia, non ratione promissionis, sed vi juramenti ob reverentiam Divini Nominis in testem vocati. Ad hoc enim sufficit, quòd actus sit licitus, licèt non obligatorius. Quòd verum est, licèt promissio sit per vim extorta, v. g. in casu quò quis latroni mortem minanti promittit 100. florenos.

Ad 3. Primò cum Serra *neg. ant.* estque paritas, & potest actus ille internus etiam ad libitum revocari 2. *Neg. cons.* Disparitas est: Quia plus requiritur ad vnum, quàm ad alterum, facilius enim est aliquid desinere esse, quàm incipere esse, vel produci in altero. Nam incipere esse est de genere bonorum, bonum autem est ex integra causa. Plura vide infrà in materia de Voto, & Iuramento.

Donatio.

* 12 QUÆRO V. Quid, & quotuplex est? Et quinam donare possunt? *Resp.* 1. Donatio definitur, quòd sit *datio liberalis, irrevocabilis, compensationem non intendens. Explicatur*: Ad donationem puram, simplicem, & gratuitam (de quâ hic est sermo) tria requiruntur. 1. Vt quis det eâ mente, vt velit rem statim fieri accipientis. 2. Vt in nullo casu velit donum ad se reverti. 3. Vt ex nulla alia causa donet, nisi vt liberalitatem exerceat. Propter primum donatio est liberalis: propter secundum est irrevocabilis: propter tertium, compensationem non intendit. Ex quò patet differentia Donationis à promissione, hæc enim solùm obligat ad dandum, donatio verò actu dat, suppositis omnibus requisitis.

Resp. 2. Donatio variè dividitur. 1. Alia est strictè sumpta, quæ est merè gratuita, & absquè meritis donatarij, de quâ nunc. Alia est latè sumpta, quæ etiam vocatur remuneratoria, supponens debitum gratitudinis, ex quò inclinat ad rettribuendum benefactori juxta mensuram accepti beneficij. 2. Alia est donatio, quę fit mortis causa; alia inter vivos. Prima involvit respectum ad mortem, & solum post eam vult rem esse alteriùs, adeòquè pendet, seù suspensa est vsquè ad mortem Donatoris, & licèt ante eam possit revocari, attamen per eam confirmatur. Altera, scilicèt Donatio inter vivos, fit sine cogitatione, vel respectu ad mortem, seù cùm quis ita donat, vt etiam se vivente velit rem absolutè esse alteriùs. Et est iterum duplex, vna conditionata, quæ dominium non transfert, nisi conditione impleta. Alia absoluta, seù pura, quæ conditione, vel modificatione non afficitur, & hæc seriò exteriùs homini facta, & exteriùs acceptata (si res per traditionem apprehendatur) statim transfert dominium.

* 13 *Resp.* 3. Illi solùm liberè donare possunt, qui habent dominium bonorum, & simul eorum administrationem cum facultate alienandi. *Ratio*: Donatio spectat ad regimen, & dispositionem bonorum: Sed hanc habent solùm illi, qui habent dominium simul cum administratione. Ergo.

Ex quò sequitur, quòd ad restitutionem teneatur, qui aliquid accipit ab ijs, qui non possunt donare: quales sunt: 1. Infantes, furiosi, & amentes: 2. Qui non habent administrationem bonorum, vt sunt masculi ante annum 14. & fœminæ ante 12. qui sunt anni pubertatis. 3. Prodigi, non solùm, qui iam habent curatorem à Prætore, vel Magistratu positum, sed & quibus (curatore eis nondum dato) rerum suarum administratio est interdicta. 4. Filijfamilias, etsi sint puberes, hi enim sine consensu expresso, vel tacito patris donare non possunt, nisi de bonis castrensibus.

5. Minores 25. annis, qui de suis bonis (quæ nec castrensia, nec quasi castrensia sunt) donare non possunt sine consensu, saltem tacito Curatoris, qui tunc est, quando expendunt iuxta mensuram suæ conditionis, & facultatis, provt solet concedi alijs paris conditionis, spectata quantitate Patrimonij, splendore natalium, causa donandi, more patriæ, &c. Vide infrà *T. 9. c. 3. num. 15.* de furtis filiorumfamilias. 6. Religiosi tam Superiores, quàm subditi donare non possunt de illis bonis, quorum non sunt domini. De quò suprà. 7. Vxorum donationes quòd concernit. *Nota*: Vxorum bona alia esse dotalia, quæ nimirum ab vxore, vel alio dantur ad sustinenda onera matrimonij: alia paraphernalia, quæ nimirum vxor præter dotem accepit à suis. Hæc bona Sylvester explicat dicens: Paraphernum, sive paraphernale dictum est, quasi iuxta dotem à *para*, quòd est iuxta, & *pherna*, dos. Inde dicta sunt paraphernalia bona, eù, quæ habet vxor præter dotem vndecunquè. In quibusdam tamen locis non habent locum, vbi ex consuetudine vir omnia bona immobilia mulieris recipit in dotem, & omnia mobilia sunt communia. Hæc ille.

Bona dotalia à Germanis in sua vernacula vocantur *das beirath guet*; paraphernalia *das zuegebrachte guet*, quia ex conventione, & pactis coniugum dependet, quantum vxor in dotem dare, & maritus accipere velit, qui vicissim vxori promittit certa bona, vel certam pecuniæ quantitatem doti vxoris proportionatam, seù æqualem, quæ Germanicè vocatur *die Voiderlag*. Verùm æqualitas illa per consuetudinem est sublata. Licèt rei dotalis dominium naturale, & quidem sopitum, maneat apud vxorem, vt posteà dicetur; ad eamquè pleno iure redeat mortuo marito, dominium tamen eius civile est penes maritum, qui etiam fructus eius propter onera matrimonij pleno iure lucratur; potestquè pro re dotali contra quemcumquè possessorem suo nomine instituere rei vindicationem. Secùs est de paraphernis, de quibus solùm vxorio nomine, & tanquàm procurator agere potest. Nisi ergo coniuges aliter inter se convenerint, aut loci consuetudo aliter ferat, bonorum paraphernalium, & quæ ex eis comparavit, habet vxor plenum, & perfectum dominium, non solùm directum, sed & vtile, vt dictum est suprà in hoc *T. & 2. num. 12. R.* 3. Vti & plenum dominium; ac liberam dispositionem habet quoad eâ, quæ supersunt ex certa pecuniæ Summa à marito accepta ad certum vsum, vel familiam, aut partem eius certo tempore sustentandam, nisi forte maritus dederit eà intentione, vt sibi reddat, quòd superaverit. Cæterum quoad bona dotis, & patrimonii, vxor quidem retinet dominium directum; sed administrationem, & vsumfructum habet maritus. Idem est de iis, quę durante matrimonio inter se acquirunt, saltem quoad dimidiam partem, nisi sit alia lex patriæ, vel aliter sit stipulatum.

Loquendo ergo de bonis vxoris, quorum administrationem maritus habet, potest vxor sine expressa mariti licentia facere eleemosynas, & donationes moderatè, seu in ea mensura, qua eas facere solent aliæ fœminæ eiusdem conditionis, & status, attenta simul necessitate, abundantia, & oneribus familiæ. *Ratio*: Nam in ijs maritus non censetur rationabiliter invitus; quia per Matrimonium se obligavit ad honestam vxoris sustentationem, quę hoc videtur includere, & conferetur ea computare, qui pro vxore honestam alimentationem taxaret.

* 14 *Quid si vir*, licens, positivè vxori hoc prohiberet? *Dico*: Non posset vxor tales expensas facere, si vir ipse faciat tales donationes, & in casibus sufficienter provideat. *Exp.* Si vir dicat vxori: Ego volo, vt ex nostris bonis fiant eleemosynæ iuxta nostrum statum; Item volo, vt tuis amicis dones iuxta tuam conditionem, ego autem scio, quantum statui nostro, & conditioni tuæ congruat, fiat ergo hoc modo, do tibi vt facias eleemosynas, & dones tali, vel tali, daboque tibi, quoties opus fuerit; si ego illisdem, & tu ijsdem des, duplicabuntur sumptus. Hoc enim maritus potest: sicut vxori potest emere vestes, & alia necessaria.

Verùm ciens vxor non sit serva, sed socia viri, potest adhuc aliqua modica inscio viro expendere, nec est cogenda ad petendum quoad hoc licentiam, cùm idem videatur pertinere ad decentiam status. Similiter potest vxor sine expressa mariti licentia ex dictis bonis expendere ad impediendum aliquod damnum temporale, vel spirituale familiæ, vel viri, *v. g.* vt Deus eum illuminet, dum videtur propriæ salutis immemor. Vide infrà *T. 9. E. 3. num.* 15. de furtis vxorum. *Ratio* est, quæ suprà.

Peterituæ vxor, (idem est de marito) suis parentibus, aut filijs ex primo thoro natis moderatè subvenire, non tantùm si extremè, sed & si graviter egeant? *Dico*: Sicut vxor potest iuxta suum statum ex bonis communibus facere eleemosynas competentes, ita poterit eas in vnum congregare, vt det consanguineis, qui indubiè exteris sunt præferendi, vt dictum est suprà de eleemosyna. Si autem vltra hoc eis velit succurrere, facere id debet ex suis bonis paraphernalibus, aut alijs, quorum liberam administrationem habet.

* 15 QUÆRO VI. Quid censes de donationibus inter coniuges? Item inter parentes, & liberos? *Nota*. Donationem esse validam idem esse, ac eam non posse revocari; tunc autem præcipuè revocari non potest, quando donatarius est sui iuris, nec subest donatori, nec civiliter est aliquid ipsius. Hoc notato.

Resp. 1. Donationes merè liberales coniugum inter se, si ex ijs vna pars fiat ditior, & altera pauperior iure communi sunt invalidæ, & ad libitum donantis revocabiles. Ita patet in iure. Exceptis quibusdam casibus. *Ratio* sic statuendi fuit, ne nimius amor coniugum alterum rediget ad pauperiatem, & ne difficultas donandi, ac denegatio rei ab altero desideratæ esset causa odij, & inimicitiæ. Dixi in Resp. *Donationes merè liberales*, quia alij contractus, *v. g.* venditio, mutuum, permutatio, &c. inter coniuges suoffirunt, modo id faciant de rebus sibi proprio iure applicatis.

Casus excepti sunt. 1. *Si intercesserit* divortium, quia reconciliationis causa maritus validè donat mulieri. 2. *Si*, vt infirmum est, vna pars exinde non fiat ditior, & altera pauperior, vt si maritus legatum sibi delatum, nondum acceptatum reliquus vxori, vel si donet aliquid ei ad fucos, & vnguenta, aut ad dandas eleemosynas. 3. *Donatio* facta coniugi confirmatur morte donantis, sic vt hæredes eam revocare non possint. 4. *Si* vxor donet marito causa honoris, aut dignitatis obtinendæ. 5. *Si* donatio fiat causa remunerationis, vel compensationis, vt si maritus senex vxori iuveni, vel Ignobilis Nobili donet ratione iuventutis, vel Nobilitatis. 6. *Si Imperator* donet Augustæ, Rex Reginę, vel quivis supremus Princeps vxori, & econtra, Nam donatio inter coniuges iure naturæ valet, & solùm est prohibita lege positiva, per quam Principes ad donandum inhabiles fieri non possunt, vel certè in ea dispensant. Plures casus vide in Iuristis.

Resp. 2. Donatio a Patre simpliciter, seu merè liberaliter facta filio nondum emancipato est invalida, pro libito patris revocabilis. Ita iura. *Ratio* statuendi potuit fuisse, quæ suprà nimirum ne nimius filiorum amor parentes depauperaret, aut hæc donatio foret causa tristis odij inter ipsos; vel etiam inimicitię inter ipsos filios, si sint plures, dum vni plus donaretur, quàm alteri. *Ratio* 2. Quamdiù filius non est emancipatus, sed adhuc sub potestate patris constitutus civiliter censetur vna persona cum patre, adeòque donando filio censetur donare sibi ipsi. Ergo donatio non est valida, sed ad placitum revocabilis.

Dixi in Resp 2. *simpliciter*, & *merè liberaliter facta*; si enim fiat ob legitimam causam, statim valet, *v. g.* 1. *Si donatio* sit facta in dotem ad nuptias; vel ad ingressum Religionis, vel ad redemptionem captivitatis. 2. *Causa* studiorum, vel liberalium artium, aut honesti opificij. 3. *Causa* remunerationis ob singularia merita, & beneficia à filio patri collata; potiùs enim tunc sunt expensæ quàm donationes. 4. *Ex causa* militiæ armatæ, vel togatæ, vt si pater donet filio ad obtinendum gradum, vel honorem, quia talis donatio efficitur *onerosa*, *vel quasi*, in quo filiusfamilias habetur pro patrefamilias, habetque liberam dispositionem, vt suprà dictum. 5. *Si Pater* vsumfructum, quem habet in bonis adventitijs filij, ei condonet.

* 16 QUÆRO VII. Ea, quæ Pater donavit filio, suntne post mortem Patris conferenda in sortem, seu divisionem hæreditatis? *Resp.* 1. Affirmativè, si Donatio simplex facta sit filio emancipato, vt patet ex L. *si liberis*. Cod. *de collat.* Si ergo tali filio donati sunt centum imperiales, possunt alij ex hæredibus etiam sibi applicare centum imperiales, & posteà æqualiter dividere. *Resp.* 2. Negativè, si donatio simplex facta sit filio non emancipato, vt patet ex L. penul. Cod. *de collat.* Quòd tamen intelligendum est, nisi pater voluerit, vt computaretur in sortem, vel nisi frater, aut soror id exigat, eò quòd & ipsi donationem sive simplicem, sive ob causam, *v. g.* propter nuptias, vel dotem, conferre tenentur ad divisionem.

Resp. 3. Si donatio facta fuit ob causam, etiam est conferenda in sortem hæreditatis, iuxta cit. L. *si liberis*, nisi fortè donans expresserit, velle se, vt filius, vel filia hanc partem præcipuam haberet: ita tamen, vt non diminuatur legitima alijs liberis debita. *Resp.* 4. Idem est dicendum de alijs donationibus, quæ fiunt filijs, vel nepotibus ad ingressum Religionis, vel in titulum patrimonij ad suscipiendos sacros Ordines: quia etiam per eos sibilem sibi statum comparant, non minus, ac per dotem, vel donationem ad nuptias.

* 17 QUÆRO VIII. Esto certa quantas, vltra quam donari non possit? *Resp.* 1. Donatio mor-

tis

pijs causa non est restricta ad certam quantitatem. *Ratio*: Quia est species vltimæ voluntatis, & ad placitum revocabilis.

Resp. 2. Donatio inter vivos, absque insinuatione iudici facta à privato ad causam profanam, non debet excedere 500. *solidos*, si simul, & semel donentur. Ita iura; quòd videre est in Iurisitis, qui per 500. *solidos* hodie communiter intelligunt 500. *aureos*, seu mille imperiales. Et *Ratio* statuendi fuit periculum præcipitantiæ, & iacturæ bonorum.

Dixi 1. *absque insinuatione*, quia cum illa subsistit, licèt excedat. Dixi 2. *à privato*. Nam donatio à belli Duce facta militibus subsistit sine insinuatione. Idem est de donatione facta ab Imperatore, & alijs dignitate quasi Regali fulgentibus. Quia indignum esset, eorum liberalitatem tam arctis stringere terminis. Dixi 3. *ad causam profanam*. Subsistit enim donatio 500. *solidos* excedens, si facta sit ad piam causam, vtpotè in ordine ad quam nemo censetur inconsultò agere. Dixi 4. *si simul donentur*. Nam excipitur si donationes fiant diversis temporibus, sic vt simul sumptę dictam summam quidem excedant, non tamen singulæ. *Ratio* exceptionis est; Quia tunc non est tantum periculum præcipitantiæ, & iacturæ.

Sed, hic mihi, Donatio dictam summam excedens, viciatur in totum, vel solùm secundùm excessum illum? *Dico*, vitiari solùm quoad excessum. *Ratio*: In illis, quæ sunt separabilia, reguluriter vtile per inutile non vitiatur.

* 18 QUÆRO IX. Quid iudicas de valore donationis omnium bonorum? *Resp.* Donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum inter vivos non est valida, nisi sit iuramento firmata, vel facta ad pias causas. *Prima pars* patet ex L. *stipulatio hoc modo concepta*. Et *Ratio est*: Quia illa donatio est contra bonos mores, quia aufert facultatem testandi, quam tamen decet esse in Republica bene ordinata. Dixi 1. *& futurorum*; si enim solùm sit præsentium, est valida, quia manet facultas testandi de futuris. Idem est, si sibi aliquid de bonis, vel saltem vsumfructum reservet. Dixi 2. *inter vivos*. Si namque sit donatio mortis causa, subsistit, quia potest ad libitum revocari. Dixi 3. *nisi sit iuramento firmata*; hoc enim servandum, suprà diximus *num.* 11. nisi sit contra bonos mores, vel in alterius præiudicium. Dixi 4. *nisi sit ad pias causas*. Tunc enim valida est, etiam absque insinuatione. *Ratio*: Quia ius civile opera pietatis, & consilia Evangelica non potest impedire, nec causis pijs præiudicare.

* 19 QUÆRO X. Donatio liberè facta potestne revocari? *Resp.* 1. Donatio, quæ est mortis causa, potest ad libitum revocari ob pœnitudinem, vel ob evasionem periculi, vel ob mortem donatarij. *Ratio*: Quia in hoc differt à donatione inter vivos. Et sic intelligitur illud: *Voluntas hominis est ambulatoria.*

Resp. 2. Donatio inter vivos liberè facta, & traditione perfecta per se revocari non potest, bene tamen per accidens, & in certis casibus. *Ratio* 1. *p.* Quia per eam actu transfertur dominium rei donatæ in donatarium, quem donans, vt talis, ea spoliare non potest. *Secunda pars* declaratur assignando casus. Et hi emergunt, vel ingratitudine donatarij, vel ex prole suscepta; vel quia est donatio inofficiosa, vt Iuristę vocant. Casus ex ingratitudine donatarij sunt quinque, 1. *est*. Si donatarius donatori inferat impias manus, id est, non sine mortali culpa. 2. *Si ei* inferat atrocem iniuriam, seu contumeliam. 3. *Si bonis* eius inferat grave damnum. 4. *Vel si ipsi* periculum vitæ struat. 5. *Si non* impleverit conditionem donationi appositam. *Sextum* casum addit Sylvester, & alij, nimirum si donatarius donatorem magna paupertate pressum, sublevare nolit. Quòd observent simplices, qui omnia sua bona donant liberis, à quibus postea ipsi negliguntur. In his casibus donator habet ius revocandi donationem, licèt sit acceptata, & res tradita. Si tamen, qui iniuriam passus est, taceat, videtur condonare.

* 20 *Hoc ius* revocandi transitne ad hæredes? *Dico*, quòd non; quia est personale. Hinc contra ingratum donatarium ab hæredibus donatoris non potest institui querimonia, sicut nec ab ipso donatore contra hæredes donatarij potest moveri actio ingrati. *Ratio*: Quia est vna ex ijs, quę descendunt ex delicto, & non transeunt ad hæredes delinquentis, nisi lis fuerit contestata cum delinquente; tunc enim lis potest reperi, quatenus pervenit ad hæredes.

Hoc ius revocandi habetne locum in donatione facta Ecclesiæ? *Dico*, non posse revocari ob Prælati, vel Capituli ingratitudinem. *Ratio*: Tum quia regulariter delictum personæ non nocet Ecclesiæ. *C. delictum*, 76. *de Reg. Iuris in* 6. Tum quia illa donatio censetur facta non intuitu personarum, sed ex pietate erga Deum, qui nunquam est ingratus, sed liberalissimus remunerator.

* 21 Casus emergens *ex prole suscepta* est: Si quis prole carens, magnam bonorum, suorum partem donavit, & post rei traditionem contra omnem spem nascitur ei proles. Hic casus excipitur in L. *si nunquam*, de revocandis donationibus. *Ratio* excipiendi est: Quia in eo casu est iusta iuris præsumptio, donatorem liberis carentem magnam donationem fecisse, cum hac virtuali saltem, vel tacita conditione, nisi proles superveniant. Nemo enim præsumitur velle extraneum præferre propriæ soboli.

Sed quid si donatio sit facta Ecclesiæ, seù piis causis, & superveniant proles, saltemne subsistit in foro conscientiæ? *Dico*, de rigore iuris non revocari, nisi quoad supplementum legitimæ. *Ratio*: Quia Ecclesia censetur iure filiorum. Auth. *si quà mulier. C. de SS. Ecclesijs*. Item licèt donator non præsumatur propriæ soboli præferre extraneum, benè tamen Deum (cui primario) ac animam, pro cuius salute donavit ad pias causas. Ergo.

* 22 *Oppone*: S. Aug. *in cap. fin. causæ* 4. *q.* 4. relatus refert factum S. Aurelii Episcopi, qui ob supervenientes liberos donatori restituit, id quòd Ecclesiæ donavit. Et subdit, quòd potuisset quidem retinere iure fori, seù externo, sed non iure poli, seù interno. Ergo. *Ad hoc R.* S. Aug. loqui de obligatione honestatis, vel charitatis, non verò iustitiæ; de quà est hìc sermo. Vnde dixi: *Non revocari de rigore iuris*. Simile est de obligatione liberorum quoad desponsationem à parentibus factam.

Tandem casus emergens ex donatione inofficiosa, vt Iuristæ vocant, est, si donatio sit tam excedens, & immoderata, vt præiudicet Legitimæ filiis, aut parentibus debitæ. Et hęc secundùm iura potest revocari quoad supplementum Legitimæ. Vocatur *inofficiosa*, quia repugnat officio pietatis paternæ in filios; vtpotè quos Legitima defraudat.

Testamentum.

* 23 QUÆRO XI. Quid, & quotuplex est? Quas requirit solemnitates, & qui sunt eius capaces? Estne revocabile? *Resp.* 1. Testamentum ex nominis etymologia est idem, ac *testatio mentis*, & definitur, quòd sit *voluntatis nostræ iusta sententia de eò, quòd quis post mortem suam fieri vult cum directa heredis institutione.* Et hęc dispositio debet esse deliberata, non alieno, sed proprio arbitrio facta, hæredem instituens, ac morte Testatoris intercedente confirmatur, ante eam ad libitum revocabilis. Testamentum per hæc differt ab aliis vltimis voluntatibus, seù dispositionibus ad vltimam voluntatem pertinentibus. Vt sunt 1. *Codicilli*, qui definitur, quòd sit vltima voluntatis dispositio, quà circa testamentum aliquid explicatur, mutatur, additur, diminuitur, &c. ita vt in eò non instituatur hęres saltem directè. Ad Codicillum sufficiunt quinquè testes.

2. *Fideicommissum*: Quòd est dispositio, quà gratur hæres, vt vel totam hæreditatem, vel certam eius quotam cogatur restituere alteri cuidam, qui per hoc indirectè instituitur hæres. 3. *Legatum*: quòd est vltima voluntas, quà iubetur hęres rem aliquàm certam, & particularem alicui tertio præstare. 4. *Donatio mortis causa*: quæ est vltima voluntas, quà alicui præsenti, & acceptanti aliquid donatur intuitu mortis, vt explicatum est suprà *n.* 12.

24 *Resp.* 2. Testamentum variè dividitur. 1. Aliud est solemne, quòd nimirum habet omnes solemnitates, & requisita in iure præscripta. Aliud minùs solemne, quòd iis caret, vel non eget, vti est Codicillus, testamentum militis, vel ad pias causas; testamentum patris inter liberos, vt dicetur posteà. 2. Testamentum solemne est duplex: Vnum scriptum, seù clausum, cuius solemnitates iure communi requisitæ sunt, quòd Testator testamentum suum, propria, vel alterius manu conscriptum, septem testibus masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, vel vocatis, omnibus simul præsentibus, ipsumquè testatorem videntibus offerat, profitendo esse suum testamentum. Insuper si sciat, & possit sua manu coram testibus subscribat, vel aliùs pro eò octavus testis, sive subscriptor adhibitus. Posteà omnes septem testes vno, eodemquè continuato tempore, vel proprio, vel alieno sigillo obsignare debent. Alterum est *nuncupativum*, quando nimirum testator coram illis 7. testibus viva voce hæredem nuncupat, & voluntatem suam declarat: vt solet fieri si tempus mortis non concedat solemnem scripturam erigi.

3. Ex fine dividitur in illud, quòd est ad pias, & illud quòd est ad profanas causas. Ad primum sufficiunt duò testes, immò sola probatio. 4. Ex obiecto dividitur in testamentum inter liberos, & extraneos. Primum valet cùm duobus testibus, sive masculis, sive fœminis. 5. Ex causa efficiente dividitur in illud, quòd fit à milite, cive, rustico. Testamentum militis habet privilegium, quòd nulla egeat solemnitate; quòd extenditur ad non militantes, existentes in castris in terra hostili. Testamentum ruri degentium, vbi pauci sunt litterati, lex permittit fieri coram 5. testibus, licèt non subscribant. Testamentum coram Principe factum solutum est à solemnitate testium. Tempore pestis sufficiunt in aliquorum sententia quinquè, iuxta alios duò testes, inter quos potest esse confessarius. Extra hos casus adhibendæ sunt solemnitates iure communi requisitæ, nisi in quibusdam terris sit (vti est) alia lex, vel consuetudo. Nam notant aliqui, quòd Venetijs, & Viennæ in Austria sufficiant duò testes.

* 25 *Resp.* 3. Testari, seù testamentum condere iure Ciuili prohibentur (eò quòd sui iuris non sint) non possunt. 1. Servi, nisi ad pias causas. 2. Nec filijfamilias sub patria potestate constituti, nisi de bonis castrensibus, vel *quasi*, si sint puberes. 3. Qui commiserunt aliquòd crimen, cui iure annexa est pœna, quòd ipso facto sint intestabiles, de quibus vide Iuristas. 4. Ex defectu rationis, impuberes, furiosi, mente capti. 5. Nec prodigus, & cui bonorum administratio est interdicta, ne quidem ad pias causas. 6. Ob defectum corporis, surdi simul, & muti, vel etiam muti tantùm, si scribere nesciat. Ex iure Canonico testari prohibentur Clerici, in sensu fusè explicato suprà in hoc *T. E.* 2. *ad Q.* 14. Item Religiosi testari nequeunt, nisi de licentia Papæ si habeant beneficium. Et hoc ad pias causas tantùm.

Resp. 4. Qui ob crimen aliquod est intestabilis activè, *id est*, vt non possit condere testamentum, est etiam intestabilis passivè, hoc est, vt non possit aliquid capere ex testamento: Quæ est regula generalis.

Resp. 5. Patres Minores, nimirum de Obseruantia, & Capucini (de quibus actum est suprà *E.* 2. *num.* 10.) non possunt instituì hæredes, puta, absolutè, ita vt ipsi acquirant dominium bonorum, & tanquam hæredes teneantur ad onera defuncti, potest tamen in eorum favorem hæreditas relinqui, vt per executores testamenti vendatur, eisque pretium detur, vel eorum necessitatibus applicetur. Possent hic multa dici de filijs illegitimis, naturalibus, spurijs, an, & quomodo hæredes instituì possint, sed hæc magis ad Iuristas spectant, in quibus videantur. Breviter aliquid de ijs dicetur infrà de matrim. *T. vlt. E. vlt. Q. vlt.*

* 26 *Resp.* 6. Testamentum per se, & ex natura sua semper est revocabile, seù mutabile vsquè ad mortem; iuxta dicta anteà *ad Q.* 10. *R.* 1. *Quid si* iuramento firmatum est? *Dico.* Non posse reuocari iuxta dicta suprà. *Oppono*: Quòd ex natura sua est revocabile, manet semper tale: Sed, &c. Ergo. *Maior est vera*, nisi ab alio vinculo fiat irrevocabile, vti testamentum sit ex iuramento veluti ab extrinseco. Quando enim testamentum dicitur revocabile, sermo est de eò secundùm se, & nudè considerato. *Quid si* quis metu, vel fraude ad iuramentum esset inductus? *Dico*, posse peti dispensationem in iuramento.

* 27 QUÆRO XII. Testamentum ad causas profanas factum, sed solemnitate iuris positivi, v. g. tot, vel tot testibus destitutum, estne irritum, & nullum in foro poli, seù conscientiæ, sicut in foro fori? *Resp.* Probabiliùs est, tale testamentum in foro conscientiæ esse validum, & licitè retineri, quòd ex eò possidetur, sive titulo hæreditatis, sive legati. *Ratio* 1. Ius positivum solemnitatem, v. g. certùm numerum testium in testamento requirit ideò, vt fidem faciat in foro externo, evitaturquè omnis fraus, vt dicitur expressè *in* L. *quæsitum. Cod. de fideicommissis.* Ergo illa solemnitas in foro conscientiæ non requiritur, sed sine ea testamentum est validum. *Prob. conf.* Quia casus supponit, quòd in foro conscientiæ non committatur frus, sed apertè constat de rationabili voluntate Testatoris, quam impleri, conuenientissimum est æquitati naturali: Et hoc præsertim, si so-

ſolemnitas iuris poſitivi omiſſa ſit ex oblivione, ignorantia, impotentia, &c. *Reſp.* 2. Leges humanæ, quæ fundantur in falſa præſumptione, nec dant, nec tollunt ius in foro interno, quòd patet hoc exemplo: Si iudex abſolvat debitorem ideò, quia actor defectu teſtium non poteſt probare debitum, debitor ex hoc non manet immunis in conſcientia, ſed tenetur ſolvere. *Subſumo*: Sed leges, teſtamenta ſolemnitate carentia irritantes, fundantur in falſa præſumtione. Ergo in foro conſcientiæ non tollunt ius. *Prob. min.* Leges, hęc teſtamenta non irritant, quaſi velint infringere, vel invalidare voluntatem teſtatoris, ſed quia putant in eis eſſe fraudem, & dolum, ob quem ex illis voluntas teſtatoris colligi non poſsit: Sed hæc præſumptio in caſu noſtro eſt falſa. Ergo. *Min. prob.* Quia in dictis teſtamentis nulla eſt fraus, vt ſupponitur, cùm conſter de vera, & libera voluntate teſtatoris ex cauſa rationabili rei ſuæ dominium transferentis in alium, licitè prætereundo eum, qui ſuccederet ab inteſtato. Ergo.

* 28 Dixi in R. *Teſtamentum factum ad cauſas prophanas.* Si enim factum ſit ad cauſam piam, & ſolemnitatibus iuris civilis careat, in vtroque foro eſt validum, modò adſint ea, quæ ſunt iuris Gentium, nimirum duo teſtes. Quia iuxta C. *Relatum.* de Teſtamentis. *Cauſæ pie non ſunt tractandæ ſecundùm leges*, ſed ſecundùm Canones, præſentia verò teſtium eſt de iure Civili: Immò in foro conſcientiæ ſubſiſtit teſtamentum, ſive ad cauſam piam, ſive ad profanam factum, licèt careat etiam ſolemnitate Iuris Gentium, nimirum omni teſte, modò habeat ea, quæ ſunt iuris naturæ, vti ſunt poteſtas in diſponente, libertas in diſpoſitione, capacitas in hęrede, & certò conſtet de voluntate teſtatoris, ſive per privatum diſcurſum, ſive per ſcripturam, ſive per ſigna: qualiter etiam in eodem foro poſſit revocari poteſt teſtamentum ante ſolemniter factum, etiam ad cauſam piam. Ergo.

* 29 *Oppono* 1. in L. *hac conſultiſſimâ.* Cod. de teſtamentis, & alijs legibus clarè dicitur, tale teſtamentum eſſe nullum. Ergo. *Confirm.* Leges civiles, ſi ſint iuſtę, obligant in conſcientia, vt dictum eſt ſuprà; Sed dictæ Leges ſunt iuſtæ. Ergo teſtamentum annullant, non ſolùm in foro fori, ſed etiam conſcientiæ. 2. *Etſi iudex ſciret*, & hæredes ab inteſtato faterentur, quòd Ioannes à teſtatore verè inſtitutus ſit hæres, ſed ſine iuris ſolemnitate, tamen in conſcientia tenetur hæredibus ab inteſtato adiudicare hæreditatem, & hoc ideò, quia leges ſic ſtatuunt. Ergo leges volunt, quòd in foro conſcientię non poſsit retineri id, quòd poſſidetur ex teſtamento minùs ſolemni, ſeu iuxta leges nullo. *Prob. conſ.* Si in conſcientia licitè illa hæreditas poſſet retineri, Iudex iniquè eam adiudicaret hæredibus ab inteſtato, eiſque daret occaſionem retinendi alienum: Sed hoc nequit dici. Ergo.

3. *Si teſtamentum* non ſolemne in conſcientia eſt validum, ſequitur, tutorem non poſſe licitè contra illud agere pro pupillo, qui eſſet hæres ab inteſtato: Sed hoc eſt durum. Ergo. *Prob. min.* Si tutor non agat pro pupillo condemnabitur ad compenſandum damnum, cùm eum teneatur ſervare indemnem. Ergo. 4. *Teſtamentum* impuberis non valet, licèt non ſubſit defectus præſumptus in lege illud irritante. Ergo nec minùs ſolemne valet, licèt non ſubſit fraus, vel defectus verę voluntatis defuncti, quem lex videtur præſumere in tali teſtamento. 5. *Nihil* ſubſiſtit ſine ſua forma: Sed ſolemnitas, nimirum numerus teſtium, ſunt forma teſtamenti. Ergo. 6. *Contractus* ab œconomo factus contra formam à domino præſcriptam eſt nullus. Ergo & teſtamentum non ſolemne.

Ad 1. R. intelligi de nullitate in foro externo, in quò lex civilis tali teſtamento non aſsiſtit, nec tamen ei reſiſtit. Cùm quò ſtat, quòd in hærede ab inteſtato naſcatur obligatio naturalis; ſi defuncti voluntatem ſciat, ad hæreditatem, & legata ſolvenda ijs, qui in teſtamento minùs ſolemni ſunt nominati: ſi nollunt illi, poſſunt vti occulta compenſatione: ſi de voluntate teſtatoris ſit dubium, pro ratione dubii debet cum iis componere. Quia cùm neutra pars cœperit adhuc bona fide poſsidere in dubio par eſt eorum conditio. *Ad Confirm. conc. mai. & min. diſt. conſ.* In hoc ſenſu, quòd tale teſtamentum non debeat cenſeri publicè, & legitimè probatum, *conc. conſ.* Quia ſecundùm conſcientiam fateri debemus, illud in foro externo non eſſe ſufficienter probatum. In eò ſenſu, quòd licitè retineri non poſsit id, quòd ex eò poſsidetur, *neg. conſ.* Et hoc clarè conſtat ex eò, quòd lex civilis tali teſtamento non reſiſtat, ſed ſolùm non aſsiſtat. *Ad* 2. conceſſo *ant. neg. conſ.* Quia Iudex debet agere iuxta præſcriptum Legis: vndè tunc non adiudicaret hæreditatem hæredibus ab inteſtato, quaſi verè ad illos pertineat, & abſolutè ſit eorum, ſed quòd ſit eorum, quantum apparet ex probationibus, quæ iure admittuntur, quoad forum poſi relinquens eos ſuæ conſcientiæ. *Ad prob. neg. mai. prò* 1. *part. & diſt. pro* 2. *part.* daret occaſionem per ſe, & ex intentione *neg. mai.* per accidens, *conc. mai.* Si ergo hæres ab inteſtato retineret alienum, præcisè eſſet adſcribendum eius malitiæ, non legum diſpoſitioni, vtpotè quæ ſolùm reſpicit forum externum.

Cur Leges vſucapionis, & præſcriptionis tenent etiam in foro interno, & non illæ, de quibus hìc eſt ſermo? *Dico.* Diſparitas clarè patet ex rationibus pro noſtra ſententia antè adductis.

Ad 3. *conc.* ſequela *mai. diſt. min.* Condemnabitur, &c. ita tamen, vt pupillus teneatur in conſcientia reſtituere, vel ipſe poſsit vti occulta compenſatione, *conc.* ſecùs, *negatur. Ad* 4. *neg. conſ.* Diſparitas eſt: quia teſtamento impuberis lex non ſolùm non aſsiſtit, ſed & reſiſtit, ſecùs eſt de teſtamento non ſolemni. *Ad* 5. *diſt. mai.* Sine forma ſubſtantiali, & intrinſeca, *conc. mai.* accidentali, & extrinſeca, *neg. mai.* & ſic *diſt. min. neg. conſ.* Ipſa ergo diſpoſitio per vltimam voluntatem facta eſt ſubſtantialis forma teſtamenti, ſolemnitas verò, & numerus teſtium eſt forma accidentalis. *Ad* 6. *neg. conſ.* Diſparitas eſt: quia œconomus bonorum, quæ alienat, non eſt dominus, ſicut eſt teſtator, vt ſupponitur.

* 30 QUÆRO XIII. Vltima voluntas circa cauſas pias poteſtne interdum commutari? Et à quò? Etiam circa Monaſteria? *Reſp.* 1. Poteſt commutari, ſed nonniſi ex rationabili cauſa, & quidem iure communi à ſolo Papa, nunc verò etiam ab Epiſcopo, tanquàm Sedis Apoſtolicæ delegato, vt patet ex Trid. *Seſſ.* 22. *de Reform. c.* 6. Iuſtæ cauſæ ſunt, v.g. ſi pecunia certo vſui deſtinata, v.g. ædificationi Eccleſiæ non ſufficiat. Si voluntas fundatoris omnino impleri non poſsit, vt ſi pauper, cui aliquid eſt legatum, iam ſit mortuus. Si vſus non ſit neceſſarius, & res poſsit alio modò vtiliùs applicari, vt ſi quis legaſſet mille imperiales ad pingendam Eccleſiam, quæ ruinoſa eſt. Si Eccleſia, cui quid legatum eſt, in adimplenda legatoris voluntate ſit negligens, vt ſi Miſſas non perſolvat.

Reſp. 2.

* 31 *Resp.* 2. Si in aliqua Ecclesia sit tantus Missarum numerus, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, vel ob fundationis tenuitatem non facilè inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere, ait Trid. *Sess.* 25. *de Reform. c.* 4. Sancta Synodus cupiens hęc, ad pios vsus relicta, quò plenius, & vtiliùs potest impleri, dat facultatem Episcopis, vt in Synodo Diœcesana, itemquè Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognoverint; statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atquè Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire, ita tamen, vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata eà ad pios vsus reliquerunt. Hæc ibi. Quid posteà sub Vrbano VIII. à S. Congregatione circa reductiones Missarum sit statutum, Vide infrà *T.* 12. *E.* 5. *n.* 13.

* 32 *Resp.* 3. Si Monasterij alicuius, quacunquè ex causa, Religiosi deficiant, non possunt eò ipso eius reddirus incorporari mensæ Episcopali, vel dari Clericis sæcularibus, aut Laicis, sed alij Religiosi eiusdem, vel si tales haberi nequeant, alteriùs Ordinis sunt substituendi. Si nullus Ordo locum illum velit acceptare, potest dari Clericis sæcularibus, vt prima fundatio servetur, quantum possibile est. Ita enim statuit Clement. *de Relig. domibus*: *Quæ largitione fidelium ad certum vsum destinata sunt, ad eum debent, & non ad aliud applicari, salva Sedis Apostolicæ auctoritate.* Immò nec Papa censetur velle transferre Monasterium ab vno Ordine ad alterum, altera parte inaudita, nisi ex causa grauissima, & ex prævia cognitione. Hinc nisi exprimatur Clausula *ex certa scientia, & plenitudine potestatis*, benè attendendum est, an Bulla non sit obreptitia. *Ratio*: Quia æquitati naturali nihil magis consentaneum est, quàm vt vltimæ defunctorum voluntates, modo, quò possunt, meliori impleantur.

* 33 QUÆRO XIV. Quotuplex est hæres, & quis ordo hæredum in succedendo? Quę legitima portio cuiuslibet? *Resp.* 1. Hęres est alius ex testamento, id est, in eò institutus, aliùs ab intestato, id est, qui succedit sine testamento. Primùs iterùm aliùs est ex asse, id est, vniversalis: aliùs partialis, seù ex parte, nimirùm ex triente, vel dodrante, aut quadrante. Iterùm aliùs est hæres necessarius, seù qui non potest præteriri, sed necessario debet institui in portione legitima, vti sunt omnes in linea recta descendentes, post hos autem ascendentes, nisi sit iusta causa exhęredandi. De quò posteà. Aliùs non necessarius, quem non tenetur instituere, licèt possit.

* 34 *Resp.* 2. Morienti ab intestato succedunt hęredes hoc ordine. 1. Descendentes. 2. Pater, & Mater æqualiter, & vno istorum deficiente, succedit alter, & non ascendentes, aut descendentes deficientis. 3. Succedunt avi paterni in bonis à patre habitis, & avi materni in bonis habitis à matre, & lucra istorum bonorum æqualiter inter eos dividi debent. 4. Deficientibus prædictis succędunt fratres, & loco istorum iam defunctorum filii eorum. His deficientibus succedunt privigini. 5. Deficientibus prædictis succedunt proximiores consanguinei collaterales. 6. Morienti sine consanguineis, etiam collateralibus, succedit Rex. Breviter dicendo: Parentes carentes filiis tenentur bona distribuere inter cognatos, & propinquos, si egentes sint, servato ordine charitatis, honestiores, propinquiores; pauperiores aliis præferendo. Si egentes non sint, licitè bona sua convertunt ad pios vsus.

* 35 *Resp.* 3. Legitima filiorum est diversa pro diversitate locorum. Vnde lex, vel consuetudo loci est attendenda. Laymanus docèt, iure novo legitimam portionem descendentium (si fermo sit de bonis privatis, loquendo enim de principatibus communiter succedit primogenitus, & aliis datur sufficiens sustentatio) esse trientem hæreditatis, si non sint plures, quàm 4. liberi: semissem verò, si sint plures. Pariter ascendentium portionem, licèt vnus tantùm sit, esse trientem hæreditatis, idquè absquè vllo gravamine, modò, & conditione, quæ, si apponantur, habentur pro non appositis.

Quid si cuidam de ascendentibus, vel descendentibus non relinquatur Legitima? *Dico*: Si iusta exhæredationis causa testamento non sit inserta, & probata, competit ei actio, quà petat legitimam compleri, vel testamentum, vt ipso iure nullum, rescindi.

Sed quid, si testamentum sit factum, & nascatur filius posthumus, cuius in testamento nulla fit mentio? *Dico*: Rumpi testamentum.

* 36 QUÆRO XV. Possuntne parentes vni filio legitimo relinquere plus quàm alijs? *Resp.* Possunt, si alij in portione legitima non damnificentur, & iusta adsit causa, *v. g.* si habet maiora merita, si parentibus maiora præstitit obsequia. Si verò non adsit causa, mortaliter peccant contra charitatem, licèt non contra iustitiam, ait noster Conradus. Exceptio etiam est, nisi sit lex patriæ id prohibens, vti legitur esse Bruxelis, vbi non licèt chariotes, vt vocant, procreare filios. *Ratio* est per se.

* 37 QUÆRO XVI. Potestne in testamento instituì hæres extraneus, omisso fratre, vel consobrino? Sermo est de collateralibus, vt patet; aliud enim est de ascendentibus, & descendentibus, immò etiam de his loquendo, non obstante, quis habeat filios, qui tamen non sunt egentes potest Pater alicui charo amico aliquid relinquere, præsertim si egeat, vti, & familiari, qui ei fideliter servivit: Affines etiam nullum ius successionis prætendere possunt. Hoc præmisso.

Resp. 1. Si in aliqua Provincia sit specialis lex, vti scribitur esse in Flandria, ne taliter disponatur, nisi de tertia parte bonorum, certum est, in illis saltem locis collaterales licitè præteriri non posse. *Ratio*, quia legi parendum. *Resp.* 2. Si instituendo extraneum collaterales omittantur ex inordinato affectu, odio, &c. vel testator non satisfaciat obligationi, qua tenetur eorum necessitatibus succurrere, vt si sint egentes: vel si ex tali dispositione oriatur, vti facilè oriri potest, scandalum, tale testamentum est illicitum. *Ratio* est per se. *Resp.* 3. Seclusis omnibus vitiosis circunstantijs, seù per se, non videtur illicitum instituere extraneum hæredem, & præterire consanguineos collaterales non egentes. *Ratio*: nullum ius naturale, nec positivum divinum, vel humanum assignari potest, per quòd oppositum probetur. Ergo.

* 38 QUÆRO XVII. Quid sentis de successione coniugum? *Resp.* 1. Solent interdum coniuges, dum contrahunt, facere pacta quædam dotalia, vel nuptialia, vt si absquè liberis vnus eorum præmoriatur, omnia, vel certa bona fiant coniugis superstitis, sic vt consanguinei excludantur. De his pactis Mynsingerus, *cent.* 2. *observ.* 33. *num.* 10. testatur, quòd valeant ex notissima Germaniæ praxi,

si

sæpiùs confirmata in Camera Imperiali.

Resp. 2. Si coniuges nullam talem dispositionem fecerint, & ex familia coniugis premortui nulli extent consanguinei, coniux superstes, coniugi defuncto in omnibus bonis succedit ab intestato. Ita habetur *L. vxica, Cod. vndè vir, & vxor. Resp.* 3. Interdum, licèt extent liberi, vel alii consanguinei, coniux superstes succedit, puta, si defunctus fuerit dives, superstes verò sit pauper, ne cogatur vivere non decenter iuxta statum suum, vel planè mendicare; quòd vtrumque cederet in opprobrium coniugis divitis defuncti. Verùm in hoc casu non succederet in omnibus bonis, sed posito, quòd sint tres filii, vel pauciores, acciperet quartam partem bonorum defuncti: si essent plures filii, acciperet tantum, quantum vnus filius, vel consanguineus. Observandum hìc est, an superstes pauper coniux succedat cum filiis, vel cum aliis consanguineis. Si primum, acquirit tantùm vsumfructum, proprietas verò bonorum manet apud liberos. Si secundùm, acquirit plenam dominium.

* 39 QUÆRO XVIII. Sumne causæ, ob quas pater, mater, avus, avia, licitè possunt exhæredare filios, & nepotes? *Resp.* Sunt. Quas noster Lublino sic adducit ex Rotella: Si filius manus violentas iniecit in parentem, eique gravem iniuriam, vel contumeliam fecit. Si in causis criminalibus patrem accusavit, præterquàm de crimine læsæ Maiestatis, hæresi, vel de offensa contra Communitatem suæ Civitatis. Si filius maleficus cum maleficis conversatur. si machinatur in necem patris. Si calumniosè litem movet patri, à quà si pater defecerit, oportet eum damna grandia sustinere. Si rogatus à patre, ob debitum incarceratо, vt fideiubeat pro ipso, & tamen nollet, quòd tantùm habet locum in masculis. Si filius prohibuit patrem testari. Si sit ioculator præter voluntatem patris. Si filia non consentit patri volenti eam honestè maritare, & dotare. Si filius miscetur cum sua Noverca, vel concubina patris sui. si parentibus furiosis debitam curam non impendit. Si parentem de captivitate educere neglexit. Si parte existente Catholico, filius est hæreticus.

Causæ ob quas filii, & nepotes possunt exhæredare suos parentes, avum, aviam, istæ numerantur: Si patet filium de crimine accusavit, excepto crimine læsæ Maiestatis. Si patet vitæ filii per venenum, vel aliter insidiatus fuit. Si patet vxori, vel concubinæ filii se commiscuit. Si patet prohibuit filium testari de his, de quibus poterat. Si patet non redemit filium captum ab infidelibus, quia tunc si filius decedat in captivitate, bona eius debent esse Ecclesiæ. si pater neglexit curam filii furiosi. Si pater sit hæreticus filio existente Catholico. Si pater vxori filii dederit venenum ad mortem, vel mentis alienationem, vel aliter fuerit insidiatus vitæ eius. Omnes hæ causę ingratitudinis tolluntur, seù purificantur per ingressum Religionis. Postremò frater fratrem exhæredare potest tribus de causis, videlicèt si mortem voluit fratri inferre; si fratrem criminaliter accusavit. Si in substantia illius notabilem iacturam fuit molitus.

Quid sentis de illis patentibus, qui exhæredant suos filios, vel filias, eò quòd ingrediantur, & profiteantur Religionem, successionis capacem? *Dico* esse in statu æternæ damnationis, ac teneri ad restitutionem. *Ratio*: Quia per hoc filij non sunt deterioris conditionis, immò statum nobiliorem, ac perfectionis assumunt.

* 40 QUÆRO XIX. Quid censes de executoribus Testamenti, & de Confessario Testatoris præsertim infirmi? Prænot. ex Sylvestro, executores testamenti aliquando vocati commissarios, aut fideicommissarios, interdum divisores, interdum distributores, interdum executores, non simpliciter, sed vltimarum voluntatum. Executores ergo propriè sunt, qui sententiam exequuntur. Hoc notato:

Resp. 1. Testator potest nominare executores sui Testamenti ex hæredibus, vel non hæredibus, vnum vel plures, masculos, vel fœminas, Laicos, seù Seculares, vel Clericos immò & Religiosos. Ita communiter Auctores. *Nota*, tamen, quòd Religioso ad id muneris necessaria sit licentia sui Prælati, & quidem (si sit ex Societa Iesu) ipsiusmet Generalis. Fratribus Minoribus de Observantia, & Capucinis hæc commissio dari nequit.

Resp. 2. Si quis Religiosus esset executor contrà decreta Canonum, & sine licentia Prælati, valerent acta eius, licèt Prælatus non consentiat, modò non contradicat. *Ratio*: Quia sacri Canones executionem Religiosi tantùm prohibent, non annullant. *Resp.* 3. Religiosus executor pium legatum potest applicare suo Monasterio, licèt sit solus executor. Idem est de pauperè consanguineo, cessante fraude. *Ratio*: Quia, vt probat Sylvester, distinctio personarum, quæ debet esse inter dantem, & recipientem, est ibi evidens.

*Poterit*ne applicare sibi? *Non potest* nisi sit in summa necessitate, in qua etiam ei liceret capere aliena. *Resp.* 4. Pro executione Testamenti non admittitur servus, nec mutus, nec surdus, nec prodigus, nec furiosus, nec pupillus. Ita statuunt iura. *Resp.* 5. Executor nominatus non potest executionem committere alteri, nisi Testatore id concedente, vel nisi sit executio nudi facti iam declarati. *Ratio*: Quia standum est voluntati Testatoris.

Resp. 6. Si Testator nullum instituerit executorem, executio etiam quoad legata pia spectat ad hæredem. *Ratio*: Quia hęc censetur esse mens Testatoris. Nota tamen, quòd in hoc casu Episcopus iure communi executionem possit trahere ad se. *Resp.* 7. Nemò potest cogi ad Officium Executoris, qui tamen id detrectat, eo ipso perdit legatum (saltem illud quòd in remunerationem huius functionis ei relictum fuit) quòd alijs executoribus accrescit. *Ratio* est, quæ pro respons. 6. *Resp.* 8. Executores tenentur omnia exequi secundùm mentem Testatoris, quantum possibilè est; teneturque reddere rationem executionis. *Ratio* quæ antè. Vide suprà *num.* 29. vbi & ostensum est, an, & quomodo voluntas Testatoris circa pias causas possit mutari? & à quo?

* 41 *Resp.* 9. Executoribus non debetur salarium. *Ratio*: Quia est officium voluntarium amicitiæ. Nota tamen si ex ea functione paterentur aliquòd damnum, debet eis relarciri. Vel si sint administratores bonorum, Iudex eis debet constituere salarium. *Resp.* 10. Executores testamentorum graviter peccant, si executionem testamenti, præsertim quoad causas pias, longo tempore differant; anima tamen defuncti testatoris propter executorum negligentiam non punitur nova pœna. *Ratio* 1. *p.* Quia fortè anima citiùs liberaretur ex gravissimis Purgatorij pœnis.

Ratio 2. *p.* Quia culpa hæredum, & executorum non debet nocere defuncto. Et quamvis interdum Deus in hac vita aliquos propter aliorum delicta puniat, eos tamen, qui luunt in purgatorio, & infer-

no, non punit, nisi ob propria eorum delicta, iuxta illud Scripturæ Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij.* Not. non esse culpandos, seu laudandos illos executores, qui modico tempore differunt erogationem eleemosynarum, vt eo largiores erogent rebus defuncti melius venditis. Quoad hoc ergo singularis prudentia requiritur in Executore, vt nimirum circumspectè agat, & tam temporis moram, tum personę (quæ creditur citius, vel tardius liberanda) conditionem, tum etiam augmenti eleemosynarum quantitatem considerando, faciat, quòd defuncto magis expedire iudicaverit. Ita docet *Aug. Doct. quod lib. 6. q. 8. art. 14.*

* 42 *Resp.* 11. ad 2. part. Quæsiti nimirum de Testatoris Confessario, cui varia sunt observanda: 1. *Vt* sine gravi causa, & necessitate Testamento non assistat. 2. *Nihilominus* Testatorem, cuius animam curat, de eaque coram divino tribunali rationem reddet, de quibusdam leriò, & prudenter moneat. 1. *Vt testamentum* faciat, & legata condat bona intentione, ac in statu gratiæ, in qua confidat se esse, poterit debitam contritionem, & Confessionem: quia in eo statu condita legata prosunt ei ad satisfactionem pro peccatis commissis, & ad maioris gloriæ consecutionem. 2. *Vt* si hoc neglexerit, susceptis postea Sacramentis, saltem renovato consensu omnia priùs ordinata ratificet, & ordinanda approbet. 3. *Vt* in condendo testamento magis respiciat Dei honorem, & suam propriam salutem, quàm suos consanguineos, & amicos. Hinc constituat, vt pro anima sua plurima sacrificia, preces, aliaque pia opera, *v. g.* eleemosynæ fiant. Si tamen amici, & consanguinei etiam egentes sint, eorum specialiter meminerit. 4. *Vt ea*, quę vivens pro salute animæ suæ exequi posset, non committat hæredibus, melior enim est conditio possidentis: vnde est illud: *Fac modò, quæ moriens facta fuisse voles.*

3. *Interrogat* testatorem (idem est de quocumque alio infirmo) an ei incumbat restitutio alicuius damni, famæ, vel bonorum animæ? Quia si respondeat, se omnia velle restituere, Confessor verò probabiliter timeat, promissionem non esse implendam, loquatur ei efficaciter ad cor, nec absolvat, nisi iudicet sinceram esse promissionem; ac simul moneat, eum de novo mortaliter peccaturum, si non restituat, vel restitutionem notabili tempore differat. 4. *Si infirmus* sit vsurarius, non absolvatur, nisi facta priùs cautione de restituendis vsuris, moneaturque, vt caveat, ne bona certò aliena hæredibus, vel pijs causis relinquat, sed certa pro certis, incerta verò det pauperibus. Hos enim Deus vult talium bonorum esse hæredes.

5. *Confessarius* moneat Executores testamenti, ne eius executionem protrahant, & ob hoc suis animabus, & animę defuncti graviter noceant, iuxta antea dicta. 6. *Præter* hæc Confessarius poterit proponere quæstiones omnibus infirmis communes, *v. g.* an velit mori in fide Romana Catholica, & credat, quidquid illa credit. An firmiter speret in Deo, & ab eo peccatorum remissionem. An habeat firmum propositum emendandi vitam, si morbum evaserit. An laboret conscientia alicuius peccati mortalis in confessione aliquando omissi; vel pœnitentię sacramentalis non impleræ. An receperit scienter aliquod Sacramentum in mortali, vt simi-

Ludus, Sponsio.

* 43 QUÆRO XX. Quid censes de his contractibus? *Resp.* 1. Ludus (quoad præsens) est pactum, seu contractus, quæ ludentes animi oblectandi causa paciscuntur, vt victori cedat, quòd vterque exposuit. *Sponsio* est contractus, in quo duo de veritate, vel eventu alicuius rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, vt hoc sit eius, qui veritatem assequitur.

Resp. 2. Vterque contractus per se, & ex natura sua est licitus, si nimirum vestiatur debitis conditionibus. *Ita S. D. infrà q. 168. art. 2. in Sed contra* de Ludo (quòd etiam de Sponsione potest intelligi) cuius verba ad longum vide suprà T. 3. E. 3. *num.* 9. & 10. Immò legitur in vitis Patrum, B. Paphnutio esse revelatum, quòd quidam ioculator futurus erat ibi consors in vita futura. Et S. Thom. ibidem ar. 3. ad 3. de histrionibus ait: *Ludus est necessarius ad conversationem humanæ vitæ, ad omnia autem, quæ sunt vitalia conversationi humanæ, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideò etiam officium histrionum, quòd ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundùm se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo vtantur, id est, non vtendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotijs, & temporibus indebitis. Et quamvis in rebus humanis non vtantur alio officio per comparationem ad alios homines, tamen per comparationem ad se ipsos, & ad Deum, alias habent seriolas, & virtuosas operationes, puta, dum orant, & suas passiones, & operationes temperant, & quandoque etiam pauperibus eleemosynas largiuntur. Vnde illi, qui moderatè eis subveniunt, non peccant, sed iustè faciunt, mercedem ministerij eorum eis tribuendo. Si qui autem superfluè sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi eos in peccato fovendo. Vnde Augst. dicit super Iosuem, quòd dona res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus; nisi fortè aliquis histrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subveniendum. Dicit enim Amor. in lib. de officijs: Pasce fame morientem, quasi quis enim pascendo hominem servasse putetis, si non paveris, occidisti.* Hæc ibi S. Doct.

Item qualiter in ludo peccari possit, pulchrè explicat *S. Thom. in eodem ar. 3. in corpore*, dicens: *Dicendum, quòd in omni eo, quod est dirigibile secundùm rationem superfluum dicitur, quod regulam rationis excedit. Diminutum autem dicitur aliquid, secundùm quod deficit à regula rationis. Dictum est autem, quod ludicra, seu iocosa vocia, vel facta, sunt dirigibilia secundùm rationem; Et ideò superfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis: quod quidem potest esse dupliciter: Vno modo ex ipsa specie actionum, quæ assumuntur in ludum, quod quidem iocandi genus secundùm Tullium dicitur esse illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum, quando scilicet vtitur aliquis causa ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de se sunt peccata mortalia. Et sic patet, quòd excessus in ludo est peccatum mortale. Alio autem modo potest esse excessus in ludo secundùm defectum debitarum, puta, cùm aliqui vtuntur ludo, vel temporibus, vel locis interdictis, aut etiam prater conveniens iuvenum negotij, seu personæ. Et hoc quidem quandoque potest esse peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cuius delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quòd contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ talibus ludis vti non refugiat. Quandoque autem est peccatum veniale, puta, si aliquis non tantum*

tum afficitur ad ludum, quòd propter hoc velit aliquid contra Deum committere. Hæc S. Doct.

* 44 *Resp.* 3. Conditiones ad justitiam ludi sunt tres. 1. Vt ludentes sint sui iuris, seù possint liberè disponere circa rem, quàm ludo exponunt. De quò quæ dici possent, colliguntur ex suprà dictis de dominio, quinam illud habeant, & quorum bonorum; vel si dominium non habent, saltem licentiam expendendi, vel expressam, vel tacitam suorum Superiorum, vt Religiosi, Scholares, filiifamilias, pupilli, vxores, &c. vbi, & ipsimet Prælati Religiosi suam conscientiam considerare debent. 2. Conditio est, vt alter alterum per iniuriam, v. g. per minas, fraudes, convitia, &c. ad ludum non pertraxerit. Hinc si quis simulet se parùm peritum, vt sic alterum aliàs ludere nolentem alliciat; vel si convitijs eum lacessat, ad quę vitanda in ludum consentit, alias non consensurus, tunc, si ille sic pertractus perdit, alter, qui lucratus est, iuxta communiorem, & probabiliorem sententiam tenetur ad restitutionem. Idem est de eò, qui perdidit, & lucrantem cogit, vt ludum continuet. *Ratio*: quia est contractus per iniuriam, & libertatis ablationem extortus. Quod sic magis explicatur: Licèt talis simpliciter voluntariè, & secundùm quid solùm involuntariè ludat, & voluntarium mixtum absolutè sufficiens sit ad validè transferendum dominium (vt patet in eò, qui iusto quidem pretio, invitus tamen, vendit domum) si vi, vel fraude non sit extortum; secùs tamen est, si adsit vis, fraus, aut dolus, quæ nemini patrocinantur: Sed in dicto casu est vis, vel fraus. Ergo.

* 45 *Oppono*: Si ipse inductus lucretur, potest lucrum retinere. Ergo & inducens. *Neg. conſ.* Inductor enim tenetur ratione iniuriæ, quà alteri damnum dedit, quàm non facit inductus. Pro intelligentia vide verba S. Thomæ infrà in hoc *Exam.* n. 48.

Contra: Debet esse par conditio ludentium. Ergo si vnus potest lucrum retinere, potest & alter. *Dico, ant.* esse verum, si præcisè spectatur contractus ludi, non verò si intercedat iniuria: sicut si vnus ludentium sub ludo decipiat in numero punctorum, vel calculorum, non potest lucrari, benè tamen deceptus. Aliter dico, *ant.* esse verum, nisi alter tacitè iuri sub cedat.

Tertia conditio est: Vt non vtantur fraudibus contra leges ludi, vti est v. g. certo signo notare chartas, aliàs enim tenentur ad restitutionem lucri. Leges autem ludi sunt, quas ipti ludentes communi consensu inter se statuunt, vel quę in eò loco receptæ sunt, si inter se nullas faciunt. Fraudes, vel astutię per communem consuetudinem receptæ, vel in quas tacitè, aut expressè consentiunt ludentes, sunt licitæ, v. g. videt vnus se certò lucraturum, rogat æmulum, an velit ponere duplum. Vel videt æmulum intuenda signa efrantem, & non monet, licitè lucratur, vbi talia per consuetudinem sunt recepta. Verum tamen est, si affectus lucri esset nimis immoderatus, esset etiam peccaminosus.

* 46 *Resp.* 4. Sunt aliqui ludi iure Civili etiam laicis prohibiti, illi nimirum, qui magis fortuna quàm arte reguntur, & in iure communiter significantur nomine alearum. Hic ludus aleatum iure Canonico prohibitus est Clericis, & Religiosis, & sic ludendo peccant mortaliter, non quidem si luserint semel, bis, vel ter, sed si huic ludo vacaverint, id est crebrò, ac per longum tempus luserint: his enim solis, pœnę imponuntur. Hinc si, seclusis fraudibus, ad breve tempus (etsi crebrò) recreationis causa sic luserint, non sunt damnandi peccati mortalis, nisi propria Ordinis Statuta id prohibeant. Loquendo de Laicis, si in loco non vigeat Lex sub gravi pœna prohibens, non peccant mortaliter.

* 47 QUÆRO XXI. Qui ludo vetito fuit aliquid lucratus, teneturne ad restitutionem? & qui in eo perdidit, teneturne in foro conscientiæ solvere? *Resp.* 1. Communior Thomistarum, & verior est sententia, quòd qui lucratus est per ludum à lege prohibitum, sine fraude, dolo, & vi ab alijs, quidem suis bonis liberè disponere possunt, possit lucrum retinere, vsque dum Iudex iubeat restituere. *Ratio*: Contractus ludi iure naturæ habet vim transferendi dominium, ex hoc autem, quòd sit prohibitus, nec iure naturali, nec iure positivo impeditur translatio dominij. Ergo. *Prob. ant. pro* 2. *p. Primò*: Plures sunt contractus prohibiti, & iure naturæ illiciti, & iure naturæ non sunt irriti, *v. g.* matrimonium potest votum simplex castitatis, vel post sponsalia inita cum alia, promissio meretrici facta pro vsu corporis. Ergo similiter. 2. *Leges* illæ prohibentes sunt solùm pœnales, & perdenti solum concedunt actionem ad repetendum coram Iudice. Ergo non obligant antè sententiam Iudicis condemnatoriam.

* 48 *Resp.* 2. Probabilius videtur, quòd qui ludo vetito perdidit, in conscientia teneatur solvere, etsi luserit pecunia non præsente sed credita, id est, absente: licèt possit soluta repetere in iudicio. *Ratio*: Ex vna parte promissio de re licita, vti hic est solutio facienda, est servanda, & Reipublicæ interest, vt fides data servetur; ex altera parte nulla est lex civilis irritans illum contractum promissionis, & datæ fidei: Nam leges civiles solùm dant ius repetendi in iudicio, nec vllam faciunt distinctionem inter illum, qui ludit pecunia credita, & qui præsente. Ergo. Accedit, quòd aliàs deterioris conditionis esset, qui pecunia præsente luderet, quia hic tenetur ad solutionem, & non alter, quòd non videtur dicendum.

Dixi, *posse repeti in Iudicio*; nam privata repetitio non sufficit, vt alter teneatur restituere. Si autem fors verecundaretur repetere in iudicio, non tamen ideò posset vti occulta compensatione, quia dominium est translatum, quò alter non potest privari, nisi per Iudicem. *Not.* tamen, intelligendum hoc esse de iure communi, nam iure particulari in quibusdam locis hæc promissio solvendi ex pecunia absente non obligat, & sic videtur esse intelligendus S. Thom. *suprà q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. dicens: *Aliquid autem videtur esse ulteriùs illicitum ex iure positivo civili, quòd prohibet vniversaliter tale lucrum.* Quòd autem non loquatur de prohibitione vniversali ex iure communi sed specialium Provinciarum, patet, quia subdit: *Sed quia ius civile non obligat omnes, sed eos solos, qui sunt his legibus subiecti, & ex iterùm per dissuetudinem abrogari potest: ideò apud illos, qui sunt huiusmodi legibus obstricti, tenentur vniversaliter ad restitutionem, qui lucrantur, nisi forte contraria consuetudo prævaleat, aut nisi aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludum.* De quò in *R. ad Oppos. num.* 44. *In quò casu non tenetur restituere, quia ille, qui amisit, non est dignus recipere, nec potest licitè retinere tali iure positivo durante: Vnde debet de hoc eleemosynam facere in hoc casu.* Hæc S. D.

* 49 QUÆRO XXII. Licitne ludere, ludo nimirum honesto, & absque lucrarum rerum intercessione, sub hoc pacto, vt victus pro victore, aut

pro animabus in Purgatorio Rosarium, vel Missam dicat? *Resp.* Probabiliùs affirmo iuxta praxim devotorum in diversis Religionibus. *Quid* si pactum fiat hos modò, vt vnus se obliget ad preces dicendas, alter ad dandam communitati honestam recreationem in cibo, & potu, si vincatur? *Affirmo* pariter licere: tum quia non committitur irreverentia. Tum quia non est species Simoniæ, vt quis posset putare. Quia non intercedit ratio pretij, vti requiritur ad Simoniam.

* 10 QUÆRO XXIII. Qui per ludum, & sponsionem non potest perdere, potestne lucrari, & lucrum in conscientia retinere? *Resp.* Tres præcipuè casus sunt, de quibus dubitatur

Primus est: si alter sit ita peritior altero, vt moraliter certò sit lucraturus. Vel si de re, super quàm fit sponsio, tam certus sit, vt non possit perdere. In hoc casu sive ludi, sive sponsionis probabiliùs est, tales non posse lucrari, vel lucrum retinere. *Ratio*: Tum quia error, sive dolus dedit causam contractui. Tum quia contractus ludi, vel sponsionis ex natura sua videtur exigere, vt periculum perdendi sit æquale in ludentibus. Si enim victus victoris peritiam novisset, cum eò non lusisset nec spopondisset. S. *b/ame*: Sed quando error dat causam contractui, hic vel est irritus, vel irritari potest. Ergo. *Quid si* inæqualitatem novit, & tamen lusit? *Dico*: tum tacitè, vel expressè consensit, vt alter lucretur, qui proindè lucratur. Idem est si animo ita est paratus, vt, licèt de facto inæqualitatem non noverit, si tamen novisset, adhuc lusisset; tunc enim virtualiter censetur inæqualitatem condonare.

Secundus casus est: Si is, qui ludit, habet animum non ludendi pro præmio, vel non obligandi se ad solvendum, vel lotum repetendi, talis non potest lucrari. *Ratio*: quia æmulum suum decipit, & æmulus non lusisset, si fraudem cognovisset.

Tertius casus est: Si alter ludentium rem depositam alienare nequeat, v. g. Religiosus, aut filiusfamilias. Religiosus sicut sine Superiorum licentia rem (vtpotè, quæ est Monasterij) non potest in ludum deponere, ita nec lucrari; potest tamen cum licentia. Filiusfamilias pubertatem ingressus, id potest, si habeat bona propria castrensia, vel quasi, aut Pater aliqua pro recreatione dederit. Si autem nihil habet proprij, sed tantùm alienum, & collusor id scit, nuter potest lucrari. Si in aliqua Vniversitate, vel Aula sumptibus Parentum sustentetur, ex Summa centum imperialium sustentationi suæ destinata, potest quatuor, vel quinquè per annum honestæ recreationi, seù ludo insumere: quia honesta recreatio inter alimenta est computanda. Cui solùm quatuor in ludum deponere licèt, is ab vno, & eodem non potest nisi quatuor singulis commissionibus lucrari, nisi fortè alter cedat iuri tuo. Potest tamen lucrari plures, si ludat cum pluribus, puta, à quovis illorum quatuor. Et ab vno potest lucrari plus pluribus commissionibus. Tandem eb tacitam Parentis facultatem potest etiam in ludum deponere, quidquid lucratus fuit.

***

EXAMEN V.

De Restitutione in genere, & in specie de eâ, quoad bona animæ, corporis, famæ, & honoris.

De quâ S. D. agit 2. 2. quæst. 62. per 8. artic.

* 1 QUÆRO I. Quid est Restitutio, cuius speciei iustitiæ actus, quanta eius necessitas, quę & quot eius radices, seu capita? *Resp.* 1. Restitutio definitur sic: *Est actus iustitiæ* (nimirum commutativæ, vt dicetur) *quo res ab alio accepta redditur*, si non eadem numero, saltem in specie, *vel damnum illatum compensatur.* Unde S. D. hic art. 1. in c. ait: *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ.* Si propriè loquamur, differt à satisfactione, quòd hæc fiat in compensationem honoris læsi, seu offensæ illatæ, restitutio verò fiat pro damno rebus illato. *Resp.* 2. Restitutio formaliter est actus solius iustitiæ commutativæ. Pro quo vide in hoc *T. E. 1. n. 12. in R. ad 2. Oppono.*

Resp. 3. Restitutio ablati saltem in voto est necessaria ad salutem. *Ratio*: Quia conservare iustitiam est necessarium ad salutem. Unde ad Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis.* Et S. Aug. Epist. 54. hic art. 2. à S. Thom. citatus ait: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, puta, si restitui potest, & quatenus possibile est. Nam vita semel ablata in se restitui non potest. Dixi *saltem in voto*: Quia impotentia excusat à restitutione in re, attamen homo animo semper paratus esse debet, quòd restituere velit, cùm ad eam fortunam pervenerit.

Resp. 4. Præceptum restituendi est formaliter affirmativum, implicitè tamen est negativum; & reducitur ad præceptum non furandi. *Ita S. D. art. 8. ad 1. Ratio 1. p.* Quia per actum positivum impletur, & omissione violatur. *Ratio 2. p.* Quia involvit hanc negationem: Non retineas alienum. Hinc iuxta conditionem præcepti negativi obligat semper, & pro semper, saltem in voto, vt antè dictum.

* 2 Duplex est radix restitutionis, nimirum res accepta, & iniusta acceptio rei; id est, homo tenetur ad restitutionem ex duplici capite, nimirum, vel ratione rei acceptę, vel ratione iniustæ acceptionis. Ita S. Thom. *hic art. 6. in c.* dicens: *Ratione rei tenetur eam restituere, quamdiu eam apud se habet, quia, quòd habet ultra id, quòd suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest secundum formam commutativæ iustitiæ. Sed ipsa acceptio rei alienæ potest dupliciter se habere: quandoquè enim est iniuriosa, scilicet contra voluntatem existens eius, qui est rei dominus, vt patet in furto, & rapina. Et tunc tenetur ad restitutionem, non solùm ratione rei, sed etiam ratione iniuriosæ actionis, etiamsi res apud ipsum non remaneat. Sicut enim qui percussit aliquem, tenetur vel compensare iniuriam passo, quamvis apud ipsum nihil maneat, ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad compensationem damni dicti, etiamsi nihil inde habeat. Et ulteriùs pro iniuria illata debet punoi. Alio modò accipit aliquis rem alterius in utilitatem suam absque iniuria eius voluntate saltem tacita, cuius est res, sicut patet in mutuo. Et tunc ille qui accepit, tenetur ad restitutionem eius, quòd accepit, non*

solum rationis rei, sed etiam titulo acceptionis, etiamsi rem amiserit, tenetur enim recompensare ei, qui gratiam fecit; quòd non fiet, si per hoc damnum incurrat. Tertiò modò accipit aliquis rem alteriùs absquè iniuria non pro sua utilitate; sicut patet in depositis. Et idò ille, qui sic accipit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quinimmò accipiendo impendit obsequium. Tenetur autem ratione rei, & propter hoc, si ei subtrahatur res absquè sua culpa, non tenetur ad restitutionem: secùs autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret.

Alij DD. claritatis gratia assignant tres radices restitutionis. 1. *Ex* iniusta acceptione, quæ solet etiam appellari restitutio ex delicto, vel damno illato, & eò spectat omnis iniusta damnificatio. 2. *Ex* re accepta, quando nimirum res aliena detinetur, sive bona fide, vt quando res furtiva bona fide est empta, & sic est sine peccato; sive mala fide, & sic est cum peccato, vt patet in furto, vel si emens sciat rem esse furtivam. 3. *Ex* contractu, si nimirum vi alicuius contractus aliquis debet, & non solvat.

* 3 QUÆRO II. Quomodo restituet, qui alium damnificavit in bonis spiritualibus, sive naturalibus, vti sunt vtus liberi arbitrij, & rationis, Scientiæ, Studium, &c. sive in supernaturalibus, vti sunt gratia Dei, Sacramenta, virtutes, &c. sive ad animæ salutem spectantibus, vti sunt status Religiosus, vel Clericis, aut Prebenda? *Resp.* 1. Qui veneno, philtro, maleficio, &c. alteri abstulit vtum rationis, tenetur, quantum in se est, maleficium tollere; remedia, quibus convalescat, procurare; & omnia damna inde secuta compensare. *Ratio*: Qui est causa damni, tenetur illud reparare pro posibili.

Resp. 2. Qui vi, vel fraude alium impedivit à studio litterarum, tenetur ad restitutionem. *Ratio* est eadem. *Resp.* 3. Quia alium induxit in errorem, vel docuit falsas sententias in rebus Fidei, vel in genere morum, tenetur restituere, & conclusiones, ac falsas sententias revocare. *Ratio* est eadem. *Resp.* 4. Prælati, Parochi, & similes, quibus ex officio curæ animarum invigilandum est, tenetur reparare damna, quæ subditi ex eorum negligentia patiuntur. *Ratio* est eadem: *Cui* addo, quòd quivis homo habeat strictum ius ad vsum rationis. *Item* ad hoc, ne vi, vel fraude impediatur à studijs, ne inducatur in errorem. Item vt à suo Prælato accipiat ea, quæ sunt curę animæ.

* 4 *Resp.* 5. Qui fraude, vel vi aliquem induxit ad peccatum, tenetur ad eius damni reparationem pro posibili. *Ratio*: Ubi intercedit fraus, vel vis, ibi est locus iniuriæ. *Quo autem modo* reparabit? *Dico*: Si eum vi detineat in ocasione peccandi, tenetur eum liberari; si eum metu oppressit, tenetur eum securitati restituere; si eum decepit, tenetur veritatem docere. Item tenetur eum ad meliora hortari, preces pro eò ad Deum fundere, & meliori quò potest modò laborare, vt resipiscat. Immò si damno spirituali sit annexum damnum temporale, v. g. si tamen insuper vulneravit corpore, dum eum vi tenuit in malo, vel si sine expensis non posit à malo revocari, tenetur etiam ad reparationem illius damni temporalis, & ad faciendas has expensas.

* 5 *Quid si* non posset eum à peccato revocare, nisi cum periculo vitæ? *Dico*: Cùm charitas interdum obliget pro fratribus animam ponere, à fortiori hæc obligatio habet locum, vbi simul adest debitum iustitiæ. Revidenda hìc sunt, quæ diximus suprà de dilectione proximi. Item de correctione fraterna. Item de scandalo. Dixi in *R.* 5. *Qui fraude, vel vi*, nam qui aliquem induxit sine vi, vel fraude ad peccatum, ratione cuius non solùm apud Deum gratiam, sed & apud homines omnem amisit æstimationem, licèt graviter peccet, non tamen tenetur ei aliquid restituere. *Ratio*: quia scienti, & volenti non fit iniuria.

* 6 *Resp.* 6. Qui per iniuriam, id est, vi, vel fraude à Religione retraxit aliquem, ex cuius præsentia Religioni accreviſſet sive ex personæ industria, sive ex hæreditate, temporalis vtilitas, tenetur ad eius restitutionem. *Ratio*: quia damnum illud temporale est illatum contra iustitiam. *Nota*: tamen compensationem non esse faciendam æqualiter, si retrahatur Novitius, ac Professus, sed secundùm quantitatem iuris acquisiti Monasterio. Qui enim retrahit Professum, & sic Cœnobium privat aliqua hæreditate, vel alio emolumento, tenetur in totum. Qui retrahit Novitium, non tenetur in totum: quia hæreditas adhuc pendebat ex futuro eventu. Si retraxit Candidatum Religionis, seù qui in Monasterio est iam receptus, sed nondum vestitus, adhuc minor erit obligatio.

Resp. 7. Talis etiam ipsi retracto tenetur in bonis spiritualibus restituere iuxta suam facultatem, nimirum impedimenta in futurum revocando, pro eius resipiscentia preces ad Deum fundendo, eum seriò hortando, vt pristinum propositum exequatur. *Ratio*: Quia hæc media tali fini sunt proportionata. Dixi in *R.* 6. *Qui vi, vel fraude*; si enim hæc desit, licèt fiat ex malevolo animo, & Religionis odio, graviter quidem peccatur contra charitatem, non tamen contra iustitiam: adeòque non est onus restitutionis. *Resp.* 8. In eò casu retrahens non tenetur ingredi Religionem loco retracti, nec substituere aliun. *Ratio*: Assumptio status religiosi debet esse omninò libera, nec vllo metu licèt aliquem ad eum compellere. *Resp.* 9. Si damnum temporale Religioni illatum non posset aliter resarciri, quàm se ei tradendo in famulum, ad id teneretur; non tamen in Monachum. *Ratio* patet ex dictis.

* 7 *Resp.* 10. Qui absquè iusta causa Novitio negat votum ad professionem, non tantùm peccat mortaliter contra charitatem, vt ex se clarum est, sed & contra iustitiam. *Ratio*: Cœnobium, & Novitius tacitè inter se ineunt contractum, Novitius omnibus temporalibus renuntiando, suam habilitatem rigoroso examini, & iudicio subjicit discutiendam; Monasterium verò Iudices, & Examinatores constituit, qui de eà sententiam ferant. Ergo si quis Capitularium non ferat sententiam iuxta merita Novitij, peccat contra contractum, & iustitiam. Causæ Novitio negandi suffragium ad Professionem debent sciri ex proprijs Statutis cuiusvis Religionis, v. g. gravis infirmitas, mala indoles, defectus ingenij, &c.

Dic mihi, an Novitius ad sæculum rediens teneatur Monasterio solvere expensas? *Dico*: Non teneri, nisi factum sit de hoc pactum, quòd, cùm iussum sit, servari debet. Vel nisi habitum susceperit fraudulenter, id est, cum animo redeundi ad sæculum. *Ratio*: Fraus & dolus nemini patrocinantur.

* 8 *Resp.* 1. Quòd hactenus dictum est, proportionabiliter intelligi debet de eò, qui aliquem iniuriè impedit à consecutione alicuius Officij, vel Prebendæ. Sensus patet ex verbis S. Thom. hìc *art.* 2. *ad* 4. dicentis: *Aliquis potest impedire aliquem, ne habeat Prebendam multipliciter: Uno modo iniustè, puta, si intendens honorem Dei, vel vtilitatem Ecclesiæ procuret, quòd detur alicui persona digniori, & tunc nullo modo*

tenetur ad restitutionem, vel aliquam recompensationem faciendam. Alio modo iniustè, puta, si intendat eius mouimentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiusmodi, & tunc si impedit, ne Prabenda detur digno, consulenti, quòd non detur, antequam sit firmatum, quòd ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem pensatis conditionibus personarum, & negotij secundùm arbitrium sapientis, non tamen tenetur ad æquale, quia illum nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. si verò iam firmatum sit, quòd aliqui detur Prabenda, & aliquis propter inhabitam causam procuret, quòd revocetur, idem est, ac si iam habitam ei auferret, & ideò tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundùm suam facultatem. Hæc S. Doct.

* 9 QUÆRO III. Quomodò restituet, qui alium damnificavit in bonis corporis, occidendo, vel mordendo? *Ante R. Nota*, in præsenti damna esse duplicia. 1. Naturalia, seù personalia, vt sunt ablatio vitæ, membri, virium, pulchritudinis, &c. 2. Realia, quæ nimirum, vel ipse læsus, vel eius hæredes patiuntur in bonis externis, vt sunt expensæ in Medicos, lucrum cessans, damnum emergens Hoc notato:

Resp. 1. Probabilius est, quòd pro damno corporali, vt pro ablatione vitæ, membri, virium, &c. ex iustitia in alio genere bonorum facienda sit aliqua restitutio ipsi læso, & hæredibus eius necessarijs, etiam ante sententiam iudicis, licèt ex damno corporali nullum sequatur damnum in bonis temporalibus. Ita colligitur ex S. Thom. *hic art. 2. ad 1.* dicente: *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta, cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore considerata conditione utriusque personæ secundùm arbitrium boni viri.* Vtriusquè, inquàm, personæ, occisoris quidem, an sit dives, vel pauper; diviti enim maior restitutio imponenda est: occisi autem, an familiæ suę fuerit vtilis, vel inutilis, an senex, an sanus, vegetus, infirmus, an doctus, an ignarus; quia pro homine iuvene, vtili, sano, docto, &c. maior imponenda est restitutio. Item attendendus est modus occisionis, an facta sit aperto Marte, vel per insidias, quia vbi insidiæ, ibi maior iniuria.

Adversarij, inter quos etiam sunt aliqui Thomistæ, dicunt, vel S. Thom. loqui de damnis realibus ad naturale consecutis. Vel ly *debet* ab eò sumi hic, vt idem significet, ac ly *decet, est conveniens*, non verò, quòd sit necessarium. Verùm prima solutio est nulla; tum quia S. D. expressè loquitur de compensatione membri ablati, quod est damnum naturale. Tum etiam, quia, vt patet, loquitur de eò, quòd non est restituibile per æquale, sed debet restitui secundùm arbitrium boni viri, damna autem realia sunt restituibilia per æquale.

Ratio 1. Quia alium iniustè occidit, mutilavit, deformavit, eiusque sanitati nocuit, (seclusis omnibus damnis realibus) ipsi læso, occiso, & mutilato, &c. eius hæredibus intulit damnum contra iustitiam commutativam, quia est causa iniustæ inæqualitatis. Ergo læso, vel hæredibus tenetur ad restitutionem prout fuerit possibilis. sed non est possibilis nisi in alio genere bonorum. Ergo. *Conf. prob.* Quamvis iustitia commutativa per se non inclinet nisi ad restitutionem æqualis, per accidens tamen, quando æquale reddi non potest, inclinat ad reddendum, quòd est possibile; sicut, qui debet mille, & non habet nisi 300. tenetur restituere 300. Et qui extremè indigenti abstulit panem, & panem, quem reddat, non habet, sed alium cibum, is tenetur illi dare, sive pane pretiosior sit, sive vilior. Ergo, qui inulit damnum contra iustitiam commutativam, tenetur ad restitutionem, prout in alio genere bonorum fuerit possibilis. *Ratio* 2. Specialiter de restitutione hæredibus facienda pro damno personali. Qui alterum lædit in bonis proprijs, tenetur ex iustitia ei compensare: Sed homicida hæredes necessarios lædit in bonis proprijs. Ergo. *Min. prob.* Pater respectu filij est veluti totum, cuius filius est quædam pars. Vir, & vxor sunt veluti vna caro, ideòque inter naturæ, & ex iustitia pater filium, & vir vxorem tenetur alere. Ergo.

Resp. 2. Modus faciendi dictam restitutionem relinquitur arbitrio boni viri, vt patet ex citatis verbis S. Thomæ, vt fiat, vel in bonis spiritualibus, vel temporalibus, si hæredes indigeant, & occisus de spiritualibus iam bene sibi providerit. In spiritualibus verò, si hæredes non indigeant temporalibus, & occisus sibi de spiritualibus non providerit, & eorum iudicetur esse capax, *v. g.* Christianus, &c. In vtriusque prout iudicabitur necessitas, vel opportunitas: vt explicat Sylvius.

* 10 *Resp.* 3. Licèt ipse occisor à iudice puniatur pœna corporali, *v. g.* suspendatur, nihilominus facienda est ex iustitia dicta restitutio occiso, & hæredibus necessarijs. *Ratio*: Quia damnum occiso, & hæredibus illatum per pœnam illam non compensatur, sed illa publica vindicta solùm est compensatio iniuriæ, quam patitur Respublica.

* 11 *Resp.* 4. Non solùm, qui læsit in bonis corporis, sed & eius hæredes tenentur per bona fortunæ (si quæ sint relicta) compensare dictum damnum corporale. *Ratio*: Quia bona, in quibus hæredes succedunt, ex iustitia sunt obligata ad reparationem damnorum à lædente factorum. Ex quo sequitur, quòd Pater, licet sit hæres necessarius filij, non teneatur restituere pro damnis à filio non emancipato illatis. Quia filius non emancipatus non habet bona, in quibus pater succedat, quasi de novo ea sibi acquirat, exceptis bonis castrensibus, & alijs, de quibus suprà.

* 12 *Oppono* 1. Leges dicunt: Liberum corpus nullam recipit æstimationem. Ergo non est facienda restitutio pro eo. 2. *Bona superioris ordinis non compensantur per bona alterius, & inferioris ordinis*: Sed bonum vitæ, & membrorum est superioris ordinis. Ergo. 3. *Homo* non est dominus vitæ, & membrorum. Ergo ei non fit iniuria.

Ad 1. & 2. dico, solùm probari de æstimatione, restitutione, & compensatione condigna, & ad æqualitatem, non verò de arbitraria. Nam pecunia secundùm se etiam non potest æquiparari famæ, vtpote, quæ est melior quàm divitiæ multæ, & tamen fama læpè debet restitui per pecuniam, si non possit in proprio genere. *Ad* 3. dico, etiam vsuario posse fieri iniustitiam, homo autem saltem est vsuarius vitæ, & membrorum.

Resp. 5. Certum est, quòd dictus iniustus occisor, vel mutilator teneatur ad restitutionem omnium damnorum realium, quę patitur læsus, ac hęredes necessarij eius. *Ratio*: Qui est causa damni reparabilis, tenetur illud reparare.

* 13 *Resp.* 6. Compensatio damnorum realium fit solvendo expensas curationis vulneris, cibos cariores, consilio medici, vel boni viri necessarios, lucrum cessans, id est, quòd opificio, *v. g.* fecisset, si

læsus

læſus non quidem totum, ſed quantùm arbitrio viri prudentis ſpes lucri æſtimatur: minùs enim valet, quòd eſt in ſpe, quàm quòd eſt in re. Ad expenſas funeris non tenetur, niſi eſſent extraordinariæ neceſſariæ, vt ſi maioribus ſumptibus in alieno, ſeu peregrino loco eſſet ſepeliendus. *Ratio*: Quiæ expenſę ordinariæ fuiſſent etiam faciendæ, ſi naturali morte obijſſet.

* 14 *Reſp.* 7. Reſtitutio primo facienda eſt læſo, ſi ſupervivat; ſi obierit, hæredibus neceſſarijs. Quinam hi ſint, dictum eſt ſuprà *E. 4. n.* 32. *Unde* non eſt neceſſariò facienda hæredibus non neceſſarijs, *v. g.* fratribus, alijſve conſanguineis, vel amicis, à defuncto varia commoda, vel alimenta percipientibus, licèt occiſor illa damna prævideric, modò non intenderit. Idem eſt de creditoribus occiſi. *Ratio*: Quia omnes illi non cenſentur moraliter vnum cum defuncto, & damnum eorum ſolùm ſequitur per accidens.

* 15 *Reſp.* 8. Si ille, qui læſit, quamdiù vixit, reſtitutionem non fecit, ad eam tenentur hæredes. *Ratio*: Quia bona defuncti tranſeunt cum hoc onere. Et qui ſentit commodum (vti eſt hæres) ſentiat etiam onus. *Reſp.* 9. Hæc tota doctrina eſt vera, licèt ille, qui læſit, puniatur pœna legali à Iudice, *v. g.* ſuſpendio, prout dictum, & *Ratio* data eſt *R.* 3.

* 16 *Oppono*: Non eſt æquum, quòd quis puniatur bis in idipſum, ſeu duplici pœna pro eodem delicto. Ergo. *Ad hoc neg. conſ.* quia in hoc caſu moraliter eſt duplex delictum, ſeu duplex iniuria; vna illata Reipublicæ, & hæc compenſatur per pœnam legalem: altera læſo, aut hęredibus eius, & hęc eſt compenſanda prædicto modo. *Nota* tamen, ſi læſus velit, vt læſor per illam pœnam corporalem non tantùm Reipublicę, ſed & ſibi ſatisfaciat, ad nihil amplius tenetur, vt ſi ſignificet, ſe nil aliud deſiderare, quàm pœnam talionis, vitam pro vita, &c. & de alia reſtitutione omninò taceat.

* 17 *Quid ſi* vnus, vel ambo ſe provocaſſent, vti fit in duello? *Dico*: Si occiſus, vel læſus, vel ambo provocaverint, nullus tenetur hæredibus reſtituere; ſicut nec qui occidit petentem, licèt peccatum non effugiat. Vide *R. ad* 1. ſequenti *n.* 18. *Ratio*: Tales cenſentur renuntiaſſe iuri ſuo. Pro cuius maiori intelligentia.

* 18 QUÆRO IV. Si occiſus ante mortem occiſori condonavit reſtitutionem, ſuntne hæredes eius liberi ab onere reſtitutionis alimentorum hæredum neceſſariorum occiſi? *Reſp.* 1. Si præcisè in foro animæ condonet iniuriam, certum eſt, non deobligari hęredes, ſi aliud nihil exprimat. *Ratio*: Quid illo loquendi modo nihil aliud videtur ſignificari, quam quòd læſus læſorem recipiat in priſtinam amicitiam, & oſtendat ſe non fovere odium.

Reſp. 2. Probabilius videtur, quòd occiſus nec licitè, nec validè occiſori poſsit condonare reſtitutionem alimentorum pro parentibus, vxore, liberis. *Ratio*: Obligatio dictorum alimentorum, & ſuſtentationis non pendet ex libera voluntate occiſi ſed fundatur in iure naturæ, quòd occiſus à ſe abijcere non poteſt. Ergo.

* 19 *Oppono* 1. Paulò antè aſſertum eſt, ſi provocatus ad duellum, in eo occidatur, provocatus non tenetur ad reſtitutionem damnorum; & hoc ideò, quia provocans damna condonavit, & ceſsit iuri. Ergo ſimiliter. 2. *Patet* ſolùm ex charitate, & pietate tenetur filijs dare alimenta. Ergo quamvis illicitè, attamen validè remittit. Ante *R.* vide *E. 4. n.* 15. in *Not. quid ſit, donationem eſſe validam.*

Ad 1. *Neg. ant. pro* 2. *p.* Nam ly *ideò* non dicit ibi veram cauſam, cur provocatus deobligetur, ſed cauſa eſt, quia occiſio provocantis in duello non eſt ei iniuriosa, vtpote qui ſciens, & volens ceſsit iuri in propriam vitam. Unde non occiſor, ſed occiſus hæredes ſuos iniuriosè privat ſpe emolumentorum. *Ad* 2. *N. conſ.* Nam cùm illa obligatio pietatis involvat moralem vnitatem inter occiſum, parentes, liberos, & vxorem (ad doctrinam eorum de quibus in *R. 7. ad Q.* 3.) illi habent rigoroſum ius quæſitum immediatè ex ipſo iure naturæ, ne per ſe, ſeu ex intentione iniuriosè, & violenter priventur emolumentis, quorum proximam ſpem habet, à fortiori, ne ſic priventur alimentis ſibi debitis titulo pietatis. Contra hoc ergo ius ageret Pater condonando talia emolumenta, & alimenta, qui proinde hoc debitum pietatis ſolvere nequit.

* 20 QUÆRO V. Quomodo reſtituet, qui alium damnificavit per iniuriam ſtupri cum, vel ſine fraude; cum, vel ſine promiſsione Matrimonij? *Ante R.* vide ſuprà *T. 3. E. 2. n.* 21. de adulterio, & de ſtupro *n.* 2. quomodo per has duas luxuriæ ſpecies alteri inferatur iniuria. *Reſp.* 1. Probabilius eſt, quòd qui invitis parentibus violavit virginem volentem, vel ſolùm leviter rogatam, adhuc ſub patris poteſtate exiſtentem, nec virgini, nec patri teneatur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ. *Ratio* 1. *p.* Quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. *Ratio* 2. *p.* Ipſa virgo ob amiſſam ſui clauſtri violationem non tenetur aliquid reſtituere patri. Ergo non violator. Hinc datur, quòd parentibus fiat iniuria, filię eſt imputanda.

Reſp. 2. In foro fori in dicto caſu patri, vel tutori puellæ contra defloratorem competit actio, & ſtupratot à iudice condemnatus tenetur in conſcientia præſtare patri ſatisfactionem per modum pœnæ iniunctam. Ita patet ex Tract. de Legibus. Immò ante ſententiam iudicis vterque tenetur parentibus ad aliquam ſatisfactionem; nimirum eos ſingulariter honorando, vel veniam ab eis petendo niſi iam remiſerint. *Ratio*: Quia parentes ſunt cuſtodes virginitatis filię.

* 21 *Reſp.* 3. Qui vi, fraude, vel incuſſo metu, ſed abſque matrimonij promiſsione virginem corrupit, iuxta probabiliorem ſententiam in foro conſcientiæ tenetur ad alterutrum, nimirum vel eam ducere, vel dotata puellę, & parentibus illata compenſare per bona fortunæ, augendo dotem, prout ſtupratori placuerit. *Ratio*: Quia illa damna ſunt per iniuriam illatam, & per alterutrum horum compenſantur. Ergo. *Nota* tamen, hc ſolùm verum eſſe ante ſententiam Iudicis, nam poſt eam tenetur obedire. Porrò ſi puella æquè bene nupſerit, ac ſi violata non eſſet, ſtuprator deobligatur à compenſandis alijs damnis, excepta iniuria violationis, pro qua tenetur iuxta arbitrium viri prudentis.

* 22 *Reſp.* 4. Probabilius eſt, quòd qui corrupit virginem ſub ſpe matrimonij, ſive vero, ſive ficto animo promiſsi, teneatur ordinariè in conſcientia eam ducere, etiam ante ſententiam iudicis. Ita clarè colligitur ex S. Thom. in Suppleм. q. 46. art. 2. ad 4. dicente: *In tali caſu ſponſus antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in vxorem, ſi ſint æquales conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis: ſed ſi aliam duxerit, iam factus eſt impotens ad ſolvendam illud, ad quod tenebatur, & ideò ſufficit, ſi ei de nuptijs provideat. Et ad hoc etiam non cogitur (vt quidam dicunt) ſi ſponſus ſit inferioris conditionis, aut aliquod ſignum fraudis videns fuerit: quia præſumi probabiliter poteſt,*

potest, quòd sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit. Hæc S. Thomas. Quòd S. D. hic loquatur de foro conscientiæ, & violatione mulieris sub spe matrimonij, constat; quia aliàs non responderet conformiter ad argumentum, quòd dictis verbis solvit, & sic sonat: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*: Sed aliquis non potest mulieri, quam defloravit sub specie matrimonij, restituere ablatum, nisi eam coniugio ducat. Ergo.

Ratio: In contractu innominato *facio vt facias*, qui est onerosus, seu sub conditione onerosa, si vna pars, seu vnus contrahens contractum implevit, etiam altera pars ex iustitia commutativa eum implere tenetur, præstando id, quòd in contractum est deductum: Sed inter puellam, & stupratorem in casu posito fuit talis contractus, & puella corporis sui vsum præbendo contractum implevit: Ergo stuprator in conscientia implere tenetur. Sed non potest implere, quòd promisit nisi præstando consensum in matrimonium. Ergo hunc in conscientia præstare tenetur. *Min. patet.* Quia si promissarius sub conditione onerosa ligatus conditionem impleat, acquirit ius contra promittentem. Ex quo patet, quòd illa fictio non tollat obligationem in conscientia: quia hæc est natura contractus onerosi, vt vtraque pars ex iustitia se obliget ad præstandum id, quòd contractu significatur.

Dixi, ordinariè, seu per se; nam dari exceptiones, patet ex ipsis verbis S. Thom. quibus addo, non teneri. 1. *Si* adsit impedimentum dirimens. 2. *Votum* Religionis, aut Castitatis, cùm obligatio voti, vtpote erga Deum, sit fortior quam promissio homini facta, etiam iurata. 3. *Si sequantur* gravia mala, vel scandala. 4. *Si puella* fornicetur postea cum alio. 5. *Si finxerit* se virginem, & à viro deprehensa sit non esse.

Quæ in R. 3. & 4. dicta sunt de corruptione virginis, proportionabiliter, in ordine ad reparanda damna, dicenda sunt etiam de eò, qui per vim, vel fraudem seduxit viduam, aliamve iam corruptam, honestam tamen. Nec in vllo horum casuum corruptor satisfacit ingrediendo Religionem, etiam post matrimonium contractum, ante eius consummationem. Quia aliàs non tollitur infamia. Vide infrà hoc *E. 6. n. 40. ad 7. Oppos.*

* 23 QUÆRO VI. Quid, & quomodo restituendum, ex iniuria adulterij? *Ante R. Nota*, damna, quæ ex adulterio, & suppositione filii spurij ordinariè sequuntur, esse hæc. 1. Quòd proles adultera educetur ex bonis patris putatitij, cùm quilibet pater teneatur alere prolem suam à tertio ætatis anno. 2. Quòd accipiat dotem, aut sponsalitium; immò 3. hæreditatem, ac si esset legitima proles. Hinc proles legitimæ, vel in earum defectu legitimi hæredes damnificantur. Hoc notato:

Resp. 1. Si ex adultero proles non nascatur, nec vllum aliud damnum, adulter nihil tenetur restituere marito adulteræ pro violatione thori. Si tamen maritus nesciat de adulterio, tenetur vterquè adulter ad satisfactionem per signa doloris, veniæ petitionem, &c. ille pro iniuria, illa pro iniustitia, & infidelitate. Ita probat praxis, & communis sensus fidelium, & confessariorum.

* 24 *Resp.* 2. Communis sententia est, quòd si adulter sit moraliter certus, prolem, ex adulterio natam, esse suam, teneatur tam ipse quàm adultera restituere damna realia patri putatitio, eius legitimis proli*bus*, vel hæredibus indè illata: vterquè quidem pro rata, alterutro autem deficiente quivis in solidum, sive adulter mulieri fuerit, vt suum filium spurium pro legitimo supponat, sive non. *Ratio*: Quando plures efficaciter concurrunt ad damnum iniustè inferendum, singuli pro rata, & aliis deficientibus quilibet in solidum tenetur reparare damnum: Sed sic est in hoc casu. De adultera patet. De adultero suppositionem non suadente. *Prob.* 1. Eò ipso, quòd is faciat ex suo semine, & aliena vxore nasci prolem, quàm maritus adulteræ ex errore putat esse suam, supponit eam. 2. Dum adulter videt hanc suam prolem in aliena domo medijs alienis sustentari, quàm ipse tenetur alere, eò ipso est causa per se, saltem indirecta deceptionis, & damni secuti. Ergo.

* 25 *Resp.* 3. Si adulter non sit moraliter certus, sed rationabiliter credat prolem non esse suam, eò quòd mulier putet esse sui mariti, vel aliàs sit levis, vel soleat rem habere cum pluribus, &c. non tenetur ad dictam restitutionem. *Ratio*: Tum quia in dubio melior est conditio possidentis, vt explicatum suprà *T. 2. E. 1. n. 13. & 14.* Tum quia nemo tenetur luere, antequàm constet, eum esse debitorem.

Resp. 4. Si proles sit nata, & adultera teneat, eam non esse sui mariti, obligatur in conscientia (quantum sine vitæ, vel famæ dispendio potest) laborare, ne legitimis prolibus, vel hæredibus obveniat damnum: teneturquè ad eius reparationem, iuxta omnium sententiam. *Ratio*: Quia iniustè est causa efficax huius damni. *Sed* difficultas est de modo restitutionis. Pro quò:

* 26 *Resp.* 5. Modus restitutionis esse potest, nimirum, si mulier habet bona paraphernalia, seu liberæ eius dispositioni relicta, debet eà filiis illegitimis dare, vel compensare extraordinario labore, & lucrum indè acceptum ijsdem tribuere, ornatum muliebrem minuere, vel filio adulterino, si capax sit, statum Clericalem, vel Religiosum suadere, sic tamen, ne hæreditatem secum ferat. Vel agere, vt ab extraneo, vel suo verò patre adoptetur, sicquè honesto titulo familiam, & hæreditatem exeat. Vel agere, vt causa occultata ei detur minor hæreditas, &c.

Resp. 6. Si vno, vel pluribus ex his modis, prolibus legitimis totum damnum resarciatur, vel nullum inferatur, potest mulier permittere, vt filius illegitimus cum legitimis succedat in bona patris putatitij. *Ratio* est, vt conservet famam, quæ est alioris ordinis, quàm bona fortunæ, vt patet ex citando *Proverb. 22.* Nec obstat, quòd illegitimi per leges inhabilitentur ad successionem in hæreditate. Quia intelliguntur, quando res est notoria, nec adest periculum infamiæ, vel gravioris mali, vel nisi damnum aliter compensetur. *Resp.* 7. Si adulter adulteram ad adulterium seduxit, ipse in solidum obligatur ad omnia damna compensanda: eò tamen deficiente, adultera adhuc tenetur in solidum. *Ratio* 1. *p.* Quia adulter fœminam seducendo censetur hoc onus in se suscepisse. *Ratio* 2. *p.* est eadem, quæ pro *R. 2.*

* 27 *Resp.* 8. Probabilius est, quòd, licèt adultera nullo dictorum modorum possit damnum compensare, non teneatur proli, vel marito suum crimen revelare. *Ratio*: Quia in dubio melior conditio est possidentis: Sed mulier est in possessione suæ famæ, & semper, vel ferè semper habet rationem dubitandi, an sua revelatio sit profutura. Ergo. *Prob. min. pro* 2. *p.* Filius matri dicenti se esse spu-

rium,

rum, non tenetur credere, licèt hoc dicat extrellis, in mortis articulo, & post sumptam Eucharistiam, vt fatentur Canonistæ: Vndè est Regula Iuris: *Alleganti suam turpitudinem cum alterius præiudicio* (vt sit hic, cùm filius communi opinione sit legitimus) *nulla est habenda fides.*

* 28 *Resp.* 9. Quantacunquè sit hæreditas, mulier, si sit honestæ conditionis, & passim bonæ famæ, per se loquendo non tenetur cum famæ publicæ, vel vitæ periculo revelare crimen, licèt sit moraliter certa, sibi credendum, & damnum legitimis hæredibus avertendum. Ita habetur ex rescripto Innocentij III. *in cap. Officii, de pœnit. & remiss.* vbi generaliter dicit, absolvendam esse mulierem, quæ ignorante marito de adulterio prolem susceptt, idquè vi o fieri timet, & competentem satisfactionem per alterum Sacerdotem esse iniungendam. *Ratio:* Tum quia bonum famæ per se loquendo prævalet bonis fortunæ. Qui a *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ. Prov.* 22. Tum etiam, quia in casu extremæ necessitatis nemo tenetur restituere: Sed qui non potest restituere sine periculo famę, vel vitæ, est in extrema necessitate. Ergo.

Dixi 1. *mulier bonæ famæ*; si enim prudenti iudicio mulieris fama sit parvi momenti respectu hæreditatis, vt si iam sit suspectæ conversationis, tenetur cum periculo famę (si desit periculum corporis, & animę) impedire, ne illegitimus hereditarem capiat. Dixi 2° *per se loquendo non tenetur.* Quia per accidens tenetur. 1. Si hæreditas, v.g. Principatus, Comitatus, &c prudentum judicio plutis æstimetur, quàm fama fœminæ. Nam in certis circunstantiis bonum inferioris ordinis in æstimatione potest prævalere bono superioris ordinis. 2. Si periclitetur bonum commune, tenetur revelare etiam cum periculo vitæ, vt si spurius esset, hæresi, vel pessimis moribus imbutus; & velut primogenitus in principatu successurus, ruinæ cuius bonum commune, præsertim spirituale fidei, periclitaretur; legitimus verò esset Catholicus, & optimæ spei.

* 29 *Quomodò resolvis hunc casum*: Filius illè adulterinus, putativè legitimus, factus adultus vult nubere filiæ sui parentis adulteri, quæ est sua soror ex patre, quòd ipse nescit: quòd matrimonium esset nullum: ad hoc malum præcavendum tenetur me mater revelare, sive ante matrimonium, sive post matrimonium contractum, etiam contra parentum voluntatem? *Dico*: Imprimis certum est, quòd parentes id rescientes, nimirùm vterquè adulter, tenentur, adulterio non revelato, omni possibili modo hoc matrimonium impedire. Dein si aliter impedire non possint, tenentur saltem vni eorum scilicet filio, vel, si aliter fieri nequeat, vtriquè revelare *Ratio*: Quia convenientior modus ad tantum malum impediendum non occurrit; & faciunt parentes, quòd possunt.

Quid si Mater prolem expoluit? *Dico*: Si adultera sine instinctu adulteri prolem exposuerit, ipsa in solidum tenetur expensas solvere domui, vel hospitali prolem nutrienti. Si vterquè mutuo consensu sine inductione, tenetur vterquè iuxta sensum *R.* 2. *Ratio* patet ibidem: Si adulter adulteram ad id induxit, dicendum, quòd dictum est *R.* 7.

* 30 QUÆRO VII. Quando, & quomodò restituet, qui alium exteriùs damnificavit in bonis famæ, & honoris? Quid sit fama, quid honor, & quomodò quoad hoc mentaliter, seù interiùs iniuriando peccetur per iudicium, & suspicionem temerariam, vide suprà in hoc T. E. 1. n. 19. *& seq.*

Detractio.

* 31 *Nota* 1. Famam, & honorem alterius posse lædi facto, vt si ad iactum eius appendantur cornua; vel verbo, nimirùm per detractionem: quæ à S. Thom. *infrà q.* 73. *art.* 1. definitur, *quòd sit iniusta denigratio alienæ famæ per verba occulta.* Dicitur 1. *iniusta*; vndè non peccant, iudex legitimè reum damnans, testes iudicè deponentes, revelans alterius crimen, vt vitet damnum proprium; vel proximi, servato ordine fraternæ charitatis. Dicitur 2. *alienæ famæ*, hæc enim est obiectum detractionis; sicut alienus honor est obiectum contumeliæ, & detractor loquitur contra aliquem occultè, contumeliosus manifestè, ait S. Thom. *loco cit.* Dicitur 3. *per verba*, sive propriè dicta, sive æquipollentia, vt sunt nutus, gestus, scriptura, immò aliquando etiam silentium.

Contumelia.

* 32 *Nota* 2. Contumeliam ex dictis definiri posse, quòd sit, *iniusta dehonoratio, seù læsio honoris alterius per verba manifesta.* Contumelia fieri potest facto, ex animo iniuriandi procedente, v. g. fuste percutiendo, alapam infligendo. Dividitur in contumeliam strictè dictam, v.g. quando alteri obiciuntur crimina sua animo iniuriandi, vocando eum adulterum, sodomitam, &c. & in convitium, quòd fit alteri objiciendo iniuriam, quæ in eò peccatum non est, v g. eum vocando Iudæum, cæcum, claudum, &c. & in *improperium*, quòd fit injuriosè alteri objiciendo beneficia ab eò recepta.

Susurratio.

* 33 *Nota* 3. Iuxta S. Thom. *infrà q.* 74. *art.* 1 detractio differt à susurratione. *Susurro*, ait, *& detractor in materia conveniunt, & etiam in forma, sive in modo loquendi: quia vterquè malum occultè de proximo dicit. Differunt autem in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi, susurro autem intendit amicitiam separare*, seminando iurgia, & discordias. Vndè *art.* 2. docet, quòd susurratio sit gravius peccatum, quàm detractio, & contumelia; quia infert maius nocumentum, tollendo maius bonum, scilicet amicitiam, quia *amico fideli nulla est comparatio*, Eccles. 6. *Et amicus est melior, quàm honor, & amari quàm honorari*, ait ex Philosopho.

Nota 4. Detractionem per se, & ex genere suo esse peccatum mortale, iuxta S. Thom. *q.* 73. *art.* 2. *Nam susurrò alicui famam valdè grave est*, ait: *quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, in individuo tamen potest esse veniale*; vt ibidem explicat, & patebit ex dicendis. Et *art.* 3. docet, & probat, quòd detractio sit gravius peccatum furto, minùs tamen homicidio, & adulterio, ob maius, vel minùs nocumentum. Similiter *q.* 72. *art.* 2. docet, contumeliam, & convitium ex genere suo esse peccatum mortale non minùs ac furtum, & rapinam, quia (ait) homo non minùs amat suum honorem, quàm rem possessam; in individuo verò posse veniale esse, immo nullum peccatum, vt si tantùm materialiter proferantur sine animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, sicut Christus Apostolos

los vocavit stultos, & Apostolus Galatas insensatos: nisi modus excedatur.

Derisio.

* 34 *Nota* 5. Ex S. Thom. q. 75. *art.* 1. Speciale, & à prædictis distinctum peccatum esse derisionem. *Nam convitiando intendit quis convitiati honorem deprimere, detrahendo diminuere famam, susurrando tollere amicitiam; irridendo intendit quis, quòd ille, qui irridetur, erubescat*, ait S. D. Porrò *irrisio* (art. 2.) *non est nisi de aliquo malo, vel defectu, malum autem si sit magnum, non pro ludo accipitur, sed seriosè, si in ludum, vel risum vertatur, ex quò irrisionis nomen sumitur.* Aliquando iuxta S. D. est peccatum veniale, vt cùm quis iocosè parùm, vel de parvo irridetur, cùm ille parva erubescentia, nisi excitaret ex conditione personæ irrisæ. Quandoquè est mortale, vt cùm ideò, seù formaliter, & ex intentione iniuriandi in iocum quis deducitur, quasi non sit tanti, vt debeat æstimari, tunc enim fit maximus contemptus illius, & maior quàm in contumelia, & detractione; nam contumeliosus quidem deprimit honorem, detractor famam, irrisor tamen maiorem infert contemptum, pro fatuo, aut nihilo habens, aut haberi volens eum, quem irridet, vt erubescas inter homines comparere. Tantò gravius peccatum est irrisio, quantò maior reverentia debetur personæ, quæ illuditur, ait ibidem S. Thom. Videè gravissimum est irridere Deum, & sanctos, & hoc non est sine blasphemia. 2. Locum tenet irrisio parentum, deindè iudicum, ac virtuosorum, quia honor est virtutis præmium. Addi potest; si hæc inhonoratio fiat factis, vocatur illusio; si naso rugato, subsannatio; si verbis, aut cachinnis, derisio seù irrisio; quæ sunt species solùm materialiter distinctæ, quia conveniunt in fine per se respecto. His prænotatis.

* 35 *Resp.* 1. ad *Q.* 7. Honor, & fama iniustè ablata sunt restituenda cum omnibus damnis secutis, vti v. g. sunt privatio Officij, Beneficij, &c. *Ratio* patet ex dictis.

Resp. 2. Detractio famæ fieri potest directè, vel indirectè. Directè fit 4. modis, significatis hoc versu: *Imponens, augens, manifestans, in malo vertens.* Id est, 1. *Cùm* proximo imponitur falsum crimen. 2. *Cùm* verum crimen plùs iusto exaggeratur, & ampliatur. 3. *Cùm* crimen occultum manifestatur. 4. *Cùm* quis facta proximi apud alios interpretatur in partem deteriorem. Ubi sanè est peccatum iudicij temerarij.

Indirectè etiam fit quatuor modis hoc versu significatis: *Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.* Id est, 1. *Cùm* quis alterius benefacta, dotes, vel *merita* negat. 2. *Cùm* ea extenuat. 3. *Cùm* ea tacet illo tempore, & loco, quo taciturnitas acceptatur pro vituperatione, pro relati defectus confectus confirmatione, &c. 4. *Cùm* quis alium laudat frigidè, & simulatè. Ex his modis vnus est altero notabiliter gravior, proinde in Confessione exprimendus, & omnes obligant ad restitutionem famæ, & damnorum, si quæ sequantur. Quòd specialiter norent, qui proclives sunt ad narranda aliorum crimina, vera quidem, sed occulta, quæ absque rationabili causa, adeòque iniustè deteguntur, propter quæ si forsan infamatus privetur aliquo Officio, vel Beneficio, quòd obtinebat, tenetur infamator restituere pro quantitate valoris Beneficij, vel Officij, a[illegible]pei eius.

* 36 *Resp.* 3. Infamans sit diversis calibus potest excusari à mortali. *Primus* est, si malum sit veniale, vel si quidem in se grave sit, tamen respecta talis personæ prudentum iudicio est infamia levis, vt si de milite dicatur, quòd occiderit, vel duellaverit, vel si sit defectus naturalis, seu inculpabilis, vt sunt, esse cæcum, gibbosum, &c. nisi inde resultaret gravis contemptus. 2. *Si* persona, de qua dicitur, in tali genere iam sit infamis, vt si quis de publica meretrice dicat, quòd se prostituerit, licèt non sit verum. 3. *Si* non credatur detrahenti, vel quia est homo levis, fide indignus, vel putatur dixisse ex ioco. 4. *Si* fiat ex inadvertentia. 5. *Si* advertatur ad tales circumstantias, quæ impediunt infamiam, vt si malum narretur de alio non noto, nec vnquam cognoscendo. 6. *Si* narretur crimen, quòd iam est, vel proximè certè fiet notorium. 7. *Si* narretur malum cum crimine principali notorio connexum, &c. 8. *Si* defectus proximi manifestetur ex rationabili causa, *v. g.* ad avertendum grave damnum, vel publicum, vel proprium, vel alienum, quòd aliter averti nequit, vt si quis se fingat peritum medicum, cùm non sit, &c.

* 37 *Resp.* 4. Diversæ sunt causæ excusantes à restitutione famæ: 1. *Condonatio* ab infamato facta expressè, non enim sufficit implicitè, vt si patienter solùm toleretur. Hæc autem condonatio potest fieri à privato, cuius fama non est alijs alligata, seu ex cuius infamia non infamantur alij, sicut ex infamia Religiosi sequitur infamia Cœnobij. Vide in hoc *T. E. 2. n. 40. R. 4. 2. Necessitas*, vt si quis iniustè se infamet, ès infamiam aliter non possis avertere, nisi prodendo occultum eius crimen, non teneris pro hoc ad restitutionem, quia solùm est species quædam defensionis. 3. *Impotentia* moralis, vt si restituere nequeas sine amissione propriæ famæ longè præstantioris, nimirum si infamatus sit persona vilis, infamans verò celebris, & necessaria Reipublicæ, tunc enim sufficit, vel laudare aut restitutionem pecuniæ, aliove modo redimere. *Item* si nequeas sine periculo vitæ, ordinariè non teneris, quia vita est altioris ordinis, quàm fama. Dixi, *ordinariè*. Si enim in casu aliquo raro fama alicuius esset, vel simpliciter, vel ob circumstantias maius bonum, quam vita detractoris, *v. g.* si ex hoc immineret bellum intestinum, & civile, vel publicum, & huiusmodi, &c. teneretur restituere cum periculo vitæ. *Similiter* si quem infamasses de falso crimine, ob quòd ipse est morte plectendus, si aliter non possis, teneris te pro eius liberatione exponere periculo mortis, ne sis causa, vt innocens occidatur. 4. *Cessatio* damni, vt si fama alio modo, puta, per evidentiam rei, per testes, per sententiam iudicis, per oblivionem, &c. sit reparata. 5. *Compensatio*, vt si duo æqualiter se infamaverint, & conveniant inter se, vt vterque maneat cum sua infamia, nisi ex hac compensatione oriretur fortè scandalum. Pro quo tamen *Nota*, non licere compensare sibi infamiam, reciprocè infamando alterum. Quia non licet malum pro malo reddere. Si tamen id factum sit, modò infamia sit æqualis, non tenetur vnus restituere, nisi & alter restituat.

* 38 *Resp.* 5. Infamans à restitutione non deobligatur, licèt cum crimine narret infamati pœnitentiam, nisi pœnitentiæ relatio spectet ad Dei gloriam, vti est relatio evangelica peccati, & pœnitentiæ Petri, Magdalenæ, Pauli, &c. *Ratio*: Licèt pœnitentia sit eximium bonum, & ædificet proximum, tamen ex criminis infamatorij narratione

ne animis audientium imprimitur siniſtra opinio.

* 39 *Reſp.* 6. Non excuſatur à reſtitutione, qui alium diffamat, ideò, quia famam ſibi comparavit per hypocriſim; quę nihil nocet alteri. *Ratio*: Talis habet ius bonæ famę, & hypocriſis nocet ipſi ſoli.

* 40 *Reſp.* 7. Infamans ordinariè non excuſatur per hoc, quòd famam infamati augeat in alio genere. *Ratio*: Quia ordinariè per hoc non redditur æqualitas, *v. g.* ſi quem dixiſti eſſe fornicarium, adulterum, &c. & laudes eum à liberalitate. Dixi, *ordinariè*. Si enim famam eius ita auxiſſes, vt iudicio virorum prudentum facta ſit compenſatio, deobligaris.

* 41 *Reſp.* 8. Non excuſatur à reſtitutione, qui iniuriam ſibi factam, *v. g.* thori ſui violationem ſuo amico narrat cum animo detrahendi, & ſe vindicandi, immò mortaliter peccat. *Ratio* patet per ſe. Si verò illa relatio fiat doloris leniendi, auxilij, vel conſilij capiendi gratia, ſine nimia exaggeratione, & perſona non nominata, niſi quantum pro tuo ſolatio eſt neceſſe, non peccat. *Ratio*: Quia vtitur iure ſuo, ſolatium quærendo. Hinc qui iniuriam narraram intulit, imputet ſibi, quòd infametur apud talem conſolatorem.

* 42 *Reſp.* 9. Non deobligatur infamans in vno genere, per hoc quòd infamatus iam ſit talis in alio genere. *Ratio*: Quia per infamiam vnius generis non perdidit ius ad famam in alio genere virtutis.

* 43 *Reſp.* 10. Qui negat crimen verum, iuridicè probatum, ex qua negatione accuſans indirectè diffamatur, vt mendax, tenetur ad reſtitutionem famæ. *Ratio*: Quia facit iniuriam accuſanti, vtpotè crimen ſufficienter probanti. Dixi, *iuridicè probatum*; ſi enim tale non ſit, non tenetur retractare, ſed poteſt ſe defendere negando, vſque dum ſit probatum. De quo infrà *T.* 6. *E.* 5. *n.* 10. & 15.

* 44 *Reſp.* 11. Mortaliter peccat, & reſtituere tenetur, qui refert audita, vt audita, id eſt, ſine aſſertione, ſi referat tali modò, & nominatis talibus auctoribus, vt audientibus detur ſufficiens cauſa credendi malum de proximo. Secùs ſi non ſit probabile periculum credendi. *Ratio*: quia in primo caſu eſt efficax cauſa læſionis famæ proximi, ſecùs in ſecundo. Dixi, *vt detur ſufficiens cauſa credendi*; ſi enim ſine hac, & ſolùm ſimpliciter ſine animo diffamandi ea refert coram talibus, quos probabile eſt ex ſua levitate credituros, in re gravi peccat mortaliter contra charitatem tantùm, quæ dictat, *quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Et infamia per ſe ſequitur ex levitate audientium, ex relatione verò ſolùm per accidens.

* 45 *Reſp.* 12. Probabiliùs ordinariè graviter peccat, & reſtituere tenetur, qui occultum grave crimen aperit vni, vel duobus viris gravibus, & prudentibus ſilentium ſervaturis. *Ratio*: Tum quia vir prudens mallet ſuum delictum ſciri à 4. plebeiis, quàm ab vno vito gravi. Tum etiam quia bona fama apud vnum poteſt eſſe magnum bonum. Ergo eius ablatio eſt grave damnum. *Ant. prob.* Iudicium temerarium ex genere ſuo eſt mortale, & in re gravi eſt etiam mortale in individuo, licèt maneat internum, & apud ſolùm iudicantem tollat famam. Ergo.

* 46 *Oppone*: Fama eſt notitia publica. Ergo nemo eſt infamis ex hoc, quòd eius crimen ſciatur ab vno, vel duobus: *Diſting. conſ.* Non eſt infamis iuridicè, & in toto, *conc.* in parte; *neg.* Licèt ergo talis denigratio extenſivè ſit levis, quia non extenditur niſi ad vnum, eſt tamen grave malum abſolutè, & intenſivè. Dixi *in R.* 12. *ordinariè*. Exceptio enim eſt, ſi revelationem petat vtilitas Reipublicæ, vel peccantis, vt fiat ei correctio fraterna, vel alicuius tertij, vt antè dictum. Hinc ordinariè excuſantur coniuges, & filij, referentes patrifamilias peccata domeſticorum. Cavendum tamen ijs eſt, ne eà narrent pluribus, quàm ſit neceſſe.

* 47 *Reſp.* 13. Crimen notorium ſeu iure, vel facto publicum, iure quidem per ſententiam iudicis, vel per confeſſionem rei in iudicio, aut teſtium depoſitionem: facto autem, vt cùm in multorum præſentia eſt perpetratum, vel maiori parti vicinię notum, illud, inquam, narrare perſonæ, vel in loco, vbi non erat notum, non eſt contra iuſtitiam, immò nec contra charitatem, ſi deſit mala intentio, odium, &c. ſit verò periculum, ne homines cum eiuſmodi facinoroſis trarando paſsim decipiantur. *Ratio* 1. *p.* Ille diffamatur ſine iniuria, qui ius in famam perdidit: Sed ſic eſt in caſu poſito, vt conſtat. Ergo. 2. *Pars* patet ex dictis, quia ſic requirit bonum commune, vel proximi.

Dixi, *ſi ſit periculum, ne paſsim homines decipiantur*; ſi enim hoc non ſit, & ex narratione nullum commodum eveniat narranti, Reipublicę, aut proximo, & infamia veriſimiliter ad illum locum non eſſet perventura, vel nonniſi poſt longum tempus, poteſt mortaliter peccari, ſi fortè non contra iuſtitiam, ſaltem contra charitatem. *Ratio*: Licèt talis non habeat ius ad famam, poſsidet tamen eam in alio loco ſine fraude, & vllo damno alterius, & adhuc diù eam poſſediſſet. Ergo contra charitatem eſt ipſum ibidem fama ſpoliare ſine cauſa. *Quòd enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, vt ſuprà dictum eſt. *Ex dictis* colligitur, quam graviter peccent Religioſi, qui delictum Confratris ſui à Prælato ſuo iuridicè puniti, ac pœnitentiam impoſitam manifeſtant extra Clauſtrum. Qui meritò tanquam Monaſterij diffamatores, & deſtructores Ordinis ſeveriſsimè ſunt caſtigandi.

* 48 *Reſp.* 14. Detractio æquè eſt peccatum, ſi fiat mortuo, ac ſi vivo. *Ratio* patet ſuprà *E.* 1. *num.* 22.

* 49 *Reſp.* 15. Detrahentem inducere, animare, cum complacentia audire, aut tolerare, in re gravi eſt peccatum mortale reſpectivè cum onere reſtitutionis. Et eò graviùs, quò magis quis ex officio tenetur detrahentem compeſcere. Hoc explicat S. D. & probat hic q. 83. art. 4. in corpore dicens: *Sed eundem Apoſtolum ad Rom.* 1. *digni ſunt morte, non ſolùm qui peccata faciunt, ſed etiam qui facientibus peccata conſentiunt. Quòd quidem contingit dupliciter: Uno modo directè, quando ſcilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placeat peccatum. Alio modo indirectè, quando ſcilicet non reſiſtit, cùm reſiſtere poſsit. Et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placeat, ſed propter aliquem humanum timorem. Dicendum eſt ergo, quòd ſi aliquis detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire: unde fit particeps peccati eius. Et ſi quidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat ei detractio propter eius odium, cui detrahitur, non minùs peccat quàm detrahens, & quandoque magis. Unde Bernardus dicit: Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit non facilè dixerim. Si verò non placeat ei peccatum, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multò minùs quàm detrahens.*

& plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale, vel propter hoc, quòd alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum conſequens, vel propter radicem quia timor humanus quandoque poteſt eſſe peccatum mortale. Hæc S. Doct.

* 50 *Reſp.* 16. Quòd concernit modum reſtituendi famam, ſi quis alium infamaverit de crimine falſo, facilis & convenièns modus eſt, vt coram illis, qui detractionem ab eo audierunt, dicat ſic: *Quando hoc, vel illud de tali, vel tali dixi, deceptus id dixi, modò autem deceptum me invenio, & falſum eſſe, quòd dixi, eumque virum honeſtum agnoſco, &, quòd dixi, revoco.* Qua ratione vitabit ſuam, & compenſabit alterius infamiam. Quòd enim poſsit ſine infamia ſui dicere ſe fuiſſe deceptum, conſtat, quia ipſum peccatum deceptio quædam eſt. *Si autem dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* 1. Ioann. 1. v. 8.

Si verò quis alteri famam abſtulit dicendo verum, ſed iniuſtè, ſuavior præ cæteris, & convenientior modus eſt, ſi dicat: *Quando tibi delictum de tali dixi, putabam illud eſſe verum, ſed poſtquam diligenter inquiſivi, deprehendi me dixiſſe falſum.* Quo modo infamato reſtituit famam, nec infamat ſeipſum; nulla enim infamia eſt dicere, ſe de alio dixiſſe aliquid falſum, incalpabiliter exiſtimando eſſe verum. Nec mentitur ſic dicendo. Nam verum erat; quòd, & quando dixit. Item verum eſt, quòd tunc dixerit falſum, quia invenit ſe id dicendo peccaſſe, & peccaſſe, & peccatum dixiſſe; peccata autem in Scripturis vocantur falſitates.

* 51 *Reſp.* 17. Potiſsimus modus reſtituendi honorem per contumeliam ablatum eſt veniæ petitio. *Ratio*: Contumeliæ, & convitia, quibus honor auferetur, ſunt ſigna contemptus, in iſtiquè ſe homo gerit, vt ſuperiorem deprimens alterum, & ipſe econtra per veniæ petitionem ſe humiliat, & deprimit, & alterum honorat. Ergo.

Nota, tamen, hunc modum non eſſe neceſſarium in Prælatis, de quibus S. Auguſt. in Regula, ait: *Non à vobis exigitur, vt à vobis ſubditis veniam poſtulatis, ne, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Petenda tamen eſt venia ab omnium Domino, qui novit, quos plus iuſtè forte corripitis, quanta benevolentiæ diligatis.* Vti nec in Magiſtris, & Viris Illuſtribus, in ijs enim ſufficiunt ſigna benevolentiæ, ſalutatio, benevola allocutio, &c. Interdum etiam contumelia poteſt eſſe tam gravis, vt neceſſaria ſit alia compenſatio, vt ſi quis alium iniuriosè fuſte, vel baculo percuſſerit, &c.

* 52 QUÆRO VIII. Cum quanto periculo, vel damno ſuo tenetur detractor ad famę reſtitutionem? *Reſp.* 1. Ordinariè non eſt obligatio reſtituendi famam proximo cum periculo vitæ. *Ratio*: quia vita eſt bonum ſuperioris ordinis quàm fama. Dixi *ordinariè*. Nam ſi quis proximum iniuſtè infamando vitæ periculo expoſuit, tenetur ei famam cum pari periculo reddere, vt patet *ad Q.* 7. *n.* 4. circa tertiam cauſam excuſantem.

Reſp. 2. Qui alium de falſo crimine infamavit, tenetur cum æquali ſuæ famę diſpendio reſtituere. *Ratio*: Qui iniuſtè damnificavit, tenetur ex lege iuſtitiæ damna compenſare, etiam cum factura bonorum eiuſdem ordinis. *Nota*, hæc intelligenda eſſe de infamia formali, & mortali; ſi enim ſit materialis ſolùm, aut venialis ex inadvertentia, non eſt obligatio reſtituendi cum tanto damno.

* 53 *Quomodò* reſtituere tenetur famam is, qui eam alicui abſtulit per libellum famoſum ad valvas Eccleſiæ, vel curiæ affixum, vel in plateis ſparſum, aut etiam per externum publicum ſignum, vt cornua apponendo ad alterius ianuam, quòd eſt graviſſimum peccatum in genere detractionis, propter quàm in foro ſpirituali incurritur excommunicatio, in foro civili pœna capitis? *Dico*: Tenetur ad publicam reſtitutionem, vel ſcripto, vel voce Præconis. *Ratio*: quia gravem illam infamiam (cuius eſt cauſa efficax) aliter tollere nequit.

* 54 *Oppono*: Per illam publicam (voce præconis) reſtitutionem ille diffamatus adhuc magis diffamabitur, quia, qui antè non ſciebant, reſcient. *Ad hoc R.* ſi ſint tales circunſtantiæ, in quibus hoc prudenter iudicetur, diffamator tenetur in conſcientia infamatum interrogare, ſive per ſe, ſive per alium, quis modus reſtitutionis ipſi placeat: cui reſolutioni (ſi poſsibile ſit eam exequi) tenetur parere. Vide tamen cauſas à reſtitutione famę excuſantes, aſſignatas pro *R.* 4.

Obligatio reſtituendi famam tranſitne ad hæredes, vt illi teneantur verbis revocare; quòd detractor dixit, vel aſſerere eum fuiſſe mentitum? *Negativè dico*; tenentur tamen compenſare damna ſecuta. *Ratio*: quia prima obligatio eſt perſonalis, altera realis.

* 55 QUÆRO IX. Licetne tibi infamare teipſum, etiam falſum crimen fatendo, vel alterum, nimirum tuum accuſatorem, eius occultum crimen extraiudicialiter detegendo, vt tu evadas gravia tormenta? *Reſp.* 1. Ex iuſta cauſa, v. g. propter humilitatem; ob Chriſti exemplum, ad fugiendos honores, & dignitates, &c. ſe ipſum infamare, v. g. ſuum crimen, quòd nulli homini eſt notum pandendo, vt pœnam luat: vel etiam infamiam impoſitam tolerare, licitum, & meritorium eſt. *Ratio*: Homo eſt dominus famæ, vt probatum eſt ſuprà in *E.* 2. *n* 40. *vbi citat.* S. Thom. benè expendendus. Item bonum minùs, laudabiliter expellitur pro bono maiori: Sed fama eſt minùs bonum bono virtutis. Ergo.

* 56 *Reſp.* 2. Sine iuſta cauſa ſe infamare in levibus eſt leve, in gravibus eſt grave peccatum prodigalitatis. *Ratio*: Quia eſt irrationabilis profuſio tanti boni, quòd eſt meliùs quàm divitiæ multæ. *Reſp.* 3. Infamare ſe de peccato atroci, & grandi, v. g hæreſi, crimine peſsimo, &c. vel complacendo in peccato, vel per ſuam infamiam alijs dando ſcandalum; Item in tribus caſibus ſuprà in hoc *T. E.* 2. *tit. n.* 40. exceptis, eſt peccatum mortale; aliquando contra charitatem, aliquando contra iuſtitiam ſimul. *Ratio* per ſe conſtat.

* 57 *Reſp.* 4. Probabiliùs eſt, mortaliter peccare eum, qui metu tormentorum, etiam graviſſimorum, fatetur crimen à ſe non commiſſum, ob quod mutilatione, vel morte punietur; reſtetur què retractare; licèt tormenta renovari præſumat. Notent hoc Confeſſarij eorum, qui ad torturas trahuntur. *Ratio*: Homo ex nullo merito poteſt licitè cooperari poſitivè ad deſtructionem vitæ, & membrorum, quia non eſt eorum dominus, ſicut eſt famæ: Sed per confeſsionem criminis non commiſsi, homo poſitivè cooperaretur ad deſtructionem vitæ, & membrorum ſuorum. Ergo. *Min. patet*: Quia indueret iudicem ad infligendam pœnam capitis, vel mutilationis.

Ex his ruit fundamentum Adverſariorum dicentium: 1. Non eſſe gravem obligationem tuendi vi-

tam

tàm cum tanto dolore, vtpotè, qui durior eſt morte ipſa. 2. Hominem illum non tam mortem ſibi procurare, quàm ex iuſta cauſa ſe interficiendum exponere, vt nimirùm celeri morte, redimat tormenta ipſa morte graviora. Sicuti (dicunt ipſi, ſed ego nego) non cenſetur homicida, qui ſe hoſtium telis, vel gladijs interficiendum exponit, ne in miſerrimam ſeruitutem abductus graviſſima tormenta patiatur. Nec ille, qui iudicem rogat, vt ſe potiùs interficiat, quàm tantis tormentis cruciet. Dixi *in R. 4. crimen non commiſſum*, non enim peccat fatendo commiſſum, licèt ſit occultum, morte dignum, etſi non ſit probatum: licèt enim remotè det anſam ſuæ morti eam tamen non ſubibit, vt innocens, ſed vt nocens.

* 57 *Reſp. 5.* Si alicui iniuſtè inferantur tormenta valdè gravia, aut certò ſint inferenda, nec ſit aliùs euadendi modus, niſi prodendo occultum verè commiſſum grave delictum teſtis, vel accuſatoris, in probabiliori ſententia poteſt illud detegere, licèt iuridicè de eò non interrogetur, & alter ob hoc fame, aut vitæ periculo exponatur: quamvis ex ignorantia invincibili accuſaverit, vel teſtem egerit. *Ratio*: Tum quia homo non tenetur cum tanto ſuo diſpendio ſervare vitam, vel famam alterius. Tum quia alteri non aufert vitam, nec infamat poſitivè, neque eius malum intendit, ſed ſolùm vtitur iure ſuo ad ſui defenſionem, & quidem, vt ſupponitur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Excepiò eſt*, ſi revelatio eſſet contra bonum commune Reipublicæ: Eadem etiam revelandi obligatio curreret ad impediendum grave damnum proximi, ſive corporale, ſive ſpirituale, v. g. ſi homicidium imponeretur Innocenti.

EXAMEN VI.

De Reſtitutione in ſpecie quoad bona fortunæ, nimirum quid, cui, activè, & paſſivè: de ordine, quò: & de tempore, quò: de culpa, ex quâ reſtituendum ſit: ac de cauſis à reſtitutione excuſantibus.

De quo S. D. 2. 2. quæſt. 62. ab art. 3. uſque ad 8. inclusivè.

* 1 QUÆRO I. Sufficitne reſtituere ſimplum? Senſus eſt, an ſit obligatio reſtituendi plus, quàm ablatum eſt? *Reſp. 1.* Cum S. Thom. *hic art. 3.* Antequàm quis ſit condemnatus per iudicem, ſatisfacit reſtituendo ſimplum, ſed non tenetur reſtituere plus, quàm accepit, ſed poſtquàm condemnatus eſt, tenetur & pœnam ſolvere. *Ratio 1. p.* Quia ſic ſufficienter reparatur æqualitas læſa. *Nota* tamen, ſi res ſit fructifera, etiam fructus rei eſſe reſtituendos, deductis neceſſarijs expenſis. De quò poſteà. *Ratio 2. p.* Iudex condemnando poteſt aliquid amplius imponere loco emendæ, & pœnæ: Sed reus iuſtæ iudicis ſententiæ tenetur parere. Ergo. Hinc Exod. 22. pro Veteri Lege legitur: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinquè boves pro una bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove.*

Oppone contra 1. p. Luc. 19. Zachæus dixit ad dominum: *Si quem defraudavi, reddo quadruplum.* Ergo non ſufficit ſimplum. *Ad hoc* S. D. hic *ad 2.* ait: *Zacchæus id dixit; quaſi ſuperrogando voluit. Vnde; & præmiſerat: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

* 2 *Reſp. 2.* Cum S. Thom. *art. 4. in c.* Qui aliquem damnificat, auferendo, quòd actu habebat, v. g. diruens domum eius, tenetur damnum compenſare, reddendo æquale, v. g. quantum domus valet. *Ratio* patet ex naturâ iuſtitiæ commutativæ. *Reſp. 3.* Cum S. D. ibidem: Qui damnificat aliquem impediendo, ne adipiſcatur, quòd erat in via habendi, non tenetur compenſare ex æquò, ſed arbitrio prudentis, iuxta quantitatem ſpei, ac conditiones perſonarum, & negotiorum. *Ratio* S. D. Minùs eſt habere aliquid in virtute, quàm in actu: Sed qui eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundùm virtutem, & poteſtatem. Ergo. *Nota* tamen, quod interdum poſſit aliquid haberi in potentia tam propinqua, vt æquivaleat ei, quòd habetur actu, & tunc reſtitutio debet fieri ex æquò: interdum verò in potentia remotiori, & iterùm remotiori, & tunc non eſt reſtituendum ex æquò, ſed habita ratione periculi, vel ſpei.

* 3 *Ex quò reſolvuntur hi caſus*: Qui iniuſtè, id eſt, non ob Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatem, ſed ex odio, vindicta, intentione nocendi proximo, &c. impedit ne Præbenda detur digno, conſulens quòd non detur (antequàm ſit firmatum, quòd ei detur) tenetur quidem ad aliquàm compenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotij, ſecundùm arbitrium prudentis viri, non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri: ſi verò iam firmatum ſit, quòd alicui detur Præbenda, idem eſt, ac ſi iam habitam auferret: & ideò tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundùm ſuam facultatem. Hæc S. D. *art. 2. ad 4.* Quòd dixi de Præbenda, intellige etiam de alio officio.

2. Qui pedibus, curru, vel alio modò deſtruit gramina, ſemina, vel ſegetes agrorum, hortorum, &c. tenetur reſtituere, non quantum valerent ſi iam eſſent demeſſa, & horreo invecta, nec ſolùm quanti ſecundùm ſe valent eò tempore quò conculcantur, ſed quanti æſtimantur omnibus conſideratis & deductis expenſis in eorum collectione faciendis. Vt patet ex S. Thom. *art. 4. ad 1.*

3. Si debitor detineat pecuniam creditoris vltra præfixum terminum, ex quò creditor incurrit damnum, quò ei ſubtrahitur aliquid, quòd actu habet, vel habere debet, v. g. ſi pecunia eget, & ex debitoris morâ agrum, vel domum vendit minùs quàm valeat, vel accipit pecuniam ſub vſura, debitor tenetur damnum reſarcire ex æquò. Si verò damnificetur in lucro, quòd habuiſſet ex elocatione rei ablatæ, v. g. equi, vel ex pecunia negotiationi, vel cenſui exponenda, præter pecuniam reſtituendum etiam eſt lucrum ceſſans, non ex æquò, quia ſolùm eſt in potentia, ſed ſpectatis circumſtantijs iuxta S. Thom. *loco mox citato.*

* 4 *Oppone*: Probabilè aliquem teneri etiam reſtituere id, quòd non accepit: Ipſe Deus Matth. 25. de ſe dicit: *Stibas*, &c. *Quòd mero, ubi non ſeminaſti, & congrego, ubi non ſparſi.* Ergo idem eſt de homine, quia iuſtitia humana derivatur à divina. Ad hoc S. D. *art. 4. ad 3.* ait: *Verbum illud, vel intelligitur ſecundùm pravam exiſtimationem ſervi pigri, qui exiſtimabat ſe ab alio non accepiſſe*, vt ly *ſtibas* ſignificet idem, quòd exiſtimabas, tibi Imaginabatis. *Vel intelligitur quantùm ad hoc, quòd Deus requirit à nobis fructus donorum, qui ſunt & ab eò, & à nobis, quamvis*

vis ipsa dare à Deo sint sine nobis. Requirit ergo à nobis non solùm eà, quæ actu in nobis sunt, sed & quæ virtute, seù quæ facere possumus, & tenemur; & non solùm, quæ actu facimus.

* 5 QUÆRO II. Quid censes de eò, qui possidet rem furtivam, sive bona, sive mala fide acquisitam? *Resp.* 1. Communis est sententia, quòd de re furtiva, quæ vel in se, vel in suo æquivalenti (puta in lucro, ex quò factus est ditior) extat, possessor bonæ fidei teneatur totum, & non plus restituere verò domino, dum eum cognoscit. *Ratio*: Quia possidet, quòd non suum, & scit cuius sit. *Resp.* 2. Qui sic restituit, iure non potest à domino repetere pretium à se furi pro re furtiva solutum. *Ratio*: Quia aliàs ille dominus emeret rem suam. *Resp.* 3. Si possessor bonæ fidei rem furtivam iusto pretio emptam stante bona fide æquali, vel minori pretio vendidit, nihil tenetur restituere. *Ratio*: Quia tunc apud eum res nec in se, nec in æquivalenti extat. Si verò vendidit maiori pretio, tenetur restituere illum excessum, seù lucrum. *Ratio*: Quia in eò res æquivalenter extat.

* 6 *Sed quid* si ille excessus præcisè sit fructus industriæ? *Dico*, ad nihil teneri, quia res in eo non extat equivalenter, cùm non sit fructus rei, sed specialis laboris. *Quid si* rem furtivam bonæ acceperit, & bona fide vendiderit? *Dico*, teneri domino reddere totum pretium: quia in eo res æquivalenter extat. *Excipe* si dominus rem suam aliter recipere possit.

* 7 *Resp.* 4. Qui sciens, vel dubitans rem esse furtivam, modico eam comparat pretio, eo animo, vt illam restituat vero domino, potest pro sua industria ab eo hoc modicum pretium repetere. Si verò eodem animo eam comparat iusto pretio, non potest totum pretium repetere, sed solùm partem quam arbitrio prudentum promeritus fuit. *Ratio*: Quia emptor in primo casu vtiliter gessit negotium domini, non verò in secundo. *Resp.* 5. Qui emit rem furtivam bona fide, seu nesciens, postea verò cognoscens esse furtivam, vt se indemnem servet, potest recepto pretio licitè eam furi reddere, si moraliter sit, furem esse restituturum, vel dominum eam facilè à fure recuperaturum. *Ratio*: Quia ille emptor hac ratione vtitur iure suo ad consulendum suæ indemnitati, & consulit famæ furis.

* 8 *Resp.* 6. Maior difficultas est, si in eo casu dominus periclitetur de re sua furi reddita. In quo tutior, & probabilior, contra alios Thomistas, est sententia *Caietani, Ioann. à S. Th. Medina, Sylvest.* &c. quòd tunc emptori non liceat rescindere contractum cum fure, & rem illi reddere recepto pretio, sed teneatur reddere domino: vti colligitur ex S. Thom. hic art. 6. in c. dicente: *Aliquis ratione rei acceptæ tenetur eam restituere, quamdiù eam apud se habet, quia quòd habet vltra id, quòd suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest, secundùm formam iustitiæ commutativæ. Subsumo*: Sed emptor ille habet vltra id, quòd suum est, & hoc deest vero domino. Ergo huic debet dari, & emptori subtrahi. *Ratio* 1. Æquè illicitum est rem alienam invito domino destrahere, vel vsurpare, quàm occupare, vel retinere: sed ad consulendum propriæ indemnitati non licet rem alienam invito domino occupare, vel retinere. Ergo nec distrahere, vel vsurpare, quòd tamen fieret in eo casu. Quòd autem dominus rei sit invitus, patet: quia non tenetur cum suo periculo consentire, vt ille emptor rem retineat, aut furi reddat. *Ratio* 2. In causa accusationis iudex rem adiudicaret vero domino, & dominus posset secluso scandalo occultè rem emptori licitè subtrahere. Ergo & emptor tenetur eam domino reddere, habet tamen actionem contra furem, ab eoque pretium repetere potest. *Ratio* 3. Emptor rei furtivæ salva conscientia non potest eam è statu meliori redigere in deteriorem, sicut qui rem alienam ex igne salvavit, peccat eam iterum injiciendo igni: Sed rem furtivam à fure emendo, emens eam posuit in meliori statu, quia sic facilius potest redire in manus sui domini. Ergo non licet eam redigere in statum deteriorem, quòd fit eam furi reddendo.

Ad hanc 3. *Rationem* Adversarij distinguunt *mai.* Non potest redigere positivè, vt fit in exemplo de igne, *conc.* permissivè, vt fit in præsenti, *neg.* Unde dicunt, quòd nemo cum suo damno gravi teneatur conservare rem proximi, & à damno proximi (ad quòd solùm se habet permissivè) excusetur per hoc, quòd consulat suæ indemnitati, quam alieno damno potest præferre. Sed *Contra*: Emptor rem furi reddendo, positivè rem alienam vsurpat, & distrahit domino rationabiliter invito. Ergo positivè cooperatur damno eius. *Confirmatur* hæc doctrina, tum ex illa Iuris Regula: Locupletari non debet aliquis cùm alterius iactura: tum ex illo Iuristarum axiomate postea in *R.* 3. *ad Q.* 4. explicando: *Res aliena semper clamat ad dominum.*

* 9 *Oppono* 1. contra *R.* 6. Iniquum est, quòd possessor bonæ fidei eandem habeat obligationem restituendi rem furtivam, quam habet possessos malæ fidei: Sed hoc sequitur, vt patet. Ergo. 2. *Nemo* cum proprio gravi damno tenetur procurare alterius vtilitatem, nisi obligetur ex officio, contractu, quasi contractu, vel delicto: Sed emptor in nostro casu patitur damnum, & ex officio, vel contractu, aut delicto non tenetur. Ergo. 3. *Contrà* cum fure initus est iniquus. Ergo emptor potest eum rescindere. 4. *Si à fure* auferam librum animo restituendi eum domino, fur verò vicissim alium à me auferat, nec restituere mihi velit, nisi recepto priori libro, possum licitè furi reddere librum furtivum, vt me servem indemnem. Similiter ex eadem causa indemnitatis rem alienam in platea inventam possum in eodem loco reponere, dum adverto eius retentionem mihi esse damnosam. Ergo similiter.

Ad 1. *neg. min.* Quia emptor malæ fidei tenetur restituere non solùm ratione rei acceptæ, sed & ratione iniustæ acceptionis, & graviter peccavit rem furtivam scienter emendo *Ad* 2. *dist. mai.* In his, quæ sibi sunt propria, *conc. mai.* quæ sunt aliena, *neg. ma.* & sic *dist. min. neg. cons.* Sicut commodatarius, ipso termino commodati, & cum proprio damno, si id sequatur, tenetur restituere, si dominus ex non restitutione patiatur damnum. Nec maior est vniversaliter vera, quia etiam Adversari concedunt, quòd dictus emptor cum suo damno teneatur rem reddere domino, si non possit furi. Paulò aliter dici potest, quòd emptor teneatur ex iustitia esse procurator boni alterius, non quidem per se, sed per accidens, ratione rei alienæ, quam apud se habet, sicut & damnum, quòd patitur, est per accidens, & ipsi imputandum, quod cum incapaci contraxerit. Dein, etiam ex charitate; quæ dicitur in tali casu alteri faciendum, quòd mihi vellem fieri: Sed rem furto à me ablatam vellem mihi ab emptore reddi, etiam cum iactura pretij ab eo dati. Ergo. *Ad* 3. *dist. cons.* Si non cederet in damnum alterius, *cons.* secus, *neg.* Ex hoc ergo, quòd contractus sit iniquus, solum sequitur, quòd emptor bonæ fidei possit iure

agere

agere contra furem; & ab eo repetere pretium. Ex quo ſequitur, quòd licèt emptor bonæ fidei nullam domino rei fecerit iniuriam emendo eam; facit tamen eam poſteà invito domino vſurpando, ac diſtrahendo. *Ad 4.* R. admitto vtrumque caſum, ſi illa reddititia libri; & repoſitio rei in plateâ fiat ſtatim, quaſi in inſtanti, puta morali, quia tunc moraliter loquendo rem nondum habuiſſe cenſendus eſt; nec per brevem moram domino infertur gravis iniuria. Et idem admittitur in noſtro caſu. Verùm in his omnibus rei emptæ, & inventæ præſtantia, & aliæ circumſtantiæ ſunt conſiderandæ, & ſecundùm eas iudicandum.

* 10 QUÆRO III. Quid ſentis de reſtitutione fructuum rei furtivæ? *Ante R. Nota*, fructus alios vocari meræ induſtriæ, alios ipſius rei. Primi ſunt, quos ipſa res ex ſe nullatenus progignit; ſed ſpecialis labor operantis, vel negotiantis, & res ſolùm concurrit, vt materia, vel inſtrumentum eius. Sicut lucrum, quòd negotiando acquiritur ex rebus vſu conſumptibilibus, *v. g.* pecuniâ, frumento, vino, &c. non ipſarum rerum; ſed induſtriæ fructus eſt. Fructus rei alij ſunt purè naturales; quos natura nullo, vel vix vllo hominum labore concurrente, producit, *v. g.* animalium fœtus, arborum poma; camporum gramina, herbæ; &c. Alij ſunt mixti, qui proveniunt partim ex natura, partim ex labore; *v. g.* ſegetes, alijque fructus, qui ſerendo gignuntur. Item caſeus, vinum, oleum, lana, &c. Huc reducuntur præmia domorum, iumentorum, elocatorum, qui fructus ciuiles vocantur, non quòd propriè fructus ſint, ſed conſtituti iure ciuili ad ſimilitudinem fructuum. Hoc notato

Reſp. 1. Communis ſententia eſt, quòd fructus, vel potiùs lucra, quæ ſunt meræ induſtriæ, non ſint obnoxia reſtitutioni, ſed pleno iure ſpectent ad poſſeſſorem ſive bonæ, ſive malæ fidei. *Ratio*: ſicut fructus rei ſequitur rem, & dominum eius, ita fructus induſtriæ, ſeù lucrum ſequitur induſtrium operarium. Ergo. Ex quò fit, quòd qui aſſeno inſtrumento efficit artefactum, teneatur quidem domino reſtituere inſtrumentum, & æſtimationem vſus eius, non tamen ipſum artefactum.

Reſp. 2. Poſſeſſor bonæ fidei tenetur domino reſtituere omnes fructus ſive meræ naturales, ſive mixtos adhuc extantes; poteſt tamen deducere expenſas, & æſtimationem laboris. Si dictos fructus conſumpſit, tenetur reſtituere in quantum ex ijs ditior factus eſt. *Ratio* 1. *p.* Quævis res domino ſuo fructificat. *Ratio* 2. & 3. *p.* eſt: Quia vt habet ante adducta Regula *Iuris* 46. *in* 6. Locupletari non debet aliquis cum alterius iactura.

Reſp. 3. A fortiori ad idem tenetur poſſeſſor malæ fidei. Qui inſuper tenetur in conſcientia reſtituere fructus, quos dominus rei ex eâ percepiſſet, licèt poſſeſſor de facto non perceperit; vti & illos, quos poſſeſſor percepit, licèt dominus nunquàm percepiſſet. 1. *Pars* patet ex dictis. *Ratio* 2. *p.* Malæ fidei poſſeſſor tenetur compenſare quodcunque damnum iniuſtè illatum. Ergo. *Ratio* 3. *p.* eſt eadem, quæ pro 1. *p.* R. 1.

Quid ſi poſſeſſor bonæ fidei iam compleviſſet tempus vſucapionis, ſeu præſcriptionis? *Dico*: Iam factus eſt dominus fructuum, poteſtque eos retinere. De quò ſuprà actum eſt de præſcriptione. *E.4. n.2. & ſeq. Quid ſi* per præſcriptionem fiat dominus fructuum, ſine eò ipſo & fundi? *Dico*, negativè: Quia ad vſucapionem fructuum, vtpotè rerum mobilium, ſufficit triennium, ad vſucapionem verò fundi vehe rei immobilis, requiritur longius tempus, de quo ſuprà ibid.

* 11 QUÆRO IV. Cooperantes damno tenenturne reſtituere? *Reſp.* 1. Directè, vel indirectè, efficaciter tamen, ſeù executivè (id eſt ſic, vt probabiliter æſtimari poſsit, ex eorum cooperatione damnum eſſe ſecutum) cooperantes damno proximi, ad reſtitutionem tenentur; licèt de re ablata nihil acceperint. *Ratio*: Quia ſunt cauſa efficax damni, ſeù iniuſtæ acceptionis. *Et digni ſunt morte non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Rom. 1. Ex quò S. D. infert: *Ergo pari ratione etiam conſentientes debent reſtituere.*

Reſp. 2. Modi, quibus quis poteſt ad alterius damnificationem cooperari, indicantur his Verſibus:

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus; Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Primi ſex modi ſunt *directi*, & poſitivi, fiunt enim præcipiendo, recipiendo, auxilium præbendo, &c. Reliqui tres ſunt *indirecti*, & negativi, quia fiunt diſſimulando, tacendo, non revelando, non impediendo, &c.

Explicatur Verſus.

* 12 *Iuſſio*, ſeu Mandatum, vel expreſſum, vel tacitum, vt ſi coram ſubditis, vel alijs quis conteſtetur, gratum ſibi fore. Qui modus eſt efficaciſſimus. Si tamen mandans ante factum revocaverit ſuum mandatum, eiuſque revocatio mandatario, vel mandatarijs innotuerit, non tenetur de damno dato. *Quid ſi* quis nulla facta iuſſione factum ſolùm ratihabeat? *Dico*: Non teneri, niſi per illam ratihabitionem ſit cauſa iniuſtæ detentionis, vel non reſtitutionis.

Conſilium: ſi nimirum quis efficaciter ſuadeat, vt alterum damnificet, ſeu honetur, inſtruat, promiſſis alliciat, rationes nocendi proponat. Hic ſeruiunt ea, quæ dicta ſunt ſuprà de conſilio *T. 7. E. 7. n. 66. R. 1. & 2. & in R. ad 6.* caſum. *Conſenſus*: id eſt, efficax approbatio, vt fiat *v. g.* ſuffragium in electione indigno datum, ſine quo fuiſſet electus. *Palpo*: id eſt, qui laudando aliquem, à generoſitate *v. g.* allicit ad damnum inferendum; vel etiam deridendo, timiditatem exprobando, quaſi non haberet tantum cordis; aut contumeliam illatam exaggerando, &c. *Recurſus*: id eſt, fecipiens, occultans, protegens ipſum damnificantem, vel rem ablatam, vt eò ſecurius damna inferre poſsit; aut illa non reſarciantur. Huc etiam ſpectat Advocatus, malefactorem coram Iudice ſciens defendens, vt vlteriùs damnificare poſsit, vel vt iuſtitia impediatur. *Exceptio eſt*, ſi quis recipiat furem, non vt furem, ſed materialiter, vt amicum, vel conſanguineum. Licèt is à Magiſtratu, vel Lictoribus quæratur, modò non ſit cauſa per ſe vlterioris damni, aut iniuſtæ detentionis rei ablatæ.

Participans: nimirum vel in crimine, vt ſimul furando, vel inſtrumenta, *v. g.* clavem præbendo, ſcalas applicando, excubias in furto agendo, & tunc tenetur in ſolidum: quia eſt vera cauſa damni: vel participans in ipſa præda, ſeu furtiva, abſque omni cooperatione etiam morali ex prædictis quinque modis ad furtum; & tunc tenetur ad reſtitutionem huius partis. *Mutus*: Qui præcepto, prohibitione, minis, monitis, &c. damnum poſſet impedire, & non impedit, cùm tamen ex officio teneatur. *Non obſtans*: Qui ex officio tenetur auxilijs per ſe, vel per alios adhibendis damno obſtare, & non obſtat. *Non manifeſtans*, ſeu non revelans crimen, vel eius auctorem, cùm tamen poſsit, & ex officio ei incumbat; vel ex

officio ei incumbat, vel ex contractu, quasi contractu, pacto, iuramento, &c. Quia alij tenentur tales lum ex charitate damnum proximi impedire, contra quam etiam peccant graviter, non impediendo grave damnum. *Ex his* colligitur, quomodo peccent, & ad restitutionem teneantur custodes viarum, sylvarum, vineatum, vectigalium, &c. qui non denunciant eos, qui merces exportant, in aliena sylva lignantur, vineas diripiunt, vectigalia defraudant, &c. qui custodes damna illata tenentur resarcire, non tamen illas mulctas, quas Respublica à transgressoribus accepisset, si fuissent denunciati.

* 13 *Resp.* 3. Inter obligatos ad restitutionem est ordo. *Primò*, & ante omnes tenetur, qui obligatur ratione rei acceptæ, licèt eam consumpserit, mala tamen fide. Res enim aliena, quamdiù exstat sive in se, sive in æquivalenti, puta, fructu, vel commodò, quò alter factus est ditior, per se debetur, & vt dici solet, semper clamat ad dominum, etiam apud bonæ fidei possessorem. Post rei alienæ detentorem primo tenetur præcipiens, & omnis ille, qui cogendo, vel inducendo fuit causa damni. 2. *Executor.* 3. *Consulens.* 4. *Pulpo, seù adulator.* 5. *Consentiens.* 6. *Recipiens.* 7. *Non impediens, &c.* Omnes hi tenentur in solidum, vno tamen restituente, alij sunt liberi, à quibus tamen restituens repetere potest. Si omnes simul ad restituendum concurrunt, restituent pro rata, seù servata proportione partis.

Ex dictis sequitur, quòd si fur alicui det pecuniam, ne clamando, vel alio modo eum prodat, seù manifestet, is, qui pecuniam accepit, licèt graviter peccet contra charitatem, non tenetur tamen ad vllam restitutionem, nisi ex officio teneatur impedire furtum; vel nisi pecunia, vel alia res accepta sit pars furti. Hæc tamen sententia meritò dupliciter limitatur. *Primò*: si accipiens per expressam, vel tacitam sui silentij promissionem furem non reddat animosiorem, qui fuisset à furto deterritus, si pecuniam non acceptasset, tunc enim tenetur restituere tanquàm participans in crimine: de quò antea. *Secundò*, si fur pecuniam dederit, non animo donandi, sed accipientem ex iustitia obligandi ad silentium, cùm tamen lege charitatis teneretur manifestare. Quo in casu accipiens, vt damnum impediat, tenetur contractum rescindere, & furi restituere pretium (si tamen non sit pars furti, alias enim debet reddere domino rei) quia nemo potest subire obligationem ad peccandum.

Ex quò sequitur 2. Quòd, si sint duò famuli eiusdem familiæ, quorum vnus ex vi officij habet curam granarij, aut celarij, non alter, &c. primus solum teneatur ad restitutionem, si furta non impediat cùm possit, eo quòd teneatur ex iustitia ratione officij, alter verò solum ex charitate, graviter tamen, seu sub mortali obligante. Hoc tamen denuò merito limitandum est, nimirum nisi fur sit extraneus, tunc enim censeo, quòd quilibet famulus ex iustitia teneatur impedire damnum clamando, revelando, vel alia ratione: cà enim intentione, & pacto saltem tacito susceptus est à domino.

* 14 QUÆRO V. Cui facienda est restitutio, si dominus rei est ignorus, mortuus, vel multum distans? Reviendæ hìc sunt dicta in hoc *T. E.* 3. *n.* 28. *ad* 2. 10. de restitutione bonorum incertorum, seù peditorum, quia illorum dominus est ignotus, vti & aliquando est respectu bonorum ablatorum, aliquando quidem in particulari, & determinatè, non tamen in communi, vt cùm scitur rem deberi alicui, vel aliquibus ex tali communitate, sed non cui in particulari: aliquando verò etiam est ignotus in communi, vt cùm nec scitur Communitas, cuius sit membrum. Quò notato de bonorum ablatorum restitutione.

Resp. 1. Si dominus rei ablatæ sit tantùm ignotus in particulari, restituenda est communitati, vt mediante Magistratu, vel Parocho distribuatur ijs, quos iudicaverit habere maius ius ad eam. Si verò dominus etiam in communi sit ignotus, pro eius salute eroganda est pauperibus. Si autem sit dubium, an hic, vel ille sit dominus, iuxta dubij proportionem inter vtrumquè est dividenda, vel in sortem mittenda. *Ratio* 1. *p* est: Quia ex innato amore in patriam præsumitur hæc esse voluntas domini. Exemplum sit: si exercitus iniustè depræderatus sit aliquos oppidanos, in individuo ignotos, restitutio facienda est oppido, nisi fortè esset res exigui pretij, quæ non esset materia necessaria restitutionis, illa enim potest obvijs pauperibus dari. *Ratio* 2. *p* Quia sic habet communis vsus, & consuetudo Ecclesiæ, habens vim Legis. Et præsertim, quia æquum non est, vt quis ex iniquitate suu commodum reportet. Ex quo patet differentia inter ablata, & inventa, de quibus suprà in *E.* 3. *n.* 24. 3. *Pars patet*: Quia in eò casu non apparet convenientior modus restitutionis, quamvis enim in re dubia melior sit conditio possidentis, si tamen nullus possidet, non videtur convenientior modus, quam divisio rei, vel missio eius in sortem.

Resp. 2. Si dominus rei sit mortuus, restitutio facienda est eius hæredibus. Pro quò vide suprà de hæredibus. *Ratio* est: Quia illi computantur quasi vna persona cum domino. *Resp.* 3. Obligatus ad restitutionem ratione rei acceptæ tantùm, v. g. qui rem invenit, & conservavit, ne periret, vel possedit bona fide, putans esse suam, non tenetur propriis expensis eam mittere domino distanti sed satisfacit, si dominum moneat, quid de re sua fieri velit. *Ratio*: Quia talis nullum damnum intulit: Ergo æquum non est, vt suis expensis rem alienam mittat.

Resp. 4. Qui tenetur restituere ratione acceptionis sive iustæ, vt sit in mutuo, deposito, commodato, locato; sive iniustę, debet restituere, seu mittere suis expensis. *Ratio* 1. *p.* Quia talis accepit rem in proprium commodum. *Ratio* 2. *p.* Æquitas iustitiæ postulat, vt, qui damnum iniustè intulit, gravetur, & sibi imputare debet sumptus secutos.

* 15 QUÆRO VI. Potestne fieri restitutio per Confessarium, & quomodo? Item teneturne Confessarius in certis casibus loco pœnitentis ad restitutionem? *Resp.* 1. ad 1. *partem* Quæsiti affirmativè, si sit necesse ad servandam famam pœnitentis. *Ratio*: Quia sic sufficienter reparatur damnum Nota tamen, Confessarium non debere communiter, & promiscuè id in se suscipere; casu quo tamen id faciat, ab eo, cui restituit, accipiat attestatum, quòd à tali Sacerdote tali die tantam acceperit pecuniam pro restitutione, in eo tamen non nominetur principalis restituens, nec restitutio fiat eo loco, & tempore, vt possit veniri in suspicionem pœnitentis.

Resp. 2. Si Confessarius ex oblivione, vel malitia sibi retineret, quòd restituendum suscepit, principalis debitor id nesciens, non est liber à restitutione, habet tamen actionem contra Confessarium. *Ratio*: Iuxta S. Thom. *hic art.* 6. qui tenetur non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis, obligatur restituere, etsi res apud eum non maneat. Sed. Ergo. *Excipitur*, si creditor expressè consensisset in hunc modum restitutionis,

Resp.

Resp. 3. Confessarius, qui ex crassa, & affectata ignorantia neglexit monere pœnitentem de restitutione, tenetur ipsemet restituere. Ita Sylvius citans Rosellam, Angelum, Navarrum, Petrum Navarra, Sayrum. *Ratio est*: Quia, qui non impedit damnum, cùm possit, & ex officio teneatur, est causa damni non impediti, adeòque ad eius restitutionem tenetur, vt docetur *in* 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. Sed Confessarius, sive proprius, sive alius, ex officio tenetur pœnitentem restitutionis monere, & sic damno (quòd pœnitens rem alienam detinendo infert) obstare. Ergo.

* 16 *Oppono*: Confessarius ex officio non tenetur procurare bonum tertij. Ergo. *Ad hoc* benè dicit Sylvius, sufficere, quòd teneatur providere, ne is, qui in confessione sibi est subiectus, ullius rem iniustè detineat: quod exemplificat in Prætore, qui, si videat, quòd sui subditi noceant alteri sibi non subdito, & hoc non impediat cùm possit, tenetur ad restitutionem, etsi non teneatur procurarè bonum illius tertij.

Resp. 4. Si Confessarius ex oblivione, vel inadvertentia non moneat pœnitentem restitutionis, meritò excusatur, quia tunc propriè non est causa damni. Excusatur etiam Confessarius, si prudenter iudicet; pœnitentem, vtpotè litteratum, scire suam obligationem, nec indigere sua admonitione: ordinariè tamen, & apud plerosquè consultiùs est monere, quod tamen quandoquè valdè modestè, & quasi indirectè potest fieri, v. g. dicendo: Non dubito, quin dominus sciat suam obligationem, & sit paratus satisfacere, vnde ab vlteriore admonitione abstinere volens iniungo, vt oret pro salutari pœnitentia, &c.

* 17 QUÆRO VII. Quò ordine restituendum sit Creditoribus? *Ante R. Nota*, quòd Creditores alij sint *reales*, qui nimirum habent actionem, seù ius in re, vel ad rem debitoris; & vocantur *hypothecarij*, quia res aliqua assignatur pro securitate, quæ quando est mobilis, & in ipsa traditur, v. g. annulus, dicitur pignus. Si verò in ipsa non traditur, dicitur hypotheca, quæ propriè solùm est in re immobili. Alij verò sunt Creditores *personales*, qui directè habent ius in personam debitoris, in bona verò eius solùm indirectè, & vocantur *Chirographarii*, qui carent hypotheca, seù non habent rem aliquàm in speciè, vel in genere, nec expressè, nec tacitè sibi obligatam, sed solùm personam, vt patet in deposito.

Nota 2. Debita alia esse certa, seù de quibus est liquidum, quòd debeantur; alia incerta, de quibus non est liquidum, quia de iure, vel facto non constat. Certa iterùm sunt varia: Alia, quæ adhuc extant in propria speciè, v. g. commodatum, depositum, furto, ac rapina acceptum. Quibus etiam annumeratur res empta, sed nondum soluta, v. g. vinea; vel soluta quidem, sed ex pecunia mutuo accepta, cuius est quasi fructus, in eaquè extare dicitur. Alia, quæ in propria speciè, v. g. commodatum, depositum, furto, ac rapina acceptum. Quibus etiam annumeratur res empta, sed nondum soluta, v. g. vinea; vel soluta quidem, sed ex pecunia mutuò accepta, cuius est quasi fructus, in eaquè extare dicitur. Alia, quæ in propria speciè non amplius extant. Iterùm alia contracta ex delicto, v. g. furto, vel contractu vsurario: Alia ex iusto contractus, v. g. emptione.

Nota 3. Hypothecam aliam esse generalem, aliam specialem. Prima est, quâ pro securitate obligantur omnia debitoris bona. Secunda est, quâ solùm obligantur quædam particulares res eius; vt vinea, domus, &c. Item alia est expressa, quæ ex partium conventione verbo, vel scripto apponitur. Alia tacita, quæ non requisito consensu domini, seu debitoris in eorum Creditorum favorem imponitur à Lege. Talem hypothecam pupillus habet in bonis sui Tutoris, & pro dote vxor in bonis mariti. His notatis:

* 18 *Resp.* 1. Indubium est, quòd si debitoris bona sufficiant ad solvendum omnibus creditoribus, nullus ordo sit necessarius. *Ratio*: Quia tunc ex ordine prætermisso nullus Creditor damnificatur. *Resp.* 2. Si bona debitoris non sufficiant ad solvendum omnibus creditoribus, de quò casu hic est sermo, servandus est ordo sic, vt priùs solvantur debita certa præ incertis; & dubiis. *Ratio*: Quia creditores certi sunt melioris conditionis. *Resp.* 3. Inter debita certa debent priùs solvi eà, quæ adhuc extant *in* propria speciè. *Ratio*: Tum quia dominium non est translatum, vt patet in depositio, commodato, furato, immò & in empto sed non soluto, quia & hoc involvit conditionem, si fuerit solutum. Tum etiam quia valdè durum, & ab æquitate naturali alienum est, vt res propria alicuius, quàm alius ab eò emit non soluto pretio, adhuc extans, detur aliis creditoribus, & ipse & re, & pretio rei privetur. Ergo. Idem est, si quis pecuniâ mutuata, & non soluta emat bonum aliquòd immobile; cùm enim hoc sit quasi fructus pecuniæ debetur domino pecuniæ.

* 19 *Resp.* 4. Probabilius est, non esse obligationem conscientiæ, priùs solvendi debita ex delicto, v. g. furto orta, quàm ex contractu, v. g. emptione. Et hæc, teste Sayro, est praxis tribunalium. *Ratio*: Debitum ex delicto non est magis debitum, quàm ex contractu, & creditores in vtroquè casu habent æquale ius. Immò potest esse, quòd debitum ex contractu sit antiquius. Ergo hoc non potest iure postponi. *Nota* tamen, quòd si debitor sit sufficiens ad satisfaciendum omnibus, meritò debeat priùs restituere debita ex delicto; *v. g.* ex furto, rapina, vsura, &c. quia quamdiù iniustè rem detinet, & non restituit, dum potest, manet in affectu peccati iniustitiæ, & continuò peccat, ac dominus rei est magis invitus. Sic S. Thom. intelligitur, si objiciatur.

* 20 *Oppono* 1. contra *R.* 4. Ubi reparanda est maior iniuria, iniuriatus maius habet ius, vt sibi præ alijs satisfiat: Sed sic est in debito ex delicto, vt patet. Ergo. 2. *Qui* non potest recedere ab omnibus delictis, & debitis, debet priùs saltem à maioribus recedere: Sed rapina est delictum gravius furto, & hoc est gravius, quàm detentio rei ex licito contractu, & debitor non potest simul ab omnibus recedere. Ergo.

Ad 1. *neg. mai.* nisi fortè argumentum loquatur de satisfactione pro iniuria honori illata, & offensa Dei, sed illa est alterius rationis, & hic sermo est de restitutione rei ablatæ tantùm. *Ad* 2. *dist. mai.* Qui nec inadæquatè potest, transeat *mai.* qui potest saltem inadæquatè, *n. g. mai.* Et sic *dist. min. pro* 2. parte, *neg. conf.* In casu ergo nostro debitor ab omnibus debitis se expedire potest, ad quòd non requiritur, vt omnibus simul adæquatè satisfaciat, sed in ordine ad Deum debet dignam agere pœnitentiam pro peccato, & modis conuenientibus proximo pro iniuria, singulis pro rata, ac quota debitorum, & suæ substantiæ, reddendo tamen proportionabiliter, quantum vires suæ ferunt, *v. g.* debet Petro ter mille;

Pau-

Paulo bis mille, Ioanni mille, & tua bona solùm se extendunt ad tria millia, vt serves proportionem in creditorum iuribus repertam, primo solves 1500. secundo 1000. tertio 500. Ex his sequitur, quòd debitor ad gratificandum vni creditori non possit, alijs æquale ius habentibus exclusis, ei solvere, vti nec creditor potest recipere, sed vterque; tenetur ad restitutionem pro rata.

* 21 *Quid si* vnus creditor valde egeat? *Dico*: Hic est sermo de re secundùm se, an liceat? Hinc titulus paupertatis nec ex iure naturæ, nec ex iure positivo dat privilegium prælationis ad solutionem, & ideò alijs creditoribus æquale ius habentibus non licet præferre pauperem, nec gravi, nec extrema paupertate laborantem: Quia paupertas hominis non mutat ordinem iustitiæ, sed solùm provocat ad eleemosynam. Quòd autem pauper fortè patiatur plus damni, quàm alij creditores, ad summum probat, quòd possit ei paulò plusculum solvi, vel solutio accelerari, non autem cum aliorum creditorum damno possit solvi. Quia in re tamen debitor, præsertim si sit plebeius, per bonam fidem posset excusari gratificans magis egenti, qui tamen à Confessario est instruendus. Ex quo fit, quòd etiam creditores hunc ordinem scienter invertentes, & alijs prioritatem præripientes, mortaliter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Resp. 5. Creditores, qui habent hypothecam sive tacitam, sive expressam in bonis creditoris, præferuntur in solutione omnibus creditoribus chirographarijs, seu personalibus. *Ratio*: Hypotheca datur creditori ad securitatem, vt quocunque eventu possit ex ea curare sibi satisfieri, ita vt habeat & rem, & personam sibi obligatam, cùm tamen chirographarius habeat solam personam. Ergo hypothecarius habet plus iuris. Ergo est præferendus.

* 22 *Resp.* 6. Si concurrant plures hypothecarij, regulariter præferendi sunt, qui antiquiorem habent hypothecam. *Ratio*: Quia posterior obligatio non potest tollere ius alteri in re quæsitum, vnde est regula iuris: *Qui prior est tempore, potior est iure.* Quæ quidem posset etiam objici contra id, quòd dictum est de creditoribus, seu chirographarijs, sed explicatur, & intelligitur de solis hypothecarijs. *Dixi. Regulariter.* Qui in iure sunt variæ exceptiones, vt videre est in Layman de restit. *Iust. l. 2. t. 2. c. 13. n. 5.* vbi videantur.

Resp. 7. Post restitutionem eorum, quorum dominium non fuerat translatum in debitorem (*de quibus ante R. 3.*) primò solvendæ sunt expensæ funeris. *Ratio*: Necessitas sepulturæ iudicatur quasi extrema. Ergo alijs est præferenda. Huc reducuntur expensæ, quæ fiunt ad conscribendum testamentum, custodiendam supellectilem, & similia debita, præcipuè ratione defuncti famæ, *v. g.* ratione infirmitatis.

* 23 QUÆRO VIII. Obligatus ad restituendum teneturne statim restituere? *Resp.* Quilibet tenetur statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo, qui potest vtum rei concedere. *Ita S. Tho. hic art. 8. inc. Ratio* S. D. est: Nec per modicum tempus licet in peccato morari, puto quoad affectum iuxta illud Eccles. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum*: Sed qui non statim, id est, prima opportunitate restituit, sed detinet rem alienam, manet in continuo affectu peccati, quia continuò damnificat, & sic aggravando damnum proximi, continuò aggravat peccatum. Ergo. Pro cuius doctrinæ confirmatione serviunt verba S. D. ibidem ad 1. dicentis: *Præceptum de restitutione faciendo, quemvis secundùm formam sui affirmativum, complectitur tamen in se negativum præceptum quo prohibemur rem alterius detinere.*

Esto ergo hæc mora, seu dilatio necessariò exprimenda in confessione? *Affirmo* iuxta probabiliorem suprà traditam sententiam, vi cuius tenemur confiteri circumstantias notabiliter aggravantes. Ergo exprimendum, quoties propositum desinendi formaliter, vel virtualiter fuerit renovatum; Vel enim sunt nova peccata, vel vnum notabiliter aggravarum. Quòd specialiter etiam observet Confessarius circa moribundum. Nec admittat, vt restitutionem committat hæredibus, nisi moraliter certus sit, eos certò adæquatè statim (quantum secluso scandalo, & infamia licet) restituturos. De quo vide suprà de testamento.

* 24 *Quid agere* in Confessionali cum eo, qui ter, quaterve promisit restituere, & non restituit? *Dico*: Non absolvere. *Ratio*: Quia non licet absolvere eum, qui prudenter timetur relapsurus in idem peccatum, sicut suprà *T. 5. E. 2. n. 46.* dictum est de concubinario, & quidem *in præsenti* est ratio à fortiori, ob continuum damnum proximi. Et quamvis Confessarius teneatur credere pœnitenti pro se, & contra se loquenti, cum hoc tamen cavere debet, ne mora temporis delictum, & damnum aggravet. De hoc plura in *T. 13. de pœnit. de recidivis, E. 5. n. 54.*

Oppone: Peccator non statim tenetur satisfacere Deo. Ergo nec homini. *Neg. conf.* Disparitas est: Quia Deo vtpotè bonorum nostrorum non egenti, vti nostra iustitia non prodest, ita nec iniustitia effectivè obest, secus est respectu hominis.

* 25 QUÆRO IX. Quæ culpa requiritur ad obligationem restituendi? *Ante R. Nota*, culpam (quantum ad præsens) dividi in Theologicam, & Iuridicam. *Prima* est veri nominis peccatum in conscientia, & coram Deo imputabile, prout à Theologo consideratur vel mortale, vel veniale. *Iuridica* est omissio diligentiæ ad impediendum proximi damnum requisitæ: hæc coram Deo non semper est peccatum defectu voluntarij, vt patebit ex dicendis, attamen ita esse putatur ex præsumptione, vel interpretatione Iuris: quare vocatur iuridica. *Nota* 2. Culpa iuridica dividitur in latam, levem, & levissimam. *Lata* est negligentia, qua omittit quis in re aliena diligentiam, vel circumspectionem, ab hominibus eiusdem conditionis in re propria adhibere solitam, *v. g.* negligentia eius, qui pallium, vel librum ubi commodatum relinquit in publico loco. *Levis* culpa est omissio diligentiæ, quam solent adhibere homines eiusdem artis, seu professionis diligentiores, *v. g.* si pallium, vel librum commodatum reliquit quidem in suo cubiculo, sed ostium non clausit. *Levissima* est omissio eius diligentiæ, quam diligentissimi adhibere solent, *v. g.* si librum in cubiculo suo reliquit, ostium clausit, sed seram non tentavit, an esset clausum. Hæc tamen omnia in singulis factis pensanda sunt arbitrio viri prudentis, aut indicijs iuxta qualitatem circumstantiarum. Nemo enim negabit, maiorem diligentiam requiri in re pretiosa, quàm vili, vti & in loco, vbi grassantur milites, quàm vbi omnia sunt secura. *Notandum* etiam est, quod multa fiant sine culpa vera, quæ tamen non fiunt sine culpa præsumpta. Alij admittentes hanc culpæ distinctionem, culpam latam bene distingunt, rursus in latiorem, & latissimam. Culpa *latior est* dolus præsumptus, vel apparens. *Latissima* dolus apertus. *Dolus* est quævis calliditas, fallacia, & machinatio ordinata ad decipiendum. *Calliditas* propriè fit tacendo. *Fallacia* fit mentiendo. *Machinatio* arte verborum. His notatis.

* 26 *Resp.* 1. Probabilius est, quòd, vt incurratur

gra-

gravis obligatio restitutionis in foro conscientiæ ex delicto, ante iudicis sententiam requiratur; & sufficiat culpa theologica mortalis; & non sufficiat tantùm iuridica commissa ex inculpabili inadvertentia. Ita clarè colligitur ex S. Thom. infrà q. 64. a. 8. in c. dicente: *Secundùm iuris dict. si aliquis det operam rei illicitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidij reatum.* Unde est læsio solùm materialis, & casualis defectu voluntarij, ac si fieret ab amente, vel dormiente. *Ratio*: Talis non tenetur ratione rei acceptæ, cùm non habeat rem; nec lucrum, aut utilitatem rei, vt suppono; si enim ex damno dato factus esset locupletior, indubiè teneretur. Dein nec tenetur ratione iniustæ acceptionis, quia in conscientia nullam actionem iniuriosam commisit. Ergo ex nullo capite, quia aliud non datur.

Dixi 1. *in foro conscientiæ*, &, vt alij addunt, *secundùm ius naturæ, & ante iudicis sententiam.* Quia iuxta aliquos obligantur virtute legem civilium: Sed hæ quia pœnales sunt, non obligant ante sententiam iudicis. Ita R. ad Legem Aquiliam, si objiciatur. Dixi 2. *ex delicto*, idest, secluso contractu, ac officio; de quo posteà. Dixi 4. *& sufficiat.* Licèt enim homines non obligentur adhibere summam diligentiam, immò nec communiter eam, quam diligentiores solent adhibere; tenentur tamen ad eam, quam alij eiusdem conditionis communiter adhibent, præsertim in re gravi. Et tunc est culpa lata simul theologica.

Casus, ad quos hæc doctrina applicari potest, sunt 1. *Homicidium* casuale, vel ex motu primò primo factum. 2. *Si* quis ex naturali, & ob sufficientem diligentiam adhibitam, inculpabili inadvertentia dedit occasionem incendio, furto, homicidio, &c. 3. *Si* quis occidat hominem, putans esse feram, &c. *Si* pecus tuum depascat fata alterius. De quo vide suprà de ignorantia *T.* 3. *E.* 1. *n.* 4. Item de aggravatione peccati ex damno proximi *T.* 4. *E.* 2. *n.* 41.

Canones, qui objiciuntur, explicantur, & procedunt de culpa lata, & theologica, ac ignorantia, vel inadvertentia vincibili, & culpabili, quæ facit damnum non esse casuale. Quod *NB.* de parentibus tenellos infantes secum in lecto collocantibus, eosque in somno suffocantibus, vel opprimentibus. Quia illi periculum infanticidij facilè possunt, & debet prævidere.

* 13 *Resp.* 2. Probabilius est, quod qui ex culpa levi, ac theologica, seu veniali incidit damnum grave, nullatenus prævisum, non teneatur in conscientia restituere ante sententiam iudicis, nisi fuerit obligatus illud impedire ex contractu, aut quasi contractu, vel ex alterius damno factus ditior. *Ratio*: Tum quia restitutio est quid pœnale, pœna autem debet esse proportionata culpæ: Sed in casu posito pœna esset excessiva. Ergo. *Tum etiam* quia non tenetur ratione rei acceptæ, quia talis nihil accepit, vt patet, nec (saltem immortali) ratione iniustæ acceptionis, quia actus eius defectu voluntarij, & ob inadvertentiam in ratione in vtrq; est valdè imperfectus. Ergo. *Declaratur vltrius*: Etsi venialiter peccans sit voluntarius respectu operis, non tamen respecta damni secuti, quia aliàs non esset peccatum veniale, sed mortale, vtpote in re gravi. Ergo.

* 28 *Oppone* 1. contra rationem: Pœna purgatorij est gravissima, vti & excommunicatio minor est pœna gravis, & tamen incurri potest pro culpa venali. Ergo. 2. *Iura Eccl. sancium*, & Civile interdum condemnat ob culpam etiam levissimam. Ergo.

Ad 1. *dist. ant. pro* 1. *p.* Pœna purgatorij est gravissima respectu fori humani, *tanc. ant.* divini, *neg.* Ad id de excommunicatione minori dicitur, quod insligatur pro peccato veniali ideò, quia non solùm ordinatur ad castigandum delictum, sed etiam ad revocandam ab errore animam. *Ad* 2. dico, id fieri ob præsumptionem doli, vel fraudis, & ne iniurijs, & negligentijs detur locus.

* 29 *Resp.* 3. Ratione contractus, si is sit in vtilitatem solius accipientis, vti est in commodato, tenetur quis ad restitutionem etiam ex culpa levissima iuridicè: non tamen in casu fortuito, nisi per contractum transferatur dominium rei, vti transfertur in mutuo. *Ratio* 1. *p.* Æquitas postulat, vt in custodia rei alienæ, qua præcisè in tuam gratis vteris vtilitatem, maximam impendas diligentiam, ne domino pereat. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quævis res, dum perit, domino suo perit, si nulla adsit culpa, vel pactum: Sed commodans manet dominus rei commodatæ. Ergo.

Dixi, *si nulla adsit culpa.* Hinc tenetur restituere comodatarius, si sine consensu domini re commodata vtatur aliter ac concessum est, *v. g.* equo ad certum locum concesso vtitur ad alium locum, vbi à latronibus fuit apprehensus: vel si sit in mora reddendi, *v. g.* equo ad octiduum concesso, vtitur diutiùs, & interea furtivè furripitur: si autem res eodem modo fuisse peritura, vel deterioranda apud dominum, non tenetur: quia tunc mora, vel culpa non est causa damni. Dixi 2. *si non adsit pactum*, nimirum de solvendo commodato, quocunque modo perierit.

Ratio 3. *p.* Res petit suo domino, dum subito perit: Sed in eo casu alter, *v. g.* mutuatarius, statim efficitur dominus rei. Ergo. Vide infrà de commodato, vbi plura dicuntur, *T.* 9. *E.* 9. *a* 11.

* 30 *Resp.* 4. Si contractus sit in vtilitatem solius dantis, vti sit in deposito, accipiens tantum tenetur de dolo, & culpa lata. si verò sit in vtilitatem vtriusque, vt sit in locato, vterque tenetur ex culpa lata, & levi, non tamen de levissima, nec in casu fortuito. *Ratio* 1. *p.* In eo casu accipienti nulla fit gratia, nec vtilitas: ergo non debet gravari ad maiorem diligentiam, quam homines passim in propriarum rerum custodia adhibere solent. *Excipitur*, si quis seipsum obtulerit, seu petierit tibi depositum committi, quia tunc est causa, quod non fuerit commissum diligentiori. Vel si mercedem accipiat, vel aliam vtilitatem ex deposito. Quid sit locatum, depositum, pignus. Vide infrà *T.* 9. *E.* 9. *n.* 4. 6. & 10. *Rat.* 2. *p.* Æquum est, vt quis in custodia rei, præcisè in tuam vtilitatem concessæ, diligentem impendat curam, non tamen tenetur ad diligentissimam, quia non ille solus, sed & dominus commodum reportat. Ergo. Hæc resolutio etiam applicari potest ad pignus, hoc enim datur tum gratia debitoris, quò facilius ei pecunia credatur, tum creditoris, vt eò tutius ut creditum.

* 31 *Resp.* 5. Ex quasi contractu obligatio restituendi sic nascitur: Si quis ex officio aliquid faciat in alterius commodum, & mercedem non accipiendo, tenetur ex dolo, & lata culpa, non tamen ex levi. *Ratio*: Quia non pro tuo, sed solo alterius commodo laborat. *Sed quid*, si officium illud prætivisset? *Dico* cum Sylvestro, tunc etiam teneri ex levi culpa. *Ratio*: Quia tunc creditur promisisse exactam diligentiam. *Dic mihi*: Quinam censentur, quasi contractus: *Dico*: Sunt alienorum negotiorum executio, cura, tutela, officium iudicis, Advocati, Procuratoris, Medici, Chirurgi, Magistratus, Confessarij, Concionatoris, Theologi, Iurisconsulti, Architecti, Artificis, & similium, in quibus intercedit contractus saltem tacitus.

* 32 *Resp.* 6. Mercede conductus aliquid faciens ex officio, vt Tutor, Advocatus, Medicus, Artifex, &c.

&c. tenetur etiam ex culpa levi. *Ratio*: Quia illi ex eo opere capiunt commodum: ergò tenentur ad majorem diligentiam, quàm si nullum commodum haberent. Vide, quid sit culpa levis in hoc *E. n. 2. Sed quid*, si talis officiarius professus fuerit se diligentiorem, & peritiorem alijs, ea de causa non adhibitis? *Dico*: Tunc tenetur ex culpa etiam levissima. *Ratio*: Quia tunc implicitè promisit, se præstiturum plus alijs.

* 33 *Resp. 7.* Alienæ rei custos mercede conductus, tenetur de damno ex culpa levi, immò & levissima. *Ratio*: Quia vi conductionis videtur promisisse maximam diligentiam. Et hoc maximè, si res custodienda sit valde pretiosa *Resp. 8.* Cuius est, vi officij, aut professionis consilium dare, *vel* pro idoneo Confessario se gerit, & consilio suo damnum intulit, tenetur de culpa lata: si verò sit mercede conductus, tenetur etiam de culpa levi. *Ratio* patet ex definitione utriusque culpæ. *Resp. 9.* Extra hos casus solùm tenetur de dolo. Ita patet ex illa Regula Iuris in 6. *Nullus ex consilio, modò fraudulenta non fuerit, obligatur.* Quæ regula intelligitur de consilio in contractibus, vel quasi contractibus: in consilio autem de delictis intelligitur etiam de culpa lata, quę sæpè æquiparatur dolo. An Consiliarius possit suadere vsum sententiæ probabilis concurrente probabiliore. Vide suprà in *T. 2. de Conscientia, E 3.*

* 34 QUÆRO X. Quę causæ excusant à restitutione? *Resp.* Variæ sunt, quas assigno, & explico. 1. *Impotentia physica*, & simpliciter talis, vt cùm quis plane nihil habet, in quo casu creditor non potest esse rationabiliter invitus, quia vt habet Regula Iuris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.* 2. *Impotentia moralis*, & secundùm quid talis, quæ restitutionem non omnino tollit, sed tamen valdè difficilem reddit propter ipsius debitoris, sive coniunctorum necessitatem. Pro quo vide suprà *T. 7. E. 6. n. 2.* quòd triplex sit, & quid sit necessitas, nimirum extrema, gravis, communis. Vide etiam *S. Thom. art. 8. ad 2. 3. Necessitas extrema*, sive propria, sive suorum, nimirum parentum, filiorum, & coniugis, quamdiu durat, iuxta communem DD. sententiam excusat à restitutione faciendà creditori in eadem necessitate existenti. Ita colligitur ex S. Thom. hic *q. 62. a. 5. ad 4.* dicente: *In casu extremæ necessitatis posset, & deberet aliquis etiam auferre alienum: vt patri subveniret.* Videatur in S. D. suprà *q. 31. a. 3.* in c. *Ratio, & declaratio 1. Tum* quia in eo casu charitas incipit à se ipsa. *Tum* quia in extrema necessitate omnia sunt communia saltem quoad vsum, & facit propria possidentis ea, quæ actu habet, licèt aliàs sint alterius, cuius dominium, vti & præceptum affirmativum de faciendâ restitutione, per extremam debitoris, & prædictorum ei coniunctorum necessitatem impeditur, & suspenditur. Quia divisio rerum ea æquitate est facta, vt in extrema necessitate maneat earum communitas. Pro quo infrà vide *T. 9. E. 3. n. 37. Declaratur 2.* In eo casu debitor habet maius ius ad rem, quàm creditor. Ergo. *Prob. ant.* Creditor tantùm habet titulum necessitatis, debitor verò præter hunc simul habet titulum possessionis, melior autem est titulus possidentis, puta, iustè: si enim sit res iniustè accepta, non est propriè possessor. Ergo. *Declaratur 3.* Debitor parentibus, & præfatis coniunctis tenetur succurrere ex præcepto pietatis, quòd præfertur præcepto de faciendâ restitutione, hoc enim reducitur ad iustitiam commutativam, quæ est inferior pietate. Ergo. Ex his sequitur, quòd si res sit vsu consumptibilis, debitor fiat dominus illius; si verò vsu extremæ necessitatis consumptibilis non sit, fiat dominus vlus ipsius rei.

Dixi anteà, *quamdiù durat necessitas.* Quia sunt certi casus, in quibus est obligatio restituendi transacta necessitate. 1. *Si* post eam res adhuc extet, secus si non extet. 2. *Si* debitor non absolutè, sed solum per accidens, nimirum hic & nunc, & in hoc loco sit extremè egens, habeat verò media alibi, possitque habere, vel posteà lucrari. 3. *Si* res aliena habeatur ex delicto, *v. g.* furto, tunc enim obligatio restituendi in tanta necessitate solùm consopita (seu non extincta) reviviscit. *Notandum*, quòd data resolutio subsistat, sive creditor ante, sive post debitorem in extremam necessitatem incideritsi enim ante incidit, debitor quidem peccavit non restituendo tunc, si potuit, attamen posteà potest prius subvenire sibi, quàm alteri.

Quid si interesset se creditori restituturum tali die, & eadem die incidat in extremam necessitatem? *Dico*: Ratione Iuramenti non tenetur tali die restituere. *Ratio*: Quia iure naturali intelligitur exceptio pro extrema necessitate; si tamen iuraret se restituturum in extrema necessitate, iuramentum esset servandum ob reverentiam Divini Nominis.

4. *Necessitas gravis* propria, seu suorum, vt suprà, debitorem excusat, vt ad eam sublevandam restitutionem differat, nisi creditor in pari necessitate existat. *Ratio 1. p.* Quia tunc creditor non potest esse rationabiliter invitus, cùm ipse ex lege charitatis teneatur in gravi necessitate proximo succurrere. Ergo.

Ratio 2. p. Si creditor in pari necessitate, est rationabiliter invitus. Quia in pari causa melior est conditio creditoris, & præcipuè si debitum ex delicto sit contractum. Sicut econtra in necessitate extremâ, cùm omnia faciat communia, melior est conditio possidentis. Ergo.

* 35 *Quomodò* resolvis hunc casum: Debitor non potest statim solvere absque gravi iactura status iustè acquisiti, poterne sibi retinere necessaria ad istum statum mediocriter conservandum, donec sine illo detrimento possit restituere integrè, hic, & nunc solvendo aliquid, & statum solùm minuendo? *Affirmo* cum communi sententiâ, modò creditor non patiatur simile detrimentum, & debitor se in hanc impossibilitatem non conjecerit, bona sua malè dilapidando. Exemplum sit primò in *Nobili*, qui hic, & nunc non potest integrè restituere, nisi statum suum hereditarium, vel aliàs iustè acquisitum deserat, & labore manuum victum quærat. 2. *in filio* adulterino, qui honorificum statum iustè est consecutus, & posteà cognoscit se esse illegitimum, & possidere aliena. 3. *In eo*, qui non potest statim solvere, nisi domum suam vel prædium vendat multò minoti pretio, quàm valeat. *Ratio*: Tum quia excusat impossibilitas moralis, hoc enim in moralibus censetur impossile, quod est valdè difficile, aut honestè, ac decenter fieri nequit: sic autem est in præsenti, vt patet ex casibus, & exemplis positis. Ergo. *Tum etiam*, quia per se loquendo nemo cum iactura bonorum superioris ordinis tenetur restituere bona inferioris ordinis: Sed in eo casu fieret restitutio bonorum fortunæ cum iactura famæ, honoris, & status iustè acquisiti. Ergo.

Dixi *iustè acquisiti*; si enim statum acquisierit per furta, rapinas, vsuras, &c. non excusatur. Quia tunc non amitteret statum, sed dimitteret alienum; non pateretur in bonis propriis, sed privaretur alienis. Nec pateretur infamiam deferendo statum, sed potius eam abstergeret. Posset tamen etiam tunc sibi reservare necessaria alimenta iuxta conditionem sui pristini status, si in eo bona propria habuit, secus non. Primum patet: Quia aliàs ex iniquitate sua commodum reportaret.

Sed

Sed quid si homines putent statum iustè esse acquisitum? *Dico.* Tunc sequi quidem infamiam, sed tamen non tam gravem, quæ sufficiat, & excūset: si tamen valdè gravis esset, posset paulatim restituere, nisi dominus pateretur simile status sui detrimentum.

Excepi 1. *modò creditor non patiatur simile detrimentum*: quia, vt dictum est, in pari causa extra necessitatem extremam potior est conditio creditoris. Excepi 2. *si debitor se non conieceritin hanc impossibilitatem* dilapidando *sua* lusibus, potationibus, &c. Quia tunc non meretur dilationem, & iacturam sui status sibi soli debet imputare.

* 36 *Oppono*: Non minùs peccatum est, alienum invito domino retinere, quàm auferre: Sed ad vitandum proprium damnum non licet alienum auferre invito domino. Ergo nec retinere invito domino. *Ad hoc* concedo totum, sed nego, quòd in casu posito dominus sit rationabiliter invitus, vt pro vitando gravi damno debitoris restitutio differatur. *Pro quo Nota*, quòd, licet præceptum restitutionis fundetur in negatione, non retinendi scilicet alienum invito domino, vt patet n. 23. in hoc E. formaliter tamen est affirmativum, & ideò ex hac parte interdum potest pro restitutione expectari locus, & tempus, &c. Ex quo sequitur, quòd creditor in dicto casu in foro externo habeat quidem ius repetendi rem suam, non tamen in foro conscientiæ, in quo foro etiam debitor à iudice compulsus non tenetur obedire, bene tamen in foro fori, propter obligationem iustitiæ legalis.

5. *Causa* excusans à restitutione, est creditoris *spontanea remissio*, id est, vi, metu, vel fraude non extorta, & facta ab eo, qui condonare potest. 6. *Cessio bonorum*, quę à Legistis vocatur *flebile*, & *miserabile* remedium, à iure inventum, quo debitor, nimio ære alieno gravatus, bona sua cedit, seu relinquit creditoribus dividenda. Pro quo vide, quæ dixi de ordine restitutionis in hoc E. n. 17. *& seqq.* Effectus huius remedij est, vt debitor, qui non est solvendo, non possit ob debita incarcerari. Qui tamen si postea ad pinguiorem fortunam veniat, manet in conscientia obligatus restituere, licèt bona cesserit per actus more patriæ ignominiosos: illa enim ignominia non tollit ius creditorum; sed infligitur in pœnam præsumptæ culpæ debitoris in contrahendis debitis vltra vires, & in terrorem aliorum.

* 37 *Sed nonne* talis debitor salva conscientia posset occultare, sibique reservare tantùm saltem, quanto opus ei est ad vitam parcè degendam? *Affirmo.* Ratio patet ex dictis de necessitate gravi, quæ, cùm sit moraliter certum periculum mendicitatis, excusat, & sufficit ad restitutionis dilationem.

Nonne dantur aliqui, debitis vires excedentibus onerati homines, hoc miserabili beneficio non egentes? *Affirmo.* Et sunt, qui muniti sunt beneficio competentiæ, id est privilegio ne vltra id, quòad commodam sustentationem egent, possint conveniri, aut molestari. Quales sunt Clerici gaudentes privilegio fori; Personæ Nobiles, & Illustres; Doctores, Professores, Mulieres honestè viventes, Milites armatæ militiæ; Item illi, qui sibi mutuò debent alimenta, gaudent hoc beneficio; vt liberi adversùs patrem; & e contra; Maritus adversùs vxorem, quæ dotem repetit; Patronus adversùs libertum; Socius adversùs socium. De quibus plura videri possunt in Iuristis, qui insuper tradunt, beneficium cessionis denegari ijs, qui illi renuntiarunt per iuramentum; Qui bona sua dilapidando, quasi ex industria se impossibilitarunt ad solvendum; Debitores ex delicto. Hi enim meritò incarcerantur vsquedum reddant novissimum quadrantem, si vllatenus sit possibile.

* 38 7. *Compensatio*, quæ dupliciter fieri potest: *Primò*, vt si debitor, & creditor sibi invicem debeant, & debitum debito compensent, vocaturque à Iuristis *debiti, & crediti inter se contributio*, ad cuius iustitiam requiritur, quòd debita sint æquè liquida, & eiusdem rationis, *v. g.* si Ioannes Philippo debeat 100. florenos pro equo, & Philippus Ioanni 100. florenos pro frumento empto. Non autem valet sine mutuo vtriusque consensu, vt si Ioannes Philippo debeat 100. florenos, & Philippus, Ioanni egregium equum in natura, potest enim esse, quòd Ioannes magis egeat equo, quàm pecunia. Vlterius ad huius compensationis iustitiam requiritur, ne inde lædatur bonum Reipublicæ, ne violetur depositum, vel commodatum, & ne res sit aliena ex furto debita.

Secundò fieri potest compensatio occulta sic, vt creditor inscio debitore ex eius bonis tantum furripiat, quantum ei debetur. Ad cuius iustitiam requiritur. 1. *Vt* fiat sine scandalo. 2. *Et* sine vlteriori damno debitoris, temporali nimirum, ne adhuc semel soluat ipse, aut hæredes: & spirituali, ne putet se nondum solvisse. Vnde cautè monendus est, cum à debito esse immunem, ne maneat in conscientia erronea. 3. *Vt* fiat sine damno, vel periculo tertij, *v. g.* illius, qui habet ius prælationis in bonis debitoris; & ne habeatur aliqua suspicio furti. 4. *Vt* debitum sit liquidum, & certum (quia in dubio melior est conditio possidentis) & si ex iustitia, non verò solùm ex gratitudine, vel debito antidorali. 5. *Vt* quod subripitur, non sit depositum, vel commodatum, sed sit proprium ipsi debitori. 6. *Nec* sit diversæ rationis, seu speciei à debito, in eo sensu, quo antè de compensatione priori dictum est. 8. *Solutio Creditori Creditoris facta*, modò sit certum, quòd illi verè debebat, & sint debita eiusdem qualitatis, nec magis inde damnificetur creditor, nec anteriores creditores. 9. *Auctoritas iuris, vel iudicis*, rem esse vsucaptam, vel præscriptam, aut aliàs non solvendam, secundùm allegata, & probata iudicantis. 10. *Interitus* rei debitæ per casum fortuitum iuxta dicta in hoc E. n. 25. *circa* R. 3. 11. *Ingressus Religionis.* Pro cuius intelligentia.

* 39 *Dico* 1: Probabilius est, quòd stando in iure naturæ debito, qui nonnisi longo tempore in sæculo manendo, spem solvendi habet, bona sua creditoribus cedendo, possit licitè, & validè Religionem ingredi. Ita S. Thom. infrà q. 189. art. 6. *ad* 3. dicens: *Ille, qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud licitè pretermittere facultate existente. Et ideò si aliquis sit obligatus, vt alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat, non potest hoc licitè pretermittere, vt Religionem ingrediatur. Si autem debeat aliquam pecuniam, & non habeat vnde reddat, tenetur facere, quòd potest, vt scilicet cedat bona sua creditori.* Hæc S. Thom. Rationem dat subdens: *Propter pecuniam persona liberi hominis secundùm iura civilia non obligatur, sed solùm res: quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ.* Ergo bonis cedendo de sua persona, quemcunque statum amplectendo, liberè disponere potest. Alia ratio patebit ad *Dico* 2. ex quo patet differentia inter talem debitorem ex vna, & mancipium (idem est de marito consummato matrimonio) ex altera parte. Quia persona mancipij est sub iure, & proprietate domini; persona verò debitoris non est sub dominio creditoris. Et maritus per matrimonij consummationem liberatur, & privilegio transeundi ad perfectiorem statum reminiscitur. Dixi: *Stando in iure naturæ.* Quid sit de iure positivo, patebit ex dicendis.

dis-

Dico 2. Si debitor brevi tempore, *v. g.* vno, vel duobus annis per labores consuetos possit satisfacere creditoribus, tenetur ingressum vsque eò differre; si tamen ante restitutionem ingressus profiteatur, professio est valida, eumque à restitutionis onere liberat. *Patet 1. p.* Tum quia tunc debitor est in potentia proxima ad solvendum, quilibet autem tenetur satisfacere quantum potest. Tum quia tunc creditores sunt rationabiliter inviti: secus est *in priori casu*. Ergo. *Ratio 2. p.* Patet ex verbis S. D. antè adductis *ex n. 6.* Et *Confirmatur*: Quia ideò non valet Professio servi invito domino, & vxoris invito marito, quia non sunt personæ liberæ, seu non sunt sui iuris, sed alterius. Ergo cum debitor sit, & maneat sui iuris, &c. *Ratio 3. p.* cum S. Antonino, Sylvest. &c. contra alios extráneos. Illud moraliter est impossibile, quòd est valdè difficilè, ac honestè, & decenter fieri non potest: Sed in Religione teneri cum licentia Prælati, si debitor autem quandam calleat, horis subcisivis laborare, vt acquirat, vnde debitum solvat, est valdè difficilè, & honestè, ac decenter fieri non potest. Ergo est moraliter *impotens*. Ergo. *Nota* tamen, quòd Monasterium teneatur creditoribus satisfacere, si intuitu debitoris per hæreditatem, legationem, aut donationem aliquid acquisivit.

Dico 3. Sixtus *V.* quidem suis Constitutionibus ad Religionem inhabilitavit eos, qui ære alieno supra vires erant gravati: Clemens tamen VIII. ad terminos iuris reduxit quoad eam partem, qua Professio decernitur nulla, eamque valere voluit, sed valente professione *iam* debitor suis bonis cedit. Ergo ab onere restitutionis liberatur. Fateor tamen, si contingeret, talem à Religione quomodocunque dimitti, vt possit sibi lucrari, debita reviviscerent, quia erat solùm sopita, non extincta. *Nota*, quòd nec Sixtus *V.* suo decreto comprehenderit illos, qui habent grandia debita, quæ tamen non superant eorum substantiam, vti nec eos, qui (vt creditores solvantur) bonis suis cedunt, nec habent forum, vt manendo in sæculo tam citò possint integrè solvere; ea enim cessione quantum possibile est, consulitur creditoribus, & cavetur eorum præiudicium; qui erat finis decreti.

* 40 *Oppon 1. contra 1.* Quilibet iure naturæ tenetur solvere omnia debita. Ergo ab hoc non eximitur per Religionem. 2. *Qui* facit alteri, quòd sibi nollet fieri, peccat contra legem naturæ: Sed. Ergo. 3. *Quod* solùm est de consilio, non debet præiudicare illi, quòd est de præcepto: Sed ingredi Religionem solùm est de consilio, solvere debita est de præcepto. Ergo. *Ad 1. Nego.* licet facere malum, vt eveniat bonum: Sed non solvere debita est malum, nimirum damnum temporale creditoris. Ergo id non licet, vt eveniat bonum spirituale. Quòd idem patet ex illa regula iuris: Nemini licet cum alterius iniuria locupletari. 4. *Non* licet aliena rapere, vt patent facilior ingressus Religionis. Ergo nec licet non solvere. 6. *Idem*, qui in sæculo manens pauperi parenti (qui alio modo subsistentari nequit) potest succurrere, peccat contra iuris naturæ, ingrediendo Religionem. Ergo similiter. 7. *Iuxta* dicta in hoc *T. D. 5. n. 19.* Qui subsequenti matrimonij desloravit virginem, tenetur eam ducere, adeòque non potest ingredi Religionem, quin ingressus cederet in grues iniuriam, & detrimentum: Sed idem est in nostro casu. Ergo.

Ad 1. dist. ant. Si moraliter sit potens, *conc.* secus, *negatur. Ad 2. neg. min.* vel *dist. mai.* Qui facit positivè, *conc.* negativè solùm, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Qui ergo alteri positivè, & directè aliquid aufert, peccat in legem naturæ, debitor verò in nostro casu infert damnum solùm indirectè, & negativè, nimirum non restituendo dum moraliter, & absque magna difficultate non potest, nec sine maiori suo damno, quòd incurreret se privando data cuivis à Deo libertate ad perfectiorem statum transeundi, in eo Deo serviendi, laqueos sæculi evadendi, animam in tuto collocandi, &c. *Ad 3. dist mai.* ex dictis, si quod est de præcepto, moraliter possibile sit implere, *conced.* secus, *negatur. Ad 4. dist. mai.* vti ad 2. *Ad 5. Neg. conf.* Disparitas est, quia alienus rapiendo (extra extremam necessitatem) directè, & positivè infertur damnum, & dominus ad id rationabiliter est invitus; secus in nostro casu. *Ad 6. neg. conf.* Disparitas est, quia præceptum subveniendi parentibus est pietatis, ex ipsa naturali origine ortum, & est strictius, quàm iustitiæ ad solvendum debitoribus. *Ad 7. neg. conf.* Disparitas est. Tum quia corruptor virginis videns non superesse aliud medium obtinendi vsum corporis eius, premittendo matrimonium censetur cessisse iuri, & libertati eligendi perfectiorem statum. *Tum* etiam quia non est moraliter impotens ad servandam fidem, sed potest implere sine difficultate, & honestè, ac decenter, vt supponitur, & loco citato explicatum est, secus in præsenti.

TRA

TRACTATUS IX.

DE VITIJS JUSTITIÆ OPPOSITIS,

Ex 2.2.à q.63. vsque ad q.78. inclusivè.

UT contraria iuxta se posita magis eluceſcant, postquam examinavimus Justitiam, ſpecies eius, & actus, libet nunc vitia ei opposita discutere, vt pateat, quòd sicut Justitia est virtus, ius suum cuique tribuens, ita *iniustitia sit vitium, ius suum cuique auferens*, quod diversimodè fit, vt patebit ex decursu huius Tractatus: in quo Confessarium debere esse versatum, probat eadem ratio, quæ pro Tractatu præcedenti.

EXAMEN I.

De acceptione Personarum, quæ opponitur Justitiæ distributivę. *De qua S. Doct. quæſt.63. per quatuor art.*

* 1 QUÆRO I. Quid, & quantum peccatum est acceptio Personarum? *Resp.* 1. Acceptio Personarum (quatenus de ea hic agitur, & in malum sumitur) definitur, qnod sit vitium, quo id, quod ex debito justitiæ conferendũ est vni personæ, confertur alteri, nõ propter meritum eius ad rem quæ confertur, sed ob conditionem eius, quę non congruit ad ipsam rem: vt, si quis Beneficium, Officium, Parochiam, vel Episcopatum conferat Paulo, quia Paulus est, quia tuus amicus est, quia consanguineus, affinis, &c. quæ condiciones nihil faciunt ad esse dignum officio, beneficio, &c. Si verò ei cõferat, ideò, quia aptus, & dignus, vel dignior est, hæc conditio facit, vt ei debeatur ex justitia distributiva. Notanda hic sunt verba S. Thomæ hic articulo primo ad tertium: dicentis. Duplex est dario: Vna quidem pertinens ad justitiam, qua scilicèt aliquis dat alicui, quod ei debetur. Et circa tales dationes attenditur personarum acceptio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicèt gratis datur alicui, quod ei non debetur. Et talis est collatio munerũ gratiæ, per quæ peccatores assumuntur à Deo. Et in hac donatione non habet locum personarũ acceptio, quia quilibet absque iniustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult, secundum illud Matth. 20. *An non licèt mihi, quod volo facere? tolle, quod tuum est, & vade.* Hæc S.D. Ex quo patet, quòd Deus nó sit acceptor personarum, licèt gratiam det vni, & non alteri.

Resp. 2. Acceptio personarum ex genere suo, id est, intra propriam lineam, & speciem, etsi nulla extrinseca species peccati, v.g. scãdali accedat, potest esse peccatum mortale, & est, si sit in re gravi: in individuo tamen potest esse veniale ob levitatem materiæ. *Ratio* 1. partis est; *Tum* quia graviter repugnat justitiæ, juri Reipublicæ, bono communi, & charitati proximi, &c. 2. *Pars* patet ex levitate materiæ.

* 2 QUÆRO II. Distributor, seu collator spiritualium dignitatum, aut Ecclesiasticorum Beneficiorum, vt hoc peccatum eviter, teneturne in conscientia, & sub mortali ea conferre, aut votum suum dare digniori. *Ante Resp.* Nota ex S.T. *à.2. in c.* dupliciter vnũ posse æstimari digniorem altero: *Primò* absolutè simpliciter, & secundùm se, & sic ille dicitur dignior, qui abundat maioribus donis gratię, & sanctitatis. *Secundò* comparativè ad bonum cõmune, id est, qui plus habet de gratijs, donis, ac subsidijs, quæ ad talem statum, vel oficium debitè exequendum faciunt. Contingit enim quandoque, quòd ille, qui est minùs sanctus, & minùs sciens, possit magis conferre ad bonum cõmune, vel propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquod huiusmodi, v.g. praxim, œconomiam in tali officio necessariam, &c. *Hæc notate.*

Resp. Probabilius, & tutius est, quòd sub peccato ex genere suo mortali, quod est acceptio personatum, teneatur quis omisso digno eligere, vel promovere digniorem, & Ecclesiæ vtiliorem ad beneficium habens annexam curam animarum, vel Ecclesiasticam gubernationem. Ita Concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap.* 1. de creatione Episcoporum, & Cardinalium loquens, decernit, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicaverint, nõ quidem prębibus, vel humano affectu, aut ambitiũ suggestionibus, sed eorũ exigentibus meritis præfici diligeter curaverint.

Et S.T. hic a.2. ad 3. *ait*: Quantum ad hoc, quòd electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorẽ, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum cõmune. Hæc ibi. *Ratio*: Collator, vel electror, vel patronus, pro causa accipiens conditionem personæ, quæ non facit ad negotium, peccat peccato acceptionis personarum; quod, cùm sit in re gravi, est mortale: Sed qui ad Ecclesiasticam dignitatem, aut beneficium curatũ promovet dignum relicto digniore, pro causa accipit conditionẽ personæ, quæ non facit ad negotium, vt patet: Ergo. *Mai. prob.* Nullus Patronus, Electror, Collator, etiam ipse Papa, est Dominus Beneficiorum, sed solùm dispensator, cùm ea non det tanquam dona gratuita, & ex mera liberalitate (hæc enim solum respicit bona propria.) Ergo tenetur ea distribuere tanquam bona communia Ecclesiæ secundum ordinem justitiæ distributivæ. Ergo. Maior est vera.

Dixi 1. *Sub peccato*, id est, in forò poli, & conscientiæ, nam in foro fori subsistit electio digni, vt patet ex verbis S. Thomę. Dixi 2. *Ex genere suo mortali*: quia sunt casus, in quibus nullum, vel veniale est peccarum. 1. *Si* disparitas sit exigua. 2. *Si* non possit conferri quàm illi, qui à Patrono, id est, ab eo, qui habet jus Patronatus seu ius præsentandi, præsentatur, tunc enim solus Patronus est in culpa. 3. *Si* necessariò debeat conferri alicui de gremio Ecclesiæ, ex certa familia, aut civitate, licèt absolutè ex alijs locis, vel familijs possent haberi digniores. 4. *Si* sint multi eligentes, & paucorum vota inclinent in digniorem, qui nec meo voto emerget, & est periculum, ne eligatur indignus, possunt dare votum digno; quia eligere dignum, non est malum secundum se, sed tunc quando adest dighignior, qui effectivè possit eligi. 5. *Primus* fundator beneficij, etiam Parochialis, potest præsentare dignum relicto digniore, quia bona sua potest dare, cui vult, & hoc ipsi ab Ecclesia indulgetur, vt fideles eo facilius alliciantur ad fundanda Beneficia. Quamdiù enim vivit, hæc bona nondum sunt simpliciter, & absolutè communia, sed solum salvo iure,

quod de consensu Ecclesiæ sibi reservat: hoc verò ius non transit ad successores, sed peculiare est fundatori. 6. *Aliqui* excusant eum, qui Beneficium resignat digno; sed cum Soto probabilius dicendum, etiam eum non excusari, quia est causa cur beneficium detur minus idoneo, qui verò dat causam damni, damnum dedisse censetur. Quæ eadem ratio probat, quod omnes teneātur Ecclesiæ ad restitutionem, qui relicto digniore eligunt, vel promovent dignum. Vide *T.* 8. *E.* 5. *n.* 8. Dixi 3. *Ecclesia utiliorem*: ad insinuandum, sufficere, vt talis eligatur, qui est dignior comparativè, licèt non simpliciter. Dixi 4. *Ad beneficium curatum*, &c. quia in beneficijs purè simplicibus, non videtur esse mortale, relicto digniore promovere dignum idque patet ex praxi, omnium Prælatorum, etiam ipsius Papæ, qui parum cogitantes de dignioribus beneficia simplicia conferunt dignis *Ratio*: Quia merita, quę ad ea requiruntur notabiliter se non excedunt, immo in omnibus sunt æqualia: v.g posse recitare horas, officiū legere, vel cantare Missam. Excipiuntur hic merito beneficia illa, simplicia quidem, attamen maioris momenti, vt sunt nonnulli Canonicatus, qui habent suffragium in electionibus ad dignitates Ecclesiæ, aut ad officia curam animarum habentia, vel in regimine bonorum Ecclesiasticorum, &c. quæ etiam necessariò conferenda sunt dignioribus.

* 3 Argumenta, quæ contra Responsionem possunt opponi, solvuntur tum ex Notabili ante Responsionem posito, tum etiam observando ex dictis, quod eligere dignum secundum se quidem sit opus bonum, & bene se habet, secus in concursu dignioris, quia sit cōtra ordinem iustitiæ distributivæ, & contra intentionem Ecclesiæ, quæ licèt non velit à beneficiarijs officium præstari optimo modo, vult tamen præstari tali modo, qualiter necessitates Ecclesiæ requirunt, sive in docendo ignorātes, sive in refutando hæreses, quod dignus non ita potest præstare ac dignior. Unde Apostolus enumerās qualitates Episcopi ait, quod oporteat eum esse sobrium, prudentem, pudicum, Doctorem, & eloquens quidem in gradu positivo non in comparativo, vt insinuet, quod illæ qualitates divisivè sumptæ non significent digniorem, bene tamen collectivè, qualiter eas requirit. Dum verò Apostolus 1. Cor 4. ait, *Quæritur inter dispensatores* (id est Ministros Ecclesiæ) *vt fidelis quis inveniatur*, non dicit, *fidelior*, quia ibi solum assignat primum, & præcipuum requisitum in Ministro Ecclesiæ, seu primam, & principalem virtutem, quam dicit esse fidem.

* 4 QUÆRO II. Sæcularis potentia, & Nobilitas confertne aliquid ad hoc, vt quis censeatur dignus beneficio Ecclesiastico? *Resp. Affirmativè. Ratio.* Quia ista (vt ait noster Sylvester) conferunt ad honorem Dei, quod nimirum in eius ministerio etiam Nobiles occupentur: & interdum etiam ad vtilitatem Ecclesiæ, quia sua potentia Ecclesiæ hostes, v. g. hæreticos comprimere possunt: Non quod sola nobilitas præsertim criminosæ vitæ iuncta, dignum faciat, sed confert aliquid præsuppositā virtute; pro quo servit illud Poetæ:

Sint tibi Gallorum Rex, & Regina Parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo,
Non plures facium te, quam tibi rustica mater
Si sit, & ignavus rusticus ipse pater.

* 5 *Dic mihi*, si sola Novilitas sanguinis non sufficit, quæ præter eam requiruntur conditiones, quæ hominem bonis spiritualibus dignum faciunt? *Dico*: *Requiritur* 1. capacitas iuridica, seu iure requisita, id est, conditiones, quas iura ad valorem electionis exigunt, inter quas est *legitimus thorus*; in cuius defectu ad Ordines sacros, ad dignitates Ecclesiasticas, & beneficia curata dispensat solus Papa; ad Ordines minores, & beneficium simplex, Episcopus. 2. *Legitima ætas*. Nam ad Episcopatum requiruntur 30. *anni* completi, nisi Papa dispenset ad beneficia, & dignitates, quibus animarum cura annectitur, *annus* 25 inchoatus, vt patet ex Trid. sess. 24. *de reform.* cap. 12. vbi subdit: *Ad cæteras autem dignitates, vel personatus* (loquitur de Ecclesijs Cathedralibus) *quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei & 22. annis non minores, adscisc antur*: vbi *Nota*, quod Dignitas, & Personatus significent specialem præcedentiam præ reliquis Canonicis. Vnde Barbosa de *effic. Episc. parte* 3. *alleg* 6. *n.* 70. censet, nisi Canonicatui simplici Ecclesiæ Cathedralis annexus sit Ordo Subdiaconatus, non inveniri in Trident. aliquid correctum, quominus 14 *anni* sufficiant. Quæ ætas à fortiori sufficit in Ecclesia Collegiata, puta annus 14 *inchoatus*.

Noranda hic etiam sunt verba Tridentini ibidem statuentis, *vt nemo ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiatur, nisi qui in Ordine sacro, suis sit initiatus quem illa Dignitas, vel Prębenda requirit aut saltem intra annum initiari valeat.* Item *vt in Ecclesijs omnibus Cathedralibus omnes Canonicatus, ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus*; Item ibidem *hortatur etiam sancta Synodus, vt in provincijs, vbi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesijs, & Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam* Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico.

3. *Requiritur* è Concil. Trident. honestas morum, seu probitas vitæ, vt non sit criminosus, id est, vitiosus per modum habitus, & consuetudinis, nec ob crimina infamis. Quamvis enim collario teneret (seclusa saltem irregularitate) esset tamen scandalosa, & mortaliter peccaminosa propter gravem irreverentiam in Deum, & Ecclesiam, & obicem salutis animarum. 4. *Competens* scientia, seu quanta ad officium beneficio annexum est necessaria 5. *Prudentia*, seu industria in rebus agendis iuxta officij exigentiam.

* 6 *Pono Casum*: Dixisti anteà ex Tridentino, Beneficiatum teneri intra annū suscipere sacrum Ordinem Beneficio annexum, si quis reciperet Canonicarum sine intentione recipiendi Ordinem annexum, & Ordine non suscepto resignaret beneficium, peccaretne mortaliter, cum onere restitutionis fructuū? *Dico* 1. Tutius, & probabilius est, quod si quis ab initio posi tivam & fraudulentam habeat, vel intentionem habuerit, Ordines non suscipiendi, seu non Clericandi, sed beneficij (sive hoc sit simplex, sive curatum) fructibus ad se suosque ditandos aliquo tempore perceptis resignandi, vxorem ducendi, sive in cœlibatu vivendi, peccet continuò mortaliter, & teneatur ad restitutionem fructuum. *Ratio*: Tum quia talis continuò decipit Ecclesiam, *fraus autem & dolus nemini patrocinantur*. Tum etiam, quia directè agit cōtra intentionem fundatorum, & Ecclesiæ. Ergo.

Dico 2. Idem est de eo, qui beneficium curatum recipit, cum animo dubio, & ancipiti, num intra annū Sacerdotium velit suscipere. *Ratio*: Quia iura in Cap. *commissa*: in tali proviso tanquam necessariam conditionem requirunt ingentionem intra annum à die provisionis suscipiendi Sacerdotium, nisi legitimè impediatur: Sed, qui dubius, & anceps est, non habet talem intentionem, vt patet. Ergo, nisi statim animum mutet tenetur restituere fructus, deductis tamen iis quos

Vicario

Vicario Eccleſiæ adminiſtranti dedit, vel reliquit.

Dico 3. Qui ab initio, quantum eſt de ſe, habet firmum animum Clericandi, & Ordinis ſuſcipiendi, nec Clericatum deferendi, niſi variatis circunſtantijs, & ex juſta cauſa, v.g. ad familiam conſervandam, ad graves lites ſopiendas, vel quia ſtatus hic videtur eſſe nō pro ſua vocatione, ex iſque cauſis poſtea Clericatum deferat, probabilius eſt, quod non peccet mortaliter, nec teneatur ad reſtitutionem. *Ratio*: Tum quia non adeſt vlla fraus, dolus, vel fictio, ſed ſincerus animus, vt ſupponitur. Tum quia Eccleſia non damnat talem intentionem deferendi beneficium in dictis circunſtantijs. Vide infrà in T. 15. de Sacram. Ordinis, an ad recipiendos licitè Ordines requiratur animus Clericandi. Sed pro maiori intelligentia Q. 3.

* 7 QUÆRO IV. Eſſetne ergo acceptio Perſonarum, ſi concurrerent duo pro Præbenda, quorum vnus eſt Nobilis ſed non ita litteratus, alter non nobilis, ſed litteratus, & nobilis propeneretur? *Reſp.* cū Sylveſtro Verbo Acceptio perſonarum: licèt litteratura nobilitati ſimpliciter præferenda ſit, vt patet ex Cap. *Venerabilis*, de præbend. Cuius *Ratio* eſt: Quia eſt neceſſaria in Regimine Eccleſiæ; poteſt tamen dari caſus, in quo præfenda eſſet Nobilitas, ſi nimirum ita eſſet neceſſe ad arcendos ab Ovili Chriſti lupos per potentiam, & aſſiſtentiam nobilitatis, dummodo ſuffragetur nobilitati morum honeſtas.

* 8 QUÆRO V. Eſtne acceptio perſonarum, adeòque peccatum, dare conſanguineo beneficium? *Reſp.* ſub diſtinctione cum S. T. *hic ar.* 2. *ad* 1. *dicente*: Circa conſanguineos Prælati diſtinguendum eſt: Quia quandoque ſunt minus digni, & ſimpliciter, & per reſpectum ad bonum commune. Et ſic ſi dignioribus præferantur, eſt peccatum perſonarum acceptionis in diſpenſatione ſpiritualium: Quorum Prælatus Eccleſiaſticus non eſt Dominus, vt poſſit ea dare pro libitu, ſed diſpenſator: ſecundum illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quandoque verò conſanguinei Prælati Eccleſiaſtici ſunt æquè digni, vt alij. Et ſic licitè poteſt abſque perſonarum acceptione conſanguineos ſuos preferre: quia ſaltē in hoc præeminent, quod de ipſis magis cōfidere poteſt, vt vnanimiter ſecū negotia Eccleſiæ tractēt Eſſet tamen hoc propter ſcandalum dimittendum, ſi ex hoc aliqui exemplum ſummerent, etiam præter dignitem, bona Eccleſiæ conſanguineis dandi. *Hæc ibi.*

* 9 QUÆRO VI. Eſtne acceptio perſonarum in gradibus prohibitis facilius ad contrahendum Matrimonium diſpenſare cum divitibus quam cum pauperibus, vel inferioribus? *Reſp.* cum *S. T. ibid. ad* 2. *dicente*, quod diſpenſatio Matrimonij contrahendi principaliter fieri conſuevit propter fœdus pacis firmandum. Quod quidem magis eſt neceſſarium communi vtilitati circa perſonas excellentes. Et ideò cum eis facilius diſpenſatur abſque peccato acceptionis perſonarum. *Ita S. D.*

* 10 QUÆRO VII. Acceptio Perſonarum habetne locum in exhibitione honoris, & reverentiæ, præferendo virtuoſum laicum virtuoſo Prælato, pauperē diviti, iuvenem ſeni? *Reſp.* cum *S. D. hic art.* 3. *in corp. dicente*: Honor eſt quoddam teſtimonium de virtute eius, qui honoratur. Et ideò ſola virtus eſt debita cauſa honoris; ſciendum tamen, quod aliquis poteſt honorari non ſolum propter virtutē alterius. Sicut Principes, & Prælati honorantur, etiam ſi ſint mali, in quātum gerunt perſonam Dei, & communitatis, cui præficiuntur. Et eadem ratione Parentes, & Domini ſunt honorandi, propter participationem divinæ dignitatis, qui eſt omnium Pater, & Dominus. Senes autem ſunt honorandi propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus, licet hoc ſignum quandoque deficiat. Vnde, vt dicitur *Sap. 5. Senectus Venerabilis eſt*, non diuturna neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Divites autem honorandi ſunt propter hoc, quod maiorem Locum in Communitatibus obtinent. Si autem ſolum intuitu divitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis Perſonarum.

Quid ſentis de Medico pauperes deſerente pro divitibus ei maiora munera, & plus pecuniæ tribuentibus? *Affirmo* peccare mortaliter, niſi ex alijs cauſis honeſtis excuſetur. *Ratio* patet ex dictis.

* 11 QUÆRO VIII. Peccatum acceptionis perſonarum poteſtne committi in Judicijs? *Reſp.* cum S. T. hic a. 4. in fine c. dicente: *Manifeſtum eſt, quod per Perſonarum acceptionem judicium corrumpitur. Ratio S. D. eſt*: Quia Judex ad æqualitatem juſtitiæ reducit ea, quę poſſunt facere oppoſitam inæqualitatem, ſed acceptio perſonarum habet quandam inæqualitatem, in quantum vni perſonæ, præter ſuam proportionem, aliquid attribuitur. Ergo.

Oppono 1. Ex juſtitia gravius puniuntur, qui injuriam inferunt perſonis Principum, quam qui inferioribus. Ergo. 3. Eccleſiaſtici 4. dicitur. In iudicando eſto pupilis miſericors. Ergo. *Ad* 1. *Reſp. S. D. a.* 1. *ad* 2. *dicens*: Quod cùm punitur aliquis gravius propter injuriam in maiorem perſonam committēm, nō eſt perſonarum acceptio, quia ipſa diverſitas perſonæ facit, quantum ad hoc, diverſitatem rei. *Ad* 2. *Reſp. ibid. S. D. ad* 3. *dicens*: Quòd homo in iudicio debet pauperi ſubvenire quantum fieri poteſt: tamen ſine læſione juſtitiæ. Alioquin habet locum illud, quod dicitur Exodi 23. *Pauperi quoque non miſerebęris in iudicio.*

* 12 QUÆRO IX. Quid ſentis de acceptione perſonarum in Collatione officiorum ſæcularium, & de corū venditione? *Reſp.* 1. Qui eligunt, vel (vti Principes) in gravis momenti officio ſæculari conſtituunt ineptum, vel digniori relicto, omnibus conſideratis minùs dignum, mortaliter peccant, & tenentur Reipublicæ reſarcire omnia damna indè ſecuta. Ita major tutior, & probabilior ſententia. *Ratio*: Quia ex juſtitia tenentur officia publica tanquam bona cōmunia ſubditis conferre juxta leges juſtitiæ diſtributivæ, & ſecūdum eorum merita. *Item* Communitas indè privatur magnis emolumētis, ſeu patitur gravia damna, quorum ipſi ſunt cauſa efficax. Ergo. *Not.* tamen hic proportionabiliter applicari poſſe diſtinctionem, & exceptiones, traditas antè à circa Q. 2.

Reſp. 2. Officia ſæcularia vendere, ex natura rei, ſeu ſecundūm ſe, id eſt, ſeclusis malis circunſtantijs, quidē illicitum non eſt, eſt tamen illicitum ratione ſcandali, aliorumque damnorum Reipublicæ indè obvenientium. *Ratio* 1. *p.* In officijs publicis reperitur dignitas, exceſſus pretij, nimirum ſalarij ad labores, & occaſio lucrandi, ſed hæc verè ſunt pretio æſtimabilia. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Talis venditio eſt peſtis, & ruina Reipublicæ; Digniores enim, quorum opera Reſpublica poteſt firmari, conſervari, ſtabiliri, &c. relinquuntur, & emptores, ſeu cōſtituti pro pretio, ſubditos tremēdè exſugūt, & emungunt, vt pretium à ſe ſolutū recuperent. Ergo.

EXAMEN II.

De homicidio, quod opponitur juſtitiæ commutativę?

De quo S. D. agit q. 64. *per* 8. *art.* Et de mutilatione *q.* 65 *per* 4. *art.*

DE reſtitutione ex homicidio, & mutilatione bello, & duello, actum eſt in præcedentibus; vti videri in propriis locis.

* 1 QUÆRO I. Occidere malefactores præsertim bannitos, esne licitum, etiam privatæ personæ? *Resp.* Licèt; non privatæ personæ, sed habenti publicam authoritatem. Ita S.D. *a.* 1. & 2. De bannitis, qui illi sint, *vide R. ad* 1. *Oppon. n.* 2. *Ratio eius est* Omnis pars naturaliter est propter totum, & ordinatur ad illud, vt imperfectum ad perfectum, & propter hoc videmus, quod si saluti totius corpori humani expediat præcisio alicuius membri, puta, cum est putridum, vel corruptivum aliorū membrorū, laudabiliter, & salubriter abscinditur; sed singularis persona comparatur ad totam Communitatem sicut pars ad totum: Ergo si aliquis homo sit Communitati periculosus, & corruptivus ipsius; propter aliquod peccatum, laudabiliter occiditur, vt bonum cōmune conservetur in quantum per id conservatur. *Subsume* ex S.D. *a.* 2. *in c.* Sed cura boni Communis commissa est Principibus habentibus publicam authoritatem. Ergo solis illis licet, &c.

* 2 *Oppono* 1. *contra* 2. *p.* Cuivis licet occidere latrones, & alios malefactores publicè proscriptos, seu bannitos. Ergo. 2. *Idem* est de Principe, qui Rempublicam Tyrannicè invasit, & occupavit. Ergo. 3. *Jus Civile* permittit Patri adulterum, vel filiam in adulterio deprehensam occidere: & Marito, occidere adulterum (si persona vilis sit) cum vxore deprehensum, non tamen ipsam vxorem. Ergo.

Ad 1. Præmitto, bannitum vocari, cuius occidendi potestas à Principe, seu Magistratu cuivis publicè concessa est. De quo est quæstio, an talis occisio cuivis, non solum in foro externo, sed etiam in conscientia sit licita? Cum Magistratus facultem occidendi malefactores possit aliis cōmittere, & iustum mandatū sæcularis potestatis etiam in & pro foro poli teneat; ideò communis est sententia affirmans. Veruntamen inter Christianos non facilè practicanda, nisi in casu raro, eo quod per talem occisionem ille bannitus, vtpotè sacramentis carens, pereat corpore, & anima in æternū, quod indubiè à Christiana pietate alienum est. Dixi, *nisi in casu raro*. Nimirum nisi in quo Respublica à tali proscripto quasi quotidianum pateretur damnum, tūc enim occidi potest, vti quivis hostis, ob salutē Reipublicæ: dummodo salventur hæ conditiones. 1. *Ut* motivum occidendi non sit privata vindicta, sed zelus justitiæ. 2. *Ut* non fiat pendente appellatione, vt, si bannitus à lata contra se sententia banni appellaverit ad superiorem, & appellationem prosequatur. 3. *Ut* non occidatur extra territoriū proscribentis. 4. *Ut bannitus* nō sit coniux, frater, parens, filius, à quorū occisione abhorret natura, cuius iura lex civilis nequit immutare: immò dicitant, præfatis alimenta deberi. Porrò dicta occisio non fieret à quovis, vt à privata persona, sed vt à mandatario Reipublicæ. *Ad* 2. Vide supra T. 8. E. 1. n. 19. alium esse Tyrannum vsurpatione potestatis, aliū vsu Regiminis, prout ibi explicatum est. Vnde dico, quòd cuivis privatæ personæ liceat occidere Tyrannū in prima significatione; non in 2. Nam vim repellere licèt; sed in primo casu non solum Respublica, sed & quivis privatus à tali Tyranno patitur vim. Ergo. Verum in 2. casu Tyrannus habet legitimū ius ad Regnū. Ergo eo spoliari non potest, minùs occidi, antequam causa publica authoritate discernatur; & iudicetur. *Not. tamen* etiam ad occisionē Tyranni in prima significatione requiri. 4 *Conditiones*. 1. *Ut* certo constet, quòd Tyrannus nullum habeat ius. 2. *Ut nullum* aliud supersit remedium, aut à superiore auxilium. 3. *Ut* Respub. in talem Tyrannum nondum cōsenserit. 4. *Ut* ex occisione non sequantur paria, vel maiora mala.

Ad 3. R. Leges illas civiles non esse iustas, quamvis etiam dici possit eas id permittere, nō politivè, seu factum approbando, sed solum negativè, id est, ob nimium dolorē condonando. Sicut à pari, de jure Canonico non incurrit excōmunicationem, qui violentas manus iniicit in Clericum cum matre, filia, vxore, vel sorore deprehēsum. Ratio cur dictæ leges sint iniustæ, & à jure Canonico reprobatæ, patet ex dictis de bannitis, quia non solū corpus, sed & anima occisi periret.

* 3 QUÆRO II. Quid si reus de Assassinis, & proditorie occidentibus? qui illi sunt? gaudentne immunitate Ecclesiæ? *Resp.* 1. Hic terminus *Assassinus* duas habet significationes. 1. *Proprie* significat quandā gentem in Syria, seu infideles, qui facilè inducebantur ad occidendos Christianos, immò fas esse putabant, occidere quoscūque inimicos sui Regis ipso iubente. Quia in re Innoc. IV. in Concil. Lugdun. promulgavit excōmunicationē in Christianos mandantes per eos occidi Christianū, etiam morte non secuta. Quare censura non comprehendit ipsos *Assassinos*, aut corū Regē, vtpote infideles: nec defacto locū habet, cùm illi populi non amplius grassentur. 2. *Sumitur* vulgarius, seu latius, & est nomen vitij, quo Justitiæ intelligunt quemcumque, qui ad alicuius instantiā mercede conductus, seu pro pecunia occidit hominem. Et hos etsi gravissimè puniendi sint, dicta censura non concernit, quia meminit de solis illis, eo tempore notis. Crimen illud, vocatur *Assassinium*, vel *Assassinatus*, malefactores tales, *Assassinij*.

Resp. 2. Homicidium *proditorium* cōmittere dicitur, qui aliquē nulla prævia rixa, vel rancore, sed potius simulata amicitia occidit veneno, vel à tergo, vel aliàs nihil tale metuentem, seu in iis circumstantijs, vbi præcavere non debuit. Ex quo patet, dici proditorium à ly *Proditor*, qui est simulatus amicus.

* 4 *Resp.* 3. Immunitas localis, de qua hic ägitur, solet etiam vocari *ius Asyli*, competens malefactoribus confugientibus ad loca pia publica, nimirū ad Ecclesias, Cœmeteria, Monasteria, & authoritate Episcopi erecta hospitalia, vt exindè licèt gravia crimina commiserint, violenter extrahi, aut pœna corporali sanguinis affici non possint. Hæc tamen immunitas nō extendit, vt malefactores nullatenùs puniantur, sed vt pœna corporalis comutetur in pecuniariam, vel Ecclesiasticam, & damna illata civiliter compensentur.

* 5 *Resp.* 4. Præter delicta excepta, de quibus posteà, omnes rei, quorumcunque criminum, gaudent immunitate, v.g. fures, sacrilegi, perjuri, suspensi, interdicti, excōmunicati, Monachi, id est, occidentes in duello, homicidæ, Clericorum occisores, parricidæ, secluso proditione, vel assassinio. Sodomitæ, adulteri, Monialium defloratores, raptores, blasphemi, simoniaci, Religiosi, apostatæ, si confugiant ad Ecclesiam alterius Religionis. Clerici, si comiserint grandia, ob quæ torqueri, degradari, Curiæ Sæculari tradi, ad triremes, vel perpetuos carceres deberent condemnari, secus est, si agatur solū de pœna eorū merè Ecclesiastica, quæ potiùs Correctio, quam fori externi vindicta est. Item Judæi, & Gentiles, seu Pagani iuxta Sylvestrum.

* 6 *Resp.* 5. Crimina excepta, seu immunitate non gaudentia sunt. 1. *Hæresis*, id est, hæreticus formaliter sumptus, seu pro delicto hæresis tantū, nō gaudet immunitate, benè tamen pro aliis delictis. 2. *Homicidium, & mutilatio* facta physicè in Ecclesia, vel propè Ecclesiam *cū spe immunitatis*, id est, quo citiùs possit in Ecclesia se salvare, cū text. *in cap. fin tit. de immunit. Eccles.* hæc duo copulet, & in pœnalibus non sit facienda extensio. Alij quidem tenent hanc copulam non requiri, fundantes se in hoc, quod sicut frustra legis auxilium invocat, qui in legem delinquit, ita verisimile non sit, quod Ecclesia protegat illos, qui eam homicidio violant;

lunt. Sed quo ad hoc discerne ex vberiori Canonistarum doctrina, quam vide. Vbi invenies, quod alia crimina, v.g. furtum, sacrilegium reale, &c. intra, vel propè Ecclesiam cõmissa, non privent reum immunitate. 3. *Homicidium proditorium* effectu secuto ante explicatum. 4. *Assassinium* in secunda significatione ante tradita in Resp. 1. 5. *Crimen lesæ Maiestatis* commissũ directè in Personam Principis, puta, Supremi, seu in temporalibus Superiorem non recognoscentis, vt scilicèt Reges, & similes. Dixi *directè*, secus enim est de crimine cõmisso in Legatos, Proceres, vel statuam Regis, vel dignitatem Regis, v.g. cudendo falsam monetam, aut faciendo se Regem, cùm non sit. Quia in his non offenditur Persona Regis (de qua loquitur bulla) sed dignitas. Item iuxta bullam offendens debet esse vasallus Regis læsi, vel ratione originis, vel domicilij. 6. *Publici Latrones*, id est, qui interdiù, & palam publicas vias armati obsident, transeuntes aggrediuntur, & spoliant, resistentes vulnerant. Item *Pyratæ*, & qui incolunt castra, è quibus erumpunt, ac vicinos, aut peregrinantes damnificant. 7. *Nocturni depopulatores agrorum*, id est, qui nocturno tempore, & latenter vastant segetes, damnificant rusticos, aliosve itinerantes in vijs publicis. Vtrumque hoc crimen requirit violentiam, & assiduitatem, id est, frequentiam.

* 7 *Pono duos casus.* 1. Malefactor confugit ad Sacerdotem, quem videt per plateam portare Eucharistiam, seu associat se comitantibus, gauderne immunitate? *Idem quæro*, si Eucharistia afferatur alicui ad carcerem, qua occasione reus arripit stolam Sacerdotis, vel ciborium. 2. *Homicida*, aliusve malefactor vinctus ducitur per Ecclesiam, vel Cæmeterium, in quo proclamat ad immunitatem, gauderne ea? Quid ad hos casus respondes?

Ad 1. pro 1. p. cum cõmuni, & practicè veriori sententia assero; pro 2. p. Nego. *Ratio 1. p.* Tum quia Corpus Christi est longè digniùs locis pijs, immò est ratio, & fundamentum immunitatis illis concessæ. Deinde si de jure civili, *l. unica, Cod. de his, qui ad statuas, &c.* immunitate gaudeant, qui cõfugiunt ad statuas Principum. Si iuxta aliquos DD. à morte liberatur reus, cui Cardinalis obviàm factus pileum suum imponit; cur non à fortiori in casu posito? *Ratio 2. p.* est, quia talis propriè non dicitur confugere ad asylum, quod concessum solum est confugientibus ad ipsum, qui in libertate sunt: quomodocumque ad eam redierint.

Oppono contra 1. partem. Privilegium ad non expressa per consequentiam trahi non debet. *Dico* vltra casum expressum posse extendi ex rationabiliter præsumpta privilegiantis voluntate. *Ad 2. Casum* Respondetur negativè. *Ratio*, quia non est liber, nec ad libertatem rediit, vti rediret, si è manibus lictorum elaberetur, & tunc gauderet immunitate.

* 8 *Dic mihi*: Vnde reus ad Ecclesiam confugiens alendus? *Dico* 1. Subministratio alimentorum nõ potest impediri. *Ratio*: Quia aliàs reus indirectè saltem extraheretur ex Ecclesia, vel in ea fame occideretur. *Dico* 2. Si reus habet bona propria, ex ijs est alendus, sin minus à Consanguineis: quos si nõ habeat, monendi sunt fideles, quod teneantur extremè indigenti succurrere, apud quos proinde facienda est collecta pro eo. Si hæc media non proficiant, Ecclesia, eiusque Clericus eum alere tenentur. *Ratio huius partis est*, quia eis incumbit incolumitatẽ præstare vitæ, & membris rei ad se confugientis.

* 9 *Cuius auctoritate* reus ex Ecclesia extrahendus, si immunitate non gaudeat? *Dico* authoritate Ecclesiastica, seu Ordinarij. *Ratio*: Quia illius fori est immunitas, eiusque examen. Hinc si Iudex sæcularis id attentaret, graviter peccaret, teneretur que reum Ecclesiæ restituere.

* 10 QUÆRO III. Occidere malefactores licetne Clericis, saltem Prælatis, ac Iurisdictionem sæcularem habentibus? *Resp.* Quamvis in causa sanguinis non liceat eis iudicare, nec quidquam facere, quo Iudicem à se institutum moveant, ad mortis, vel mutilationis executionem, vt patet *ex Iure. C. litteris tit. de Excess. Prælat.* possunt tamen absque vllo peccati, aut irregularitatis metu, ad tales causas examinandas, & iudicandas deputare Iudices, immò, si opus sit, illis præcipere, vt inquirant circa talem, vel talem causam, & faciant, quod est iustum. Hoc enim eis à iure communi conceditur. *Ratio*: Quia per ipsum exercitiũ in particulari circa necem malefactoris amittitur quidem mansuetudo Ecclesiastica, non tamen per dictam cõmissionem. Sicut ergo Concionator, vel Confessarius absque metu irregularitatis potest monere Iudicem, vt faciat suum officium. Ita similiter, &c. Vnde S. T. hic art. 4. ad 3. ait. *Prælati Ecclesiarum accipiunt officium Principum Terræ, non vt ipsi iudicium sanguinis exerceant per se ipsos: sed quod eorum auctoritate per alios exerceatur.*

Oppono: Nemo dat, quod non habet, sed Prælati Ecclesiastici, licèt habeant Iurisdictionem sæcularem, non tamen habent facultatem iudicandi in causa sanguinis: ergo nec possunt eam alijs dare. *Ad hoc* distinguitur *min.* non tamen habent facultatem iudicandi expeditam. *Conc. min.* suspensam, & ligatum *neg. min. & conseq.* Vnde dant quod habent. Dici etiam potest, quod & expeditam facultatem habeant, non quidem formaliter (spectando ius positivum) sed virtualiter, & eminenter in officio suo.

* 11 Quantum est peccatum Clericorum causæ sanguinis se immiscentium? *Dico* 1. Præterquam quod incurratur irregularitas, Clerici sive maiorem Ordinum, sive minorum, cum adiuncto beneficio, iudicio sanguinis, vel mutilationis se immiscentes peccãt mortaliter. Alij privantur privilegijs Clericorum, & fiunt inhabiles ad vltra procedendum in Clericatu, & (cum exiguam super sæculares habeant eminentiam, & ad ministerium altaris remotè solũ accedant) peccant venialiter. *Dico* 2. Clerici tam maiorum, quam minorum Ordinum si executioni sanguinis, vel mutilationis interfint, ex sola curiositate, vel levitate, nullam authoritatem, vel auxilium præstantes, non fiunt quidem irregulares, peccant tamen venialiter. *Ratio*: Quia agunt contra decentiam sui status, & prohibitionem Ecclesiæ.

* 12 QUÆRO IV. Seipsum occidere, mutilare, castrare, vel castrari facere, estne semper peccatum? *Ante* R. *Nota*, quod non sit idem, occidere se, & nõ conservare suam vitam. Ad primum requiritur, vt quis faciat actionem, qua directè vita destruitur, vt, si quis gladio se perfodiat, vel se suspendat, submergat, &c. quæ sunt positiva. Ad secundum exigitur pro formali, & sufficit sola privatio, vel negatio conservationis, vt, cum quis non potest, vel non tenetur (v.g. miles in sua periculosa statione, Confessarius, vel Medicus tẽpore Pestis, &c.) vitam conservare. Dixi 1. *pro formali*, quia pro fundamento talis negationis dicit aliquid positivum, v.g. actionem, ex qua indirectè sequitur mors, vt patet in exemplis mox datis. Dixi 2. *cum non potest, vel non tenetur conservare.* Si enim possit, & teneatur conservare, & non conservet vitam, dicitur moraliter (licet nõ Physicè) se ipsum occidere. Hoc notato.

* 13 *Resp.* 1. *Suicidium*, seu directa sui ipsius occisio semper est peccatum mortale, contra charitatem

sui

sui ipsius, & contra Justitiam comparativè ad Communitatem, & Deum *Ita docet, & probat S. D. hic art. 5. in c.* his tribus rationibus. 1. *Naturaliter* quælibet res ipsam amat, & ad hoc pertinet, quod naturaliter conservet se in esse, & corumpentibus resistat. 2. *Quælibet* pars id, quod est, est totius; Ergo in hoc, quod quis se interficit, iniuriam facit cõmunitati. 3. *Vita* est quoddam donum divinitus homini attributum, & subiectũ potestati eius, qui occidit, & vivere facit: Ergo qui seipsum vita privat, in Deum peccat; sicut, qui occidit alienum servũ, &c. Idem est de eo, qui seipsum directè mutilat. Pro quo vide *T. 8. E. 2. n. 38.* quis sit dominus vitæ, & membrorum, &c.

Dixi in Responsione, *directa* Quia indirectè se occidere, ideſt, facere, vel permittere ex iusta causa (v. g. pro honore Dei, vel bono cõmuni, aut proximi) aliquid ex quo videt mortem sibi imminere, sæpè licitũ est, vt patet, tum in exemplis ante datis, tum quòd liceat quærere, vel acceptare occasionem martyrij pro Deo: tum quia non tenetur quis cõservare vitam per media difficillima, insolita, v. g. per medicinas pretiosissimas, per pedum, aliorumve membrorum abscisionem, &c. *Item*, si quis aliter non posset evadere incendium, seu gravissimum tormentum ignis, quàm desiliendo è tecto, vel fenestra in terram licèt prævidear saltum hunc sibi esse lethalem.

* 14 *Resp. 2.* Non licèt homini seipsum interficere, vt ad fœliciorem transeat vitam, & præsentis vitæ miserias evadat. Ita S.D. *hic a. 5. ad 3. dicens, & probans sic*: Homo constituitur dominus sui ipsius per liberum arbitrium. Et ideò licitè potest homo de seipso disponere quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitã, quæ, hominis arbitrio regitur; sed trãsitus de hac vita ad aliã fœliciorem, non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati divinæ. Subdit S.T. Vltimum malorũ huius vitæ, & maximè terribile est mors, 3. *Ethic. c. 6.* Et ideò inferre sibi mortem ad alias huius vitæ miserias evadendas, est maius malum assumere ad minoris mali vitationem.

* 15 *Resp. 3* Non licet seipsum interficere propter aliquod peccatum commissum. *S. D. ibidem ad 3. Ratio* S.T. est. Tũ quia in hoc sibi maximè nocet quod sibi adimit necessarium pœnitentiæ tempus. Tum etiã, quia malefactorem occidere non licet, nisi per iudicium publicæ potestatis; nullus autem, licet super alios habeat publicam potestatem, est Judex suiipsius, licet talis possit se committere iudicio aliorum, *vt* S. D. *ait ad 2.*

* 16 *Resp. 4. Non* licet mulieri seipsam occidere, ne ab alio corrumpatur *ibid. ad 3. Ratio S. D. est.* Quia non debet in se committere crimen maximũ, quod est suiipsius occisio, vt evitet minus crimen alienum. Non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ; si consensus non adfit, quia non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis, vt Lucia dixit: Constat autem, minus esse peccatum fornicationem, vel adulteriũ, quam homicidium præcipuè suiipsius, quo sibi ipsi nocet, cui maximam dilectionem debet.

* 17 *Resp. 5.* Nulli licet se ipsum occidere ob timorem, ne consentiat in peccatum. S. *D. ibid. ad 3. Ratio* eius est. Non sunt facienda mala, vt eveniant bona, vel vt vitentur mala, præsertim minora, & minus certa: Sed est incertum, an aliquis in futurum cõsentiat in peccatum, potens est enim Deus hominem, quacumque tentatione superveniente, liberare è peccato. Ergo.

Quomodo ergo excusas Samsonem, & alios Sanctos, qui seipsos interfecerunt, vel in ignem coniecerunt, vt fecit S. Apollonia? *Ad hoc* Respondeo verbis *S.T. a. 5. ad 4. dicentis ex* S. *Aug.* Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cũ hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus Sanctus hoc iusserit, qui per illũ mirabilia faciebat. Et eandẽ rationem assignat (S. Aug.) de quibusdam sanctis fœminis, quæ tempore persecutionis seipsas occiderunt, quarum memoria in Ecclesia celebratur. *Hæc ibi.*

* 18 *Resp. 6.* Si membrum sit sanum, non licet vlli privatæ personæ, etiam ipsi (vel de consensu eius) cuius est, præscindere, benè tamen per authoritatem publicam propter delicta. Ita S.D. *q. 65. a. 1. in corp.* *Ratio* patet ex dictis pro R. 1.

Resp. 7. Si membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, de volũtate eius, cuius est, licèt illud præscindere propter salutem totius corporis. S.D. ibid. *Ratio*, quia vnicuique commissa est cura propriæ salutis. Et eadem ratio est, si fiat voluntate eius, ad quẽ pertinet curare de salute eius, qui habet membrũ corruptivum, ait S.D. qui ad 1. id explicat docens, id quidem esse contra naturam particularem, puta, ipsius membri, vel hominis: esse tamen secundum naturam, ac inclinationem vniversalem, in comparatione ad bonum commune.

* 19 *Resp. 8.* Ad vitandum maius malum, etiam solùm ab extrinseco illatum, licèt se mutilare, v. g. abscindere manum ligatam, ad evadendum ignem *Ratio*, quia tunc mutilatio est mediũ necessarium ad conservandam vitam, ad quam membra per se ordinantur.

* 20 *Resp. 9.* Non licèt, sed mortale est se castrare propter castitatem servandam Ita S.D. *q. 65. a. 1. ad 3. dicens*: Membrum non est præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest. Saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri, quàm per membri præcisionem: quia peccatũ subiacet voluntati. Et ideò in nullo casu licèt membrum præscindere, propter quodcumque peccatũ vitandum. Vnde Chrisost. exponens illud Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnũ Cœlorum*; dicit, non per membrorum abscisionẽ, sed malarum cogitationum interemtionẽ: Maledictioni enim est obnoxius, qui membrum abscindit. Etenim homicidæ sunt qui talia præsumunt. Et posteà subdit: Neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma quod in nobis est, & præcipuè à proposito incontinenti, & mente negligente. Nec ita abscisio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frenum. *Hæc S. Thom.*

Addo: Quòd ex castratione solùm impediatur generatio, manente immò magis inflammata concupiscentia; hinc sæpè magis luxuriantur castrati quàm alij: quod expressit Ecclesiast. c. 30. dicens: *Sicut Spado complectens Virginem, & suspirans.* Eadem Responsio 9. manifestè patet ex Concil. Nicæn. Can. 1. *c. si quis, dist. 55.* Ex his etiam patet intelligentia Verborum Christi, Matth. 24. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*: non enim loquitur de parte, seu oculo corporali, sed de spirituali eruendo per remotionẽ occasionũ peccãdi.

* 21 *Resp. 10.* Probabilius, & tutius est, quòd non liceat, sed mortale sit se castrare, aut scienter castrari facere, vel permittere, ad retinendam teneram vocem pro musica, etiam divini cultus: vnde & parentes id in filijs permittentes mortaliter peccant. Ita colligitur ex S. Thom. *q. 65. art. 1. in corp.* Cuius doctrina adducta est in R. 6. & 9. Est autem contra aliquos RR.

Ratio 1. Cuiuscumque membri amputatio est partiale sui ipsius homicidium, exponitque se homo per castrationem præsenti periculo vitæ. Ergo 2. *Nemo* est domi-

dominus membrorum ſuorum,ſed ſolùm vſuarius: ergo non poteſt in eorum abſciſionem licitè conſentire, niſi pro conſervatione totius corporis, vel membri principalis. 3. *Caſtratio* non eſt licita ob finem ſpiritualem,v.g.caſtitatem, vt patet ex *Reſp.* 9. ergo multò minùs ob bonum temporale, cùm hoc ſit inferius illo. 4. *Suavitas* vocis muliebris non eſt perfectio corporis virilis,immò eviratio probro ducitur, & facit non eſſe integrum hominem: Ergo propter eam caſtratio non excuſatur. 5. *Etſi hæc* ſuavitas vocis applicetur ad divinum cultum, non eſt tamen ei neceſſaria: nihil dicendo de hoc, quòd Spadones ea crebriùs vtantur extra Eccleſiam, quàm intrà; ac intrà per eam ſæpè ad laſciviam incitent. Ergo.

Ex his etiam ſolvuntur oppoſitiones Adverſariorum, & ex ratione 4. ſpecialiter ſolvitur id, quod dicunt, vſufructuarium poſſe rem vſufructuariam facere meliorem;v.g.arbores inutiles rollendo, meliores inſerendo: Sed homo (ſubſumunt) eſt vſufructuarius ſui corporis: Ergo poteſt illud meliorare: Sed melioratur per ſuavitatem vocis.Ergo.Negatur enim ſecũda *min.* ſubſumpta. Vide *in T. de Cenſuris*, quòd homicidium, caſtratio,aliaque mutilatio, & in quibus caſibus,inducat irregularitatem. Et hic obiter ſolùm, *Nota*, vulgi errorem eſſe, quòd caſtratus,ad Ordines, ſive de jure, ſive ex diſpenſatione admiſſus, partem præciſam pulverizatã debeat portare ad collum.Hæc enim portatio corporis integritatem, ac virilitatem ei non reſtituit.

* 22 QUÆRO V. Licètne in aliquo caſu ob bonum publicum, v.g. quo civitas dura præmitur obſidione,quam Tyrannus vult ſolvere, modò ipſi detur caput alicuius innocentis quẽ Tyrannus maximè odit: licetne,inquam in hoc caſu directè per ſe,id eſt,ex intentione occidere innocentem in ſua innocentia permanentem? Item licetne in bello iuſto ſaltem?

Reſp. Tutior,& probabilior eſt ſententia negativa, quæ colligitur ex S.T.q.64 ar.6.in fin.c.dicẽte:*Nullo modo licet occidere innocentem.* Vbi *Nota*,nos hic non loqui de innocente,qui in foro fori eſt probatus nocens, *de hoc enim* agetur *in* E.4.n.4.*Ratio* 1.Nemo directè & per ſe poteſt auferre vitam, niſi qui habet dominiũ vitæ:Sed ſolus Deus habet dominiũ vitæ hominis vnde Abrahã non peccaſſet occidendo filium ſuum Iſaac, quia erat ei mandatum à Domino. Ergo. *Ratio* 2. de bello iuſto eſt: Fundamẽtum belli, & necis eſt iniuria illata: Sed innocentes (vti ſunt mulieres,parvuli,Religioſi,Clerici,Peregrini,Hoſpites,Mercatores, cuntes, & redeuntes) non inferunt iniuriam, vt ſupponitur; ſi enim aliquam inferant, variatur Caſus,& fiunt nocentes. Ergo.

Dictum eſt in Quæſ. *per ſe,& directè*, nam indirectè,& per accidens occidere innocẽtem,non eſt peccatum,ſicut ſi bellum iuſtum non poſſit aliter expediri, quam cum nocentibus occidendo innocentes. Eadem ratione Reſpublica licitè exponit pro ſua defenſione vitam civium. Pariter in caſu in Q.5 propoſito innocens ſponte ſua tanquam pars (quæ eſt propter totum) tenetur ſe offerre pro bono communi, vt à tanto malo liberet communitatem, quod ſi non faciat, poteſt id Reſpublica ei præcipere;ſi præcepto non obediat,iam ſit nocens,& tunc vt talis poteſt tradi Tyrano.

* 23 *Oppono* 1. contra hanc indirectam occiſionem innocentis: in eo caſu Reſpublica non poſſet Tyranno Codices ſacros,aliaſve res ſacras tradere ad illudendum. 2. *Nec* Virginem ad violandum,ſi eam peteret: Ergo nec Innocentem. *Nego conſeq.* Nam iuxta omnes DD.bonum Dei eſt præferendum etiam publicæ ſaluti, ſeu bono communi,illa autem traditio rerum ſacrarum eſſet ſacrilegium,dedecus,& iniuria directè redundans in Deum. Virgini autem magnum immineret periculum animæ ne conſentiat in peccatum.

* 24 QUÆRO VI. Licetne per medicinas, vel alia media procurare abortum,maxime pro conſervatione vitæ humanæ. *Reſ.* 1.Qui ex malitia impedit, ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, licèt non ſit propriè homicida,eſt tamen quaſi talis,& mortaliter peccat.*Ratio*:Homicidium propriè eſt occiſio hominis,quando autem fœtus non eſt animatus,nõ eſt homo:quia tamen ſemen ad generationem hominis ordinatur,eſt indirecta occiſio hominis. Ergo *Nota tamen*, *per hoc* non incurri irregularitatem.

* 25 *Reſp.* 2.Qui voluntariè,ſive ipſa ſua opera,ſive conſilio,ſive alio modo procurat abortũ,fœtus animati,effectu ſecuto graviſſimè peccat, & incurit irregularitatem. *Ratio*: Quia verè eſt homicidium. Vide infrà de irregularitate.

* 26 *Reſp.* 3.Probabilius,&tutius eſt,nunquã licere, directè expellere fœtũ,etſi nondum animatũ,etiã propter vitam conſervandam,aut infamiam vitandam, aut ſcandalum. *Ratio* 1. Directa procuratio abortus eſt intrinſecè mala,quia eſt contra naturam, & finem primarium generationis:Ergo nullo fine cohoneſtari poteſt.Et ex oppoſita ſententia ſequũtur infiniti abſurdi.

Ratio 2. Subſtantia ſeminis non tã proximè ſervit generationi hominis quam fœtus inanimatus: Sed directa expulſio ſeminis eſt intrinſecè mala, nec vllo fine cohoneſtari poteſt v. g. ſanitatis gratia, aut ne parentes graventur prolibus, aut ad cavendam infamiã, ſeu tuendum honorem, ne adultera,vel puella defloratа concipiat,quibus ea de cauſã nõ licet ſtatim poſt coitum ejicere ſemẽ,etiamſi vi oppreſſa eſſet,quia hæc violenta oppreſſio non derogat honori. Ergo. Nota, inter propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas eſſe & hanc Numer. 34.*Licet procurare abortum ante animacionem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

* 27 *Oppono*: Inter duo mala minùs poteſt eligi, quæ eſt communis regula iuris: Sed perdere fœtũ imperfectum eſt minus malum,quam miſeram mulierem exponere periculo vitæ,ſcandali,infamiæ,&c.ſi proles prodeat.Ergo. *Ad hoc* Reſp.*mai.* eſſe veram de duobus malis pœnæ,vt ſunt v.g.vulnus,vel mors,non verò de malis culpæ: nam nec minimum veniale peccatum licet commitere etiam pro ſalute totius mundi, iuxta illud Chriſti: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Quomodo poſſit inter duo mala culpæ ſuaderi minus, vide ſuprà *T.7.E.7 n 66* ad Caſum ſextum.

* 28 *Reſp.* 4. Juxta communem ſententiam licèt ſumere medicinam, quæ directè, & ex natura ſua tendit ad ſanitatem matris, & non ad expulſionẽ fœtus,ſi ſanitas aliter obtineri non poſſit, ſaltem ſi fœtus nondum ſit animatus. *Ratio*: Quia tunc abortus ſequitur merè per accidens,& medicina ſumitur præcisè ex motivo ſanitatis. *Reſp.* 5. Idem licèt, etſi fœtus iam eſſet animatus, ſi de matris ſanitate iam eſſet deſperatum,& ea non ſanata proles prodire non poſſet. *Ratio*: Quia in hoc medicina eſſet favorabilis matri,& proli, quia matre morientе morietur, & proles, matre ſanata poſſet ſupervivere proles, licèt fortè per accidens ſequeretur abortus.

* 29 *Quid ſentis* de tempore, quo fœtus animatur? *Dico*:Communis DD.opinio eſt,maſculum animari die quadrageſimo, fœmellam octogeſimo. Ita docet Ariſtot. *lib.* 5. *animalium*, *cap.* 3.

* 30 *Sed quid*,ſi dubitetur,ſitne mas, vel fœmi-

na? *Dico* : Quoad forum conſcientiæ (in quo in dubio pars tutior eſt eligenda)præſumendum eſt eſſe animatum poſt diem 40. Quam ſententiam, vt communiorem practicari in Pœnitentiaria Romana,teſtatur Sylvius ex Navarro, multùm in dicta Pœnitentiaria verſato.E contra in foro contentioſo,dum agitur de pœnitentia infligenda,pars mitior eligenda eſt. Et *Nota*, inter propoſitiones ab Innocent.XI. damnatas eſſe,& hanc 35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cùm paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

* 31 QUÆRO VII. Eſtne licitum, privata authoritate occidere invaſorem pro defenſione ſuæ perſonæ,ſeu vitæ,aut bonorum temporalium,divitiarum, pudicitiæ honoris, famæ,&c? *Reſp.*1. Probabilius eſt, quod quis regulariter ex motivo virtutis,pro vita corporali,vel ſpirituali invaſoris ſui (vt is habeat locum pœnitentiæ) poſsit ſe permittere ab eo occidi,dũ confidit ſe eſſe ſine peccato mortali,vel ſi de eo prius eliciat contritionem : ſecus non licet. *Ratio* : Tum quia præceptum de cõſervanda vita eſt affirmativum,ideòque non obligat pro ſemper,ſed pro loco,& tempore. Tum etiam,quia licet vita propria ſecundum ſe ſumpta ex charitate ſeipſius ſit præferẽda vitæ alienæ etiam ſecundum ſe ſumptæ, ſi tamen huic adiungatur ſupernaturale motivum virtutis,illa præferri poteſt. Idem patet exemplo Chriſti,& plurimorumMartyrum.Dixi *regulariter*.Non enim licèt,ſi invaſus ſit multum neceſſarius Reipublicæ.

* 32 *Reſp.* 2. Cuivis homini licitum eſt, in inſtum invaſorem ſuum in ipſo actu aggreſsionis occidere, cum moderamine inculpatæ tutelæ,& ſine omni livore vindictæ,ſic vt defenſio ſui,ſeu vitæ ſuæ ſit finis per ſe intentus, occiſio verò invaſoris ſit effectus per accidens.Ita expreſsè *S.D.hic q.* 64. *art.* 7. *in c. Rationes S. D.* ſunt.1. *Cuilibet* naturale eſt,quod ſe conſervet in eſſe,quãtum poteſt,& hoc faciens vtitur iure ſuo,à natura ſibi indito. 2. *Secundum* iura vim vi repellere licet cum moderamine.3 *Actus* morales recipiunt ſpeciem ſecundum id,quod intenditur,non autem ab eo, quod eſt præter intentionem, cum hoc ſit per accidẽs: Sed in caſu poſito per ſe intenditur defenſio ſui, quæ eſt bona, & licita. Ergo.

Dixi 1. *in ipſo actu aggreſsionis*,nam ceſſante violẽtie,& periculo,non licet. Dixi 2. *cum moderamine inculpatæ tutelæ*,hoc eſt, vt non faciat plus in defenſionẽ ſui, quàm ſit opus ad evadendum malum intentatum, vt ſi hoc poſsit evadere, invaſorem vulnerando, non licèt eum occidere; Item,ſi invaſor ſit inermis, nõ debet eum aggredi armatus,niſi invaſor ex ſe ſit fortior, vel æquè fortis. Dixi 3. *ſine omni livore vindictæ*, quia cum eo damnabile eſt,non minùs,ac defendere ſe cum directa intentione occidendi, vel privata authoritate ſe armare in ſanguinem proximi. In quo ſenſu dixit Chriſtus Matth.26. *Omnes, qui acceperit gladium, gladio peribit*.Et Roman.12. dicitur: *Non vos defendentes, ſed date locum iræ.*

Oppono : Per illam occiſionẽ Invaſor æternũ perit. *Reſp.*Diſtinguendo,& ex intentione,& malitia defenſoris, qui occidit,nego; ex propria malitia, concedo, vnde imputet ſibi, poſſet enim ſibi conſulere deſiſtendo ab invaſione.

* 33 *Quid ſenſit*, ſi quis dederit cauſam invaſioni, ſeu vt ab alio invaderetur,v.g. maritus deprehendit adulterum apud ſuam coniugem, eumque vult occidere, poteſtne adulter pro conſervatione ſuæ vitæ occidere maritum? *Affirmo. Ratio*: Niſi enim peccaverit adulterando,non tamen perdidit ius ſe contra invaſorem, authoritate publica carentem, defendendi. *An* Clericus, ſi ſe defendendo interficiat aliquem, ſit irregularis, vide infrà de irregularitate.

* 34 *Reſp.* 3. Probabilius eſt,quod cuivis, ſive Laico, ſive Clerico licitum ſit ſua bona fortunæ, quæ ſunt magni momenti,contra invaſorem defendere,etiã occidendo eum in actuali ablatione,ſi ea aliter ſervare,vel recuperare nequeat;ſic vt defenſio bonorum ſit finis per ſe intentus,nõ verò occiſio. Ita pat.Exod.22. prout citat S. D. hic art. 7. *Si effrigens fur domum, foderit, & inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis.*

Ratio 1. Quia licitum eſt pro defenſione vitæ occidere invaſorem : Ergo & pro defenſione bonorum temporalium,magni ſaltem momenti.*Prob. conſeq.* Divitiæ ſunt inſtrumenta ad virtutẽ,& neceſſariæ ad vitæ conſervationẽ.Ergo.*Ratio* 2. In eo caſu ipſe invaſor ſe moraliter occidit, dum à violentia non deſiſtit: Ergo ſibi imputet ſuam necem,quam ipſe invaſus non intẽdit, licèt per accidens ſequatur.Ergo.Ex quo patet intelligentia verborum S. Aug. L.1. de lib. arbit. c 5.dicentis: *Quomodo apud divinam providentiam liberi ſunt à peccato, qui pro his rebus quas contemni oportet humano ergo* (loquitur de ea directè intenta) *pollui ſunt?* *Ratio* 3. Ordo charitatis, vi cuius ad vitam proximi conſervandam tenemur velle pati iacturam bonorum fortunæ non obligat, niſi dum proximus eſt in vrgentiſsima neceſsitate perdendi vitam : Sed hoc non eſt in noſtro caſu, ſervat enim vitam, modò ab injuriâ ceſſet. Ergo.

Nota, inter propoſitiones ab Innoc. XI. damnatas eſſe & hanc Num.31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione vnius aurei.* Item Num.32. hanc : *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Item Num. 33. hanc : *Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſsionem iniuſtè impedientem.*

Dixi 1. *magni momenti*, ſi enim ſit res levis, ratio dictat oppoſitum. Dixi 2. *Si aliter nequeat recuperare*;ſi enim poſsit alio quovis modo honeſto, vel via juridica, non licèt : quia excederetur moderamen inculpatæ tutelæ.

* 35 *Sed quid*, ſi invaſor bona illa temporalia ditiperet non immediatè per ſe, ſed per famulos, vel arte magica per dæmones? *Dico* ſub iiſdem clauſulis *in* R. 4. & antè inſinuatis liceret ipſum principalem occidere. *Ratio* patet ex dictis.

Reſp. 4. Idem ſub iiſdem clauſulis ſentiendum de invaſore pudicitiæ, vti & honoris, & famæ, quando quis actu in ſeipſo modo quodam injurioſo invaditur, & magnam honoris iacturã patitur, nec aliter honori conſulere poteſt.*Ratio*: Pudicitia pluris eſt æſtimanda, quã opes,cũ ſit virtus multũ laudata in S.Scriptura,pro qua ſi ex motivo ſupernaturali ſubeatur mors eſt martyrium.Item Prov.22. *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Immo Juriſtæ dicunt *Vita, & fama pari paſſu ambulant*,vti quotidiana experientia docet,maximè apud Nobiles,& Perillustres,non quod ſit omnimoda æqualitas (cum vita ſit bonum ſuperius) ſed quod fama ad æſtimationem vitæ plurimum accedat, & omnia alia ordinis naturalis bona excedat, *decremento autem infimi*, vt aiunt Philoſophi, *attingit ſublimem ſupremi. Subſumo*:Sed, vt probatum eſt, reſolutio ſubſiſtit pro defenſione opum.Ergo & pro defenſione pudicitiæ, & famæ.

famæ. Intelliguntur hæc *salvo moderamine inculpatæ tutelæ*; si enim Virgo suam pudicitiam aliter quo potest salvare, ad id tenetur, v. g. clamore, fuga, generosa resistentia manibus, pedibusque, ac totis viribus facta, & tunc non potest invasorem occidere.

Circa defensionem honoris. *Nota*, inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas esse & hanc Num. 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nisi ut calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustem percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Hæc enim sententia, meritò damnata, aperiebat viam iniurijs, & cædibus. Hinc illicita est non solum occisio, sed & repercussio, ac insecutio calumniatoris ab iniuria cessantis, vel fugientis. *Ratio*: Quia eius occisio, percussio, repercussio, non est honoris læsi reparatio, sed potius vindictæ, & odij demonstratio; nec dubiũ quin dentur alia media honorem recuperandi.

Similiter ab Alexandro VII. damnata est hæc propositio, Num. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliter non potest innocens damnum evitare.* Meritò damnata est hęc propositio. Nam iniustè apud Iudicem delatus, vel suam innocentiam potest remõstrare, vel non? Si potest, habet, & quomodo honori suo consulat. Si non potest, & occidit, dat grave scandalum privata authoritate occulte, seu per insidias occidendo hominem de calumnia non convictum. Plura de duello vide supr. T. 7. E. 7. n. 3. 38. & seqq.

EXAMEN III.

De furto Justitiæ commutativæ oppositio. *De quo S. Doct. Quæst. 66. per 9. art.*

* 1 QUÆRO I. Quid, & quantum peccatũ est furtum, & quomodo differt à rapina? *Resp* 1. Furtum sic definitur: *Est acceptio rei alienæ occulta, & fraudulenta, seu invito Domino.* Ita patet *ex S. T. hic art. 3. in fine c. & ad 1. & ar 5 in c. Explico*: Nomine *rei* intelligitur etiam vsus, & possessio rei invito domino. Vnde fur est, qui sine consensu Domini saltẽ præsumpto vtitur re depositata, cõmodata, &c. Per ly *occulta* furtum differt à rapina, vt dicetur. Dicitur *fraudulenta*, id est, ex malo animo, nõ ex ioco, nec ex præsumpto Domini consensu, & absque Iudicis, vel Superioris, aut, Dei authoritate. Nam Deus potest rerum dominia transferre, sicut *Exod. 11. & 12.* Filijs Israel propter labores, & iniurias, quæ diu perpessi fuerant ab Ægiptijs, dedit eorum thesauros, vt docet S. *D art. 5. ad 1.* Per ly *acceptio* intelligitur quævis iniusta detentio rei, & omnis damnificatio, quæ fit destruendo, comburendo, &c.

* 2 *Resp. 2.* Rapina definitur, quod sit *acceptio rei alienæ per violentiam*, id est, domino vidente, & rem suam servare volente. Ad rapinam spectat, si quis alterum cogat ad ineundem inæqualem contractũ. Si quis faciat iniustas exactiones tributorum. Si latro quid extorqueat metu mortis intentato. Si Telonarius titulo vectigalis exigat plus, quam debetur. Idem est de alijs ministris, si quid petant, quod ex metu negare non audent illi, à quibus petitur.

* 3 *Resp. 3.* Furtum (idem est de rapina) est peccatum ex genere suo mortale. *Ita S. D. ar. 6. Ratio*: Quia contrariatur charitati Dei, & proximi, vti, & iustitiæ, quæ dictat, vt cuivis relinquatur, quod suum est. Dixi *ex genere suo*, quia in individuo potest aliquando esse veniale ex imperfectione actus, parvitate materiæ, ac defectu libertatis.

* 4 *Resp. 4.* Furtum, & rapina specie differunt, & rapina est peccatum gravius furto. 1. *Pars* est *S. D. art. 4. p. 2. ar. 9. Ratio* S. Tho. est: Vbi est diversa ratio specifica involuntarij ex parte eius, cui aliquid aufertur, ibi est diversa species iniustitiæ, & quo maius est involuntatium, eo maior est iniustitia: Sed in furto, & rapina est diversa ratio involuntarij. & hoc est maior in rapina. Ergo. *mai. pat.* quia iniustum consistit in hoc, quod aliquid auferatur citra voluntatem domini, nemo enim patitur iniustum volens, iuxta illam Regulã iuris: *Volenti, & consentienti non fit iniuria, neque dolus* nisi esset consensus per iniuriã extortus. *Min. verò prob.* Involuntarium per ignorantiam specie differt ab involuntario per coactionem, & secundũ est maius: Sed in furto dominus reiest involuntarius per ignorantiã, & solum negativè, in rapina per coactionem, quia hæc fit domino videnti. vim patiente, nolente, & est involuntaria positivè. Ergo.

* 5 *Oppono* contra dictam Regulam iuris: Christus, & SS. Martyres formaliter petiebantur iniuriam, nimirum mortem: Sed eam passi sunt scientes, & volentes, seu desiderabant eam. Ergo. *Confirm.* 1. Christus voluit subire mortem innocentem, immò de hoc habuit præceptum: Sed non potuit subire mortem innocentem, nisi formaliter iniustam. Ergo hanc voluit. 2. S. Chrisostomus homilia super cap. 21. Matth. *Christus cum tanta gloria est ingressus, vt amplius eorum adversus se excitaret invidiam* Addit: *Ergo si Christus eos provocavit, sorte tene de morte sua eos fecit innoxios? absit: excitavit, eos, non vt facerent, quod ante noluerant, sed vt possent facere, quod prius volebant. Subsume*: Sed Iudæi prius volebant mortem formaliter iniustam. Ergo Christus ad hanc eos excitavit. Ergo eam vt talem voluit. 3. *S. Laurentius* in craticula positus ad Tyrannum dixit: *Assatum est iam, versa, & manduca*: Ergo voluit actionem, qua ei fieret iniustitia.

Ad Oppos. *dist. min. pro 2. parte*: Desiderabant mortem, non suppositã Iudeorum, ac Tyrannorum malitia, *neg. min.* ea suppositã, *subdist.* desiderabant mortem formaliter, vt iniustam, *neg. min.* ad rationem iniusti merè negativè, seu permisivè se habendo, *conc. min. & neg. conseq. Vel 2. aliter*; Fuerunt volentes, seu voluntarij, cõparativè ad Deum, *conc. min.* comparativè ad iniquam actionem Tyrannorum, *subdist.* vt antè. Christus ergo, & Martyres, malitia Tyrannorum iam suppositã, & ad eam se negativè habentes, erant parati pro Deo & Ecclesia, æquo, & patienti animo tolerare quævis supplicia à Tyrannis infligenda. Vt autem liber consensus patientis tollat rationem iniusti, requiritur, vt omninò liberè consentiat, saltem implicitè in actionem (qua iniustitia infertur) formaliter sumptã. *Ad Confirm. 1. dist. min.* intendendo per seipsam formalè iniustitiam, *neg. min.* ad eam peræmisivè se habẽdo, *conc. min. Ad 2 Cõfirm.* applicanda est eadẽ distinctio. *Ad 3. Confirm.* Resp. S. Laurentium hoc dixisse ex speciali instinctu Spiritus S. & quidem per modum obiurgij, seu improperãdo Tyranno, vt demonstraret, se Dei virtute plus posse pati, quam Tyrannus possit de pœnis infligere. Dixisse inquam, etiam iam præsuppositã Tyranni malitia, quia tormenta eadem intulisset, etsi sanctus Laurentius illa verba non dixisset.

* 6 QUÆRO II. Quæ materiæ quantitas sufficit, vt furtũ sit peccatũ mortale? *Quot capita*, tot sunt sententiæ in hac quæstione: sed cæ probabiliori. *Resp.* cum Bannes, Serra, & alijs, duo, aut tres, ad summum ducati, seu aurei sunt notabilis, seu ad mortale sufficiẽs materia furti, respectu cuiuscumque, etiã potentissimi Principis, aut Regis. Respectu mediocriter divitum, ex

proprijs redditibus vivétium, florenũ, aut medius Imperialis. Reſpectu artificum ex proprio quotidiano labore viventium, viginti crucigeri. Reſpectu pauperum decem crucigeri. *Ratio* 1. *pro* 1. *p.* Tum quia valor 2. vel 3. aureorum ex cómuni hominum perſuaſione non eſt modicus, ſed res gravis. Tum etiam, quia ipſi Principes ægrè ferunt, ſi in ſuis gabellis, vel vnico aureo defraudentur. Tum tandé, quia oppoſita ſententia maiorem pro divitibus requirens quantitatem, exponit eos periculo multorum furtorum, ſeu damnorum.

Ratio 2. pro tota Reſponſione: Quantitas ſufficiens ad mortale furti taxatur ex reſpectu ad perſonam læſam, an ſit rationabiliter invita, eiuſque damnum: Sed ditiſſimus homo ex ablatione 2. vel 3. aureorũ, & aliæ perſonæ in Reſponſione nominatæ ex ablatione ſummæ ſpecificatæ patiuntur grave damnum. Ergo. *Min. prob.* Gravitas damni in furto, & ratio involuntarij in perſona læſa, non eſt penſanda ſolũ ex eo, quòd dominus patiatur damnum in ſua perſona, ſeu in vſibus perſonalibus, nimirum victu, veſtitu, &c. ſed etiam ex eo: quòd inter temporalia privetur aliquo notabili bono, ſcilicèt facultate diſponendi de re ſua, vel menſtruo ſtipendio alicuius miniſtri inferioris, vel militis: Sed privatur etiam ditiſſimus per ablationem duorum, vel trium aureorũ, & ſic de alijs in Reſponſione nominatis. Ergo. *Ratio*: In rigidiori ſententia ex natura rei, & obiecto notabilis materia furti eſt quantitas ſufficiens ordinario victui diurno illius, cui fit damnum: Sed ditiſſimus, v. g. Rex, ſi regiè vivat, pro ſua perſonâ victui ordinario vnius diei inſumit non minus, quanduos, vel tres ducatos, & hi ſufficiunt: Mediocriter divites inſumunt non minus medio imperiali, vel floreno, qui & ſufficit: Artifices non minus viginti; & pauperes non minus decem crucigeris. Ergo.

Dixi *victui diurno ordinario*, ad quem non ſufficit vnum ovum, licet poſsit contingere aliquem vno die eo eſſe contentum, nec proinde eius ablatio eſſet mortalis. Item quia perſonæ Illuſtres ſæpè opiparè viventes plus inſumunt vno die, quam 3. aureos, ad mortale non requiritur, ut auferatur tantum, quanti conſtat tam lauta vnius diei menſa.

Quid ſi quis Regi auferret tres aureos minus vno, vel duobus crucigeris? *Dico*, æquè mortaliter peccat. Quia, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. Nec in Reſponſione quantitas furti eſt determinanda mathematicè, ſed moraliter, ſicut pretia rerum quæ non cõſiſtunt in diviſibili termino.

* 7 *Oppono* 1. Rex aliquis parum curat, nec eſt invitus, ſi centum aureos perdat, & debet eſſe liberalis. Ergo qui eos illi furatur, nõ peccat mortaliter. *Oppo.* 2. probando, quod reſpectu omnium debet aſsignari eadem quantitas ad mortale ſufficiens. Furtum in tantũ eſt peccatum, in quantum contrariatur iuſtitiæ commutativæ: Sed, qui Regi furatur florenum, iuſtitiã cõmutativam æquè graviter lædit, quam qui illum furatur diviti. Ergo. *Min prob.* Juſtitia commutativa reſpicit æqualitatem rei ad rem, non attendendo merita perſonæ, vti diſtributiva reſpicit, propter quod Rex æquè caro pretio debet ſolvere, quod emit, ac ruſticus. Ergo.

Ad 1. *diſt. ant* Non eſt invitus rationabiliter, *neg. ant.* ſecus, *conc. ant. & neg. conſeq.* Nam in eo caſu Rex rationabiliter debet eſſe invitus ob tres rationes pro Reſponſione datas, & inconvenientia in eis adducta. Pariter liberalitas Principis debet eſſe rationabilis, alioquin erit prodigalitas. *Ad* 2. *neg. min. ad prob. diſt. ant.* æqualitatem rei nudè ſumptæ ad rem, *neg.* ſpectatis circunſtarijs locorum, temporum, & perſonarum, *conc. ant. & neg. conſeq.* Eadem enim res plus valet vno tempore quam alio, & plus apud vnum, quã apud alium: ſicut aurum pluris æſtimatur apud Germanos quam apud Indos, apud quos eſt copia auri; & florenus pluris æſtimatur apud pauperem quam apud divitem, licet valor intrinſecus non ſit maior. Ergo ſi auferatur mediocriter diviti, gravius lædtur iuſtitia commutativa, quam ſi ditiſſimo auferatur. Cæterum iuſtitia diſtributiva reſpicit quidem etiam conditionem perſonæ, id eſt, dignitatem meritorum, iuxta ea diſtribuêdo bona communia, ſed hoc non aſſeritur de commutativa.

Ergone plus tenetur reſtituere, qui florenum auſert pauperi, quam qui diviti? *Dico*. abſolutè, & ſecundum ſe non teneri, bene tamen ſuppoſito maiori damno pauperis, qua de cauſa etiã peccatum eſt maius.

* 8 *Ponno tres caſus.* 1. Furatur quis ſutori ſubulam, vel ſartorio acum, quam habet, vnicam, & qua ſola ſe, ſuoſque alit, nec aliam cõparare poteſt, peccatne mortaliter peccato furti. 2. * Itinerans* intrat vineam, comeditque uvas, peccatne? 3. *Aufert* quis alicui rem quidé modicam, ſed domino per gratam, & ab eo valdè æſtimatam, cuius iacturam ægerrimè fert, & ex ea plurimũ perturbatur.

Ad 1. dico: Talis peccat mortaliter, non ob valorem rei in ſe, ſed ratione gravis damni ſecuti. Patet *Ad* 2. dico ex *Deut.* 23. Ingreſſus vineam proximi tui comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne effaras tecum. *Ad* 3. dico, non eſſe formaliter peccatum mortale furti, ſed contra charitatem, ſi damnificans prevideat ex ea perturbatione, vel indignatione grave malum corporis, vel animi inde eventurum, Nã charitas dictat, à tali actione abſtinendum.

* 9 QUÆRO III. Peccarne graviter per plura furta minuta, & quomodo, ac quando? *Reſp.* 1. *cum* S. T. *hic, a.* 6. *ad* 3. Qui cõmittit furta minuta cum animo per ea diteſcendi, ſeu notabilẽ quantitatẽ auferendi, *in quovis furti peccato* peccat mortaliter, non quidem novo, & diſtincto, ſed eodẽ moraliter continuato peccato; in quantũ omnia furta ſubſtant vni voluntati accipiendi notabilẽ quantitatẽ; ad reſtitutionem tamen ſub mortali non tenetur, nec reſervationem, aut cenſuram (ſi quæ pro gravi furto lata eſſet) incurrit, niſi dum re ipſa notabilem quantitatẽ attingit. *Ratio 1. p.* Actus externus imperatus malitiam ſuam habet ab interno imperante: Sed actus internus in eo caſu eſt mortaliter peccaminoſus ex obiecto, nimirum gravi damno proximi: Ergo & externus.

Notent hoc Confeſſarij pro confeſsionibus mercatorum, qui habent minutiores menſuras, leviora pondera, vel aromatibus admiſcent quædam inutilia. Item cauponum, vinum, vel cereviſiæ ſæpè aqua infundentium. Et ſartorum, qui multas panni particulas auferunt, ſive ab vno, ſive à diverſis, de quibus poſtea. *Ratio 2. p.* Grave onus reſtitutionis, reſervatio, & cenſura ſuppouunt grave damnum effectivè illatum.

* 10 *Reſp.* 2. Probabilior eſt ſententia Themiſtica, quòd, qui ſine dicta intentione, ſed ſolum occaſionaliter plura furta minutã comiſit, ſucceſivè tandẽ notabilẽ quantitatẽ accipit, mortaliter peccet, non quicumque actu, ſed illo, quo cum furtorum præteritorũ advertentia complet materiã gravem. Quod verũ eſt, ſive furetur ab vno, ſive à diverſis. Et toties, quoties materiam pro mortali ſufficientem de novo complet.

Ratio 1. p. Etſi vltimum furtum ſecundum ſe ſumptum, non attingat notabilẽ quantitatẽ, ſicque abſolutè, & præciſè acceptũ non inferat proximo grave damnum, benè tamen virtute præcedentium furtorum, &, ut cum illis combinatum; ſicut à pari in die jejunij poſt

plu-

plures minutas comeſtiones, vltima qua quis advertit, ſe complere materiam gravem, jejunij fractivam, illud frangit. Ergo.

Ex quo ruit fundamentum adverſariorum opponentium, quòd peccata venialia quantumvis multiplicata, non faciant vnum mortale, v.g. plures detractiones veniales. Nam hoc ſolùm verum eſt, ſi non afferant materiam, ſive in ſe gravem, ſive graviter damnoſam proximo, vti tamen affert furtum, ſimile eſt in jejunio. Secus in detractione, quæ tamen ſi eam etiam afferret, eſſet paritas. Dixi *cum advertentia furtorum præteritorũ*, quia inculpabilis inadvertētia abomni peccato excuſat.

Ratio 2. *p.* quòd nimirum peccet mortaliter, ſive ab vno, ſive à pluribus furetur, eſt. *Tum* quia valor talis materię combinatæ in ſe non eſt modicus, ſed gravis. *Tum* etiam, quia licèt ſinguli non graviter damnificentur, benè tamen communitas. *Tum* tandem, quia oppoſita ſententia dat patrocinium ijs, qui diverſos in parvis defraudant, & occaſionem iterandi furta. *Tertia pars* patet ex dictis.

* 11 *Reſp.* 3. Fur in *Reſponſione* 2. depictus, non ſolùm mortaliter peccat ratione detentionis rei alienę notabilis, vt diſtinguit *Malderus*, & alij, quæ tamen diſtinctio parùm facit ad praxim; ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis. *Ratio*: Quia non tantùm detentio, v.g. trigeſimi, vel quadrageſimi crucigeri ratione advertentiæ moraliter continuatur cum prioribus detentionibus, ſed & acceptio cum acceptionibus. Nam in vltimo actu, advertens materię gravitatē, cōsētit in eā.

* 12 *Reſp.* 4. Si dictus fur, ante vltimum, penultimum, vel antepenultimum furtum materiæ notabilis completivum ſecìò propoſuiſſet à furtis deſiſtere, aut reſtituere, & tamen poſtea furetur, non peccat mortaliter. *Ratio*: Quia non adeſt moralis continuatio ob retractationem voluntaris. Ergo.

* 13 *Reſp.* 5. Ut dictus fur peccet mortaliter, nihil refert, quòd inter furta minuta intercedant longa intervalla, v.g. aliquot ſeptimanarum, vel menſium. Nec requiritur maior quantitas, ſi furetur à diverſis, quàm ab vno. *Ratio* 1. *p.* Quia illa intervalla ſolū tollunt continuationem phyſicam, manente morali per hoc, quòd fur ſciens, & advertens, per vltimum furtum compleat materiam gravem, conſentiat in illam. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Licèt tunc ſinguli non ſint graviter invitī, nec graviter damnificentur, benè tamen communitas, vt dictum eſt.

* 14 *Reſp.* 6. Qui modicum furatur illi, cui plures alij etiam modicum furantur, v.g. vvas ex vinea, pomā ex horto, licèt id ſciat, nō peccat mortaliter niſi ſuo exemplo, hortatione, vel conſilio alijs ſit cauſa furandi. *Ratio* 1. *p.* Quia eius cauſa levis damni. *Ratio* 2. *p.* patet ex ſuprà dictis cooperantibus damno. *T.1. E.6. n.11.* Nota, in omnibus hiſce prudentiam Confeſſarij eſſe neceſſariam.

* 15 QUÆRO IV. Quid ſentis de furtis vxoris, filiorum, domeſticorum, famulorum, ſartorum, &c? Ante Reſpoſitionem revideantur dicta ſuprà de dominio vxoris ſuper bona paraphernalia, & de donationibus earum. Item de dominio filiorum ſuper bona caſtrenſia, vel quaſi. *Reſpon.* 1. Vxor invito rationabiliter marito, vel maritus contra voluntatem etiam præſumptam vxoris, ſurripiens aliquid notabile ex bonis propriis eius, vel ex bonis communibus, peccat peccato furti mortaliter. *Ratio* patet ex definitione furti; quia eſt alienum, vel quoad vſum, vel vſumfructum.

* 16 *Reſp.* 2. Regulariter loquendo ad furtum mortale maior quantitatis requiritur in vxore, liberis, ſanguine iunctis, & famulis, maximè quoad eſculenta, & peculenta, eorum curę commiſſa; modo ipſi ea ſumāt. *Ratio*: Tum quia non ſurripiunt pretioſa, vt ſupponitur: tum etiam quia domini non ſunt valdè involuntarij ſaltem circa rem ipſam, licèt ſint circa modum; nec exinde graviter damnificātur, quia minus poſtea edūt hora conſueta. Ergo. *Exceptio eſt*, ſi auferrent integros cibos, vel pro alia magna domini adervandos, vel pro ſtipendio alicuius officialis conſtituatos, quia ille eſſet rationabiliter invitus.

Reſp. 3. Filius mortaliter peccat, ſi quid notabile occultè, & parentibus rationabiliter invitis accipiat de bonis, quorum dominium, vel vſusfructus eſt penes parentes, teneturque reſtituere. *Ratio*: Quia eſt verè furtum.

Reſp. 4. Quantitas in filio ad mortale ſufficiens non eſt eadem reſpectu omnium, ſed prudenti judicio determinanda pro conditione ſtatus, loci, & circunſtantiarum, ſic vt minor quantitas ſufficiat pro Filio Patris mechanici, quàm prædivitis. Patet. *Ex quo ſequitur*, graviter peccare, immò ad reſtitutionem teneri filios (niſi rationabiliter poſſint præſumere condonationem parentum, vel fratrum) ſi pecunias pro ſtudijs, veſtibus, libris, &c. ſibi miſſas in notabili quantitate impendant luſibus, compotationibus, fœminis, &c. Quæ reſtitutio ſi non poſſit fieri aliter, debet illa quantitas portem parentis adduci in diviſionem cum fratribus.

Nota, inter propoſitiones ab Innoc. XI. damnatas eſſe, & hanc Num. 38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.* Item & hanc Num. 37. *Famuli, & famulæ domeſtica poſſunt occulte Heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam exiguam rem iudicant ſalario, quòd recipiunt.*

* 17 *Reſp.* 5. Fragmenta, quæ moraliter loquendo habentur, vt ſponte derelicta à dominis, eò quòd ſint exigui valoris, vel eis omninò vſui eſſe non poſſint, licitè ſartores retinent. Patet. *Reſp.* 6. *Si valor* fragmentorum attingat materiam gravem, & ſartor accipiat iuſtum laboris pretium, licitè ea non retinet. Patet. Si verò iuſtum laboris ſtipendium iuxta contractum, vel (ſecluſo contractu) iuxta aliorum morem non accipiat, licitè retinet, pro quanto injuſtè ſubtrahitur. Ex quo proportionabiliter patet, quid quoad hoc liceat, vel non liceat famulis ſartorum, dum Magiſter eis iuſtum ſalarium dat, vel non dat.

* 18 QUÆRO V. Liceatne furari propter neceſſitatem? Ante Reſpoſitionem vide ſuprà *T* 7. *E.6. n.2. & ſeq.* quòd neceſſitas ſit triplex, ſcilicèt extrema, gravis, communis, quæ ibi explicantur. *Reſp.* 1. In extrema neceſſitate licitè poteſt aliquis propria authoritate ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire, ſive manifeſtè, ſive occultè ſublaris, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ. Ita S.D. *n.7. in c.in ſuſt. Ratio* S. *D. eſt.* Tum quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia in hoc ſenſu, quòd neceſſaria vitę, non verò ampliùs, ſint occupantis. Tum etiā quòd diviſio, & appropriatio rerum facta eſt iure humano: Sed hoc nequit præiudicare Juri Naturę, quod dictat, per res inferiores eſſe ſubveniendum neceſſitati hominum. Ergo. Vide T.8 *E.6.n.34.*

Reſp. 2. Probabilius eſt, in gravi neceſſitate id non licere. Nam inter propoſitiones ab Innoc. XI. damnatas eſt hęc Num. 36. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

Plura, quæ hic dici poſſent, dicta ſunt ſuprà de Eleemoſyna, *T.8. E.6.n.1. & ſeqq.* Tum de impotentia reſtituendi *T.8. E.6.n.34. & ſeqq.* Vbi etiam patet, an talis tranſacta neceſſitate teneatur reſtituere.

EXAMEN IV.

De injustitia Judicis. *De qua suo ordine agit S. Doct. quæst. 67. per 4. art.*

* 1 QUÆRO I. Potestne quis iudicare aliquem, sibi non subiectum? *Resp.* negativè cum S.D *hic q.67. a.1.* Cuius *Ratio est*: Sententia Judicis habet vim coactivam (cum sit lex particularis) qua vtraque pars collitigans compellatur ad parendum ei: Sed cogi non potest nisi subditus. Ergo. *Not. ex eadem art.* varijs modis posse aliquem esse subiectú. 1. *Ratione* potestatis ordinariæ, vti omnes fideles subduntur Papæ, Diœcesani Episcopo, Regnicolæ Regi. 2. *Ratione* cõmissionis, vel potestatis delegatæ, idque, vel divinæ, sicut Daniel judicavit Seniores *cap.13.* Et Moyses *Exod.2.* interfecit Ægyptium; vel humanæ, qualis est in Nuntio Apostolico, ac Vice Rege. 3. *Ex consensu* partium, vt si litigantes compromittant in certos arbitros, se eorum decisioni paritu os, adiuncta etiã pœna tergiversanti infligenda. 4 *Sortitur* quis forum ratione delicti, vel contractus quare potest quis puniri à Judice loci, in quo delinquit.

* 2 *Oppone*: Christus est Rex Regum, & tamẽ fuit judicatus à Pilato, seque illi subiecit. Ergo. *Confirm.* Ipse Christus Joan 19 dixit: *Non haberes potestatem adversum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Ergo non iniquè.

Ad hoc Respondetur, intelligi de potestate non superioritatis, ac juris, sed facti, & permissionis. Vnde *ly datum* ibi idem sonat ac *permissum*. Hinc *Nota* quod non dicat *super me*, sed *adversum me*. Potestne Papa alterius judicio se submittere? De hoc vide suprà T.7. E.1. num.17.

* 3 *Quid sentit* de Clericis, an sint subiecti potestati sæculari? *Dico*, nullus Judex sæcularis potest judicare Clericum *Ratio*: Quia sunt exempti jure Imperatorio, & Civili. *Nonne* saltem Judex sæcularis potest Clericos comprehendere iure defensionis innocẽtis, vel pacis Reipublicæ, eosque detinere, vsque dum proptijs Ecclesiasticis Prælatis eos tradat? *Affirmo. Ratio*: Vt tranquillitati communi consulatur, & pauperũ, vel innocentum oppressio vitetur. Quomodo Clerici indirectè teneantur legibus civilibus, vide suprà T.5. E.5 num.62 & seq.

* 4 QUÆRO II. Licetne Judici sententiam ferre contra eum, quem scientia privata scit esse innocentem, sed per publica testimonia, seu secundùm allegata, & probata est nocens, seu reus.

Resp. Affirmativècum S.T. *art.2.* sive sermo sit de civilibus, sive de criminalibus, & servato juris ordine; immò ad id tenetur, si innocentem aliter salvare non possit. De quo *ad 3. R.5.* Est contra plurimos extraneos. *Ratio 1. Tum* quia omnia iura Canonica, & Civilia aiunt, quod ex instrumentis sit certus Judex de jure litigantium. *Tum* quia Judex licitè facit, & facere tenetur id, quod ei incumbit ex vi officij, sed officium Judicis, vt Judex est, seu persona publica, est judicare secundum scientiam publicam, quæ habetur per allegata, & probata: Unde Lex Divina mandat Deuteron. 17. *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Ergo. *Ratio 2.* Ex vi officij Judici incumbit maior cura conservandi tranquillitatẽ publicam, quam conservandi innocentem, cuius occisio actui judicali dictæ tranquillitatis conservatio solum per accidens, & præter intentionẽ annectitur (lex enim, quæ stat pro bono communi, fortius ligat, quam quæ stat pro privato, vti est vita innocentis) Sed si Judex innocentem per testes convictum, parte, & populo iustante non condemnaret, trãquillitas publica turbaretur, populus enim de innocentia, soli Judici privatim nota, nihil sciens, meritò clamaret, non servari Iura. Ergo. *Confirmo*: Per accidens, & præter intentionem occidere innocentem dando operam rei licitæ, & necessariæ, seu debito modo exercendo suum officiũ, non est contra illum ius, sive naturale sive divinum, vt suprà diximus de occisione innocentum in bello iusto: Sed sic est in præsenti. Ergo.

* 5 *Oppono 1.* Non licet iudicare contra veritatem, vnde cap. *qui scandalizaverit*, de Reg. Iur. dicitur, Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas deseratur. 2. *Non* licet mentiri: Sed talis Judex mentiretur. Ergo. *Min. prob* Quia loquerentur contra mentem suam. Ergo. 3. *Occidere* innocentem est intrinsecè malum. Ergo. 4. *Etsi* talis probetur nocens, revera tamen manet innocẽs *Vnde in Iure* prohibetur Judici cõdemnare eum, quem æterni Judicis Tribunal reum non facit. C. *Cum æterni. de sent. & re iudicata in 6.* 5. Testes falsi non deserviunt veritati inquirendæ: Sed. Ergo. 6 *Sequitur*, Pilatum non peccasse condemnando Christum. *Prob* Quia processit secundum allegata, & probata. Ergo. 7. *Si per* legitima testimonia, id est, contra quę nulla est exceptio, in judicio probatur, quod Anna sit vxor Pauli, qui tamen pro certo scit nõ esse suam vxorem, etsi Judex præciperet, vt eã coniugaliter vereretur, debitum reddendo, id non posset licitè. Ergo similiter. 8 *Papa* nequit definire, aliquam propositionem esse de fide, quam ipse certò scit non esse de fide, licèt multi Doctores asserant esse de fide. Ergo à pari, &c. 9. *Confirmatur*, privata scientia sciens electum esse indignum, non potest eum confirmare. Ergo similiter. 10. *Si Judex* privata scientia sciret aliquam legem esse iniquã, non posset iudicare secundum illam, etsi plures allegarent esse iustam. Ergo similiter. 11. *Judex* in epicaia legem, quæ dicitur esse procedendum secundum allegata, & probata, teneretur per Epikeiam interpretari quod hic, & nunc nõ liget. Ergo. *Prob ant.* Epikeia, nunc locum habet, quando ex observatione verborum legis sequitur aliquid contra intentionem Legislatoris: Sed hoc sequitur, nimirum occisio innocentis. Ergo. 12. *Judex* repræsentat personam totius Reipublicæ: Sed si tota Respublica talem scirẽt innocentem, non posset eum damnare. Ergo nec Judex.

Ad 1. dist. ant. Iudicare publicè contra veritatem publicam, *C. non* contra privatam. *N. ant.* Oppositum patet ex probatione. *Ad 2. Nunc prob. dist. ant.* loqueretur contra mentem, vt est mens personæ privatæ. *C. ant.* vt est mens personæ publicæ. *N. ant. Ad 3. dist. ant.* directè. *C.* indirectè. *N.* Patet ratione 2. & obiect. *Ad 4. dist. ant.* Manet innocens absolutè. *C.* in iudicio. *N.* Vide & manet innocens in foro poli, seu coram Deo, quia tamen est probatus nocẽs, eius vitæ subditur potestati humanæ. *Vbi Not* (ex *S.T. ad 2.*) quod Deo fidei est de Christo non potuisse iudicare secundum propriam potestatem, & idcò in iudicando se informare secundùm veritatem, quam ipse nosse potuit, non secundum hoc, quod ab alijs accipit. Secus creditò alijs Iudicibus.

Ad Caput *Cum æterni* dicitur, intelligi de eo, quem nec in foro interno nec in externo, tribunal æterni Judicis reum habet. Tribunal ergo humanum secundùm allegata, & probata procedens sic quoad partem, tutio tribunalis divini secundum ordinem legitimi Iuris, si is servetur. Qui aliàs Iudex, quidem ignorantia cõdemnaret innocentem, etiam condemnaret eum, quem æterni Iudicis tribunal reum non habet. *Ad 5 dist. ant.* Testes falsi, nec præsumpti vt veri. *C.* præsumi, *subdist.*

Non

Non deserviunt veritati privatim cognoscendæ. C. vt est in iudicio, *N. aut Ad 6. N. illatum*, C. secus. *prob. dist. ant.* Legitimè, & conservato Iuris ordine, N. secus, C. Nam facer textus expræsse ait: *Sciebat, quod per invidiam tradidissent eum. Testimonia non erant convenientia. Addaxerunt falsos testes.* Item condemnavit Iesum ex timore Cæsaris, & plebis. *Timebat verò plebem. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.*

Ad 7. N. conf. Nam Iudex quidem rectè tunc iudicat, vtpote secundum allegata, & probata, quia ibi se gerit vt persona publica: Paulus tamen non potest patere illę sententiæ, quia se gerit, vt persona privata, regulans sese secundum scientiã privatam. *Ad 8. N. conf.* Quia definitio veritatis de fide non pendet ex scientia privata Papæ (posset enim privatim esse hæreticus) nec ex testimonio hominum, sed ex assistentia Spiritus Sancti. *Ad 9. N. conf.* Quia confirmator in eo actu non tenetur procedere secundũ allegata, & probata, sed prout iudicat expedire bono communi, quod potest scire scientia privata, & vti illa. *Ad 10. N conf.* Quia bonitas Legum non pendet ex testimonio asserentium, sed ex eo, quod lata sit ab habente authoritatem, & sit cõformis legi naturæ: at veritas facti in iudicio pendet ex allegatis, & probatis, seu legitimo ordine iuris. *Ad 11. N ant. ad prob dist. ant.* Si sit simul contra bonum commune, C. secus, N. inventio ergo Legislatoris est, vt iudex non sequatur sententiam privatam, quod si non faceret, sed dictam legem interpretaretur per EpiKajam, sequeretur contra bonum commune turbatio Reipublicæ, & populi, vt patet ex Ratione. 2. *Ad 12. dist. mai.* Repræsentat secundum notitiam publiã, C. privata, N. Si ergo toti Reipublicæ innocentia hominis esset nota, esset innocens non solum secundum scientiam privatam, sed & publicam.

Sed quid si ipse Iudex illos falsos testes, & accusatorem subornasset, eorumque impetitionem impedire amplius non posset? *Dico*: Gravissimè peccasset, & cum pari periculo vitæ teneretur infamarum, eiusque vitam conservare.

* 6 QUÆRO III. Quid in casu posito Iudex tenetur facere, vt liberet innocentem? *Resp.* 1. Officium propter hoc resignare non debet. *Ratio*: Quia formaliter, & per se nulli facit iniuriam, sed vtitur iure suo. *Resp.* 2. Si sit Iudex inferior, saltem ex charitate tenetur causam remittere ad superiorem (si sine gravi dãno suo possit) vel concedere appellationem ad illum, & coram Illo pro innocente testem agere, ac iniquorũ testimonia pro posibili infringere. *Resp.* 3. Remissa ad se causa, tenetur testes strictiùs examinare, etiam cum exprobratione: & legis pœnas, quantum potest, mitigare: immò, si sine scandalo fieri potest, dare occasionem fugæ, v. g. carcerem relinquendo apertum. *Resp.* 4. Si sit Iudex supremus, & possit fieri sine scandalo, & damno Reipublicæ, tenetur in legibus dispensare, vt vitam salvet. *Ratio* horum omnium est: Quia quilibet tenetur vijs licitis defendere innocentem. *Resp.* 5. Si hæc omnia non iuvent, subsistit Responsio ad *quæst.* 2.

* 7 QUÆRO IV. Potestne Iudex iudicare alium nõ accusatum? *Resp.* 1. Non potest, Ita S.D. a. 3. *Ratio* eius est: Homines confugiunt ad iudicem sicut ad iustitiam animatam, iustitia autem non est ad se ipsum, sed ad alterum: Ergo oportet, quòd Iudex iudicet inter aliquos duos, quòd sit, cùm vnus est *accusator*, & alter *reus*.

Not. 1. ex S.T. a. 3. ad 1. quòd Deus in suo iudicio vtitur conscientia peccantis quasi accusatore: vel etiã evidentia facti quantũ ad ipsum, iuxta illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra.* Et ad 3. *ait*: Deus in sup. iudicio procedit ex propria notitia veritatis, non autem homo, vt patet ex dictis *ad Q. 2.* Et ideo homo non potest simul esse accusator, & testis, & iudex, sicut Deus, ex cuius instinctu (vt subdit S.D.) Daniel fuit simul accusator, & iudex, quasi divini iudicij executor. *Not. ex solut. ad 2.* quod publica infamia etiam habet locum accusationis. Unde super *cit. Genes.* 4. de Abel, ait Glos. Evidentia patrati sceleris accusatore non eget. Ex quibus patet, Responsionem primam intelligi, vel de accusatore formali, vel de virtuali, id est, habente locum accusatoris. Quo etiam spectat denuntiatio juridica, qua crimen defertur ad judicem, vt ipse inquirat, & pro bono Reipublicę puniat. Vide, quę dicuntur in seq. E. 5. n. 48. & seqq.

Resp. 2. Præter accusationem requiritur, vt reus citetur, audiatur, & locum defensionis habeat. *Ratio* patet ex ipso iure naturæ. Unde est tritum illud: *Audiatur, & altera pars.* Hæc tamen subindè expedit fine manifesto processu fieri, & clam, vt si timeatur, ne tumultus fiat in populo, v.g. si quis in fragranti crimine sit deprehensus, vel occultus proditor Patriæ, vel offensor Maiestatis, &c. esset occidendus.

Resp. 3. Iudex etiam supremus non potest condemnare eum, quem ipse scientia privata scit esse mortis reum, sed in publico probatur innocens. *Ratio* patet ex dictis ad *Q. 2. N. 4.* Quia non est confessus, nec judicè convictus; in se quidem nocens, sed in judicio innocens.

* 8 QUÆRO V. Potestne Iudex licitè remittere pœnam? & quam sententiam debet sequi in judicando, præsertim in favorem amici? *Resp.* 1. cum *S.T. art.* 4. Nullus Iudex, etiam supremus, potest licitè remittere pœnam, quam iustè exigit iniuriatus pro iniuria. *Ratio*: Iudicis est, jus suum cuique tribuere, nec potest pro libitu aliquem eo privare. *Excepta est*, si reus esset persona Reipublicæ valde vtilis, quia tunc reclamante etiam accusatore (quia aliàs satisfactione deberet esse contentus) Iudex supremus posset ei donare vitam. Sed caveant Iudices, ne in pœnis sine justa causa relaxandis, vel cõmutandis nimium sint faciles, & ea ratione se ipsos multorum criminum reos faciant, multi enim pecuniæ dispendium non curantes indè facilè capient ansam persistendi in latrocinio, adulterio, concubinatu, &c.

* 9 *Resp.* 2. Princeps, qui habet plenariam potestatem, seu supremus in Republica, si ille, qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit eum licitè absolvere, si viderit, hoc publicæ vtilitati non esse nocivum. Ita S.D. in fine corp. *Ratio* patet ex ipsis terminis: Quia habet plenariam potestatem. *Resp.* 3. Iudex inferior id non potest. *Ratio*: Quia debet procedere secundum Leges sibi à superiore impositas, & præscriptas. *Ad 2.* pariter Quæsiti patet ex dictis supra T. 2. E. 3. num. 33.

* 10 QUÆRO VI. Licetne Iudici acceptare munera, vel sportulas? *Ante Responsionem. Nota*, discrimen esse inter sportulas, & munera. Nam *primò* munera propriè, seu strictè, & in rigore sunt, quæ ex intentione dantur, non pro labore, nec ex debito, sed pro favorabili sententia obtinenda, vel obtenta, quam proindè quasi venalem faciunt, unde, & corruptiones vocantur. Sportulæ sunt certa pecuniæ quota per consuetudinem posita, ab vtraque litigantium parte æqualiter solvenda ex debito; Non tamen sententiæ, nec ad eorum pendum judicem. *Secundò*: Munera sumi possunt in largiori significatione, tanquam donaria, seu honoraria ex mera liberalitate, vel ex gratitudine data judici, vel alteri officiali, & hoc, vel ante, vel post latam sententiam.

tiam. Munera, sive in primo, sive in secundo sensu dari possunt in ære, vel in esculentis, aut poculentis. Hoc notato.

* 11 *Resp.* 1. Certissimum est, quòd nullus Iudex, vel publicus Minister justitiæ salva conscientia possit accipere munera propriè sumpta, etiam modica: nimirum in primo sensu, sive ante, sive post sententiã, etiam ab eo, qui habet iustam causam, sive in ære, sive in alio genere, sed peccat graviter dans, & recipiens. Ita communiter Iura Canonica, & Civilia. *Ratio*: Tum quia justitia non est venalis, seu venditibilis. Tum quia per munera tribunalia pervertuntur, justitia eliminatur, & magna scandala generantur. Hinc illi Versus.

Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva.
Retrogradè *munegra* argentum, *murva* aurum.
Aure pulsa fides, auro venalia jura.

Et refertur, ab vno litigante fuisse aliquando judici missus bos, ab altero eius vxori præpinguis vaca. In judicio Iudex loquebatur pro vacca; quod inaudiens alter, clamavit: *Bos, bos, tu loquere.* Respondit iniquus Iudex: *Bos loqui non potest, quia vacca non permittit.*

* 12 *Resp.* 2. Accipiens talia munera tenetur ea restituere, & graviter est puniendus. Ita jura. *Ratio* ex dictis: Quia opera justitiæ non sunt venalia. *Not.* Si hæc munera in specie sint data ad corrumpendum Iudicem (vti de ijs hic loquimur) fiscus datum vindicabit; Vel (si sit causa Ecclesiastica) iussu Iudicis superioris applicabitur Ecclesiæ, vel pauperibus. *Resp* 3. Iudex Ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus sportulas exigere non potest. *Ratio*: Quia habet sufficientem sustentationem ex beneficio. Ergo non debet recusare justitiam gratis administrare. Excipiuntur expensæ, si delegatus quas facere debuerit pro itinere, &c. modò partes non sint pauperes, quia tunc; nec illas rectè exiget.

* 13 *Resp.* 4 Iudex civilis ordinarius nequit exigere sportulas. *Ratio*: Quia communiter à suo Principali, nimirum Principe, Republica, Comite, &c. habet suum salarium. Dixi, *ordinarius*. Nam si summa, pro qua litigatur, excedat centum aureos, potest delegatus moderatas sportulas accipere, prout fert laudabilis loci consuetudo. Ita patet ex Novell. 82. c. 9. Et hic recolligenda est ante data in *Not.* differentia inter munera, & sportulas. *Resp.* 5. Acceptare munera in secũdo sensu tanquam donaria, vel honoraria sponte, & liberaliter data ante sententiam, periculosum est, & scandalosum, si sint notabilis quantitatis. *Ratio*: Quia subest periculum perversionis iustitiæ, ne animus Iudicis ad iniustitiam flectatur.

* 14 *Resp.* 6. Esculenta, & poculenta, sine vlla exactione à partibus oblata, præsertim modica, nimirũ vno die consumptibilia, etiam ante sententiam acceptare, non videtur illicitum, si desit scandalũ. *Ratio*: Quia non præsumitur animus boni viri per hæc modica à iusto deflectendus. Dixi, *si desit scandalum.* Quia, vt ait Apostolus, *multa licent, quæ non expediunt.* Vnde quia Isaias c. 33. monet: *Iustum debere excutere manus ab omni munere* ad cavendas cavillationes, & detractiones partium, etiam ab ijs Iudex abstineat. *Resp.* 7. Minus illicitum est ea acceptare post litem secluso scandalo, & omni etiam virtuali, seu implicita eorum petitione, aut promissione remota. *Ratio*: Quia cessat ratio, seu motivum nimirum periculum perversionis. *Not.* Quod si quis à publico iustitiæ Ministro petat aliquem laborem extraordinarium prætio æstimabilem, ad quem ex vi officij non tenetur, v. g. mains studium, certum iter, &c. poterit pro eo exigere moderatum prætium, si fiat sine scandalo, & aliorum damno.

* 15 Quomodo resolvis hos casus? 1. *Minister* iustitiæ denegat, quæ iusta sunt, nisi fiat offertorium, v. g. recusat apponere sigillũ. 2. *Sunt* plures, qui æquali iure gaudent, vt lites eorum expediantur, vt in Iudicis arbitrio sit positum, quem cui præponat; vnus autem eorum ei offert munus, licetne Iudici eius causam expedire præ alijs ex pacto oblati muneris? 3. *Datur* ei munus ad redimendam vexam, ne causam nimium protrahat, ne parti adversæ iniustè faveat, &c.

Ad 1. Si minister sit publicè stipendiatus, nec iure nec consuetudine talis exactio ei sit concessa, est iniusta, & restitutioni obnoxia. *Ad* 2. dico, esse scandalosum, & periculosum, qui verò amat periculum, peribit in illo. *Ad* 3. sicut in primo Respondeo; quia non datur merè liberaliter, sed ex metu, qui admiscet involuntarium. Si autem interdum præsumi possit, quod dans restitutionem condonet, saltẽ recipiens à peccato immunis non manet. In similibus sæpè surdo canitur fabula.

EXAMEN V.

De Iniustia accusatoris. *De qua S. T. Q.* 68. *per* 4. *art.* Et accusati, seu rei. *Q.* 69. *per* 4. *art.*

* 1 QUÆRO 1. Quid est accusatio, differtne à denuntiatione? & caditne sub obligatione? *Resp.* 1. Accusatio *est delatio Rei de crimine ad vindictam publicam libello facta apud Judicem competẽtem.* Dixi libello, id est, scriptis, vti fieri debere docet. *S. D. art.* 2. pro maiori certitudine, sit vt in eo nominetur accusator, accusatus, Iudex, species delicti, complex, locus, tempus, &c. Potest tamen etiam fieri verbaliter, modo Notarius omnia redigat in scriptum. Dixi, *competentem*: quia non quilibet cuivis Iudici subiectus est, sed suo.

* 2 *Resp.* 2. Accusatio, & denuntiatio Evangelica differunt, vt ait *S. T. art.* 1. *in c.* quod in denuntiatione attenditur emendatio fratris, in accusatione punitio criminis. *Differunt* 2. quod accusator teneatur crimen probare, & si in probatione deficiat, luat pœnam talionis, quæ tamen non amplius videtur esse in vsu, sed solet imponi arbitraria, nec etiam potest *inflig*i ijs, qui bona fide accusarunt, sed solum qui mala, id est, cum voluntate nocendi. *Denuntiator* verò non tenetur crimẽ probare, sed tantum Iudici manifestare indicia, quibus possit moveri ad vltrà inquirendum ex officio. *Differunt* 3. In denuntiatione defertur crimen ad Superiorem vt Patrem, vt patet ex prima differentia, adeoque eam debet præcedere vna, alterave monitio, seu correctio fraterna, vt postea dicetur. In accusatione verò crimen defertur ad Superiorem vt ad Iudicẽ, vt per criminum punitionem obtineatur quies Reipublicæ: & exemplum aliorum, aut damni illati reparatio: & illi non est necessariò præmittenda correctio fraterna, nisi fortè ex accusatione sequeretur maius malum Reipublicæ, quod per secretam monitionem posset impediri. Si ergo puniatur antè non monitus, vbi monendus non erat sibi imputet, quia bonum commune prævalet privato.

Resp. 3. *ex corp. art.* 1. Si crimen, vt, v. g. est proditio civitatis, machinatæ insidiæ in personam Principis, Hæresis, &c. vergat in detrimentum Reipublicæ, seu ad eius corruptionem corporalem, vel spiritualem, quilibet homo tenetur ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod si non possit, non teneatur accusare, bene tamen denuntiare. *Ratio* 1. *p.* est: Quia quilibet tenetur, à corpore, cuius est membrum, avertere malum corporale, vel spirituale, quantũ potest. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Nullus teneretur ad hoc, quod

non

non poteſt debito modo perficere, vt ait. S. Tho. cit.

* 4 *Reſp.* 4. Denuntiatio alia eſt ſecreta, aut charitativa, quæ etiam dicitur Evangelica, vtpotè in Evangelio *Matth.* 18. inculcata. Alia publica, ſeu iudicialis. Prima intendit emendam fratris, & crimen fratris denuntiat Superiori, vt privatæ perſonæ ad paternè corrigendum idoneæ, ſeu vt Patri, non vt Iudici. Altera intendit bonum commune, vel alterius innocentis, & crimen fratris denuntiat Superiori, vt eſt perſona publica, & Iudex, vt per publicam vindictam ſatisfiat Communitati læſæ.

* 5 *Reſp.* 5. Denuntians iudicialiter, etſi ei non incumbat onus probandi, debet tamen aperire indicia, quibus Iudex ex officio moveatur ad vlteriorem inquiſitionem, in quo differt ab eo, qui denuntiat charitativè; is enim crimen, quod vidit, Prælato denuntiare poteſt, licèt indicia talia aperire non poſſit, quibus ſuo modo oſtendatur: dummodo putet ſibi fore habendam aliquam fidem. *Differt ab eo* 2. quòd nomè ſuum inſcribere debeat, & vocatus coram Iudice comparere ad publicam teſtimonij depoſitionem. 3. *Differt*, quòd denuntiatio judicialis habeat locum, licèt crimen ſit merè præteritum, ſecus eſt de charitativa, niſi timeatur periculum in malo perſiſtendi, aut crimen iterùm patrandi. *Reſp.* 6. An, & quando denuntiationi ſit præmittenda correctio fraterna, colligitur ex doctrina S. T. tradita ſuprà T. 7. *E.* 6. *n.* 9 vbi revideantur quæcunque de correctione ibi dicta ſunt num. 20. & ſeqq.

* 6 *Reſp* 7. Si quis aliquem accuſet, vel denuntiet, non præmiſſa correctione fraterna in caſu, quo præmittenda eſt, tenetur ei reſtituere omnia damna ſecuta. *Ratio*: Quia iniuſtè talis infamatur, & habet ius ad ſuam famam, niſi bonum cómune criminis publicationem requirat. Et ſic intellige (ait noſter de la Cruz) præceptum Viſitatorum, ſub excommunicatione mandantium ſibi denuntiari delicta. Nam ſi proximus iam ſit emendatus, aut per ſecretam correctionem probabiliter ſperetur emenda eius, non poteſt accuſari, nec denuntiari, niſi adſit periculum boni communis.

* 7 *Reſp.* 8. Si ſit dubium de emenda Rei, vel Fratris per ſecretam correctionem, eſt obligatio accuſandi, vel (ſi teſtes pro accuſatione non adſint) iuridicè denuntiandi. *Ratio*: In dubio ſtandū eſt pro bono communi. *Reſp* 9. Accuſans aliquem de occulto crimine, quod in iudicio probare nequit, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum exindè ſecutorum. *Ratio* patet ex dictis ſuprà de detractione, & reſtitutione famæ. *Exceptio eſt*, ſi ex ignorantia invincibili putaverit ſe poſſe probare.

* 8 QUÆRO II. Admittiturne quilibet homo ad accuſandum, & per quid accuſatio redditur iniuſta? *Reſp.* 1. Aliqui prohibentur in pœnam delicti, vt infammes, excómunicati, concubinarij, proditores, &c. niſi probaverint ſe innocentes. Alij ob decentiam, vt ſubditi prohibentur accuſare ſuos Prælatos, ſervi dominos, filij parentes, niſi in caſu valdè gravi ex affectu boni communis, cui cedit particulare. Aliqui ob reverentiam ſtatus, vt Clerici, &c. maximè in cauſa ſanguinis.

Reſp. 2. cum Caietano, omnes, qui iure ſunt prohibiti accuſare tenentur denunciare crimina in manifeſtum Reipublicæ, ſuum, vel proximi detrimentum vergentia, ſic tamen, vt ſi denuntians ſit Clericus, proteſtetur ſe non quærere, nec petere vindictam ſanguinis, *Ratio*: Ius humanum (quo præfati prohibentur accuſare) non poteſt, nec debet præiudicare iuri naturæ de conſulendo bono communi.

* 9 *Reſp.* 3. Omnis accuſatio redditur iniuſta per calumniam, prævaricationem, & tergiverſationé. *Ita S. T. art.* 3. *Explicatur*: Calumnia eſt, quando quis ſcienter, & ex malitia alteri imponit falſum crimen, vel etiam verum quidem, ſed occultum, & non probabile in iudicio, vel probatum per falſos teſtes. Dixi, ſcienter, ſi enim quidem ab alio audit, ſed rem non diligenter examinavit, non eſt propriè calumniator, ſed temerarius accuſator. Vterque tamen pro gravitate materiæ graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. *Prævaricatio eſt*, quando accuſatione inchoata accuſator colludit cum reo, fraudulenter crimen occultando, legitimas probationes non aducendo, falſas exceptiones acceptando, quod peccatum etiam cadere poteſt in Judicem, Teſtes, & maximè in Advocatos. *Tergiverſatio eſt*, quando cæpta accuſatione terga vertit, ſeu præter iuris, & rationis ordinem ab ea deſiit, cum tamē proſequi poſſet. Secus eſt ſi non poſſit, v.g. ſi melius eſſet informatus de veritate, vel de innocentia rei, vel ſi deferatur à teſtibus, aut Advocato, &c.

* 10 QUÆRO III Accuſatus teneturne fateri crimen? *Reſp.* 1. Probabilius eſt, quod reus iuridicè à legitimo Iudicè, etiam ſine iuramento, interrogatus, ſub morali teneatur fateri veritatē, licet ſciat ſe ad mortem, triremes, perpetuum carcerem, bonorum omniū confiſcationem, aut aliam graviſſimā pœnam eſſe cōdemnandum. *Ita S. D.* Oppoſitum tenent aliqui RR. nimirum licitum eſſe negare, quandiu eſt ſpes evadēdi, & delictum ſolum ſemiplenè eſt probatum. Verba S. T. art. 1. in c. ſunt: *Ex debito tenetur accuſatus Judici veritatem exponere, quando ab eo ſecundum formam iuris exigit. Si noluerit, vel eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.* Et art. 2. in c. *Aliud eſt veritatem tacere, aliud eſt falſitatem proponere. Quorum primum in aliquo caſu licet; non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, ſed illam ſolum, quam ab eo poteſt, & debet requirere Iudex ſecundum ordinem iuris, vota, cum præceſſit infamia ſuper aliquo crimine, vel aliqua expreſſa indicia apparuerunt: vel etiam cum præceſſit probatio ſemiplena. Falſitatem tamen proponere in nullo caſu licet alicui* Hæc S.D. Quæ ſemiplena probatio eſt teſtimonium vnius teſtis omni exceptione maioris, qui vltrà accuſatorem vel id, quod eius loco eſt, teſtetur, non quomodocumque ſed directè, de viſu comiſſi criminis ab iſto, tali loco, & tempore. Tunc ergo Judex iuridicè interrogat, cum oſtenſa reo copia ſemiplenæ probationis criminis, aut talium expreſſorum indiciorum interrogat, an crimen commiſerit. Quo præmiſſo.

Ratio S. *D. eſt*: 1. Quicumque facit contra debitū iuſtitiæ, mortaliter peccat: Sed ad debitū iuſtitiæ pertinet, quod aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ ius Prælationis ſe extendit. Iudex autem eſt ſuperior reſpectu eius, qui iudicatur. Ergo. *Ratio* 2. Obligatio ad culpā eſt de intrinſeca ratione iuſti præcepti, ita vt eius tranſgreſſio ſit peccatum inobedientiæ; nec ſolum detur ad terrendum, vt malè putant adverſarij: Sed præceptum Iudicis eſt iuſtum, & legitimum. Ergo obligat, &c. *Ratio* 3. Iudex iuſtè poteſt reum, qui legitimè interrogatus veritatem non fatetur, tradere torturæ: Sed hoc non poſſet, ſi reus haberet ſummum ius tuendæ vitę; quia ideò ſolum traditur torturæ, quia non fatetur veritatem, quam fateri teneretur. Ergo reus non habet illud ſummum ius, &c. *Confirmatur*: Natura non tribuit alicui ius, ſeu facultatem agendi (etiam vitæ propriæ privatæ tuendæ cauſa) contra ius Superioris debitè ſuum officium pro bono communi exequentis. Ergo.

* 11 *Reſp.* 2. Si Iudex reum interroget neſervato dicto ordine juris, nō tenetur ei accuſatus r

poadere, ſed poteſt, vel per appellationé, vel aliter licitè ſubterfugere; mendacium tamen dicere non licèt, ait S.D. *cit. Ratio 1 p.* Quia tunc Iudex non agit vt Iudex, quia non poteſt interrogare niſi de crimine publico, & probato ſaltem ſemiplenè. Ergo. *Ratio 2.p.* Quia mendacium eſt intrinſecè malum, nec in vllo caſu eſt licitum, etiam veniale. Ergo. Conſiderentur hic verba S. Thomæ adducta pro *R.1.*

* 12 *Reſp.3.* Reus in caſu *R.2.* poteſt licitè dicere, ſe nō feciſſe, vel ſe non teneri reſpondere; Et hoc poteſt ſine mendacio. *Ratio*: Quia ſic loquendo dicit veritatem, & reſpondet conformiter ad mentem rationabilem (licèt non irrationabilem) interrogantis, qui in iudicio tenetur, & poteſt ſolum interrogare de crimine publico. Vnde & ſenſus reſpondentis eſt: Non feci crimen publicum, ſeu de quo me juridicè interrogare poſsis. *Nec obſtat*, quod Iudex decipiatur, quia talis deceptio non eſt activa, ſeu per ſe à reo, quia is juſtè ſe tuetur, ſed ſolùm paſsiva, & per accidens, adſcribenda culpæ Iudicis, non intelligentis (quem tamé ſcire poteſt) ſenſum verborū. Huius intelligentia magis patebit infrà, dum agetur de mendacio, ac vſu licito, vel illicito reſtrictionis mentalis, & amphibologiæ. T.10.E.4.n.20. & 25.

* 13 *Reſp.4.* Si ſit dubium, an Iudex juridicè interroget, & crimen iam ſit præteritum, ſeu commiſſum, nec vergat in damnum Reipublicæ, vel Tertij, reus nō tenetur fateri. *Ratio 1.* Quia iura, tàm naturalia, quàm divina, & humana dicunt, in dubijs meliorem eſſe cōditionem poſsidentis, & favendum eſſe reo: Sed in eo caſu reus eſt adhuc in poſſeſsione honoris, famæ, & vitæ. Ergo. *Ratio 2.* Licèt in dubio plerumque pro Superiore præſumi debeat, non tamen in hoc ſpeciali caſu, dum præceptum graviſsimum eſt, quod proindè, in dubio an iuſtum ſit, ſubditus ſuſcipere non tenetur, ſed ſe fundare poteſt in poſſeſsione.

* 14 *Reſp.5.* Si crimen in caſu illo dubij ſit in damnum publicum, vel privatum adhuc imminens, Iudex tenetur dubium deponere, & inclinare in favorem Reipublicæ, teneturque reus, vel reſpondere, vel ab inferendo malo deſiſtere. *Ratio 1.p.* Iudex ex vi officij tenetur impedire malum Reipublicæ, vel innocentis, quantum poteſt, & pro eius favore habet ius examinandi reum. *Ratio 2.p.* Quia ceſſante periculo ceſſat ius interrogandi.

* 15 *Oppono 1. contra 1.* Reſponſionem: Nullus tenetur ſeipſum prodere. Ergo. 2. *Conſanguineus* non poteſt cogi, vt agat teſtem contra conſanguineum: Sed nemo magis quàm ipſe ſibi conſanguineus eſt. Ergo. 3. *Reus* habet ſummum ius tuendi vitam, & ex hoc capite poteſt invaſorem occidere, & reus in periculo vitæ exiſtens poteſt ex carcere fugere, vti & poteſt fugere ſervus in bello captus. Item citatus poteſt non comparare, &c. Ergo ſimiliter.

Ad 1. ait S.D. *a.3. ad 1. Quando aliquis ſecundum ordinem iuris interrogatur, non ipſe ſe prodit, ſed ab alio proditur, dum ei neceſsitas reſpondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur. Ad 2.* eſt diſparitas, quia primum leges vetant, non ſecundum. Adde, quod in gravibus criminibus, vt hæreſis, læſæ Maieſtatis, falſificationis monetæ. *Ad 3.* non eſt vera. *Ad 3.* Antecedens ſolùm eſt verum ſalva iuſtitia, ſeu ordine juris. Exempla allata non ſunt ad rē. Quia nec Leges, nec Iudices præcipiunt reis ne fugiant, ſed miniſtris juſtitiæ vt eos cuſtodiant, Judex autem habet obligationem juridicè examinandi reum, & reus fatendi veritatem. Item citato non præcipitur abſolutè, vt compareat, ſed ſi habeat, quo ſe defendat, ne poſtea alleget, ſe non auditum, eſſe condemnatum. Idem eſt de ſervo.

* 16 *Dic mihi*, quid in eo caſu faciet Confeſſarius cum reo, qui juridicè interrogatus negat veritatē? *Dico*: Tutius eſt, & probabilius, quod nō poſsit eum abſolvere durante proceſſu (vt docet de la Cruz, & alij) niſi ſincerè promittat ſe velle fateri, quam primum denuò juridicè fuerit interrogatus. *Ratio*: Quia manet in affectu peccati mortalis.

Quid ſi reus, ſive per fugam, ſive per tormenta ſuperando, ſe ſalvaverit, poteritne tunc Cōfeſſarius eum abſolvere, eū non obligando, vt ſe prodat? *Affirmo*. Tūc enim ſuæ libertati iam eſt reſtitutus. Veruntamen eſt, ſi alijs per hoc damnum intulerit, quòd teneatur compenſare.

* 17 QUÆRO IV. Licetne reo ſe defendere calumnioſè, id eſt, fraude, vel dolo interrogationē eludendo, accuſatorj, vel Iudici falſum crimen imponendo? Vel poteſtne ſaltem Iudici, & Miniſtris Juſtitiæ reſiſtere, ſi ſit innocens, attamen per allegata, & probata morti adjudicatus?

Reſp. 1. ad 1. partem Quæſiti negativè. *Ratio*: Quia fraus, & dolus (idem eſt de calumnia) habent vim mēdacij, ait S.D. quod nunquam licitum eſt. *Reſp. 2.* Ieſtè condemnatus miniſtris juſtitiæ reſiſtere non poteſt, benè tamen condemnatus iniuſtè. Ita S.D. *a.4. in corp. Declarat* hoc, & probat, dicens: Aliquis damnatur ad mortem dupliciter: *Uno modo iuſtè*, & ſic non licèt condemnato, ſe defendere. Licitum enim eſt Iudici eum reſiſtentē impugnare. Vnde relinquitur, quòd ex parte eius ſit bellum iniuſtum. Vnde indubitanter peccat. *Alio modo* condemnatur aliquis iniuſtè, & tale iudiciū ſimile eſt violentię latronū, ſecundum illud Ezech.22. *Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem.* Et ideò, ſicut licèt reſiſtere latronibus, ita licèt reſiſtere in caſu malis principibus, niſi fortè propter ſcandalum vitandum, cùm ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur. Ex quo ſequitur, quod innocens per allegata, & probata ad mortem damnatus, poſsit ſecluſo ſcandalo, & damno cōmuni ſe defendere, etiam occidendo Iudicem, & miniſtros juſtitiæ, ſi aliter ſe ſalvare non poſsit, ſicut non peccat innocens invaſus occidendo cum moderamine invaſorem etiam innocentem, v.g. amentem.

* 18 QUÆRO V. Licetne reo fugere, carceres rumpere, vel, ſi non fugiat, potionem mortiferam ſumere, vel panem oblatum recuſare, ſi ad mortem veneni, vel famis ſit condemnatus? *Reſp. 1.* Reus ad mortem iuſtè condemnatus, non tenetur fugere è carcere, etiam data occaſione; quod etiam verum eſt, licet injuſtè ſit condemnatus, v.g. in odium fidei, vel ob ſimilem cauſam. *Ratio 1.p.* Quilibet licitè ſubit pœnā, quam meruit. *Ratio 2.p.* patet in multis SS. Martyribus.

* 19 *Reſp.2.* Licitum eſt reo etiam iuſtè ad mortem condemnato è carcere fugere rumpēndo vincula, & parietes; nec tenetur reſarcire damna cuſtodibus indè illata. *Ratio*: Quia, licèt teneatur publicè pœnam, dum ipſa infligitur, ſubire, non tamen tenetur expectare, vt infligatur, ſed poteſt vti iure ſuo ad tuendam vitam, nec id vllo iure vetatur, vt ante dictum *ad 3. Oppoſ.n.1.* Et damna non ſequuntur per ſe, ſeu ex intentione Rei, ſed adſcribenda ſunt negligentiæ Cuſtodum. Sicut & fuga aliorum, ſi qui committentur præter eius intentionem.

* 20 *Reſp.3.* Non peccat perſona privata reo ad mortem damnato conſulens fugam, vel dans inſtrumenta, quibus carcerem rumpat, peccat tamen miniſter juſtitiæ id faciens. Idem eſt ſi ſit damnatus ad triremes, carcerem perpetuum, ſecus ſi ad temporalem.

Ratio

Ratio 1.*p.* Licet conſulere alteri, quod is licitè poteſt facere. *Ratio* 2.*p.* Dãs illa inſtrumẽta cooperatur rei licitæ. *Ratio* 3.*p.* Miniſtris iuſtitiæ incumbit ex officio tueri publicam poteſtatem. *Ratio* 4.*p.* Triremes, & carcer perpetuus (ſecus temporalis) æquiparantur morti. Ergo.

* 21 *Reſp.* 4. Reum iuvare phyſicè, vt vincula, vel carcerem frãgat, non eſt licitum. *Ratio*: Quia illa ruptio à iuvantibus intenderetur per ſe, adeoque illicitè, ſed à reo ſolum per accidens ſequitur ad actionem, ad quam habet ius. Sicut cuivis licèt occidere cũ moderamine ſuum iniuſtum invaſorem etiam innocẽtem, v.g. amentem, vt ante dictum, ad quod etiam alius licite ei dat conſilium, & arma; attamen non licet eum in hoc iuvare.

* 22 *Reſp.* 5. Reo iuſtè ad mortem damnato non licèt impugnare, vel corrumpere, donis decipere, aut inducere Cuſtodes, vt ex conniventia ſinant eum fugere. Non tamen peccat eis offerendo pecunias, aut dona, vt per ea ſibi conciliet eorum benevolentiã, qua reus deinde vtitur ad fugam. *Ratio* 1.*p.* Quia reus cooperaretur peccato Cuſtodum. *Ratio* 2.*p* Quia tunc reus nihil mali perit, ſed vtitur iure ſuo: Cuſtodũ verò eſt, invigilare, ne à reo decipiantur. An, & quomodo reus poſsit apud Cuſtodes vti ſignis, vel verbis æquivocis, quibus ipſi decipiuntur, patebit infrà demendatio, & reſtrictionibus mentalibus.

* 13 *Reſp.* 6. Nec Iudex licitè poteſt præcipere, vt reus morti adiudicatus potionem mortiferam ſumat, nec reus poteſt ſcienter eam ſumere, niſi cogatur, vel per violentiam phyſicam, vt ſi violẽter ei os aperiatur; vel per moralem, vt ſi ſtricto gladio, aut graviſſimi tormenti commitatione ei mandetur. *Ratio* Quia nullus homo poteſt præcipere alteri, vt directè ſe occidat; bene tamen indirectè, aut per accidens.

* 24 *Reſp.* 7. Iuſtè ad mortem famis damnatus poteſt licite cibos oblatos ſumere, vtrum autem poſsit oblatos etiam reſpuere, & fame perire, videtur etiam hoc licitè poſſe. *Ratio* 1.*p.* Sumere poteſt, quia ſummẽdo vtitur iure ſuo, ſicut fugiens: Recuſare poteſt, quia vitam poſitivè conſervare non tenetur, & poteſt eam non conſervare pro Zelo iuſtitiæ, quod non eſt ſe occidere directè. Ex quo intelligitur mens S.T. hic ar. 4. ad 2. docentis, quod in eo caſu non ſumere panem eſt occidere ſe. Loquitur enim de occiſione ſui indirecta, quæ non ſemper eſt prohibita, nec etiam in eo caſu præcepta. Vide ſuprà *T.6.E.5.n.26.* quas actiones reus poſsit, vel non poſsit in ſeipſum exercere ad mortem ſubeundam.

EXAMEN VI.

De Iniuſtitia Teſtis. *S.T.Q.70.per 4.art.* & de iniuſtitia Advocati. *Q.71.per 4.art.*

* 1 QUÆRO I. Quid ſentis de Teſte? *Reſp.* 1. *ex art.* 1. Si requiratur teſtimonium alicuius ſubditi Authoritate Superioris ſecundum ordinem iuris, puta, in manifeſtis, & in his, de quibus infamia preceſsit, tenetur obedire; ſecus nõ. *Ratio* eſt eadem, quæ in examine præcedenti n. 10. data eſt pro *R.* 1. *ad Q.*3.

* 2 *Reſp.* 2. Excipiuntur aliqui caſus, in quibus etiam iuridicè interrogatus teſtari non poteſt. 1. *Si ſciat* ex confeſsione, quia tunc non ſcit vt homo, ſed tanquam Dei Miniſter, & maius eſt vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto, ait S.D. *ad* 2. 2. *Si homo* acceperit ſub fide ſecreti naturalis, niſi ſint talia, quæ pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel grave damnum alicuius perſonæ, tunc enim propalare tenetur, vel teſtificando, vel denuntiando, *ait S.D. ibid.* Quia nullum ſecretum obligat contra bonos mores, aut contra bonum commune. 3. *Si quis* crimen intellexit per injuriam, v.g. aperiendo litteras, alium ad revelationem cogendo. 4. *Si teſtificatio* tua tibi, aut tuis graviter ſit damnoſa, niſi crimen ſit pernicioſum Reipublicæ, & non poſsit aliter impediri. 5. *Si* alter probabiliter non peccavit ob ignorantiam, aliamve cauſam, vt ſi reus pro fera occidit hominem.

* 3 *Reſp.* 3. In rebus gravioribus requiritur, & regulariter ſufficit duorum, vel trium teſtimonium: S.D. art. 2. vbi id probat ex Deut. 17. *In ore duorum, vel triũ teſtium peribit, qui interficietur*, Vel, vt infrà, *ſtabit omne verbum. Ratio*: Quia ex illis cum accuſatore habetur ſufficiens moralis certitudo. Dixi, *regulariter*, quia de teſtamentis aliter ſtatum eſt in iure. Sicut etiam ad condemnationem Cardinalis Epiſcopi requiruntur 72. *teſtes*. Cardinalis Presbyteri 62. Cardinalis Diaconi 27. Ad condemnationem aliorum, vt Subdiaconorum, & inferiorum, *ſeptem*. Item in levioribus ſufficit quandoque vnus teſtis, ſicut furripientes ex hortis fructus, & cædentes ligna in ſylvis vetitis puniuntur ex teſtimonio cuſtodis.

* 4 *Reſp.* 4. Vt duo teſtes faciant plenam probationem, requiritur vt ſint omni exceptione maiores, ſeu vt propter defectum aliquem non poſsint excludi, ſen non poſsit contra eos excipi. De hoc S.T. *hic art.* 3. *in c. ſic ait*: Teſtimoniũ alicuius repellitur quandoque propter culpã, ſicut infideles, & infames, item illi, qui publico crimine rei ſunt, qui nec accuſare poſſunt. Quandoque autem abſque culpa; & hoc eſt vel ex defectu rationis, ſicut patet in pueris, amentibus, & mulieribus: Vel ex affectu, ſicut patet de inimicis, & perſonis coniunctis, & domeſticis: Vel etiam ex exteriori conditione, ſicut ſunt pauperes, ſervi, de quibus probabile eſt, quod de facili poſſunt induci ad teſtimonium ferendum contra veritatem. Hæc ibi. Item debent eſſe conteſtes, id eſt, teſtari de eodẽ facto; & iurati; & quidem de viſu, v.g. ſi ſit de homicidio: Vel de auditu, ſi v.g. ſit de blaſphemia, de quibus plura vide in auctoribus.

* 5 *Reſp.* 5. Falſum teſtimonium formale, ſeu ex intentione datum, eſt peccatũ mortale. *Ratio*: Quia eſt grande mendacium. Idem patet ex præcepto Decalogi. Et ſi iuramento firmetur, eſt ſimul perjurium. *Nota ex S.T. art.* 4. *ad* 1. *dicente*: In teſtimonio ferendo non debet homo pro certo aſſerere, quaſi ſciens id, de quo certus nõ eſt, ſed dubium debet ſub dubio proferre, & id, de quo certus eſt, pro certo aſſerere. Si cũ debita ſolicitudine recogitans, æſtimet ſe certum eſſe de eo, quod falſum eſt, non peccat mortaliter hoc aſſerens, quia non dicit falſam teſtimonium per ſe, & ex intentione, ſed per accidens contra id, quod intendit. Hæc ibi. Si tamen ſit cauſa alicuius damni, pro poſsibili illud reparare tenetur. Quæri etiam hic poteſt, an reus ad infirmandum teſtimoniũ falſi teſtis poſsit eius occultum crimen prodere. Sed de hoc vide ſuprà T.8. *E.*5. *n.*43.

* 6 QUÆRO II. Innocens morti adiudicatus, ſi teſtem, Iudicem, vel accuſatorem vocet ad tribunal Dei, peccatne? *Reſp.* Si res ſecundum ſe ſpectetur, non peccat, ſi præciſè faciat ideò, vt ſua innocẽtia patefiat, aut familia ſit immunis ab infamia. Eſt tamen hoc genus defenſionis periculoſum, nec vnquam ferè practicandum. *Ratio* 1.*p.* Reus valdè gravatus licitè appellat ad ſuperiorem Iudicem: Sed talis reſpectu omnium eſt Deus. Ergo. Idem patet exemplo diverſorum Sãc-

rorum. *Ratio 2.p.* Tali fervori facile se admiscet aliqua vanæ gloriæ, vindictæ, aut perturbati animi nebula, impediens veritatis, aut iustitiæ irradiationem. Ergo. *Quid si* quis iniustè scienter aliquem ita citet? *Dico*: peccat mortaliter. *Ratio*: Quia altetius famæ nocet?

* 7 QUÆRO III. De Advocato quid resolvis? *Resp.* 1. Advocatus sub peccato mortali tenetur esse præditus sufficiente scientia. Qua etiam habita si ex eius negligentia cliens succumbat, vel vincat quidem, sed ob superfluas ab eo causatas dilationes patiatur aliquam iacturam, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. 1. *Pars* patet ex dictis suprà T. 1. n. 13. *Ratio 2.p.* est, quia verè est causa damni.

Resp. 2. Si sit advocatus ex officio absque mercede, tenetur ob negligentiam ex culpa lata non ex levi (de qua suprà T. 8. E. 6. n. 25. & seqq.) nisi officium illud quæsiverit, cum alius diligentior fuisset adhibendus. Si verò sit mercede conductus, tenetur etiam ex culpa levi. *Ratio* patet loco citato, maximè pro primo casu. In 2. autem Advocatia non solum cedit in vtilitatem litigantis, sed & Advocati.

* 9 *Resp.* 3. Advocatus (idem est de alijs iustitiæ ministris, Procuratore, Solicitatore, Referendario, &c.) *in* causis miserabilium personarum, pauperum, viduarum, pupillorum, necessitate præsorum, &c. tenetur gratis præstare patrocinium, non quidem semper, sed quando in prõptu non est modus eis aliter subveniẽdi. *Declarat* hoc S.D. *hic art. 1. in c. dicen.*: Cum præstare patrocinium causæ pauperum ad opus misericordiæ pertineat, idem est hic dicendum, quod supra de operibus misericordiæ dictum est. Nullus autem sufficeret, omnibus indigentibus misericordiæ opus impendere. Et ideò, sicut Augustinus dicit, cum omnibus prodesse non possis, his potissimè consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Dicit: *Pro locorum opportunitatibus*; quia nõ tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus subveniat, sed sufficit, si eis, qui sibi occurrunt, misericordiæ opus impendat. Addit: *Et temporum*; quia non tenetur homo futuræ necessitati alterius providere, sed sufficit, si præsenti necessitat succurrat. Subdit: Vel *quarumlibet rerum*. Quia homo sibi coniunctis quacumque necessitudine maximè debet curam impendere. *Hæc S.D.* subdens, quod his conditionibus cõcurrentibus teneatur Advocatus causæ pauperum patrocinium præstare. *Et idem*, ait, *dicendum est de Medico quantum ad curationem pauperum.*

* 10 *Resp.* 4. Convenienter certæ personæ secundum iura, arcentur ab officio advocandi *Declarat* hoc S.D. *art. 2. in c. dicens*: Ab officio advocandi quosdam prohiberi propter impotentiam, eo quod deficiunt sensu; vel interiori, sicut furiosi, & impuberes, vel exteriori sicut surdi, & muti. Alios propter indecentiam, & tales dicit esse Monachos, & Clericos respectu iudicij secularis; *alios* propter defectum personæ, vel corporalem, vt patet de cæcis, vel spiritualem, vt infideles, & damnati de gravibus criminibus, nec pro se, nec pro sibi coniunctis possunt vti officio advocati, necessitas tamen præfertur huiusmodi indecentiæ.

* 11 QUÆRO IV. Quam causam Advocatus potest tueri? Ante Responsionem vide dicta suprà *T.* 2. E. 3. Q. 13. quam sententiam advocatus salva conscientia possit tueri. *Resp.* 1. cum S.T. *art.* 3. *in c.* Advocatus scienter causam iniustam defendens graviter peccat, & tenetur ad restitutionem damni, quod altera pars incurrit, à fortiori hoc verum est, si serviat vtriqueparti, vni vicissim contra alteram, quæ est iniquitas maxima. *Ratio* S. D. est: Illicitum est cooperari ad malum sive consullendo, sive adiuvando, sive qualitercumque consentiendo. *Resp* 2. Si ignoranter iniustum causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundũ modum quo ignorantia excusari potest ait S.D. ibidẽ: *Rati.*: Quia ignorantia excusat, nam ignori nulla cupido. Sed de hoc vide suprà *T.* 3. *E.* 1. *n.* 29 *&* 30 quæ ignorantia, & quando excuset. Item suprà de culpa *T.* 8. *E.* 6. *n.* 29.

* 12 *Oppono contra* 1 *R.* Medicus non peccat curando infirmitatem desperatam, immò potius laudatur eius peritia: Ergo idem est de Advocato *Sed N. conf.* Quia, vt ait S.D. *ad* 1. medicus suscipiens in cura infirmitatem desperatam, nulli facit injuriam, Advocatus autem suscipiens causam injustam, injustè lædit eum, contra quem patrocinium præstat. Quamvis enim laudabilis videatur quantum ad peritiam artis, tamen peccat quantum ad injustitiam voluntatis, qua abutitur arte ad malum.

* 13 *Resp.* 3. Advocatus si in principio credidit causam iustam esse, & postea in processu appareat, eam esse iniustam non debet eam prodere, vt scilicèt aliam partem juvet, vel secreta suæ causę alteri parti revelet; Potest tamen, & debet causam deserere, vel eum, cuius causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarij damno. Hæc S.T. *a.* 3. *ad* 2. id est, sine præiudicio partis iustè litigantis. Patet per se. *Resp.* 4. Advocato defendenti causam iustam licèt prudenter occultare ea, quibus processus eius posset impediri, non autẽ licèt ei aliqua falsitate vti, ait S.T. *ad* 3. exemplificans hoc in milite, vel duce exercitus, cui in bello iusto licèt ex insidijs agere ea, quę facere debet, prudenter occultando, non autẽ falsitatẽ fraudulenter faciendo: quia etiam hosti fidẽ servare oportet.

Sed quid si Advocatus pro innocente scienter alleget falsas leges? *Dico*, peccare eum solùm venialiter. Idem est de reo, & teste. *Ratio*, quia nulli facit iniuriã. *Resp.* 5. Si vtraque pars si æquè dubia, potest advocatus pro libitu tueri, quam voluerit; vti & probabilem, si altera sit probabilior; monito tamen priùs cliente de dubietate, vel minori probabilitate suæ causæ. *Ratio* huius patet suprà loco citato, vbi plura dicta sunt, nimirum de sententia Advocati: quæ hic serviunt.

Peccatne graviter Advocatus paciscendo de aliquota parte causæ, si obtigerit victoria? *Affirmo*. Hoc enim graviter cavetur. *L. si qui, Cod. de postulat.* Quodnam est iustum pretium, seu stipendium Advocati? *Dico*: Est illud, quod fert laudabilis, & tolerata locorum consuetudo. *Queri* hic potest, an liceat Advocato accipere munera? dico *munera*; de stipendio enim iusto laboris sui non est difficultas. Sed proportionabiliter ad hoc Respondetur ex dictis de Iudice in hoc Tract. E. 4. num. 10. & 11.

Iuxta ordinem Quæstionum S. Thom. posset hic agi de injurijs verborum, quę fiunt per contumeliam, detractionem, susurrationem, derisionem, &c. sed de his sufficienter actum est suprà T. 8. E. 5. n. 29. & seq.

EXAMEN VII.

De fraude, quæ fit in contractu emptionis, & venditionis, *de qua S.D. hic, q. 77. per 4. art.*

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotuplex est contractus? quid empcio, quodnam iustum in ea pretium? *Resp.* 1. Contractus strictè sumptus essentialiter definitur, quòd sit *actio quarumdam personarum inter se utrinque obligationem pariens*. Ulpianus ab effectu cum definit dicens: *Contra-*

ſtus eſt vltrò, ci tradi obligatio, cauſat enim illã. Ex quo patet, quòd ſimplex promiſsio, & donatio ſtrictè nõn ſint contractus, ſed ſolùm latè, inquantum contractus ſumitur pro conventione perſonarum obligationem pariente, ſaltem in vna parte.

* 2 *Reſp.* 2. Contractus variè dividitur. 1. *In nominatum, & innominatum. Nominatus* eſt, qui in iure ſpeciali nomine gaudet, vt emptio, venditio, locatio, depoſitum, cambium, comodatum, &c. Et hic vel eſt circa perſonas, vt ſit in Matrimonio, & ſic de eo hic non agimus; Vel circa res, vt ſunt mox nominati. *Innominatus* eſt, qui ſolùm habet generale nomen conventionis, vel pacti, & eſt quadruplex, nimirum: *Do*, vt *des*; *Facio*, vt *facias*; *Do*, vt *facias*; *& facio*, vt *des*.

2. Dividitur contractus in gratuitum, & oneroſum. *Primus eſt*, qui obligationem parit ſolùm in vno paciſcente, vt promiſsio etiam ſtipulata, vel nudè acceptata, dandi, vel faciendi aliquid in alterius gratiam ſine reciproca obligatione. *Oneroſus eſt*, qui parit obligationem in vtroque paciſcente. Et hic eſt contractus ſtrictè, vt antè dictum eſt. Plures ſunt diviſiones contractus, quæ videantur in Authoribus. Vide etiam ſuprà *T. 3. Æ. 1. n.* 20. & 22. an, & qui contractus ſint invalidi ratione metus. Quod autem concernit errorẽ, qui in contractu poteſt committi, vt explicetur.

* 3 *Reſp.* 3. Error circa ſubſtantiam rei ab altero commiſſus, v.g. vitrum emendo pro gemma, reddit contractum iure naturæ irritum. Secus, ſi ſolum ſit circa qualitatem, vt ſi emere volens equum Neapolitanũ, emat Vngaricum pro ſuo vſu æquè bonum, quem non emiſſet, ſi ſciviſſet. *Ratio* 1. *p.* Contractus non ſubſiſtit ſine conſenſu: Sed erranti non eſt conſeſsus, cum non conſentiat in hanc rem, ſed in aliam. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Error *circa* qualitatem non aufert conſenſum ſubſtãtialem. *Nota* tamen, quod in hoc ſecundo caſu decepto competat actio, vt reducatur contractus ad æqualitatem iuſti pretij. *Excipio etiam eſt ſi qualitas*, circa quam error verſatur, ſit principale motivum contrahẽdi, vt ſi dones alicui equũ, quia omnino putas eſſe tuũ fratrem, qui ſi nõ ſit, donatio eſt nulla. Si verò des alicui eleemoſynam, quia tuo iudicio eſt pius, & ſanctus, ſi dein cognoſcas, non eſſe talem, ſubſiſtit donatio, quia ſanctitas eſt ſolum finis ſecundarius donantis.

* 4 *Reſp.* 4. *Emptio* eſt contractus, quo paciſcor dare prætium, nimirum pecuniam pro re. *Venditio* eſt contractus, quo paciſcor dare rem pro prætio. Juſtitia huius contractus conſiſtit in hoc, vt ſit æqualitas prætij ad rem. Pro quo *Nota* ex S. T. *hic art.* 2. *ad* 3. Valorem rei eſſe duplicem; vnum naturalẽ, alterum vſualem, ſeu forenſem. *Primus* conſiſtit in natura, ſeu eſſentiali gradu rei, ſicut res animata eſt pręcioſior inanimata, homo bruto, &c. de hoc valore hic non eſt ſermo. *Aliter* menſuratur ex vilitate, & vſu hominum, quorum neceſsitati, quo vilior eſt res, eo eſt prætioſior. Hinc pręcium rei nihil eſt aliud, quam valor, vel potius menſura valoris rei. Et prætium iuſtum dicitur, quod merci commenſuratur.

* 5 *Reſp.* 5. Prætium vſuale rei dividi poteſt in legitimum, & in vulgare. *Primum eſt lege*, vel publica auctoritate taxatum, & hoc conſiſtit in indiviſibili, nec licet trãſgredi, v.g. ſi pro modio tritici, ſit taxatus imperialis, vel aureus. *Vulgare* eſt, quod communi hominum æſtimatione introducitur; & hoc habet ſuam latitudinem. Vnde.

* 6 *Reſp.* 6. Pretium vulgare *aliud* eſt infimum, ſeu pium, v.g. nouendecim florenũ; *Aliud* modicum, ſeu moderatum, v.g. viginti; *Aliud* ſummum, ſeu rigoroſum, v.g. viginti, & vnus. Et hæc omnia ſunt iuſta prętia, & intra eorum latitudinem licèt emere, vel vendere, ſive infimo, ſive medio, ſive ſummo, vltra ſummũ autem non licet quid accipere. Sit alium exemplum: Juſtum modij tritici pretium ſit aureus, plus vel minùs quadrante, tunc pretium pium eſt aureus dimidius, & quadrans; moderatum aureus; rigidum aureus, & quadrans.

Reſp. 7. Poteſt etiam admitti pretium arbitrarium, & hoc, vel arbitrio eorum, qui rerum venialium peritiam habent, vt ſi ſint res pretio per legem, & communem hominum æſtimationem poſito carentes, v.g. raræ gemmę, antiquę picturę, præclari canes, &c. Vel arbitrio prudenti ipſorum vendentium, & ementium, ſi ſint viri timorati, intelligentes, dolo carentes; & vel aliorum æſtimatio non facilè poſsit haberi, vel certis de cauſis conſultiùs judicetur non adhibenda.

* 7 *Reſp.* 8. Ex varijs cauſis creſcunt, & decreſcunt prętia rerum. Explico 1. *Ex mercium* raritate, vel emptorum copia, ſeu mercium abundantia, vel inopia. 2. *Ex laboribus*, & expenſis factis in comparatione rei. 3. *Ratione* lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & periculi ſortis, prout etiam fieri poteſt in dilatione ſolutionis, de quo poſtea. 4. *Si merces* ſint ſubhaſtatę, vel vendantur ſub haſta plus offerenti. Faciunt huc verba S. T. hic. a. 1. in corp. dicentis: *Carius vendere, vel vilius emere rem quam valeat, eſt ſecundum ſe iniuſtum, & illicitum.*

Alio modo poſſumus loqui de emptione, & venditione, ſecundùm quod per accidens cedit in vilitatem vnius, & detrimentum alterius, puta cùm aliquis multùm indiget habere rem aliquam, & alius lædítur, ſi ea careat. Et in tali caſu iuſtum pretium erit, vt non ſolùm reſpiciatur ad rem, quæ venditur, ſed ad damnũ, quod venditor ex venditione incurrit. Et ſic licitè poterit aliquid vendi plus, quam valeat ſecundum ſe, quamvis non vendatur plus, quam valeat habenti. Si verò aliquis multum iuvetur ex re alterius, quam accepit, ille verò, qui vendit, non damnificatur carendo re illa non debet eam ſupervendere. Quia vtiliras, quæ alteri accreſcit, non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod nõ eſt ſuum, licet ei poſsit vendere damnum, quod patitur: Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum iuvatur, poteſt propria ſponte aliquid vendenti ſupererogare, quod pertinet ad eius honeſtatem.

Ex dictis colligi poteſt, quomodo excuſentur, vel non excuſentur piſtores, dum vel faciunt panes taxa minores, vel eos vendunt ſupra taxam. Vbi tamẽ *Nota*, quod non ſufficiat, vt caſus tangat vnum piſtorem in particulari, ſed vt communiter omnes.

* 8 QUÆRO II. Quid ſentis de caſu, in quo quis lædit, vel læditur vltrà dimidium? nihil enim communius, quã quod ementes, & vendentes ſe invicem decipiant. *Reſp.* Verbis Angelici Doctoris *hic art.* 1. *ad* 1. *dicentis*: Lex humana populo datur, in quo ſunt multi à virtute deficientes, non autem datur ſolum virtuoſis. Et ideò lex humana non potuit prohibere quidquid eſt contra virtutem, ſed ei ſufficit, vt prohibeat ea, quę deſtruunt hominum convictum, alia verò habeat quaſi licita, non quia ea approbet, ſed quia ea nõ punit. Sic ergo habet quaſi licitum, pœnam non inducens, ſi abſque fraude venditor rem ſuam ſupervendat, aut emptor vilius emat, niſi ſit nimius exceſsus, quia tunc etiã lex humana cogit ad reſtituendum: puta ſi aliquis ſit deceptus vltrà dimidium iuſti prætij quantitatem. Sed lex divina nihil ſinguitum relinquit, quod ſit virtuti contrarium vnde ſecundum divinam legem illicitum reputatur, ſi in emptione, & venditione non ſit æquali-

tas iustitiæ obſervata. Et tenetur ille, qui plus habet recompenſare ei, qui damnificatus eſt, ſi ſit notabile damnum. Quod ideò dico, quia iuſtum pretium rerũ non eſt punctualiter determinatum, ſed magis in quadam æſtimatione conſiſtit; ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem iuſtitiæ.

* 9 *Oppono* contra hactenus dicta: Quod eſt omnibus commune videtur eſſe naturale, adeoque nec eſſe peccatũ: Sed, ſicut S. Auguſtinus refert *lib.* 13. *de Trin. c.* 3. dictum cuiuſdam Mimi fuit ab omnibus acceptũ: *Vili velis emere, & carè vendere.* Cui conſonat quod dicitur Prob. 20. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit, gloriatur.* Ergo non eſt peccatum carius vendere.

Hoc ſolvit S. D. *hic art.* 1. *ad* 2. *dicens*, quod ſicut S. Auguſtinus ibidem dicit, Mimus ille vel ſeipſum intuendo, vel alios experiendo, vili velle emere, & carè vendere, omnibus id credidit eſſe commune. Sed quoniam revera vitium eſt, poteſt quiſque adipiſci huiuſmodi iuſtitiam, qua huic reſiſtat, & vincat. Et ponit exemplum de quodam, qui modicum prætium de quodam libro propter ignorantiam poſtulanti iuſtum prætium dedit. Vnde patet, quod illud commune deſiderium non eſt naturæ, ſed vitij. Et ideò commune eſt multis, qui per latam viam vitiorum incedunt.

* 10 QUÆRO III. Quomodo reſolvis hos caſus? 1. *An liceat* vendere carius ob dilatam ſolutionem, & emere vilius ob ſolutionem anticipatam? 2. *An*, qui ſcit pretium mercium mox eſſe minuendum, poſſit eas vendere ſtatim prætio currente? 3. *Quid* in ſecundo caſu ſentiendum de Conſiliarijs Principis, quorũ conſilio Princeps editurus eſt decretum de minuendo prætio, v. g. tritici, vel vini, an ipſi ante publicationem decreti poſſint ſuum triticum vendere prætio currente? Vel amicis promulgationẽ revelare, vt ſibi prævideãt?

Ad 1. R. probabilius eſſe, quod liceat intra limites iuſti prætij, ſed non extra. *Ratio* 1. *p.* Quia ſolvitur iuſto prætio; v. g. præſenti pecunia res venditur prætio infimo, vel mediocri, ſi credito ob ſolutionem dilatam vendam prætio ſummo, eſt iuſtum prætium. Vel ſi ſolutione non anticipata res emitur prætio ſummo, vel mediocri, poteſt ob ſolutionem anticipatam ſolvi prætio infimo. *Ratio* 2. *p.* Tum quia expectatio, & anticipatio habent rationem mutui: Ergo pro expectatione ſolutionis non licet accipere plus pecuniæ, nec pro eius anticipatione plus mercis. Conſequentia patet; quia aliàs erit vſura palliata emptione, & venditione. *Tum* etiam, quia res præſens, & futura ſolum differunt tempore, ſi nihil mutetur in ſubſtantia, tempus autem non eſt vendibile. *Exceptio eſt*, niſi interveniat damnũ emergens, lucrum ceſſans, periculum amittẽdę pecuniæ, expenſæ, moleſtiæ, &c.

Ex dictis reſolvuntur hi caſus: 1. *Pecunia* ad tempus credita licitè poſſe aliquem vendere merces prætio ſummo (cùm hoc ſit iuſtum) quas ſtatim vendidiſſet prætio mediocri, vel pio.

2. *Concurrentibus* (& non aliter) his duabus conditionibus. 1. *Si* ſit dubium, an res tempore ſolutionis ſit plus, vel minùs valitura. 2. *Si* venditor ante tempus ſolutionis non erat rem venditurus, ſed ſervaturus, poſſe eam ob ſolutionis dilationem vendi cariùs iuſto prætio, quod currit tempore contractus. Quæ cõditiones ſi deſint, eſt vſura. *Ratio* 1. *p.* Quia propter dubium eventum inter emptorem, & venditorem eſt æqualitas, cùm vterque commodum, & incommodum poſſit expectare, eo quòd decurſus temporis ſoleat augere, vel minuere rerum prætia. 2. *Ratio* patet ex ante dictis.

3. *Qui merces*, v. g. vinum, vel frumentum, credito vendit prætio indeterminato, & ob dilatam ſolutionem vendit prætio ſummo, quo valebit toto tempore vſque ad terminum ſolutionis, vel prætio nunc indeterminato, & tempore ſolutionis intolerabile determinatum, & extorquet, coactus ſibi vſuram, & reſtituere tenetur exceſſum. *Ratio*: Quia proximo infert damnum contra iuſtitiam.

4. *Si quis* moraliter certò præſumat, tempore ſolutionis prætium mercium fore maius, quàm ſit tempore contractus, & merces ſuas, quas ſervaturus non erat ad tempus ſolutionis, vendit pecunia credita, & quidem nunc prætio indeterminato, currente tamen tempore ſolutionis, injuſtitiam committit, & reſtituere tenetur. *Ratio*: Quia vendens conſtituit ſe in tuto cum damno alterius. Dixi, *ſi certò præſumat*. Si enim ſit dubium, patet ex ratione ad Caſum 2. data, quid ſentiendum.

5. *Mortaliter* peccare, & ad reſtitutionem teneri enim, qui vinum, frumentum, & ſimilia tempore meſis ſibi danda nunc ob anticipatam ſolutionem emit prætio, quod ſit minus infimo juſto, quam valebunt collecta, niſi excuſetur ratione periculi, cui fortè merces ſubſunt. *Ratio*: Quia in ſimilibus mutuum tegitur pallio venditionis, ſeu committitur vſura palliata.

6. *Æterna* damnationis periculo obnoxios eſſe, & propriè pauperum ſanguiſugas vocari eos, qui præciſè ob dilatam ſolutionem cariùs iuſto prætio currente pauperibus vendunt frumenta tempore, quo eſt defectus, v. g. Paſchæ, vel Pentecoſtes, quo Maldrũ conſtat, 10. Imperialibus, vt circa feſtum S. Martini ſolvant 12. vel 14. Imperialibus. *Ratio*: Quia eſt vſura.

Ad 2. *Caſum* in *q.* 3. propoſitum. *Reſp.* Probabilius eſt, quòd venditor ſciens futuram eſſe magnam mercium copiam, & exindè prætium mercium, quas habet, minuendum; eas tamen prætio currente vendẽs non peccet contra juſtitiam, nec teneatur ad reſtitutionem. Ita S. D. hic a. 1. ad 4. dicens: *Qui vendit rem ſecundum prætium, quod invenit, non videtur contra juſtitiam facere, ſi, quod futurum eſt non exponat; Si tamen exponeret; vel de prætio ſubtraheret, abundantiori ſ eſſet virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex juſtitiæ debito.* *Ratio*: Quia vendit juſto prætio, à Principe, vel communi hominum æſtimatione exacto. Dixi, *quod non peccet contra juſtitiam*, poteſt enim eſſe caſus, quo peccet contra charitatem, v. g. ſi venditor tempore deficientiæ tritici ſciret mox ad venturam ingentem eius copiam, & vnus emptor (quem de hoc non monet) magnam tritici quantitatem ab eo emeret, ob quod is in paupertatem incideret, peccaret contra charitatem, præſertim ſi triticum poſſet vendere pluribus. *Exceptio eſt*, niſi venditor ipſe triticum non vendendo in ſimilem paupertatem incideret; Charitas enim bene ordinata incipit à ſeipſa, nec tenetur quis cum tanto ſuo damno conſulere bono alterius.

Ad 3. *Caſum* R. Probabilius non poſſe eos ex hac ſcientia plus tritici vendere, quàm aliàs erant vendituri, multò minùs poſſunt amicis revelare. *Ratio* 1. *p.* Conſiliarij Principis ex vi officij, & ex juſtitia tenentur aliorum vtilitati conſulere, nec poſſunt officio ſuo vti in damnum cæterorum. *Ratio* 2. *p.* Conſiliarij non poſſunt proſpicere vtilitati amicorum, revelando eis id, quod ex officio tenentur tacere; præſertim ſi alij indè damnificentur. *Nota*, hoc ipſum eſſe dicendum de permutatione pecuniæ in caſu, quo Princeps in conſilio decreuit edere decretũ de minuendo valore monetæ.

* 11 QUÆRO VI. Venditio reddituum illicita ob vitium rei venditæ, & in ſpecie licitè in co-

ma-

tractu vti auro Alchymico? Item vitium rei eſtne manifeſtandum emptori? *Reſp.* 1. ex S.T. a. 2. in corp. dicente: *Circa rem, quæ venditur, triplex defectus conſiderari poteſt: Unus quidem* ſecundùm ſpeciem rei. Et hunc quidem defectum ſi venditor cognoſcat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione, vnde venditio illicita redditur. Et hoc eſt, quod dicitur contra quoſdam Iſaiæ 1. *Argentum tuum versum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua.* Quod enim permixtum eſt, patitur defectum, quantùm ad ſpeciem. *Alius autem defectus* eſt ſecundùm quantitatẽ, quę per menſurã cognoſcitur. Et ideò ſi quis ſcienter vtatur deficienti mẽſura in vendendo, fraudẽ cõmittit, & eſt illicita venditio. Vnde dicitur Deuter. 25. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera maius, & minùs, nec erit in domo tua modius maior, & minor.* Et poſteà ſubditur: Abominatur enim Dominus eum, qui facit hęc, & averſatur omnem injuſtitiam. *Tertius defectus* eſt ex parte qualitatis, puta, ſi aliquod animal infirmum vendat quaſi ſanum. Quod ſi quis ſcienter fecerit, fraudem cõmittit in venditione; vnde eſt illicita venditio. Et in omnibus talibus nõ ſolùm a liquis peccat, iniuſtam venditionem faciendo, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur. Si verò eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit injuſtum materialiter, nec eius operatio eſt iniuſta, vt ex ſuprà dictis patet; tenetur tamen, cùm ad eius notitiam pervenerit, damnum recompenſare emptori. Et, quod dictum eſt de venditore, etiam intelligendũ eſt ex parte emptoris. Contingit enim quandoque, venditorẽ credere rem ſuam eſſe minùs pretioſam quantum ad ſpeciem, ſicut ſi aliquis vendat aurum loco aurichalci, emptor, ſi id cognoſcat, injuſtè emit, & ad reſtitutionem tenetur; & eadem eſt ratio de defectu qualitatis, & quantitatis.

De auro alchymico eſt dubitandum, quia ſervit ad vſus humanos, vti aurum naturale, v.g. ad fabricanda vaſa, &c. Sed

* 12 *Reſp.* 2. ex S.D. ad 1. dicente: Aurum, & argentum non ſolùm cara ſunt propter vtilitatem vaſorum, quæ ex eis fabricantur, vt aliorũ huiuſmodi, ſed etiam propter dignitatẽ, & puritatẽ ſubſtantiæ ipſorũ. Et ideò ſi aurum, vel argentũ ab alchymicis factũ veram ſpeciem non habeat auri, & argenti veri, eſt fraudulenta, & iniuſta venditio: præſertim cum ſint aliquæ vtilitates auri, & argenti veri, ſecundum naturalẽ operationem ipſorum, quæ non conveniunt auro per alchymiam ſophiſticato. Sicut quod habet proprietatem lætificandi, & contra quaſdam infirmitates medicinaliter iuvat. Frequentius etiam poteſt poni in operatione, & diutiùs in ſua puritate permanet aurum verum, quã aurum ſophiſticatum. Si autem per alchymiam fieret aurum verum, non eſſet illicitum, ipſum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus cauſis ad producendum naturales, & veros effectus; ſicut Auguſt. dicit in 3. de Trinit. de his, quæ arte dæmonum fiunt.

Not. ex ſolutione ad 2. vbi Angelicus Doct. ait: Menſuras rerum venalium neceſſe eſt in diverſis locis eſſe diverſas, propter diverſitatem copiæ, & inopiæ rerum: quia, vbi res magis abundant, conſueverunt eſſe maiores menſuræ. In vnoquoque tamen loco ad Rectores Civitatis pertinet determinare, quæ ſint iuſtæ menſuræ rerum venalium, penſatis conditionibus locorum, & rerum. Et ideò has menſuras publica authoritate, vel conſuetudine inſtitutus præterire non licet.

* 13 *Reſp.* 3. Vitium, ſeu defectum occultum tenetur venditor emptori detegere; ſecus, eſt illicita, & doloſa venditio, & tenetur ad damni compenſationem. S. Doct. *art. 3. in corp. Ratio*: Quia in re gravi proximum decipit.

Reſp. 4. Si vitium ſit manifeſtum, & facilè poſſit deprehendi, puta, cùm equus eſt monoculus; vel cùm vſus rei, etſi non competat venditori, poteſt tamẽ eſſe conveniens alijs, & ſi ipſe propter hoc vitium ſubtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur venditor manifeſtare. Ita S.D. ibid. in c. *Ratio*: Tum quia emptor ſibi debet imputare, ſi manifeſtum defectum non obſervet. Tum quia, ſi venditor revelaret, fortè emptor de pretio ſubtraheret plus (vt ait S.D.) quam oporteat; vel (vt ait ad 2.) extenderetur emptores ab emendo, dum ignorarent alias conditiones rei, ſecundum quas eſt bona, & vtilis. Ergo venditor tacendo poteſt conſulere ſuæ indemnitati.

* 14. Ex dictis reſolvuntur Caſus ſeq. 1. *Ratione* defectus licèt rem emere vilius, quàm ex ratione Legis, vel cõmuni hominum æſtimatione valeat. *Ratio*: Quia lex, & conſuetudo taxant in bona, & ſana diſpoſitione. 2. *Vendens vinum*, vel triticum, quod ſcit, ex diſpoſitione, quam habet ad corruptionem, non diù in ſua bonitate permanſurum, tenetur de hoc emptorem informare, ſi probabiliter putet, vel falsè dubitet, quòd emat illud ad conſervandum. Quia ſic eſt cauſa damni. Si verò ſciat, ſtatim eſſe conſumendum, poteſt tacere, cùm ad alios vſus habeat valorem (vt ſupponò) æquè, ac ſi haberet diſpoſitiones conſervantes, adeòque iuſto currente pretio vendi poteſt. 3. *Qui iuſto* pretio vendit vinum Moſellanum pro Rhenano, quod alius non emeret ſi ſciret, non quidem tenetur ad reſtitutionem, quia non damnificat, peccat tamen, quia mentitur verbo, & facto. 4. *In caſu*, quo hoſpes peregrinantibus vendit vinum aqua mixtum, pretio puri vini, committit injuſtitiam, & tenetur reſtituere, vt patet: ſecus, ſi ſerver æquitatem pretij, nimirum minuendo pretiũ. 5. *Idem eſt*, ſi vino (idem eſt de alia materia) nobiliori fuiſſet admixtum vinum longè vilius. Vel ſi quis vinum vile arte, ſeu induſtria perduxiſſet ad generoſitatem vini hiſpanici, & huius pretij venderet. Vel ſi muſtum ex pyris expreſſum pro vero vino vendat. Et certè oppoſita ſententia multis fraudibus pandit viam.

6. *Qui triticum pouit* loco humido, vt ſic turgeſcens plures impleat modios, peccat, & tenetur reſarcire damnum. 7. *Qui triticum* iam purgatum iterum miſcet paleis, illudque vendit eo pretio iuſto, quo triticum ex area collectum cum mixtione palearum, non peccat. Purgatum manens tale cariùs vendere poteſt, attamen intra limites iuſti pretij. 8. *Si* occultè ſcias, tuum debitorem non eſſe ſolvendũ, iniuſtè agis, ſi alijs id neſcientibus debitum illud vendas ordinario pretio, quia non revelas vitium intrinſecum crediti. Idem eſt, ſi alijs ſuadeas, vt ei mutuent pecunias, vt tu indè ſolvaris; Quia eſt dolus.

* 15. QUÆRO V. Is, cui commiſſum eſt, vt hoc, vel illud vendat determinato pretio, v.g. infimo, vel moderato, vendit autem ſummo, ſeu rigoroſo, poteſtne exceſſum ſibi retinere? *Reſp.* 1. Si dominus, qui commiſit, conſentiat, vt retineat, poteſt. *Ratio* patet ex ſe. *Excipio 1.* ſi exceſſus eſſet notabilis, & dominus non intellexiſſet pretium. *Reſp.* 2. Si vendens ſit famulus cõmunitus, vel mercedem habeat pro labore, tenetur domino tradere exceſſum cum pretio taxato. Ratio: Nam is taxandi pretium, voluit quidem, ne infra deſcendatur, non tamen prohibuit, ne ſupra aſcendatur. Item mercede conducto, & famulo datur res vendenda in vtilitatem domini meliori modo, quo poteſt, iuſto tamen.

Reſp.

* 16 *Resp.* 3. Si Commissarius non sit famulus, nec mercede conductus, potest excessum illum retinere, modò sit intra sphæram iusti pretij. *Ratio*: Tum quia est fructus propriæ industriæ, quæ est pecunia æstimabilis. Tum etiam, quia cõmittens laborem non solvens, & sciens, quòd gratis facere non teneatur, censetur in hoc consentire. *Resp.* 4. Quando Sartores pro ijs, quibus vestes conficient, emunt materiam, quam mercatores dicunt, se ijs minoris vendere, quàm alijs, vel quia sunt eorum Parochiani, (vt solet dici) frequenter ab eis ementes, vel quia hac ratione volunt eos ad officinas suas allicere, communiter non possunt partem pretij sibi remissam retinere. *Ratio*: Quia Mercatores communiter non seriò, sed vel jocosè, vel falsè dicunt se minoris vendere, vel partem remittere, vt eos ad se alliciant; & opposita sententia est periculis plena, & palliat Sartorum furta. *Resp.* 5. Si certò constaret, illos Mercatores verum dicere, possent sortem illam, dummodo aliàs fideliter agant, retinere, vti & si eam computent ratione perditi temporis, aut lucri cessantis. *Ratio*: Quia tunc nemini fit injuria.

* 17 QUÆRO VI. Res empta cui perit? *Resp.* 1. Si post traditionem pereat, perit emptori. *Ratio*: Res perit suo domino: Sed tunc emptor est dominus rei. Ergo. *Resp.* 2. Si pereat ante traditionem, & sit res deteriorata, v. g. dolium vini, hæc domus, vel ager, &c. etiam perit emptori. *Ratio*: Qui sentit commodum, sentire debet, & onus: Sed tunc commodum, seu fructus rei acrescit Emptori. Ergo, & perit illi. *Exemptio est*, si aliter sit conventum, vel pereat culpa venditoris, vel venditor ob nondum solutum prætium fructus sibi reservaverit. *Resp.* 3. Si res sit indeterminata, v. g. ex cumulo tritici duo maldra, ex grege bovum tres boves, &c. perit venditori ante traditionem. *Ratio*: Quia similia venduntur solum sub conditione, si tradantur.

* 18 QUÆRO VII. Negotiatio, seu mercatura, ac monopolia sunt ne licita, etiam Clericis? *Resp.* 1. Iusta S. T. *art. 4. in c.* Negotiatio propriè est commutatio rerum ad denarios, vel è contra, non ob necessaria vitæ, sed præcisè ob lucrum quærendum, & hoc turpitudinem quandam habet. *Ratio*, S. D. est: Quia deservit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit. Immò in lucro (*vt ait ad* 2.) vltimum finem cõstituit, quod est peccatum. Ergo.

Resp. 2. *S. D. ibidem.* Nihil prohibet lucrum ordinari ad finem necessarium, vel honestũ, & sic negotiatio licita redderur. *Declarat* hoc S. T. dicens: Sicut cũ aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus; vel cum aliquis negotiationi intendit propter publicam vtilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, & lucrum experit, non quasi finem, sed quasi stipendium laboris. *Hæc ibi.* Et in Sed Contra ex S. Aug. ait: Negotiator avidus acquirendi pro damno blasphemat, pro prætijs rerum mentitur, & pejerat: Sed hæc vitia hominis sunt, non artis, quæ sine his vitijs agi potest: Ergo negotiari nõ est illicitum.

Resp. 3. Per varios Canones, & per *Trident. sess.* 22. *cap.* 1. Negotiatio Religiosis, & Clericis est prohibita. *Ratio* patet ex S. D. *art. 4. ad* 3 *dicente*: Clerici non solũ debent abstinere ab his, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali. Quod quidem in negotiatione contingit, tum propter hoc, quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius Clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia, quia difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum, vt dicitur *Eccles.* 26.

Est & alia causa, quia negotiatio nimis implicat sæcularibus curis, & per consequens à spiritualibus retrahit. Vnde Apostolus dicit 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* Subdit S. D. *Quod tamen Clericis liceat vti illa commutationis specie, quæ ordinatur ad necessitatem vitæ, emendo, vel vendendo*, v. g. emendo pecora, vt suis pascuis impinguata revẽdant, vel adendo gregem, vt fœtus, lac, lanam vendant, vel fructibus maturis agrum emendo; quos fructus postea revendunt, quia non est propriè negotiator, qui tãtum vendit sui gregis, aut agri fructus. Cæterum agros vel aliena prædia conducere, vt eorum fructus vendãt, specialiter Clericis, & Religiosis est inhibitum, *Causa* 21. *Q.* 3. *Cap.* 1. *& 3.*

Not. Vt Clericus, vel Religiosus dicatur negotiator, & mortaliter peccet, nõ sufficit vnus, aut alter negotiationis actus, sed requiritur, vt assiduè & ex professo negotiationem exerceat.

* 19 *Resp.* 4. Clericos negotiari per alios scandalo quidem magno potest esse obnoxium, si tamẽ eo careat (quod vix fieri potest) non est illicitum. *Ratio*: Quia non est interdictum, ceffantque in eo motiva prohibitionis.

De Monopolio Nota tunc illud propriè esse, cum vnus, vel pauci conspirãt, & faciunt, vt ipsi soli certum genus mercium vendant eo prætio, quo ipsis libuerit. Et fit tribus modis. 1. *Ex Principis*, vel Reipublicæ authoritate, aut privilegio, ex rationabili causa pro bono communi, v. g. in Casu, quo ob nimias expensas nemo vellet tales merces in copia adducere: Vel si quis proprijs sumptibus, & industria rem comparavit, qua de causa Typographo à Principe datur privilegium, vt ipse solus suis sumptibus libros impressos deinceps imprimat, & vendat. 2. *Dum Plures* negotiatores inter se conveniunt de coemendis omnibus mercibus alicuius generis, vt omnes ab eis emere teneantur. Vel quando impediunt, ne similes aliunde ab alijs adferãtur. 3. *Quando* conspirant in prætium, vt nullus minoris vendat. Hoc notato.

Resp. 5. Probabilius est, Monopolia per Principis authoritatem pro bono communi regulata, esse licita, quando nimirum venditores conspirant in prætium, quod non est supra legale, nec supra vulgare summũ: si autem est supra illud, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem. *Ratio*: Prætia rerum nõ pendent ex libidine mercatorũ, sed vel ex Superioris taxatione, vel ex communi æstimatione, facta absque dolo, & conspiratione (spectata copia, & raritate merciũ) ementium, vendentium, &c. Ergo.

Quid si ipsi emptores conspirent, aut alios rogent, ne quidquam iusto prætio emant, sed minoris. *Dico*: Faciunt injuriam venditoribus. *Ratio*: Quia illi habent ius ad prætium maius, nimirum iustum, saltem infimũ; tenenturque restituere. Plura hic dici possent, sed parebunt in sequenti Examine.

EXAMEN VIII.

De peccato Vsuræ in mutuis. *De quo S. D. hic Q. 78. per 4. art.*

* 1 QUÆRO I. Quid est mutuum? quid, & quotuplex est vsura, ac quantum peccatum? *Resp.* 1. Mutuum est contractus, in quo alteri traditur res ipso vsu consumptibilis cum translatione dominij, vt eandem reddat, non numero, sed specie, vel valore. Explico: Per ly *cum translatione dominij* mutuum differt à locato, commodato, & deposito. Per ly *restituendi* differt à donatione, emp-

emptione, & venditione. Dixi, *vſu conſumptibilis*, per quod differt à commodato. Pro quo *Nota*, res alias eſſe vno actu non conſumptibiles, ſed permanentes, vt *pratum*, domus, gladius, equus, &c. alias verò vſu conſumptibiles, ſeu pereuntes, v.g vinum, panis, oleum, frumentum, immò & pecunia, licèt enim pecunia in mutuo non pereat in ſe, & quoad entitatem, perit tamen exponenti, cùm is amittat dominium eius.

* 2 *Reſp.* 2. Mutuum eſt duplex, nimirum verũ, & palliatum. *Explico*: Mutuum verum eſt, quando res verè gratis mutuatur, prout natura huius contractus exigit, nec aliud intenditur. Palliatum eſt, quãdo verba ſignificant alium contractum, ſed mens contrahentium, ſive vera, ſive præſumpta intendit contractũ mutui, qui alio contractu palliatur, ſeu tegitur, vt ſi quis emat minoris iuſto pretio ob ſolutionem anticiparam, aut vendat ad terminum, quo ob ſolutionem dilatam res venditur cariùs iuſto pretio, eſt mutuum palliatum, & vſura.

* 3 *Reſp.* 3. Vſura definitur, quòd ſit contractus mutui, in quo ex ſtricta obligatione, ſeu ex iuſtitia aliquid temporale, & pretio æſtimabile præcisè, ſeu principaliter ex vi, & cauſa mutui capitur vltra ſortem, id eſt, vltra Summam Capitalem. *Nota*, quòd vſura interdum accipiatur pro ipſo queſtu, ſeu lucro vſurario, principaliter, & immediatè ex mutuo proveniente, vltra ſortem recepto.

Reſp. 4. Vſura eſt duplex. Una realis, altera mentalis. Prima eſt, in qua dicta obligatio explicitè, vel implicitè deducitur in pactum; ſi explicitè, vocatur vſura realis explicita; ſi implicitè, vocatur palliata, vt dictũ eſt ante Reſponſionẽ. 3. *Vſura* mentalis eſt, dum quis mutuat alteri ea mente, vt aliquid vltra ſortem ex iuſtitia reddendum expectet vi mutui.

* 4 *Reſp.* 5. De fide eſt, quòd vſura propriè dicta ſit peccatũ. Patet ex illo Luc. 6. *Mutuum date, nihil indè ſperantes*, pura ex vi mutui. Quomodo ex alio capite poſsit aliquid accipi, patebit ex dicendis. Dixi, *vſura propriè dicta*; quia interdum accipitur metaphoricè pro ſuperexcreſcentia bonorũ ſpiritualiũ, quam etiam Deus à nobis exigit, volens vt in ijs ſemper proficiamus, vt ait S.D. *hic, art.* 1. *ad* 1. *explicans illud Luc.* 19. Ego veniens cum vſuris exegiſſem illam, nimirum pecuniam mutuatam, id eſt, dona gratiæ. Item in S. Scriptura vſura interdum accipitur pro mutuo, vnde dum Deuter. 28. Judæis in præmium ſervatæ legis promittitur, *fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies*, idem eſt, ac mutuabis; nam promittitur ibi Judæis abundantia divitiarum, vt alijs mutuare poſsint, vt explicat Ang. Doct. *hic ad* 2. Item interdum accipitur pro ſpolijs, vel vtilitate. Sicut dum S. Ambroſ. dicit: *Ab illo vſuram accipe, cui meritò nocere deſideras*, loquens de bonis, quæ auferuntur à ſubiugatis per bellum iuſtum.

* 5 *Reſp.* 6. Vſura eſt etiam iure naturæ prohibita, & reſtituenda. *Ratio* 1. Quia iuri naturę repugnat, percipere lucrum ex re non ſua, res enim fructificat ſuo domino: Sed res mutuata non manet mutuantis, ſed tranſit in dominium mutuarij. Ergo. *Ratio* 2. Quæ eſt S.D. *hic, art.* 1. *in c. & quodlib.* 3. *a.* 19. Contra ius naturale eſt, petere duplex pretium pro vna, & eadem re, aut petere pretium pro re, quę non eſt. Sed hoc fit per vſuram. Ergo. *Mai patet*: quia ſic tollitur æqualitas, quam natura rei poſtulat; plus enim recipitur, quàm fuit datum. *Min. verò prob.* Recipiens vſuras, vel eas recipit pro pecunia quam mutuavit, vel pro vſu eius. Si pro pecunia: Ergo recipit duplex pretium pro vna re, vnum, recipiendo ſortem, ſeu Summam Capitalem, quæ ei ex æquo refunditur: alterum per vſuram, quam accipit vltra ſortem. Si verò vſuras accipit pro vſu pecuniæ, accipit pretium pro re, quæ nõ eſt. *Quod probo*: In rebus vſu conſumptibilibus vſus earum non poteſt æſtimari ſeorſim à re ipſa, vt etiam docuimus ſuprà *T.* 8. *E.* 2 *n.* 12. *in* R. *ad Oppoſ.* 3. vbi vide; vti, & omnia, quæ ibi dicta ſunt de diſtinctione dominij, & vſus in talibus, nam ridiculum, & injuſtum eſſet, triticum, & vſum tritici, vel panis diverſo æſtimare pretio. *Subſumo*: Sed pecunia computatur inter res vſu conſumptibiles in ſenſu ante explicato. Ergo. *Confirmo*: Nummus ex natura ſua eſt ſterilis, nam, vt ait Ariſtot. 1. Polit. c. 7. *Non eſt inſtitutus, vt pariat nummum, ſed vt commutetur cum mercibus naturalibus.* Ergo.

Reſp. 7. Vſura eſt peccatum mortale ex genere ſuo; in individuo tamen poteſt eſſe veniale ex parvitate materiæ, vel defectu libertatis. 1. *Pars* patet ex dictis pro R. 6. 2. *Pars* patet ex paritate de furto, ſuprà T. 9. E. 3. n. 4. R. 3. Quia vſura eſt furtum, & prohibetur illo Decalogi, *Non furtum facies*. Ex quo ſequitur, quòd etiam minima vſura (ſicut furtum) ſit peccatum ſaltem veniale.

* 6 *Oppono* 1. *contra Reſp.* 6. *Deuter.* 23. Judæis fuit quidem prohibitum accipere vſuras à ſuis fratribus, Id eſt Judæis, fuit tamen illis conceſſum eas accipere ab alienis, ſeu extraneis, nimirum Gentilibus. Ergo. 2. *Leges* Civiles (vt in Jure videre eſt) concedunt vſuras. Ergo. 3. *Illud* Luc. 6. *Mutuum date, nihil indè ſperantes*, ſolùm continet conſilium, non præceptum. Ergo. 4. *Pro eo*, quod quis non tenetur facere, poteſt accipere pretium: Sed homo non tenetur *dare mutuum*, ſaltem in quovis caſu. Ergo. 5. *Pro vaſis* argenteis alteri commodatis licèt accipere pretium. Ergo & pro argento monetato. *Prob. conſeq.* quia ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei. 6. *Quivis* licitè poteſt accipere, quod alter voluntariè ei dat, quia ſcienti, & volenti non fit injuria: Sed mutuarius voluntariè dat vltra ſortem. Ergo. 7. *Obligatio* carendi re mutuata, ſeu eam non reperendi intra certum tempus, eſt prætio æſtimabilis; Idem eſt de vſu rei mutuatæ. Ergo pro ijs poteſt accipi pretium. *Prob. ant.* Obligatio mutuandi ex officio eſt pretio æſtimabilis, & pretium pro ea licitè accipitur. Ergo etiam obligatio carendi re ad certũ tempus. 8. *Qui tenendo* ſibi dominio alteri concedit vſum pecuniæ ſolùm ad oſtentationem, poteſt aliquid exigere vltra ſortem. Ergo à fortiori, ſi cum vſu dominium transferat, vt fit in mutuo.

Ad 1. R. Fœnerari ab extraneis non fuiſſe Judæis conceſſum tanquam licitum, ſed permiſſum ad maius malum vitandum, ne ſcilicèt à Judæis Deum colentibus vſuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, vt habetur Iſaiæ 56. Ita S.D. *a.* 1. *ad* 2. Vti ſuprà diximus de Lupanaribus. *Ad* 2. eodem modo R. Vnde S. Doct. ibidem ad 3, ait: Leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ vtilitates impedirentur, ſi omnia peccata diſtrictè prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideò vſuras lex humana cõceſsit, nõ quaſi æſtimans eas eſſe ſecundum iuſtitiam, ſed ne impedirentur vtilitates multorum. Hæc ibi. *Ad* 3. ait S. D. ibidem ad 4. *Dare mutuum non ſemper tenetur homo, & ideò quantum ad hoc ponitur inter conſilia, ſed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit ſub ratione præcepti*: id eſt, licet homo non teneatur mutuare, ſuppoſito tamen quod mutuet, tenetur gratis mutuare, ſicut etſi non teneat modo orare, ſuppoſito tamen quod orem, teneor devote orare. *Ad* 4. *Eſt mai.* Poteſt, &c. recipiendo æqualem ſortem, *C. mai.* vltra ſortem, *N. mai.* Explicatio patet in S. Doct. *ibid. ad* 5. *dicitur*: Quod ille, qui

mutuare non tenetur, recompenſationem poteſt accipere eius, quod fecit, ſed non amplius debet exigere. Recompenſatur autem ſibi ſecundum qualitatem iniuriæ, ſi tantum ei reddatur, quantum mutuavit. Vnde ſi amplius exigat pro vſufructu rei, quæ alium vſum nó habet, niſi conſumptionem ſubſtantiæ, exigit pretium eius, quod non eſt, & ita eſt iniuſta exactio. *Ad 5.* negatur conſ. Quia res commodata ipſo vſu non conſumitur, & manet in dominio commodãtis, ſecus eſt in mutuo, res autem fructificat tuo Domino. *Ad prob. N. cons.* Quia accipitur pro cauſa, quod non eſt cauſa. Vide S. D. ad 6. *Ad 6. inſt. mut.* Si det parti voluntariè, C. *mut.* mixto involuntario propter neceſſitatem, ſine qua nó daret. *N. mut.* Et ſic *diſt. mai. N. cons.* Eſt S. T. ibidé ad 7. *Ad 7. neg. mut.* Quia obligatio carendi re ſua, ſeu ad certum tempus eam non repetendi, non habet diſtinctam æſtimabilitatem à re mutuo data, eo quod illa obligatio ſit intrinſeca contractui mutui, qui ex natura ſua eſt gratuitus. Ad illud de vſu, patet: Quia res fructificat ſuo domino, & ad mutuatarium ſpectat vſus ſicut ipſa res. *Ad prob. neg. conſ.* Quia in obligatione mutuãti mutuans cum ſua incommoditate gravatur ad habendas ſemper paratas pecunias adeoque ad carendũ lucro, quod poſſet habere, ſi applicaret eas ad negotiationem: hoc verò non eſt in puro mutuo. *Ad* S. R. ſi cui ad 5.

* 7 QUÆRO II. Nihil ergo licet accipere vltrà Sortem? nec vllo titulo pro pecunia, ſeu re mutuata? Ante Reſpondionem *Nota ex S. T. art. 2. in c.* omne illud pro pecunia haberi, cuius pretium poteſt pecunia mẽſurari. Quicunque ergo tale quid ex pacto tacito, vel expreſſo pro re mutuata ex vi mutui acceperit, peccat contra iuſtitiam, vt ante dictum. Hoc notato, *Reſp.* 1. Recompenſationem, quæ pecunia non menſuratur, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam, & amorẽ eius, qui mutuavit, vel aliquid huiuſmodi. Ita S. D. loco citato. *Ratio* patebit ad Reſp. 4.

Reſp. 2. Si quis aliquid pretio, ſeu pecunia menſurabile pro mutuo accipiat, non quaſi exiſtens, nec quaſi ex obligatione aliqua tracta, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat. Ita S. D. ibid. *Ratio* S. D. eſt: Quia antequam pecuniam mutuaſſet, licitè poterat aliquod donum gratis accipere: Sed non efficitur peior ſuæ conditionis per hoc, quod mutuavit. Ergo.

Reſp. 3. Si quis ex pecunia mutuata expectat, vel exigat, quaſi per obligationem pacti taciti, vel expreſſi, *ſi recompenſationem muneris ab obſequio, vel à aliqua* perinde eſt, ac ſi expectaret, vel exigeret mutuo à mutuatario. Ita S. T. *art. 2. ad 3. Ratio* S. D. eſt: Quia verò que pecunia æſtimari poteſt, vt patet in his, qui locant operas ſuas, quas manu, vel lingua exercet. *Reſp.* 4. Si mutuo ab obſequio, vel à lingua, non quaſi ex obligatione exhiberetur, ſed ex benevolentia, licet hoc accipere, & expectare. S. T. ibid. *Ratio* S. D. eſt: Quia benevolentia, ſeu amicitia ſuo æſtimationem pecuniæ non cadit. Ergo nihil accipitur vltra ſortem.

* 8 Nota, hanc propoſitionem ab Innocent. XI. Num. 42. eſſe damnatam: *Vſura non eſt, dum vltra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex iuſtitia debitum.* Cum qua ſententia non coincidit noſtra, vt patet conſideranti noſtram cauſam damnationis dictæ propoſitionis. Nũ quid foret ridiculus modus pallandi vſuram, pro cauſa ſortem mutuam petere quinque tanquam debitos ex gratitudine? quia obligatio gratitudinis, ſeu modus alienandi determinatus quantitatem, nec determinatione obligat ad donum aliquod materiale, vel temporale, ſed vt ſe gratũ exhibeat quoquomodo, prout ſibi libuerit, per verba, vel facta, per ſigna ſpecialis honoris, per preces, per reciproca in caſu occurrente parrocinia, &c. Ergo ſi mutuator aliquid determinatè exigat tanquam debitum, indubiè obligationi antidorali novum onus ſuperaddit, & ridiculam facit gratitudinem, palliatque vſuram. *Patet in exemplo:* Vir Nobilis habet generoſum equum mille florenis æſtimatum, accedit alius, volens equum emere. Reponit Nobilis, non decere nobiles mercari, nec velle ſe vendere, ſed ſe ipſi equum donare, eo tamen pacto, vt ſibi vicißim det mille florenos ex mera gratitudine; Nonne ridiculus hic eſſet contractus?

* 9 *Reſp.* 5. Si mutuans mutuatarium titulo mutui obliget ex iuſtitia ad conferendum, vel procurandum ſibi officium, aut beneficium, vel privilegiũ, v.g. immunitatem à tributis, aut eum obliget ad remutuandum, ad emendum ex officina mutuantis, ad remittendam reſtitutionem famæ, &c. eſt vſura. *Ratio:* Quia hæc onera ſunt pretio æſtimabilia. Ergo mutuans accipit vltra ſortem. Dixi, *vi mutui*: petere enim ex mera gratitudine non eſt peccatum, v.g. ſi noſti petenti dare mutuam pecuniam, nihilominùs det frumentum, officium ſæculare procuret, aut aliud contractum iuſto pretio celebret, modò mutuatarius ad ſimilia reciproca nullo pacto obligetur, ſed noſſe aliàs mutuare ſit mera conditio.

* 10 *Reſp.* 6. Probabilius eſt, quòd qui mutuum dat, poſſit abſque peccato in pactum deducere cũ eo, qui mutuum accipit, recompenſationem damni emergentis. S. T. ad 1. *Ratio* 1. S. D. eſt. Hoc non eſt vendere vſum pecuniæ, ſed damnum vitare. Et poteſt eſſe quòd accipiens mutuum malus dan num eviter, quàm dans incurrat. Ergo poteſt recompẽſatio peti. *Ratio* 2. Licèt iſte exceſſus pecuniæ ſit vltra ſortem nudè conſideratam, non tamen eſt vltra eam, in quantum hoc eſt cauſa mali iuſtè vitandi. Ergo.

Nota, *damnum emergens* vocari, quod quis patitur in ſuis bonis, ſi ea det alteri, v.g. habet quis tectum domum, nunc modico ære reparabilem, ſi vero nunc mutuet alteri, eius reparatio ſuo tempore ruina crẽſcente maiores expenſas faciet. *Lucrum* ceſſans eſt carentia lucri, quod, ſi alteri non mutuaſſes, probabiliter ex tuis bonis accepiſſes, v.g. pro pecuniis emendo cenſum, vel frugiferum prædium, aut applicando eam ad negotiationem, &c. Lucrum ceſſans eſt jactura bonorum, quæ quis ſolùm habet in ſpe: damnum verò emergens, eorum, quæ quis habet in re.

* 11 *Reſp.* 7. Si pecunia tantùm eſt in potentia remota ad faciendum lucrum, non poteſt mutuator (ſive liberè, puta, rogatus, ſeu vicroncè, ſive coactè mutuet, id eſt, vi, vel fraude inductus) aliquid vltra ſortem accipere ratione lucri ceſſantis. *Ratio* patet ex S. T. a. 2. ad 1. dicente: *Recompenſationem damni, quod conſideratur in hoc, quòd de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere. Quia non debet vendere id, quod nondum habet, & poteſt impedire, ne ipſi fiat ad habendũ.*

Declaratur vberius: *Ad faciendum lucrum* in pecunia duplex eſt potentia: Vna remota, quod convenit omni pecuniæ, in quantũ ex natura ſua eſt inſtrumentum ad lucrum. Altera eſt proxima, quæ pecunia non convenit ex ſua natura, ſed ex induſtria negotiatoris, vel quando iam eſt expoſita negotiationi, vel parata ad illam. Quale ſimile. Caseus eſt dat in frumento exiſtente in horreo, & in agro ad ſeminandum parato.

* 12 *Reſp.* 8. Probabilius eſt, quod ſi pecunia ſit in potentia proxima ad lucrum, & à lucro impediatur contra voluntatem domini, poſſit mutuator licitè exi-

exigere lucrum ceſſans. *Vide 3.T. in hac 2. 2.q.62.art.4. ratio 1: vbi docet*, quòd qui damnificat aliquem impediendo, ne adipiſcatur, quòd erat in vſu habendi, tale damnum non debeat compenſare ex æquo, teneatur tamen aliquam compenſationem facere ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum. *Vide ſuprà T.8.E.6. num. 1. R. 3.*

Ratio 1. Talis pecunia plus valet huic ſuo domino, quam abſolutè ſecundum ſe ſumpta. Ergo hæc maior vtilitas poteſt à domino exigi, & in pactum deduci. *Ratio* 2. Damnum emergens, & lucrum ceſſans eſt verè prætio æſtimabile. Sed non eſt æquum, vt quis teneatur ſubire onera prætio æſtimabilia ratione beneficij gratis impenſi in favorem alterius. Ergo.

Nota, vt ſubſiſtat doctrina *R.6. & 8.* requiri 1. *Vt damnum* emergés à mutuãre deducatur in pactum, deduci autem in pactum non poteſt, ſi mutuatarius aliũde ſe offerat ad damni compenſationem. 2. *Vt damnũ* emergens, & carentia lucri non oriatur ex alio capitè, ſed ſolum ex mutuo. 3. *Vt æſtimetur* iudicio prudẽtum quanti valeat. 4. *Vt* in lucro ceſſante ſolum æſtimetur ſpes lucri, non lucrum in ſe; quia lucrum in ſpe minus valet, quam lucrum in re. 5. *Vt compenſatio* lucri ceſſantis non fiat ſtatim ac datur mutuum; quia ſi ob lucrum ceſſans *à* 100. *aureis* ſtatim, acciperet decẽ Imperiales, prætium lucri ceſſantis acciperet *à* 90. *aureis*, ac ſi eſſet *à* 100.

* 13 *Reſp.* 9 Probabilius eſt, quod ratione periculi, moleſtiæ, difficultatis, vel expenſarum (quæ in recuperanda ſorte timentur) mutuans poſſit paciſci, & aliquid vltra ſortem recipere. *Ratio*: Quia hoc periculum amittendæ, vel difficultatis recuperandæ ſortis, nõ eſt mutuò intrinſecum; nam poteſt mutuum eſſe ſine illo, vt patet, ſi detur pignus, hypotheca, fideiuſsio, vel mutuatarius ſit integræ fidei, & notus per experientiam, vnde ſequitur non ex natura mutui, ſed mutuatarij, v.g. ignoti, remoti, debitis immerſi, aut qui difficulter poteſt conueniri. Ergo hoc periculum eſt prætio æſtimabile, nec tenetur quis illud ſubire ratione beneficij alteri gratis impenſi.

* 14 *Reſp.* 10. Probabilius eſt, quòd, qui ſponte ſua, & ob propriam vtilitatẽ pecuniam à negotiatione tranſfert ad mutuum, non poſſit à mutuatario exigere lucrum ceſſans; benè tamen ſi hoc faciat rogatus à mutuatario. *Ratio* 1. *p.* In eo caſu pecunia potentiam proximam, & artificialem lucrandi amittit, retinetque ſolùm remotam, & naturalem, & hoc ex libera voluntate domini. Et ſimile eſt in frumento ad ſeminandum parato, quod ſi quis ſua ſponte ob ſuam vtilitatem velit vendere, non poteſt exigere maius pretium, quàm valeat ſecundùm ſe. Ergo à pari, &c. *Ratio* 2. *p.* Mercator non minùs æſtimat lucrum, quod ex pecunia ad negotiandum parata ſperat, quàm timeat (cum eadem probabilitate) damnum emergens. Sed hoc eſt prætio æſtimabile, & poteſt de eo paciſci. Ergo idem eſt de lucro in caſu poſito.

Oppono contra 2. partem: Qui non rogatus mutuat, tenetur ſequi naturam mutuationis: Sed natura eius eſt, vt fiat gratis. Ergo. *Ad hoc Reſp.* ſolũ probari, quòd mutuans gratis teneatur ſubire pericula, & onera intrinſeca mutuationi, vti eſt obligatio carendi, ſeu non repetendi ad certum tempus, &c. non verò ea, quæ ſequuntur per accidens, vt ſunt damnum emergens, & lucrum ceſſans.

* 15 QUÆRO III. Quomodo reſolvis hos caſus? 1. *Eſtne vſura*, adeòque peccatum iuſtitiæ, mutuare alicui ad alliciendum, vt antiqua debita ſolvat. Vel Regi, vt iam conſtitutam gratuitam recompenſationem accipiat? 2. *Vt* debitum remittat, liti cedat? 3. *Mulieri*, vt ſui corporis vſum concedat? 4. *Mutuare* alicui mille Imperiales, vt eos extorqueat à debitoribus? 5. *Mutuare* alicui frumentum, vt ex loco diſtante illud adveḥat? 6. *Mutuare* alicui, vt pro pecunia computentur veſtes, animalia, equi, &c. reddenda in pecunia? 7. *Mutuare* alicui partim in pecunia, partim in mercibus, vt totum reddat in parata pecunia? 8. *Mutuare* alicui cum pacto, ne mutuatori noceat? 9. *Eſtne* vſura Monaſterio dare centum Imperiales hoc pacto, vt mutuator non poſſit eos repetere quamdiù vivit, & monaſterium annuè illi ſolvat ſedecim Imperiales, & poſt mortem mutuatoris Summa Capitalis maneat penes monaſterium, & hoc habeat facultatem contractum reſcindendi ad libitum? 10. *Si maritus* dote non ſoluta recipit aliquid, quod non repetat in ſortem? 11. *Mutuare* frumentũ in menſe Septembri (quo tempore vilius venditur) vt ſolvatur in Maio, quo venditur cariùs? 12. *Mutuare* frumentum vetus, vt reddatur novum? 13. *Apponere* mutuatario pœnam, vt ſi tempore ſtatuto non ſolvat, eam ſubeat ſolvendo aliquid vltra ſortem? 14. *Accipere* pignus à mutuatario, ea conditione, vt ſi tempore ſtatuto non ſolvat, pignus ſit mutuantis? 15. *Vendere* cum pacto de retrovendendo ipſi vendenti, & non alteri? 16. *Pro* fideiuſsione recipere pretium abſque vſura?

Ad 1. R. non eſſe vſuram, quia talis nihil exigit ex vi mutui, ſed petit, quod ſuum eſt, vel ſibi iam deputatum eſt. *Ad* 2. & 3. R. eſſe vſuram, ſi deducatur in pactũ & obligationem, ſecus ſi fiat ex mera gratitudine, vel amicitia. *Ad* 4. & 5. Eſt vſura, niſi mutuarius ſponte id in ſe ſuſcipiat, quia eſt prætio æſtimale, non minus, ac illa de qua ad 2. & 3. *Ad* 6. & 7. Eſt vſura, ſi obligetur mutuarius, vtpote, qui in iſtis ſemper afficitur aliquo damno. Aliud eſſet, ſi mutuans diceret, ſe non poſſe totum mutuare in pecunia, & mutuatario relinquat liberum, velitne medietatem in mercibus pro iuſto prætio nẽcne. *Ad* 8. Non eſt vſura, ſi intendatur amicitia, vt ſuprà. Vnde noſter *Conradus* ait, eſſe licitum pro benevolentia capranda mutuare, ſeu etiam in pactum deducere, vt eius ſigna demonſtrentur, puta, vt mutuatarius mihi non noceat iniuſtè, vti aliunde tenetur nõ nocere.

Ad 9. Contractus ille nunquam eſt conſulendus, quia præſefert turpis lucri ſpeciem ex parte vtriuſque contrahentis, vt ſcribit *Conradus* noſter, nam Monaſterio ſpe lucri datur occaſio optandi mortem mutuantis: mutuans verò eſt cupidus diutius vivendi, vt eo plus lucretur cum damno monaſterij. De iuſtitia huius contractus loquendo, bene reſolvit *mſſt Sylueſter dicens*: Ego dico tibi non poſſe mutuum eſſe, quia dans pecuniam non poteſt eam quovis tempore repetere, & conſequenter nec vſuram: ſed, tamen eſt ibi iniuſtitia, & eſt emptio iuris exigendi ſingulis annis 16, celebrata prætio iniuſto. *Ad* 10. Si maritus pactum fecerit de vxore gratis alenda, & exigat vltra ſortem, vſuram committit. Si pactum hoc non fecerit, & dos non ſolvatur, alimenta petere poteſt propter onera matrimonij. Vir dotem ſolutam tenetur ſervare ſalvam, vt ex eius fructibus vxorem alere poſſit, ideoque præſumitur dos ſemper manere in re fructifera; hinc iuſtè, & ſine vſura fructus exigi poſſe, bene docet Sotus; quia non peruntur ex vi mutui, ſed titulo alimenti, & ceſſatis lucri. Eadem ratio eſt de vidua, cui dos non eſt ſoluta, quæ cum ſua familia debet ali, licet de facto onera matrimonij non ferat.

Ad 11. & 12. Si ex vi mutui in iis caſibus intenderetur lucrum, aut mutuatarius obligetur, vt non ſol-

ſit reddere ante maturitatem, vt reddere teneatur melius, vt ſi ſuum erat in via ad corruptionem, eſt vſura. Si verò relinquatur ei facultas ſolvendi, & mutuanti reperendi, quando placuerit, & non exigatur frumentum melioris qualitatis, ſed ejuſdem in ſpecie, & bonitate, non eſt vſura, licet mutuarur illud repereat eo tempore, quo carius venditur; ſi ipſe illud frumentum erat alias ſervaturus, ipſumq; poterat vſque eo durare. Quia enim frumentum erat ſuum, prætium ei creſcebat, vel decreſcebat. Adde, quæ ante dicta ſunt *E.* 7. n. 10. *Caſu* 1. 4. & 5.

Ad 13. Si pœna conventionalis ſit exceſſiva, vel tempus ſolvendi nimis breve, ſeu mora ſolvendi inculpabilis; vel ſi fiat in fraudem, nimirum ad vſuram pallandam, vt ſi ſub prætextu, ſeu titulo huius pœnæ lucrum ſperetur, eſt vſura. His ſeclusis contractus eſt licitus, quia Reipublicæ intereſt, vt pacta iuſta ſervenrur, & debitoris negligentia puniatur. Dixi, *ſi mora ſit inculpabilis*, cuius exemplum eſſe poteſt ſi mutuatarius ſe obligaſſet pœnam ſolvere in frumento tempore maturitatis frugum, eo autem tempore grādo, velinundatio eas vaſtaſſet.

Ad 14. quæſtio tangit, an licitum ſit pactum legis commiſſoriæ, ſeu vt pignus cadat in commiſſum ipſi mutuanti, tanquam vendibile, vel venditum, in pœnā moræ, & negligentiæ mutuarij in ſolvendo? Item tangit quæſtionem, an pactum antichreſeos ſit vſurarium, quo nimirum creditori datur facultas, vſque ad mutui reſtitutionem lucrādi fructus pignoris? Vt hic contractus ſit licitus, proportionabiliter dicendum eſt, vt dictum eſt *ad* 13. Vt ergo vſura non ſit pignus, debet cedere pro iuſto pretio, & fructus pignoris (ſi ſit fructiferum) debent computari in capitale, ſeu ſortem, ſive exonerationem ſortis, vſque ad tempus præfixum. Secus, eſt vſura, vt patet ex definitione vſuræ. *Ad* 15. Si nulla intercedat fraus, nec ſub titulo emptionis vſura pallietur, ac ſervetur iuſtitia prætij ad arbitrium boni viri, contractus eſt licitus; ſecus, eſt vſurarius.

* 16. *Quid ſi* addatur pactum, vt res pereat periculo ſolius vendentis, & non ementis? *Dico* eſſe vſuram palliatam. *Ratio*: Iure naturæ res perit ſuo domino: Sed emptor eo ipſo eſt dominus rei. Ergo. *Ad* 16. Fideiuſſor poteſt abſque vſura recipere prætium rationē periculi, & maximi detrimenti, quod fideiuſſoribus ſæpè evenire ſolet, qui vt plurimum (vt Conradus diſcurrit) coacti cum maximo damno debent vendere proprias domos, & prædia, vt aliena ſolvāt debita immo ſæpè ad mēdicitatem propter hoc redigūrur. Ergo.

* 17. QUÆRO IV. Quid cenſes de Cenſibus, eorumque prætio, & in ſpecie de Cenſu Germanico quinque pro 100. *Ante R. Not.* 1. ex veteri jure Romano ly *Cenſus* derivari à cenſendo, ſeu æſtimando, & olim etiam tributum Cæſari datum, fuiſſe vocatū *Cenſus*. Apud Canoniſtas vero, & Theologos in preſenti ſumitur ſic, vt *ſit ius exigendi annuam penſionem ex re, vel perſona alterius vtili, ſeu fructifera*. Dixi 1. *ius*, dum enim ipſa penſio vocatur cenſus, vel è contra, accipitur effectus pro cauſa, vel è contra. Iuri huic correſpondet ex parte alterius obligatio ſolvendi penſionem. Dixi 2. *annuam*: quia annuatim ſolvitur. Dixi 3. *ſuper re, vel perſona alterius*; cuius intelligentia patebit ex diviſione cenſus. Dixi 4. *vtili, ſeu fructifera*; quia cenſus non poteſt conſtitui ſuper re ſterili, aut perſona per ſuas operas nihil fructificante, nec vlla bona in re, vel in ſpe habente.

Nota 1. Cenſum eſſe multiplicem. 1. Alius eſt reſignativus, vt ſi quis legando, donando, permutando, vendendo bonorum ſuorum dominium directum, & vtile transferat in alterum, reſervata ſibi ex iis annua penſione. Alius eſt conſignativus, vt ſi quis alteri conſignet ius annuæ penſionis ex induſtria ſuæ perſonæ, vel ex ſuis bonis, retento eorum tamen domino, vſu, & directo.

2. Ex parte fundamenti dividitur in realem, & perſonalem, ac mixtum. Realis eſt, qui immediate fundatur ſuper aliqua re fructifera, v. g. prædio, agro, &c. in eoque immediatè obligatur ſola res, eāque comitatur, & ſi vendatur, vel aliter donetur; & perſona tantum mediante re, & quamdiu eam habet. Hinc pereūte re, aut reddita infructifera, peris, & Cenſus. Perſonalis eſt, qui fundatur ſuper aliqua perſona, & (ſi bona aliqua relinquat, ſecus non) non ſuper poſteris eius, ſic vt perſona obligetur immediatè, res verò mediatè. Hic cenſus non poteſt conſtitui ſuper perſonam, quę eſt inutile pondus terræ, ſed ſuper laborioſam. Mixtus eſt, qui immediatè fundatur ſuper perſonam, & rem eius fructiferam ſimul, qui manet, quamdiu perſona manet, licèt res pereat.

3. *Ex parte materiæ* dividitur in fructuarium, ſeu ex quo debentur fructus, v. g. frumentum, vinum, &c. & in pecuniarium, ex quo debetur pecunia. Et hic iterum alius eſt certus, cuius quantitas eſt determinata, v. g. quinque modij, decem floreni, &c. alius incertus, cuius quantitas non eſt determinata, v. g. tertia, vel quinta pars fructuum, qui eo anno creſcunt. 4. *Ex parte* temporis dividitur in temporalem, & perpetuum. *Perpetuus* eſt, cui nullum redimendi tempus, aut pactū apponitur. *Temporalis*, cui id adjicitur, v. g. ad vitam vnius, vel duorum, qui *vitalitius* dicitur. 5. *Ex eadem* ratione dividitur in redimibilem reſuſo pretio, vel irredimibilem. Primus iterùm duplex eſt: 1. Vt ſit redimibilis ex parte ſolius venditoris, vt hic reſuſo pretio ab onere cenſus ſe poſsit liberare, & in hoc ſenſu minor eſt difficultas de licitate cenſus. 2. Vt ſit vtrinque redimibilis, ſeu ſimul ex parte emptoris, vt is reſignato cenſu poſsit repetere pretium, & in hoc ſenſu maior eſt difficultas.

* 18. *Reſp.* 1. Licita eſt emptio, & venditio cenſuum, tàm realium, quàm perſonalium, tam perpetuorum, ac irredimibilium, quàm temporalium, etiam vtrinque redimibilium. *Ratio* 1. *de cenſibus realibus*: Cenſus eſt ius exigendi penſionem annuam: Sed hoc ius poteſt licitè vendi, & emi. Ergo. *Min. patet*: Tum quia hoc ius eſt temporale, & pretio æſtimabile. Tum etiam, quia poteſt quis titulo donationis in ſuis bonis conſtituere ius percipiendę penſionis, vt non negant contrarij. Ergo & titulo emptionis. *Conſeq. patet*: quia res non eſt minoris pretij, ſive ematur, ſive donetur.

Ratio 2. *de cenſu perſonali*: Tum quia iuxta notata in cenſu reali involvitur obligatio perſonalis. Ergo hic venditur cum illo. Tum etiam, quia quilibet poteſt ſe obligare ad ſolvendam annuatim pecuniā mercenario pro ſuis laboribus. Ergo & mercenarius poteſt illi ſuas operas vendere, & ſic ſuprà ſeipſum conſtituere cenſum. Idem patet ex Bulla Nicolai V. *Sollicitudo paſtoralis*, renovata per Greg. XIII. in qua concedit, vt venditores cenſuum non ſolùm ſua bona, ſed & perſonas ſuas obligare poſsint.

Ratio 3. de cenſibus, tàm perpetuis, quàm temporalibus, in omni Republica licitum eſt emere, & vendere ius exigendi debita. Sed emptio, & venditio cenſus, ſive perpetui, ſive temporalis, eſt ius exigendi cenſum, qui eſt debitus. Ergo.

Ratio 4. de cenſu irredimibili. Licita eſt irredimibilis, & perpetua emptio totius prædij à Cenſu, & omnium iurium eius. Ergo & partis prædij. *Conſeq. patet*.

Quod

Quòd enim iuris est de toto quoad totum, id quoque iuris est de parte quoad partem, *L. qua de toto, ff. de rei vindicat.* *Subsumo*: Sed emptio census nihil aliud est, quàm emptio partis rei, nam iura rei, v.g. prædij sunt partes virtuales, & potestativæ eius. Ergo.

Ratio 5. specialiter de censu vtrimque redimibile est: Tum quia contractus ex conventione legem accipiunt, C. *contractus* 85 *de re judicat. in* 6. Tum etiã, quia contractus accipiunt interpretationem ex consuetudine: Sed census vtrimque redimibilis est in consuetudine totius Germaniæ, Galliæ, &c. & practicatur à viris prudentibus, doctis, probis, & timoratis, Ecclesiasticis, & Religiosis. Ergo. Eodem modo id probatur de censu personali. Hæc ratio etiam probat Responsionem secundam ponendam.

Ratio 6. ad idem: Æqua vtriusque contrahentis debet esse conditio, nec debet prohiberi emptori, quod permittitur venditori. Nam æqualitas justitiæ in commutationibus voluntarijs non consistit in conditione personarum, sed in æstimatione, & æqualitate rerum, in qua debet esse æqua vtriusque conditio. *Subsumo*: Sed censui in favorem venditoris licitè apponitur pactum redimendi. Ergo etiam in favorem emptoris licite apponitur pactum revendendi ius suum. *Nota tamen*, ratione huius pacti emptorem census minore pensione debere esse contentum, seu pretium census esse augendum. Cæteroquin certum est, quòd census vtrimque redimibilis non careat periculo vsurariæ intentionis: adeòque cautè in eo agendum est, nobisque hic solùm sermo est de eo secundùm se, & naturam suam sumpto, vt est emptio, & venditio.

* 19 *Die ergo*: Ex quo titulo emptor census redimibilis (præsertim vtrimque) potest recipere sortem, seu summam Capitalem sibi postea integrè restitutam, quia item tantundem, vel plus recipit in pensionibus. *Ad hoc patet ex R. 6. pro R. 1.* Vide etiam suprà, quibus titulis in cõtractu mutui possit aliquid peti suprà

* 20 *Resp. 2.* Probabilius est annuos census, seu contractus censuales in Germania, aliosque locis practicatos, vt dentur 5. *pro* 100. ex natura sua nõ esse vsurarios, aut peccaminosos, sed licitos, licèt sint vtrimque redimibiles. *Explicatur* per casum status Quæstionis: Vir dives, ne pecunia sua maneat otiosa, sed lucrum pariat, emit ab alio, sive Privato, sive Principe, sive Communitate aliqua sub fecura hypotheca pensionem mille aureorum, sic vt pro singulis centum accipiat quinque, & census non solùm à venditore, sed etiam ab emptore, seu vtrimq; vt antè explicarum est, sit redimibilis. Dixi in R. 2. *ex natura sua*; possunt enim ex malitia contrahentium tales apponi conditiones, quæ contractum reddant vsurarium, vt si contrahant eo pacto, vt venditori quidem liceat ab onere census se liberare post certum tempus, non verò postea.

Ratio 1. sit, quæ est 5. pro R. 1. *Ratio 2.* Vsura solùm habet locum in mutuo vero, vel palliato: Sed in hoc contractu nullum intercedit mutuum. Ergo non est vsurarius. *Min. prob.* Contractus emptionis, & venditionis (licèt includat vtrimque redibilitatem) verè differt à mutuo: Sed in casu posito est contractus emptionis, & venditionis, in quo non quidem pecunia, sed ius percipiendi in pecunia annuum censum ex bonis, negotiatione, vel persona alterius est res empta, pecunia verò pro tali re data, est pretium eius, quod ius distinguitur à pecunia, sicut ius percipiendi tributum, distinguitur à tributo. Ergo *Maior patet*: quia in mutuo manet periculum penes debitorem, & mutuatarium: in contractu verò censuali manet penes emptorem. Nam si percat res, ex qua census emptus est, non potest repeti census, quia emptione perfecta periculum contingens in re empta portare debet emptor. *Item* si ex aliqua causa, infortunio, vel sterilitate res censualis non ferat fructus integræ pensioni sufficientes, debitor, seu venditor census non tenetur totum censum realem solvere, nisi antecedentium, aut subsequentium annorum fertilitas illam sterilitatem compenset; nec etiam persona censualis lucrum amplius facere non possit, pensiones etiam annuæ non amplius solvuntur. Aft pereunte re, vel pecunia mutuata, illa adhuc repetitur à mutuatario, seu debitore etiam invito, immo, & ab hæredibus eius. Ergo.

* 21 *Resp. 3.* Emptio annui reditus non fit illicita 1. *per hoc*, quod emptori obliguentur in hypotecã certa bona, quæ summam Capitalem debent excedere in valore, quæque iuxta pacta conventa, aut loci consuetudinem possint distrahi, si debitor, seu venditor statutor tempore non solvat pensionem, aut creditor ob talem moram patiatur damnum. 2. *Nec* per pactum, quod bona hypothecata, sine consensu censualistę, seu emptoris sive creditoris nõ possint alienari. 3. *Nec per pactum*, quod ante reluitionem medio anno, aut quadrante, vel dimestri antè, teneantur eam denuntiare. *Ratio 1. p* Quia ex multis textibus Iuris patet, tale pactum pro securitate, ac indemnitate creditoris posse apponi alijs contractibus, v.g. commodato, deposito, mutuo. Ergo similiter. Quod autem hypotheca in valore debeat excedere Capitale, non vitiat, quia hypotheca non solum datur ad essecurandum Capitale, sed & ad salvandum verum, ac iustum interesse, præsertim si debitor sit in mora solvendi pensiones. *Not.* quod hypotheca non possit distrahi, nisi iusto pretio, nec emptor de ea plus sibi attribuere, quam sit debitum. *Ratio 2. p.* Hoc servit, & solum sit ad indiminitatem creditoris. *Ratio 3. p* est eadem, quæ antè, consulitur enim indemnitati creditoris per renuntiationem, vt pecuniam ad alium honestum finem destinare possit.

* 22 *Resp. 4* Iustum pretium census non est idem in omnibus Provincijs, sed statuitur particulari iure, aut consuetudine cuiusvis Regni. Hinc in quibusdam locis emuntur novem, in alijs octo, in alijs septem pro centum, in Germania quinque pro centum Si quis accipiat plus, peccat peccato vsuræ, & teneter restituere. Ita patet ex Constitutionibus Imperij.

* 13. *Resp. 5.* Redditus frumenti, vini, aliarumque specierum iusto pretio emuntur, si nõ plus in frumento, vino, & alijs rebus accipiatur, quam quod (solutis speciebus in pretium pæcuniæ) nonnisi viginti florenis vnus ematur: vt taxatio sit facianda habito respectu celebrati contractus ad tempus, vel ad pretium, quo frumentum, & vinum currenti anno venduntur, spatio 14. *dierum* post tempus messis, aut Autumni. Ita legitur in Constitutione Imperij 1577. facta Francofordiæ tit. 19. *Ex qua sequitur*, gravissimè peccare, & ad restitutionem teneri eos, qui dum frumenta, & vina in vili pretio sunt, in huiusmodi speciebus emunt cẽsus, qui durant etiam tempore charitatis annonæ: ita vt quandoque in precio recipiantur pro 100. decem, aut etiam viginti.

* 14. *Oppone 1. contra 1. & 2. R.* Pecuniam pecunia emere, est vsurarium. Sed hoc fit in emptione cẽsus tam realis quã personalis, etiam Germanici quinque pro centum. Ergo. 2. *Antecedens*, immo solum sperare ex mutuo aliquid supra sortem est vsurarium: Sed in emptione cuiuscunque census speratur aliquid vltra sortem, & in super expõitur hypotheca. Ergo. *Min. Prob.* Si emptor census emeret 1000. aureos, vt annuè recipiat 10. post viginti annos accepit iam totam sortem, & aliquid amplius recipit, immo iterum

æqualem Summam, si census sit redimibilis. Ergo. 3. *In emptione*, & venditione census vtrique redimibilis, & mutuo sub vera vsura dato videtur esse idem commodum dantis, & idem incommodum recipientis, nec apparet differentia. Ergo si contractus mutui sub vsura est illicitus, etiam census. 4. *Contractus* censualis est causa multorum malorum. 1. *Avocat* homines à laboribus ad otium. 2. *Exhaurit* multorum substantiam, & egenos bonis exuit. 3. *Usurarijs* otiosam pecuniam habentibus optatam dat occasionem amplius corradendi pecunias, & evadendi pœnas vsurarijs taxatas, & palliandi generaliter omnes vsuras. Ergo. 5. *Martinus* V. & Calixtus III. in suis extravagantibus, *tit. de empt. & vend.* declararunt, solos census reales esse licitos. Ergo personales sunt illiciti. 6. *Census* vtrimque redimibile apertè damnat Pius V. in Bulla, quę incipit: *Cum omus.* Item Constitutio Carolina, sub tit. *de vsurarijs contractibus*, ad censum licitum requirit, vt eius redemptio non sit in arbitrio emptoris, sed solius venditoris. Ergo census ab emptore redimibilis, est illicitus.

Ad 1. neg. min. Emitur enim principaliter ius percipiendi pecuniam, non verò pecunia, vt patet ex Ratione *R.* 2. vbi *NB.* quòd quamvis pecunia numeretur inter bona mobilia, illud ius tamen computatur inter immobilia. Et illud ius actu datur emptori.

Contra hanc R. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale: Sed illud ius emitur propter pecuniam. Ergo pecunia magis emitur. *Ad hoc* patet ex Philosophia, Axioma solùm esse verum, quando potest fieri reflexio effectus suprà causam, vt Luna est lucida propter Solem; &, Sol est lucidus: Ergo est magis lucidus. Vnde sicut non tenet: Medicina emitur propter sanitatem: Ergo sanitas magis emitur. Ita nec in præsenti, quia non potest reflecti dicendo: Et pecunia emitur.

Ad 2. dist. mai. Vi mutui, *C. mai.* ex alio titulo, *N. mai* Et *dist. min.* Sperator aliquid ex titulo emptionis, *C. min.* mutui, *N. min.* Cuius explicatio patebit ex mox dicendis. *Ad 3. N. ant.* Differentia autem census à mutuo patet ex Ratione R. 2. Vnde in censu benè intellecto, nec virtuale quidem mutuum involvitur. Porrò, quòd emptor census post multos annos accipiat plus quàm dederat, non probat esse vsuram; quia accipit titulo emptionis, non mutui; aliàs enim emptio agri, vel prædiorum etiam esset vsuraria, quia eorum emptor successu temporis etiam accipit plures fructus, quàm sit valor pecuniæ, qua emit illa. Cur detur hypotheca, patet ex dictis. *Ad 4. dist. ant.* Per accidens, & ex malitia hominum, transeat; per se, & ex natura contractus censualis, *N.* Vnde per ea solùm probatur, multos homines censu abuti, eumque meritò solùm esse permittendum hominibus prudentibus, honestè negotiari scientibus ad spiritualia, vel ad studia, aut gubernationem Reipublicę vocatis. *Ad 5. R.* quòd illi Pontifices approbarint quidem solos census reales, quia de illis solis fuerant interrogati, per hoc tamen non damnarunt personales. *Ad 6. R.* Constitutionē Pij V. & Caroli V. quoad hoc *in multis locis non esse* receptam. Et quotidiana praxis prudentum, & timoratorum specie mali tollit iuxta Rationem *5. pro R. 1.* daram.

* 25 QUÆRO V. Estne licita, vel vsuraria Olla fortunæ, in qua sæpè quis pro paucis crucigeris extrahit schedam notatam pretio 100. florenorum, quæ Præses Ollæ tenetur ei solvere: Vel pro 10. florenis extrahit schedas vacuas? *Resp. 1.* Certum est, quod Olla fortunæ meritò pateat, vel tanquam sit à Magistratibus concedenda. *Ratio*: Tum quia in ea fraudes committi possunt in signatione, impositione, extractione schedarum. Tum etiam, quia multi in ea pecuniat prodigunt cum suo, suorumque damno, & pecunia ex patria alienatur. Tum etiam, quia non multum abest à lusu alearum, qui in iure prohibetur.

* 26 *Resp. 2.* Olla fortunæ secundum se, idest, seclusis fraudibus, & pravis circunstantijs sumpta, non est vsuraria, nec iniqua *Ratio 1.p.* Vsura non committitur, nisi in mutuo: Sed in Olla fortunæ non est contractus mutuus, sed reducitur ad contractum emptionis, & venditionis, in quo pretium est pecunia data, merces empta est spes rei accipiendæ. Sicut, si quis à piscatore, vel aucupe pro aureo emat, quod vno die capiet, si nihil, vel parum capiatur, tenetur solvere; si capiens capiat plus pretio auri, tenetur tradere. Ergo non est vsura in Olla fortunæ secundum se sumpta. Ex quo patet 2. *pars*: Quia contractus emptionis, & venditionis secundum se non est iniquus. *Not.* quod in hoc contractu pretium rei non mensuratur iuxta valorem rei traditæ, sed iuxta spem, & incertitudinem lucri, vel damni.

* 27 QUÆRO VI. Emptio Chirographorum estne vsuraria, vel iniqua, si fiat minori pretio, quam sit debitum Chirographo, seu Syngraphæ inserum, v.g. si emens facilius possit obtinere Capitale, quam creditor? *Resp. 1.* Certum est, quod ob lucrum cessans, damum emergens, solutionis incertitudinem, vel periculum liceat Chrirographa emere minori pretio. *Ratio*: cum enim hæc sint pretio æstimabilia, iuxta eorum proportionem decrescit valor Chirographi, sicut & aliarum rerum. *Resp. 2.* Actionem, seu titulum alterius, sive debitum illiquidum, & litigiosum emere, severè est iure prohibitum, & irritum Ita patet in iure, & Interpretibus eius. Sermo ergo hic est de debitis liquidis. *Resp. 3.* Tutius, & probabilius est, chirographa non posse emi minori pretio, si communi hominum arbitrio nulla sit difficultas, nec ex parte ementis, nec vendentis. Nec vllus titulus damni, difficultatis, &c. *Ratio*: Quia nullus adest titulus minuendi pretium.

* 28 *Oppono*: Titulus est, quia pecunia præsens, & habere rem ipsam pluris æstimatur, quam pecunia futura, & habere solum actionem ad rem. Ergo. *Ad hoc dist. ant.* Si pecunia sit futura, & absens non solum physicè, sed & moraliter, *conc. ant.* si moraliter, seu communi æstimatione sit præsens, *N. ant.* Pecunia ergo, quæ sine omni difficultate haberi potest, moraliter censetur esse præsens. Ideò ergo pecunia actu numerata communiter pluris æstimatur, quia communiter adest vsus saltem ex titulis in *R.* 1. adductis, & communiter attenditur ad id, quod communiter accidit.

* 29 *Resp. 4.* Tutius, & probabilius est, Officiales Principis præfectos solvendis debitis, non posse minori pretio chirographa emere. *Ratio*: Quia ex officio tenetur solvere totum. Et si sibi possint solvere totum, cur non & creditoribus? Et dato, quod hi aliquid spatij remittant, remittunt Principi, cuius proinde ærario accrescit *lucr.* si quid à creditore tali Officiali detur per modum doni omnino gratuiti, & sine omni exactione, possit id acceptare, modo scandalum desit.

* 30 *Resp. 5.* Si alicuius debiti solutio per se egrè à Principe habeti possit, emptor autem ex speciali, qua apud eum valet, gratia, eam facilè possit habere, potest chirographum minori pretio emere, si communis prudentum æstimatio illud minoris æstimet. *Ratio*: Tum, quia tunc non est pretium moraliter pro debitum æstimationem, sed tantum, quia specialis favor Principis debet aliquem facere differentiam conditionis, quia

quàm ſit alius eo favore carens: Sed alius poteſt tale chirographum emere minoris. Ergo & ille.

* 31 QUÆRO VII. Contractus, Hiſpanicè *Mohatra* dictus, ſeu pactum venditionis, & ſtatim reciprocæ emptionis eſtne vſurarium. *Senſus Quæſiti eſt:* Petrus indiget præſente pecunia, nec vllum invenit, qui mutuet. Ut neceſsitati conſulat à mercatore emit credito merces ſummo pretio, *v.g.* 20. *Imperialibus*, quibus tamè non eget, eaſque ſtatim eidem mercatori revendit infimo pretio, quod accipit in parata pecunia. *Reſp.* Eſt vſura palliata, & virtualis. *Ratio*: Mutuo virtuali, & lucro ex vi eius ſecuto correſpondet vſura virtualis, & palliata: Sed ſic eſt in eo caſu. Ergo. Hinc inter propoſitiones ab Innocent. XI damnatas eſt hæc n. 40. *Contractus mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retroventionis prævie inito cum intentione lucri.*

* 32 QUÆRO VIII. Vſurarij, etiam mentales, eiſque cooperantes, tenenturne ad reſtitutionem? *Reſp.* 1. Vſurarius non acquirit dominium lucri vſurarij, ſive hoc conſiſtat in rebus vſu conſumptibilibus, ſive in alijs. Ita S. T. *hic a.* 3. *in c. & ad* 3. Conſequenter tenetur reſtituere. *Ratio*: Dominium acquiritur, vel auctoritate Legis, vel privata domini voluntate, vel ex vi contractus: Sed vſurarius nullo horum modorum acquirit dominium lucri ſuperexcedentis. Non primò: Quia vſura eſt contra legem, vt patet in hoc E. *n.* 4. & 5. *R.* 5 & 6. Non ſecundo modo, quia mutuatarius vſurario lucrum non dat voluntariè, ſed involuntariè, & ad redimendam vexam; ſicut dum viator metu mortis ſua bona dat latroni, qui tamen non fit eorum dominus. Nec vi contractus, quia dominium non transfertur per contractum Lege nullum: Sed talis eſt contractus vſurarius. Ergo.

* 33 *Reſp.* 2. Si bona per vſuram extorta ſint vſu conſumptibilia, puta, denarij, triticum, vinum, &c. non tenetur vſurarius ad reſtituendum, niſi id, quod accepit, non verò id, quod per ea lucratus eſt. S. Doct. *a.* 3. *in c. Ratio* 3. *D.* Quia id, quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus huiuſmodi rei, ſed humanæ induſtriæ. Excipit S. T. *niſi forte per detentionem talis rei alter ſit damnificatus amittendo aliquid de bonis ſuis; ſic enim tenetur ad compenſationem hucusque.*

* 34 *Reſp.* 3. Si dicta bona non ſunt vſu conſumptibilia, ſed habent vſumfructum, vt domus, ager, &c. tenetur vſurarius cum ijs reſtituere etiam fructus indè perceptos. S. T. ibidem. *Ratio*: Quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt dominus. Ergo illi debentur.

* 35 *Reſp.* 4. Irriti ſunt, nec rei dominium transferunt illi contractus, quibus vſurarius vendit, vel donat rem vſura acquiſitam vſu non conſumptibilem, v.g. domum, agrum, &c. *Ratio*: Quia talis res eſt obnoxia reſtitutioni obligatione reali, quæ facit eam eſſe reſtituendam eandem numero, tranſitque cum ipſa re, ad quemcumque devenerit.

* 36 *Reſp.* 5. Validi ſunt contractus per eoſque dominium transfertur, & acquiritur ijs quibus vſurarius ex re vſu conſumptibili, *v.g.* pecunia, emit aliquid, v.g. vineam, ex quo ſufficienter poſſit fieri reſtitutio, *ſis S. D. art.* 3. *ad* 2. & *ad* 3. *Ratio*: Tum quia talis res eſt reſtitutioni ſolùm ligata obligatione ſolum perſonali, quæ non tranſit cum re, ſed ſolum adhibet, qui loco perſonæ, vel [illegible] quia [illegible] eſt ſolùm [illegible] pecuniæ (cum illa [illegible] ſecundò ſi non [illegible] ac induſtriæ, & [illegible] cunia ſolum ſe habet, vt materia. Ergo. Vide T. 8. E. 6. num. 40.

* 37 *Oppono*: Nemo ex iniquitate ſua debet reportare commodum: Sed hoc fit in caſu R. 5. Ergo. *N. min.* Nam vſurarius tenetur reſtituere rem, quam per vſuram accepit, ſaltem eandem ſpecie, vtu conſumptibilem; lucrum verò ex ea factum non reportat ex iniquitate, ſed ex induſtria. Notanda eſt exceptio poſt *R.* 2. *falſa.*

* 38 *Reſp.* 6. Hæredes vſurarij tenentur ad omnia eius debita perſolvenda, non tamen (niſi fuerint cooperati) vltra facultates hæreditarias, nec alter pro altero, ſeu in ſolidum, ſed ſinguli tantum pro rata. *Ratio* 1. *p.* Quia verè poſsident alienum. *Ratio* 2. *p.* Qui reſtituere tenetur ſolum ratione rei acceptæ, tantum tenetur, quantum res illa valet: Sed ſic eſt de hæredibus vſurarij, ſi nullatenus ſint cooperati. Ergo. *Ratio* 3. *p.* Quia ſinguli ſeorſum ſolum ſuccedunt in parte hæreditatis. Ergo.

* 39 *Reſp.* 7. Ad reſtitutionem damni mutuatario illati tenentur etiam cooperantes vſuris, vt ſunt 1. *Famuli*, nomine ſuorum Principalium facientes cõtractus vſurarios, vel cum auctoritate cogendi judicialiter miſſi ad exigenda debita vſuraria, ſecus ſi ſolum ſimpliciter inſtar nuntij mittantur ad ea patẽda 2. *Famuli*, qui pignora recipiunt, vel aſſervant, aut pecuniã numerant. 3. *Qui inquirunt* mutuatarios ſub vſura, & inter eos, ac mutuatorem formant pacta. 4. *Judices*, Conſiliarij, alijque Officiales, qui compellunt ſolvere vſuras, vel ſolutas non repetere. Qui etiam ipſo facto ſunt excommunicati. *Secus eſt* de ijs, qui ad maiora mala vitanda ſolùm permittunt vſurarios, niſi fortè eis tanta imponant onera, vt cogantur augere vſuras, tunc enim ſunt cauſa huius augmenti. *Ratio* pater ſuprà T. 8. E. 6. n. 11. *Reſp.* 8. Vſurarius mentalis (*de quo n.* 67. *R.* 4. *in hoc Exam.*) etiam tenetur ad reſtitutionem. *Ratio*: Quia poſsidet alienum.

* 40 *Reſp.* 9. Si mutuatarius det ex gratitudine, vel amicitia, mutuator verò accipiat vt debitum, ex vi mutui, tenetur reſtituere ratione conſcientiæ erroneæ, quamdiù illa durat. Si verò mutuatarius det vt debitum, mutuator verò accipiat vt donum, tenetur reſtituere non ratione acceptionis, ſed rei acceptæ, ſi reſcierit. 1. *Pars* patet ex Tract. de Conſcientia. Secunda ex dictis.

* 41 QUÆRO IX. Liceatne petere mutuum ſub vſura? *Reſp.* Probabilius eſt, non licere petere mutuum ſub vſura ſine vlla neceſsitate, licere tamen ex neceſsitate, & rationabili cauſa petere ab vſurario, ad id parato. Ita S. T. *hic a.* 4. Cuius Ratio, & verba videantur ſuprà T. 7. E. 7. *n.* 66. *in* R. *ad* 2. *Caſum. Sed liceatne* ſaltem pecunias apud vſuratium depoſuere? *Dico*: Si non habes alium, apud quem deponas, non peccas, quia nec directè, nec indirectè vis damnum tertij, quod cum tanto tuo damno vitare non teneris. *Secus* ſi alium habeas ob rationem oppoſitam.

* 42 QUÆRO X. Quę ſunt pœnæ vſuriorum? *Reſp.* Sunt variæ. 1. *Sunt* infames. 2. *Non* admittuntur ad Sacramenta Confeſsionis, aut Communionis, nec ad oblationes altaris. 3. *Privantur* ſepultura Eccleſiaſtica. 4. *Teſtamenta* [illegible] ſunt nulla. *Notæ* tamen his pœnis ſolùm ſubiacere vſuratios manifeſtos, qui ſunt tales facti, vel iure, facto quidem, ſi nimirum ita palam vſuras exerceant, vt nulla tergiverſatione ſe excuſare poſſint; iure verò, ſi ſententia [illegible] ſint declarati, vel [illegible] [illegible] publicè, vel [illegible] [illegible] [illegible]

EXAMEN IX.

De Monte Pietatis, Cambio, Contractu societatis, Locatione, Conductione, Pignore, Hypotheca, Fideiussione, Transactione, Mandato, Deposito, Commodato, Precario.

* 1 QUÆRO: Quod est tuum de his judiciũ? *Resp.* Juxta ordinem, quid mihi videatur probabilius. *Mons Pietatis* est summa pecuniæ, vel cumulus frumenti, aliarumve rerum vlu consumptibilium, seu mutuabilium ex publico erario, vel pietate alicuius divitis fundatus ad subveniendum, vel mutuandum (erga pignus, & modicam retributionem) pauperibus, & indigentibus, ne vsurarum voragine deglutiantur. Hic Mons est honestus, & licitus, si habeat has conditiones. 1. *Ut* qui montis curam gerunt, pauperibus mutuum petentibus teneantur certam quantitatem dare, vt v.g. tres aureos, vel tres modios tritici. 2. *Ut* detur solùm ad certum tempus, v.g. annum, vel paulò diutiùs; & hoc ideò, ne mons evacuetur, vt alijs non possit subveniri. 3. *Ut* pro montis securitate mutuatarius det sufficiens pignus, ne sit periculum non recipiendi mutuatum. 4. *Ut* mutuatarius quovis mense vltra sortem aliquid parum solvat, non propter mutuum (vti fit in vsura) sed pro montis conservatione, ministrorum sustentatione, stipendio, domus reparatione, cistarum, granariorum, serarum, &c. confectione, &c. quæ cedunt principaliter in vtilitatem ipsorummet indigentium mutuum accipientium, nec non ministrorum Montis, qui libros rationum conscribunt, pignora, ne corrumpãtur, asservant, pecunias numerant pro commodo mutuatariorum. 5. *Si* tempore statuto mutuatarij non solvant, vt pignora vendantur justo pretio (quod fit auctoritate publica) & detrahatur solùm id, quod debetur Monti, & Ministris eius, reliquum reddatur mutuatario, cuius erat pignus. 6. *Ut* à mutuatario non accipiatur plus, nisi quod est necesse pro expensis ad conservationem Montis, sine vllo lucro montis, seu augmentum; quia ille excessus daretur vi mutui, esset que vsurarius, quia non apparet alius titulus, cùm indemnitate montis, & ministris aliũde consultum sit, vt supponitur, & consequenter fieret mons impietatis.

* 2 *Cambium* est permutatio pecuniæ pro pecunia inter Campsorem, & Campsatium. Differt à mutuo, quia in eo per se debet aliquantisper expectari solutio in cambio verò potest permutari pecunia præsens pro præsenti, & dilatio temporis in eo se habet per accidens. Item cambium potest fieri in sola pecunia, mutuũ verò etiam in oleo, tritico, &c.

Dividitur in siccum, seu fictum, & in reale. Fictum est fictè, seu apparenter Cambium, revera autem est mutuum palliatum, adeòque vsurarium, vt si accipiatur lucrum præcisè ratione temporis dilati, & non ratione loci, aliusve tituli. Reale est legitima pecuniarũ permutatio. Et hoc est duplex: Vnum manuale, seu minutum, quo pecunia vnius formæ permutatur cum pecunia alterius formæ, v.g. aurei cum argenteis, grãdiores cũm minoribus, veteres cum novis. Alterum est locale, quo permutatur pecunia præsens pro absente secundum locum. Quod fit dupliciter. 1. Si Campsor pecuniam præsentem det hic, vt Cãpsarius per se, vel per suum Correspondentem accipiat eam alibi, 2. *Vt* pecuniam accipiat hic, & alibi restituat.

Ad substantiam Cambij requiruntur hæ conditiones. 1. *Vt* sine fraude, & simulatione. 2. *Vt* alibi accipiatur pro sola dilatione. 3. *Vt feruetur* iustum pretium, & hoc est, quod taxatum est Lege, vel communi consuetudine, aut prudentium iudicio, consideratis laboribus, industria, periculis, expensis, &c. pecunia enim in cambio se habet, vt quædam merx, cuius pretium quoad vsum primarium quidem est taxatum à Principe, dum est casu, quoad vsum verò secundarium taxatur dicto modo: in quo differt à frumento, in cuius taxatione consideratur omnis eius vsus, & ideò eius taxa licitè non potest excedi.

Licitum est, & omni vsura etiam virtuali caret Cambiũ manuale, vti est locale per literas. *Ratio*: Quia quidquid datur in eo vltrà sortem, datur ob titulum pretio æstimabilem, vti est 1. *puritas*, vel raritas monetæ. 2. *Labor Campsoris* in cogerenda, æservanda, numeranda omnis generis pecunia, præsertim si officium cãbiendi à Republica ei sit impositum, & quidem absq; stipendio. 3. *Assecuratio* Campsarij de pecunia alibi recipienda. 4. *Onus* transferendi pecuniam alio. 5. *Liberatio* à solutione tabellarij, & periculo amittendi pecunias in itinere. 6. *Lucrum* cessans, & damnum emergens. 7. *Expensæ* in famulos, & scribas, &c. Pretium Cambij variatis circunstantijs potest variari, crescere, & decrescere, vti fit in alijs mercibus.

* 3 *Contractus societatis* est duorum, vel plurium cõventio ad conferendum aliquid in commune lucrum, & damnum iuxta proportionem rerum contributarũ. Fit duobus modis. 1. *Vt sit societas* omnium bonorum, quacumque via, & honesto modo, vel titulo obvenerint, sive pro præsenti, sive in futurũ. 2. *Quod magis* est in vsu, vt fit Societas certæ rei, vt si plures in certo negotij genere conveniant ad commune lucrum. Dictus contractus est licitus, si vestiatur debitis cõditionibus, quarum prima est, vt negotiatio, in qua fit societas, sit licita. 2. *Vt*, qui ponit pecuniam, subeat etiam commune periculum iuxta illam Regulam iuris: *Qui sentit commodum, sentire debet & onus, & è contra*. 3. *Vt iuxta* arbitrium prudentium vndequaque servetur æquitas, & proportio, tam quoad lucri, quam quoad damni partitionem. 4. *Vt pecunia* sub pacto lucri non detur homini negotiationem non exercenti, quia esset vsura ex contractu mutui, & non esset contractus Sotietatis. Plura de his spectant ad Juristas.

* 4 *Locatio, & conductio* habent se correlativè, sicut emptio, & venditio, vel sunt vnus contractus, quo alteri conceditur res vtenda, vel fruenda constituto certo pretio, vocaturque ex parte concedentis Locatio, ex parte accipientis Conductio, sive res sit mobilis, sive immobilis, modo non sit vsu, seu vno actu consumptibilis, vt ager, domus, equus, opera hominis, v. g. fabri, pictoris, sartoris, &c. Locare non potest, nisi qui habet plenum dominium rei. Si absque culpa conductoris rei conductæ superveniat aliquod vitium, ratione cuius meritò eam deseras, v.g. quia domus ruinam minatur, spectris nocturnis infestatur, non tenetur conductor solvere pensionem, nisi pro eo tempore, quo re conducta fuit vsus, vel fructus. Vide (supra) *T. 8, C. 6. n. 2. & 3. A.* An idem dicendum sit, si pestis superveniat, spectanda est consuetudo loci.

Sterilitas orta non ex culpa conductoris, sed ex temporum iniquitate est ruina, aut communi hominum illius Regionis opinione iudicetur sufficiens, deobligat à solvenda pensione, vel in totum, vel in partem, nisi antecedentis, vel subsequentis anni sterilitate possit sterilitas compensari. Sterilitati comparari potest superveniens bellum, quo agri vastantur, vel impediuntur itinerantes, ne hospitium conductum frequentent, vt alias.

Magis

Maior fertilitas pensionem regulariter non auget, sed standum est contractui facto. Dixi *regulariter*; nam potest augeri in casu aliquo fortuito extraordinario, non provisso, v.g. si per inundationes omnia alia vicina molendina essent destructa, & tuum ab alio conductum ideo multò maiores faciet proventus. *Expensæ* faciendæ pro re locata, vel conservanda, vel reparanda spectant ad locatorem, nisi aliter sit conventum, vel aliter observetur ex consuetudine loci. Et in hoc differt conductor ab vsufructuario, & emphiteuta, qui ipsimet expensas facere debent.

Si non constet, an res conducta perierit casu, vel culpa conductoris, tenetur conductor probare suam innocentiam, nisi gravia indicia eam testentur, vel nisi frequenter tales res soleant casu perire. Si constet, incendium casu fortuito, & sine conductoris culpa esse ortum, v.g. per hominum malitiam, fulmen, milites, &c. conductor nec tenetur ad damni compensationem, nec ad pensionem. Tenetur tamen si ortum sit ex eius culpa saltem levi. Vide suprà de culpa *T. 8. E. 6. n. 25.*

Durante tempore locationis non potest locator, vti nec hæres eius vniversalis (cum ille censeatur eadé persona cum defuncto) pro libitu expellere conductorem. Dixi, *hæres vniversalis*; quia secus est de successore particulari, id est, emptore, donatario, legatario, nisi aliter conventum sit. Excipiuntur aliqui casus. 1. *Si* inquilinus, seu colonus, sive conductor per biennium nó solvit canonem, si locatio fuit facta ad longum tempus, v.g. saltem ad 5. annos. 2. *Si ipse* locator ob supervenientem necessitatem ipse indigeat domo, & non possit aliter sibi providere. 3. *Si domus* locata egeat reparatione, qua non egebat tempore locationis. 4. *Si* conductor re conducta, v.g. domo abutatur in damnú locatoris, v.g. alendo porcos domum suffodientes, vel etiam sine damno conductoris, attamen perversè, & cú scandalo aliorum, v.g. recipiendo meretrices, aleatores, &c.

* 5 *Dic mihi*, quid sentis de famulis, & famulabus ante terminum locationis operarum discedentibus, an eis debeatur integra merces istius temporis? *Distingue*: Vel habent iustam discedendi causam, vel non? si habent, debetur eis integra merces: quia penes ipsos non stat, quo minus conditiones impleant, & oneras suas præstent. Si non habent, non debetur, si dominus ex discessu famuli patiatur damnum, quod æquivalet restanti debito. Et hoc ob rationem oppositam.

Sed debeturne merces famulis ægrotantibus, aut alia iusta causa impeditis? *Dico*: Debetur, tum ob eandem rationem mox datam. Tum etiam, quia obiectum elocationis operarum in famulis non est tam opus ipsum specificum, ac determinatum, quam ipsa obligatio serviendi ad certum tempus; hoc tamen solum verum est, si infirmitas non diu duret. Vbi attendenda est cõsuetudo loci. Certè de alimentis interea præstandis, ac modicis expensis non dubitatur, sed ad expensas maiores pro curatione factas secluso contractu non videtur esse obligatio iustitiæ, aliquando tamen charitatis.

* 6 *Pignus, & hipotheca* potest sumi vel pro contractu, & sic est actus legitimus, quo creditor in rem debitoris acquirit ius, vt ex ea (etiam vendita) solutionem habere possit, si illa non fiat statuto tempore. Vel pro obiecto, seu re oppignorata, quæ si est mobilis, est pignus, requisitque traditionem; si est immobilis, est hypotheca, itaque sola conventione partium sine traditione. Hypotheca alia est generalis, alia specialis; alia expressa, alia tacita: de quibus vide *T. 8. E. 6. n. 17. Nu. 3.* Et ibid. *n. 21. & 22. R. 5. & 6.*

* 7 *Fideiussio* est alienæ obligationis in se susceptio, vt deficiente in solvendo debitore principali, ipse teneatur solvere. Conditiones ad eam requisitæ sunt: 1. *Vt supponat* alium debitorem principalé. 2. *Vt* non teneatur ad plus quàm ille. 3. *Vt si* illius obligatio inveniatur invalida, etiam fideiussor non teneatur. 4. *Vt non* cogatur solvere, nisi facta priùs discussione bonorum debitoris principalis, constet, illa non sufficere. *Fideiussor* in quibusdam casibus potest petere liberationem ab hoc onere. 1. *Si tantùm* pro certo tempore se obligaverit. 2. *Si* debitor incipiat bona sua dilapidare. 3. *Si* petat Regiones longinquas. 4. *Si* fideiussor iã longo tẽpore perstitit in ea obligatione, &c.

* 8 *Transactio est de re dubia, & litigiosa, lite iam mota, non gratuita pactio.* Dicitur 1. *dubia*, qui enim certò scit, sibi nullum ius competere, nequit salva cõscientia transigere, teneturque restituere, quod accepit. Dicitur 2. *lite iam mota*, non finita, quia post latam sententiam non valet transactio, nisi ab eo fuerit appellatum. Dicitur 3. *non gratuita*, quia non potest fieri, nisi aliquo dato, & retento. Vnde differt ab amicabili compositione, per quam pars debiti gratis remittitur, & sic amicabiliter à lite disceditur. *De Iure Civili* non potest transigi super re testamento relicta, nisi inspectis, & cognitis testamenti tabulis. *Tum* quia publicè, & privatim interest, vt vltimæ volũtates serventur quoad fieri potest. *Tum etiam*, ne quis modico præsente allectus, facilè maiora repudiet. *Judex* absolutè ad transactionem cogere non potest, nisi fortè esset lis valdè intricata, & diù durans. *Ratio*: Quia regulariter nemo invitus contrahere, aut iure suo privari potest. Est tamen Judicis agere, vt ad parcendum magnis, & damnosis expensis partes transigant, vel amicabiliter componant. Si Judex videat vnius partis iura esse omninò clara, non potest ei transactionem suadere; quia tenetur cuilibet dare, quod suum est; nisi fortè timerentur novæ lites, & valdè sumptuosa partis adversæ nimis potentis appellatio, essi frivola. Tunc enim posset suadere ad redimendum vexam.

Disputant Legistæ, an, si quis inveniat se vltra dimidium fuisse læsum in transactione, ea possit rescindi sicut venditio, de qua suprà *T. 9. E. 7. n. 8.* idem casus fuit *motus*. Si quis consideret æquitatem naturalé, quam maximè in forò interno attendunt sacri Canones, & quæ dictat, neminem debere locupletari cum damno alterius, affirmativa sententia videtur tenenda. Sed huius decisio videatur apud Iuristas, & Canonistas.

* 9 *Mandatum* est gratis facta susceptio aliquid faciendi, quod alius mandat, seu committit. Dixi, *gratis*; si enim fiat propter mercedem, non est propriè mãdatum, sed locatio. Mandans tenetur mandatarium præstito officio remunerare saltem ex gratitudine, licèt non ex stricta iustitia. Debet inter eos intercedere conventio saltem tacita, vt si videat in gratiam sui aliquid ab alio fieri, idque non prohibeat, censetur tacitè mandare. Mandans tenetur mandatarium servare indemnem, omnes expensas ei restituendo, immò, & rescire damnum fortuito ex occasione mandati accepti, vt si ab hoste spolietur, &c.

* 10 *Depositum* aliquando accipitur pro ipsa re, aliquando pro contractu, quo res alterius cõstodiæ committitur, vt integra reddatur, adeòque in eo dominium non transfertur. Perficitur vtriusque consensu, non nudo sed cum traditione rei. Nec sufficit rem coram alio, vel in domo eius collocasse, nisi saltem tacitè, vel implicitè rem acceperit ad suam custodiã, v.g. si quis exerceat tale officium, cui annexa est earum custodia, vt sunt Aurigæ, Nautæ, Caupones, Stabulari, &c. Deponi ordinariè solent res mobiles, immobiles verò dispo-

dicuntur sequestri, vt si vertente lite circa eas communicantur sequestri, earumque fructus asserventur, donec constet, cui pro sententiam adiudicentur.

Debitarius obligatur ad tria. 1. *Fideliter* rem custodire. 2. *Vt* deponenti eam repetenti statim reddat, si tamen non petat in suum, vel alterius damnum, vel bona eius non sint addicta fisco, tunc enim illa tradenda sunt fisco, vel nisi sciatur, quod sit furtiva. 3. *Depositarius* sine expressa, vel rationabili præsumpta licentia domini non potest (sine peccato furti) re deposita vti. *Potest* ea vti in his casibus. 1. *Cum* expresso consensu deponentis; tunc autem ex depósito fit mutuum, si sit res vsu consumptibilis: vel commodatum, si non sit vsu consumptibilis. 2. *Si* depositarius bona fide existimet, domino id nō displicere, cui tamē si posteà displiceat, tenetur compensare volenti. 3. *Si depositum* sit res, vsu consumptibilis, & depositarius sit certus, se, dum fuerit repetitum, habiturum tantundem paratum eiusdē mēsuræ, & bonitatis, non peccat saltem mortaliter, si re vtatur, vel eam alienet, quia deponens nullum patitur damnum.

Quid si depositarius negotiando re deposita aliquid lucretur? *Dico*: Lucrum esse depositarij. *Ratio*: Quia cum res non sit in se fructifera, est lucrum solius industriæ. Si tamen damnum aliquod deponenti eveniret, tenetur compēsare. Ex qua culpa teneatur depositarius restituere, vide *T.8. E.6. n 25. R.4.*

* 12 *Commodatum* est gratuita concessio vsus rei, quæ vsu, seu vno actu non sit consumptibilis, vt equi, libri, vestes, &c. dominio non translato, adeoque eadem numero res est restituenda; in quo differt à mutuo. Dixi, *gratuita*, si enim fiat pro mercede, est locatio. Si res nonnihil atteratur, v. g. vestis, id sit damno commodantis. Ex qua culpa teneatur commodatarius, vide loco mox citato, R. 3.

Quid facit de hoc casu? Orto infortunio, commodatarius, & depositarius conductor non possunt simul salvare res alienas, & proprias, possuntne res suas præferre, relictis alienis? *Distingue*: Si res propria sit pretiosior, teneris præferre illam. *Ratio* 1. *p.* Nemo pro alterius minori damno vitando tenetur subire maius dānum. *Ratio* 2. *p.* Depósito, commodato, pignori, locato, ea debetur custodia, quam quisque prudens impenderet rebus proprijs: Sed quivis relictis suis vilioribus salvaret res suas pretiosiores. Ergo.

Quid si res tua, & aliena sint æquales in prętio? *Dico*: Potes præferre rem tuam, si res aliena apud te sit in commodum alterius. Si verò sit in commodum tui solius, teneris præferre rem alienam. Patet ex dictis.

* 12 *Precarium* est gratuita concessio vsus rei ad nutum revocabilis. Per vltimas particulas differt à cōmodato, cuius concessio nō est revocabilis ad nutum, sed commodans tenetur expectare elabi tempus, pro quo concessit, teneturque aliàs commodatorio compensare damnum si quod patiatur, nisi ipse patiatur necessitatem non minoris incomodi.

TRACTATUS X.

DE RELIGIONE, ET VITIJS EI OPPOSITIS.

Ex 2.2. à quæst. 81. vsque ad quæst. 100. inclusivè.

EXplicatis speciebus Justitiæ, quas partes eius subiectivas vocamus, eo quod perfectæ justitiæ rationem habeant (de quibus T.8. E.5. n.11.) vti & partibus eius integralibus, quæ nimirum, etsi eam entitativè non componant, tamen velut conditiones ad perfectionem eius concurrunt, vti iuxta S. Thom. *q.79. art.1. fant*, Facere bonum, & declinare à malo: His, inquam, explanatis, S. Doct. exponit partes justitiæ potentiales, quæ nimirum in aliquo cum ea conveniunt, & in aliquo à perfecta illius ratione deficiunt. Nam cùm justitia sit ad alterum, rigorosum reddat debitum, rigorosamque ponat æqualitatem, vel non possunt reddere æquale, licèt alteri reddant debitum, vt pietas erga parentes, observantia erga Superiores (de qua vide T.8. E.1. n.12. ad 3. oppos.) Vel rigorosum debitum non habent, licèt æquale reddere possint, vt liberalitas, & affabilitas erga proximum, quæ perfectum justitiæ debitum non respiciunt, sed tantum honestatem virtutis. Inter has potentiales justitiæ partes, vt posteà patebit, primatum tenet, omnibusque præeminet Religio, vt virtus, cultum Deo exhibens quem debet, sed non potens exhibere quantum debet. De qua Lactantius lib. 1. div. Instit. cap. 10. *Summum hominis bonum in sola* Religione *est. Si Religio tollitur, nulla nobis ratio cum cœlo est. Quam qui non suscipit, vitam pecudum secutus, humanitate se abdicat*: Et Eugubinus lib. 1. contra Vallam: *Vbi plus est pietatis, & Religionis, ibi plus est fœlicitatis, & beatitudinis.* De hac ergo omnium virtutum moralium præstantissima virtute, sit.

EXAMEN I.

De essentia Religionis, & obiecto. *S.T.* 81. *per* 8. *artic.*

* 1 QUÆRO I. Teneturne Confessarius scire, quæ in hoc Tractatu traduntur? *Resp.* Hoc indubitatum esse. *Ratio*: Nam Confessarius, vt ex sæpè memoratis tribus eius officijs patet, est *Doctor*, & *Presbyter*, est idem ac *prębens iter* ad Deum, & Cœlū. Ergo vt virtute Religionis insignitus sit, oportet; Homo enim per creationem, & dein per peccatum à Deo sejunctus, per debitum cultum ei religatur. Unde Angel. Doct. hic, art. 1. in corp. ex Isidoro dicit: *Religiosi à Religione appellatus est, qui retractat, & tanquam relegit ea, quæ ad divinum cultum pertinent. Et ideò Religio videtur dicta à relegendo ea, quæ sunt divini cultus, quia hæc sunt frequenter in corde revolvenda. Quamvis etiam possit intelligi Religio ex hoc dicta iuxta S. Aug. quod Deum religere debemus, quem amisseramus negligentes. Vel potest intelligi Religio à religando dicta. Unde Aug Religet nos Religio vni omnipotenti Deo.*

* 2 QUÆRO II. Quid est Religio? Esne vera virtus? & quod eius obiectum? *Resp.* 1. Religio benè definitur, quod sit *virtus debitum cultum tribuens Deo tanquam primo omnium principio*, seu supremo omnium Domino. Quod prædicatum ei convenit ob singularem, & infinitam excellentiā in omni genere perfectionis. Patet ex *S.T. art.* 1. Dixi 1. *Virtus*, vt patebit ex dicendis 2. *Debitum cultum*, id est, honestum, & congruentem, vt excludatur cultus falsus, & superstitiosus, à Christo, vel ab Ecclesia damnatus; qualis videtur

in *Idololatris, Magis, Iudæis, Hæreticis, Turcis, Ethnicis, &c.* *Dixi* 3. *vt primo omnium principium*, ad differentiam à pietate, quæ exhibet cultum, & honorem Deo, vt Patri, & principio originis nostræ; & à gratitudine, quæ colit Deum formaliter, vt Benefactorem. Religio sic explicata est idem quòd latria, seu virtus latriæ.

Resp. 2: Religio est vera virtus S. T. 2. 2. *Ratio* eius est: *Virtus est habitus, qui bonum facit habentem, & opus bonum reddit*, vt explicatum est supra *T.* 4. *E.* 1. *n.* 2. *ad q.* 2. vbi etiam plures virtutis definitiones adducuntur. *Subsumo*: Sed hoc præstat Religio, vt patet ex data definitione. Ergo.

* 3 *Resp.* 3. Obiectum formale *quod* Religionis est æqualitas illa imperfecta, quam homo inter se, & Deum ponit per debitum cultum Dei, seu per actiones, quibus Deum colit, Deo se subijcit, vt supremo Domino; ei reverentiam exhibet, vt primo principio, seu ratione beneficij creationis. *Alij sic resolvunt*: Obiectum formale *quod* Religionis est cultus, & honor Deo Debitus. Sed explicant in sensu iam posito, distinguêtes cultum vt est actio, & vt effectus; vt effectû dicunt esse dictâ imperfectâ æqualitatê. *Ratio*: Iustitia imperfecta, & perfecta in hoc essentialiter differunt, quod prima ponat æqualitatem imperfectam, altera perfectam: Sed, vt probatum est *T.* 8. *E.* 1. *n.* 2. obiectum formale iustitiæ perfectæ est æqualitas perfecta. Ergo imperfecta respectu iustitiæ imperfectæ: Sed Religio est iustitia imperfecta, vt patet ex Proœmio huius Tract. Ergo. *Consequentia prob.* Quia idem est constitutivum, & distinctivum. Dixi in *R. obiectum formale quod*; quia obiectum formale *quo* est honestas dictæ æqualitatis, seu eius conuenientia cum recta ratione. *Obiectum materiale* sunt actiones internæ, & externæ, quibus Deus colitur, & dicta æqualitas imperfecta ponitur. *Obiectum cui* est Deus, prout proportionabiliter de iustitia explicatum est loco mox citato.

* 4 QUÆRO III. Religio estne vna specie infima virtus? vel cõtinetne tanquam genus alias species sub se? *Ante R. Not.* non esse hic quæstionem de Religione, prout abstrahit ab infusa, & acquisita, nam has specie differre, certum est; licèt enim habeant idê *obiectum, cui*, scilicèt Deum, habent tamen distincta obiecta formalia, formaliter sumpta; quia Religio infusa respicit Dei excellentiam, ac pro obiecto habet cultũ ei exhibendum ex motivo supernaturali, vt nimirum est primum principium, & supremus Dominus in ordine gratiæ: acquisita verò id præstat ex motivo naturali, vt nimirum est primum principiũ, & supremus Dominus in ordine naturæ. Hic ergo sermo est de Religione disiunctivè, nimirum, vel de infusa, vel de acquisita. Vide *T.* 4. *E.* 1. *n.* 18. Hoc notaro.

Resp. Religio est vna virtus specie infima. *Ratio* S. T. *a.* 3. *in c.* Virtutes specificantur, & diversificantur penes obiecta formalia: Sed Religio habet obiectũ formale, quod nulla alia virtus respicit, nimirum exhibere reverentiam, & cultum Deo sub vnica speciali ratione, nimirum vt est primum principium creationis, & gubernationis rerum, & inquantum eius excellentia in infinitum transcendit omnia. Ergo. *Ex quo sequitur*, quòd actus Religionis, vt sunt, *vovere, iurare, sacrificare, orare, Deo se subijcere, Deum colere*, licèt materialiter inter se differant, nec connexionẽ habeant, vel subordinationẽ, conveniunt tamen in vnica ratione formali, quæ est, *solvere Deo debitum*, quod creatura incurrit vi creationis, & gubernationis, eumque revereri ob eius excellentiam. Quam rationem formalem magis primariò, & principaliter respicit vnus actus, quã alius, v. g. magis devotio quàm oratio, & ei. Et licèt dicta ratio debiti videatur variari in actibus Religionis, aliter enim Deo debetur aliquid ex promissio, vel voto, aliter ex accepto beneficio: est tamen solum variatio materialis, manente eadem ratione formali.

* 5 *Oppono* 1. Si diuersi actus spectarent ad vnum specie habitum, deberet is omnes eundem habitum intendere, seu perficere. Sed hoc non fit, quia actus frequentati iurandi non dant facilitatem vovendi. Ergo. 2. *Diversa* ratio debiti erga proximum constituit diversas virtutes circa ipsum, nam debitum ex pacto solvit iustitia, ex promissione fidelitas, ex beneficio gratitudo, ex dignitate personę, obseruantia. Ergo etiã circa Deum. 3. *In Deo* sunt diverse attributa, vt Sapientia, Bonitas, Misericordia, &c. Item tres Personæ realiter distinctę. Ergo ijs correspondent diversos cultus.

Ad 1. *dist. mai.* Deberet perficere habitum secundùm quamlibet virtualitatẽ eius, *N. mai.* secundũ virtualitatẽ sibi correspondentẽ, *C. mai.* Et sic *dist. min. N. conseq.* Idem ergo habitus Religionis habet diversas virtualitates, iuxta quas plures actus respicit, quorum quivis perficit suam virtualitatẽ, v. g. votum suam, & non eam quæ est iuramenti. *Ad* 2. *N. conseq.* Tum quia, quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita. Tum etiam, quia respectu Dei est eadem ratio formalis, nimirum excellentia Dei nullum cõmodum à nobis poscentis: ast debitũ, quod creaturæ solvitur, non respicit necessariò excellentiam personæ, cui solvitur, sed vltimatè cõmodum hominis, vel aliud motivũ; hinc constituuntur diversæ virtutes. *Ad* 3. *dist. ant.* Ita tamen vt in omnibus illis sit eadem ratio formalis *sub qua* primi principij creantis, *C. secus. N. ant. & conf.* Nam opera ad extra sunt communia omnibus tribus Personis. Et si Deus (cuius Scientia est causa rerum) non esset sapiens, non posset dici Creator; si non esset iustus, & misericors, non posset congrùè gubernare. Nullum ergo attributum solitariè sumptum, & vt ratione ab alio distinctum, sed vt reliqua in se includens, potest esse adequata ratio diuini cultus. Nec obest distinctio rationis, quia alias deberet etiam poni alia Charitas, qua diligitur *Sapientia*, & alia, qua *Misericordia*. Aliud est de distinctione Charitatis, & Spei, cùm habeant distinctam rationem formalem.

Idem ex S. Thom. infra q. 103. *art.* 3. *ad* 1. quod sicut Religio per excellentiam dicitur *pietas*, in quantũ Deus per excellentiam dicitur *dulia* in quantum Deus excellenter est Dominus; Vnde illi non sunt cultus specie diversi respectu Dei, sed vnus cultus æquivalenter vtrique. Ad latriam ergo spectat, non tantum colere Deum vt sic, sed colere vt *Creatorem, Saluatorem, Dominum, Benefactorem*: Quia in omnibus his formalitatibus ratio formalis colendi, est eius perfectio, & excellentia increata, perfectiones autem, & beneficia hominibus collata, solum sunt motiva extrinseca ad cultum inducentia.

* 6 QUÆRO IV. Religio estne virtus specialis, seu distincta specie ab alijs? Estne theologica, vel moralis, & moralium præstantissima potens imperare actibus aliarum virtutum? *Hæc quæstio non* est eadem cũ priori; illa enim quæsivit, an Religio vt genus non cõtinuat sub se alias virtutes vt species; hæc verò, an cũ nulla alia coincidat. *Resp.* 1. affirm. ad 1. partem *Ratio* est eadem cum priori ad Q. 3.

Resp. 2. Religio nõ est virtus theologica, sed moralis. *Ratio* 1. & 2. partis est: Virtus theologica non solum pro obiecto cui, sed etiam pro obiecto formali debet habere Deum, seu quid pure divinum: Sed hoc non habet Religio, vt patet ex *R.* 3. *ad* Q. 2. Ergo non est virtus theologica sed pure moralis. Hic seruitur dicta

T.4.E.1.n,2. de definitione virtutis moralis. Et ibid. n. 6. & 9. de subiecto virtutis moralis. Et nu. 22. & 23. quomodo virtutes morales, & an theologicæ consistant in medio. Vbi quoque id de Religione explicatum est.

* 7 *Resp.* 3. Religio est nobilior cæteris virtutibus moralibus, immò omniũ moralium nobilissima. *Ratio* S.D. art. 6. Inter virtutes morales illa est perfectior, quæ propinquiùs accedit ad Deum: Sed hic est de Religione, vt patet ex eius obiecto. Ergo. *Ex quo sequitur*, quod dum *S.T. suprà q.* 58. *a.* 12. *in c. docet*, Iustitiã legalem esse nobiliorem cæteris, comparat eam solum cum illis virtutibus moralibus, quæ versantur circa bonum humanum, non verò cum ea, quæ versatur (vti Religio) circa bonum divinum. Similiter dum infrà *q.* 161. *a.* 5. *in c.* cæteris præfert humilitatem, comparat eam cum illis virtutibus, quæ versantur circa moderãdas passiones. *Resp.* 4. Religio potest imperare actibus aliarum virtutum, etiam theologicarum. Patebit ex dicendis ad Oppositiones contra 3. R.

* 8 *Oppono* 1. *Contra* 1. *R.* SS. PP. dicunt, Sanctos coli per Religionem: Sed Sancti coluntur per virtutem Duliæ. Ergo virtus Duliæ, & Religionis sunt eadem. *Confirm.* Prototypon, & imago coluntur eodem cultu: Sed Sancti sunt veræ imagines Dei. *Ergo*, Idem patet de Charitate, quæ est vnica respectu Dei, & proximi, cur non & eadem virtus ad colendum Deum, & Sanctos?

Oppono 2. *contra* 3. R. Virtus imperans actibus aliarum virtutum, & eos ordinans in suum finem est nobilior, quia imperare est superioris: Sed Iustitia legalis actus Religionis sic ordinat ad suum finem, scilicet ad bonum commune. Ergo. *Confirm.* Totum est nobilius parte: Sed Iustitia legalis comparatur ad Religionem sicut totum ad partem. Ergo.

Oppono 3. *contra idem.* Pœnitentia est vltima dispositio ad gratiam, & reconciliationem cum Deo: Sed hic effectus est nobilior quam colore Deum. Ergo. *Min. prob.* Plus est restituere Deo ablatum quam eum colere per honorem conservatum. Ergo. *Confirm.* Pœnitentia pro obiecto cui habet etiam Deum. Ergo est saltem æqualis Religioni.

Ad 1. *R.* Sanctos PP. non loqui de Religione, vt est specialis virtus, sed in ampla significatione, nimirũ de Religione Christiana, seu Ecclesia, Sanctorum cultum præcipiente. In quo sensu omnes actus pij dicuntur religiosi. *Ad confirm. dist. mai.* Loquendo de cultu, qui exhiberur imagini præcisè ob excellentiam extrinsecam Prototypi in ea relucentem, v.g. Dei in Sãctis, *C. mai.* Ob excellentiam intrinsecam propriã imaginis, quam vis participatam à Prototypo, *N. mai.* Hoc secundo modo Sancti coluntur *dulia*, primo modo possunt coli *latria*, adorando Deum, eiusq; excellentiam, vt rationem formalem in Sanctis, non ipsos Sanctos; quorum propria excellentia tunc solum se habet merè materialiter. Verum hic cultus non est in Ecclesia vsitatus, ad vitandum periculũ erroris, ne videamur creaturis tribuere honorem divinum. *Vide S.T. infrà q.* 103. *a.* 1. *ad* 3. Ex hoc colligitur differentia Sanctorum ab imagine picta Christi, quæ potest adorari. *Latria* ideò, quia secundũ se nullius cultus est capax; ideòque cessat dictum periculum: Sancti verò specialis cultus capaces sunt. *Ad id*, quod additur de Charitate, dispar ratio est, quia in dilectione proximi ratio formalis diligendi est solus Deus, seu bonitas divina, in cultu verò Sanctorum excellentia propria. Nam honor intrinsecè est testimonium propriæ virtutis in aliquo, excellentem enim importat rationem causæ formalis, nimirum perfectionem, qua vnum excedit alterum, nihil autem excedit alterum, nisi per id, quod formaliter habet in seipso: bonum verò, quod est obiectum amoris, importat rationẽ causæ finalis; de cuius ratione est, vt propter eam appetantur alia.

Ad 2. *R.* 1. retorquendo, quod Religio etiam imperet actibus aliarum virtutum, etiam theologicarum (vt si quis voveat actum Fidei, vel Spei) & ordinet ad cultum Dei. Ex quo potest secundò negari *mai. Tertio dist mai.* 1. cum nostro Magistro Torre: Si sit imperiũ propriè, & in rigore, *C. mai.* Si minus propriè, prout idẽ est, ac quomodocumque movere actum vnius virtutis ad finem alterius, vel implorare auxilium virtutis, superioris, prout etiam inferior implorare potest. *N. mai.* Et hoc secundo modo fit in præsenti. Sicut ergo subditi possunt movere, excitare, implorare Principem, vt sibi succurrat, ita inferior virtus superiorem etiam Theologicam.

2. *Aliter* cum Joan. à S. Thom. *dist. mai.* Imperare est superioris sub ea ratione, sub qua superior est, *C.* Sub qua inferior est, *N. mai.* & distincta *min. N. conseq.* Licèt ergo virtus aliqua, v. g. Theologica simpliciter sit superior Religione, & secundùm finem suum primarium, qui est Deus, non possit ordinari ad finem Religionis, alterius̃ve virtutis immediatè versantis circa media; potest tamen secundùm quid esse inferior illa, quatenùs ei addit aliquam circunstantiam, vel formalitatem, ac obligationem, vt si iuxta dicta quis voveat actum Fidei, qui actus ordinatur ad finem Religionis: hinc virtus superior ex fine secundario potest ordinari ad finem virtutis inferioris.

Ex prima distinctione etiam solvitur hæc instantia: Imperium est actus intellectus, seu rationis practicæ: Ergo non voluntatis, vel virtutis in voluntate residẽtis. *Ant.* enim est verum de imperio propriè sumpto. *Ad Confirm. dist. mai.* Si sit pars propriè dicta, *C. mai.* Impropriè, & similitudinariè, vti in præsenti, *N. mai.* Virtus ergo aliqua dicitur pars potentialis in sensu explicato in Prooemio huius Tractatus.

Ad 3. *dist. mai.* Est dispositio ratione sui, *N.* Ratione Charitatis adiunctæ, seu vt formata Charitate, *C. mai. & neg. min. Ad prob dist. ant.* Si honorem læsum Deo restituat simpliciter, vti facit Charitas, & satisfactio Christi, *C.* Si solum inchoativè, & dispositivè, vti facit pœnitentia, ut præscindit à charitate. *N. Ad Confirm. N. conf.* Quia formaliter exhibere Deo cultum est quid nobilius quàm solum dispositivè ei restituere honorẽ ablatum.

EXAMEN II.

De actibus Religionis. *S.D. q.* 82. *& sequentibus.*

* 1 QUÆRO: Virtus Religionis quos actus habet? *Resp.* Habet internos duos, qui sunt, *Devotio, & Oratio.* Habet, & plures externos, vt sunt, *Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Decima, Votum, Juramentum, Adjuratio divini nominis*, eiusque in laudem assumptio. Ita S. D. postea citandus. Qui insuper *q.* 8. *a.* 7. *in corp. docet*: Actus internos esse principaliores, & per se spectare ad Religionem, externos verò esse secundarios, & ordinari ad internos.

Explicantur Actus.

* 2 *Devotio* iuxta S.T. hic vbi de ea agit *q.* 82. *art.* 1. est voluntaria quædam promptitudo ad Dei cultum, & famulatum. Vel, actus voluntatis promptè se tradens ad Dei cultum; quæ promptitudo, & fervor si deest, non est devotio. Causa principalis, & extrinseca devotionis est Deus, qui quos dignatur, vo-

cat,

cat,& quem vult,religiosum facit,vt ex S.Ambros. *ait S.T.a.*3. Causa verò intrinseca ex parte nostra est meditatio,seu contemplatio. Quod probat ex illo Psalm. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.* Devotio per se, & principaliter causat spiritualem lætitiam, per accidens tristitiam, *art.4. in corp.*

* 3 *Oratio* est ascensus, seu elevatio mentis in Deum,& definitur à S.T. *q.*83. vbi de ea agit *a.*1. *in c. Petitio decentium à Deo.* Est elicitivè ab-& subiectivè in intellectu. Orare enim est conceptū internū ad Deum ordinare,seu Deo manifestare,loqui,exprimere,& quasi intimare;hoc autem est officium intellectus. Quę in-& attentio requiratur,patebit infrà in hoc Tract. E 5. n.39.& 43. Quod Oratio sit Actus Religionis,probat S.D.q.83.a.3.in c.dicens: *Ad Religionem propriè pertinet, reverentiam, & honorem Deo exhibere; per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, inquantum ei se subjicit, & orando profitetur se eo indigere, sicut auctore suorum bonorum* Ergo.

Hic se offert difficultas, quomodo Oratio, quæ est actus intellectus, possit esse actus elicitus Religionis, quæ est in voluntate? Hoc Gonet benè explicat dicens:Observandum est cum Caietano 2.2.*q* 81.*art.*4. D. Thomam in assignando virtutibus proprios actus, potiùs respexisse ad identitatem ipsarum virtutū, quā ad identitatem potentiarum: & ideò omnem actū, qui non respicit nisi vnicam virtutem, appellat proprium talis virtutis, in quacumque potentia sit. Quod si plures virtutes respiciat,illius vocat proprium, à qua habet primam speciem boni, & virtuosi actus, ac proindè, cuius finem primario respicit. Hac ratione idem S.D.2.2.*q*.3.*a*.1. confessionem externam dicit esse actum proprium Fidei, quamvis illa sit in potentia externa, & hæc in intellectu; quia prima bonitas talis confessionis ex Fide est,& eius finem respicit,nō verò ex alia virtute. Et generaliter omnes actus externos, sive virtutis,sive vitij,attribuimus,vt proprios illis habitibus,è quibus sumunt primam speciem deformitatis,vel rectitudinis, vt comestionem temperantiæ, externum luxum luxuriæ,&c. non curando,an sint in eadem potentia, vel in diversis. Quia ergo prima, & essentialis bonitas orationis tota est à Religione, quia est bonitas reverentiæ, & cultus, Oratio dicitur propriè actus Religionis, quamvis sit in distincta potentia. Et ex hoc dicitur etiam actus Religionis elicitivè; quia, vt benè observat Bannez 2.2.*q*.3.*citata*,& Alvarez 2. *disp.*92. dupliciter potest aliquis actus dici elicitus ab aliqua virtute;vel propriè, & strictè, quia est immediata eius operatio, ac proindè manet in eadē potentia; vel largè, ex eo solùm, quòd non fit media alia virtute,quamvis mediet alia potētia;dicitur enim talis actus elicitus,quia non est propriè imperatus: nā actus propriè imperatus ab aliqua virtute dicitur ille, qui fit mediā alia virtute eliciente;sicut actus, qui elicitur ab humilitate propter Deum, dicitur imperari à Charitate;& ideò vbi vna tantùm est virtus, qualitercumque influat in actum, dicitur hic procedere ab ea elicitivè. Hoc secundo modo Oratio dicitur elici à Religione,primo verò Devotio,quæ in voluntate existit. Hæc Gonet *in Manuali,T.*9 *c.*3. *de Relig.*§ 2.

* 4 *Adoratio*, de qua S.T. agit *q.*84. sumi potest dupliciter. 1. *Generaliter* pro quacumque veneratione alicui in testimonium suæ excellentię debita, qualiter Abraham adoravit Angelos. *Gen.*18. & Nathan Propheta 3.*Reg.*1.Davidem. 2. *Sumitur specialiter*, & propriè pro reverentia, seu *cultu exhibito Deo* ob infinitam, & increatam eius excellentiam. Et hæc est actus Latriæ,seu Religionis;estque hæc Adoratio duplex: Vna interna,qua per actum mentis,& voluntatis;altera externa (à priori imperata, sine qua potiùs ex & fictio, & irrisio) qua Deum veneramur actu externo, v.g. genuflexione,corporis inclinatione,pectoris tunsione,capitis discoopertione, &c. qui actus præcisè secundum se sunt quidem indifferentes, attamen sunt actus Latriæ, prout respiciunt internam devotionem.

Adorationis generaliter sumptę tres sunt species. 1. *Latria*,quæ fit,& debetur soli Deo,vt primo nostro principio,& vltimo fini. 2. *Dulia*, quæ exhibetur regnantibus cum Deo Sanctis ob excellentem eorum perfectionem;prout patet *ex S.T. hic q.*84.*a.*1.*& q.*103.*ar.*3. *Hyperdulia*,quasi suprema Dulia,qua super omnes alios Sanctos colitur Beata Virgo ob specialem affinitatem, quam habet cum Deo, inquantum est Mater Dei, vt docet *S.D.cit.q.*103.*a.*4.*ad* 2. Adoratur cultu veræ Latræ Christus, quia est Deus, eiusque Humanitas, vt ei coniuncta,3 *p.q* 25.*ar.*1.*&* 2. Humanitati præcisè secundum se sumptæ,seu per intellectum à Verbo præcisæ,supremis tamen gratiæ creatæ donis decoratæ, debetur suprema Dulia, seu Hyperdulia. Eodem adorationis cultu veneramur imaginem, vt talem,eiusq; Prototypum,nimirum vel *Latria*,vel *Dulia*,vel *Hyperdulia*, prout nimirum debetur Prototypo. Quia idem est motus in imaginem,& in rem imaginatam. De imagine Christi id docet *S.T.*3 *p q* 25.*art.*3.

* 5 Crux,in qua Christus pependit, adoratur *Latria* ex duplici titulo iuxta *S.D. loco mox cit. art.*4. Et quidem 1. *in quantum* est imago Christi *in* ea extensi. 2. *Ratione* contactus membrorum eius,ex quo est sanctificata,& sanguine eius perfusa. Ex hoc secundo,licitè non ex primo titulo,lignum,in quo pependit, adoratur Latria,etsi non amplius habeat figuram Crucis,per quod differt ab alia Cruce, quæ est effigies dictæ Crucis:talis enim effigies,quamdiu retinet formam crucis,potest adorari Latria ex primo titulo; ex nullo autem, si formam crucis amisit.

Ratione contactus membrorum Christi adoramus non solum Crucem, sed etiam omnia,quę sunt Christi. Vnde *Damasc.*4.*c.*13. pretiosum lignum, vt sanctificatum tactu sancti Corporis, & Sanguinis,decenter adorandum,*clavos*,*indumenta*,*lanceam*,& sacra eius *tabernacula*, quæ sunt, *præsepe*,*spelunca*, & eiusmodi. Ista tamē non repræsentant imaginem Christi,sicut Crux. Idcoque mulieribus dixit Angelus:Iesum quæritis Nazarenum crucifixum,non dixit,*Lanceatum*. Et inde est, quod Crucem Christi veneramur in quacumque materia,non autem imaginem clavorum,vel quorumcunq; huiusmodi. *Ita* S.T *cit.a.* 4. *ad* 3. Nam differentia est, quia Crux in quacumque materia statim, & quasi prima fronte repræsentat ipsum Christum, clavi verò ex alia materia facti,non statim Christum,sed primos clavos repræsentant. Si tamē acciperentur cum ipsa cruce etiam facta ex alia materia,simul constituunt vnam Christi crucifixi imaginem possuntque adorari.

Not.ea,quæ Christum tetigerunt,esse in triplici differentia. 1. *Aliqua* tetigerunt eum indignè,vt os Iudæ, sacrilega manus ei alapam impingens;hæc ratione cōtactus nullam sanctitatem participarunt, proin nulla eis debetur veneratio. 2. *Alia* post Christi contactum manserunt pervia communibus vibus,v.g. *terra*,quam calcavit;*aer*,quo respiravit; *asina*, cui insedit,&c. & hæc non debent adorari Latria. Si quis tamen vestigium Christi adoraret,quia & vt formaliter est Christi,nihil male faceret, *ait Cabrera in* 3.*p.Tertia* sunt alia, quæ ex contactu Christi manserunt dignificata, etiam, in æstimatione fidelium, ac sanctificata,vt *crux*,*clavi*, *spina*,*lancea*;*&c.* & hæc adorantur Latria.

* 6 *Si hæc ratione contactus* adorentur Latria, cur non & Beata Virgo, quæ Christum intimius tetigit, immo eum in vtero portavit? *In R. ad hanc Quæst.* variât inter se Doctores. Nostet *Bartbol. Medina in* 3. *p.* docet, quosdam non imperitè dicere, quod si quis ex divina revelatione cognovisset in Vtero Mariæ portari Christum, & adorasset divinam Prolem, eodem Latriæ cultu ratione coniunctionis adorasset Matrem, cuius pro tunc Christus erat quasi pars. Quę coniunctionis ratio cessat post partum. Sed *S. T. 3. p. q. 25. art. 5.* absolutè docet, Matrem Domini non esse adorandam Latria ratione contactus. Et dat disparitatem inter eã, & res insensibiles, quæ Christum tetigerunt, hæ enim secundum se nullius venerationis sunt capaces, & ideò in earum adoratione nullum est periculum existimãdi, quod adorentur ratione sui: B. Virgo autem secundum se est capax cultus (& quidem, vt diximus, Hyperduliæ) cum sit rationalis creatura, & hic facile posset putari, quod adoretur ratione sui; quod erroris periculũ omnino vitandum est.

Subdit S. *D. ad* 1. Matri Regis non debetur æqualis honor, honori, qui debetur Regi, sed honor consimilis ratione cuiusdam excellentiæ, qui respectu B. Virginis est Hyperdulia. Vel paulo aliter dici potest; quod licet Rex, & Mater, si sint eiusdem ordinis, debeant coli eodem cultu; secus tamen, si sint diversi ordinis, Rex autem Christus est ordinis divini, Mater verò creati. Caietanus hanc S. T. sententiam intelligit non absolutè, & simpliciter, sed ratione scandali, aut periculi, quo cessante concedit, posse B. V. coli adoratione Latriæ ratione contactus.

* 7 *Quid sentis* de Sanguine Christi adhuc apparente in *Spinis, Lancea, Sindone, Sudario? Supposita Thomistica* distinctione sanguinis in perfectum, purum seu naturalem, & in nutrimentalem, seu imperfectum; probabilius mihi videtur, quod Sanguinis Christi adhuc apparens in spinis, lancea, sindone, sudario, &c. non sit sanguis naturalis, vtpote, qui totus, tanquam ad humanę naturæ integritatem spectans, *iuxta S. T. 3. p. q. 54. a. 2. ad* 3. in Resurrectione fuit reassumptus. Est ergo sanguis nutrimentalis, qui tamen potest adorari latria licèt non fuerit hypostaticè vnitus Verbo; sufficit enim contactus cum Christo, vt dictum est de Cruce, & alijs.

Sed quid de maioribus particulis Sanguinis, quę in quibusdam Ecclesijs in vitreis ampullis asservantur? *Dico* cum S. T. loco mox ex 3 p. cit. dicente: *Sanguis ille, qui in quibusdam Ecclesijs pro Reliquijs conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculosè dicitur effluxisse de quadam imagine percussa*, vti diversæ historiæ referunt miraculosè fluxisse ex Eucharistia iniuriosè tractata.

Quid sentis de illa celebri vitrea ampulla in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ apud S. Maximinũ asservata, in qua in die Parasceves circa horam exitus Salvatoris sæpè visus est ebullire sacer cruor, qui tempore passionis Christi dicitur à S. Magdalena exceptus, & in Gallias portatus? *Dico* cum Contenson. in 3. p. contineri in illa ampulla terram Sanguine Christi tempore passionis aspersam, à S. Magdalena exceptam, & in Gallias portatam.

* 8 *Quid iudicas* de cultu Virorum Illustrium in fama sanctitatis defunctorum, nondum canonizatorum? *Dico* Certum est, quod cultu publico nõ liceat eos venerari, donec à Papa in Beatorum numerum referantur, sed solùm privato. Hinc eorum imagines licèt domi tenere, sed non in templo, nec in altari reponere, nisi fortè ornatus causa. Similiter privato cultu licet eorum ossa osculari, vestium particulas servare, in die natali devotioni vacare, ieiunia, vel vota offerre, sed festum, vel ieiunium publicum nec Episcopus potest in eorum honorem instituere. *Ratio*: Quia ille est cultus publicus, quem solus Papa cõcedere potest.

Esine peccatum, venerari corpora Beatorum, de quibus alij asserunt esse in hoc, alij in illo loco? *Dico*, posse coli, maximè si accedat approbatio Papæ, vel Episcoporum. *Ratio*: Quia ille colens non errat in substantia, eo quod illud corpus de facto sit aliculus Sancti; sed solùm in conditione, inquantum credit esse corpus huius, cùm tamen sit alterius.

* 9 *Sacrificium*, de quo S. T. *q.* 85. Hoc nomen derivatur à *sacro faciendo*, per illudque intelligitur actio sacra versans circa rem sacram; res autem sacra est, quæ est ordinata ad cultum Dei. Definitur Sacrificium vt sic, seu in genere, propriè dictum, quod sit *externa, & sensibilis oblatio rei alicuius exterioris, seu sensibilis permanentis, legitima authoritate instituta, à legitimo Ministro facta immediatè soli Deo, cum reali eiusdem rei immutatione in protestationem Dominij Dei in vitam, & mortem suæ creaturæ.* Hæc definitio colligitur *ex S. T. 2. 2. q. 85.* in eaque ly *oblatio* ponitur loco generis, quia omne sacrificium est oblatio, non tamen è contra. Dicitur *externa*, quia sacrificium propriè dictum versatur circa res externas, & sensibiles, eas in Dei cultum per oblationem ordinandi, per quod differt ab adoratione simplici, cæterisque actibus Religionis, quos homo solum perficit motu aliquo corporis, v. g. genuflexione, prostratione. Ob eandem fèrè causam additur ly *sensibilis*, quia etsi etiam per actum interni, quo, vt dicitur *Ioann. 4.* Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate, Deo ab homine cultus exhibeatur, tenetur nihilominus homo etiam Deum per exteriores oblationes venerari; hoc enim exigitur ab homine vtpotè constante corpore, & anima, & politicè cum alijs hominibus conversante. Dicitur *rei alicuius exterioris*, quæ particula patet ex mox dictis. Dicitur *res permanentis*, ad excludendas à ratione Sacrificij propriè dicti actiones quasdam transeuntes, v. g. genuflexiones à Sacerdote fieri solitas. Dicitur *legitima authoritate, & legitimo ministro*, nam nõ est cuiuslibet sacrificium instituere, sed vel Dei immediatè, vt patet in Lege Nova, & scripta: vel Reipublicæ, vt in materia de Sacramentis in communi dictimus de statu legis naturæ. Nec est cuiuslibet sacrificium offerre, sed fuerunt omni tempore idonei Ministri legitima authoritate ad sacrificandum instituti. Dicitur, *facto soli Deo*, huic enim soli sacrificium est offerendum ratione omnipotentiæ, & supremi dominij super omnia. Hinc etsi genuflexiones, & similia, & Angelis, & hominibus in aliqua dignitate constitutis exhibeantur, templa, & alteria eis dedicentur, sacrificia tamen eis non offeruntur. Dicitur, *immediatè soli Deo* per quod Sacrificium differt ab alijs oblationibus, quæ quidem fiunt Deo, non tamen immediatè, vt constat in decimis. Dicitur *cum reali immutatione in protestationem*, &c. quia ad testandam Dei omnipotentiam, & suprematum dominiũ eius in vitam, & in mortem, res oblata debet realiter immutari; dum enim hostia ab esse ad non esse transit, in solius Dei protestatem redit, cum solus ille eam reproducere possit: Hinc & in sacrificijs Veteris Legis aliqua semper fiebat mutatio: si enim res oblata erat viva, v. g. bos, aut vitulus, &c. *interficiebatur*; si inanimis, & solida, *comburebatur*; si liquida, *effundebatur*.

In Nova Lege non est sacrificium propriè dictum externum, nisi Sacrificium Missæ, seu Eucharisticum, essentialiter consistens in sola consecratione, per quam Christus incruentè immutatur, inquantum ex vi verborum

borum Corpus ponitur sine Sanguine,& è contra, licet per concomitantiam sint simul. Et in hoc Sacrificio principalis offerens, & res oblata, seu hostia est ipse Christus. *Sed de hoc alibi.*

* 10 *Oblatio* (de qua S.D.q.86.) à Sacrificio distinta, *est actus Religionis, quo Deo offerimus res externas ab{que earum mutatione.* Sicut *Lev.*23. præcipitur oblatio primitiarum, seu de manipulis novarum spicarum, sive primorum fructuum: Vti & *Deut.* 26. quæ inconsumptè,& integræ Deo offerebantur,tum ad vsum Templi,tum ad Sacerdotum sustentationem, vti & pauperum.Hæ oblationes iuxta S.*T. art.*1 *in c.* de sui ratione habent,quod voluntariè offerantur, potest tamen contingere,quod quis ad eas teneatur ex quadruplici ratione.1.*Ex* præcedenti conventione, sicut cũ alicui conceditur fundus Ecclesiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat; quod tamen habet rationem census. 2. *Propter* præcedentem deputationem, sive promissionem,v.g. ex donatione inter vivos,Ecclesiæ facta,vel ex testamento. 3. *Propter* Ecclesiæ necessitatem,puta,si ministri non haberent, vnde sustentarentur.4.*Propter* consuetudinem;tenentur enim fideles in aliquibus Solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas. *Hæc S.D qui art.*4.*in fine c. dacet*,inNova Lege, quid,vel quantum sit offerendum, definiri per determinationem Ecclesiæ,ex qua homines obligantur, vt primitias solvant secundum consuetudinem patriæ,& indigentiam ministrorum Ecclesiæ.

* 11 *Quid sentit* de oblationibus, quæ fiunt in Ecclesijs Religiosorum,nõ habentibus iura parochialia? potestne Parochus loci aliquid prætẽdere de illis? *Dico*:Nec LocorumOrdinarij,nec Parochi possuntReligiosis præiudicare in istis oblationibus.Ita enim habetur in *c.*1.*de Stat.Mon. & cap.nimis iniqua; de excess. Prælat.* Debent tamen cavere Regulares, ne in Ecclesijs elemosynas à fidelibus extorqueant.

Sed quid tenes de oblationibus,quæ fiunt, dum Parochianus aliquis,qui sepulturam apud Regulares elegit,sepelitur? *Dico*: De iure communi debetur Parocho portio canonica, seu à Canonibus statuta ex ijs, quæ Ecclesiæ Regulari occasione talis funeris obveniunt. *Ratio*: Vt,qui Sacramenta administrando cum vivente habuit anus,à defuncto habeat emolumentũ.

In quo consistit illa portio? *Dico*: De iure communi hæc portio interdum est dimidia,interdum tertia, vel quarta pars,iuxta consuetudinẽ cuiuslibet loci,non tantum de oblationibus, candelis, panno tumbæ,sed etiã de legato tali Ecclesiæ facto pro animę salute,Exceptis ijs,quæ legata sunt pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis,luminaribus,Anniversario,Septimo Vigesimo, Trigesimo,&c. vel etiam ad perpetuum cultum divinum. Dixi *de iure communi.* Nam defacto virtute specialium privilegiorum,& iuxta multorum locorũ consuetudinem Regulares nullam Parocho dant portionem canonicam;vel nõnisi de funeralibus propriè dictis,nimirum eodem die cum funere delatis, vt sunt, pannus,candelæ,oblationes,&c. Quoad hoc loci consuetudo servanda est.

* 12 *Decimæ*, de quibus S.T. q.87. sunt *decimæ pars fructuum, sive terræ, sive aliarum rerum Deo in recognitionem universalis dominij debita, & ipsius ministris persolvenda,*& quidem singulis annis de omnibus fructibus: in quo differunt *à Primitijs*, quæ tantum de primis fructibus novalium agrorum, id est,noviter cultorum,qui ante non colebantur, &animalium,dantur in signum gratitudinis erga Deum: vti & ab oblationibus, quæ dantur ex devotione sine determinatione temporis,qualitatis, vel quantitatis.

Præceptum de solutione Decimarum (vt explicat S.D.art.1 *in corp.*) in Veteri Lege partim erat morale, inditum naturali ratione, partim autem erat judiciale,ex divina institutione robur habens.Quod enim eis, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius,populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat; sicut & his,qui communi vtilitati invigilant,scilicèt Principibus,& militibus, & huiusmodi. Vnde Apostolus 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendijs vnquam,aut quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit*? Sed determinatio certæ partis exhibendæ nõ est de iure naturali,sed ex institutione divina. Vnde quãtum ad determinationem decimę partis erat judiciale. Et quidem cæremonialia Veteris Legis præcepta illicitum est observare tempore Legis Novę, judicialia verò,etsi non obligent tempore gratiæ, tamen possunt observari absque peccato;& ad eorum observantiam aliqui obligantur, si statuantur auctoritate eorũ, quorum est condere Legem. Sicut præceptum judiciale Veteris Legis est. *Exod.* 12 quod, qui furatus fuit ovem, reddat quatuor o[illegible]. Quòd si ab aliquo Rege statuatur,tenentur subditi observare. Ita etiam determinatio decimæ partis instituta est auctoritate Ecclesiæ, cum ministri Novi Testamenti majoris dignitatis sint quàm Veteris. Hæc S.Doct.

* 13 *Tenetur homo* dare Decimas de omnibus rebus? *Affirmo* cum S.T.art.2, *Ratio*: Radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia, debentur pro sustentatione carnalia, vt patet 1.*Cor.*9. Sed sub carnalibus continentur omnia, quę homo possidet. Ergo.

*Not.*tamen,hanc S.Thomæ doctrinam intelligi solùm de jure cõmuni, si enim spectetur consuetudo locorum (cui,dum legitimè est præscripta, standum esse jura volunt) solutio decimæ personalis vix est in vsu, immò nec prędiales in pluribus locis solvuntur nisi de rebus maioribus. Sicut autem decimæ prædiales, quæ solvuntur ex fructibus prædiorum, sive agrorum, fundorum,bonorum immobilium,vinearum, hortorũ, sylvarum,piscinarum,molendinorum,ædium locatione. Personales sunt, quæ penduntur ex lucro propriæ personalis industriæ, puta, ex negotiatione, artificio, venatione, militia, artium professione, aliove simili exercitio. Aliæ sunt mixtæ ex vtrisque,quæ nimirum proveniunt partim ex industria, & labore, partim ex prędijs, vt sunt fœtus, & pulli animalium, eorumque fructus, vt lac, caseus, butyrum, &c.

* 14 *Qua ratione* in quibusdam locis Decimæ spectant ad Laicos? *Dico* cum S.T *art.*3 *in corp.* Circa decimas duo sunt considerandа, scilicèt ipsum ius accipiendi decimas,& ipsæ res,quæ nomine decimę dãtur.Ius est spirituale;consequitur enim illud debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia,debentur temporalia, quod ad solos Clericos pertinet, habentes curam animarum. Ergo illis solis competit habere hoc ius. Res autem,quę nomine decimarũ dantur, corporales sunt; vnde possunt in vsum quorumlibet cedere, & sic possunt etiam ad Laicos pervenire.

Sed quo titulo Laici res decimales capiunt, si non habent ius? *Dico*: Titulo venditionis, vel donationis, permutationis,elocationis,privilegij,concessionis Papę,qui Principibus Sæcularibus de Ecclesia benè meritis subindè decimas cõcessit in feudum perpetuum. Ex quo noli inferre: Ergo ruit data distinctio S.Thomę inter ius, & rem. Nam duplex est ius accipiendi decimas:Unum primarium,fundatum in spirituali ministerio fidelibus debito, solis Ecclesiæ ministris com-

po-

petere potens. Alterum secundarium, fundatum in titulis allegatis; & hoc Laicis competere potest.

* 15 *Teneturne* etiam ipsi Clerici dare decimas? *Dico* cum S. Thom. *a. 4. in c. dicente*: Idem non potest esse causa dandi, & recipiendi, sicut nec causa agendi, & patiendi. Contingit autem ex diversis causis, & respectu diversorum, eundem esse dantem, & recipientem, sicut agentem, & patientem. Clericis autem (inquantum sunt ministri altaris) spiritualia populo seminantibus, decimæ à fidelibus debentur. Vnde tales Clerici inquantum habent Ecclesiasticas possessiones, decimas solvere non tenentur. Ex alia verò causa, scilicèt propter hoc, quod possident proprio iure, vel ex successione parentum, vel emptione, vel quocumque huiusmodi modo, sunt ad decimas solvendas obligati. *Hæc S. Doct.*

* 16 *Teneturne* Religiosi dare decimas? *Dico* 1. cum S. T. *ad 2. dicente*: Religiosi, qui sunt Clerici, si habeant curam animarum, spiritualia populo dispensantes non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. De alijs verò Religiosis, etiamsi sint Clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio. Ipsi enim tenentur de iure cõmuni decimas dare: habent tamen aliquam immunitatem secundùm diversas concessiones eis à Sede Apostolica factas. *Hæc S. T.* Manet ergo de facto in vigore privilegium ab Adriano IV. Alexandro III. concessum omnibus Religiosis in communi viventibus in *c. ex parte*. Vt de novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & hortis suis decimas non persolvant.

Dico 2. Omnes, cuiuscumque sint Ordinis, Religionis, Status, ac Dignitatis, etiam Episcopalis (nisi eximãtur privilegio, Papali dispensatione, vel consuetudine) tenentur dare decimas ex debito reali, id est, orto ex re decimis obligata, antequã ad alterius possessionem veniret. Ita videtur colligi ex citatis verbis S. T. *Ratio*: Facta Diœcesium divisione in Parochias, Parochianorum prædia, intra quamvis Parochiam sita, fuerunt subiecta obligationi decimæ partis fructuum, præstandę Parochiali Ecclesiæ: Sed res transit cum suo onere. Ergo.

* 17 *Ex qua virtute* debentur decimæ, easque defraudans cuius speciei peccato peccat? *Dico*: Debentur non solùm ex virtute Religionis sed, & Iustitiæ, adeòque defraudans eas tenetur Ecclesiæ restituere stricto iure. *Patet* ex dictis. Defraudantibus etiam meritò annumeratur ille, qui studiosè assignat partẽ deteriorem; vnde tenetur bona fide procedere, & partes assignare, prout se offerunt. Nec potest deducere expensas factas in cultura agri, nec seminis æstimationẽ, nec tributa, aut similia. In solvendis decimis præ iure scripto magis spectanda est legitima loci consuetudo, ex qua etiam colligi debet, an fideles suis sumptibus teneantur decimas deferre in horrea Clericorum, vel non. Plura de his vide apud Canonistas. *Votum, & Iuramentum*. De his postea specialiter.

* 18 *Adjuratio divini nominis*, de qua S. T. *q. 90.* fit, cùm ad aliquid faciendum, vel omittendum, aliquem obtestamur per *reverentiam* alicuius rei sacræ, vel etiã per Deum ipsum, vt patet ex S. T. *art. 1.* Est duplex: *Una imperativa*, qua Superior potest vti erga solos subditos præciplendo, vel timorem incutiendo, vt si adjuret subditum per Deum vivum, per Dei misericordiam, per quinque Vulnera Christi. Et hæc ratione imperij differt ab Oratione: à juramento verò differt, quia per illud obligatur solùm ipse jurans. *Altera est deprecativa*, qua precamur, vel rogamus non solùm subditos sed, & Superiores, immò & Deum, quem adjuramus per Filium, per aliquid sacrum, sicut Ecclesia orat per Mysterium Incarnationis, & orationem claudit dicendo: Per Christum Dominum nostrum, &c. *Nota* quòd adjuratione aliter vtamur ad Deum, aliter ad hominẽ. Nam, vt ait S. T. *art. 1. ad 3.* Adjurando hominem, eius voluntatem per reverentiam rei sacræ immutare intendimus, quod non intendimus circa Deum, cuius voluntas est immutabilis; sed quòd à Deo per æternam eius voluntatem aliquid obtineamus, non est ex meritis nostris, sed ex eius bonitate.

* 19 *Licetne* adjurare dæmones? *Dico* 1. cum S. T. *art. 2. in c.* Licèt eos per virtutem divini nominis adjurare, ad illos tanquam inimicos (ne nobis spiritualiter, vel corporaliter noceant) repellendos per potestatem à Christo Lucæ 10. datam: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Non tamen licitum est eos adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel per eos obtinendum, v. g. pluviam, vel grandines, quia hoc pertineret ad societatem habendam cum ipsis; nisi forte ex speciali instinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione vtantur. Sicut legitur de *B. Jacobo*, quod per dæmones fecit Hermogenem ad se adduci, ait S. D.

Dico 2. Licitum est, à dæmone hominem obsidente petere ea, quæ spectant ad obsessi vtilitatem, & dæmonis expulsionem, v. g. quomodo vocetur, cur ingressus sit, quantam Legionem habeat secum. Hinc Exorcistę à curiosis quæstionibus desinant, v. g. vbi sit anima huius, vel illius defuncti? quid senserit Aristot. de animæ immortalitate? Vt loquatur diversis linguis, vel determinatè Latina; in quibus tamen à mortali excusari quis potest. Licèt tamen dæmoni egresuro mandare, vt det signum egressus, v. g. exinguendo lumen, frangendo vitrum, pulsando campanam, &c. sed sine damno, & irreverentia rei sacræ.

* 20 *Potestne* sola creatura intellectualis adjurari? *Affirmo. Ratio*: Quia sola illa potest intelligere divina, & ad aliquid agendum, eorum reverentia impelli. Ergo. Ex quo sequitur, quòd dum adjurantur res inanimata, vt, dum exorcizantur *aqua, nubes, ganeines, locustæ, domus, &c.* adjuratio dirigitur ad creaturam intellectualem, illis rebus præsidentem, sic Exorcista præcipit dæmoni, vt per tempestates non noceat, sed procul abscedat.

Quid dicis ad factum S. Brictij, qui pro sua innocentia adjuravit infantem 30. *dierum*, vt ediceret, an ipse sit pater eius, vt quidam sparsecat. Qui infans: Non pater meus es tu. *Dico*: Hæc adjuratio fuit tacita oratio, qua Deus rogabatur, vt vocem daret infanti.

Assumptio divini nominis in laudem (de qua q. 91) quæ fit per Psalmos, Hymnos, Cantica, Horas Canonicas, Festivitates. De quibus specialiter in sequentibus agetur.

EXAMEN III.

De Voto. *De quo S. D. agit q. 88. per 12. art.*

* 1 QUÆRO 1. Quid, ac quotuplex est Votum, & quæ requisita ad eius obligationem? *Resp.* 1. Votum est *promissio deliberata Deo facta de meliori bono, & possibili.* Ex quo sequitur, quòd debeat esse de re licita, & Deo grata. Tota hæc definitio patet ex explicata definitione Promissionis suprà *T. 8. E. 4. n. 7.*

Explicatur tamen vlteriùs: Dicitur 1. *Promissio*: Quia ad votum, licèt requiratur, non tamen sufficit propositum aliquid faciendi in laudem Dei, quod bonè

benè *Not.* propter homines simplices, propositũ, & votum sæpè pro eodem sumentes. Vnde qui non implet propositum, etiam firmiter, & efficaciter conceptũ, non peccat; quia nulla obligatione se obstrinxit. Votum ergo debet esse promissio formalis, & expressa, saltem mente. Potest tamen interdum esse implicita, vt si alicui actui explicitè volito sit, & sciatur annexum votũ, v.g. castitatis Ordini sacro. Dicitur 2. *deliberata*; de quo in Resp. sequenti. Dicitur 3. *Deo facta*. Quia votum est actus Latriæ, seu Religionis soli Deo debitus, adeoque ipsi soli fit principaliter; Sanctis verò fit minùs principaliter, seu vt Mediatoribus nos inter, & Deum, sicut eis ædificamus templa, & altaria. Prælatis non fit votũ, sed promissio, quæ est materia voti, inquantum homo vovet, se impleturum, quod Prælato promisit: vt patet *art.* 5. *ad* 3. Dicitur 4. *de meliori bono*. Pro quo *Not.* dupliciter aliquid posse dici melius, vel maius bonum. *Primò* comparativè ad aliud bonum, vti melius, & maius bonum est, omnia possessa propter Deum relinquere, quàm ex bonis retentis eleemosynam facere: melius est ædificare Ecclesiam, quàm dare calicem. *Secundò* comparativè ad suum oppositum, vti melius est dare eleemosynam, quàm non dare; maius bonum est servare castitatem, quàm inire conjugium. Ad votum sufficit, si sit de meliori bono in secundo sensu.

* 2 *Resp.* 2. Votum dividitur 1. *in absolutum*, seu cui nulla apponitur conditio, v.g. Voveo eleemosynã, voveo ingressum Religionis: Et in *conditionatum*, seu cui conditio adjicitur, v. g. Voveo me daturum eleemosynam, si convaluero ex hac infirmitate. Et hoc iuxta communem sententiam obligat conditione impleta. Si quis sua culpa impediat, ne conditio impleatur, manet obligatus voto, vt solvat.

Dividitur 2. *in reale, & personale; & mixtum* ex vtroque. *Votum reale est*, quod concernit rem familiarem, seu bona vovẽtis, vt si quis vovit ex suis bonis extruere altare, eleemosynam dare, &c. & hoc votum si à voveute non fit impletum, tenetur hæres sub mortali implere, & ad id potest compelli per hæreditatis privationem. *Votum personale* est, quod solum concernit personam vovẽtis, & per eam tantum impleri potest, & non per alium, vt votũ ieiunij, continentiæ. Et hoc nõ obligat hæredem, nisi sponte ad id se obliget. *Mixtum* concernit bona, & personam simul, v.g. Vovit quis peregrinari ad talem locum sacrum, & offerre decẽ pondo ceræ, hoc obligat hæredem sub ea ratione sub qua reale est, v.g ad oblationem ceræ, non verò ad peregrinationem, immò vt reale etiam potest impleri per alium, vt si alius pro me det eleemosynam quam ego vovi, tunc enim censetur is mihi dedisse pecuniam, & ego per eam eleemosynam.

Oppone contra illud de voto purè personali. Est Regula Iurit: *Quod quis per alium facit, per se ipsum facisse censetur*. Ergo potest illud per alium implere. Ad hoc *Respond.* illam Regulam non intelligi de ijs in quibus quis ad se specialiter mortificandum (vti in voto personali) obligat ad proprium factum, & personæ industriam. Vnde etiam non tenetur per alium implere, nisi & id intenderit. Quia *actus non operantur ultrà intentionem agentis*.

* 3 *Quid si* vovens in voto personali non ita intenderit propriam mortificationem, sed magis alterius vtilitatem, v.g. ieiunare, vel Missam legere pro animabus in Purgatorio? *Dico*: Sententia affirmans, *tenetur* implere per alium, si quem facile habere possit, & non possit per se ipsum, est consulenda vt practicè probabilior. *Ratio*: Quia in eo casu finis voti potest obtinere per alium, & censetur hæc fuisse mens vovẽtis.

* 4 *Quid festis* de eo, qui facit votum (militando in propria persona) succurrendi, Terræ sanctæ recuperandæ, sed impeditur impedimento perpetuo, teneturne mittere expensas, quas erat facturus, & sic votum explere per alium? *Probabilius affirmo*. Ita enim decidit Pontifex c. *quod super* 8 *de voto, & voti redept.* *Ratio*: Quia hoc votum annumeratur votis *realibus*, vel *mixtis*: Sed hæc sunt explenda per alium. Ergo. *Prob. mai.* Votum, in quo principaliter consideratur vtilitas piæ causæ, devotio autem, vel labor personæ secundariò, est reale, vel mixtum: Sed sic est de isto voto, vt patet. Ergo

* 5 *Quomodo* vota ieiunandi, peregrinandi, &c. facta à quibusdam Communitatibus, Oppidis, &c. obligant Successores? *Dico*, teneri ex pacto tacito, statuto, vel consuetudine, vim legis habente: præsertim cum adsit expressa, vel tacita approbatio Ordinarij, seu Episcopi loci.

* 6 *Dividitur* 3. Votum in simplex, & solemne. *Simplex est*, quod emittitur privatim, remotis arbitris, & testibus, ac sine omni extrinseca solemnitate: vel, si qui adsint, nemo tamen illam obligationem nomine Ecclesiæ recipit. *Solemne est*, quod fit in facie Ecclesiæ, cum omni solemnitate, in manus Superioris loco Dei illud recipientis. Votum solemne iterum aliud est *monachale*, quod nimirum in approbata Religione post Novitiatum emittitur. Alterum *Clericale*, quo ligantur Clerici ex vi Ordinis sacri. De hac divisione plura vide *T vit. E. 6. Q. 2. Quartò dividitur* Votum simplex in tempopale, v.g. castitatis, & perpetuum. *Quintò dividitur* in pœnale, & non pœnale, v.g. Voveo disciplinam mihi dare, seu cilicium portare, si talem domum suspectam, iterum intravero, est votum pœnale.

* 7 *Resp.* 3. Ad voti obligationem tria requiruntur, vt patet *ex S. T. hic art.* 1. *in c.* nimirum *deliberatio, propositum* voluntatis, *& promissio*. Deliberatio triplex in præsenti distingui potest nimirum *semiplena, plena, plenissima*. *Prima* est, quæ ob valde imperfectam advertentiam ad obiectum, quodammodo prævenit vsum, seu iudicium rationis, saltem perfectum; & ideò actus ex ea procedentes non sunt perfectè humani, virtuosi, vel vitiosi; vel ad summum venialiter culpabiles, vt sunt actus secundò primi, ad differentiam motus primò primi: de quo supra T 4. E. 2. n. 51 & 52.

Deliberatio plena est, dum ratio deliberat circa obiectum, intenditque operari sciens, & prudens, iudicio per passiones nullatenus turbato, sufficitque ad rationem meriti, & demeriti, immò ad omnem contractum humanum, ad Baptismum, ad Matrimonium: licèt non ponderentur, nec attendantur omnes circumstantiæ possibiles circa obiectum, vel eventum. *Plenissima* tandem, seu perfectissima deliberatio est, dum maturo consilio conferuntur media in ordine ad finem, & attendantur omnes circumstantiæ rei deliberatæ. Certum ergo est *primò*, quòd ad votum non requiratur deliberatio plenissima, vt patet in multis Religiosis, qui non sciverunt de omnibus circumstantijs Religionis Status, & tamen tenentur votis. *Secundò* probabilius est, non sufficere semiplenam, sed requiri plenam deliberationem, seu talem, quæ sufficit ad peccatũ mortale. Nam deliberatio, quæ sufficit ad nos obligandos diabolo per peccatum mortale, sufficit ad nos obligandos Deo per votum: Sed ad primum requiritur deliberatio plena; & non sufficit semiplena, vt probatum est suprà. Ergo. De secundo requisito, quod est propositum voluntatis, & de tertio, quod est promissio, per quã perficitur ratio voti, patet ex dictis in explicatione *Resp.* 1. *Not.* ad votum simplex non requiri pro-

nun-

nuntiationem oris, nec aliorum testificationem, sed posse fieri sola mente, vt patet ex S.T. *hic, art.* 1. *in corp.* & dictum fuit suprà.

* 8 QUÆRO II. Vota ex ignorantia, errore, vi, seu metu facta, suntne valida, seu obligantre? *Ante R. revidentur*, quæ dicta sunt suprà T. 3 E. 1. num. 12. & 13. de voluntario, & causis involuntarij, vt sunt vis, metus, ignorantia, &c. votum enim debet esse voluntarium.

Resp. 1. Votum factum ex metu levi, aut etiam gravi, iustè incusso, tenet. *Ratio* primæ partis: Quia metus levis debet despici, & ex eo agens adhuc agit voluntariè, & liberè. *Secunda pars declaratur in casu*, quo quis mortis reus, vt mortem evadat, iubetur à Principe facere votum Religionis; hic metus est gravis, cum sit violentæ mortis: & est iustè immò misericorditer incussus ad extorquendum votum salutare, in quod mors violenta commutatur. Hoc votum tenet. Cuius *Ratio* est: Quia hic metus non tam provenit ab extrinseco, quam ab intrinseco, nimirum à delicto propria voluntate commisso. Item qui proponit votum, non tam infert mutum, quam aufert, dum parat viâ ad maius malum vitandum per votum. Nec tollit libertatem, nec invalidat Matrimonium, si cum eo contraheretur, vt dicetur suo loco.

* 9 *Resp.* 2. Vota, etiam solemnia, facta ex gravi metu à causa libera iniustè incusso directe ad ea extorquenda, licèt iure naturæ non sint irrita, bene tamé iure positivo; potestque reclamari contra illa. Constat ex dictis T. 3. E. 1. n. 20. R. 2. Vbi etiam n. 21. explicatum est, quod in causa coactæ Professionis Professus possit reclamare.

* 10 *Resp.* 3. Vota facta ex ignorantia, dolo, aut errore circa substantiam voti, vel circa conditiones, & circunstantias rei votivæ, adeò graves, vt moraliter existimetur pertinere, & redundare in substantiam rei votivæ, non obligant, seu sunt nulla: vt si quis voveat, sed per ignorantiam existimet se ad nihil teneri, seu obligationem non esse voto intrinsecam. Vel si Rusticus voveat peregrinationem in Ierusalem, putans distare solum 6. vel 7. leucis, in quo casu ignoratur gravissima circunstãtia. Vel si quis ex errore, puter, quod in monasterio non sint crebra ieiunia, frequens à carnibus abstinentia, non multæ austeritates, quas si sciuisset non vouisset, talia vota sunt nulla. *Ratio*: Quia consensus erroneus est nullus, maximè si sint circa substantiam. Et quamvis prædictæ graves circunstantiæ, sint accidentia in ordine ad honestatem rei votivæ, cessetur tamen moraliter pertinere ad substantiam voti, cum vovens non intendat illud obiectum nudum promittere, sed vt suis circunstantijs vestitum. Ergo.

* 11 *Resp.* 4. S. Antoninus, Sylvester, & alij tradunt hanc generalem Regulam, quod nimirum vovens non obligetur in eo eventu (puta, gravis circunstantiæ mutatæ) quem excepisset, si tempore emissionis voti de eo cogitasset. *Ratio*: Tum quia virtualiter censetur noluisse se obligare pro tali casu. Tum quia, vt loquuntur Canonistæ *in generali promissione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non promisisset*, si prævidisset; nisi sit circunstantia valdè modica, vel merè accidentalis, & solùm impulsiva. De qua statim.

* 12 *Resp.* 5. Si ignorantia, & error sint tantum circa quædam accidentia, quæ non sunt magnæ considerationis, nec notabiliter excedunt existimationem voventis, vota sunt valida. *Ratio*: Tum quia ignorantia circa hæc minuta relinquit voluntatem simpliciter. Tum etiam, quia *parum pro nihilo reputatur*. Tum tandem, quia, si ignorantia circa extrinseca, & accidentalia invalidaret vota, sequeretur multorum Religiosorum Professiones esse nullas, cùm vix vllum votum emittatur, in quo prævideantur, aut prævideri possint omnes difficultates futuræ in eius obseruatione.

* 13 QUÆRO III. Quæ est materia, seu res capax voti? *Resp.* 1. cum S. T. *art.* 2. propria voti materia sunt opera consilij, seu quæ alioquin non sunt præcepta. *Ratio*: Quia illa sunt Deo grata, & absolutè voluntaria. *Resp.* 2. Vota consilijs Euangelicis contradicentia, aut cum eis incompossibilia, vt non ingrediendi Religionem, nubendi, non mutuandi, &c. sunt nulla; immò peccata mortalia. *Ratio*: Quia sunt Deo ingrata, eo quod ponant obicem Spiritui Sancto, mouenti semper ad meliora. Ergo. *Excipitur* quoad matrimonium casus, in quo si filius Regis vnicus non naberet, periclitaretur bonum commune Regni, vtpotè quod deueniret in potestatem hæreticorum, adeòque teneretur tunc nubere: & in eo casu votum de Matrimonio omninò esset validum.

* 14 *Resp.* 3, Iuxta S.T. *art.* 2. de re præcepta potest fieri votum. *Ratio* patet ex vsu eorum, qui castitatem vouent, & tamen aliàs tenebantur castè viuere, & tunc contrahitur duplex obligatio, nimirum temperantiæ, & Religionis, estque circunstantia voti explicanda in confessione, si fiat transgressio.

Resp. 4. Iuxta S.T. *art.* 5. *ad* 5. Votum de re præcepta, spectante iam ad Religionem, v.g. de audienda Missa in die festo, est validum, & circunstantia Confessario in casu transgressionis explicanda, saltem vt notabiliter aggravans. *Ratio*: De eiusdem virtutis actu potest dari duplex præceptum, & obligatio, vel novus obligationis gradus in eadem specie, exprimendus tamen in confessione. Vnde S. Doct. citatus ait: *Votorum quoddam pertinet ad Religionem ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti, quandoquidem ratione rei promissæ, quæ est voti materia.* Et ita esset in hoc casu. Ergo.

* 15 *Oppono*: Fur peccat contra præceptum naturale, & positivum, & tamen non committit duplex peccatum, nec circunstantiam notabiliter aggrauantẽ. Ergo similiter. *Disparitas est*: Quia in furto præceptum positivum solùm est explicatio præcepti naturalis, nec addit novum gradum in eadem specie. De quo vide *T. 4 E. 2. n. 35.* Vbi explicatur, an peccata specie, vel numero multiplicentur ex præceptis specie, vel numero diversis. In nostro autem casu additur novus gradus obligationis ex novo motivo, non quidé specie diverso, sed numero. Si quis tamen renovaret votum ante validè factum, non induceretur novus gradus obligationis, sed esset paritas de furto.

* 16 *Resp.* 5. Ex S.T. ex eodem *art.* 2. Votum de re mortaliter mala est nullum, & est in eo duplex peccatum mortale. *Ratio*: Quia animus peccandi mortaliter est mortale peccatum, nec minùs peccatum est colere Deum peccato; quia est idem ac asserere, Deo peccatum placere. *Resp.* 6. Probabilius est cũ S. Anton. Cajet. Torre, &c. dicere, quod vovens peccatum, etiam veniale, peccet mortaliter. *Ratio*: Licèt peccatum veniale in se leve quid sit, fit tamen materia gravis in specie irreligiositatis, si offeratur Deo in cultum obrationem datam ad *Resp.* 5. Vti & sit respectu iuramenti, quo Deus vocatur in testem peccati venialis, v.g. mendacij iocosi. Ergo.

* 17 *Quid sentis* de eo, qui vovet rem bonam ob malum finem, v.g. eleemosynam, ob vanam gloriam, ob prosperum successum habendum in furto, in lite iniusta, vel ob gratiarum actionem pro tali successu in re iniusta habito? *Distingue* cum nostro de la Cruz: Si malus

finis

fus finis intret obiectum promissum, quod sit, dum intenditur principaliter, votum est nullum, & peccatum: si verò malus finis solum sit motivum vovendi extrinsecum, vt si quis voveat Religionem militatem, vt habeat occasionem luxuriandi, votum valet. Idem est de eo, qui vovet Rosarium si habuerit filium ex adulterio. Est enim votum rei bonæ, cui malum iungitur extrinsecè.

Resp. 7. ex S.T. ibidem: Votum de re vana, ac indifferenti, manente in sua indifferentia, est nullum, immò peccatum saltè veniale, v.g. votum de non pectendo crines, aut non labando caput vel de non filãdo in Sabbatho, de non abscindendo vngues die Veneris, de non comedendo caput animalis in honorem S. Ioannis Baptistæ, non ire per talem plateam, non intrare talem domum *Ratio*: Votum debet esse de re accepta Deo: Sed nullum opus Deo est acceptum, nisi sit virtuosum, seu actus virtutis, vti non sunt illa vana, & futilia. Ergo.

Dixi, *manente in sua indifferentia*: Si enim addatur aliqua conditio, quæ rem trahat ad speciem virtutis, tenet votum, vt si quis voveat non ludere, vt vitet occasionem peccati; vel non ire per talem plateam, quia in ea obviat persona, quæ est causa peccandi; cessare in Sabbatho ab opere servili, vt possis melius vacare divino culti, &c.

* 18 *Resp.* 8. Votum nunquam peccandi mortaliter, aut vitandi certum veniale, v.g. leve mendatium, vel etiam omnia venialia divisivè, est validum S. Tho. ibidem. *Ratio*: Quia est de re Deo grata, & possibili. *Resp.* 9. Votum vitandi omnia venialia collectivè, vel tale veniale, quod nonnisi à perfectissimis vitatur, vt evagatio mentis sub oratione, communiter non tenet S.T ibidem. *Ratio*: Quia est de re moraliter impossibile.

* 19 QUÆRO IV. Quanta est obligatio voti, & quid sentiendum in casu, quo quis dubitat, an voverit? Vel non habuit animum se obligandi, vel saltem non implendi: vel obligandi solum leviter, in materia tamen gravi? *Resp* 1. Obligatio voti ex genere suo est sub peccato mortali, in particulari tamen, & in individuo potest esse sub veniale iuxta materiæ voti quantitatem. Colligitur ex S.T. *art.* 3. *& 10 ad* 2. *Ratio*: Probatum est suprà *T.* 8. *E.* 4. *n.* 7. quod promissio homini facta, ab eoque acceptata, obliget sub mortali ex genere suo, eò quod ratio naturalis dictet, fidē etiam hosti esse servandā. Ergo idem est respectu Dei. *Resp.* 2. Dubitans de voto cuiusve obligatione, tenetur voto: nec ei favet possessio libertatis in dubio. Patet, ac probatum est suprà *T.* 1. *E.* 1. *n.* 15. Si dubium sit vtrinque æquè probabile, adhuc tenetur. Ita probatū est ibid. *E.* 3. *n.* 15.

Pro sequenti *Resp* Nota, in quadruplici sensu posse aliquid dici materiam levem voti 1. *Vt fit* pars modica materiæ voti, v.g. vnus Versiculus respectu Psalterij; vnum Ave Maria respectu Rosarij, si Rosarium vovit. 2. *Vt fit* obiectum tenue. Et hoc (3) vel non ordinatur ad vtilitatem proximi, vt, vnum Ave Maria, quotidie in honorem B Virginis persolvendum. Vel (4.) cedit saltem secundario in proximi, v.g pauperis commodum, vt vnus denarius quotidie pauperibus dandus. Hoc notato.

* 20 *Resp.* 3. Probabilius est, transgressionem voti in materia levi in primo, secundo, & tertio sensu esse semper venialem; in quarto verò sensu, si fiat semel, aut iterum, etiam quidem venialem esse; si autē ita multiplicetur, vt perveniatur ad materiam grave, esse mortalem. *Ratio* 1. partis, quam nemo negat, est. Quia tamen modicum omittendo ex totali materia voti, modica, seu levis irreverentia Deo irrogatur. *Ratio* 2. partis iuxta tertium sensum, quam etiam omnes ferè Doctores tenet contra Caiet. est: Quia in aliis præceptis etiam divinis, & naturalibus, vt patet in præcepto de non mentiendo, levitas materiæ excusat à mortali. Ergo similiter.

* 21 *Oppono*: Si Iuramentum promissorum, etiā in re levissima, non impleatur, mortaliter peccatur. Ergo similiter. *Confirmatur*: S.T. dicit, maius esse vinculum voti, quam iuramenti. Ergo. *Disparitas est*: Quod enim illo casu iuramenti peccetur mortaliter, non solum propter excellentiam virtutis Religionis, sed quia committitur periurium, Deum vocando in testem falsitatis, quod in omni materia, etiā in levi, est mortale, ob iniuriam primæ Veritati illatam. *Ad Confirm.* Resp. S.T. loqui de voto, quod habet perfectam rationem voti.

Ratio tertiæ partis in quarto sensu est: Quando in eo casu devenitur ad materiam gravem, graviter læditur proximus, sicut suprà *T.* 9. *E.* 3. *n.* 9. dictum est de furtis minutis, licet hæc fiant Communitati, & non lædatur graviter aliquis in particulari. Ergo etiam graviter offenditur Deus in nostro casu. *Prob cons.* Quia ille vovens ex vi voti tenetur colere Deum beneficiēdo proximo.

* 22 *Resp.* 4. Probabilius est (cum *Torre, & Soto*, &c. contra extraneos) quod non sit in potestate vovēntis, in materia gravi se obligare sub peccato veniali, aut in materia levi sub mortali. *Ratio* 1. Licèt sit in potestate hominis vovere, vel non vovere; nam, vt ait S. D. *hic art.* 3. *ad* 3. Obligatio voti ex propria voluntate, & intentione causatur. Vnde dicitur Deut. 23. *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es*: attamen supposito, quod homo voveat, quātitas obligationis dependet ex quantitate obiecti secundum se, quod ab intentione hominis non depēdet. Ergo si materia sit gravis, vovens non potest eius obligationem limitare ad levem, vel è contra; sicut à pari patet de indissolubilitate Matrimonij. *Confirma.* Licet de essentia voti in communi non sit obligatio sub mortali, est tamen effectum inseparabiles à voto, si fit in tali materia, nimirum gravi. Ergo sicut votum absolutè non potest reperiri sine obligatione, sic votum in materia gravi nequit esse sine obligatione gravi. *Ratio* 2. Ex oppositā Sanchezzi, & Suarezzi sententia sequitur, esse in potestate hominis, vovere castitatem, & vota solemnia emittere, & se solum obligare sub veniali; quod est absurdum, & contra Ecclesiæ vsū. Ergo.

* 23 *Oppono* 1. *contra Resp* 4. suprà *T.* 6. *E.* 5. *n.* 27. admissum fuit, quod Lex humana in materia gravi ex intentione Legislatoris possit obligare solum sub veniali: Sed Votum est quædam Lex propria voluntate posita. Ergo. 2. *Obligatio* sub mortali non est de essentia voti, quia aliàs conveniret omni voto. Ergo per intentionem potest ab eo separari. 3. *Actus* agentiū moralium non agent vltra intentionem illorum: Sed vovens est agens quoddam morale. Ergo. 4. *In facultate* vovēntis est, sua intentione determinare tempus impletionis voti, vt patet ex S.T. *a.* 3. *ad* 3. Ergo & gravitatem obligationis. 5. *Denique* sua intentione potest se solum obligare ad pœnam. Ergo etiam ad culpam solum venialem in materia gravi. *Confeq.* patet: quia facilius videtur esse minuere culpam, quam eam commutare in pœnam. 6. *Vet.* Tertiariorū in communi nō viventium Ordinis nostri, & Fratrum Minorum, ne

quidem sub veniali obligant, vt constat ex eorum Statutis à Papa approbatis. Ergo.

Ad 1. patet Resp. ibid. n. 28. ad 6. *Ad* 2. patet ex *Confirm.* Rationis primæ. *Ad* 3. *dist. mai.* Vbi possunt agere, *C.* Vbi non possunt, *N.* Dictum est autem, quod quantitas obligationis pensetur in voto ex quantitate, & natura obiecti, & voluntas voventis solùm se habeat præsuppositivè. *Ad* 4. *N conf.* Quia tempus implectionis merè extrinsecè se habet ad votum; secus est de obligatione, vt patet ex *Ratione* 1. & Confirmatione. *Ad* 5. *dist. ant.* Ad pœnam in conscientia tamen subeundam, *C.* secus, *N. ant. & conf.* Si quis ergo faciat votum pœnale, v.g. Voveo ieiunare, & si nō ieiunavero, subibo talem pœnam, v.g. disciplinam, seu flagellationē corporis, vel cilicium, aut eleemosynam, ibi est duplex votum, & duplex obligatio: Vna absoluta ad actū, altera conditionata (si nimirum prior violetur) ad pœnam, etiam in conscientia, & sub mortali, si res gravis sit, solvendam: præsertim quia non solvendo, vtramque obligationem violat. Vide de lege pœnali T. 6. E. 5. n. 26. *Ad* 6. *Resp.* 1. cum de la Cruz in præsenti, ista non esse vota perfectè, & simpliciter, de quibus hic loquimur, nec eum, qui illa violat, formaliter facere contra virtutem Religionis. Unde & Donatus noster *Tom.* 4. *Tract.* 2. *q.* 2. *n.* 1. *ait*, quòd Status Tertiariorum S. Dominici, & S. Francisci, ac similium, non sit verè Religiosus. *Resp.* 2. Quod, vt ex Statutis eorum patet, obligant se solùm sub pœna, quam, dum infligitur, tenentur in conscientia subire iuxta ante dicta.

* 24 *Quomodo* cognoscis, materiam voti esse gravem, vel levem? *Dico*, cognosci 1. *Ex* prudentum arbitrio. 2. *Considerando*, an honor Dei indè proveniens sit exiguus, vel notabilis. 3. *Si sit* talis, vt reputaretur levis, si Ecclesia eam præciperet, censenda est levis, vel è contra. Vide T. 6. E. 5. n. 27. ex quibus Regulis cognoscatur gravitas, vel levitas materiæ respectu Legis Humanæ.

* 25 QUÆRO V. Ad quid tenetur, qui vovit ingredi Religionem? In qua ætate puer potest eam vovere? & quo tempore quodvis votum implendum est? *Resp.* 1. Qui vovit ingredi Religionem cum expressa intentione omnes Religiones etiam in partibus remotissimis adeundi, vsque dum recipiatur, tenetur per se loquendo ita facere. *Ratio*: Intentio judicat omnes. Dixi, *per se loquendo*; quia per accidens potest ab hoc deobligari, vt si impedimentum, ob quod non admittitur in vicinioribus Religionibus, vel Conventibus, militet pro omnibus alijs; Tunc enim censetur esse moralis impossibilitas.

* 26 *Resp.* 2. Qui Religionis ingressum vovit secundùm communem modum vovendi, non tenetur adire omnes Religiones vbique terrarum repetibiles, sed arbitrio prudentis relinquendum est, quæ monasteria, & in qua distantia debeat adire attenta conditione personæ, quæ tamen debet sic obligari, vt in voti impletione sentiat aliquam difficultatem. *Ratio*: Impletio Voti semper explicanda est iuxta prudentem intentionem voventis.

* 27 *Resp.* 3. Qui vovit hanc Religionem, tenetur adire aliquot eius monasteria, prout prudens de eorū numero, vel distantia iudicaverit; si non recipiatur, est liber. Idem est de eo, qui vovit ingredi hoc monasterium, si in eo non recipiatur. *Ratio*: Quia in eo voto intelligitur hæc cōditio, si me reciperint. Vide S. T. *hic q.* 189. *art.* 3. vbi hanc materiam explicat.

* 28 *Resp.* 4. Talis vovens, non receptus, vel iustè ab ingressu impeditus non tenetur posteà ex vi huius voti ad cōfitentem. *Ratio*: Deficiente primario deficit secundarium: Sed primarium obiectum talis voti est ingressus, quem consequuntur deinde statuta status eiusmodi. Ergo. Simile est in eo, qui vovit Sacerdotium, & posteà ex quodam impedimento non sit Sacerdos, ille non tenetur orare horas, excluso omni alio sacro Ordine.

* 29 *Resp.* 5. Ætatem, in qua puer potest Religionem vovere, explicat S. D. *art.* 9. *in c. dicitur*: Si puer, vel puella ante pubertatis annos nondum habeat vsum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si verò ante pubertatis annos attingit vsum rationis, potest quidē, quantum in ipso est se obligare, sed votum eius potest irritari per parentes, vt dicetur posteà. *Hæc S. D.* loquens de voto simplici. De solemni est aliud Statutum Ecclesiæ de anno 16. ætatis completo. Sunt autē anni pubertatis pro fœmina 12. pro viro 14.

* 30 *Resp.* 6. Votum absolutum (id est, non dependens ab aliqua conditione prius implenda, de quo suprà dictum) debet impleri, quam primum commodè potest, attenta qualitate personæ, alijsque circunstantijs. S. T. *art.* 3. *ad* 5. *Ratio*: Quia aliàs vovens incurrit notam morosi debitoris, & peccat contra fidelitatem.

* 31 *Resp.* 7. Qui voto præfixit certum tempus, tenetur tali tempore implere, non implendo peccat. S. T. *cit. Ratio*: Quia sic se obligavit. Pro cuius intelligentia. *Nota*, Implectioni voti dupliciter posse præfigi tempus. 1. *Vt* principaliter respiciatur tempus, & ob specialem temporis sanctitatem actio, seu votum alligetur huic tempori, seu sit onus diei, v.g. votum ieiunandi in honorem B. V. die Sabbathi. 2. *Vt* principaliter intendatur actio, tempus verò minus principaliter, vt votum ieiunandi, vel Religionem intrandi intra mensem. Quo notato.

* 32 *Resp.* 8. Si votum sit factum primo modo licet non implendo illud peccetur, elapso tamen tempore cessat obligatio voti: in secundo verò sensu manet obligatio eius. *Ratio*: In primo casu, tempore transacto votum factum est impossibile, quia eius impleti fuit onus solius illius diei. Sicut ob eandem causam qui omisit ieiunium, vel Missam in die præcepto, licet mortaliter peccaverit, ad nihil amplius tenetur. In secundo verò casu voti impletio manet possibilis, & intentio voventis non fuit limitata ad hoc præcisè tempus, seu mensem. Ergo debet implere altero mense. Fateor tamen, quod si quis impletioni voti præfixisset mensem, & prævideret in fine mensis se impediendum teneatur prævenire; sicut prævenire tenetur, qui die festo prævidet se impediendum ab audienda vltima Missa.

* 33 QUÆRO VI. Quid faciendum illi, cui votum ex toto, vel ex parte est factum impossibile? *Ante Resp. Not.* materiam voti aliquando esse indivisibilem, vt votum de ædificando Templo in eo loco, vbi templum est necessarium, & non sufficit Capella, votum de ieiunando in pane, & aqua die Veneris: aliquando verò divisibilem, vt votum de ieiunando per totam septimanam, votum dandi Ecclesiæ 100. *Imperiales*. Hoc notato.

Resp. 1. Si materia voti sit indivisibilis, si vna eius pars facta sit impossibilis, non tenetur vovens implere alteram (licèt sit de consilio) nisi eius intentio fuerit ad singulas partes divisim se obligandi. Vndè qui vovit præcisè Templum, quod ædificare est ei factu impossibile, non tenetur ædificare Capellam, nisi prudenter judicetur, quod intentio se ad illam extenderit. Qui vovit ieiunare die Veneris, & infirmatur, deobligatur, &c. Si verò materia sit divisibilis, tenetur quod potest, v.g. ieiunare per vnum, alterumve diem in septima-

imana, dare 50. si non possit 100. salva congrua sua sustentatione, & familiæ. *Ratio* 1. p. Intentio enim voventis non fuit aliter se obligandi. Ergo 2. *Pars* patet ex illa Regula Juris: *Utile per inutile non vitiatur.*

* 34 *Resp.* 2. Si pars impossibilis esset principalius intenta, v.g. peregrinatio pedestris, & pars possibilis esset accessoria solùm vt oblatio, ad nihil tenetur, qui v.g. vovit peregrinationem, & oblationem. Si verò oblatio esset principaliùs intenta, vt si esset in magna quantitate, teneretur eam mittere: si etiam posset peregrinari equo, teneretur ad id, dum non potest pedester vti vovit. *Ratio*: Accessorium sequitur suum principale.

* 35 *Resp.* 3. Qui post votum simplex castitatis contrahit, & consummat (in quo graviter peccat) matrimonium, tenetur illud servare quantum est in se, id est, debitum non petere nisi obtenta dispensatione; tenetur tamen vxori petenti reddere. *Ratio*: Quia talis per votum se privavit jure petendi, vxorem verò innocentem jure suo privare non potest. *Ex his* sequitur 1. *Talem* mortua vxore teneri integrè ad castitatem. *Sequitur* secundò, eam, quæ vovit virginitatem, & postea fuit corrupta, teneri deindè servare continentiam.

Quid si votum non sit quidem factu impossibile, attamen difficile? *Dico*: Non tolli obligationem, sed dari solùm ansam facilius dispensandi.

* 36 QUÆRO VII. Liceatne alicui vacare suis negotijs temporibus occasione voti peregrinationis? Et quæ sunt causæ illud differendi. *Resp.* 1. Ei, qui vovit peregrinationem piam, & meritoriam (vti ordinariè homines vovere solent) non licèt negotijs temporalibus vacare nisi voto expleto, tunc enim licèt; nisi etiam voverit pium reditum. *Ratio*: Tum quia principalis intentio erat instituere iter Religiosum, quod salvatur sine pio reditu.

Resp. 2. Inter cæteras sunt duæ speciales causæ differendi votum. 1. *Notabilis* incommoditas in implendo. Cùm enim votum sit voluntaria promissio, explicandum est secundum rationabilem intentionem voventis: Sed is non censetur se obligasse ad statim implendum cum gravi sua incommoditate. Ergo. *Secunda*, est spes votum alio tempore implendi promptiùs, devotiùs, & cum minori distractione. Sic enim cedit ad ampliorem Dei honorem, quem vovens intendit. *Quid si* vovetis, tecum peregrinatum ducere aliquem, qui renuit comitari? *Teneor* adhibere diligentiam ad illum ad id animandũ, & per hoc satisfacio, si renuat; quia executio non est in mea potestate.

* 37 QUÆRO VIII. Quot modis votum tollitur? *Resp.* Varij sunt modi: 1. *Per* simplicem cessationem. 2. *Per* irritationem. 3. *Per* dispensationem. 4. *Per* interpretationem. 5. *Per* redemptionem. 6. *Per* commutationem.

Explicantur singuli modi. *Primus modus* patet ex dictis anteà *num.* 33. de casu, si votum fiat impossibile. Item ex casu, quo quis vovit, nõ ire per certam plateam, aut non intrare talem domum ob occasionẽ, quæ ibi datur, quę si omnino sit sublata, cessat votum. Huic modo addi potest modus cessandi per condonationem promissarij, vti posteà Exam. 4. num. 19. dicetur de juramento.

* 38 2. *Irritatio est rescissio voti, qua Superior votum sui subditi annullat*, sive causam habeat, sive non, quia subditus sine voto non potest Superiorum ligare. Hinc nequit fieri nisi per potestatem dominativã; qualis est in parentibus respectu *filiorum*, in domino respectu *servorum*, seu mancipiorum, in marito respectu *vxoris*, in Prælatis respectu *subditorum*. Tamen certum est, posse Superiorem peccare interdum irritando sine causa subditi votum, vt si id saluti eius spirituali esset valdè vtile. Ex quo

Sequitur 1. Quod parentes possint irritare omnia vota, tàm personalia, quàm realia suorum filiorũ emissa ante annos pubertatis, quia vsque ad eos iure naturæ in omnibus suis actibus subduntur parentibus, eorumque loco tutoribus, & deest eis perfectus vsus rationis, vt patet ex S.T *art.* 9. Quod parentes possunt, licèt ante illos annos in filijs malitia supleat ætatem, seu iam habeant perfectum vsum rationis, hoc enim est per accidens: Lex autem attendit ea, quæ sunt per se, ait S. Doct. Cæterùm vota filiorum purè personalia post pubertatis annos facta, parentes, vel tutores non possunt irritare, benè tamen realia ante annum 21. facta, iuxa S.T. *art.* 8. *ad* 2. quia vsque eo filij non sunt suæ potestatis, quantùm ad dispensationem domesticã. Quoad vota mixta aliqui dubitant. Saltem certum est, quòd parentes possint ea suspendere pro tempore, si ex eorum implerione sentiunt aliquod damnum in re domestica ob defectum servitij filij. Matri viduæ non Tutrici dicta potestas non competit. Uti nec vivente patre ei competit, benè tamen eo defuncto, si sit Tutrix, vel Curatrix impuberis. *Sequitur* 2. Quod domini possint irritare vota realia suorum mancipiorum, immò & personalia, ex quibus damnificantur, vt votum orandi, peregrinandi, jejunandi, Religionẽ assumendi. Dixi, *ex quibus damnificantur*; vnde id non tenet de voto castitatis, aut non blasphemandi, &c. *Sequitur* 3. Maritum posse irritare vota vxoris, v.g. jejunandi, peregrinandi eleemosynam dandi, &c. etiam facta ante matrimonium. Quia vxor subditur viro vt caput: Secus est de voto non petendi debitum. Quia in pertinẽtibus ad Matrimonium sunt pares, *par* verò *in parem non habet imperium.* E contra vxor nullum viri votum potest irritare, quia in nullo est superior eius. *Sequitur* 4. Quòd Prælati (idem est de Abbatissis, Priorissis, &c.) possint irritare omnia vota (præter Regulam facta) suorum subditorum, nec illa vllatenus sunt firma, nisi Prælatus annuat; quæ conditio in ijs subintelligitur. *Ratio* patet ex totali traditione Religiosi in voluntatem Superioris vt capitis. Excipitur votum transeundi ad arctiorem Religionem, aut superiorem statum.

* 39 3. *Dispensatio* suprà T. 6. E. 5. n. 77. explicata, & definita fuit, quod sit juris relaxatio facta ab eo, qui habet potestatem relaxandi, seu authoritatem publicam, qua deobligat subditum. Differt ab irritatione, quod hæc requirat potestatem dominativam, hæc verò jurisdictionis; illa sit valida, etsi fiat sine justa causa: Dispensatio verò ad sui valorem probabilius requirit iustam causam.

Ratio: Tum quia potestas dispensandi Prælatis data est in ædificationem, non in destructionem, vti tamẽ esset, si absque vllatione posset ea pro libitu vti. Tũ quia Prælati non sunt Domini, sed Oeconomi in Ecclesia Dei, si autem Oeconomus debita Domini remitteret sine causa, illa remissio esset nulla, & simul peccatum. Ergo similiter.

* 40 *Quæ sunt* iustæ dispensandi causæ? *Sunt* 1. *Si ob* mutatas, vel repentè occurrentes circumstantias ex solutio esset mala, inutilis, aut maioris boni impeditiva? *Si voventi* sit in morali periculo transgrediendi votum, sive periculum oriatur ex voventis statu, vt patet in Coniuge voto castitatis obstricto, sive ex animi, corporisve fragilitate, modo non sit ex malitia. 3. *Si* dubium sit de emissione voti. 4. *Si sit* emissum ex levitate, perturbatione, ira, mœrore, metu. Si eius im-

plerio haberet extraordinariam quandam difficultatẽ.

* 41 *Quinam* habent auctoritatem dispensandi in votis? *Habet* Papa in totam Ecclesiam: Episcopus in sua Diœcesi, & omnes habentes jurisdictionem Episcopalem, vel quasi episcopalem, vt sunt Superiores Religionum respectu suorum subditorum (excipiuntur Curati, seu Parochi) ad omnia vota simplicia, Papæ nõ reservata, licet cedant in commodum alterius, modo hic nondum acceptaverit; aliàs non possunt sine eius consensu, vt patet in voto eleemosynę à paupere acceptato.

* 42 *Quænam* sunt vota Papæ reservata? *Sunt* 5. in quibus nec Episcopi, nec Religiosi possunt dispensare, sed solus Papa, nimirum Votum *Religionis*; *Castitatis perpetuæ*; *Peregrinationis* in Ierusalem: Et ad *S. Iacobum in Compostellam*: Et ad *Limina Apostolorum*. In aliis votis possunt Episcopi, & Prælati exempti ordinariè dispensare cum suis subditis.

Oppono: Nemo potest dispensare in iure naturæ: Sed votum etiam simplex semel factum obligat iure naturæ. Ergo. *Ad* hoc patet Resp. *T. 6. E. 2. n. 11. Maior* enim est vera solùm de dispensatione propriè dicta.

* 43 4. *Interpretatio* voti est prudens iudicium, quo iudicatur votum, aliquod particulare in hac persona, vel in hoc casu non habere, vel non necessariò retinere vim obligandi; quod potest esse sine dispensatione. Nam si alicuius voti observatio foret contra rectam rationem, sufficeret declaratio viri prudentis, etiam iurisdictione carentis, asserentis votum, vel absolutè, vel saltem in hoc casu non obligare. 5. *Redemptio* voti est, quando votum commutatur in aliquid, quod pauperibus, loco sacro, vel in vsum belli sacri contra infideles est contribuendum. Sed hęc spectant ad cõmutationem, adeòque est idem cum ea.

* 44 6. *Commutatio* voti est, quando pro eo, quod aliquis vovit, aliquid aliud faciendum, vel à Superiore iniungitur, vel propria authoritate legitimè suscipitur, dum evidenter constat, illud, in quod votũ à vovente commutatur, non solùm ex genere suo, sed etiam omnibus circunstantijs pensatis esse vovẽti melius, & Deo gratius, vt si ipse vovens calicem argenteum, quem vovit cõmutet in aureum. Verùm, si quis vovisset ieiunare, vel cilicium portare, non potest hoc propria authoritate mutare in orationes; licèt oratio sit actus præstantioris virtutis, nimirum Latriæ: non enim semper Deo gratius, & nobis vtilius est facere id, quod est excellentius, sed quod pro loco, tempore, & dispositione nostra magis congruit saluti nostræ. Vnde non potest ipsemet mutare in æquale. Ad commutationem requiritur 1. *Iusta* causa, quales sunt adductæ, pro dispensatione, quia mutare est minus quàm dispensare. 2. *Requiritur* in commutante authoritas Prælati, vt patet ex S. T. *art.* 12. nisi quando ipse vovens commutat in evidenter melius.

Quinam possunt commutare vota? *Possunt* id omnes, de quibus ante dixi, quòd possint dispensare; sicvt is, qui etiam ex cõmissione potest dispensare, possit & commutare. *Ratio*: Quia hoc est minus illo, commutatio enim non tollit vinculum voti, vt dispensatio, sed mutat solùm in aliã materiam. Vide dict. supra de dispensatione in Lege humana. *T. 6. E. 5. n. 77. & seqq. Not.* quod, qui simul habet potestatem dispensandi, & commutandi, optimè faciat, si simul vtatur vtraque, vt dispensatio suppleat defectum, si quis forsan committatur in assignando novam voti materiã. Dixi, *qui simul habet*; quia possunt separari illæ potestates, sunt enim, qui possunt commutare, & non dispensare, etiam in articulo mortis, licèt possint absolvere à fractione voti etiam reservati. Qui tamen possunt vota commutare ratione authoritatis ordinariæ, & nõ ex privilegio; possunt etiam in illis dispensare.

* 45 *Quid observandum* in commutatione voti? *Dico*: In illa omnia sunt accuratè taxanda, & notandæ hæ Regulæ: *Prima*, vt votum perpetuum regulariter mutetur in aliam obligationem perpetuã, vt ait Terre. *Ratio*: Quia commutatio sonat æqualitatem rei ad rẽ. *Secunda regula*: Quantum possibile est, commutatio debet fieri in æquale, non quidem mathematicè, sed moraliter, ad arbitrium boni viri, seclusa fraude, & ignorantia. Hinc in commutatione voti peregrinationis attendendi etiam sunt sumptus itineris, ait noster de la Cruz, deraptis expensis, & sumptibus domi faciendis. Attendenda maximè est intentio vovenris, an voverit ire sumptuosè, vel simpliciter, cum, vel sine famulatu. *Tertia*: Securius est commutare, quàm dispensare. Quia pro dispensatione raro adest sufficiens causa.

Quarta: Omnia vota tam realia, quam personalia commutari possunt, & commutantur in vota, per quæ homo efficitur verus Religiosus. Vnde S. D. hic *ar.* 12. *ad* 1. ait: *Omnia alia vota sunt quorundam particularium operum, sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat; particulare autẽ in vniversali includitur. Et ideò Decretalis dicit, quod reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum Religionis observantiam commutat. Nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota, vel ieiuniorum, vel orationum, vel aliorum huiusmodi, quæ existens in sæculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam singulares observantiæ Religioni non competunt, & Religionis onus satis hominem onerat, vt alia superaddere non oporteat.* Hęc ibi. Excipe cum Laymanno vota simplicia in Societate Iesu edita, quia per hæc non extinguuntur, sed solum suspenduntur vota ante in sæculo facta; quorum obligatio redit in casu dimissionis è Societate. Idem est de votis Novitiorum, saltem illis, quæ in eo statu implere non possunt.

Quinta: Consultius est, non tamen necessarium, vota realia commutare in realia, & personalia in personalia. *Sexta*: Non debet attendi (vt ante insinuatum) valor, & præstantia operis secundum se, quia aliàs votum perpetuæ castitatis et similia possent commutari in vnicum Missæ-Sacrificium, quia hoc est infiniti valoris, & infinitè gratum Deo; sed debet commensurari obligationi, & debito pœnitentis. Potest tamen interdum etiam spectari valor operis ad causandam gratiam; hinc merito credi potest, quod vna hebdomadalis Confessio, aut Communio æquivaleat quotidiano Rosario. *Septima*: Commutatio, aut dispensatio voti, facta virtute Iubilæi, petentis ieiunia, Confessionem, &c. non valet, si nón impleantur requisita pro Iubilæo.

Octava: Commutatione voti in aliam materiã semel facta, non reviviscit prioris materię obligatio, licèt vovens (nisi ex malitia) impotens fiat. *Nona*: Facta commutatione in æquale potest vovens pro libitu resumere primum votum. Quia hæc videtur esse iurentio commutantis. Si verò est facta in melius, probabilius est, ait Lublino, non posse. Quia illa commutatio habet vim novi voti.

* 46 *Quidnam possunt* Religiosi in commutatione votorum? In *T. 14. de Conf. & Cas. reserv. E. 2. n. 29.* patebit, Confessarios Ordinis Prædicatorum posse in Pascha Resurrectionis, & quibusdam festivitatibus B. V. iuramenta quæcumque sine alicuius præiuditio relaxare, ac vota quæcumque (exceptis, quinque Papæ reser-

reſervatis ſuprà E. 1. n. 42. directis) in alia pietatis opera commutare illis, qui albo Roſarij ſunt inſcripti. Vide infrà T. 14. E. 2. n. 29. Noſter de la Cruz *lib. 2. c. 6. dub. 8.* abſolutè docet, Religioſos poſſe in quodvis opus pium commutare omnia vota, exceptis dictis quinque; & ita conceſſum eſſe Benedictinis ab Eugenio IV. & Sotietati à Paulo III. & Gregorium XIII. hanc conceſsionem extendiſſe ad vota iurata eiuſdem materiæ, modo commutatio non fiat in præiudicium tertij. *Not.* quod, quamvis conveniens ſit, vt diſpenſatio, & commutatio voti fiat in Sacramento Pœnitentiæ, poſsint tamen Regulares hoc privilegio extrà valide uti; licèt enim hoc privilegium ſit datum Confeſſario, hæc tamen vox, *Confeſſarius* non præcisè importat actuale exercitium audientiæ confeſsionis, ſed officium, & approbationem pro eo acceptam.

* 47 *Quem* pœnitet voviſſe, peccatne? *Dico*: Quem pœnitet voti cum intentione illud frangendi, peccat mortaliter, vel venialiter iuxta quantitatem materiæ voti. Quia intentio illum iudicat. Quem pœnitet, cum intentione tamen implendi, ſi nullam iuſtam pœnitẽdi cauſam habet, peccat venialiter; ſi habet, poteſt nullum eſſe peccatum. Quem pœnitet vtrorum eſſentialium ſuæ Religionis, ſemper peccat ſaltem peccato veniali, quod ſit de maioribus venialibus. *Ratio*: Nulla datur cauſa, ob quam melius ſit non emiſiſſe illa vota. *Not.* poſſe in hoc caſu tales accedere circunſtantias, quæ faciunt mortale; vt ſi ex contemptu, inobedientia, nimia accedia pœniteat.

* 48 QUÆRO IX. Quid Papa poteſt circa vota ſolemnia? *Reſp.* cum S. T. *hic q. 88. a. 11. in corp.* Papa poteſt quidem ex rationabili cauſa diſpenſare in voto ſolemnizato per ſuſceptionem Ordinis ſacri, non tamen poteſt *in* vllo caſu, etiam communis vtilitatis, & neceſsitatis alicuius Regni diſpenſare in voto ſolemnizato per profeſsionem Religionis. Huius 2. partis oppoſitum S. D. aliquando docuit *in 4. diſt. 38. q. 1. a. 4. q. 1. ad 3.* Antequam Summam Theologicam componeret, in qua clarè docet, non poſſe diſpenſari, licèt à multis extraneis, & quibuſdam Thomiſtis explicetur, non poſſe diſpenſare cum Monacho manente Monacho, vt vxorem ducat; poſſe autem facere ex Monacho non Monachum. Audiantur verba S. T. *cit. art. 11.*

In Sed contra adducit Decretalem Innocentij in c. *Cùm ad monaſterium*, dicentis: *Abdicatio proprietatis, ſicut etiam cuſtodia caſtitatis, adeò annexa eſt Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſsit indulgere.* In c. art. ait ſic: *Sicut habetur Levit. vltim. quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios vſus commutari; non poteſt facere aliquis Eccleſiæ Prælatus, vt id, quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta, quòd calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer. Unde multominus poteſt facere hoc aliquis Prælatus, vt homo Deo conſecratus, quamdiù vivit, conſecratus eſſe deſiſtat. Solemnitas autem voti conſiſtit in quadam conſecratione, ſeu benedictione.* Et poſt pauca: *Papa non poteſt facere, quòd ille, qui profeſſus eſt Religionem, non ſit Religioſus, licèt quidam Juriſtæ ignoranter contrarium dicant.* Ecce quam clarè dicat S. Thomas, quod Papa non poſsit ex Monacho facere non Monachum. Quòd autem non poſsit facere, vt manens Monachus nubat, patet, quia ſubdit: *Eſt ergo conſiderandũ, vtrum continentia ſit eſſentialiter annexa ei, ad quod votũ ſolemnizatur; ſi non eſt, poteſt manere ſolemnitas conſecrationis ſine debito continentiæ. Non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ Ordini ſacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ: eſt autem eſſentiale ſtatui Religionis.* Ex quo patet Ratio, cur Papa poſsit diſpenſare in voto continentiæ Ordinis ſacri.

In R. ad 1. dicit: *Periculis rerum humanarum obviandum eſt per res humanas, non autem per hoc, quòd res divinæ convertantur in vſum humanum. Profeſſi autem Religionem mortui ſunt mundo, & viuunt Deo. Unde non ſunt revocandi ad vitam humanam occaſione cuiuſcumque eventus.* Unde bono communi periclitanti ſuccurrendum eſt per alia media licita, & proportionata, vt per orationes, exhortationes, conſultationes, &c. In R. ad 4. inquit: *Religioſus, qui ſit Epiſcopus, ſicut non abſolvitur à Voto continentiæ, ita nec à Voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, ſed ſicut diſpenſator communium bonorum Eccleſiæ. Similiter non abſolvitur à voto obedientiæ, ſed per accidens obedire non tenetur, quia Superiorem non habet.*

Et dictis ſequitur, quod, quamvis ſolemniter vovens poſſet voto adiicere hanc conditionem, *niſi Papa diſpenſaverit*, defacto tamen in eo non ſubintelligatur, immò potius oppoſitum, quia promittit caſtitatem vſque ad mortem. Aliud eſt de voto ſimplici, in quo diximus, Papam poſſe diſpenſare, impropriè ſaltem, nam in eo tantũ eſt promiſsio ſine conditione; in voto autem ſolemni eſt abſoluta, & totalis traditio, & acceptatio, qua de cauſa hoc dirimit Matrimonium, non ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed iure naturæ, & divino abſoluto, vt probatur infrà *T. vlt. E. 6. Q. 2.* in quo Papa diſpenſare nequit. Ex quo patet *Ratio* fundamentalis noſtræ ſententiæ.

* 49 *Nota*, in voto ſolemni duplicem eſſe ſolemnitatem: Vna eſt accidentalis, & cæremonialis, conſiſtens in illo ritu, modo, ac benedictione, cum quibus exteriùs fit, & hæc ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa, eſtque cõditio *ſine qua non*, vt teneat. Altera, quæ eſt eſſentialis, conſiſtens in totali, & abſolutâ Religioſi traditione, in manu Superioris, loco Dei acceptantis, facta ad ſervanda ea, quæ promittuntur. Et hæc obligat abſoluto iure divino; & à Papa eſt indiſpenſabilis.

Quomodo ergo ſalvabis quorundam Pontificum diſpenſationem cum quibuſdam Monachis factam, in ſpecie cum Caſimiro huius nominis primo, Rege Poloniæ, in Monaſterio Cluniacenſi profeſſo, ac Diacono. Quam ob cauſam omnes Poloni à Sede Apoſtolica fuerunt obligati, prout etiam acceptarunt, portare rotundam inſtar Monachorum in capillis coronam, infrà auriculas non deſcendentem. Item, vt in feſtivitatibus, dum fiunt Sacra, omnes Equites portent candidam faſciam è collo ſuſpenſam in modum Stolæ, qua vtuntur Diaconi. *Dico*, Fuiſſe ſecutos ſententiam ob multorum DD. authoritatẽ eis viſam probabilem, vel etiam probabiliorem. De quo vide in *T. 2. de Conſcientia*, vbi id explicatur *Q. 3. ante* R. 1. Ex quibus diſpenſationibus ſaltem hoc erui tur, quòd illi Pontifices ſenſerint, quod non poſsint facere ex Monacho non Monachum, quia quorundam diſpenſationes fuerunt ita limitatæ, vt diſpenſati poſtea debuerint redire ad Monaſterium, & tamen nullibi legitur, quod de novo fecerint profeſsionem præmiſſo novo anno probationis, quod tamen fuiſſet neceſſarium. Immò interdum fuerunt tantum declarationes nullitatis Profeſsionis, vtpotè ex gravi meru factæ, &c.

* 50 *Oppono* 1. Bullæ Greg. XIII. *Quanta fructuoſus.* Et, *Aſcendente Domino*: declarant Jeſuitas per ſua vota ſimplicia ante Profeſsionem facta fieri verè, ac propriè Religioſos, non minus, ac fiunt alij Religioſi per ſua vota: Sed hoc non obſtante Papa poteſt diſpẽſare in votis ſimplicibus Jeſuitarum. Ergo etiam in ſolemnibus, &c. 2. *Calix* conſecratus manens conſecratus poteſt ex diſpenſatione ratione neceſsitatis adhiberi ad vſum profanum. Ergo & Religioſus ad vſum

Ma-

Matrimonij. 3. *Accidens* commune, seu quinti Prædicabilis potest realiter tolli à subiecto: Sed Monachatus respectu hominis est tale accidens. Ergo.

Ad 1. *dist. mai.* Fiunt verè Religiosi, conditionati tamen, id est, obligantes se quandiu manent in Societate, seu si non dimittantur, *conc. mai.* Absolutè tales, seu cum perfecta, & absoluta traditione, & acceptatione, *neg. mai.* & concessa *min.* nego *conseq.* Vnde Vazquez statuit hanc differentiam, quod nimirum traditio in votis simplicibus Jesuitarum sit temporanea, & ad nutum Præpositi Generalis iuxta causas in Constitutionibus Societatis expressas, quia obligant se per ea Societati, sed non è contra: in solemnibus verò est perpetua ex natura sua. An vota S. J. dirimant matrimonium contractum, vel contrahendum, vide infrà *Tract. vlt. E.* 4. *q.* 3. Et *E.* 5. *q.* 2.

Ad 2. *N. conf.* Disparitas est: Quia Religiosus totaliter tradit seipsum secundùm quamcumque rationē ex eius libertate pendentem, nec vllam conditionem etiam implicitè apponit, vt ante dictum est; calix verò consecratus est res inanimata, & in consecratione merè passivè se habet, adeòque magis dependet ex voluntate supremi consecrantis, qui in terris est Papa Christi Vicarius. Accedit, quòd sit consecratio quasi simplex, non solemnis.

Ad 3. *dist. mai.* Potest tolli semper per quemcumq; *nego*; nam etiam albedo in nive est accidens commune, & tamen non potest per quemcumq; tolli, vt tamen maneat nix. Potest tolli per eum, qui habet potestatē, quæ respectu voti solemnis Monachalis est in Deo solo, *conc. mai.* & concessa *min. dist.* similiter *conseq. Not.* quòd votum simplex, & solemne, inquantum substant eidem rationi formali Religionis, sint quidem eiusdem speciei; differant tamen specie saltem materiali, quoad actus imperatos (qui sunt sola promissio in simplici, absoluta traditio, & acceptatio in solemni) ex quibus habent, vel non habent indispensabilitatem. Vide Tract. vlt. Exam. 6. Quæst. 2.

EXAMEN IV.

De Juramento. 2. 2. *q.* 89. *per* 10. *artic.* De Perjurio, *q.* 98. *per* 4. *art.* De Mendacio, *q.* 110. *per* 4. *art.* De Sacrilegio, *q.* 99. *per* 4. *art.* De Maledictione, *q.* 76. *per* 4. *art.*

HÆC omnia contraho in vnum Examen propter connexionem, quam inter se habent, & explicabuntur suo ordine.

Juramentum, Perjurium.

* 1 QUÆRO I. Quid, cuius virtutis actus, & quotuplex, ac quantæ obligationis est juramentum? & quid est perjurium. *Resp.* 1. Jurare, est Deum in testem assumere ad confirmandum aliquod dictum, vel factum; cùm enim in rebus humanis non possimus semper habere certitudinem ab homine, quasi pro iure introductum est, ait S. D. *art.* 1. *in c.* vt, quod sub invocatione divini testimonij dicitur (cùm illud infallibile sit) pro verò habeatur. Ex his ab oppositio patet, quid sit perjurium, nimirum violatio juramenti, qui violans vocatur perjurus. Vel, Invocatio divini Numinis in testimonium falsitatis.

* 2 *Resp.* 2. Formulæ iurandi omninò certæ sunt: *Deum testor; Testem advoco Deum; Per Deum iuro; Testis sit mihi Deus; Quam verè Deus vivit; Quam verè vivit anima mea; Per Evangelium, per Crucem, per Sanctos, per Cælum, per animam, vitam, salutem; Per caput S. Petri Apostoli.* Pro quo *Nota*, quod, dum per creaturas iuratur, ipsa non tribuitur infallibilis veritas, hoc enim esset blasphemum, cum illa soli Deo conveniat; sed iuratur per eas, in quantum in eis Deus representatur, aliàs non est juramentum. Hinc Deus in testem potest adduci dupliciter, nimirum explicitè, vt in prioribus exemplis; vel implicitè, vt si in dicto sensu juretur per creaturas.

* 3 *Resp.* 3. Formalæ iurandi dubię (de quibus Theologi inter se certant, an sint verè tales) sunt: *Deus scit, Deus videt, vel audit, me verū dicere; Dico hoc coram Deo; In animo meo; In conscientia mea;* In fide *honesti veri* Vel *Christiani.* Verum in his distinguendum est. 1. *Vim* iuramenti habent in illis locis, vbi moris est sic jurare, non apud alios. 2. *Vim* juramenti habent, si proferantur cum intentione jurandi. 3. *Si* proferantur per modum invocationis; secus si tantum per modum enuntiationis.

* 4 *Resp.* 4. De essentia juramenti, non est, vt fiat verbis propriè dictis, cū mutus jurare possit per nutus, & in quibusdam locis moris sit, vt mares jurent, etiam coram Judice, per tactum sui pectoris, vel erectis duobus superioribus digitis; & fœmine, manū dextram imponendo sinistræ mamillæ: Immò potest fieri juramentum absque illo sensibili signo, mentaliter Deū testem invocando.

* 5 *Resp.* 5. Iuramentum; debitis conditionibus R. 6. assignandis vestitum, non solum est licitum, sed est actus virtutis Latriæ, seu Religionis. *Ratio* 1. partis datur à S. T. art. 2. in c. dicente: *Juramentum secundum se est licitum, & honestum, quòd patet ex origine, & fine. Ex origine quidem quia est introductū ex fide, qua homines credunt Deum habere infalibilem veritatem, & universalem omnium cognitionem, & providentiam. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iustificandum homines, & ad finiendum controversias, vt dicitur ad Hebr. 6.* Hæc ibi.

* 6 *Oppono*: Tentare Deū est illicitum: Sed Deū invocare testem, est tentare Deum. Ergo. *Min. prob.* Exquirere signum divinæ providentiæ est tentare Deū; Sed iurans quærit tale signum, quia petit divinum testimonium, quod sit per aliquem evidentem effectum. Ergo. Ad hoc S. D. art. 2. ad 3. sic ait: *Ille, qui iurat, non tantat Deum, quia non implorat divinum auxilium absque utilitate, & necessitate. Et præterea non exponit se alicui periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in præsenti: adhibebit autem pro certo testimonium in futuro, quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 1. Cor. 4. Et illud testimonium nulli iuranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum.*

Ratio 2. partis datur à S. T. art. 4. in corp. dicente: *Qui iurat, invocat divinum testimonium ad confirmandum ea, quæ dicit. Nihil autem confirmatur, nisi per aliquid, quod certius est, & potius. Et ideò in hoc ipso, quòd homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, utpotè cuius veritas est indefectibilis, & cognitio universalis. Et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Unde & Apostolus dicit ad Hebr. 6. quòd homines per maiorem sui iurant. Exhibere autem reverentiam Deo, pertinet ad Religionem, seu Latriam.* Ergo.

* 7 *Resp.* 6. Vt iuramentum sit licitum, & actus virtutis, petit tres comites, vt sunt *judicium, veritas, & justitia.* S. D. art. 3. *Declarat* hoc S. Thom. dicens: *Ad bonum usum iuramenti duo requiruntur: Primò quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discretè iuret. Et quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis, ex parte iurantis. 2. Quantum ad id, quod per iuramentum confirmatur, vt scilicet, neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum est. Et iustitia, per quam confirmat, quod licitum est. Judicio autē*

caret juramentum incautum; veritate autem juramentum mendax: Justitia autem juramentum iniquum, sive illicitum. Hæc ibi. Pro quorum intelligentia.

Not. Per judicium hic intelligi discretionem, seu prudentiam; non enim sufficit, esse vera, quæ iurantur, nisi iurentur prudenter, id est, adhibita debita cautione, & consilio, ad quod requiruntur tria. 1. *Ut*, quæ possunt probari sine iuramento, per illud non confirmentur. 2. *Ut* non iuretur ex quavis levi causa, sed ex gravi. 3. *Ut* præcedat matura consultatio, ne falsum iuretur pro verò. Hinc pueri ante annos discretionis validum iuramentum præstare nequeunt. Per veritatem non intelligitur (vti à Metaphysicis) adæquatio rei ad intellectum, vt res à parte rei ita se habeat; sed intelligitur quædam conditio externi sermonis, vt nimirum concordet cum animo, existimante certò ita esse, vt dicitur, licèt invincibiliter erretur: esset enim perjurium solum materiale. Per justitiam in præsenti intelligitur honestas ex parte materiæ, vt scilicèt res sit iusta, & honesta; non quod honestas necessariò se debeat tenere ex parte obiecti, nisi sit iuramentum promissorium, sed ex parte causæ moventis ad iurandum, nam in iuramento assertorio obiectum potest esse iniquum, v.g. furtum, homicidium, &c. sed causa movens semper debet esse honesta, v.g. honor Dei, bonum commune.

* 8 *Resp.* 7. Juramentum *dividitur* 1. in *simplex*, seu invocatorium, quo Deus solùm simplici contestatione in testem assumitur, v.g. Deus sit mihi testis: & in execratorium, seu imprecatorium, quo Deus nõ solùm invocatur, vt testis, sed etiam vt vindex falsitatis, quod est gravissimum jurisjurandi genus, vt si iurans Deum invocet, vt sibi, vel alicui sibi dilecto hoc, vel illud malum immittat, si verum non dicat; v.g. *puniat, damnet me Deus, faciat, vt fcaui hinc non discedam, faciat, vt meos filios vivos non videam, permittat, vt diabolus me rapiat, fulmen me percutiat*, &c. in quibus casibus si falsò iuretur, indubiè graviter simul contra Charitatem proximi peccatur, quod in Confessione explicandum est. Plura de hoc vide in fine huius Exam. 4. n. 38. de maledictione.

Dividitur 2. in assertorium, & promissorium. Per primum asseritur, seu affirmatur veritas præterita, vel præsens. Per secundum promittitur aliquid futurum. Aliqui addunt comminatorium, v.g. Per Deum, delumbabo te. Sed hoc potest reduci ad promissorium. *Dividitur* 3. Vel potius subdividitur Iuramentum in *iudiciale, & extrajudiciale*. Primum est, quod à Lege, vel Superiore defertur ad litem terminandam, fidem profitendam, ad criminis purgationem, &c. Alterum est, quod defertur, vel suscipitur extra iudicium. Primum subdividitur in necessarium, nimirum à judice delatũ; & voluntarium, ac conventionale, à parte delatum parti. Addi potest *juramentum calumniæ*, quod in principio, vel progressv litis Iudex, alterutra parte exigente, tenetur deferre, actori quidem, vt iuret, quod non litiget animo calumniandi, sed existimet, quòd bonam habeant causam: reo verò, vt iuret, quod existimet se habere ius ad resistendum actori. Hoc juramentum potest deponi per Advocatum, speciali tamen mandato ei facto: qui debet jurare non tantum in anima sui principalis, sed & propriam: quia & ipse posset calumniari, iniustam causam defendendo.

* 9 *Resp* 8. Iuramentum obligat in conscientia S.T. art. 7. minus tamen quam votum art. 8. *Ratio* 1. *partis*: Quia agens contra juramentum magnam irreverentiam facit Deo, faciens eum testem fallitatis. *Secunda pars cum prima*. Declaratur à S.T. *ar.* 8. *in c.* Obligatio voti causatur ex fidelitate, quam debemus Deo, vt scilicet promissum solvamus: Obligatio autem iuramenti causatur ex reverentia quam debemus ei, ex qua tenemur, quod verificemus id, quod per nomen eius promittimus: Sed maius peccatum est Deo esse infidelem, quam irreverentem, omnis enim infidelitas irreverentiam continet, sed non è contra: Vnde infidelitas subditi ad dominum est maxima irreverentia. Ergo votum ex ratione sua magis est obligatorium, quam juramentum. Addit in R. ad 1. Votum est promissio non quæcumque sed Deo facta, cui infidelem esse, gravissimum est. *Et ad* 2. Iuramentum non adhibetur voto quasi aliquid firmius, sed vt per duas res immobiles maior firmitas habeatur. Hæc S. Thom. *Vide Oppon. ad Quæst.* 3.

* 10 QUÆRO II. Scisne assignare casus, in quibus juramentum non obligat? *Resp. S.T. art. 7. ad* 1. *ait*: Obligatur homo, vt faciat esse verum, quod iuravit, secundum suam possibilitatem; *nisi* in deteriorem exitũ vergat; quod (*vt ait ad* 2.) potest fieri dupliciter: *Vno modo*, quia ab ipso principio habet pejorem exitum, vel quia est secundum se malum: sicut cum aliquis jurat se perpetraturum adulterium; sive quia est maioris bobi impeditivum, puta, cum aliquis jurat se non intraturum Religionem, vel quod non fiet Clericus, aut quod non accipiet prælationem in casu, in quo expedit eum accipere; vel si quid aliud est huiusmodi. Huiusmodi enim juramentum à principio est illicitũ, differenter tamen; quia si quis juret se facturum aliquod peccatum, & peccavit jurando, & peccat juramentum servando. Si quis autem jurat se non factũrũ aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat juramentum servando, sed multo melius facit, si non servet. Alio modo vergit in deteriorẽ exitum propter aliquid, quod de novo emerserat, quod fuit impræmeditatum: sicut patet in juramento Herodis, quia juravit puellæ saltanti se daturum, quod petisset. Hoc enim juramentum poterat esse à principio licitum, intellecta debita conditione, scilicet *si peterat*, quod *dare deceret*. Sed impletio juramenti fuit illicita. Vnde Ambrosius dicit *in* 1. *de Officiis*: Est contra officium nonnunquam promissum solvere sacramentum, sicut Hærodes, qui necem Joannis præstavit, ne promissum negaret. *Hæc S.T.*

* 11 *Dico* cum S.T. *art.* 7. *ad* 3. *dicente*: In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Vna quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit. Et talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promisit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramẽtum violare. Potest tamen repetere in iudicio, quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante, quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiusmodi juramẽtis homines absolverunt, non quasi decernentes huiusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes. *Hæc ibi.*

* 12 *Quid si* non sit eadem intentio jurantis, & eius, cui jurat? *Dico* cum S. T. *ad dicente*: Si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum eius, cui juramentum præstatur. Vnde Isidorus dicit: quacumque arte verborũ quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc acci-

accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Et quod hoc intelligatur de doloso juramẽto, patet per id, quod subditur: Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. Vnde *Greg. dicit* 27. *Moral*: Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. *Hæc ibi.*

Quæri hic potest, an in juramento liceat vti amphibologia? Sed ad hoc patebit postea, dum agetur de mẽdatio. Si enim possit quis ea vti sine mendatio, potest etiam sine perjurio. Si verò non possit in vno, nec potest in altero. Excipitur tamẽ casus de adultera, de qua vide infrà n. 62. in hoc Exam.

* 13 QUÆRO III. Obligatne sub mortali juramentum in re parva, sic vt in periurio non detur parvitas materiæ? Item obligatne juramentum aliquando, maximè in re gravi, cum periculo vitæ? *Resp.* Juramẽtum etiam in re levi obligat sub mortali. Vnde in perjurio formali, seu deliberato non datur parvitas materiæ faciens veniale. Potest etiam dari casus, in quo juramentum obliget cum periculo vitæ. *Ratio* 1. & 2. *partis*: Quia Deum facere testem mendacij in omni casu est gravissima injuria Deo irrogata, nec vnquã, si deliberatè fiat, veniale esse potest. Addo *ex* S. *T. q.* 98. *a.* 3. *ad* 2. *dicente*: Ille, qui jocosè periurat, nõ evitat divinã irreverentiã, sed quantũ ad aliquid magis auget. Et ideò nõ excusatur à peccato mortali. 3. *Part* declaratur cũ nostro Conrad. & Caiet. Juramentũ factũ à captivo apud infideles per verũ Deum, obstringit ad persolvendũ, ne scandalum oriatur. Non enim solùm Christiana familia, sed & Deus noster contẽptui apud illos, tũ maximè haberetur. Immò verò, si quis juraſſet illuc redire, licèt esset iniustè captivus, nec redire posset sine periculo mortis, redeundũ illi esset potiùs, quã si cũ ingenti scandalo, periculoq; contemptus Religionis nostrę, juramentũ illi esset relaxandũ. *Not.* inter 65. propositiones ab Innoc. XI. damnatas esse has duas n. 24. *Vocare Deum in testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quam vult, aut possit damnare homines.* Et num. 25: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi: sive res sit levis, sive gravis.*

* 14 *Oppono contra* 1. *p.* Ante dictũ est, quod obligatio voti sit maior, quã juramenti: Sed obligatio voti in re levi est levis. Ergo similiter. *Ad hoc R.* doctrinam ante datã, & nunc objectã, intelligi de juramento promissorio, quo quis se obstringit ad aliquid faciendum, vel non faciendũ, idq; solũ quantũ est ex genere suo, & objecto: in individuo enim quandoq; vinculũ juramẽti ratione materiæ est maius, v. g. frangens juramentũ de dãdis alicui centũ ducatis gravius peccat ratione materiæ, quã is, qui frangit votum de danda eleemosyna duorũ grossorũ. Similiter, qui violat juramentum promissorium Deo factũ, gravius peccat, quã si sit factũ homini, quia primum simul est votũ, ideòq; fractio habet duplicẽ malitiã, nimirũ irreverentiæ contra Deum, & infidelitatis. Verũ obligatio juramẽti assertorij est maior, quã voti, in ejusq; violatione Deus à jurante diceretur quasi ignorans, mendax, vel testis mendacij; nihil autem horum apparet in violatione voti, sed in ea solùm non præstatur ei fidelitas.

* 15 *Pono casum*: Inter Christianos reus mortis dimittitur ex carcere, qui jurat se rediturũ, teneturne redire? *Dico*: Si detinetur iustè, & nullũ habet periculũ contemptus *Dei, Fidei, & Religionis*, tenetur redire, vel petere relaxationẽ juramenti. Si verò carcer sit injustus, & prævideat, se injustè vita privandũ, nõ tenetur. Quia daret occasionẽ proximam gravissimo peccato nimirũ injusto homicidio, ad quod nullus juramento constringi potest. Vide suprà T. 6. E. 5. n. 26. quas actiones reus mortis ad sui occisionẽ teneatur ipse obedire.

* 16 QUÆRO IV. Licetne juramentũ exigere ab eo, qui creditur pejeraturus? Vel per falsũ Deum à Pagano? *Resp.* 1. *ad* 1. *p.*: Ex iusta causa ad instantiam partis id potest Minister Justitiæ, seu Judex, intẽdendo præcisè veritatẽ, ad perjuriũ merè negativè se habendo; sed personæ privatæ non licèt. Ita S. T. *q.* 98. *art.* 4. *Ratio S. T. est*: Quia tunc non videtur exigere Judex, sed ille ad cuius instantiã ille exigit, qui exigendo inducit alterũ sine vtilitate ad peccandũ. *Resp.* 2. Ad 2. partem quæsiti patet suprà T. 7. E. 7. num. 66. ad 2. & 3. ex verbis S. Thom. ibi relatis.

* 17 *Oppono contra* 1. *p.* Juxta dicta suprà licèt petere vsuras à parato dare, immò petere juramentum ab eo, qui iurabit per falsos Deos. Ergo similiter. *Ad hoc N. cons.* Quia in nostro casu scienter petitur periuriũ, & peccatũ, ac nulla intẽdi potest vtilitas; ast in mutuo illo intenditur bonũ vtile perenti, & in juramento Pagani intenditur veritatis confirmatio. Quod verò id non fiat sine peccato, per accidens est respectu petentis, & provenit ex sola malitia vsurarij, aut jurantis.

* 18 QUÆRO V. Estne juramentum, & licitũ, dicere: Quod dico, *tam verum est, quam Evangelium*, aut *quod Deus sit vnus*? *Resp.* Si ita loquens intendat veritatẽ humanã, seu creatã in robore cõparare, vel æquiparare veritati divinæ, aut Evangelicæ, esset blasphemia, vt patet ex dictis suprà de illo vitio. Si verò solùm intendat asserere talẽ rẽ proportionabiliter esse verã, vti verũ est Evangeliũ, & quã verè est, Deũ esse vnũ, suo modo esse iuramentũ. Sed hac in re vulgus nõ tam subtiliter philosophatur, nec ad talẽ verborũ illorum sensum advertit, nec Deum in testem vocandi animum habet. Hinc defectu talis reflexionis talis locutio non excedit communiter culpam venialem verbi otiosi, si tamen scandalum desit.

* 19 QUÆRO VI. Quomodo tollitur iuramentum? *Respond.* Tollitur, vt de voto dictum est. 1. per simplicẽ cessationẽ, vt si res iurata fiat impossibilis, vnde S. D. a. 7. in c. ait: *Si, quod erat possibile quãdo iuravit, reddatur ei impossibile per aliquẽ eventũ, puta cum aliquis iurat se pecuniam soluturũ, quæ ei postmodũ vi, vel furto subtrahitur, tũc videtur excusatus esse à faciẽdo, quod iuravit, licèt teneatur facere, quod in se est.* Secundo tollitur per irritationẽ, de qua S. T. a. 9. in fin. ait: *Ad vnũquemq; pertinet irritare iuramentũ, quod à filiis subditis factum est circa ea, quæ eius potestati subduntur. Sicut pater potest irritare iuramentũ puellæ, & vir vxoris, vt dicitur Num.* 30. *Sicut suprà de voto dictũ est.* Tertio tollitur per cõdonationẽ juratarij. Pro quo notanda sunt verba S. T. ibid. ad 2. dicentis: *Quando quis alteri sub iuramẽto promittit aliquid pertinens ad vtilitatẽ ipsius, puta, se ei servaturũ, vel pecuniã daturũ, à tali promissione potest absolvere ille, cui promissio facta est. Intelligitur enim id illi solvisse promissũ, quando facit de eo secundũ voluntatẽ.* Hoc idem intelligi potest de condonatione voti, prout explicatur infrà de Sponsal. Tract. vlt. Exam. 2. num. 14.

Quartò tollitur dispensatione, vel commutatione, proportionabiliter vti de voto dictũ est. Ad hoc propositũ S. T. *a. cit. ad* 3. *sic ait*: Quandoq. aliquid sub juramẽto promittitur, de quo dubiũ est, vtrũ sit licitum, vel illicitũ, proficuũ, vel nociuũ, aut simpliciter, aut in aliquo casu: & in hoc potest quilibet Episcopus dispensare. Quandoq; verò sub juramento promittitur aliquid, quod est manifestè licitũ, & vtile. Et in tali juramento nõ videtur habere locũ dispensatio, vel commutatio, nisi

alio

aliquid melius occurrat ad cōmunē vtilitatē faciendū: quod maximè videtur pertinere ad potestatē Papę, qui habet curā vniversalis Ecclesiæ. Vel etiā absoluta relaxatio, quò etiā ad Papā perthnet. Hæc S.D. Vide dicta de voto, & hic applicata, sed servata proportione.

Mendacium. *Quæst.* 110. *per* 4. *art.*

* 20 QUÆRO VII. Quid, & quotuplex est? quātum, & in omni casu, peccatum? *Resp.* 1. Mendatium (vt patet ex *S.T. art.* 1.) est locutio falsa cum intentione fallendi, seu decipiendi proximum, qui judicat eā esse veram. Vnde mendatium nominatur ex eo, quod contramentem dicitur. Et mentiri est contra mentem ire. Hinc dicere falsum, quod judicatur esse verum, nō est mentiri nisi materialiter, quia non est contra mentem. Formale ergo mendacij consistit in hoc, quod locutio non sit conformis menti loquentis. *Nota*, quod loqui aliquid, falsum quidem quoad verborum significationem, sed tali modo, v.g. jocosè, & ironicè, vt facilè adverti possit, loquentē nolle, adhiberi fidem suis verbis vt veridicis, non sit mentiri: quia nō adest intentio fallendi. Hoc modo à mendacio excusantur matres, ac nutrices, dū ad pueros dicunt hæc, vel similia: Ecce lupus in porta, si feceris tradā te illi, &c. Dum ergo audiens hæc verba fallitur, deceptio tribuitur imbecillitati ingenij audientis, non verborū fallitati. Vide suprà *T.* 5. verb. *Hypocrisis*; quod possit commiti mendacium non solum verbis, sed & factis, ac signis, ac nutibus.

* 21 *Resp.* 2. Juxta S.T. *art.* 2. mendacium dividitur in *jocosum, officiosum, & perniciosum. Jocosum* procedit ex motivo delectationis, vt mentiri joci, & recreationis gratia. Quod ob parvitatē est peccatū veniale; quia talis falsitas est parvi momēti. *Officiosum* est, quod procedit ex motivo vtilitatis, sive ad obtinēdū aliquod leve bonū, sive ad evitandū aliquod leve malū, quod vocant mentiri ad habendā pacē. Et etiā est peccatum veniale ob parvitatē. *Perniciosum* est, quod pro motivo habet damnum proximi, sive tēporale, sive spirituale. Quod damnum si sit grave, vel in materia gravi, vt in casu Religionis, aut Fidei, est peccatum mortale; si est leve, peccatū est veniale. Vt patet ex *Tract. de peccatis. Resp.* 3. Omne mendacium formale est peccatum, nec in vllo casu est licitum, etiam pro toto mundo conservando. *Ratio*: Vt patet ex S.T. *art.* 1. mendaciū opponitur virtuti veritatis, & est per se pravum, vt ait *art.* 3. id est, in se est malum, quod nulla circumstantia cohonestari potest. Ergo.

* 22 *Opponi* hic possunt argumenta ex quibusdam Prophetijs Scripturæ proposita suprà *T.* 7. *E.* 1. *n.* 16. *in R. ad Oppos.* Quæ cum suis solutionibus ibi videantur. Quibus addo verba S.Aug. lib. de mēdacio adducta à S.T. ar. 3. ad 3. *In S. Scriptura inducuntur aliquorū gesta quasi exempla perfectæ virtutis, de quibus non est æstimandum eos fuisse mentitos. Si qua tamen in eorum dictis apparent, quæ mendacia videantur, intelligendum est, ea figuraliter, & prophetice dicta esse.*

* 23 *Oppono* vlteriùs 1. Verba Christi, & etiam aliquorum Sanctorum frequenter vnus aliter, & alius retulit aliter, quorum vnus necessariò dicit falsum, & tamen non peccat. Ergo. 2. *Nullus* à Deo remuneratur pro peccato: Sed obstetrices Ægypti sunt remuneratę propter mendacium; dicitur enim Exod. 1. *Ædificavit illis Deus domos*. Ergo. 3. *In Scriptura* de SS. Viris legitur, quod fuerint mentiti, de quibus tamen non debet dici, quod peccaverint. Nam *Gen.* 12. & 20. Abraham de suā vxore dixit, quod esset sua Soror. *Et Gen.* 27. Jacob dixit se esse Esau. & Judith cōmendatur, quę tamen Holoferni est mentita. Ergo. 4. *Non* implere promissum est mendacium: Sed non omnia promissa sunt implenda, juxta illud: *In malè promisis rescinde fidem*. Ergo. 5. *Mendacium* jocosum non est causa deceptionis, quia non dicitur, vt credatur, sed solùm delectationis gratia. Ergo.

Ad 1. *N. aut. pro* 2. *p.* Nam S.Aug. à S.T. ar. 3. ad 1. relatus, ait: *Apparet, non debere nos arbitrari, mentiri quemquā, si plurimus reminiscentibus rem, quā audierunt, vel viderunt, non eodē modo, atq; ipsi dē verbis eadem vel fuerit indicata: quia non loquuntur contra mentem suam. Ad* 2. ait S.D. *ibid. ad* 2. Obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua processit mendacium. Vnde signanter dicitur Exod. 1. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos*. Mendacium verò posteà sequens non fuit meritoriū. *Hæc S.D. magis explicat art.* 4. *ad* 4. *Ad* 3. dicit S.T. *ibid. ad* 3. *ex S. Aug.* Abraham dicens, Saram esse suam vxorē, veritatē voluit celari, & non mendacium dici. Soror enim dicitur, quia filia patris erat. Vnde & ipse Abraham dicit *Gen.* 20. Verè soror mea est filia patris mei, & non matris meæ filia, quia scilicèt ex parte patris ei attinebat. Jacob verò mysticè dixit, se esse Esau primogenitum Isaac, quia scilicèt primogenita illius de iure ei debebantur. Vsus est autē hoc modo loquendi per spiritū prophetiæ, ad designandū mysteriū, quia videlicèt minor populus scilicèt Gentilium, substituendus erat in locū primogeniti, scilicèt in locū Judæorum. Judith laudatur, nō quia mentita est Holoferni, sed propter affectū, quē habuit ad salutē populi: pro qua periculis se exposuit Hęc S.T. *Ad* 4 *dist. mai.* Si, dū promisit, nō habuit animū implendi, vel si habuit, mutavit sine rationabili causa, *C. mai.* Si habuit, vel mutavit ex causa rationabili, nimirū variatis debitis circumstātijs, quas solemus semper subintelligere, *N. mai.* Et sic *dist. min N. conf.* Hoc explicat S.D. ar. 3. cit. ad 5. *Ad* 5. ait S.D. *ibid. ad* 6. Operatio aliqua potest considerari dupliciter: *Uno modo* secundùm seipsā, *alio modo* ex parte operantis: mendacium ergo jocosum ex ipso genere operis habet rationem fallendi, quamvis ex intentione dicentis non dicatur ad fallendum, nec fallat ex modo dicendi: Ex quo patet, *dist. mai.*

* 24 *Nonne saltem licèt* mentiri ad se, vel alium præservandū à morte, seu homicidio? *Ratio dubitandi est*: Minùs malū est eligendū, vt vitetur maius, sicut medicus præscindit membrū, ne corrumpatur totum corpus: Sed generare falsā opiniōnē in animo alicuius, est minùs malū, quā mors. Ergo. Sed *Dico*, nō licere. Ita S.D. *ar.* 3. *ad* 4. *dicens*, & rationē dubitandi solvens: Mendacium, non solū habet rationē peccati ex dāno, quod infertur proximo, sed etiā ex sua inordinatione, vt dictum est. Non licet autē aliqua illicita inordinatione vti ad impediendū nocumēta, & defectus aliorū; Sicut nō licèt furari ad hoc, quod homo eleemosynā faciat, nisi fortè in casu necessitatis, in quo omnia sunt communia. Et ideò non est licitū, mendaciū dicere ad hoc, quod aliquis alium à quocumq; periculo liberet. Licèt tamen veritatē occultare prudēter sub aliqua dissimulatione, vt Aug. dicit in lib. contra mendacium. Hæc S.Doct. Addo, inter duo mala minùs esse eligendam, si sint mala naturæ, vel pœnæ: si verò sint culpæ, nec minimum licitè eligi potest.

* 25 QUÆRO VIII. Teneamurne semper dicere veritatem? Item licetne vti restrictione mentali, vel æquivocatione? *Resp.* 1. Tenemur semper dicere veritatem, sed termini, quibus dicitur, interdum sunt clari, & intelligibiles, interdū ambigui, & æquivoci, habentes duplicem significationem, secundum quod exigit necessitas, & obligatio loquendi.

* 26 *Resp.* 2. Probabilius, & tutius est, nunquā

licere vti restrictione purè mentali, id est, quæ nullis circunstantijs, vel exteriori signo manifestatur. *Ratio.* Tum quia est verè mendatium, quod nunquam licet: Tũ etiã, quia *quod tibi non vis fieri, alteri ne fecerit*, quod est principium lumine naturæ notum: Sed ille ipse, qui in loquendo vtitur restrictione purè mentali, nõ vellet sibi per eam ab alijs illudi. *Ergo. Tum tandũ*, quia vsus restrictionum purè mentalium aperit viam continuis fraudibus, & deceptionibus, tollitque omnem humanũ convictum, & societatẽ. Sanè si ægrè convivimus illis, quorum linguã ignoramus, iuxta illud August. lib. 19. de Civit. *Libentius vivit homo cum cane suo, quam cum homine alieno*, vt arguit Contenson *tom. 4. dissert. 2. c. 1.* Ægrius certè cõversamur cum illis, qui fraudes artificio tectas in sermonibus adhibẽt. Vnde Christus Matt. 5. v. 37. nos monet: *Sit sermo vester, Est, Est, Nõ, Non.* Pro intelligentia dicendorum.

Not. 1. Duplex est restrictio: Vna *mentis*, altera *dictionis*. Prima est, quæ præcisè fit mente, & non ex circunstantijs extrinsecis, & sensibilibus, nec ex eo, quod vox plures habeat significationes, v. g. in privato discursu aliquis te interrogat, *Feciſtine hoc*, & respondens, *Non feci*, mente subintelligendo, *heri*, cum tamẽ feceris ante octiduum. Et hæc est restrictio purè mentalis, & formalis. Altera, nimirum *dictionis*, *fit* 1. quando quis profert vocem, quæ habet plures significationes, vt si quis à te aliquid petit, quod potes facere, sed non vis facere, & respondes, *Non possum, Nequeo, & Non placet*. Tales dictiones sunt nomina æquivoca, vt si quis te interrogat, an non videris, vel furatus sis canem, respondes: Non sum furatus canem, intelligendo, celestem, vel marinum, cum tamẽ furatus sis terrestrem; & sic de cæteris vocibus æquivocis, v. g. ly *Gallus* significat hominem, & brutum. Hinc interrogatus occidistine *Gallum*, si dicas, Non occidi, intelligens brutum, non mentiris. Fit secundo, quando vox, etsi sit vnivoca seu vnam tãtum habeat significationem, attamen ad plura significãda determinatur à circunstatijs, v. g. fornicatio propriè ex vox vnivoca, si tamen Sacerdos (Confessario ex habitu, vel confessione, quod sit Sacerdos, cognitus) cõfiteatur se esse fornicatum, significat sacrilegium: Si vxuratus, significat adulterium, absque vlla restrictione mentis: sicut etiam vox aliàs æquivoca, perverba adiũcta determinatur, vt significet vnum determinatè, vt si dicam, *Canis latrabilis*. Not. 2. Quando reus legitimè non interrogatur Respondet, *Non scio, non feci*, cum tamen fecerit, non est restrictio mentis, sed dictionis, nõ ex pluralitate significationis, sed ex circunstantijs extrinsecis. Nam respondet in eo sensu, in quo Judex interrogat de crimine publico, seu quod potest in iudicio probari. Ergo dicendo, *Non feci*, id est, tale peccatũ, de quo publicè constet, non mentitur.

* 27 *Resp.* 3. Probabilius est licere dissimulare veritatem vsu restrictionis non purè mentalis, sed à virò prudentè cognoscibilis, inque talibus circunstantijs, vt prudenter existimetur, non esse expediens alium scire veritatem. Tunc enim (*alt Gonet in Man. Tom. 5. T. 8. c. 2 §. 3.*) si de dicto, vel facto interrogemur, possumus respondere. *Non dixi, Non feci.* Tunc enim prædictæ circunstantiæ faciunt subaudire: *Scio quidem me dixisse, aut feciſſe, sed non scio tibi.* Idem est de restrictione dictionis. *Ratio Gonet est.* Si in hoc casu nõ liceret tali restrictione vti, nullus esset modus, secretum (quod sine gravi damno, vel incomodo aperiri non potest) licite celandi, dum importune vrgetur eius revelatio: Sed hoc humano convictui non minus esset pernicioſum, quã ipsum mendatium. Ergo. Addit, Christum Marci 13. tali restrictione vsum fuisse, cum dixit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius*; puta Filius non scit ad nobis dicendũ. Vnde Hilarius à D. T. in Cat. aurea relatus ait: *In omnibus, quæ Deus ignorare se loquitur, ignorationi non desinetur, ſed aut tempus eſt non loquendi, aut diſpenſatio non agendi.* Favet *S. T. 2. 2. q. 69. art. 2.* cuius verba vide *T. 9. B. 5. n. 10.* Item *q. 110. ar. 3. ad 4. dicens*: Non est licitum mẽdacium dicere ad hoc, quod aliquis alium à quocumque periculo liberet, licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, vt August. dicit in lib. contra mendacium: Simile est in Abraham *Gen. 20.* qui vt conservaret Sacram vxorem suã, dixit eam esse suam Sororem, erat enim verè eius Soror, nimirũ ex parte Patris, licet non ex parte Matris, vt patet ibidẽ *v. 22.* Vnde S. Aug. in quæstionibus super *Gen. ait*: Abraham veritatẽ voluit celari (scilicet quod esset sua vxor,) & non mendatium dici.

Nota tamen, hac restrictione, vti amphibologia (de qua dicitur) non esse utendum nisi sicut medicina, nimirum in iusta necessitate, sicut erat Abraham; quia indifferenter vtendo hac duplicitate turbaretur societas civilis, vt dictum pro *R. 2.* iusta verò necessitas esse cẽsetur, quãdo quis interrogatur de re, quã non tenetur, nec potest dicere sine alterius præiudicio. Adhibetur ergo amphilogia, non ad decipiendũ, sed ad occultandã veritatẽ. Noster Contenson *tom. 4. dissert. 2. cap. 1. in Corollario*, fortiter impugnat restrictiones mentales, sed, vt ex eius verbis constat, ad mentiendum, & decipiendum ordinatas, attamen paulò antè in *R. ad instabis*, explicans illud Joan. 7. de ascensu Christi in monte, de quo postea, ait, Christum verba suboscura adhibuisse, in quibus poterat vir prudẽs verborum sensum facili interpretamento aperire, vti autẽ hoc pacto verbis figuratis, & metaphoricis ob graves rationes, puta occultandã veritatẽ, nec indignis expandendam mendacium perperã appellaretur, sed vtiliter, & honestè sit, vt demõstrat S. D. *1. p. q. 1. a. 9.* Nec obstat, quod Christus vtens huiusmodi metaphoris, volebat, vt audientes non perciperent, subindèq; adesse mediocre deceptionis periculum; non, inquam, obest, quia non deceptionẽ inducere, sed veritatẽ occultare querebat Christus. *Hæc ille.* Ergo iuxta illius Authoris mentẽ licet nobis ad exemplum Christi, saltem ex rationabili causa, aut necessitate ad magnum malum evitandum, vel bonum promovendum, vti verbis obscuris, & metaphoricis, non vt quis decipiatur, sed vt veritas occultetur.

* 27 *Resp. 4.* Probabilius est, non licere quidam vsu amphibologiæ, seu æquivocationis formalis, bene tamẽ materialis, veritatem celare in casu necessitatis. *Ratio* est eadem, quæ ante. *Not.* Amphibologiam, seu æquivocationẽ formalem esse (vt Gonet explicat) quãdo non adsunt circunstantiæ, per quas audiẽs vir prudens possit venire in cognitionem significationis, vel sensus verborum à loquente intenti; materialem verò, quando tales circunstantiæ adsunt, licèt audiens etiam prudens ob negligentiam considerationis talium circunstantiarum non intelligat mentem loquentis. Hæc æquivocatione vsus est Christus, cum consanguineis rogantibus, vt ascederet in templum, respondit: *Ego non ascendam*; Joann. 7. cum tamen posteà ascenderit. Nam est circunstantia petitionis eorum (consistentis in hoc, vt palàm ascenderet in templum, vt in eo manifestaret se mundo) poterant, si attendissent, sufficiẽter intelligere, Christum respondisse in eodem sensu, nimirũ non ascensurum se publicè, sed tantum in occulto. Similia amphibologia dicitur fuisse vsus S. Franciscus, quando interrogatus, an non viderit transeuntem aliquem homicidã, immissis intra manicas manibus respondit, Hac non transivit, subintelligens, non transisse per illas manicas. Quod factum approbatur.

Lege

* 28. *Loqui per restrictionem*, vel æquivocationem materialē, esne mentiri? *Non est. Ratio*: Quia nō est loqui contra mentē, vox enim æquivoca habet duos sensus, quorum vnus est cōformis menti loquentis, & alius intentioni audientis: Sed non teneor, nisi sit rationabilis causa, aut necessitas, me conformare intentioni audientis. Ergo. Pro maiori dictorum intelligentia.

* 29 QUÆRO IX. Quomodo doctrinā hactenus datā poteris salvare, suppositā damnatione harum duarū propositionū? *Prima est*: Si quis, vel solus, vel corā alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumq; alio fine iuret se non feciſſe aliquid, quod reverā fecit intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliā viā ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud verū; reverā non mentitur, nec est perjurus. *Secunda*: Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutē corporis, honorē, res familiares tuendas, vel ad quēlibet aliū virtutis actū, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. *Has duas propositiones* Anno 1679. 11. Martij inter 65. n. 26. & 27. damnavit Innoc. XI. qua damnatione vsus restrictionū mentalium, æquivocationum, ac amphibologiarum damnatur, qui tamen in ante data doctrina fuit admissus. Pro resolutione.

Resp. Papa damnando duas illas propositiones, non damnavit vsum restrictionū dictionis, vel restrictionū, æquivocationū, amphibologiarū materialiū, sed tantū formalium, seu purè mentalium. Quarum exempla ex dictis patent. Hoc manifestè probant authoritates, & Rationes pro *R. 2. 3. & 4. ad Q. 8. adductæ*. Quæ convincunt, omnes vniversim restrictiones, & amphibologias damnari non posse. Ergo damnatæ sunt solæ formales, & purè mentales.

* 30 Ex his *sequitur* 1. damnatum non esse modum amphibologię per verba æquivoca ex iusta causa occultandi veritatem. Exemplum patet ex dictis in voce *Canis*, & *Gallus*. Sicut & ly *scio* significat interdum cognitionē evidentē, vt in scientificis; aliquando talē, quæ habetur ex fide humana. Et ly *nescio* potest significare carentiā omnis notitiæ, & carentiā solius notitiæ claræ, & evidentis. Item humana consuetudine ly *non scio* facit etiā hunc sensum, *non scio*, nisi occultè; *non scio*, vt cōmunicabile, non *scio* notitia vtili ad revelandum. In quibus nulla est restrictio purè mentalis. Similiter hæc vox *Est* significat, v. g. *esse* domi, & significat etiam manducationem. Vnde duas significationes habet hæc propositio: *Meus dominus non est domi*, & quidem absq; mendatio, & restrictione mentis, cum sola restrictione dictionis. *Idem est de his casibus*: Quidam homo mortificationi carnis intentus, multum rogatus ad hos, vel illos delicatos cibos in convivio comedendos, respōdet, tales cibos nocere sibi, vel suæ valetudini, intelligens hoc de valetudine, seu perfectione spirituali. Vel, infirmus interrogatus quomodo valeat, respondet; *Benè*; intelligens de spiritu, non de corpore. Item aliquis in cōvivio obligatur laudare aliquod ferculum, licet sibi insipidum, potest dicere: *Est bonum*. Quia omne ens est bonum, nam bonitas est passio entis. Idem est de hac voce, *Possum*, *Non possum*. Sic in quavis lingua speciales inveniuntur amphibologiæ.

* 31 *Sequitur* 2. Non esse damnatum, sed licitū modū ex iusta causa occultando veritatē per metaphoras, & allegorias. Exemplum est in historia de Jacob, & Esau. *Sequitur* 3: Non esse damnatum, sed ex iusta causa licitū modū vtendi verbis ex sua significatione quidē non ambiguis, quę tamen circumstantis circunstantijs, loci, temporis, & personæ ad alią significatum trahuntur. Exemplum est ex ante addocta locutione S. Francisci, vti de Sara, & Abraham. Idē est, si quidā Consiliarius secreto servando obligatus, de quodā occulto negotio ei noto interrogatus ab amico, respondet, *Non scio*; Vt sensus sit: Non scio vt homo privatus; etsi sciat vt Consiliarius. Ubi non est restrictio mentis, sed ex ipsa circunstantia officij Consiliarij ad secretum obligati. *Sequitur* 4. Non esse damnatum modum respondendi per circumlocutionē, interroganti nihil affirmādo, nec negando, licèt interrogans existimet, respondētē nescire, vel habere id, quod petitur, v. g. Gratularer mihi, vel, Pergratum mihi foret si tibi possem servire, hoc dicere, hoc concedere. Ex his.

* 32 *Quid sentii* de Confessario, qui sub pœnis vrgetur, vt revelet etiā sub iuramento an hoc, vel illud audiverit in confessione. Vide infrà T. 13. E. 7. n. 3. in R. ad 2. & 3. Oppos. de sygillo confessionis *Quid censes* de reo, contra, vel iuxta Juris ordinem examinato, an possit vti restrictione? Vide suprà T. 9. E. 5. n. 10. & 11. *Quid de eo*, qui occultissimè novit infame adulterium nobilis fœminæ, quod jure naturæ tenetur occultare? *Dico*: Potest respondere ex ante dictis de verbo *non scio*, quid significet ex humana consuetudine, etiam sine restrictione.

Quid judicas de ipsa adultera à marito stricto gladio examinata de adulterio? *Dico*: In primis si iam sit sacramentaliter confessa, potest sine mendatio dicere: Sum innocens, sum immunis ab hoc delicto. Verum tamen id iurare non licet. *Ratio* est: Quia ad simplicem affirmationem sufficit credulitas, confidentia, & probabilitas; ad iuramentum vero requiritur certitudo, quā tamen nemo, sine revelatione Dei, habet de remissione peccati. Sunt & alij modi, quibus in tanta necessitate vti potest fœmina. *Primò* nimirum per locutionem æquivocam dicendo: *Non violavit fidem*: Fides enim plura significat, nimirum fidem coniugalem, fidem Catholicam, fiduciam, & credulitatem. *Secundò* loquendo per metaphorā in significatione vsitata in sacris Scripturis, in quibus adulterium sæpè accipitur per idolatria. *Ierem. 13. v. 27. Ezech. 23. v. 37. Osea 2.*

* 33 *Quę est tua sententia* de quotidianis illis cōplimentis; *Servus tuus obedientissimus*; Mandet mihi *servo tuo*: Omnia *mea tua sunt*, &c. *Dico*: Sunt verba honoris, quę per humanam consuetudinem iam quilibet intelligit dici per metaphorā, vel hyperbolem, adeoque sine mendatio, & restrictione mentis.

Quid de veniente ex quodam oppido laborante rumore pestis; & examinato an ex eo veniat? *Dico*: Si adiuretur, an veniat ex eo loco, de quo est fama pestis, sed falsa, licitè respondet se non venire ex eo, subintelligendo, vt peste infecto, nec intrasse illum locum, puta, vt peste infectum. Etsic satisfacit interrogationi coram Deo, ait Coradus; nec decipit interrogantem, ille enim solum curam habet, ne quis ingrediatur. Et idem est, ait Sylvester cit. Si quis fuit quidem in tali loco infecto, sed non sic, vt potuerit infici, vt quia nō erat aer corruptus, & transivit celeriter in quo, & generaliter idem est, quoties tales Officiales concederent, aut concedere deberent ingressum, si scirent veritatem.

Quid agendum, seu dicendum illi, qui iniustè vrgetur ad respondendum, & nō scit æquivocare, v. g. puer à latrone quærente patrem ad necem interrogetur, an sit domi? *Dico*: Tenetur respondere secundum dictamen conscientię: Vnde si puer ille ex invincibili ignorantia crederet in eo casu licitum esse mentiri, vel esse licitū eligere hoc tanquam minus malum, nō peccaret formaliter.

Sacrilegium. Quæst. 99. per 4. art.

* 34 QUÆRO X. Quid, quotuplex, & quantū

peccatum est? *Resp.* 1. Sacrilegium, dictum quasi sacri-lædium, seu læsio, juxta S. T. est violatio, rei sacræ. Et est speciale peccatum, si nimirum propriè sumatur. *Ratio:* Quia habet specialem deformitatem, nimirum indignam tractationem rei factæ, vt patet ex S. T. *ar.* 1. *& 2.* Dixi, *si propriè sumatur.* Nam in largiore acceptione, qui lædit commune bonum, quod est quoddam divinum, & sacrum: aut qui lædit populum Christianum, aut Principem Christianum, qui similitudinariè dicitur res sacra; populum quidem, inquantum per sacramenta est sanctificatus; Princeps, inquantum est minister, & defensor rerum sacrarum: ille, inquam, lædens largè dicitur sacrilegus.

* 35 *Resp.* 2. Sacrilegium est triplex, nimirum commissum *in personam*, vti est Clericus, vel Religiosus, vel Monialis, aut habens votum simplex castitatis. *In rem*, vt est res Deo, seu cultui divino dicata, vt Calices, Vestes, Imagines, Reliquiæ, Sacramenta, &c. *In locum*, vti est Ecclesia, Cœmeterium. Nam est violatio personæ sacræ, rei sacræ, vel loci sacri, quibus injuria infertur. *Declaratur vlterius*: ad primam sacrilegij speciem spectant, percussio Clerici, vel Religiosi; Fornicatio Clerici, vel Religiosi; Violatio Monialis, aut alterius puellæ vinculo spirituali per Baptismum, vel cõfirmationem coniuncta. De quibus actum est suprà *T.* 5 E. 2. *n.* 30 *Item* pertractio Ecclesiasticorum ad tribunal sæculare, & exactio vectigalium ab ijsdem facta per potestatem sæcularem. *Ad secundam speciem* spectantia 5. *gradus* habent. In primo gradu sunt Sacramenta, quorum præcipuum est Eucharistia, in qua cum Christus sit, non in forma propria visibili, sed in forma cibi, & potus, irreverentia eius non ad primam, sed ad secundam speciem pertinet, vti est, indigna eius administratio, vel sumptio; eius irrisio, cõculcatio, &c. *In 2. gradu* est irreverens tractatio sacrorum Vasorum, etiam corporalium, v. g. potare ex Calice consecrato. Huc etiam reducitur indigna retractatio verborum S. Scripturæ, est enim sacra; & repræsentant suum Authorem, &c. sive fiat impugnando, sive sensum eorum perverrendo, sive eis abutendo ad discursus profanos, maximè ad turpia, & obscœna. Est enim sacrilegium. *Ad tertiam speciem* spectant, quæcumque committuntur contra sanctitatẽ, aut reverentiã loci sacri, vt effractio, vel incendium eius, vel altaris, effusio sanguinis, vel seminis in ea, sepultura infidelis, vel excommunicati nominatim, & publicè denuntiati; Violenta extractio personæ gaudentis immunitate. Huc etiam spectat furtum in loco sacro, sive rei sacræ, sive profanæ, saltẽ intuitu asyli in eo positæ. Vnde in cap. *Quisquis* 17. q. 4. summ. riè sic habetur, esse sacrilegium, auferre *sacrum de sacro; Non sacrum de sacro; sacrum de non sacro.* Item huc pertinent, mercaturæ, deambulationes, rixæ, confabulationes, quæ si in templo fiant cum gravi excessu, vt Officium divinum indè notabiliter perturbetur, mortalia esse possunt. De Nundinis in Cœmeterio, attendenda est loci consuetudo.

* 36 *Not.* Si crimen sit tale quo Ecclesia polluitur, si nimirum sit publicum, Ecclesia indigeret nova benedictione simplicis Sacerdotis, si Ecclesia nõ sit consecrata, vt notat Conradus; si verò sit consecrata, ad Episcopum spectat. Ex quo sequitur, fornicationem, ac pollutionẽ occultè in Ecclesia, aut Cœmeterio facta, vti & tactus impudicos in Ecclesia cum pollutionis periculo habitos esse sacrilegia, & circunstantiam loci necessario in confessione explicandam. Verba tamen, & aspectus impudici in Ecclesia non inducunt rationem sacrilegij, licèt mortalia sint.

* 37 *Resp.* Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale; in individuo potest esse veniale, ù nimirum irreverentia, quę infertur, levis sit. Patet ex dictis. *Ex dictis colligitur* 1. nomine Loci sacri intelligi Ecclesiam consecratam, vel benedictam, Cœmeteria, & Oratoria authoritate Episcopali constituta; & ad divinum cultum deputata, & ad libitum ad vsus prophanos non convertibilia. Secus est de Monasterijs, dormitorijs, cubiculis, Sacerdotum, vel Religiosorum: hæc enim loca, licèt sint sacra, eo quod immunitate gaudeant, non tamen sunt tam sacra, vt copula, vel pollutio in ijs habitæ, specialem contrahant malitiã sacrilegij *Ex quo colligitur* 2. Copulam carnalẽ habitã in Ecclesia per authoritatẽ Episcopi destructa, non esse sacrilegium, vti nec est, si copula, vel pollutio fiat suprà ad tectum Ecclesiæ, vel ad cancellos parietis extra eam; vel in loco subterraneo, modò talia loca non sint sepulturæ deputata; nec in turri, vel cãpanili Ecclesiæ. Plura de sacrilegio vide suprà T. 5. E. 2. n. 30.

Maledictio, seu Imprecatio. *Q. 76. per 4. art.*

* 38 QUÆRO XI. Quid, & quale peccatũ est? *Resp.* 1. Maledictio iuxa S. T. ar. 1. prout hic sumitur, est desiderium alicuius mali proximo expressum per verba optativi modi; seu, est imprecatio mali, v. g. *Vtinam collum frangeres*; *Diabolus te auferat.*

Resp. 2. *ex S. T. art.* 3. *in c dicente*: Maledictio secundum genus suum est peccatum mortale: & tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur. Vnde dicitur *Levit.* 20. Qui *maledixerit patri suo, & matri, morte moriatur.* Contingit tamen, verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter effectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert. Quia peccata verborum maximè ex effectu pensantur. *Hæc S. D.*

* 39 *Resp.* 3. Maledictioni, seu imprecationi solet interdum admisceri juramentum, dictum execratorium, de quo suprà. Si ergo iurans sibi ipsi imprecans vtatur terminis proprijs, & convenientibus ad divinam justitiam in suis creaturis (si per eas iuret) relucentem invocandam, & adsint conditiones debitę iuramenti, nõ est peccatum, sed actus Latriæ. Si verò vtatur terminis impijs, scãdalosis, ineptis, vt, diabolus me rapiat; pereã æternum, damner, &c. peccatum mortale est, si serium sit; secus, veniale: immò si serium non sit, potest esse mortale ratione scandali.

* 40 *Resp.* 4. Si quis alijs imprecetur dæmonẽ, fulgur, grandinẽ, pater ex R. 2. distinguendũ esse. Si imprecetur illis quos amat, & hoc ex subita ira, absq; serio desiderio, vt sequatur effectus, est veniale, defectu voluntarij, vt fatentur se reflectẽtes, desuper interrogati; & spectat ad verba otiosa. Licèt autem proferantur sine intentione effectus, est tamen res Christiano homini mansuetissimi Salvatoris Sanguine redempto indigna, propter scandalum, horrorem, & impietatem verborum. Aggravatur etiam valdè ex hoc, quòd subditus maledicat Superiori, &c. Vide suprà Tract. 5. Exam. 2. num. 58. de consuetudine iurandi, blasphemandi, &c. Item vide Tract. 7. Exam. 6. num. 6. & 8. quantum sit peccatum sibi, vel alteri optare mortem. Et num. 11. an in Confessione exprimenda sit species mali proximo optati.

An, & quomodo liceat maledicere brutis, vide ibidem num. 11.

EXAMEN VI

De Laude Dei, seu assumptione Divini nominis per Orationem, & Laudem. Q. 91. per 2. art.

Vbi agendum de horis Canonicis, & celebratione festorum.

* 1 QUÆRO I. Horæ Canonicæ quid, & quot sunt, quo iure institutæ, quo tempore, loco, ordine, ac situ corporis persolvendæ? *Resp.* 1. Horæ Canonicæ sunt quædam laudes, & preces ab Ecclesia institutæ, ad Deum singulis diebus, certis, & statutis horis, laudandum. Ex quo patet, cur dicantur *horæ*, nimirū quia certis diei horis correspondent: quas etiam (*vt dicetur* R. 2.) misteriosè circa Passionem Domini representant. Dicuntur autem *Canonicæ*, tum quia per sacros Canones sunt institutę: tum etiā quia certam, & determinatam ab Ecclesia habent Regulam; *Canon* enim Græcè, Latinè idem est, ac Regula.

* 2 *Resp.* 2. Septem sunt horæ Canonicæ, nec plures, nec pauciores. *Frecisa* non est hora, sed Cōmemoratio Sanctorum. Est contra quosdam Canonistas, ponentes octo, eò quod Matutinum distinguant à Laudibus. Sed communis Ecclesiæ vsus statuit septē. Et sunt 1. *Matutinum, & Laudes.* 2. *Prima.* 3. *Tertia.* 4. *Sexta.* 5. *Nona.* 6. *Vespera.* 7. *Completorium.* Et hoc ad representanda. 7. præcipua Passionis Christi mysteria his versibus contenta.

Hæc sunt, septenis propter quæ psalimus horis,
Matutina ligat Christum, qui crimina solvit.
Prima replet sputis, dat causam *Tertia* mortis.
Sexta cruci figit, latus eius *Nona* bipartit.
Vespera deponit tumulo *Completa* reponit.

Hic septenarius numerus conformis est Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Matutinū ergo, & Laudes, cum terminentur eadem Oratione, seu Colecta sunt vna hora. Quidquid sit de antiqua consuetudine ea separandi, quæ non probat esse distinctas horas, vt patet ex allegato communi Ecclesiæ sensu.

* 3 *Resp.* 3. Horæ Canonicæ non sunt de iure Divino, sed Ecclesiastico. *Ratio*: Quia iure divino nullum tale præceptum invenitur. Nec obstat, quod horæ Canonicę vocentur *Officium divinum*. Hoc enim nomen habent, non à causa instituēte, sed à causa materiali, & finali, quia nimirum divinas laudes continet, & ad Deum laudandum diriguntur.

* 4 *Resp.* 4. Quod concernit tempus, Horæ Canonicæ à principio sunt institutæ, vt *Matutina, & Laudes* recitarentur media nocte. *Prima*, orto Sole. *Tertia*, nona diei. *Sexta*, circa duodecimam. *Nona*, circa horam tertiam pomeridianam. *Vesperæ*, inclinante die. *Completorium* sub initium noctis. Nunc autem diversarum Ecclesiarum diversę sunt consuetudines. Quæ sunt servandæ. Et quidem multò districtius quoad Chorum, seu publicam Officij divini recitationem servandum sunt statuta tempora; quia ex eorū mutatione facilius oritur scandalū, & impeditur populi devotio. *Dixi, quoad Chorum.* Quia communis est sententia, quod ille, qui privatim horas recitat, quacunque diei hora sive ante, sive post prandium horas recitet, non peccet mortaliter, dummodo eas absolvat spatio vnius diei artificialis, id est, a vesperis vnius diei, vsque ad mediam noctem sequentis diei, ita tamen, vt in vesperis diei præcedentis non plus dicat, quam Matutinū & Laudes. Peccatum tamen veniale sat grave committit, qui sine causa Matutinum, vel Primam diceret post meridiem, vel mane Vesperas, aut Completorium.

* 5 *Quid iudicas* de eo, qui vesperè præcedente orat Matutinum, & sequenti mane Laudes? *Dico*: Probabilius mihi videtur, si habeat rationabilem causam præveniendi, v.g. studij gratia, quod nec venialiter peccet. *Ratio*: Tum quia horæ dicuntur etiā tunc intra vnum diem Ecclesiasticum, seu artificialē. Tum etiā, quia hæc separatio fuit olim frequentissima, & de facto non datur vlla nova lex, aut contraria consuetudo id prohibens sub peccato, præsertim si adsit causa. *Tum tandem*, quia licèt eadem Oratione terminentur, habent tamen distinctum modum initiandi. In eo tamen casu ante Laudes debet præmitti *Pater noster*, &c. & Matutinæ, pridiè terminari cum Oratione.

* 6 *Oppono*: Ergo idem dici posset de dimidia parte Matutini. *Ad hoc dico*, posse quidē hoc speculativè defendi, & probari à paritate confessionis longæ per noctem interruptæ, sed in praxi non ita probatur, cum talis separatio (quod tamen aliqui negant) nō fuerit vnquam in vsu, sicut est de confessionibus; nec habent diversum modum initiandi sicut Laudes à Matutinis diversum habent. Aliud est si intra eundem diē naturalem separentur partes Matutini, quæ separatio culpam venialem non excedit.

* 7 *Resp.* 5. Locus pro horis in communi, ac solemniter dicendis, proprius est Ecclesia, quæ ad hoc est constructa, vt si sit Cathedralis, Collegiata, Regularis. Privatim horæ Canonicæ possunt dici in quovis honesto loco: modò in eo debita attentio nō impediatur, vti impeditur in frequenti hominum concursu, clamoribus, jocis, &c. vbi quis periculo non satisfaciendi se exponit. Vitandus ergo est locus indecens, in quo non esset decens loqui honorato viro; quia non videtur adhiberi debita reverentia rei sacræ.

* 8 *Resp.* 6. Ordo servandus est in lectione horarum, vt posterior priori non præmittatur, v.g. Prima, Matutinis. Quod tamen si in lectione privata sine scandalo, & contemptu fiat, solum est veniale, qui non est contra substantiam horarum, & deformitas, ac irreverentia, quæ fit, est levis. Immo fit sine omni culpa, si fiat ex rationabili causa. *Ex quo sequitur*, cum, qui ad Chorum serò venit, posse cum alijs profestui cœptam horam, & postea repetere partem neglectā, licèt melius faciat repetendo totum. Idem est de eo, qui sub hora ex Choro vocatur ad confessionale, vel ad infirmum, & postea redit ad aliam horā, priore nondū persolutā.

* 9 *Resp.* 7. Hora cæpta non est interrumpenda. Si tamen interruptio non sit ejus longa, probabilius est, non esse nisi peccatum veniale, licet fiat sine rationabili causa. *Ratio* 1. *p.* Indecorum est, quod quis, cum Rege terrestri loqui incipiens, in medio sermone abrūpat, & homini plebeio loquatur, etiam cum animo redeundi ad prius negotium cum Rege cœptum. Ergo à fortiori, ita est respectu Regis Regum. *Ratio* 2. *p.* Si interpolatio sit modica, irreverentia non est gravis, & constitit moralis vnitas divini Officij. Ergo,

* 10 *Resp.* 8. In publica horarum Canonicarum persolutione servandæ sub peccato sunt cæremoniæ statutę. Quia per earum negligentiam Deo denegatur debita reverentia. Ad privatam verò persolutionē sufficit eam fieri stando, sedendo, ambulando, genuflectendo, prout occasio fert, & devotio dictat. Potest tamen in ea facile committi peccatum irreverentię, vel escādali per immodestum, ac indecentem corporis situm.

* 11 QUÆRO II. Estne mortale omittere vnicam horam etiam parvam, aut notabilem partem? & quæ illa? *Resp.* 1. Certum est, quod voluntarię, & sine iusta causa omittens vnicam horam, etsi parvam, v.g. Primā vel Completorium, vel primas Vesperas Paschales in Sabbatho Sancto, peccet moraliter. *Ratio*: Quamvis hora etiam parva iuditio prudentum est gravis, & notabilis pars totius Officij. *Item* numerus horarum est in præcepto. Et ita de minima etiam hora dubitasse, ac

pru-

prudentiſsimos Viros cenſuiſſe docet noſter *Donatus*.

* 12 *Reſp.* 2. Probabilius, & tutius eſt idem aſſerere de parte notabili vnius horæ: licet non ſit tam grave peccatum. *Ratio*: Licèt enim illa non ſit notabilis pars totius Officij, bene tamen vnius horæ, quæ proinde graviter mutilatur. Quia licèt præceptum Eccleſiæ de horis ſit vnum, nequit tamen negari, quin cadat ſuper ſingulas horas integrè dicendas. Hæc intelliguntur etiam de privata horarum recitatione, ſi enim de publica loquamur, nimirum de Choro, adhuc gravius peccatum foret, quod vel maximè imputandum illis, quibus Chori cura incumbit.

* 13 *Reſp.* 3. Tertia pars vtplurimum quidem eſt notabilis pars obligans ad mortale, ſi verò totũ ſit valde magnum etiam pars minor tertia, eſt notabilis. Vt qui debet 300. *Imperiales*, non ſolum grviter peccat, ſi non ſolvat 100. ſed etiam ſi neget 30. Dies feſtus *habet* 24. *horas*, vt quis in eo laborando ſerviliter peccet moraliter, non eſt opus, quod laboret octo horis, quę eſt tertia pars, ſed ſufficit longè minus tempus, vt patet infrà n. 77. R. 3. Hinc tutius, & probabilius docet *Donatus*, gravitatem materię deſumendam eſſe ex eo, quod ſit magna in ſe, conſiderata dignitate eius, & deformitate reſpectu totius, ſecundum prudentiam humanam. Vnde in Matutino cum Laudibus vnus Nocturnus eſt tantum quarta pars, & tamen eius omiſsio cenſetur materia gravis: è contra in hora Tertia, vel Sexta hymnus cum primo pſalmo eſt tertia pars, & tamen non cenſetur materia gravis compartivè ad finẽ, ait ille, citans Paludan. & Sylveſtrum. *Ratio*: Quia ita videtur cenſere debere prudens iudicium.

* 14 *Quid ſentis* de obligatione perſolvendi ea, quæ Epiſcopus ordinans injungit Ordinandis? *Dico*: Sive ad maiores, ſive ad minores Ordines promoti, nõ obligantur ſub mortali ea perſolvere, niſi fortè cõſuetudo Dioeceſeos gravẽ obligationẽ induxiſſet. Hinc injungi videntur non ex rigido præcepto, ſed ex ſola decentia, & honeſtate; cui tamen meritò parendũ eſt. *Ratio*: Quia non apparet, quòd Epiſcopus ordinãs habeat ius, vel intentionem imponendi tam grave onus conſcientiæ. *Not.* Quando in Pontificali ſtatuitur, vt Epiſcopus ordinans Subdiaconis, &c. injungat Nocturnum talis diei, debet Epiſcopus diem determinare, & exprimere: ſi non determinet, intelligendũ eſt de Nocturno, vel vno ex tribus Nocturnis currentis diei.

* 15 QUÆRO III. Dominicani teneanturne ſub mortali orare *Officium B. V.* dum dicitur iuxta ipſorum Statuta certis diebus in Choro, dum ipſi privatim extra Chorum horas orant? Idẽ quæro de Officio defunctorum, quod quavis hebdomada recitant in Choro, excepta hebdomada *Paſchatis*, & *Pentec.* Item de Pſalmis Gradualibus in Sabbato, dum agitur de B. V.

* 16 *Reſp.* 1. De *Officio B. V.* etſi ante hac noſtri DD. ipſimet inter ſe fuerint diviſi, defacto tamen ego non ampliùs dubito de obligatione ſub mortali, ſed vt certã aſſero propter authoritatem Capituli noſtri Generalis Romę die 4. Junij 1656. celebrati, in quo declaratione 34. ſic dicitur: *Declaramus ex communiori, ac patiori Religionis ſenſu (quidquid fortaſſe paucis hactenus in ea re libuerit addubitare) omnes Ordinis noſtri Clericos profeſſos teneri ſimpliciter ad recitandum Officium Beatæ Virginis illis diebus, quibus in Choro recitatur.* Ubi *NB.* ly *ſimpliciter*; Quæ vocula indubiè plus ſignificat quàm pœnã, & quàm culpã venialẽ, de qua DD. inter ſe nõ diſputarunt: Quia Statuta noſtra obligant ſub pœna; & de culpa ſaltẽ veniali ipſi Adverſarij ſe accuſant. Ergo ſignificat culpã mortalẽ, & obligationem ad hoc officium æquè ac ad alias horas. Unde Sylveſter docet, quod communis conſuetudo (quæ cum Ordine noſtro cœpit) Officium B. V. computet inter horas. Huic ſententiæ varia Argumenta opponi poſſent, ſed Authoritativa probabilioritas, & praxis ea annullat.

* 17 *Reſp.* 2. Probabilius eſt idem ſentire de Officio defunctorum, conſentientibus etiã illis, qui oppoſitum tenuerunt de Officio B. V. *Ratio*: Quia de illo in noſtris Statutis *diſt.* 1. de Officio Eccleſiæ, *cap.* 1. habetur præceptum non ſolùm de Choro, ſed & de obligatione extra Chorum.

Not. Officium defunctorum ab iis, qui ad illud per ſeptimanam tenentur, poſſe per dies eius diviſi, ſic vt vno die dicant vnũ, vel duos Nocturnos, altero alterũ Nocturnum, vel Laudes, &c. quia obligatio illud recitandi ſtat pro tota hebdomada; & in tutiori, ac probabiliori ſententia tempus obligationis completur media nocte Sabbathi. Nam dies Dominica non ad præteritã, ſed tota ad ſequentẽ ſeptimanam ſpectat. Quod clarè probatur ex numero feriarũ: Dies enim Lunę vocatur feria ſecunda præſupponit primã. Ergo. Hinc illud, *medium participat aliquid de vtroque extremo*, in quo aliqui Adverſarij ſe fundant, nihil prbat; tum quia Dominica non eſt propriè media, ſed initium ſequentis ſeptimanę: tum etiam, quia, quidcumq; participet, non participat vim transferendi obligationes ab vno die in alium, quia aliàs etiam ſatisfaceret, qui horas huius die differret vſq; poſt mediam noctem, & tunc oraret; quia nox poteſt dici media inter vtrumque diem.

* 18 *Reſp.* 3. De Pſalmis Gradualibus probabilius videtur, non eſſe obligationem ſub mortali *Ratio*: Tũ quia integrè apud nos ſemper dicuntur extra Chorum, nimirum in dormitorio. Tum quia Statuta nullũ de hoc ponunt præceptũ. Tum tandẽ, quiade hoc nulla in Statutis, nec in aliquo Capitulo eſt declaratio.

Quid ſentis de Litanijs omnium Sanctorum, & Pſalmis Pœnitentialibus, qui à Dominicanis certis diebus in Choro dicũtur? *Dico*: Ipſæ Rubricæ clarè exprimũt, quòd Fratres extra Chorum ad hæc non teneantur.

* 19 QUÆRO IV. Quinam, & quo, ac quotuplici, titulo teneantur dicere Hors Canonicas? *Reſp.* 1. Ex triplici titulo, etiam ſeorſim ſumpto, oritur obligatio recitandi Horas Canonicas. 1. *Ex titulo* Beneficij. 2. *Ordinis* Sacri. 3. *Profeſſionis* Religioſæ. Prout magis explicabitur in ſequentibus. *Reſp* 2. In tutiori, ac probabiliori ſententia *Beneficiatus*, licèt ſit in Minoribus, tenetur dicere Horas Canonicas, etiam privatim, ſeu extra Chorum, ſive Eccleſiam, & quidem ſub mortali, & ex juſtitia, ita vt ſcienter omittens teneatur in conſcientia reſtituere fructus pro rata, etiam ante Judicis ſententiam, etiamſi tantum ſemel illas omittat voluntariè. *Ratio*: Stipendium propter actionem aliquam cuidam, vt miniſtro datum, obligat ad eam ex pacto juſtitiæ: Sed Eccleſia Clerico dat *Beneficium propter Officium*, vt dici ſolet, & vt ſtipendium. Ergo ad Officium tenetur ex juſtitia: Sed Officium Clerici præter alias actiones comprehendit recitationem horarum, & Eccleſia intendit determinatè obligare ad illam. Ergo. *Min. prob.* Ex antiqua conſuetudine, quæ ſic ſemper fuit intellecta, & declarata ab Eccleſia in Concil. Later. ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *c.* 9. *vbi dicitur*, quòd habens beneficium, ſi non recitaverit horas poſt ſex menſes ab obtento beneficio, privetur illo, quia *beneficium* datur propter *officium*; vbi per ly *officium* clarè intelliguntur horæ, vt patet. Unde dici ſolet: *Datum ob cauſam, cauſa non ſecuta, iure repetitur.* Et notent hoc Confeſſarij.

* 20 *Oppone*: Confeſſarius cum Clerico horas omittente non debet ſe gerere velut cum latrone, qui omne, quod abſtulit, tenetur reſtituere, ſed ſicut cum miniſtro alicuius Principis, qui, licèt interdum ab officio ſuo deficiat, non ideò cogendus eſt partem ſtipendij reſti-

restituere. *Ad hoc R.* esse differentiam inter ministrum Principis, & Beneficiarium, quod ab illo non exigitur quotidianum servitium, sicut ab hoc quotidianum officium ad lucrandos fructus, & stipendium. Confessarius ergo cum tali Clerico non debet agere, vt cũ ministro Principis, sed vt cum conducto ad laborandum in vinea, qui si vno, vel medio die non laboret, stipendium, vel eius partem amittit, ac restituere tenetur. Vnde Pius V. statuit, quod tales pro rata omissionis fructus non faciat suos. Estque verum, licèt sit beneficium simplex.

* 21 *Quid hoc est pro rata? Explico*: Qui omisit Matutinas, tenetur restituere mediam partem fructuum illius diei. Qui solùm Primam, sextam partem fructuũ. Qui omnes vnius diei horas omisit, nihil lucratur, sed omnes diei fructus restituere tenetur. Idem proportionabiliter dicendum, si omittat notabilem partẽ horæ.

Quibus debet restituere? Dico: Fabricis Ecclesiarum, vbi beneficia sunt sita, vel pauperibus. Notandum hic est hanc sententiam ab Alexand. VII. esse damnatam: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus tui Beneficij fecerit.*

Quid si Beneficium sit valde tenue? *Dico*: In probabiliori, & tutiori sententia non excusatur à dicendis horis. *Ratio*: Quia Iura distinctè omni beneficio onus horarũ imponunt, & Beneficiatus sciens beneficio esse annexum tale onus, sponte illi se subiecit: *Excipe*, si in tali Ecclesia non sit consuetudo orandi horas pro tam tenuibus beneficijs, nisi fortè in festis, nec Prælatus in Beneficij collatione id præcipiat. Vel si tales Beneficiati in ea Ecclesia præstent alia servitia, in quorum compensationẽ per modum stipendij eos reddirus fundatos esse, præsumi possit. Si verò consuetudo orandi vigeat, tenentur. Si enim Lex, & Consuetudo Ecclesiastica potuit Clericos in sacris constitutos, nullum Beneficium, vel fructus habentes, sub mortali obligare ad horas, cur non idem in hoc casu?

Quid de restitutione in eo casu, si omittat horas? *Dico*: Ex datis fundamentis clarè patere, quod fructus non faciat suos, adeoque eum pro rata teneri restituere. Nisi fortè sibi ipsi, vt verè pauperi (si talis sit) applicet cum consilio Confessarij.

* 22 *Quid si* Beneficiatus nihil percipiat? *Dico*: Si absque sua culpa nihil percipiat, nec perceprurus sit per modum compensationis, non tenetur interim ad horas titulo Beneficij. Quia non habet Beneficium secundum omnem effectum. Nisi sit talis casus, circa quẽ alia ferat Ecclesiæ consuetudo. Si verò fructus huius anni percepturus sit alio anno cum alijs, tenetur, vt constat.

* 23 *Quid si* Beneficium est quidem collatum, sed non dum in possessione? *Dico*: Practicè probabilius videtur, solum Beneficij titulum sine possessione non sufficere, vt quis obligetur ad horas, nisi ipse Beneficiatus sit causa dilatæ possessionis, aut fructus postea sint compensandi, vel aliter habeat consuetudo Ecclesiæ illius. *Ratio*: Ante pacificam possessionem non censetur quis plenè, & perfectè Beneficium consecutus.

* 24 *Quomodo* intelligis, quod ante dixisti de primis sex mensibus? *Dico*: Sensus est: Beneficiatus possidens Beneficium, & in primis sex mensibus omittens horas graviter quidẽ peccat, sed non tenetur restituere: Obligatio ergo restituendi incipit post sex menses numerandos à die adepti Beneficij. Ita patet ex Bulla Leonis X. & Pij V. *Excipe*, si fundationi inserta sit obligatio orandi etiam primis sex mensibus.

* 25 *Quid sentis* de novis Canonicis, quibus iuxta Germaniæ consuetudinẽ (non obstante Bulla Pij V. eam reprobante, sed nõ recepta, mandante vt saltẽ detur eis dimidia fructuum pars) primò, aut altero anno redditus subtrahuntur, vt Senioribus ad honestiorem sustentationẽ accrescant? *Dico*: Si sit immemorialis, & cũ approbatione Summi Pontificis legitimè introducta consuetudo, vt primis annis horas, non recitent, nõ tenentur. Si verò non sit, tutius, & probabilius est, eos teneri. *Ratio*: Etsi nunc careant fructibus, postea tamen accipient vberiores: quod autẽ differtur, non aufertur. Et hoc maximè in ijs locis, vbi post mortem habent annũ *gratiæ*, vt vocant, quo adhuc percipiunt, vel pro funeralibus, vel pro debitis solvendis, vel percipiunt consanguinei: Si autem nihil accipiant ex eo, quod resignent, vel moriantur, priusquam accipiant, per accidens est. *Hactenus de Beneficiato simplici in sacris non constituto.*

* 26 *Resp.* 3. Habens sacrum Ordinem sine Beneficio sub mortali tenetur dicere horas Canonicas. Ita dictat consuetudo Ecclesiæ obtinens vim Legis. *Ratio* est, qua vtitur S. T. *quodlib. 6 a. 8* Nam sacris initiati ex vi suę consecrationis specialiter sunt dicati diuino cultui, cuius principalis pars est Officium Diuinum, seu Horæ Canonicæ. *Resp.* 4. Habens Beneficiũ curatum, omittendo horas non solum mortaliter peccat, sed etiã tenetur ad restitutionẽ fructuum pro rata. Verum Capellani, seu Parochorum Cooperatores licèt peccent, restituere tamen non tenentur. *Ratio* primæ partis est eadem, quæ pro R. 2. Vbi etiam patet de Beneficiato simplici. *Ratio* secundæ partis: Quia dicti Capellani communiter saltem) suum salariũ non accipiunt, ex Beneficio Ecclesiastico, sed ob personale servitium, & Parochiales functiones.

* 27 *Esto* eodem modo rata omissionis horarum accipienda de Parocho, ac de Beneficiato simplici? *Dico*: Non est. Nam cum in pœnalibus, & odiosis benignior interpretatio sit facienda, & æquitas rigori iuris præferenda, si Lex ex æquo, & bono (salva ratione recti sermonis) interpretationem recipere possit; ideò practicè probabilius videtur, quod ly *omnes fructus*, dum in Bullis dicitur esse ab omittente horas restituendos, intelligatur in Parochis (imò & alijs Beneficiatis, quibus incumbit onus Missas dicendi, vel similia agendi) cum restrictione ad fructus Breviario correspondentes, non verò correspondentes alijs oneribus parochialibus, vt sunt, concionari, Sacramenta administrare, &c. Ratio ergo pro Parocho facienda est arbitrio boni Viri, dividendo, v. g. redditus in tres partes, quarum duæ correspondeant laboribus parochialibus; tertia horis: vt, si quotidiè habeat 3. *florenos*, pro toto Breviario semel omisso restituendus sit vnus florenus.

* 28 *Qui ex dispensatione* Papæ habet duo Beneficia compatibilia, teneturne bis orare horas? *Dico*: Practicè probabilius est, satisfieri vnica recitatione. *Ratio*: Tum quia vnico actu possunt impleri duo præcepta, vt patet ex præcedentibus in eo, qui orat horas sub Missa præcepta; Vel ex voto jejunat in die, quo etiam ex præcepto tenetur, & in Religioso orante horas ex obligatione Professionis, & sacri Ordinis. Tum quia non censetur esse alia mens Papæ dispensantis.

Oppone: Per vnicam Missam non potest quis satisfacere pro duplici stipendio, etiam inadæquato. Ergo similiter. *N. conseq.* Nam stipendium pro Sacerdote celebrante est Lege, vel Consuetudine taxatum, quo maius ex iustitia exigere Sacerdos non potest. Si sit parvum, vel minus justo, & sponte acceptavit, imputet sibi, quia sciens, & volens contractũ iniit. De quo alibi.

* 29 *Resp.* 5. Religiosi professi habentes Chorum tenentur sub mortali recitare Horas Canonicas, etiam

etiam privatim. Est certum. *Resp.* 6. Radix huius obligationis non est, quia Religiosi viuunt ex fundationibus, & eleemosynis, & eo pacto, vt horas orent, à fidelibus aluntur. *Ratio*: Quia hæc ratio tangit omnes Religiones, adeòque omnes tenerentur ad horas, quod tamen non est. Nec illa radix est Professio, & institutio, qua vt pro se, & tota Ecclesia orent, ad Chori sequelam sunt vocati. *Ratio*: Quia ex hoc sequeretur, quòd privatim non tenerentur ad horas, quia illi obligationi satisfieret per Communitatem in Choro congregatam, etsi aliqui essent absentes. Sicut dum aliqua Religio instituitur ad prædicandum, & militandum, non tenetur quilibet in particulari prædicare, aut militare.

Probabilius ergo est, quod radix illius obligationis sit immemorialis consuetudo ex ipsa professionum praxi vim legis obtinens, & à Summis Pontificibus vt obligatoria declarata. Nam Pius V. in reformatione Breviarij Romani jubet, vt iuxta eius ritum omnes etiã Religiosi teneantur orare, nisi qui à ducentis annis ex approbata institutione alium ritum habuerint. Et pro Ordine nostro Clemens VIII. iussit, vt omnes iuxta Breviarij nostri reformationem tam in Choro, quam extra teneantur orare.

* 30 QUÆRO V. Religiosi *ad seculum* electi. 2. *Ad triremes* damnati. 3. *Extra* Claustrum degentes. 4. *Ad Matrimonium* dispensati. 5. *Novitij*. 6. *Conversi*, seu *Laici*. 7. *Monialis*, tenenturne ad horas? *Resp.* ad omnia, quod mihi probabilius videtur. 1. *ad* 1. *affirmative*. *Ratio*: Quia Religiosi electi manent substantialiter Religiosi, nec eorum Professio extinguitur. Ergo sicut tenentur servare vota essentialia, ita & horas recitare; aliàs enim ex sua iniquitate reportarent commodum, & alleviationem. *Exceptio est*, si Professio omnino extinguatur, vti fit in aliquibus electis è Societate.

Resp. 2 Damnatio ad triremes, licet ob labores plerumque excusentur, si tamen habeant tempus, & Breviarium, recitare tenentur id, quod possunt, ob rationẽ datam. *Resp.* 3. Idem est de degentibus ex dispensatione extra Claustrum. *Resp.* 4. Loquendo de Religioso dispensato ad Matrimonium (dato, & non concesso, id fieri posse) vel manet simul Religiosus, & sic manet obligatus ad horas; si non manet, deobligatur. Quia sublato principali tolluntur, & accessoria. Quod si talis haberet Ordinem sacrum, maneret ex vi illius obligatus, nisi præter priorem adhuc specialem quoad hoc haberet dispensationem: Quæ ob curas rei domesticæ, forsan facilè impetraretur.

* 31 *Resp.* 5. Novitij non tenentur sub peccato ad horas Canonicas, nisi sint in sacris, vel Beneficiati, sed obligatio incipit cum Professione. Nihilominus nostræ Constitutiones de nostris dicunt *dist.* 1. *cap.* 1. *lit. D.* quod Novitius pro eleemosynis loco Officij debeat dicere aliquas Orationes pro satisfactione. *Ref.* 6. Conversi nostri non tenentur ad horas Canonicas. *Ratio*: Quia Ordinem non profitentur, vt vacent Choro, sed operibus manualibus, vt in sudore vultus sui vescantur pane suo, & sint servitores Clericorum Monasterij. Si tamen Religiosus Conversus fieret Clericus, teneretur. E contra si Religiosus Clericus fieret Conversus, deobligaretur, nisi esset in sacris.

* 32 *Oppono*: Nostra Statuta Conversis præscribunt pro horis Canonicis certas orationes, *Patet*, & *Ave*. Quid de his censes? *Ad hoc R.* Non præscribi sub præcepto, sed ex Saluto Regulæ, vnde tenentur ad eas, vbi vt ad horas Canonicas, sed sicut ad alia nostra Statuta, quæ ex vi Regulæ non obligant sub culpa. Quod in Ordine meo indubitantum est, ait noster Donatus. De quo vide *Consid. loc. cit.* Idem est de Monialibus Conversis.

* 33 *Resp.* 7. Moniales solemniter Professæ Choro deputatæ in tutiore, & probabiliore sententia, sub mortali tenentur ad horas Canonicas etiam extra Chorum. Opposita sententia nostro Donato videtur carere probabilitate: Non dicam, ait, temeraria contra cõmunem, scandalosa, & saluti animarum odiosa. *Ratio* est eadem, quę de viris Professis ad Chorum deputatis, nimirum radix huius obligationis est immemorialis vniversalis consuetudo, obtinens vim Legis ex ipsa praxi Monialium professarum, si horas omittant, sub mortali in Confessione se accusantium; & authoritate Sedis Apost. firmata. Ergo. Vnde Clement. *Gravi. celeb. Miss.* supponens obligationem divini Officij sub mortali, absolutè loquitur de Regularibus, sub quorũ nomine etiam veniunt Moniales.

* 34 *Oppono*: Consuetudo accessoria ad Regulã non potest obligare plus, quam Regula ipsa: Sed consuetudo recitandi horas Canonicas est accessoria ad Regulam. Ergo non obligat plus, quam Regula: Sed Regula aliquorum Ordinum non obligat sub culpa. Ergo nec, &c. *Ad hoc N. primã Min.* Nam dicta consuetudo non est accessoria, sed potius prævia, preambula, seu antecedens omnem particularem Regulam per modum Sacrificij laudis introducta ad Dei gloriam, & commune bonum, ac ornamentum totius Ecclesiæ.

* 35 QUÆRO VI. Equites, Commendatores dicti, v. g Melitenses, & Teutonici, obliganturne ad horas, aliasve preces in Regula præscriptas sub mortali? Idem quæro de Canonissis sæcularibus? *Resp.* 1. Licèt dicti Equites, vtpotè vota solemnia Religionis emittentes sint verè Religiosi, non tamen tenentur ad horas Canonicas, etiam privatim recitandas. *Ratio*: Quia ex vi Professionis non deputantur ad Chorum, sed tãtum ad militiam; Nec Regula eis hanc obligationem imponit. *Resp.* 2. Ad preces in Regula præscriptas non tenentur sub mortali, omni tamen modo eis consulendum, ne illas negligant. *Ratio*: Quia Regula id non exprimit, nec vtitur verbis sub mortali obligantibus, sed potius consultivis. Nec illæ præces possunt dici Officium divinum præceptum Canonicum, sed Religioso consultivum, vt loquuntur DD.

* 36 *Resp.* 1. Quod concernit Canonissas Sæculares considerandum. 1. *an* inhabitent Collegium, quod antehac fuerit verum Monasterium Monialium, gaudeantque earum redditibus. Si sic, eò strictior eas tenet obligatio. Qui enim succedit in locum, succedit in ius, & obligationem. Considerandum, 2. vel potius examinanda est Canonissa pœnitens, an non sit communis Consororũ sui Collegij sensus, quod horas privatim etiam omittendo peccent mortaliter. Legi namque, quod in quodam simili Collegio Illustrissima Antistita solita fuerit admonere suas subditas, quod mortaliter peccent Breviarium omittendo. Si ergo communis ille sensus sit, iudicandum est, eas sub mortali teneri.

* 37 *Resp.* 4. Communitas dictarum Canonissarum ad Chorum publicum, vbi est in vsu, tenetur sub mortali. *Ratio*: Licèt enim non sint Religiosæ, nec, exceptâ Antistita (habeat vota) vti nec propriè Beneficia, vel Præbendas, habent tamen fundatos reditus, Præbendis quodammodo affines. Item videntur obligari ex consuetudine. Accedit, quod si Chorum publicum, vel semel omitterent, esset magnum scandalum. Dixi, *vbi est in vsu*; legi namque, alicubi ab ijs, nec Sacrum, nec Horas per hebdomadam cantari, sed tantum diebus Dominicis Missam, Vesperas, ac minores horas. Sed tunc maturè perpendendum, an non sit abusus.

* 38 *Resp.* 5. De mortali obligatione Canonissa-

rum

rum sæcularium recitandi Breviarium privatim, valdè timidè loquuntur Doctores. *Neuſſer* in sua Polyantnea morali dicit esse probabile, quod non obligentur, ob rationem dandam. Citat pro se Lessium, & Gobat. Hic posterior in *Theol. Experim. T. 5. n. 633. sic discurrit*: Peccant mortaliter illæ, quarum culpa evenit, vt aliquo die omittatur publicum Officium Canonicum, non tamè delinquit mortaliter, quæ biduo, aut triduo negligit Chorum, non necessaria ad illum, aut etiam, quæ vno, altero ve die, nec domi, nec in Choro recitat. *Rationem dat*: Non enim fuit primaria intentio Fundatorum, aut Fundatricum, vel Ecclesiæ, obligare has ad orandum pro Ecclesia tanquam ministras huius, sed vt Chorum haberent, & honestè, pièque educarentur. Nihilominus tamen credibile est, eas delinquere mortaliter, si vna integra hebdomada omittant: nam tunc videntur repugnare graviter menti Fundatoris, at non idcircò tenentur ad restitutionem. Nec enim sunt propriè Beneficiales, etsi possit fieri statutum, vt si per multos dies absint, nequeant accipere fructus, aut certè ijs non dentur. Hæc ille. Ego sanè non tam multum de benignitate Fundatorum præsumo, ne occasionem præbeam negligentiæ, sed judico, eam, quæ vnico etiam die integrum, vel medium pensum ex negligentia omitteret, mortaliter peccasse: attamen iuxta sensum *R. tertia* restitutionis obligationem ex Fundatorum pietate condonari præsumerem.

Ex dictis colligitur, qui sunt Canonia, & Canonissa sæcularis? Est enim Canonia hæc ius quoddam, quo alicui virgini, vel fœminę, ex eo quod assumatur in Sororem, competunt certi proventus, ac locus in Choro, & Capitulo. Canonissa dicitur, quæ facta hac assumptione vivit iuxta aliquos Canones, speciali veste vtitur, & cuidam Abbatissæ, vel Præpositæ subjicitur. Dicitur Sæcularis, quia tria Religionis vota non facit, sed Canoniam resignare, & nubere potest pro libitu.

* 39 QUÆRO VII. Quæ intentio, & attentio requiritur ad Horas? *Ante R. Not.* quod licèt intentio, & attentio interdum pro eodem sumantur, pro eodem sumantur, propriè tamen differunt. Quia intentio est actus voluntatis, nimirum affectus, voliſio, seu propositum aliquid faciendi, v.g. Sacramentum conficiendi, vel orandi, à Deo aliquid petendi: attentio verò est actus intellectus, nimirum consideratio, & adverten tia mentis ad Orationem exteriùs prolatam, vel ad obiectum eius. *Not.* 2. ex S.D. suprà *q.* 83. *art.* 13. *in c.* quod attentio ad Orationem vocalem sit triplex: *Una*, qua attenditur ad verba, ne quis in eis erret. *Secunda*, qua attenditur ad sensum verborum. *Tertia*, qua attenditur ad finem Orationis, scilicèt ad Deum, & ad rem, pro qua oratur. Quæ quidem est maximè necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ, ait S. Thom.

Not. 3. Intentionem, & attentionem, quocumque ex tribus his modis sumatur, adhuc esse triplicem. 1. *Formalem*, seu actualem. 2. *Virtualem*. 3. *Habitualem*. *Prima* est ipse actus intentionis, & attentionis physicè existens, & est duplex: Vna explicita, seu in actu signato, qua quis ad ipsam intentionem, & attentionem se reflectit, expresè advertens se intendere, aut attendere. Altera implicita, sive in actu exercito, quando nimirum advertens quid agat, volens illud agit, v.g. pro Missa Missale aperit, Collectas quærit, Calicem instruit, Formam profert; Vel pro horis Breviarium inspicit, oranda inquirit, licèt super intentionem explicitè se non reflectat. *Virtualis* iuxta Thomistas est *virtus à priore relicta*, seu qualitas, aut motio ex vi intentionis actualis impressa potentijs externis, quæ hæ moventur, v.g. ad faciendas actiones sacramentales, vel ad recitandum Breviarium, ad opus continuandum, & hæc manet, quamdiu quis virtute primi propositi, vel actus, nulla (sive directè, v.g. per voluntariam retractationem; vel indirectè, v.g. exercendo actionem incompatibilem) contraria intentione revocati, in actione cœpta, v.g. horarum recitatione, persistit: licèt ex innata fragilitate mens ad alia distrahatur, modo distractioni, dum advertitur, non consentiatur, sed ea pro posſibili excludatur. *Habitualis* est quadam propensio, seu proclivitas ad aliquid faciendum ex præcedentibus actibus relicta, sic vt intentio actualis quidem aliquando præcesserit, sed defecto, nec in se, nec in aliquo effectu, nec in memoria, vel cogitatione hominis existat, vnde & esse potest in dormientibus, qui ex assuetudine certas actiones, quæ non sunt humanæ, faciunt, v.g. orant, loquuntur, disputant, &c. Et alia intentio, nimirum interpretativa, sed de hac T. 11. E. 4. n. 32. in R. 3. His notatis.

* 40 *Resp.* 1. Vt oratio (etiam horarum Canonicarum) non solùm legitimè, & in ratione actus meritorij, & ad satisfaciendum præcepto, sed etiam quoad substantiam fiat, necessaria est intentio, & attentio. *Ratio* 1. *p.* Oratio debet esse actus humanus, seu liber: Sed sine intentione non est talis, qua de causa actus dormientium, amentium, infantium, &c. non sunt humani, &c. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Oratio est mentis in Deum elevatio: Sed mens ad Deum non elevatur, nisi attendat ad ea, quæ lingua loquitur. Ergo.

* 41 *Resp.* 2. Intentio, & attentio actualis, licèt sit omnium optima, non tamen est simpliciter necessaria sub tota Oratione. Habitualis non sufficit, virtualis sufficit, & illa saltem est simpliciter necessaria in probabiliori sententia. *Ratio* 1. *p.* Ad impossibile non est obligatio: Sed continuata intentio, & attentio actualis est homini moraliter impossibilis. Vnde S. D. 3. *part. q.* 64. *art.* 8. *ad* 3. ait: *Habere intentionem actualem non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cùm homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalm* 34. *Cor meum dereliquit me*. Ergo. *Ratio* 2. *& 3. p.* Oratio debet esse actus humanus, & deliberatus: Sed ad illam non sufficit intentio, vel attentio habitualis, vt patet ex eius descriptione, sufficit autem virtualis, cum illa sit ipsa actualis in virtute relicta. Vnde S. T. *q.* 63. *art.* 13. ait: *Vis primæ intentionis, qua quis adorandum accedit, reddit totam orationem meritoriam*. Ergo.

* 42 *Resp.* 3. Loquendo de triplici attentione in *Not.* 2. explicata, ad Orationem, eiusque fructum sufficit prima, nimirum attentio ad verba, simul cum animo de votè colendi Deum, licèt desit attentio ad sensum, & meditatio, vt patet in Monialibus, latinè orantibus, & sensum non intelligentibus, nec sub recitatione plerumque in meditatione se exercentibus; si tamè simul divina meditentur, optimè faciunt, vti & illi, qui simul attendunt ad sensum verborum, & Orationis finem. Sic enim omnes illæ attentiones concurrunt. *Vbi Not.* quod, dum S. D. dicit, tertiam attentionem, nimirum ad Deum ipsum, esse maximè necessariam, & communem, quam etiam possunt habere idiotæ, non loquitur de necessitate absoluta, sed solum ad melius esse, & solum vult significare præstantiam tertiæ attentionis super reliquas duas, quæ ordinantur ad illam, sicut ad finem.

* 43 *Oppono* 1. Interdum quis orat sine omni obligatione. Ergo nō tenetur esse attentus. 2. *Potest* aliquis orare, etiam cum fructu, & tebi Oratione manus lavare, se vestire: Sed tunc nō potest esse attentus. Ergo 3. *Ecclesia* non potest præcipere actum internum; Sed in-

tentio,& attētio eſt actus internus. Ergo 4. *Ergo ſequitur*, quod Clericus, & Religioſus mortaliter peccent, immò Clericus etiam teneatur ad reſtitutionem fructuum ſi ſub horis, vel notabili earum parte nullam attentionem habeat, ſed voluntariè ſe diſtrahat; quod tamen durum videtur.

Reſp. ad 1. *diſt. conſ.* Abſolutè non tenetur, cum poſſit non orare. *C. conſ.* Ex ſuppoſitione quod oret, *N.* Cum ergo homo per orationem etiam non obligatoriam loquatur Deo, tenetur eam facere cum reverentia Deo debita. *Ad* 2. *N. min.* Nam aliæ ſunt actiones cum interna in- & attētione compatibiles, vti ſunt inſinuatæ, vnde Sacerdoti celebraturo præſcribuntur preces dicendę inter induendum; aliæ verò ſunt incōpatibiles, v. g. ſcribere, calculare, ludere. Hinc obligationi ſuæ non ſatisfecit ille Canonicus, qui vna manu Breviarium tenens, & orans, altera manu canes ſuos pabulare ſolebat ſub continuata oratione.

Ad 3. ſatisfactum eſt ſuprà *T.* 6. *E.* 5. *n.* 13. & 14. *Ad* 4 R. *admittendo ſequelam*; nam Eccleſia (*dum c. dolentes. De celebr. Miſſ.*) ſub virtute obedientiæ præcipit, horas dici ſtudioſè, & devotè) & Beneficiorum Fundatores non requirunt nudum ſonum vocis, ſed orationem propriè talem, quæ non eſt ſine attentione. Ex quo ſequitur, quod & illi mortaliter peccent, & (ſi Clerici beneficiati ſint) fructus pro rata reſtituere teneantur, qui ſyllabas, aut voces deglutiendo, aut ſyncopando tantam verſuum partē corrumpunt, vel deglutiunt, vt inde fiat notabilis pars. Idem eſt de ijs, qui alternatim legendo, vel cantando, alterum verſum inchoant, antequam alius priorem finiverit.

* 44 QUÆRO VIII. Quam gravis eſt obligatio comparendi in Choro, ſive pro Religioſis, ſive pro Canonicis? Quot Religioſi Chorum faciant? Canonici ſub Officio divino Miſſam legentes lucranturne diſtributiones? *Reſp.* 1. Communitas Religioſorum tenetur ſub mortali quotidie in Eccleſia publicè horas Canonicas perſolvere. 2. *Quæ* obligatio non ſolum afficit Prælatos, vt attendant, ſubditoſque compellant. 3. *Sed* & ſingulos Religioſos Choro deputatos. 1. *Pars* tum ex immemorabili conſuetudine, tum ex varijs Pontificum Decretis conſtat. 2. *Pars* conſtat ex ijſdem, & ſpecialiter ex Decreto Clementis VIII. patet, quod nec Generales à ſervitio Chori ſint immunes, niſi dum actu occupantur in propri) Officij munere.

Ex quo noſter Donatus infert, quod quamvis ſubditi mortaliter peccent, ſi ſine iuſta cauſa omittant ſequi Chorum per vnum diem, adhuc tamen maius peccatum committant Superiores omittentes ſequi Chorū per idem tempus, ſine tamen legitimo impedimento, vt conſtat ex *Clem.* 1. *de celeb. Miſſ.* Tum quia Superioribus maximè incumbit cura boni communis; Tum etiā, quia aliàs erunt canes latrare non valentes, aut non volentes, eorumque eſt, non ſolum verbo, ſed & opere docere. Similiter indubiè mortaliter peccant Superiores permittentes, vt etiam vno die, quo in Choro deberet dici, omittatur *Officium B. V. Officium Defunct.* Litaniæ maiores in feſto S. Marci, vel tribus diebus Rogationum, &c. *Ratio* 3. *p.* Quia quivis in particulari tenetur ſub peccato, & quidem (ſi ſit in re gravi) mortali, ſuccurre Bono communi, ſi ſit in periculo. Ergo.

* 47 *Reſp.* 2. Probabilius eſt, quod duo, vel tres non faciant Chorum. *Ratio*: Chorus hic ſumitur, non pro loco illo materiali, ſed pro congregatione Choralium ad horandum, vel pſallendum publicè. Sed publica hæc oratio, & pſalmodia cū deformitatè fit à duobus, vel tribus. Ergo duo, vel tres non faciunt Chorum; conſequenter, ſi non maior numerus compareat, alij ſine iuſta cauſa emanentes, in conſcientia non excuſantur.

Idem patet ex Innocen. X. qui in ſua Conſtitutione ſuper ſuppreſſione parvorum Conventuum vult, vt ad minus ibi ſtent quatuor Sacerdotes ad obeunda munia Religionis, inter quæ præcipuum eſt, horas recitare in Choro. Ergo. Ex his ſequitur, quod ſi ſint aliqui Conventus habentes tam paucas perſonas, teneātur tamen ſub mortali ad Chorum. Quia tenentur facere, quod poſſunt.

Non obſtat 1. *quod* tres faciunt Capitulum, ſic enim in multis locis, & caſibus practicatur, quia fit abſque deformitate. Non *obſtat* 2. illud Chriſti Matth. 18. v. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Verum enim eſt, quod duobus, vel tribus in nomine Chriſti congregatis, ipſe non deſit, ex hoc tamen non ſit, quod alij ſine cauſa ſe abſentantes excuſentur.

Notanda pro Superiorum Religioſorum ſtimulo hīc eſt Hiſtoria de S. Aichardo Abbate, qui cum ſub decantata Nona Capillos ex capite, & mento ſibi præſcindi fecit, viſus fuit dœmon ſingulos præcīſos capillos induſtriosè quærens, numerans, & in ordinem redigens, ſtricto Judici offerendos, & flamma purgante comburendos. Sed ſanctus vir re divinitus intellecta ex inſtinctu S. Spiritus cum ſemitonſo capite ad Fratres cucurrit, culpam confitens, & de ea pœnitens, ac Fratrum preces expoſcens, quarum efficacia impetravit, vt ab eo qui ſuis fidelibus dixit, Capillus de Capite veſtro non peribit, capilli omnes, & ſinguli fuerint miraculosè reſtituti in caput, & mentum, vt erant antè.

* 48 *Reſp.* 3. Soli Novitij non poſſunt conſtituere Chorum, niſi ex iuxta, & neceſſaria cauſa. *Ratio* 1. *p.* Chorus eſt onus perſonale Profeſſorum, & eorum, qui Monaſterio ſunt incorporati, quales non ſunt Novitij. *Ratio* 2. *p.* Novitij in favorabilibus reputantur pars Communitatis, & gaudent privilegijs Profeſſorum. Ergo ſaltem ex iuſta cauſa poſſunt eorum vices ſupplere in Choro.

* 49 *Reſp.* 4. Certum eſt, quod inſpiciendo primam Canonicorum inſtitutionem, & Concilij Tridentini verba, tutior, & probabilior ſit ſententia docens, Canonicos in conſcientia ſub mortali teneri immediatè per ſe ipſos Choro aſsiſtere, & pſallere, ac cantare; ſecus, teneri reſtituere fructus, & præſentias. *Ratio*: Quia ad hoc Canonici ſunt inſtituti, & ob hoc dantur eis ſtipendia. Vnde & Concil. Trid. ſeſſ. 24. ca. 12. ſtatuit: *Omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia, &c. atque in Choro ad pſallendum inſiſtant, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudare.* Sed.

* 50 *Reſp.* 5. Non auſim peccati mortalis damnare de facto illos Canonicos, qui habent ſuos Capellanos, & Cantores Vicarios, qui in Choro ſpallunt, & cantant, cum hac tamen clauſula, dummodo ipſi (niſi iuſta excuſet cauſa) Choro, non ſolum phyſicè, ſeu corpore, ſed & moraliter, ſeu animo devoto, & attento aſsiſtant, inepeias non tractent, diu non confabulentur: ſecus, mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenētur. Et licet ipſi motu proprio antè intendant reſtitutionem, tamen mortaliter peccant. *Ratio*: Quia ita docet vſus multis retro annis introductus, Prælatis Eccleſiæ, nimirum Epiſcopis, & ipſis Illuſtriſſimis Nuntijs Apoſtolicis videntibus, & non contradicentibus. Vbi non immeritò conſiderandum, quod pſalmodia Choralis melius peragatur per Vicarios, quam per Canonicos, quorū pauci hoc tempore in cantu ſunt verſati.

Sed

* 51 *Sed quid* sentis de illis Canonicis, qui rarissimè per annum, cum tamen possent, in Choro compa-rent, Horas tamè domi semper persolvunt? Non de-sunt DD. qui ob eandem mox datam rationem illos, si scandalum, & contemptus desit, à mortali excu-sant, excepto casu, quo propter eorum absentiã Cho-rus negligeretur. Sed quoad hoc dico: Multa dissi-mulantur etiam à Prælatis Ecclesiæ, quæ tamen non approbantur, nec ex dissimulatione licita fiunt. Nec video legitimum, ac solidum eos excusandi modum, nisi senium, infirmitas, vel similis causa excuset. Est profectò res hæc periculosa.

* 52 *Resp. 6.* Ad vltimam quæsiti octavi partem, teste Garcia, negativè fuisse declaratum à Cardinali-bus, nisi Missam tunc celebrent ex iussu Superioris. Quia autem hæc declaratio videtur fundari in alle-gato decreto Trident. vi cuius Canonici per se ipsos deberent in Choro psallere, hic autem rigor in sensu explicato sit per consuetudinem mitigatus; nec tales Canonici videntur ob id damnandi: consultius tamen foret stare declarationi Cardin.

* 53 QUÆRO IX. Quomodo resolvis hos ca-sus? 1 *Quo* Breviario vtendum? Dominicanus potest-ne vti Romano? 2. *Infirmus*, qui non potest persolve-re totum, benè tamen partem, teneturne? 3. *Qui* non potest per se, teneturne horas orare per alium? 4. *Quid* censes de cœco, & surdo? Vel de eo, qui habet solum Diurnum, non verò Breviarium, ita vt desint solę Le-ctiones? 5. *Licetne* orare de Sancto? Vel etiam breve Officij de Resurrectione, dum est de feria? 6. *Quid* de pulsante Organum? 7. *Quid* de inquirentibus psalmos sub horis? 8. *Excommunicatus* teneturne dicere horas? 9. *Quinam* potest cum aliquo dispensare in horis di-cendis? 10. *Esine* necessario à Sacerdote dicendum Matutinum ante Missam? Item, Licitne privatim di-cere horas sub Missa præcepta? 11. *Quæ sunt* causæ ex-cusantes à Breviario?

* 54 *Resp. ad* 1. Clerici sub peccato mortali tenentur vti Breviario Romano iuxta ritum suę Dioe-cesis, saltem dum sunt intra illam. Dum verò sunt in alia, in qua celebratur festum illi Dioecesi proprium, possunt se accomodare. *Item* in casu, quo Romanum habere non possent, benè tamen alterius Religionis, illo ad interim vti deberent. Similiter Religiosi ex privilegio proprium Breviarium habentes, vt Domi-nicani, & alij, tenentur sub mortali illo vti iuxta suum ritum, nisi forrè aliud habere non possent, quàm Ro-manum, vel simile. Sed ad libitum, & sine necessita-te ab eo, etiam extra Chorum, recedere, peccatum est. Quia suum, & non aliud pro sua Religione approba-tum est. Et dato, probabile esse, quod quis privatim pro libitu possit vti Romano, motus hac ratione, quod se conformet Ecclesiæ Romanæ Ecclesiarum omnium Matri: Ex hoc tamen non sequitur, Religiosum licitè ad placitum posse vti etiam Breviario proprio alte-rius Religionis, v.g. Dominicana; ob rationem op-positam.

* 55 *Ad* 2. Si possit saltem recitare Matuti-num, vel aliam integram horam, tenetur. Si verò so-lum Hymnum, vel vnum, alterumve Psalmum, ad ni-hil tenetur. *Ratio*: Quia aliàs vix vllus infirmus excu-saretur ab horis, quia vix vllus est, qui non possit sal-tem aliquid orare, immò infirmius fieret perplexus: difficile enim est discernere quantum possit orare. Gravis ergo infirmitas excusat, si iudicio prudentis medici horarum recitatio magis nocet. Tum quia Ecclesia non censetur obligare cum tanto periculo. Tum quia, vt lex obliget, debet esse moraliter possi-bilis, adeòque humano vsui accomodata. Si medicus dubiter, peratur pro securitate dispensatio. Si infir-mitas accedat statutis horis, vt *Quartana*, recitatio præveniatur, vel fiat post paroxismum: Qui non po-test sine, benè tamen cum socio, cuique commodè potest habere, tenetur; Ita enim dictat obligatio im-plendi præceptum, quia debitum tenemur solvere eo modo, quo possumus commodè. Et hoc maximè pra-cticare deberet infirmus habens pingue Beneficium. *Not.* hanc propositionem ab Innocent. XI. num. 54. esse damnatam: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.*

* 56 *Ad* 3. Talis quidem benè faceret, sed non tenetur. Quia onus dicendi horas est personale, estque ad dicendum, non est ad audiendum. *Ad* 4. Si cœcus possit horas memoriter recitare, vel si possit cum so-cio, eumque commodè habere possit, tenetur ob ra-tionem anteà de infirmo insinuatam. Secus, ad nihil tenetur de horis, quia ad impossibile non datur obli-gatio. Debet tamen supplere per aliàs preces, v.g. *Officium B. V. Rosaria, &c* arbitrio Superioris, à quo si tunc simul petatur dispensatio, securissimè agitur. *Sur-dus*, loqui potens, tenetur ad horas; non enim tenetur se audire, cum non possit, sed sufficit, quod ore pro-nuntiet, & mente attendat. Satisfacit etiam in Choro cum alijs cantando, licèt alios non audiat. Immò ho-mo non surdaster, licèt benè faciat, horas orando sic, vt ipse se audiat, ad hoc tamen non est sub peccato obligatus. Quia obligatio hæc, pura, in privata reci-tatione, non est ad audiendum, vt dixi, sed ad dicen-dum, potest autem fieri vocalis oratio, licèt orans se non audiat; quia fit semper cum aliquo sono. Et oppo-situm est durum graviter audienti, vel oranti in stre-pitu, aut vento vehemente. *Ad illud* de habente so-lùm Diurnum, *R. teneri* dicere id, quod potest. Immò ex rationabili causa possent horæ orari exceptis Le-ctionibus, & hæ dici postea.

* 57 *Ad* 5. Non desunt DD. dicentes esse solum veniale, eò quod putent esse solum mutationem acci-dentalem; & de necessitate præcepti solum esse septẽ horas. Verum tutius, & probabilius est, esse mortale, li-cet tantum semel fiat. *Ratio*: Quia Pius V. præcipit re-citari Officium iuxta formam ab ipso præscriptam: Sed ad hanc formam pertinet distributio Officij in tempo-ra, Festa, & dies. Ergo. Vnde Alexand. VII. 1666. in terminis damnat, ad minus, vt scandalosam, hanc Pro-positionem: *In die Palmarum recitans Officium Paschа-le satisfacit præcepto*, Vti & hanc: *Vnico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.*

* 58 *Ad* 6. & 7. Organista tenetur sub mortali Officium privatim dicere. Qui psalmos inquirunt, li-bros trasferunt, campanas pulsant, aut thurificatione occupantur, si retenta interna attentione cum alijs si-mul orent, vel totum in silentio dicant, satisfaciunt, vt patet ex ijs, quę antè dixi de accionibus cum Brevia-rio compatibilibus. Quæ si etiam de Organista (quod ipsemet sciat) verificentur, etiam satisfaciet. Secus om-nes illi tenentur repetere, si quid notabili omittant: non verò, si modicum, pro hoc enim satisfatiat Cho-rus. Dum vnus Versus in Organo pulsatur ille debet ab vno in Choro alta voce dici, vt ab omnibus intelli-gatur, aliàs alijs non satisficiunt, nisi submisse dicant, si ab alio non intelligant. Sicut dum alternatim psalli-tur, Chorus tacens debet alterum bene intelligere.

* 59 *Ad* 8. Excommunicatus etiam excommu-catione maiori tenetur dicere horas privatim. *Ratio*: Quia alias ex sua iniquitate reportaret commodum,

nimirum allevationem; sed non debet dicere *Dominus vobiscum* ante collectas, licet sit Sacerdos, quia hoc dicitur nomine Ecclesiæ, à qua ille est præcisus: unde debet dicere: *Domine, exaudi orat.* &c.

* 60 *Ad* 9. Potest Papa cum omnibus. Licet enim beneficium detur propter Officium, hoc tamen est per sacros Canones. Ex iure tamen naturæ talis absolutè dispensatus teneretur ad quid aliud ad regratiandum. Episcopus potest, si non propriè dispensare, saltem ex iusta, v. g. infirmitatis causa, suis subditis licentiam omittendi horas dare, interpretando ius Canonicum, qualiter dispensat, vel illud interpretatur in materia ieiunij, vel diei festi. Quid Prælati Regulares circa suos ex privilegio possint à Choro eos dispensando, patet ex decreto Clement. VIII. in quo dicitur: *Cum Lectionibus, & Prædicatoribus Superiores ijs tantum diebus, quibus eos legere, aut Prædicare contigerit, dispensare possint, Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis.* Hinc absolutè, & simpliciter eos à Choro dispensare nō possunt. *Ratio est*: Quia nemo, Papa inferior, potest dispensare in Jure Papali, & universali consuetudine Ecclesiæ, nisi ex commissione, & legitima causa. Circa recitationem privatā possunt id, quod antè dictum est de Episcopo. Abbatissæ, utpotè incapax Jurisdictionis spiritualis, cum in infirmis suis Monialibus, quoad horas dispensare non potest, potest tamen ex commissione sui Prælati declarare causam ab horis etiam privatis excusantem.

* 61 *Ad* 10. Certum est, loquendo de publica horarum persolutione in Choro, debere consuetas horas præmitti ante Missam Conventualem. Probabilius est, nullum, vel saltem non esse mortale peccatum maximè si fiat ex rationabili causa) celebrare Missam, non recitatis privatim Matutinis cum Laudibus, licet sit de consilio, & decentia aliqua. Meta negligentia est venialis. *Ratio*: Quia nulla de hoc extat lex, vel præceptum, & est materia levis, nec notabiliter facit ad maiorem Dei cultum, aut sacri mysterij reverentiam. Nec est necessarium ex natura rei, nec ex connexione inter utrumque, nec ex consuetudine. Licèt enim pij Sacerdotes iuxta Rubricas Romani Breviarij ita practicent, hoc solum probat fieri *decentiæ, devotionis*, ac *dispositionis* gratia, non ex necessitate præcepti.

Ad id, quod additur, *Dico*, etiam probabilius videri, quod qui orat horas sub Missa præcepta, eodem actu satisfaciat utrique præcepto. *Ratio*: Quia illi duo actus Religionis, nimirum audire Missam, & recitare horas, in omni integritate sunt compossibiles, quia talis adest Missæ præsentia corporali, & morali, per neutrū enim ab altero distrahitur, retinet namque vnam saltem ex triplici attentione suprà explicata, quia non tenetur attendere ad verba Sacerdotis, sed reverenter interesse ministerio Sacerdotis apud aram, illud videndo, vel audiendo, quod fit recitando horas. Nihilominus melius facit, si sub Missa præcepta oret preces non præceptas, & horas Canonicas alio tempore.

* 62 *Ad* 11. patet ex dictis. Causæ enim à Breviario excusantes sunt 4. *Prima* est ægritas, vel infirmitas, in sensu ad 4. casum explicato. *Secunda*, inculpabilis carentia Breviarij, v. g. in itinere deperditi; quomodo autem tunc supplendum, patet ex dictis. Qui libere Breviarium projecit in flumen, tamdiu peccat, non orando, quamdiu eum non pœnitet projecisse. Dum, verò sincerè pœnitet omissio ei non amplius imputatur ad culpam, quia carentia Breviarij non est ei amplius voluntaria. *Tertia*, repentina, & gravis occupatio, quæ cum horarum recitatione non potest perfici, & sine scandalo, vel peccato, aut gravi, sive sui, sive aliorum incommodo, nequit differri, v. g. cura infirmorum, concio, confessionum auditio, publica lectio, &c. Sed rarissimus est talis casus, vt horæ non possint anticipari, vel dici post negotium. *Quarta*, dispensatio, prout explicatum est ad casum 9.

CELEBRATIO FESTORUM.

S. D. q. 122. art. 4.

* 63 QUÆRO X. Quid est Festum, cur, & à quo institutum, quando incipit, quodnam de eo præceptum tum ad agendum, tum ad omittendum? *Resp.* 1. Festum significat diem institutum ad vacandum Deo per opera Religionis, & abstinendum ab opere servili. Talia Festa sunt, *Christi, Beatæ Virginis, Apostolorum*, &c. inter hæc numeratur dies *Dominica*, dicta à Domino Salvatore; sicut alia festa, ita & dies Dominica quoad determinationem temporis est institura ab Ecclesia, ac succedit Sabbatho, quod sanctificabatur à Judæis, tanquam dies septimus. Vnde *Exod.* 20. præmisso præcepto de sanctificatione Sabbati assignatur ratio: Quia sex diebus fecit Deus Cœlum, & terram, & in septima die requievit.

* 64 *Resp.* 2. Ecclesia potuit mutare diem Sabbathi in Dominicam. *Declaratur* ex S. T. *cit. art.* 4. *ad* 1. *vbi docet*, quod præceptum de sanctificatione Sabbathi est partim morale, partim cæremoniale: morale quidē quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis; inest enim hominis naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & alijs huiusmodi. Vnde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo, & iuxta hoc S. D. ait: Præceptum de sanctificatione Sabbathi esse morale, & poni inter præcepta Decalogi, nec sic potest mutari; sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signū creationis mundi, est cæremoniale, & figurativum; & sic potuit mutari quoad diem taxatam. Pro quo.

* 65 *Resp* 3. Ecclesia iustè instituit diem Dominicam loco Sabbathi. *Ratio*: Quia in die Dominica multa præclara fuerunt gesta, nimirum *mundus creatus, Christus devicta morte in eo resurrexit, Apostoli prædicandi & baptizandi potestatem acceperunt, Spiritus S. datus*, &c.

* 66 *Resp.* 4. Festum diversimodè incipit respectu diversorum actuum humanorum. Quoad ieiunium incipit è media nocte præcedentis Vigiliæ. Quoad Officium Ecclesiæ incipit à primis Vesperis. Quoad cessationem ab opere servili incipit ab occasu Solis (vbi tamen consuetudo loci est attendenda) & terminatur in vespera sequenti. Communiter tamen dicitur, quod ab vna ad alteram mediam noctem. Tandem, quoad obligationem auditionis Missæ ab ortu Solis. *Resp.* 5. Præceptum de celebratione festi est affirmativum, quo præscribuntur opera in eo facienda, vt *Missa, Concio* audienda, *Vespere* frequentandæ; & est negativū, quo præscribuntur opera omittenda, nimirum servilia.

* 67 QUÆRO XI. Quænam opera in Festo ex præcepto sunt facienda? *Resp.* 1. In die festo audire Cōcionem, & vesperas, est quidem de consilio, & valdè proficuum, ac Deo gratū, non tamen est de præcepto, sed ad auditionem Missæ est obligatio sub mortali. Nam vt habet præceptum Ecclesiæ, *sacrum Missæ officium diebus festis reverenter*, id est, cum debita attentione, & devotione *audire*, interessendo non solum corpore, etiam exterius modestè composito, sed & devoto animo, alias non satisfit præcepto, vt habet probabi-

habilior Sententia. Hoc tamen præceptum impletur, etsi Missa audiatur extra Ecclesiam Parochialem, modo desit contemptus eius. Incipit obligare pueros dum perveniunt ad annos discretionis, quia autem hoc tempus non potest generaliter determinari, tutius est, pueros ad Missam audiendam mittere exacto septennio, tunc enim præsumuntur capaces doli, & peccati, nisi invincibilis ignorantia eos excuset.

* 68 *Resp.* 2. Vt satisfiat præcepto de audienda Missa, non est necesse, vt quis celebrantem videat, vel audiat, sed sufficit, si ita moraliter præsens sit, vt ex quibusdam signis colligat, quid Sacerdos celebrans agat; Vt patet tum in magno confluxu populi, tum in cæcis, ac surdis, vel cum Sacerdos valdè submissè legit. Hinc Donatus noster, *Tom.* 3 *Tract.* 7. *q.* 107. *n.* 3. benè sentit, quod etiam is, qui è fenestra vicinæ domus suæ videt, & audit vocem Sacerdotis altè Missitantis, absque vllo dubio debeat dici præsens, vicinus, & vnus de circunstantibus ad Missam. Hoc tamen communiter non debet practicari: *Not.* quòd Innoc. XI. damnaverit has duas propositiones n. 52. *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali sepositis scandalo, si absit contemptus.* Et num. 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imnò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.*

* 69 *Resp.* 1. Integra Missa debet audiri, saltem vsque ad Sacerdotis benedictionem. Qui sine iusta causa omittit partem exiguam, peccat venialiter, qui notabilem, mortaliter. Quæ sit notabilis pars, facilè definiri non potest. Sunt, qui excusant à mortali eum, qui circa Offertorium ad Missam accedit, & manet vsque ad benedictionem Sacerdotis, eo quòd attentè saltem principalia, quæ in Missa sunt, audiat: cui sententiæ non subscribo. Communior, & verior sententia est, non esse notabilem partem, adeòque mortaliter non peccari, si quis à principio Missæ adsit vsque ad Communionem Sacerdotis inclusivè: vel à principio Epistolæ vsque ad benedictionem. Alij dicunt, tertiam partem Missæ, vel circiter, esse partem notabilem. Quæ verò tertia pars sit, non definitur, proindè in hoc prudenti judicio, opus est.

* 70 *Resp.* 4. Qui à duabus Sacerdotibus non simul, sed successivè audit medietatem Missæ, v.g. veniens ad vnam partem immediatè post Consecrationem, & ea finita eo vsque audit statim alteram; non peccat mortaliter; venialiter tamen delinquit, si ex negligentia fiat. *Ratio*: Quia audit integram Missam, licèt inverso ordine. Ergo præceptum implet, etsi in modo, & perfectione deficiat.

* 71 Sub Missa fabulari, peccatum est, veniale, si per modicam; mortale, si per notabilem (nimirùm tertiam; vel circiter) Missæ partem fiat; cui sæpè annectitur grave scandalum aliorum præsentium. Idem est de distractione voluntaria mentis, proportionabiliter vt suprà dictum est de attentione ad horas Canonicas requisita, quæ vide. Cæterùm pauca verba ex necessitate, vel civilitate (si nequis morosus videatur) proferre, & non plura, ac necessitas, vel civilitas requirit, cùm motivum honestum, sine culpa vacare potest.

* 72 *Resp.* 6. Sub Sacro obligatorio se occupare in lectione alicuius libri, si fiat per modum orationis, & devotæ occupationis, peccatum non est; si per modum studij, aut profanæ recreationis animi, est peccatum mortale. *Ratio*: Quia attentio requisita consistit in dextra mentis occupatione, precum recitatione, Sacramenti adoratione, rerum divinarum sub Sacro consideratione, spirituali Communione, & simili actu, quo Deus honoratur.

* 73 *Resp* 7 Dum alia Missa commodè haberi potest, seu sine necessitate faciendo Confessionem sacramentalem, præsertim longam, sub Missa obligatoria, hoc præceptum non impletur. *Ratio*: Tum quia videtur esse negligentia gravis in tali confitente; tum etiam, quia peccatorum accusatio non est opus per modum orationis, aut meditationis, nec cum ea fiat, vt homo attendat ad actiones celebrantis; vel certè minus attendet ad sui accusationem. Dixi. *sine necessitate*: Quia interdum in pagis, vbi vnica solùm est Missa, dum alius Sacerdos celebrat in Filiali, & alius in principali Ecclesia, sub cuius Missa prior Confessiones audit, aliter esse vix potest. Observari etiam hic potest, an Sacrum sit musicum, ita vt Sacerdote pausante, musica protraharur.

* 74 *Resp.* 8. De garrientibus sub alio officio divino, v.g. Matutinarum, Vesperarum, Professionis, &c. non obligante sub peccato distinguendum est: Si fiat longo tempore, præsertim alios turbando, peccat mortaliter; quia committit notabilem irreverentiam, & scandalum. Si fiat modico tempore, & sine scandalo, est veniale ob parvitatem. *Not.* Extra tempus divini Officij in Ecclesia garrire, ducendo discursus honestos, nullum est peccatum; ducendo discursus inutiles, vanos, otiosos, &c. non est, nisi veniale, quia irreverentia est levis.

* 75 *Resp.* 9. Excusat ab auditione Missæ impotentia spiritualis, vt si quis subiaceat interdicto, vel excommunicationi, & per ipsum non stet, quominus absolvatur. Vel si ipse celebrans sit notorius Clerici percussor, vel decrimine denuntiatus tanquam vitandus. Item excusat impotentia corporalis. Et hæc est duplex, vna simpliciter talis, ac physica; quæ est in incarceratis, iecto affixis, mari navigantibus: altera moralis, vt si Missam adire non possit, nisi cum magna difficultate, vel iactura bonorum animi, corporis fortunæ Pro quo:

Resp. 10. Impotentia moralis excusat *Primò* eos, qui sine periculo spiritualis ruinæ suæ, vel qui sine pudore, & infamia non possunt domo exire, vt, honesta mulier carens honesto habitu; vel prægnas ex occulta fornicatione. Quia Ecclesia non videtur obligare cum tanta confusione. 2. *Infirmos*, quibus medicus suasit, vt domi maneant; & servientes infirmis, qui sol. non sunt relinquendi; Et eos qui se continent domi ob probabile periculum pestis. 3. *Matres*, & famulas, quæ debent assistere infantibus. 4. *Eos*, qui procul distant ab Ecclesia, præsertim quando aura non favet, vbi tamen benè perpendendæ sunt conditiones personarum, viæ, temporis, consuetudinis loci. 5. *Ad cavenda* damna custodientes pecora, ædes, &c. qui tamen sunt monendi, vt alternent, seu vadat per vices. 6. *Itinerantes*, Missam audiendo itinerandi (v.g. navigandi) occasionem, vel socium sibi valde vtilem amissuri; quia tamen, si possint, tenentur prævenire, nisi bona fide supponant se in via habituros Missam. 7. *Eos*, qui à Missa impediuntur, officij, vel gravis negotij causa, vt Milites Stationarij, Excubitores, gregum custodes. 8. *Mulieres*, pueros, famulos quos mariti, parentes, domini, nolunt dimittere ire ad Ecclesiam, dummodo non fiat consuetudo, nec in contemptu Religionis. Quod si famulus frequenter à domino impediatur, tenetur eum relinquere prima opportunitate. 9. *Idem* est de Opificibus, quos Magistri, v.g. Sartores, Sutores, &c. in vigilijs, & Sabbathis, aut festis frequenter laborare cogunt sine iusta causa. 10. *Viduas* maritum lugentes ad aliquod tempus, vbi est consuetudo, vt domo non exeant. 11. *Puerperæ* tempore purificationis.

QUÆ-

* 76 QUÆRO XII. A quibus operibus ex præcepto abstinendum in Festo? *Resp.* 1. Ab operibus servilibus, vt patet ex illo Levit. 23. *Omne opus servile non facietis in eo*, nimirum in Sabbatho. Opus autem servile dicitur à servitute. Est autem triplex servitus, quod *S.D. cit. art. 4. ad 3. sub explicat dicens: Una est*, qua homo servit peccato, secundum illud: *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Et secundum hoc omne opus peccati dicitur servile. *Alia verò* servitus est, qua homo servit homini. Est autem homo alterius servus, non secundū mentem, sed secundum corpus. Et ideo opera servilia secundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus vnus homo alteri servit. *Tertia autem* est servitus Dei, & secundùm hoc, opus servile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei servitium. Si autem sic intelligatur opus servile, non prohibetur in die Sabbathi, quia hoc esset contrarium fini observationis Sabbati. *Hæc S. Doct.*

Quibusdam omissis *subdit* 1. Similiter nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbathi, puta, si quis doceat verbo, vel scripto. Vnde *N.* 25 dicit Glosa quòd fabri, & huiusmodi artifices otiantur in die Sabbathi, lector autem divinæ Legis, vel doctor ab opere suo non desinit. Nec tamen contaminatur Sabbatum, sed alia opera servilia, quæ dicuntur servilia primo; vel secundo modo, contrariantur observantiæ Sabbati, inquantū impediunt applicationē hominis ad divina. *Hæc ibi. Subdit.* 2. *quibusdam omissis*: Opera corporalia ad spiritualē Dei cultū non pertinētia, intantū servilia dicuntur, inquantum propriè pertinent ad servientes: inquantū verò sunt cōmunia, & servis, & liberis, servilia non dicuntur. Quilibet autē tàm servus, quàm liber tenetur in necessarij providere tàm sibi, quàm proximo, præcipuè quidē in his, quæ ad salutē corporis pertinent, secundū illud *Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Secundariò autem etiam in damno rerū vitando, secundū illud *Deut.* 22. *Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo*. Et ideò opus corporale pertinens ad conservandā salutē proprij corporis nō violat Sabbatum. *Ita S.T.* exemplificans hoc in Machabæis (c. 2.) Sabbatho pugnantibus, & in discipulis *Matth.* 12. propter necessitatem in Sabbato spicas colligentibus. *Subdit* 3. Similiter etiā opus corporale, quod ordinatur ad salutē corporalē alterius, non est contra observantiam Sabbathi. Vnde dicitur Joan. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbatho.* Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatū. Vnde dicit Dominus Matth. 12. *Quis ex vobis homo, qui habet unam ovem, & si ceciderit Sabbatho in foveam, nonne tenebit, & levavit eam. Hæc S.D.* Ex quibus solvuntur multi casus. *Notat idem S. D. in R. ad* 4. quod non sit ita stricta prohibitio operandi in die Dominica, sicut fuit in die Sabbathi, sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbathi prohibebantur, decoctio ciborum, & alia huiusmodi.

* 77 *Opus servile* est, quod exercetur mediante corpore, & propriè spectat ad servientes. Ita patet clare ex adductis verbis Angelici Doctoris. Vnde servilia non sunt, adeòque licita in Festo, *libros describere*, etiam lucri gratia, modicum *pingendo* delineare, vel effōrmare aculinteum, discendi causa; *itinerari*, contractus *facere*, ad scopum *ioculari*, modestè sine strepitu, & clamore circa vesperam, seu tempore divini Officij elapso *per aucupium venari*, modestè, v.g. hamo *piscari*. Quia hæc omnia cum his clausulis non sunt potius per servos quam per dominos. Et supponunt deesse scandalum, & Missam non negligi: Si verò in actione pingendi, venatione, piscatione quis dictos limites transgrediatur servilia, seu servis propria, & consequenter in die festo graviter prohibita cēsentur. Nec debet *pictio* quoad hoc scriptioni comparari, licet enim physicè quodammodo conveniant, cum prior in ducendis lineis, altera in ducendis figuris consistat, & vtraque quandam animi voluptatem afferat, quod videtur spectare ad artes liberales; aſt moraliter, & prudenti iudicio plurimum differunt, si pictio multum protrahatur.

* 78 *Resp.* 3. In die festo laborare minori tempore quam vna hora, est peccatum veniale propter parvitatem materiæ. Laborare per duas horas, certò est mortale. Laborare vna longa hora eodem die festo, vel diversis interruptis vicibus notabile tempus ob moralē continuationem constituentibus (proportionabiliter vt suprà de furtis minutis dictum) esse mortale; probabilius est. Secus si fiat in diversis Festis, tum quia non adest moralis continuatio, tum quia obligatiò abstinendi ab opere servili (vti & audiendi Missam) est annexa diei festo, & cum eo exspirat, consequenter, & transgressio inde orta exspirat cum illo.

* 79 QUÆRO XIII. Quæ sunt legitimæ causæ excusantes à celebratione Festorum, seu ob quas laborare licet in illis? *Resp.* Variè sunt, sed fermè omnes reducuntur ad necessitatem laborandi, sive publicam, sive privatam, ad evitandum notabile damnum, sive in proprio sive in proximi corpore, aut bonis, iuxta receptam Theologorum maximam, præcepta Ecclesiæ vtpote leges humanas, non obligare cum gravi damno, adeòque præsumi posse, non esse Ecclesiæ intentionem obligandi cum tanto rigore: quia jugum Domini suave est. Hinc

Primò excusantur *à feriatione Chirurgi* pro necessaria apertione venæ, apothecarij, pistores, molitores, præsertim à ventis, & à fluxu aquæ pendentes, fabri ferrarij ad ferrandos equos itinerantiū, laniones propter publicā necessitatē, in quantū labor ille requirit, & non vltra: tenenturq; audire Missam, si possint, & occasionē habeant. *Barbitonsores*, si vnam, alteramve barbam radant, mortaliter non peccant, secus si multas, nisi excuset loci consuetudo scientibus, & non contradicentibus Ecclesiæ Prælatis, seu locorum Episcopis introducta, ac certis regulis prudenter limitata, vt nimirum ille labor non fiat cum scandalo, nec in publicis, aut apertis officinis, nec sub officio divino, sed quasi clam, &c. *Secundò*: Qui vacant operibus vitæ necessarijs, vt qui cibos coquunt, ligna fundunt, aquā, vel ligna pro culina asportant, sed præcisè quantum pro illo die opus est. Qui deficiente pane, vespere præparant farinam ad pinsendum sequenti die non festo. Cavendum tamen, ne Missa negligatur, & ne tales labores studiosè reserventur in diem festum, quia hoc cederet in fraudem Legis. *Tertiò*: Pauperes operarij, qui ob necessitatem corporalem non possunt cessare à labore, sine quo familiam sustentare nequeant; modò desit scandalum, & audiant Sacrum.

Quartò: Qui feriando paterentur notabilem damnum in suis bonis. Sic Rustici in die festo propter probabile periculum tempestatis post divinum officium colligunt fœnum, & fruges, saltem cum licentia Parochi. Item extenduntur linteamina lota, ne destruantur. Pauperes ancillæ reficiunt sua vestimenta, dū alijs diebus id eis à dominis non permittitur. *Quintò*: Sacerdotes laborantes pro exequijs, vel nuptijs celebrandis, quæ non possunt differri. Mulieres, pueri, famuli, artifices, quando à suis maritis, parentibus, dominis, aliisve

authoritate prædictis (quorum *disgratia* eis esset graviter nociva) servare ad laborandū vrgentur; sed Missa non est negligenda. *Sextò*: Vendentes (Sacro non neglecto) in die festo res sanctas vitæ, v.g. carnem, pullos, ova, butyrum, fructus & similia ad vrbes portantes, v.g. rustici, ne alijs diebus suum laborem prætermittant.

* 80 QUÆRO XIV. Festum ligatne extra territorium, & itinerantes? *Resp.*1. De itinerantibus, & vagis habes suprà *T.6.E.5.n.66.& seq. Resp.*2. Non peccat, qui secluso scandalo pridiè Festi laborandi causa è sua Parochia, in qua festum est, vadit ad alium locū in quo non est festum *Ratio*: Præceptum Ecclesiæ vetat quidem laborare die festo, vbi est festum, sed non vetat exire è Parochia, & laborare extra illam. Alia ratio videatur *T.5.E.5.n.66. pro 1.p.R 5. Resp.*3. Talis exiens è Parochia nō agit in fraudem festi, sed vtitur iure suo, quia non est prohibitū exire. Aliud est si expressè fraudē intenderet. *Nota* tamen, non oportere hoc consulere, nisi forsan pauperi operatio se, vel familiam aliter sustentare non valenti, qui etiam simili ex causa, secluso scandalo, in ipso festo posset exire. *Resp.*4. Ille pauper operarius ipso festo egressurus teneretur priùs audire Sacrum, si commodè posset. *Ratio*: Præceptum audiendi Sacrum est affirmativū obligans prima cōmoditate, quando probabiliter prævidetur non fore aliam opportunitatem hac transacta.

EXAMEN VI.

De vitijs oppositis Religioni, nimirum Superstitione, & speciebus eius, ac tentatione Dei, *à Q.92. vsque ad Q.97. inclusivè.*

PRæmisso, quod de quibusdam vitijs Religioni oppositis, nimirum Sacrilegio, Perjurio, Blasphemia, &c. actum sit in præcedentibus, & de Simonia agendum Examine sequenti.

* 1 QUÆRO I. Quid est Superstitio, & quę species eius? *Resp.*1, *ex S.T.q.92.ar.*1. *in c. dicente*: Superstitio est vitiū Religioni oppositū secūdū excessum, nō quia plus exibet in cultū divinū, quā vera Religio, sed quia exibet cultū divinum, vel cui nō debet, vel eo modo quo nō debet. *Ratio S.D.est*: Quia omnis virtus moralis consistit in medio, de quo vide dicta *T.4. E.1.n.21.* Sed Religio est virtus moralis, vt patet in hoc *T.* Ergo. *Not. ex S.T. ibidem ad* 3. quod Religio non potest habere excessum secundum quantitatem absolutam, potest tamen eum habere secundum quantitatem proportionis, prout scilicet in cultu divino fit aliquid, quod fieri non debet.

* 2 *Resp.*2. Superstitio est falsa Religio, vel vitiosus cultus veri, vel falsi Dei. Et primo dividitur in eā, quæ est superstitio cultus indebiti, & eam, quæ est superstitio ratione rei cultæ, seu vna ratione modi, altera ratione obiecti, vt explicat S.D. ar. 2. *Prima est*, qua exceditur tantum in modo colendi verum Deum, vt si quis tempore Legis gratiæ vellet colere Deum secundum veteris Legis ritum. Quo etiam spectat, exhibere falsas reliquias pro veris, fingere miracula, & revelationes, &c. quæ omnia ex suo genere mortalia sunt, eò quod Deo tribuant falsum, & vanum cultum. Huc etiā spectat cultus superfluus Dei, vt si quis nolit audire Missam nisi post ortum Solis, vel nisi à sacerdote, cui nomen Joannes, vel nisi sub ea luceant tres candelæ, vel sacerdos vtatur violacea casula, vt addat hoc, vel illud contra Rubricas, in quibus tamen plerumq; peccarent solum venialiter, si simplicitas excuset. Item eò spectat, & mortaliter peccaret obstetrix, si ad facilitandum partum, cum firma fide infallibiliter ita futurum, proferat illa verba: *Et Verbum caro factum est.* Esset enim gravis superstitio. Si verò fierit simpliciter, & ex mera pietate, sine illa firma fide infallibilis effectus, nullum esset peccatum, sed solum devota invocatio Verbi incarnati.

Altera species, nimirum ex parte obiecti, seu superstitio ratione rei cultæ, est, qua cultus divinus exhibetur illi, cui exhibendus non est, nimirum creaturæ. Et hoc est aliud superstitionis genus, ait S.D. quod in multas species dividitur, quæ sunt Idolatria, divinatio, vana observantia. Quæ species iterum subdividuntur. Pro quo.

* 3 QUÆRO II. Quid sunt hæ mox nominatæ species, & quomodo subdividuntur? *Resp.*1. Idolatria proriè dicta (quæ est maximum peccatum) est cultus, quo colitur creatura loco Dei. Hoc diversimodè olim fiebat: Quidam enim per quandam nefariam artem imagines quasdam construebant, quæ virtute dæmonum quosdam certos effectus habebant, vnde putabant in ipsis imaginibus esse aliquid Divinitatis, & quod per consequens eis deberetur divinus cultus. Alij verò non exhibebant cultum Divinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis, quarum erant imagines, existimabant enim quosdam homines Deos fuisse, vt Jovem, Mercurium, &c. quos per eorum imagines celebant, vt explicat *S.T.q.94 a.*1. *in c.* Dixi, *propriè dicta*; quia in largo sensu omne peccatum mortale vocatur Idolatria, quia per illud adhæretur creaturæ. Ergo. Vide etiam suprà *T.7.E.3.n.*1. *& seq.* de communicatione cum Infidelibus.

* 4 *Resp.*2. *Divinatio* est prædictio rerum naturaliter incognoscibilium, vel per expressam dæmonis ad aliqua manifestanda invocationem; vel per tacitam, qua dæmones præter expressam hominis intentionem se ingerunt vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate, vt loquitur S. Doct. *q.95.a.*2. *in c.* & patebit ex dicendis. Nec excusat, quod quis similibus vtendo abrenuntiet pacto diabolico; esset enim inutilis abrenuntiatio, fieret enim solo ore, non opere, sed opere firmaret pactum. Species divinationis, in quibus dæmones expressè invocati futura pronuntiant, sunt (ex S. Thoma ibid,) vt sequitur.

* 5 *Præstigium* ex eo quod oculi hominum perstringuntur, inquantū dæmones præstigiosis quibusdā apparitionibus se aspectui, & auditui hominum ingerunt ad futura prænuntianda. *Divinatio somniorum*, inquantum dæmones per somnia homini futura significant. Pro intelligentia audiatur explicatio Ang. Doct. *q.95.a.*6. *in c. dicentis*: Considerandum, quæ sit causa somniorū, & an possit esse causa futurorū eventuū, vel ea possit cognoscere. Sciendū est ergo, quod somniorū causa quandoq; quidē est interius, quandoq; autē exteriùs. Interior autē somniorū causa est duplex. Vna quidē animalis, inquantum scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilādo. Et talis causa somniorū nō est causa futurorū eventuū: vnde huiusmodi somnia per accidens se habent ad futuros eventus; & si quandoq; simul concurrant, erit casuale. Quandoq; verò causa intrinseca somniorū est corporalis. Nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conveniens tali dispositioni; sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrūt in somnijs, quod sit, vel in aqua, vel in nive. Et propter hoc medici dicunt esse intendendū somnis, ad cognoscendū interiores dispositiones. Causa autē somniorū exterior similiter etiā est duplex, scilicet corporalis, & spiritualis. Corporalis quidē, inquantū imaginatio dormientis immu-

immutatur, vel ab aere continenti, vel ex impressione cœlestis corporis, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni. Spiritualis autē causa est quandoq; quidē à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus revelat in somnis, secundum illud Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Quandoq; verò operatione dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura revelant his, qui cum eis habent pacta illicita. Sic ergo dicendū, quod si quis vtatur somnijs ad prægnoscenda futura, secundum quod somnia procedunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali intrinseca, sive extrinseca, quantū potest se virtus talis causæ extendere, non erit illicita divinatio. Si autem huiusmodi divinatio causetur ex revelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur; vel tacita, quia huiusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita, & superstitiosa. Hæc S. Thomas.

* 6 *Necromantia*, quando dæmones se ingerunt per aliquorum mortuorum apparitionem, vel locutionem. Nam *necron* græcè mortuum, *mantia* verò divinatio nuncupatur, quia quibusdam præcantationibus, adhibito sanguine, videntur resuscitati mortui divinare, & ad interrogata respondere. Quæ tamen est mera deceptio diaboli, nam mortuos suscitare solius Dei est. *Divinatio per Pythones*, quando nimirum futura prænunciant per homines vivos, sicut in arreptitijs patet. Dicti sunt Pythones à *Pythone Apolline*, qui dicebatur esse auctor divinandi. *Not.* quod quandoque futura prænunciant per aliquas figuras, vel signa, quæ in rebus inanimatis apparent. Vnde sunt hę species.

Geomantia, si hæc signa appareant in aliquo corpore terrestri, puta, in ligno, ferro, vel lapide polito. *Hydromantia*, si in qua. *Aeromantia*, si in aere, *Pyromantia*, si in igne. *Haruspicium*, si in viscēribus animalium immolatorum in aris dæmonum. *Divinatio*, quæ fit absque expressa dæmonum invocatione, est, quādo vtitur aliquibus medijs ad cognitionem rerum, ad quam nullā habent virtutem, & dividitur in has species, vt sunt.

* 7 *Æstromantia*, seu Astrologia iudicaria Planetariorum, seu Genethliacorum, qui ex motu, situ, aspectu astrorum iudicant, & prædicunt futura contingantia, etiam libera, seu actiones ex libera voluntate pendentes de ineundo vitæ statu sive Matrimoniali, sive Religioso, de paupertate, divitijs, prosperitate, suspendio, &c. quæ est divinatio illicita, & superstitiosa, eique dæmonis operatio se immiscet, vt docet S. D. *q. 95. ad 5. in c.* Vbi *Rationem* dat dicens: Subtrahuntur causalitati cælestium corporum actus liberi arbitrij, quod est facultas volutatis, & rationis, intellectus enim sive ratio non est corpus, nec actus organi corporei, & per consequens nec voluntas, quæ est in ratione, nullū autem corpus potest imprimere in rem incorpoream: vnde impossibile est, quod corpora cœlestia directè imprimant in intellectum, & voluntatem. Vnde corpora cælestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij, possunt tamen ad hoc dispositivè inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus, quia tamē vires sensitivę obediunt rationi, nulla necessitas per hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationē cœlestium corporum homo potest per rationem operari. Hæc S. D. Vnde est illud tritum: *Astra inclinat, sed non necessitant.* Et illud: *Sapiens dominabitur astris*, id est, non sequetur carnalem inclinationem astrorum influxui subiectam. Sicut etiam diabolus per continuam obiecti propositionem potest movere phantasiam, ac sensus extēt[illegible]nsitare potentias corporales, & sic ex consequen[illegible]c indirectè inclinare intellectum, & voluntatem p[illegible]oc statu dependentes à sensibus operantem, sed quantumcumque velit, cogere non potest. Sic & astra qualitates corporeas imprimunt carni, per quas volutas inclinatur (salva libertate) ad actum: v.g. homo corpore frigefactus liberè eligit calefieri apud fornacem.

Not. quod Sixtus V. expressè in Bulla prohibuerit omnia judicia ex constellatione nativitia, affirmantia aliquid de futuris contingentibus, successivis, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, etsi id affirment etiam formidolosè, seu protestentur se id non affirmare certò, v.g. fore fortunatum, effœminatum, rapacem, &c.

* 8 *Oppone*: Innumeri sunt casus liberi, qui ita evenerunt, vti Astrologi eos prædixerunt. Ergo. Ad hoc *Resp.* 1. retorquendo: Innumeri sunt casus qui aliter evenerunt ac Astrologi eos prædixerunt, vt videre est in Historijs. 2. *Prædixerunt* vera aliqui ex suggestione dæmonis, qui illa futura scivit, vel firmam de eis coniecturam habuit. 3. *Casu* id factum est: *Quis enim tota die jaculatus, non aliquando collimet?* ait Cicero *l. 2. de divin.* 4. *Quia* vti sunt verbis ambigui sensus, quæ cuicumque sensui potuerant accomodari. 5. *Contingit* ideò, quia noverunt inclinationes hominum illorum, v.g. incultorum, passionatorum, qui plerumque sequuntur suas passiones, vt ait S. T. *ad 2.* Sic facilè est (quamvis dubium maneat ante eventum) juveni rapinis, & homicidijs dedito præsagire patibulum, honesto autem, & virtuoso magnos honores. Admittit tamen S. D. *cit. art. 5.* quod ea, quæ ex necessitate eveniunt, v.g. Eclipses, Astrologi certo prædicere possunt, & probabiliter *siccitates, pluvias, morbos, &c.* quæ tamen ex aliquo impedimento non semper ita eveniunt, vti prædicuntur. Et hęc vocatur Astrologia naturalis, & licita.

* 9 *Chiromantia*, & *Physiognomia* naturalis, secundum se etiam non est prohibita, per quam ex membrorum inspectione, & lineamentis corporum, v.g. manus (quia *Chir* græcè, dicitur manus: ait S. D. *art. 3. in c.*) de complexione, temperamento, ingenio, passione, ac propensione hominis quoad morbos, & mores potest fieri aliqua coniectura, quæ tamen circa mores valde est fallibilis. Cum enim Scriptura Gen. 4. dicat *Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, hominis educatio, conversatio, regimen rationis, contra hanc inclinationem multa solent mutare; non est, inquam, prohibita, dummodo non prędicantur, aut exinde credantur eventus fortunati, vel infortunati, vtpote, qui pendent ex sola Dei providentia. Fateor tamen, quod sæpè peccent mortaliter, qui dum *Cingaros*, vel similes consulunt, *Physiognomiæ* maiorem, quam par est, fidem adhibent. Item ex conditione personæ, v.g. Sacerdotis, potest intercurrere peccatum scandali. Cæteroquin, si fiat ex mera curiositate, & ridendi gratia, sine animo credendi, est veniale.

* 10 *Augurium*, de hoc *S. D. q. 95. art. 3. in c. ait*: Si per motus, vel voces avium, seu quorumcunque animalium, sive per sternutationes hominum, vel membrorum salrus, futura prædicantur, hoc pertinet generaliter ad *augurium*, quod dicitur à *garritu avium*, sicut *auspicium* ab inspectione avium *Omen* est, si huiusmodi consideratio fiat circa verba hominum absque intentione dicta, quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoscere.

De

De Augurio, & Omine S.T.q.95. a.7. in c. ita scribit: *Nihil prohibet, aliquas eorum* (scilicet brutorum) *operationes esse futurorum signa, inquantum conformantur dispositionibus corporum cœlestium*, & aeris continentis, ex quibus proveniunt aliqui futuri eventus. In hoc tamen duo considerari oportet. Primum quidem, vt operationes huiusmodi non extendantur nisi ad præcognoscenda futura, quæ causantur per motus cœlestium corporum, vt suprà dictum est. Secundo, vt non extendantur nisi ad ea, quæ aliqualiter possunt ad huiusmodi animalia pertinere. Consequuntur enim per cœlestia corpora cognitionem quandam naturalem, & instinctum ad ea, quę eorum vitæ sunt necessaria; sicut sunt immutationes, quæ fiunt per pluvias, & ventos, & alia huiusmodi. Alio modo, instinctus huiusmodi causantur ex causa spirituali: scilicet, vel ex Deo, vt patet in *columba* super Christum descendente, & in *corvo* qui pavit Heliam, & in *cete*, qui absorbuit, & eiecit Jonam. Vel etiam ex dæmonibus, qui vtuntur huiusmodi operationibus brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus. Et eadem ratio videtur esse de omnibus alijs huiusmodi; præterquam de *Ominibus*, quia verba humana, quæ accipiuntur pro *omine*, non subduntur dispositione stellarum; disponuntur tamen secundum divinam providentiam, & quandoque secundum dæmonum operationes. Sic ergo dicendum, quod omnis huiusmodi divinatio, si extendatur vltra illud, ad quod potest pertingere secundum ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, est superstitiosa, & illicita. *Hæc S. T.*

* 11 *Sortilegium*, à legendo sortes dictum, sive Sors, est, dum ab homine aliquid fit vt eius eventu considerato innotescat aliquid occultum. Sors est triplex, vt patet ex S.T. *q.95. art.8. Primò*, Divisoria, qua per sortem quæritur, quid cuique de bonis, honore, præmio, vel pœna tribuendum sit. 2. *Consultoria*, qua inquiritur, quid agere oporteat. 3. *Divinatoria*, qua quæritur, quid sit futurum; quæ implicitè, vel explicitè innititur societati dæmonum. Quando in sorte divisoria, vel consultoria eventus expectatur à Deo, iuxta illud Proverb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*, secundum se non est malum. Potest tamen in hoc quadruplicitèr peccari, vt explicat S. D. *Primo*, si absque vlla necessitate ad sortes recurratur, hoc enim videtur pertinere ad tentationem Dei. 2. *Si* quis etiam in necessitate sortibus vtatur absque reverentia Dei. Vnde super Actus Apostolorum Beda dicit: Sed, si qui necessitate compulsi Deum putent sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant, hoc ipsos Apostolos, nonnisi collecto Fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis, egisse. 3. *Si* divina oracula ad terrena negotia convertantur. *Si* in Electionibus Ecclesiasticis, quæ ex Spiritus S. inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtantur. Vnde, sicut Beda dicit (vbi suprà) Matthias ante Pentecosten ordinatus sorte quæritur, quia scilicèt nondum erat plenitudo Spiritus S. in Ecclesia effusa. Secus est in temporalibus dignitatibus, in quibus sortes non prohibentur, vt si plures æquè idonei sint competètes, non tamen licet, si inter eos sit aliquis indignus, ne bonum commune periclitetur.

Si necessitas immineat, *ait S.T.* licitum est cum debita reverentia divinum iudicium implorare. Vnde S. Aug. dicit: Si inter Dei ministros fit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat ovium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia; si hæc disceptatio aliter non potuerit terminari, qui maneant, & qui fugiant, sorte legendi sunt. Idem subdit de re ad iudicanda vbi ex duobus altercantibus, si dari non possit vtique. Eadem ratione sæpè dividuntur portiones hæreditariæ, terminantur controversiæ, & lites iudiciales. *In eodem articulo ad 3. S. D. docet*, quod iudicium ferri candentis, vel aquæ ferventis, quod olim adhibebatur ad probandam innocentiã, ordinatur quidem ad alicuius occulti inquisitionem per aliquod, quod ab homine fit, & in hoc convenit cum sortibus: inquantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit omnem sortium rationem. Vnde huiusmodi iudicium illicitum redditur, tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ diuino iudicio reservantur; tum etiam, quia huiusmodi iudicium non est authoritate diuina sanctum, nec SS. Patrum documento. Quod vlterius ibi probat ex Decreto Stephani Papæ.

* 12 QUÆRO III. Quid censes de vana observantia? *Resp.* Vana observantia est, qua aliqua fiunt ad obtinendum id, ad quod nec à natura, nec à Deo sunt ordinata. Dividitur in quatuor species suo ordine explicandas. Quarum prima est,

Ars notoria, quæ ad acquirendam scientiam, vel sibi infundendam, vtitur medijs, nec à natura, nec à Deo ad id institutis, nimirum inspectione quarundam figurarum, prolatione incognitorum verborum, cum adiunctione certarum precum, & ieiuniorum certis diebus, & ritibus explendorum. Vbi est pactum exvel implicitum cum dæmone, adeòque arshæc est mortaliter superstitiosa iuxta *S.T. q.96. art.* 1. Media, quæ natura instituit pro scientiarum acquisitione, sunt: labor, industria, disciplina, adinventio, &c. *Ratio S. D. est*. Cum per artem notoriam acquisitio scientiæ non intendatur per modum homini connaturalem, seu per dicta media naturalia, sequitur, quod iste effectus expectetur vel à Deo, vel à dæmone: non à Deo; licet enim is scientias infundere possit, vti infudit Salomoni, & promissum est Discipulis *Luc.* 21. hoc tamen donum non datur quibuscumque aut cum certis observationibus; sed ad arbitrium Spiritus S. dividentis singulis prout vult: non etiam à dæmone, tum quia solius Dei est scientias infundere; tum etiam, quia infusio scientiarum fit per illuminationem intellectus, quæ ad dæmones nõ pertinet, vt docet S.T. 1. *p.q.* 109 *a.*3. Ergo.

* 13 *Oppone*: Experientia compertum est, quod dæmon in momento scientias infuderit. *Resp.* hoc cõtigisse, vel quia dæmõ extrinsecè tradidit fundamenta scientiæ, quæ societas est peccatum mortale; vel quia celerrimè suggessit, quæ pro ratione negotij erant opportuna: eo ferè modo, quo Anabaptistæ sumpto detestabili bolo suæ Comæ, afferunt Scripturas, legunt, & disputant, cum tamen ante suam hæresim nihil tale sciverint. Per eorum enim ora loquitur diabolus, sicut solet loqui per obsessos, immo interdum per bestias. Cuius signum est, quod si qui illorum fiant Catholici, spiritu malo recedente, maneant ignari, vt erant antea.

* 14 *Observatio sanitatum*; qua aliquid inane, & inutile adhibetur ad obtinendam sanitatem. Et hoc est mortale, nisi fortè simplices excusentur à mortali propter ignorantiam. Explicat hoc S. D. *q.96. art. 2. in c. & ad 1.* In his, quæ ad aliquos effectus particulares inducendos fiunt, considerandum est, virum naturaliter videantur posse tales effectus causare, sic enim non erit Illicitum: si non possint, sequitur quod solum adhibeantur vt signa, pertinentque ad pacta cum dæmonibus inita, & sic est superstitiosum, & hoc est, quando adjunguntur, vel Characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcumque vanæ observationes, aut figuræ, de quibus constat, quod naturaliter efficacia non

habent. Exemplum est in illa superstitione, qua gladius inflicto per eum vulnere adhuc sanguinolentus medicamine nimirum pulvere, vt vocant, sympathico, inungitur, vt læsus subito curetur. Qui effectus, si sequatur, non potest imputari Deo, quia ad hoc nullum datur fundamentum. Ergo provenit à malo spiritu læsum sanante, quia illud medicamentum non potest agere in distans, præsertim extra activitatis suæ sphæram, aut interjecto pariete, &c.

* 15 *Observatio eventuum*, nimirum fortunæ, vel infortunij, de qua S.T. *art. 3. q. cit. in Sed contra citat S. Aug. dicentem*: Ad pacta cũ dæmonibus inita pertinent millia inanium observationũ; puta, si membrũ aliquod saltierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer intervenit: limen calcare, cũ ante domum suã aliquis transit: redire ad lectũ, si quis, cũ se calceat, sternutaverit: redire domum, si procedens offenderit: si vestis à soricibus roditur, plus timere superstitiones mali futuri, quàm præsens damnum dolere. *Hæc ille.* Explicat hoc vlterius S.D. *in corp. dicens*: Homines huiusmodi observationes attendunt, non vt quasdã causas, sed vt signa quædã futurorũ eventuum, vel bonorũ, vel malorũ. Non observantur autẽ sicut signa à Deo tradita, cum non sint introducta ex authoritate diuina, sed magis ex vanitate humana, cooperante dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare. Et ideò manifestum est, omnes huiusmodi observationes superstitiosas esse, & illicitas. Et videntur esse quædam reliquiæ idololatriæ, secundũ quam observabantur auguria, & quidam dies fausti, vel infausti, quod quodammodo pertinet ad diuinationem, quæ fit per astra, secundum quæ diversificantur dies. Videtur ergo, quòd huiusmodi observationes sint sine ratione, & arte; vnde sunt magis vanæ, & superstitiosæ. Hæc S. Thom.

* 16 *Incantationes, vel figuræ collo appensæ.* De his S.D. *q. cit. ar. 4. in corp. ait*: In omnibus incantationibus, vel scripturis suspensis duo cavenda videntur. Primò quidem, quid sit, quod profertur, vel scribitur; quia si est aliquid ad invocationes dæmonum pertinens, manifestè est superstitiosum, & illicitum. Similiter etiã videtur esse cavendũ, si contineat ignota nomina, ne sub illis aliquid illicitum lateat. Vnde Chrysost. dicit super Matth. quod Pharisæorum magnificantium fimbrias suas exemplo, nunc multi aliqua nomina hebraica angelorũ confingunt; & scribunt, & alligant, quæ non intelligentibus metuenda videntur. Est etiam cavendũ, ne aliquid falsitatis contineat: quia sic eius effectus nõ posset exspectari à Deo, qui non est testis falsitatis. Deindè cavendum est secundò, ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana: puta, aliqui characteres inscripti præter signũ crucis. Aut si spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacumque huiusmodi vanitate, quæ ad diuinam reverentiam non pertineat; quia hoc judicaretur superstitiosum: aliàs autem est licitum. Vnde in *Decretis dicitur 26. q. 5. cap. Non licet Christianis, &c.* Nec in collectionibus herbarũ, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes licebit attendere, nisi tantùm cum Symbolo diuino, aut Dominica oratione, vt tantum Creator, & Deus omnium adoretur, & honoretur. *Hæc S. Thomas.*

* 17 *In R. ad 1. dicit S.T.* Proferre diuina verba, aut invocare diuinum nomen, si respectus habeatur solùm ad Dei reverentiam, à qua expectatur effectus, licitum erit. Si verò habeatur respectus ad aliquid aliud vanè observatum, illicitũ erit. *In R. ad 3. ait* quod eadẽ sit ratio de portatione Reliquiarum, quia, si portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ, nõ erit illicitum. Si autem circa hoc aut ederetur aliquid aliud vanum, puta, quod vas esset triangulare, aut aliquid aliud huiusmodi, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, esset superstitiosum, & illicitum. *Hæc ibi.*

Huc spectat grandis superstitio hęc, si quis Sacerdos haberet viventẽ inimicum, & cantaret pro eo Missam defunctorum, posito in Ecclesia feretro, eo tantum fine, vt citiùs ille moriatur. Quod esset peccatum mortale, & talis Sacerdos esset deponendus, & cũ omnibus, qui eum ad id incitarunt, perpetuo exilio relegandus.

* 18 *Magia* huc reduci potest, quam aliqui à vana observantia distinguunt, estque ars immutandi corpora, aliaque mira perpetrandi ope dæmonis, v. g. verbo reserare januas. Hæc ars si tendat ad nocendum alteri vocatur *maleficium*. Et hoc est duplex: Vnum dicitur *veneficium*, quo nimirum homini, aut eius animalibus infertur corporale nocumentum. Alterum appellatur *amatorium*, seu *philtrum*, quod, dæmone phantasiam hominis commovente excitat amorem carnalem, vel odium.

* 19 *Quæri hic potest* 1. An liceat maleficium maleficio tollere. De quo vide *T. 7. E. 7. v. 60. ad 5. Casum.* 2. Quid dicendum de illis militibus, & similis farinæ viris, qui vt se invulnerabiles faciant, seu periculis eximant, vel arma certo ritu incantant, vel amuleta, camisias, interulas, varijs litteris, lituris, & nominibus etiam sanctissimis inarata portant. *Ad quod* patet ex dictis, esse mortalem superstitionem, & res illas non esse causas physicas talis effectus, sed signa quibus se dæmon ingerit ex tacito pacto: qui etiam ictum gladij, vel scopeti avertere potest, vel totaliter, ne scopum tangant; vel eius impetum, seu vim frangendo, ne noceant.

* 20 3 Quid sentiendum de sagis, dicentibus, vel credentibus se cum copiosa sociarum phalange nocte super quasdam bestias equitare, plurima spatia pertransire, aliquas creaturas à se transformari? *Ad quod* dico, quod illis interdum à dæmone irrogentur talia phantasmata, seu imaginationes, quibus decipiũtur, putantes, se ludis interesse, cum non sint; interdum verò etiam realiter, seu corporaliter transportari, quod non excedit virtutem angelicam, quia corpora obediunt Angelis quoad motum localem. Sic enim bonus Angelus Propheram Habacuc, correptum per capillos, transtulit. Et idem possunt Angeli mali, in quibus naturalia manserunt integra. Et habet quilibet Angelus determinatam, sibi notam sphæram, intra quam corpus etiam celerrimè potest movere, etiam sine fatigatione hominis transportati, sic vt is quasi quiescat in hac transportatione. Dum autem Sagæ interdum sunt fatigatæ, & deliberatæ, id provenit, vel ex nimia operatione phantasiæ, vel quia subindè etiam à dæmone fustigantur, aut etiam ex nimio saltu in loco conventus, vel tandem si corporaliter transportentur.

* 21 *Quid judicas de tentatione Dei? Resp. 1. ex S.D. q. 97. a. 1. & 2.* Tentatio Dei est peccatũ contra virtutem Religionis, quo quis contra reverentiam Deo debitam absque iusta causa nititur explorare perfectiones, seu attributa Dei, v. g. an sit omnipotens, sapiens, iustus, misericors, &c, vel aggredi aliquod opus absque medijs à diuina Providentia ad illud efficiẽdũ ordinatis.

* 22 *Resp. 2.* Tentatio Dei est duplex: Vna expressa, vt si quis cum formali intentione faciat actionẽ, diuinũ attributũ experiendi, v. g. si ad imitationem nostri S. Raymundi de Pennafort stratο super flumen pallio præsumat illud trajicere, sperans Deum ad id opem laturum. Altera est interpretativa, vt si quis sine expressa tali

tali intentione aliquid faceret, suaptè natura ordinatum, ad sumendum experimentum de Deo; v.g. ex indiscreto zelo attentat quis ad imitationem Christi totam Quadragesimam transigere sine cibo. Hoc enim interpretativè est petere miracula sine necessitate. *Resp.* 3. Tentatio Dei regulariter loquendo est mortale peccatum. Quia est manifestus Dei contemptus. Dixi, *regulariter*; Quia parvitas materiæ, & indeliberatio interdum à mortali excusat. Similiter nullum peccatum est, siquis talia ardua attentet ex speciali inspiratione Dei, vti fecerunt plures Sancti: tunc enim non est tentatio Dei.

EXAMEN VII.

De Simonia, *Quæst.* 100. *per 6. artic.*

* 1 QUÆRO 1. Quid, quotuplex, & quantum peccatum est Simonia? quæ eius materia, quodnam pretium in ea? *Ref.* 1. Simonia nomẽ habet à Simone mago, qui *Act.* 8. Apostolis obtulit pecuniam ad emendam spiritualem potestatem, vt scilicèt, quibuscumque manus imponeret, reciperent Spiritum Sanctum, sed Petrus (vt explicat S. Thom. *art.* 1. *in corp.*) in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans, dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniã donum Dei existimasti pecunia possideri.*

* 2 *Resp.* 2. Simonia definitur S. Thom. ibid. quod sit *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum* pro temporali. *Explicatur* definitio. Dicitur 1. *Voluntas*, id est, actus, seu vitium voluntatis; nam justitia, & omnes eius partes, seu species, adeòque & vitia opposita sunt in voluntate, vt in subjecto. Eadem particula indicat, Simoniam posse consistere in solo actu interno voluntatis. Vnde frustra à Canonistis additur ly *opere consummato*. Dicitur 2. *studiosa*, ad designandam electionem, seu deliberationem, vel formalem, vel virtualem, & ad excludendam Simoniam materialem, quę procedit ex inculpabili ignorantia. Hanc particulam, *studiosa*, aliqui impugnant, dicendo, ex ea sequi, Simoniam esse peccatum in Spiritum Sanctum, sed malè. Quia non omnis, qui peccat ex lectione, peccat peccato in Spiritum Sanctum, sed solùm, qui peccatum eligit per contemptum eorum, per quę homines solent retrahi à peccando. De quo vide T. 5. E. 5. n. 10. Dicitur 3. *emendi, vel vendendi* in lata significatione, sic vt comprehendatur omnis contractus vtrinque obligatorius, seu onerosus, seu non gratuitus, v.g. locatio, permutatio, & similes, inter quos contractus quia emptio, & venditio primũ quodammodo habent locum, idcò solùm illius fit mentio. Dicitur 4. *aliquid spirituale*, per quod intelligitur aliquid supernaturale, seu pertinens ad salutem supernaturalem, à Deo proveniens, vel ordinatum ad Deum, vt Authorem gratiæ. Hoc spirituale est triplex: *Primum* quod est spirituale in se, & essentia sua, v.g. Gratia, & Jurisdictio Ecclesiastica. *Secundum* est tale ratione effectus spiritualis à se causari, vt Sacramenta Nov. Leg. *Tertium* ratione causæ, quia nimirum producitur à causa supernaturali spirituali, v.g. sanitas collata per gratiam miraculorum formaliter, vt sic considerata, aliique effectus gratię gratis datę, vt Prophetiæ, vel Locorum, aut rerum consecrationes, benedictiones, &c. Dicitur 5. *spirituali annexum*, id est, quod in se non est spirituale, sed spirituali annexum ab eoque dependens, v.g. labor in ministerio Sacramentorum, ius Patronatus, Sepulturæ, Calix consecratus, Præbendę, Canonicatus, Beneficia, &c. *Additum* est definitioni ly *pro temporali*, id est, pro pecunia, intelligendo per pecuniam quidquid pecunia æstimari potest. De quo posteà in R.

* 3 *Resp.* 3. Simonia variè dividitur, nimirum In mentalem, conventionalem, realem, cõfidentialem, prohibitam iure naturæ, prohibitam iure positivo Ecclesiastico. *Mentalis* est duplex: Vna purè talis, consistens in nudo proposito, seu voluntate pro temporali emendi, vel vendendi spirituale, v.g. Canonicatum, sed sine actu externo, seu executione: altera non purè mentalis, in qua, licèt ex natura actionis, vel circumstantiarum voluntas spirituale emendi, aut vendendi non declaretur, procedatur tamen ad opus externum, nimirum spirituale pro temporali, vel è contra mente, & intentione simoniaca recipiendo, v.g. pecuniam pro ipsa Missa, non pro sustentatione Ministri, nullo dato signo huius intentionis.

Conventionalis est, qua expressè, vel tacitè initur contractus super re spirituali emenda, vel vendenda, sed contractus nondum est executioni mandatus. *Realis* completa, & simpliciter talis est, qua expressè, vel tacitè, vt verbo, nutu, vel alio signo, pactum est de re spirituali pro temporali, sic vt pactum ab vtraque parte sit executioni mandatum, vel in totum, vt si totum pretium sit solutum; vel in partem eius. Si verò traditio rei spiritualis quidem sit facta post pactum, sed temporale non receptum etiam pro parte, vocatur à quibusdam semi-realis.

Confidentialis à Pio IV. in Bulla, *Romanum Pontificem*. Et à Pio V. in Bulla *Intollerabilis*, damnata est, qua Beneficium Ecclesiasticum, simplex, aut curatum, regulare, vel sæculare, alicui procuratur, eligendo, præsentando, confirmando, instituendo, resignando, cum certa confidentia, id est, expresso, vel tacito pacto, vt is, cui procuratur, post aliquod tempus procuranti, vel alteri resignet, vel ex eo præstet pensionem, aut fructus.

* 4 *Simonia Iure naturæ, vel Ecclesiæ prohibita declaratur.* Prima (de qua posteà plura) est prohibita quia mala, altera mala quia prohibita: Ecclesia enim sua Lege potest facere, vt id, quod secundum se, & quoad partem temporalem non erat invendibile, fiat tale ob connexionem cum re spirituali, & reverentiam eius. Hæc simonia committitur in permutatione Beneficiorum facta sine Superioris authoritate, vbi non datur spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali; quod ex se non est malum, cum possit fieri cum Superioris licentia: sed est malum quia prohibitum ab Ecclesia inhibente tales permutationes, & pacta, quia videntur fieri, vel est periculum, ne fiant intuitu commodi temporalis.

Talis pariter simonia est, si beneficiorum præsentationes, aut collationes fiant cum pacto, vel conditione, alioquin fortè licita, sed de facto prohibita ab Ecclesia. Item si vendantur aliqua, quæ revera nihil spirituale continent, nec propriè ad aliquid spirituale ordinantur, v.g. officia pro administrandis temporalibus instituta, & sic cum eis aliquo modo coniuncta, vt, Oeconomia, Vicedominatus, quæ Ecclesia vendi prohibet ob periculum, & præsumptionem simoniæ, quæ in jis saltem est imperfecta, habens similitudinem cum perfecta.

* 5 *Ref.* 3. Simonia ex genere suo ita est peccatum mortale, vt nunquam propter parvitatem materiæ sit veniale. *Ratio*: Tum quia nulla res in tam parvo gradu potest esse spiritualis, quin sit magna Dei iniuria eam velle pretio æstimare. *Tum* etiam, quia quò minus pretium pro re spirituali datur, tanto magis videtur vilipendi. Nisi fortè ob rei temporalis pro spirituali datæ exilitatem judicari possit eam, non esse data tam

tam,vt precium: sed tunc,nec simonia, nec peccatum erit.

*Not.*1.inter 65.propositiones ab Innocent. XI. damnatas esse hanc n.45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia,quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi,vel efficiendi spirituale,vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali,aut è contra.* Et hanc n. 46. *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud plurisæstimetur, quam res spiritualis.*

*Not.*2. Simoniam nunquam committi, nisi adsit pactum.Vnde qui sine vllo pacto, vel obligatione post acceptum beneficium,aliamve rem spiritualem, illi, à quo accepit,animi grati causa aliquid dat,non peccat, sicut solet aliquid dari etiam Episcopis post consecrata alteria,vel Ecclesia: Sed dare ante collationem beneficij, vt ex quadam gratitudine antidorali collator, sine pacto tamen obligetur ad coferendũ, dato, quod excusetur à simonia formali,saltem in foro externo est simonia præsumpta,& grave scandalum ob malam cõsequentiam, vel species scandali, à qua abstinendum monet Apostolus.Nam munera excæcant etiam sapientes,& inclinant,vt Beneficium indigno magis conferatur,quam digno.*Idem est*,si quis Episcopus aliquem famulum pateretur,vel pro modico precio, vel omninò gratis servire,spe obtinendi beneficij tanquam mercedis, quia,vel esset scandalum,aut species simoniæ, vel implicitum pactum eius,vel etiam vera simonia. Si tamen famulus nil aliud intenderet, quam suam idoneitatem Episcopo manifestare, & Episcopus eam probare,& deesset omne scandalum,non esset peccatum.

* 6 *Resp.*4. Materia simoniæ est res spiritualis, vel spirituali annexa,vt dictum est:Sed hæc latè patet, & complectitur Sacramenta,Missas,preces,sepulturas, res benedictas,vsum earum,iurisdictionem spiritualẽ, ingressum Religionis, ius decimandi, ius Patronatus, Beneficia Ecclesiastica, transactiones super ea,& similia,de quibus omnibus agetur.

* 7 *Resp.*5.Pretium in simonia solet vocari munus,nvn inquantum hæc vox significat liberale donum, sed vnus, ac debitum iustitiæ commutativę.Dividitur à S.T.art.5. *in munus à manu, munus à lingua, munus ab obsequio.*Primum est pecunia, sive quævis res pecunia æstimabilis.*Munus à lingua* consistit in sermone,laude, vel vituperio, vt siquis aliquem laudet apud Principem, vel inimicum eius apud eundem vituperet. *Munus ab obsequio* consistit in servitio, vel temporali ministerio, quod quis alteri exhibet. Triplex hoc munus, cum sit pretio æstimabile, & possit dari per modum mercedis, & ad temporalem vtilitatem ordinari, potest facere simoniam, dummodo adsit pactum, vel expressum, vel implicitum, seu tacitum, immò etiam si laus,vel obsequium solum intendatur tanquã merces pro beneficio collato, vel conferendo.

* 8 QUÆRO II. Qua ratione licitè accipitur pretium pro administratione Sacramentorum, pro Missa, Precibus, Benedictionibus, actu Iurisdictionis spiritualis, sepulturis, ingressu Religionis,&c. *Resp.*1. Quando in Sacramentorum administratione, v. g. Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ-Vnctionis,vel Missę, aut pro precibus,sive gratis,sive ex antiqua consuetudine,aut Superiorum statuto aliquid datur, non est simonia. Est communis Sententia. *Ratio S.D. art.*3. *est:* Quia non datur pro re ipsa, aut actione spirituali, sed pro sustentatione ministrorum, vel pauperum preces persolventium, iuxta illud 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis vnquam? qui pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

Notat 1. *ibi S.Thom.* quod,ne ibi simonia committatur, debeat abesse intentio emptionis, & venditionis, & quod ab invitis non exigatur per subtractionem spiritualem, quæ exhibenda sunt, v.g. puerum non baptizando, cadavera non sepeliendo,&c. quia hoc esset scandalosum,& species simoniæ. Gratis tamẽ spiritualibus priùs exhibitis licitè possunt staturæ, & consuetæ oblationes, & quicumque alij proventus,authoritate Superioris interveniente exigi à nolentibus, & solvere valentibus.

Notat 2. *S. Thom. ibid. ad* 2. quod illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur,quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem, quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impediendi: magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quòd omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via alijs exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis, secunda autem gratuitæ recompensationis.

* 9 *Resp.*2. Clericus, qui magis principaliter Chorum frequentat,horas Canonicas recitat, propter temporale, ac quotidianas distributiones, committit simoniam saltem mentalem. Si verò temporale sit solum motivum secundarium respiciens congruam sustẽtationem,principale autem sit honor Dei, non peccat. Sed cautè attendendum, ne mentiatur iniquitas sibi. *Idem* est de Sacerdote,qui nolletcelebrare,vel concionari,nisi sibi suppeditaretur victus. Cavendum tamen, ne detur scandalum per hoc.Est hæc clara mens S. T. *quodl.*8.*art.*11.*Ratio* patet ex dictis.

* 10 *Resp.*3.Pro actibus,qui consecratione, aut benedictione perficiuntur,vt consecratioEpiscoporum, benedictio Abbatum,velatio Virginum,non potest aliquid accipi,vel exigi per modum precij.Ita S.D.art.3. ad 3.vbi addit: Licet tamen eis (nimirum spiritualem potestatem exercentibus) *accipere procurationes, quando subditos visitant,non quasi pretium correctionis,sed quasi debitum stipendium.*

* 11 *Resp.*4.De collationeOrdinum.*Conc.Trid. sess.*21.*de refor. ca.*1.*sic statuit*: Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspitio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque Ordinem, etiam clericalis tonsuræ,nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo,nec pro alia quacunque de causa,etiam spontè oblatum,Episcopi, & alij Ordinum collatores,aut eorum ministri quovis prætextu accipiant.Et subdit.

Notarij verò in ijs tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissorijs, aut testimonialibus decimam tantum vnius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiusdem Ordinum collationibus directè,vel indirectè provenire possit: tunc enim gratis operam suam eos præstare omninò teneri decernit,contrarias taxas,ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quæ potius abusus,& corruptelę simoniacę pravitati faventes nuncupari possunt,penitus cassando, & interdicendo. Et qui secus fecerint,tam dantes,quam accipientes, vltra divinam vltionem,pœnas à iure inflictas ipso facto incurrant.*Hæc Concil.*

Adde,quod si Notarius ascendendo pro dignitate, & gradu Ordinum plus accipiat, & exigat, v.g. plus pro testimonialibus de Diaconatu,quam pro Subdiaca-

diaconissa, est simoniacus, quia taxat, ac vendit dignitatem Ordinum, quæ taxabilis non est. Idem est, si plus exigat, quam *Conc. statuit*. Et graviter peccat Episcopus, si directè, vel indirectè in his participet.

* 12 *Oppono*: In ipsa Romana, & Legatorum Papalium Curia non datur dispensatio sine pecunia, immò Papa vendit Officia, quibus annectitur Jurisdictio spiritualis. Ergo.

Ad hoc R. non dari, vt pretium dispensationis, sed ob varias causas exigi. 1. *Interdum* est pœna delicti, v.g. in irregularitatibus ex homicidio, vel alio delicto ortis, aut in affinitate contracta ex copula illicita. Vnde & quo grauiùs delictum, eo maior pœna pecuniaria imponitur, præsertim si & petens sit ditior: quantitas enim, quæ respectu pauperis est magna, respectu divitis censetur parva. 2. *Dari* pro sustentatione Ministrorum, vel etiam Legatorum, aut ipsiusmet Papæ, eo ferè modo, quo Parochis aliquid datur. Porrò Papa non vendit officia ratione annexæ Jurisdictionis spiritualis, sed ratione emolumentorum ex ijs consequentium, quorum partem sibi pro bono Ecclesiæ reservat, vel vendit ius ad illa.

* 13 *Resp.* 5. Simoniacum est (saltem ex iure Ecclesiastico) exigere aliquid, vt pretium pro iure Sepulturæ, vt quis in certo Ecclesiæ, vel Cœmeterij loco sepeliatur; Licèt ipse fundus ad vsum Sepulturæ sacræ emi possit exemplo Abrahæ *Gen.* 23. vt notat S. Thom. *art.* 4. *ad* 3. Sicut & sacra vasa, & vestimenta possunt vendi, modo nullatenus æstimetur ipsa consecratio. Patet ex dictis.

* 14 *Resp.* 6. Si occasione Sepulturæ sponte quid offeratur, potest accipi. Si sit consuetudo loci, vt aliquid detur pro conservatione Cœmeterij, aut sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, illa servetur: modo desit turpis exactio, & species avaritiæ. Item pro loco sublimiori, seu eminentiori, præsertim reservato, vt nullus alius in eo possit sepeliri, potest plus exigi. Et ita est praxis.

* 15 *Resp.* 7. De ingressu Religionis S. Thom. *art.* 3. *ad* 4. *sic discurrit*: Pro ingressu Monasterij non licèt aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. Licèt tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficit ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterij exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc nõ sufficiant Monasterij opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in Monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem è converso provocare ad devotionem Monasterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad Monasterij ingressum: licèt non sit licitum, ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu Monasterij, vt habetur 1. *quæst.* 2. *cap. Quam pio.* Hæc S. Doct.

* 16 *Quid sentit* de Novitio egrediente, an teneatur solvere expensas pro ipso in victu, vestitu, medicinis, factas?

Dico: Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 16. *sic statuit*? Neque ante Professionem, excepto victu, vestitu, Novitij, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu à Parentibus, vel Propinquis, aut Curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod tamen, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit: quia potius præcipit Sancta Synodus, ipsi matheматis pœna damnibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant: quod vt rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. Hæc ibi.

* 17 *Quid dicendum* de Renuntiatione bonorum facta à Novitio? *Dico*: Concil. *in eodem cap. sic decernit*, Nulla renuntiatio, aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive eius Vicarij, fiat intra duos menses proximè ante Professionem, ac nõ aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta Professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus. *Hæc Conc.* Quod intelligitur de secura Professione valida, vel, si fuerit nulla, saltem ratificata.

* 18 *Sed quid* si renuntiatio esset facta ante ingressum? *Dico*: Si quis bene consideret mentem Concilij, in hoc sitam, vt præcaveatur, ne ingressi ob præproperam bonorum distributionem à libero regressu impediantur, vel saltem post regressum cogantur vivere in paupertate; si quis, inquam, hanc intentionē bene ponderet, etsi varij DD. oppositum sentiant, eadem est ratio de renuntiatione ante ingressum. Immò à fortiori licèt arguere sic: Quia *Ecclesia* adhuc in seculo minus præ videre potest Religionis eventum, & supervenientes causas regressus.

* 19 *Teneturne* Novitius in sua dispositione, seu vltima Voluntate ante professionem facta, adhibere solemnitates Iuris Civilis? *Dico*: non tenetur, sed sufficit, si servet Ius Canonicum, quia de huius foro iam esse censetur. Tenetur verò ante ingressum Novitiatus, excipiendo tamen dispositionem ad plas causas. De quo vide *T.* 8. *E.* 4. *n.* 22. *& seqq.*

Quid si Professus nullam fecerit dispositionem? *Dico*: Succedit Monasterium (si sit capax successionis) in omnibus bonis. Nam Professum sequuntur res sæ. An autem hoc etiam intelligatur de bonis feudalibus, emphiteuticis, fideicomissis, &c. consule Canonistas. Egregij DD. sentiunt, posse ea à Monasterio retineri, saltem ad dies vitæ talis Religiosi, vtpotè, qui per Religionis ingressum non sit deterioris conditionis: Ergo, si non ipse, saltem Monasterium retinere ea potest, si nimirum sint feuda, personale servitium non requirentia. Excipiuntur etiam ab hac successione Ducatus, Regna, &c. exigentia personalem administrationem, & præsentiam in bello, Comitijs, &c.

* 20 *Quid si* Novitius anno probationis non expleto faciat professionem existens in lethali morbo, vt aliquæ Religiones habent privilegium, v.g. Dominicana? *Dico*: Monasterium in bonis non succedit, quia illud privilegium solum eo respicit, vt Professus gaudeat indulgentijs, & suffragijs Ordinis sui.

* 21 QUÆRO III. Quomodo committitur Simonia in Beneficijs? *Resp.* 1. Conferens, vel accipiens Beneficium pro munere à lingua, vel ab obsequio, est Simoniacus. *Ita S. T. a. 5. Ratio* patet in R. 5. *ad* Q. 1. *circa finem*. *Resp.* 2. *Si* quis aliquid spirituale alicui conferat gratis per consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen simonica; quia nihil ibi accipitur. Vnde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur Simonia. Si tamen alicui detur Beneficium Ecclesiasticum alicui, hoc pacto, vel intentione, vt exinde suis consanguineis provideat, est manifesta Simonia. Hæc sunt verba *Angel. Doct. art.* 5. *ad* 2. loquens de promissione temporali. Vide supra de acceptione Personarum *T.* 9. *E.* 1. *n.* 8. *Similiter* moraliter peccat, licèt non sit simoniacus, qui ex mera beneficium confert indigno.

Resp.

* 22 *Resp.* 3. Qui per pecuniam facit, vt electio ad Dignitatem Ecclesiasticam, vel Beneficium, cedat in sui, vel alterius favorem, est simoniacus, & electio nulla. *Ratio* patet ex definitione Simoniæ. *Idem* est si det Mediatori per modum prætij. Excipitur recognitio gratitudinis pro laboribus. *Resp.* 4. Licet dare pecuniam, ne eligatur indignus. Ultra cum de la Cruz dicente esse communem Sententiam. *Rationem dat*: Quia sic non paratur via ad spirituale per temporale proximè, sed solùm intenditur, ne eligatur indignus, & servetur justitia distributiva in bonum Ecclesiæ.

In eodem casu licèt dare pecuniam, vt eligatur dignus, & ne eligatur indignus. Pro hoc citat Ledesm. & Caiet.

Non licèt tamen dare pecuniam, vt eligatur dignissimus etiam in communi, quando sunt alij digni, etiam in sententia tenente Ecclesiam habere ius ad digniorem, præ digno.

Rationem dat: Quia Ecclesia tunc obtinendo dignum non patitur gravissimam necessitatem, ob quam redimendam illud liceat, sed tunc pararetur via illi dignissimo ad spirituale, per temporale.

* 23 *Quid si qui* faciant hoc pactum: Ego te eligam in Provincialem, sic tamen, vt me eligas in Priorem? *Dico*: Posito, quod non sit Simonia, cum non detur temporale pro spirituali, sed spirituale pro spirituali, est tamen mortale peccatum, vel acceptionis personarum, vel ambitionis, vel scandali.

* 24 *Resp.* 5. Casu, quo quis patereturinjustam vexam ab aliquo, ne Canonicatum, vel Episcopatum obtineat, resolvit S. Thom. *artic.* 2. *ad* 5. *dicens*: Antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset, adversantium obstacula pecunia redimere. Sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licèt per pecuniam injusta impedimenta removere. *Hæc ille*. Quia in secundo casu præcisè tollitur Impedimentum, obstans, nequis possit frui iure suo, & non emitur Beneficium.

* 25 *Resp.* 6. De permutatione Beneficiorum S. Doct. *art.* 1. *ad* 5. *explicans definitionem Simoniæ, sic ait*: Nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Vnde nec permutatio Præbendarum, vel Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest authoritate partium absque periculo Simoniæ; sicut nec transactio, vt jura determinant. Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes huiusmodi facere pro causa vtili, vel necessaria. *Hæc ibi.*

Ex quo sequitur, quòd simonia sit, vel saltem vehemens suspicio eius, siquis privata authoritate Beneficium pingue permutet, vel per pecuniam permutari procuret cum tenui alterius, ob vehementem inclinationem naturæ in melius. Nec evadit simoniam per hoc, quod pecuniam det pro ipsis temporalibus redditibus vtpotè excedentibus. Quia illi redditus percipiuntur titulo Beneficij, qui est spiritualis.

* 26 *Resp.* 7. Pecunia procurare, vt quis in suum, vel alterius favorem resigner Beneficium, juxta omnes DD. est simonia. *Ratio*: Quia procuratur spirituale pro temporali.

Not. 1. Optimum resignandi modum esse, si quis liberè resignet ad manus Collatoris sine vlla conditione, vt pro sua conscientia conferat, cui vult. Si tamen quis ad manus Collatoris resignet in favorem alterius (excluso pacto, libertatem conferendi tollente, & Collator illi beneficiū conferat, non peccat, immò ex quadam honestate debet illi conferre, nisi sit indignus, Conc. Trid. Sess. 21. de reform. c. 2. de Clerico resignante decernit: *Neque resignatio admittatur, nisi constiterit, quod aliundè vivere cōmodè possit; & aliter facta resignatio nulla sit.*

Not. 2. quod Episcopus, à fortiori Papa, Clerico ob infirmitatem, aliamve inhabilitatem Beneficium resignaturo, vel in lite beneficiali, pacis gratia cessuro, possit pro eius sustentatione ex redditibus Beneficij resignati, constituere aliquam pensionem.

* 27 *Resp.* 8. Resignationem Beneficij facere eo pacto, vt renuntiatarius renuntianti restituat expensas, quas in acquisitione Beneficij pro expeditione, aut statutorum solutione fecit, ex parte vtriusque (in tutiori, & probabiliori sententia) est Simonia, & quidem realis, & completa, si solutio, & receptio facta sit.

Ratio: Tum quia in acquisitione spiritualium omnis pactio, & conventio, quæ iure non ineſt, cessare debet, vt arguit Binsfeldius: Sed in nostro casu cōditio iure non ineſt, sed extrinsecus apponitur. Ergo Simonia committitur. Tum etiam, quia iuxta clarum textum *in Capit.* cum pridem *de pact.*, incurritur Simonia, siquis solum renuntiet liti super Beneficio, aut alio spirituali, dato aliquo temporali, etiam nomine expensarum. Ergo à fortiori est Simonia, resignare beneficium cum onore solutionis expensarum.

* 28 *Quomodo resolvit* hunc casum: Consanguineus Petri Consiliario Episcopi dat pecuniam eo pacto, vt Episcopum inducat ad dandum Petro (de Simonia, seu pecunia illa planè nihil scienti) Beneficium? *Dico*: Consanguineus ille, & Consiliarius sunt Simoniaci, non verò Episcopus, nec promotus, cum nihil de Simonia sciant. *Nec* promotus tenetur Beneficium renuntiare.

Ratio: Quia vt arguit Conradus, esset valdè durum, & pene contra ius naturæ, vt qui culpam Simoniæ non commisit, puniatur per obligationem renuntiandi. Idem est, si simonia fuisset facta in fraudem electi, seu promoti.

Cæterùm si pecunia detur Prælato, vel eo sciente Ministris, nesciente promoto, tunc licèt promotus non sit simoniacus, promotio tamen est simoniaca ex scientia prometoris; si ergo promotus id resciat, tenetur renuntiare.

* 29 QUÆRO IV. Quid censes de Jure Patronatus? *Ante R. Nota*: Hoc ius honorificum quidem, sed & onerosum, alicui ad aliquem pro beneficio præsentandum competere ex hoc, quod *vel ipse*, vel alius, à quo illud habet, Ecclesiam fundavit, aut dotavit.

Resp. Jus Patronatus non potest pecunia taxari, nec separatim à Villa, cui annectitur, vendi; nec Villa ratione eius potest vendi cariùs, absque labe simoniæ. Patet ex S. Thom. *art.* 4. *ad* 3. *Ratio*: Quia hoc ius est res spiritualis. *Oppone*: S. Thom. *sic. art.* 4. *in corp. dicit*: Quod ius Patronatus aliquo modo vendi possit.

Ad hoc R. patere mentem S. Thom. ex ipso textu, comparat enim hoc ius vasis sacris, quæ etiam aliquo modo, puta, ratione materiæ vendi possunt. Sic etiam potest vendi materia huius juris, nimirum fundus. *Vnde*, addit S. Doct. *aliquo modo vendi possunt, non autem inquantum sunt spiritualibus annexa.*

* 30 QUÆRO V. Papa potestne incurrere simoniam, cum sit supremus in Ecclesia? *Resp.* Affirmativè cum S. Thom. *art.* 1. *ad* 7. *dicente*: Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo: peccatum enim cantò in aliqua persona est gravius,

vius, quantò maiorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiæ sint eius, vt principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, vt domini, & possessoris. Et ideò si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de redditibus Ecclesiæ alicuius, non careret vitio simoniæ. Et similiter etiam posset simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo Laico non de bonis Ecclesiæ. *Hæc ibi.*

Nota tamen Papam Simoniacum non subjacere pœnis, & censuris contra simoniacos latis, cum hæ sint juris positivi, cui Papa saltem quoad vim coactivam non est subiectus. Immò & emptor ab ijs esset liber, si emeret à Papa sciente, & volente, non autem vi, vel fraude circumvento.

Ratio: Quia expressus Papæ consensus in venditionem, etsi malus, est tacita dispensatio, vel relaxatio Juris Pontificij, pœnarumque eius. Nam credibile non est, quod ad Beneficium à se liberè venditum velit emptorem inhabilitare, aut punire propter actionem, cuius ipse est causa, vel saltem concausa.

* 31 QUÆRO VI. Esne simonia, dare pecuniam pro Matrimonio, vel pro Decimis? *Resp.* 1. De Matrimonio *sub dist.* cum Angel. Doct. *art.* 2. *ad* 6. *dicente*: Matrimonium non solum est Ecclesiæ Sacramentum, sed etiam naturæ officium. Et ideo dare pecuniam pro Matrimonio, inquantum est naturæ officium, licitum est: inquantum verò est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum. Et ideo secundum iura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur. *Hæc ibi.*

Resp. 2. de Decimis cum S. Thom. *art.* 4. *ad* 3. *dicente*: Jus spirituale accipiendi Decimas non conceditur Laicis, sed tantum res temporales, quæ nomine decimæ dantur. De quo vide in hoc Tract. Exam. 2. num. 14.

* 32 QUÆRO VII. Esne simonia accipere pecuniam pro doctione Theologiæ, pro functione Ludimagistri, Æditui, Organistæ, Cantoris Laici, vel talia officia vendere? *Resp.* 1. Probabilius est pro docenda Theologia, id est, pro actione doctionis, quæ nostro labore, industria, voce, scriptura, & ingenio fit, posse accipi pecuniam, seu iustum pretium, vt mercedem, seu non esse simoniacum hanc actionem alteri vendere, seu pro mercede locare. Et à fortiori hoc sentiendum de functione alicuius Ludimagistri. *Ita S. Doctor art.* 3. *ad* 3. *dicens*: Qui habet scientiam, & non suscepit cum hoc officium, ex quo obligetur alijs vsum scientiæ impendere, licitè potest pretium suæ doctrinæ vel consilij accipere, non quasi veritatem, aut scientiã vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem. Vnde graviter peccaret. Sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesijs ad docendum Clericos Ecclesiæ, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt: à quibus non licet eis aliquid recipere ad hoc, quod doceant. Hæc ibi. Et supra q. 71. art. 4. ad 2. de Iuridica ait: *Etsi scientia Iuris sit quoddam spirituale, tamen vsus eius sit opere corporali, & ideo pro eius recompensatione licet pecuniam accipere; alioquin nulli artifici liceret de arte sua lucrari.*

Ratio patet ex ipsis verbis S. T. Quia externa, & corporalis actio est labor pretio æstimabilis. Immò iuxta oppositam sententiam deberemus damnare morem omnium ferè Vniversitatum, & Ecclesiarum bene institutarum, quæ pro functione docendi, Theologiam Professoribus certa assignant stipendia, non solum sustentationis causa, sed etiam pro dignitate docentium maiora, & minora.

Dixi in R. *pro actione doctionis*. Nam vendere ipsas veritates, vtpote supernaturales, vel etiam vendere actionem docendi Theologiam, quæ fieret sine omni labore, & ex solo afflatu Spiritus S. linguam moventis, indubiè simoniacum est. Secus, si habitus scientiæ per accidens esset infusus, ipsa tamen doctio fieret per laborem, vt bene notat noster *Torre*. Similiter simoniacum esset, si doctio fieret per modum Catecheseis, vel Concionis, quia hæc ordinatur tum ad imprimenda rudimenta fidei, tum ad voluntates hominum in amore, & timore Dei inflammandas, ad pœnitentiam de peccatis agendam, &c. quod præcipuè est opus Dei. Ergo eam vendere, est Simonia: aut functio Professoris Theologiæ de se est mere doctrinalis, merè speculativa, & solum ordinata ad perfectionem intellectus. Item Theologus simoniacus fit, si vendat consilia, quæ tendunt ad excolendam virtutem, vel ad pacandam conscientiam in foro conscientiæ, quia sunt de materia supernaturali. Secus si respiciunt tantum forum externum. Tum quia est actio mere naturalis. Tum etiam, quia in ijs magis agit Iurisperitum, vel Philosophum moralem, quam Theologum, & conditio per quæ concurrit per accidens. Ex his Colligе, de quibus intelligatur illud Matth. *Gratis accepistis, gratis date*, nimirum de supernaturalibus.

* 33 *Resp.* 2. Officium Professoris Theologiæ vendere, licet in sensu explicato non esset simoniacum esset tamen mortale scandalum. *Ratio*: Quia inter sexcentos vix vnus scit præfatam distinctionem. *Resp.* 3. Cantor, & Organista suas operas, seu actiones pro mercede locare possunt. *Ratio*: Quia secundum se sunt meritè naturales. *Resp.* 4. Si Cantor, Organista, & Laicus, habeant Redditus in Ecclesia fundatos, hæc officia vendere simoniacum censetur eo modo, & sensu, quo dictum est *E. 7. n. 1. & seqq.* de Simonia iuræ naturæ, vel Ecclesiæ prohibita. Vnde *Busenbaum* in præsenti inter Simonias, quæ sunt Juris humani, benè numerat venditionem officiorum extrinsecè tantum ordinatorum ad res sacras, v. g. Sacristæ, Oeconomi, Advocati Ecclesiæ, Thesaurarij, &c.

* 44 QUÆRO VIII. Quænam est Simoniacorum obligatio ad restituendũ, & quæ pœnæ? *Resp.* 1. *Qui intervenit muneris*, id est, pecuniæ, seu pretij *spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest*, sed tenetur restituere. S. Doct. *art.* 6.

Ratio eius est: Nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem domini acquisivit, puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset: Sed dominus (cuius ministri, & dispensatores sunt Prælati Ecclesiarum) ordinavit, vt spiritualia gratis darentur, secundum illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Ergo,

* 35 *Resp.* 2. Probabilius est, quod stando in jure divino naturali simoniacus teneatur ad resignationem Beneficij, & cuiuscumque alterius rei spiritualis, acquisiti per Simoniam etiam solum mentalem, modo effectus sit subiectus saltem ex vna parte. Ita patet ex verbis S. Thomæ, in ipsa *R.* 1. *addito*.

Ratio: Ex natura rei restimi debet, quod acquiritur per contractum injustum. Sed contractus simoniacus est injustus, quia in eo venditur, quod est invendibile. Ergo.

* 36 *Resp.* 3. Probabilius etiam est, pretium pro re spirituali acceptum, jure naturæ esse obnoxium restitutioni. *Ratio* est, quæ ante. *Resp.* 4. Beneficium simo-

simoniacè acceptum (nisi dispensatio, vel potiùs nova eius collatio obtineatur) relinquendum in manibus Collatoris. *Ratio*: Nemo potest Beneficium obtinere nisi per legitimam collationem, factam ab eo, ad quem spectat.

Ex quo sequitur, quod ille Simoniacus teneatur etiam restituere omnes Beneficij fructus, quos percepit, vel percipere potuit, sive extent, sive non extent; deductis solùm expensis, quas fecit, vel causa fructuum, vel in utilitatem Ecclesiæ. Si verò contigerit Simonia ipso nesciente, tenetur solum restituere fructus extantes, non vero bona fide consumptos. De hoc S. Thom. *hic, art. 6. ad 4. sic loquitur*: Pecunia, vel possessio, vel fructus simoniacè accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cuius injuriam data fuerunt, non obstante, quod Prælatus, vel aliquis de Collegio illius Ecclesiæ, fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen quod, quantum fieri potest, ipsi, qui peccaverant, indè commodum non consequantur. Si verò Prælatus, & totum Collegium fuit in culpa, tunc debet cum auctoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari. *Hæc ibi.*

* 37 *Resp.* 5. Pretium simoniacè acceptum pro re spirituali nondum tradita, v.g. pro Beneficio nondum collato, restituendum est ei, qui dedit. Si verò Beneficium sit collatum, & pretium acceptum, dandum est Ecclesiæ, vel pauperibus, idque probabiliùs ante sententiam Judicis.

Ratio 1. *p.* Quia Simonia non fuit completa. *Ratio* 2. *p.* Qui pecuniam illam dedit, contra divinę Legis justitiam peccavit cum magna Dei irreverentia, volens appretiare id, quod appreciabile non est. Ergo privatiene eius puniri meretur.

Ratio 3. *p. Cap.* de hoc *tit.* de Simonia, ipsa Ecclesia statuit, Reges, & Principes debere induci, vt, quæ Pro electione Episcopi acceperunt, restituant Ecclesiæ absque diminutione: Sed non est verisimile, Ecclesiam intendere, vt hoc fiat post sententiam Judicis; quia ordinariè in talibus locis non est aliquis Iudex, qui Reges, & Principes de similibus condemnet. Ergo.

* 38 *Resp.* 6. Insuper Simoniaci, tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores, alijs pœnis puniuntur, scilicet infamia, & depositione, si sint Clerici; & excómunicatione, si sint Laici; vt habetur 1. *q.* 1. *cant. si quis Episcopus.* Ita loquitur S. Thom. *art. 6. in c.*

Resp. 7. Simonia pœnas Iuris ipso facto Inducens est triplex: Nimirum 1. *commissa* in susceptione Ordinum maiorum, vel minorum. 2. *in Beneficio* Ecclesiastico. 3. *in ingressu*, seu Professione Religionis. *Ratio*: Tales, vtpotè frequentiores, & pernitiosiores, merentur ab Ecclesia, & hæc vult, eos puniri ipso facto.

Resp. 8. Aliæ Simoniæ, v.g. in ministratione, vel receptione Sacramentorum, etsi sint grandia peccata, pœnas tamen juris non inducunt ipso facto, sed debet infligi per sententiam Iudicis *C. cum super, tit. de confessis.*

* 39 *Resp.* 9. Sola simonia realis completa, licet pretium solum pro parte sit solutum pœnas iuris indicit, non verò mentalis, vel conventionalis, ab alijs dicta realis incompleta, vel fenitealis, etiam facta traditione rei spiritualis, modo temporale non sit receptum. *Ratio*: Tum quia Leges pœnales, præsertim tam graves, intelliguntur decerni pro opere completo. Tum etiam, quia legitur, hunc esse stylum Romanæ Curiæ scientePapa; qui non solum jus declarat, sed & facit, & oppositum revocat.

Ex his *Sequitur* 1. eum, qui simoniacè confer Ordinem sivè maiorem, sive minorem, immo, & primam Tonsuram, esse excommunicatum. De quo vide *Trid. sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* Insuper esse suspensum ipso facto ab omnium Ordinum, etiam primæ Tensuræ collatione, & ab omnium munerum pontificalium exactione; & interdictum ab ingressu Ecclesiæ, immo (hac suspensione non observata) simul suspensionem incidere Regimine Ecclesiæ. Quod totum patet ex Constitutione Sixti V. an. 88. *edita*: Quarum pœnarum relaxatio soli Papę reservatur. Per eandem Bullam ab executione omnium Ordinum suspenduntur ordinati simoniacè.

Nota tamen, ad harum pœnarum incurrentiam requiri, vt interceserit formale, vel virtuale pactum. Quo deficiente licet non sit simonia, est tamen grande peccatum mortale, si quid contra *Trid.* accipiatur prætextu consuetudinis, vel sustentationis.

Sequitur 2. Iuxta Extravag. *Detestabile*, de simonia, excommunicatum esse conferentem, procurantem, vti & recipientem simoniacè Beneficium: si tamen sit verum Beneficium. Et ille simoniacè ad Beneficium promotus est inhabilis ad illud habendum absque nova dispensatione Pontificis, *c. nobis fuit, tit. de simonia.*

* 40 *Resp.* 10. Simonia propter ingressum Religionis tam intrantes, quam recipientes ipso facto subijcit excommunicationi, & ipsum Conventum, si crimini consentiat, etiam suspensioni. *Not.* tamen, ob Monasteriorum tenuitatem, & contrariam consuetudinem hanc censuram raro incurri.

* 41 *Resp.* 11. Simonia confidentialis completa, nimirum dato, & accepto Beneficio, licet accipiens nondum impleverit suam promissionem, vtrasque partem contrahentem ipso facto subijci Excommunicationi Papali, & annullat resignationem, & collationem Beneficij, in quo est commissa, & ad idem postea obtinendum inhabilitat, omnibus beneficijs, & pensionibus ante obtinentis, privat. Tandem beneficia sic collata reservantur soli Summo Pontifici, cui etiam soli ordinariè reservatur dispensatio in prefatis pœnis, etsi in quibusdam casibus (de quibus alij Authores videantur) competere possit Episcopo.

TRACTATUS XI.
DE SACRAMENTIS.

Tum in communi, *ex 3. p. Angel. Doct. à q. 60. vsque ad 65. inclusivè*; tum in specie, de Baptismo, & Confirmatione.

De quibus vbi S. Doct. agat; dicetur in proprio loco.

Consentaneum visum est (ait Tridentina Synodus Sess. 7. in Proœmio, seu Decreto de Sacramentis) *de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera iustitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Sunt enim velut septem fontes Salvatoris, fontes, inquam, aquæ salientis in vitam æternam, qua meus impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. De quibus proinde sit.

EXAMEN I.

De Essentia Sacramentorum, *de qua S. Thom. agit quæst. 60. per 8. artic.*; & de necessitate Sacramentorum; *de qua quæst. 61. per 4. artic.*

1 QUÆRO I. Obligaturne Confessarius scire doctrinam Theologorum de Sacramentis? *Respondeo*, hoc à nemine (cui christianismus cordi est) in dubium verti posse. *Ratio*: Quia quivis sincerus Christianus corde, & ore asserit, Confessarium ex vi Officij sui non tantùm Iudicem, sed & Doctorem, & Medicũ esse; Quæ autem salubrior Doctrina, quàm quæ efficacissima remedia præbet, per quæ Iustitia cœpta augetur, vel amissa reparatur? Quæ efficacior medicina, quàm vulnerum animę Emplastra, pretioso Christi Sanguine valorata, vti sunt septem Sacramẽta, quæ *sacrant mentem*, seu sanctificant, immò deificant animã, *vt Filij Dei nominentur, & sint*: Ergo.

2 QUÆRO II. Quid est Sacramentum? Quod, & quoduplex significatum eius? *Resp.* 1. Sacramentum in communi bene definitur à S. *Thom. q. 60. art. 2. in corp. Signum rei sacræ sanctificantis homines. Explicatur*: Dicitur 1. *Signum*, nimirum sensibile, de quo posteà plura. *Item* signum, non naturale, seu ex natura sua significans, sed ad placitum, non hominis sed Dei, seu à Deo institutum: cùm enim solus Deus sit causa principalis gratiæ, ipsius etiam est instituere signa gratiæ. *Item* signum practicum, seu causans significatum, non merè speculativum: de quo posteà. *Bene* intelligi debet de signo permanenter in Ecclesia instituto; per Sacramenta enim homines coadunantur in viam Religionem. Ergo debent manere, quamdiù manet ipsa Religio. Defectu huius conditionis insufflario, qua Christus in *Pentecoste*, Discipulis dedit Spiritum sanctum, non est Sacramentũ, vti nec illa verba Christi ad Magdalenam: Remittuntur tibi peccata multa, quoniã dilexisti multùm.

Dicitur 2. *rei sacræ sanctificanti homines*. Quod intelligitur de sanctificatione formali, quæ est ipsa gratia habitualis, quæ proindè intelligitur ibi per rem sacram. Vnde Crux Christi est quidem signum rei sacræ, nimirum Christi nos sanctificantis, non tamen est Sacramentum; quia significat rem sanctificantem nos effectivè. *Idem* est de serpente æneo, qui erat figura Christi. *Definitio* sic explicata coincidit cum illa Canisij: *Est signum visibile invisibilis gratiæ ad hominum sanctificationem divinitùs institutum.*

3 *Resp.* 2. De ratione Sacramenti vt sic, est significare sanctitatem simpliciter, seu perfectam, & intrinsecam: & non sufficit, quod significet legalem, seu imperfectam. *Ita S. Thomas art. 2. ad 3. Ante probationem nota*, quòd, sicut est duplex status Legis, nimirum Veteris, & Novę, ita est duplex sanctitas, vtrique statui correspondens. Vna legalis, & imperfecta, potiùs talis quoad homines, quàm quoad Deũ, non sanctificans intrinsecè, sed solùm extrinsecè, vtpotè hominem ponens in tali statu, vt aliis liceat cum eo conversari. Sic in Lege Veteri mulier alienigena, id est, non progenita ex semine Israelitico, licèt coram Deo sancta, erat tamen immunda legaliter, seu ex Lege, per quam Viro Israelitę non licebat eam ducere. E contra Judæa licèt coram Deo (nimirum per peccatum) immunda, *etiam* tamen legaliter sancta. Sicut etiam in lege Veteri tangens mortuum, vel leprosum dicebatur immundus, non immunditia culpæ, sed cuiusdam irregularitatis legalis. Altera est sanctitas perfecta, seu quoad Deum, quæ fit per gratiam habitualem, seu sanctificantem. Prima quidem attribuitur Sacramentis Veteris Legis, quibus tamen altera non est totaliter deneganda, vt patebit ex dicendis tum in Ratione, Tum infrà de causalitate. *Hoc notato.*

Ratio est: Sacramentum ex sua essentia petit significare talem sanctitatem, cuius significatione distinguatur ab omni eo, quod non est Sacramentũ: Sed hanc distinctionem non habet per significationẽ sanctitatis legalis. Ergo. *Min. prob.* In Lege Veteri multæ erant Cæremoniæ significantes sanctitatem imperfectam, & legalem, vt patet ex *Hebr. 9.* nimirum omnes illæ ablutiones, quibus mundabatur corpus, & conferebatur iustitia carnis, ac sanctitas legalis, quæ tamen non erant Sacramenta. *Idem* in Nova Lege est de absolutione ab Excommunicatione maiori, quæ facit, quòd non liceat cum excommunicato non tolerato conversari. Ergò.

4 *Resp.* 3. Sacramentum significat tria, nimirum Passionem Christi, quæ præcessit tanquam signum *rememorationis* gratiam, quæ per passionem, Christi in nobis efficitur tanquam signum *demonstrativum*: & gloriam, tanquam signum *prognosticum*. Ita art. 3. in corp. *Ratio* S. D. est: Sacramentum, propriè dicitur, quod ordinatur ad significãdam nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari, nimirum ipsa sanctificationis causa, quæ est Pas-

sio

ſo Chriſti; & forma ſanctificationis, quæ conſiſtit in gratia, & virtutibus; & vltimus finis ſanctificationis noſtræ; quæ eſt vita æterna. *Ergò.*

* 5 *Oppono*: Quod ſignificat multa, eſt ſignum ambiguum, ſeu æquivocum, & dat occaſionem fallendi: Sed hoc non debet dici de Sacramento. Ergo. *Ad hoc diſt. mai.* Quod ſignificat multa abſque ordine, *concedo*: cum ordine inter illa, *neg.* Vnde S. Thom. *ad 1. docet*: Tunc eſſe ſignum ambiguum præbens occaſionem fallendi, quando ſignificat multa, quorum vnum non ordinatur ad aliud; eſſe autem ſignum certum, ſi ex eis ordine quodam efficiatur vnum. Sicut hoc nomen homo ſignificat animam, & corpus, prout ex eis conſtituitur humana natura. Et hoc modo Sacramentum ſignificat tria prædicta, ſecundùm quod ordine quodam vnum ſunt, vt patet ex Ratione data.

* 6 QUÆRO III. Conſtantne Sacramenta ex determinatis rebus ſenſibilibus vt materia, & verbis vt forma: & quotuplex eſt eorum materia? *Reſp.* 1. Sacramenta Novæ Legis conſtant ex re ſenſibili vt materia, & verbis ſenſibilibus vt forma, tâquam partibus intrinſecis, & eſſentialibus. *Ratio* 1. *p.* eſt *ex Arl. 4 in corp.* Divina Sapientia vnicuique rei providet ſecundùm ſuum modum, & propter hoc dicitur *Sap.* 8. quòd ſuaviter diſponit omnia: Sed homini eſt connaturale, vt per ſenſibilia perveniat in cognitionem intelligibilium; ſignum autè eſt, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius, & res ſacræ in Sacramentis ſignificatæ ſunt bona intelligibilia, ſeu ſpiritualia. Ergo.

Nota 1. quòd per rem ſenſibilem non intelligamus, debere neceſſariò eſſe aliquod elementum ſenſibile, vt in Baptiſmo eſt aqua de quò S. Aug. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Sed ſufficit eſſe aliquo ſenſu perceptibile, per formam determinabile, quod impropriè poteſt dici elementum, licèt ſit aliquis actus, immò verba, vt patet in Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonij. Et *ex S. Thom. art. 6. ad 1.* Idem eſt de verbis, quæ non ſemper neceſſariò debent eſſe propriè dicta, ſed ſufficit eſſe æquivalenter talia; v. g. nutus, ſigna, &c. vt Matrimonio. *Nota* 2. ex *S. Thom. ad 2. & 3.* quòd licèt res ſenſibiles ſecundùm ſe, & naturam ſuam efficiant effectum naturalem, & nò ſpectent ad Dei cultum, & ſanctificationẽ noſtram, aut ſpiritualem ſignificationem, benè tamẽ in quantum à Deo ad id ſunt aſſumptæ, & elevatæ.

Ratio 2. *p.* eſt *ex S. Thom. a. 6. in corp.* Res ſenſibiles, earumque ſignificatio ſecundùm ſe ſunt indifferentes; aqua enim ſignificare poteſt & ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatem: Ergo per verba debent determinari ad effectum ſpiritualem. Vnde S. Auguſt 2. de doct. chriſtiana, ait: *Verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi.* Et hoc patet in Baptiſmo. Nam, cùm dicitur, Ego te baptizo, manifeſtatur, quòd aquâ vtimur in Baptiſmo ad ſignificandam emundationem ſpiritualem.

Ratio 3. *p.* In omni compoſito materia, & forma ſunt partes intrinſecæ, & eſſentiales: Sed Sacramentum eſt quoddam compoſitum, & res in eo ſunt materia, verba ſunt forma. Ergo. *Min. prob.* 1. Quia *Concil. Flor. aſſerit*, Sacramenta Novæ Legis perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. 2. *Quod* determinatur per aliud, eſt materia; quod determinat, eſt forma: vt docet *S. Thom. art. 7.* & patet in naturalibus, v. g. in materia hominis, & in artefactis: Sed in Sacramentis res ſenſibiles per verba determinantur ad ſignificationem rei ſpiritualis. Ergo. *Declaratur* hoc vlteriùs *ex S. Thom. a. 6. ad 2. dicente*: Quamvis verba, & aliæ res ſenſibiles ſint in diverſo genere, quantùm pertinet ad naturam rei, conveniunt tamen in ratione ſignificãdi, quæ perfectius eſt in verbis, quàm in alijs rebus. Et ideò ex rebus, & verbis fit quodammodo vnum in Sacramentis, ſicut ex materia, & forma, in quantum ſcilicet per verba perficitur ſignificatio rerum. Hæc ibi.

* 7 *Oppono*: Materia, & forma, ac partes intrinſecæ debent eſſe ſimul: Sed res, vel actus ſenſibiles, & verba non ſunt ſimul, vt patet in Sacramento Pœnitentiæ, quia Abſolutio ſequitur Confeſſionem: & in Matrimonio vnus conſenſus, vt traditio, præcedit alium, vt eſt acceptatio. Ergo. *Diſt.* Simultate phyſica, vel morali, *concedo mai.* Semper phyſica, ſeu mathematica, vt ſint ſimul in eodem inſtanti temporis, *neg. mai.* Et ſic *diſt. min. neg. conſ.* Sufficit ergo, & in omni Sacramento, vt validum ſit, adeſſe debet ſimultas partium moralis, ſeu ſecundùm prudentem æſtimationem. Quomodo hæc verificentur in Euchariſtia, vide infra *Tr. 12. Exam. 1. n. 3. in R. ad 2. Conſ.* quomodo verba maneant virtualiter poſt conſecrationem.

* 8 *Reſp.* 2. Materia in quovis Sacramento Novæ Legis eſt duplex, nimirum remota, & proxima. Prima eſt illa res ſenſibilis, quæ ſuſcipienti per actionem Miniſtri applicatur. Proxima eſt ipſa actio applicans. *Declaratur*: In Baptiſmo materia remota eſt aqua, proxima eſt ablutio. In Confirmatione materia remota eſt chriſma, proxima eſt vnctio in fronte. In Euchariſtia materia remota eſt panis, & vinum, proxima ſunt ſpecies conſecratæ Chriſtum continentes. In Pœnitentia materia remota ſunt peccata, proxima ſunt actus pœnitentis. In Extrema-Vnctione materia remota eſt oleum infirmorum, proxima eſt ipſa vnctio. In Ordine materia remota ſunt inſtrumenta, quæ dantur ordinando, proxima eorum traditio. In Matrimonio materia remota ſunt corpora, proxima traditio eorum ſenſibiliter expreſſa.

* 9 QUÆRO IV. Nonne ſaltem per Dei potentiam abſolutam poſſibilia ſunt Sacramenta inſenſibilia, ſeu ſpiritualia reſpectu hominis? *Reſp.* Affirmativè. *Ratio*: Eſſentia Sacramenti conſiſtit in hoc, quòd ſit ſignum ad placitum, practicũ gratiæ: Sed non apparet repugnantia, cur Deus non poſſit elevare actum aliquem internum v. g. adorationis, vt ſignificet, & cauſet gratiam. Ergo. *Min. prob.* 1. *ex S. D. 2. 2. q. 17. a. 1. docente*: quod Deus per interiorem motum hominis, vt per inſtrumentum, poſſit patrare miracula. Ergo & gratiã. 2. *Sicut* Sacramentorum Auctor Deus virtutem ſuam non alligavit Sacramentis, ita nec rebus ſenſibilibus. Ergo. 3. *Res* ſpiritualis poteſt verè eſſe ſignum, vt patet in verbo mentis. Nam ſignum, vt abſtrahens à ſpirituali, & ſenſibili, definitur eſſe id, quod mediante, ſeu ſuppoſita cognitione, ſive notitia ſui, ſive ſenſus, ſive intellectus, deducit in cognitionem alterius. Hinc dum *S. Aug.* definivit ſignum eſſe id, quod præter ſpeciẽ, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire, non loquitur de ſigno in tota ſua latitudine, vt etiam complectitur poſſibilia, ſed de eo, quo ordinariè vtimur. Ergo.

* 10 *Reſp.* 1. Illa Sacramenta inſenſibilia non eſſent homini ita proportionata, vti ſenſibilia. *Ratio*: Quia homini, vtpotè ex ſpiritu, ſeu anima, & corpore concreto, connaturale eſt in cognitionem ſpiri-

tivalium devenire per sensibilia. *Ergò.*

* 11 *Oppono contra 1. part.* Homines per Sacramenta coadunantur in vnam Religionem: Sed hæc coadunatio non potest fieri per signa spiritualia, cum homo sensibiliter petat regi. *Ergò. Ad hoc dist. min.* Non potest fieri tam suaviter, tamque proportionate, *cons. min.* absolutè, *neg. min.* Vndè, & de necessitatè absoluta Sacramenta, non petunt esse visibilia signa visibilis Ecclesiæ, sed solum ad melius esse, sicut, & illa definitio Sacramenti, quod sit *invisibilis gratiæ visibilis forma*, intelligitur solum de Sacramentis de facto institutis. Ex quo sequitur, minus essentiale Sacramento esse, quod sit sensibile, quam quod sit signum ad placitum; vndè implicat absolutè, quod Sacramentum sit signum naturale gratiæ: Sacramentum enim debet esse ex institutione, adeòque ad placitum.

* 12 QUÆRO V. Suntne omnes Sacramentorum Novæ Legis materiæ, & formæ à Christo determinatæ? *Resp.* Affirmativè quoad determinationem saltem in genere, seu specie subalterna, non tamen semper in specie infima, vel individuo, quam in quibusdam, Ecclesiæ reliquit. Et ideò dixi, *saltem ingenere.* In aliquibus enim etiam est in specie atoma.

Declaratur: In Baptismo Christus pro materia determinavit aquam elementarem in specie infima, & non aliam, sivè sit calida, sivè sit frigida, turbida, sivè clara; hæc enim sunt accidentia, quæ non variant substantiam. *In Confirmatione* materia remota determinatè est Chrisma confectum ex oleo, & balsamo. Quod autem Apostoli interdum hoc Sacramentum contulerint sine chrismate per solam manuum impositionem, non obstat; quia hoc habuerunt ex speciali privilegio sibi dato à Christo. Aliquando tamen etiam fuerunt vsi chrismate. Similiter Græci in Confirmatione vtuntur hac forma: *Signaculum doni Spiritus sancti*; nos verò alia, vt patebit infrà: quæ est diversitas solum materialis. *In Eucharistia* determinatè est vinum de vitè, & panis triticeus vsualis, sivè azymus, sivè fermentatus. In extrema-Vnctione determinatè est oleum à Christo pro materia institutum, non à *S. Jacobo*, qui illud solùm promulgavit. De quibus omnibus alibi in propriis locis plura. In his ergò Sacramentis determinatio materiæ est magis inparticulari, quam in sequentibus duobus, quorum materia essentialiter includit aliquid morale, vti, & in *Ordine*, in quibus materia est magis confusa, nimirum secundum genus, seu speciem subalternam tantum à Christo determinatam. Nam.

In Sacramento Pœnitentiæ materia proxima est confessio dolorosa, sivè sit talis per attritionem, sivè per contritionem, quæ specie differunt; sivè sit de peccato veniali, sivè de mortali; sivè exprimatur nutibus, sivè verbis. De quibus infrà. *In Matrimonio*, quod non solum est Sacramentum, sed, & contractus civilis, ac naturalis, materia proxima est consensus contrahentium, non qualiscunque; sed legitimus & validus ad transferendum mutuo dominium supra corpora, adeòque conformis legibus Ecclesiæ, quæ eius legitimati pro temporum necessitatibus certas potest præscrivere conditiones, quibus non servatis contractus est nullus, vti fecit in matrimonio Clandestino. Cuius materiam proinde Ecclesia mutavit solum materialiter, non formaliter, semper enim manet verum quod materia Matrimonij sit contractus legitimus.

* 13 De Sacramento Ordinis maior est difficultas. Nam Græci in sacris Ordinibus pro materia vtuntur sola manuum impositione: & forma apud eos est hæc: *Divina gratia, quæ infirma sanat, promovet hunc Subdiaconum in Diaconum: Hunc Diaconum in Presbyterum.* Econtra apud Latinos traditur calix, &c. liber Epistolarum, Evangeliorum, vti scitur. Quæ est materia diversa. Cum verò Ecclesia latina dictum Ecclesiæ græcæ modum ordinandi approbet, & in materijs, ac formas substantialibus Sacramentorum errare non possit, tenendum est, quod pro hoc Sacramento Christus nullam materiam, vel formam in specie determinaverit, sed solum in genere, nimirum tale sensibile signum, quod sit sufficienter expressivum potestatis per Ordinem traditæ, determinationem in specie relinquendo Ecclesiæ, quæ cum pro Ecclesia græca vnam, pro Latina aliam Ordinis materiam, & formam determinaverit, per quamlibet in sua, seu à suæ Ecclesiæ Episcopo valida fit ordinatio: est enim illa diversitas, seu variatio solum materialis, non formalis, quia conveniunt in ratione signi expressivi datæ potestatis. In Ecclesia tamen Latina materia est expressior, quia præter impositionem manuum in Sacerdotio, *v. g.* traditur calix cum vino, & patena superposita hostia, & tunc solum profertur forma, quæ dein cadit super totam materiam præcedentem, quæ constat ex impositione manuum, & traditione calicis, & non intendit ante perficere ordinationem.

Ratio: Cur Deus, etsi absolutè loquendo potuisset per alium, attamen de facto immediatè per seipsum cuiusvis Sacramenti materiam in sensu explicato determinaverit, Hæc, inquam, ratio est, quia Sacramenta Novæ Legis, vtpote causantia gratiam ex opere operato, sunt Sacramenta excellentissima: sed non fuit conveniens, vt res tam excellens immediatè determinaretur ab alio, quam à Deo. Ergò. Plura de hoc infrà de causa, & institutione Sacramentorum in hoc Tract. Exam. 4.

* 14 QUÆRO VI. Quæ mutatio materiæ, & formæ invalidat Sacramentum? *Resp. 1.* Essentialis, seu substantialis mutatio materiæ, vel formæ invalidat Sacramentum, non tamen accidentalis; licèt hæc ordinariè sit illicita, & peccatum Ita S. Tho. à 8. in c. *Ratio 1. part.* Nullum compositum, vti etiam est Sacramentum, potest subsistere sine partibus suis intrinsecis, & essentialibus. Ergò. *Ratio 2. part.* Quia accidentia, cum sint extra substantiam rei, eam non variant, vt patet in accidentibus hominis. Ergò.

Ratio 3. part. Quia mutatio accidentalis ordinariè est, vel contra præceptum naturale, quo iubemur sancta sanctè, & reverenter tractare, *v. g.* si quis sine necessitate baptizaret in aqua sordida, vel contra grave præceptum Ecclesiæ, vtpatet de consecratione fermentati apud Latinos. *Ergò.*

Ex quo patet, mutationem substantialem materiæ esse, si quis adhibeat pro materia aliquid substantialiter diversum, *v. g.* in Baptismo aquam rosaceam, in Eucharistia panem hordeaceum; accidentalem, si salva substantia parumper alteretur, vt si aqua in Baptismo sit calefacta; vel panis triticeus in Eucharistia sit fermentatus. Substantialis mutatio formæ est, si mutetur sensus verborum, vt si in Baptismo quaeratur ly *in nomine*, vel ly *Patris, &c.* vel addat, quod mutet. Acciden-

cideret aliis mutatio est, si quid addatur, omittatur, vel verba mutentur, sic tamen, vt sensus verborum non tollatur. Et ita Zacharias Papa definivit in Cap. *Retulerunt*, de conſecr. *diſt.* 4. fuisse verum baptisma collatum à quodam rudi Sacerdote, *in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta.*

* 15 *Reſp.* 2. Mutatio verborum in Sacramentis potest fieri octo modis. 1. *Proferendo* ea in alia lingua contra morem Ecclesiæ. Quod si fiat sine necessitate, est peccatum, sed Sacramentum valet. 2. *Adhibendo* alia verba idem expresse significantia, *v. g.* pro ly *Patris* dicendo ly *Genitoris*, quod etiam est peccatum, Sacramentum tamen subsistit; si tamen solum implicitè idem significat, est nullum, *v. g.* dicendo: Ergò te baptizo in nomine SS. Trinitatis. 3. *Trasponendo verba*, quæ trãspositio si tollat sensum verborum, *v. g.* baptizo Patris in te ego Filij, & nomine Spiritus S. Sacramentum est nullum, vt patet *ex* S. *Thom. quæſt.* 60. *à* 8. *ad* 3. 4. *Interpolando* seu interrumpendo verba, quæ interruptio si sit tanta, vt interrumpatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus, & veritas Sacramenti, ait *S. Thom. ibidem.* Hæc interruptio maior est, si fiat inter syllabas eiusdem termini, quam si inter duos terminos. 5. *Aliquod* verbum addendo, quod si sit corruptivum debiti sensus, tollit veritatem Sacramenti, ait *S. Thom. in corp. v. g.* Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, sicut Ariani baptizabant. Si verò sensum non tollat, substitit, *v. g.* Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, &c. Vel si post ly Spiritus sancti addat: Et in nomine *B. Virginis*, vt eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem. Si verò intelligatur baptizari in nomine *B. Virginis* sicut in nomine Trinitatis, quo Baptismus conſecratur, talis sensus esset contrarius veræ fidei, & tolleret veritatem *Sacramenti*, vt docet *S. D. ibidem.* 6. *Aliquid* omittendo, *v. g.* in Baptismo ly *Ego*; in Eucharistia ly *enim*. Vbi notandum, quod qui habens intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, privata intentione falso putaret illas voculas esse de essentia formæ, verum conficeret Samentum: Quia adhibet omnia essentialia.

7 *Partialem* aliquem terminum corrumpendo, Pro quo S. D. à 7. ad 3. pulchram tradit Regulam dicens: *Ille, qui corrupte profert verba ſacramentalia, ſi hoc ex induſtria facit, non videtur intendere facere, quod facit Eccleſia, & ita non videtur perfici Sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore, vel lapſu linguæ, ſi ſit tanta corruptio, quæ omnino auferat ſenſum locutionis, non videtur perfici Sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando ſit corruptio ex parte principij dictionis; puta, ſi loco eius, quod eſt in nomine Patris, dicat, in nomine matris, Siverò non totaliter auferatur ſenſus locutionis per huiuſmodi corruptelam, nihilominus perficitur Sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando ſit corruptio ex parte finis: puta, ſi aliquis dicat, in nomine Patriat, & Filias. Quamvis enim huiuſmodi verba corruptè prolata nihil ſignificent ex virtute impoſitionis, accipiuntur tamen, vt ſignificantia ex accomodatione vſus.* Hæc ibidem S. D. 8. *Verba* mutando in signa, vel nutus. Quæ mutatio in Matrimonio, & Pœnitentia est accidentalis; in alijs verò essentialis.

* 16 *Reſp.* 3. Quando forma Sacramenti est ambigua, seu equivoca, habens plures sensus, sivè id proveniat ex vi verborum, sivè ex vsus accomodatione, ambiguitas tollitur, & propositio vera, vel falsa redditur ex intentione proferentis, qui si intendat sensum verum, Sacramentum valet, si falsum, annullatur. Exemplum est ex dictis de Baptismo: *In nomine Patriat, & Filias*, &c. Item de baptizante *in nomine B. Virginis. Ratio*: Quia iuxta Dialecticos propositio æquivoca secundum se nec est vera, nec falsa, sed fit talis ex intentione loquentis, verum, vel falsum intendentis.

Ex quo fit, si dictus rudis Sacerdos intendisset, in divinis dari filiam, Baptismus fuisset nullus. Inquantum verò ly filia ex vsus accommodatione potest significare Filium, Baptismus potest esse, & in dicto casu est validus. De Baptismo in nomine B. Virginis iam explicatum est paulò supra in Resp. 2. De invalidatione Sacramenti ex parte intentionis dicetur infrà in hoc Tract. Exa. 4 num. 16. & seqq.

* 17 QUÆRO VII. Fuerunt ne in omni statu Sacramenta homini necessaria? *Ante R. Nota* quoad præsens quadruplicem esse statum naturæ humanæ. *Primus* est status Innocentiæ in Adamo, & Eva pro brevi illo tempore ante lapsum 2. *Est Legis* naturæ, sic dictus, non quasi excludat gratiã, & præcepta supernaturalia, sed quia, sicut naturalia sũt ab intrinseco, ita Lex supernaturalis intrinsecè hominibus inspirabatur, & non publicè exterius ponebatur. Et hic status cœpit post lapsum Adami, & apud alias Nationes duravit vsque, ad Christum, apud Judæos verò vsque ad Moysen. 3. *Est ſtatus* Legis scriptæ, seu Mosaicæ, computa turque à Moyse vsque ad Christum. 4. *Est ſtatus* Legis gratiæ, seu Evangelicæ duraturus à Christo vsque ad finem mundi. Hoc notato.

Reſp. 1. In statu innocentiæ ante peccatum Sacramenta necessaria non fuerunt. Ita *S. D. quæſt.* 61. *à* 2. *in corp. Ratio*; Medicina non est necessaria nisi ægroto, ait *S. D. in Sed Contra.* Sed Sacramenta sunt quædam medicinæ, & in statu Innocentiæ non erat ægritudo, quia mens subeiat Deo, & menti subeiant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Ergò. Accedit, quod Deus præviderit lapsum Adami, adeòque illum statum non diu duraturum, consequenter non erant necessaria Sacramenta.

Nota ex solutionibus argumentorum S. Thomæ quod homo in statu Innocentiæ indigebat quidem gratia, sed vt consequenda spiritualiter, & invisibiliter, non verò per visibilia signa, quia fuisset contra perfectionem illius status, & contra subordinationem in Ratione descriptam, si anima vel quantum ad scientiam (puta, supernaturalem, de naturali non negatur, quod Adam eam acceperit de rebus, vt patet 1. *p. quæſt.* 101.) vel quantum ad gratiam perficeretur per aliquid corporale. Etsi enim ante, & post peccatum sit eadem hominis natura, non tamen idem status, Sacramenta autem, & cognitio, ac adeptio spiritualium per sensibilia conveniunt quidem homini secundum conditionem suæ naturæ ast non absolutè, nec vt proprium per se, ac quarto modo, sed ex suppositione certi status, nimirum naturæ lapsæ; postquam enim homo per peccatum sensibilibus se subiecit, non est inconveniens, quod per sensibilia denuò perfectionem accipiat.

De Matrimonio Adami, & Evæ docet *S. D. ad* 3. quod in statu Innocentiæ non fuerit, vt Sacramentum, sed vt est in officium naturæ. Vide in *Tract. de Prædeſt.* & in *Tract. de Incarn.* specialiter de gratia capitali Christi, an, & quomodo gratia Adami in statu Innocentiæ fuerit ex meritis Christi. Exigentis gratiam per Sacramenta. Vbi dicitur, quod, vt reparata, fuerit ex prævisis meritis Christi; non

verò

verò vt primo producta, qualiter fuit ex mera liberalitate Dei. Item vide *S. Thom. 2. 2. quæst 85. a 1.* Vbidocet, quod Sacrificium non solum internum, sed & externum de bonis temporalibus sit de iure naturæ in recognitionem debitæ subiectionis ad Deum rerum omnium Dominum; adeoque illud fuisset in statu Innocentiæ, si duraliet; à quo non est consequentia ad Sacramenta, vtpotè, quæ sunt iuris positivi, & repugnassent perfectioni illius status; vt ex dictis patet.

* 18 *Resp. 2.* In Lege naturæ fuit verum quoddam Sacramentum, non solùm pro iustificatione parvulorum ad delendum peccatum originale, sed & adultorum. *Ratio 1.* Ad humanam salutem necessarium est homines adunari in vnum verę Religionis nomen, vt arguit *S. D. a. 1. in Sed Contra.* Sed, vt ait S. Aug. in nullum nomen Religionis, sive verum, sive falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio colligantur. Quod verum est, supposita corruptione naturæ humanæ; in statu enim innocentię potuissent adunari per alia signa visibilia, v. g. Sacrificia. Ergo.

Ratio 2. Cum Deus velit omnes homines salvos fieri, in statu Legis naturæ pro parvulis, & adultis instituit aliquod remedium ad delenda peccata, tum originale, tum actualia: Sed hoc remedium fuit verum Sacramentum, cum fuerit externum, quia debebat applicari modo humano (quod non potest dici de actu merè interno) item fuit collativum gratiæ, peccatum enim non tollitur, nisi per gratiam. Ergo.

Ex quo sequitur, quòd, quando dicitur, parvulos in Lege naturæ fuisse mundatos à peccato originali in fide Parentum, intelligitur de fide non interna, sed manifestata signo sensibili, *v. g.* precibus, *oblatione*, vel *benedictione*, &c. Et hoc signum sensibile erat Sacramentum, quod tamen à Deo non fuit omnimodè in particulari, & in individuo determinatum, sed solùm in genere, quoad determinationem in specie, vel in individuo, relictum arbitrio ipsius applicantis. In hoc ergo signo, formale fuit à Deo, materiale ab homine, eò ferè modo, quo antè diximus de Ordine, eiusque materia.

Nota tamen, quòd remedium pro peccatis actualibus non fuerit eiusdem rationis cum eo, quod nos adhibemus pro eorum remissione, vti est verbalis, & auricularis confessio, sed aliud longè diversum, attamen in re simpliciter non necessarium, sed supplebile per votum in necessitate. Remedium verò peccati originalis fuit simpliciter necessarium in re ipsis parvulis, sicut apud nos Baptismus.

* 19 *Resp. 3.* In Lege Mosaica, seu scripta fuerunt vera, & diversa Sacramenta. Hoc probant Rationes *pro Ratę* datæ. Reducit *S. D. 1. 2. q. 102. art. 5.* Sacramenta Legis Mosaicæ ad quatuor, nimirum ad *Circumcisionem*, cui successit Baptismus ad *Agnum Paschalem*, qui erat figura Eucharistiæ: ad *Purificationes*, quibus respondet Pœnitentia: ad *Consecrationem Pontificis*, & Sacerdotum, quibus respondet Ordo. Alia erant Novæ Legis Sacramenta, nimirum Matrimonium, Confirmatio, & Extrema-Vnctio, non habent Sacramenta ex parte Legis Veteris sibi correspondentia.

Nota, quòd apud Judæos pro fœminis ad tollendum peccatum originale manserit remedium Legis naturæ, & Circumcisio (quæ solùm secundariò ordinabatur ad Populum Israeliticum discernendum ab aliis, primariò verò ad emundandum ab Originali) fuerit adhibita solis masculis. Et hoc propter conveniențiam, quam *S. D. assignat 3. p. q. 70. a. 2. ad 2. dicens*: Circumcisio instituta est, vt signũ fidei Abrahæ, qui credidit se Patrem futurum Christi, sibi repromissi, & ideò convenienter solis maribus competebat, peccatum enim originale, contra quod specialiter Circumcisio ordinabatur, à Patre trahitur, non à Matre; sed Baptismus continet virtutem Christi, qui est vniversalis causa salutis omnium, & remissionis omnium peccatorum. *Hæc ibi. Resp. 4.* In Lege Nova sunt vera Sacramenta, vt probant rationes antè adductæ, & eorum numerus patebit, ac probabitur in sequentibus.

EXAMEN II.

De Sacramentorum Veteris, & Novæ Legis causalitate, & effectu principali, qui est Gratia. *S. D. q. 62. per 6. art.*

* 1 QUÆRO 1. Quomodo Sacramenta Veteris Legis causarunt gratiam? *Ante R. Nota 1.* aliam esse causam per se, aliam per accidens; aliam principalem, quæ agit virtute propria; aliam instrumentalem, quæ agit virtute aliena: aliam physicam, quæ propria actione effectum immediatè, & realiter attingit: aliam moralem, quæ effectum suum attingit mediatè, quia nimirum aliam causam per modum consilij, imperij, meriti, vel pretij, movet, & inducit ad producendum effectum, vt patet in chirographo.

Nota 2. Quòd gratia dupliciter conferri possit; 1. *Ex opere operantis*, idest, independenter à Sacramento, per commensurationem ad subiecti devotionem, seu dispositionem, quæ dicitur opus operantis, eò quòd ei secundum se sumpto, ratione proprij valoris, v. g. *vt quatuor*, debeatur tanta gratia in eadem intensione, nimirum, *vt quatuor. 2. Ex opere operato*, idest, præcisè ex operatione Sacramenti, per virtutem ex Passione Christi iam operata ei communicatam, ita vt vel nulla requiratur dispositio, vt fit in parvulis baptizatis; vel si requiritur, vt in adultis, saltem non sufficit ad tantam gratiam, & non est ratio principalis, vel effectiva habendi excessum gratiæ. Nam accedenti ad Sacramentum cum dispositione *vt tria* confertur gratia *vt sex*, tres gradus ob propriam dispositionem vt causam, alij tres ob virtutem Sacramenti, respectu quorum dispositio solùm se habet vt conditio *sine qua non*.

Nota 3. Ex opere operato gratiam adhuc posse conferri dupliciter: 1. *Activè*, idest, per virtutę gratiæ productivam, saltem instrumentalem, ipsi Sacramento inexistentem, vt posteà dicetur de Sacramentis Novæ Legis. 2. *Passivè*, ita vt Deus ad præsentiam Sacramenti activè conferat gratiam vltra dispositionem suscipientis. *Nota 4.* Opus illud operatum, quod est Passio Christi, à qua omnia Sacramenta etiam vetera habuerunt virtutem causandi gratiam, posse dupliciter considerari. *Primo*, vt actu exhibitum, & sic se habet respectu Sacramentorum Novę Legis. 2. *Vt prævisum*, seu vt exhibendum, & operandum, & sic se habet respectu Sacramentorum Veteris Legis, *Hic notatis.*

* 2 *Resp. 1.* Sacramenta Legis naturæ, & scriptæ non causabant gratiam ex opere operato activè, sed solus Deus ad præsentiam illorum. Ita patet ex

S. Thom. hic q. 62. a. 6. in c. dicente: *Sacramenta Veteris Legis erant quædam fidei protestationes, inquantum significabant passionem Christi, & effectus eius, sic ergo non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem.*

Ratio: Quia dicta causalitas est singularis prærogativa Sacramentorum Novæ legis. In hoc sensu intelligitur, dum in *S. Script.* & *SS. PP.* legitur, quòd lex antiqua non iustificaverit, gratiam non decerit, eius Sacramenta fuerint infirma, & ægena elementa, non nisi figuræ, & umbræ, vel signa gratiæ. *Quia si ex Lege justitia, Ergo Christus gratis mortuus est*, vt dicitur *ad Gal.* 2. non enim eis denegatur omnis virtus gratiæ causativa, sed solùm in sensu explicando in *R.* 2. & 3.

* 3 *Resp.* 2. Non solùm parvulis, sed etiam adultis in remedio Legis naturæ pro peccati originalis deletione instituto, ac in circumcisione conferebatur gratia ex opere operato passive, sed vltra dispositionem suscipientis, hebantque adulti ex attritis contriti. *Ratio* 1. *p.* De hoc erit, infantes per Circumcisionem, & remedium Legis naturæ fuisse iustificatos, & salvatos: Sed de fide etiam est, nullum posse iustificari, aut salvari sine gratia; & luce clarius est, quòd infantes non possint se per proprium actum disponere. Ergo. *In hoc* sensu intelligitur, dum in *SS. PP.* legitur, quòd Circumcisio fuerit signum practicum gratiæ, & pro his, qui ex stirpe Abrahæ prodierunt, egerit (nimirum moraliter) id, quod apud nos valet aqua Baptismatis, sit enim comparatio quoad substantiam effectus, non quoad modum causandi. *Ratio* 2. *p.*, cum Cabrera contra aliquos Thomistas: Remissio peccati Originalis, & actualium mortalium ei coniunctorum, nequit conferri, nisi per infusionem gratiæ, vt probatur in *Tract. de justificatione in* 1.2. *q.* 113. *a.* 2. Sed in Circumcisione, & remedio Legis naturæ adultis cum debita attritione dispositis conferebatur remissio prædictorum peccatorum. Ergo hebant ex attritis contriti, & iustificabantur. *Min. prob.* Si in adultis, vt dispositio fuisset omnino necessaria contritio (cùm ad eam velut ad vltimam dispositionem in eodem instanti sequatur gratia) Circumcisio, & remedium Legis naturæ nunquam extinxissent peccatum Originale in illis, immo nec in eius remedium fuissent pro eis instituta, quia illud nunquam delevissent, sed semper supposuissent deletum per præviam contritionem, hoc autem est absurdum dicere. *Ergo.*

Nota, Sacramentorum Novæ Legis privilegium esse ex attritis contritos facere, & gratiam ex opere operato causare active physice, non merè passive, & moraliter, vt ex his explicatur S. Paulus *ad Galat.* 4. *dicens*: Abrahamum non tunc iustificatum in Circumcisione, sed ex fide. Quia in quæ gratia in Veteri Lege dabatur, non dabatur ex sola vi illius, sed simul per fidem Legis gratiæ, & in Christum vt prævisum. Vnde ex nostra sententia non sequitur, Legem Veterem debere dici Legem Gratiæ.

* 4 *Resp.* 3. Alia Legis naturæ, & scriptæ Sacramenta tantùm conferebant gratiam ex opere operantis, seu iuxta mensuram dispositionis subiecti, nec faciebant ex attritis contritos. *Ratio disparitatis* est, *tum* ex quadam Circumcisionis in Lege scripta, & remedij contra Originale in statu Legis naturæ excellentia super alia eorundem statuum Sacramenta, *tum* etiam ex speciali eorum necessitate; *tum* tandem (vt discurrit Cabrera) cùm peccatum Originale non fit propria, sed aliena voluntate contractum, non erat necessaria tanta dispositio ad illa Sacramenta, quæ in remedium talis peccati per se ordinabantur, quanta requirebatur ad illa, quæ per se respiciebant iustificationem ab actualibus (Originali remisso) commissis, ad hanc enim in adultis requirebatur vera, & perfecta contritio. *Ratio* 2. Si enim in alijs prædictorum statuum Sacramentis gratia fuisset collata ex opere operato, seu vltra dispositionem recipientis; etiam solùm moraliter, inconvenienter ita extenuarentur in S. Scriptura, vt quòd sint egena elementa, quòd Lex sit inutilis, operans iram Dei, quæ subintravit, vt abundaret delictum, *Rom.* 5. ideſt, vt esset occasio delinquendi. Nec benè diceretur, quòd accepta occasione mandatum occiderit homines, *Roman.* 7. quòd qui talia exequebantur, fuerint sub maledicto, quòd Lex Vetus fuerit iugum importabile. *Non primum*, quia potiùs occasione accepta daretur hominibus gratia vivificans, & sanans. *Non secundum*, quia potiùs essent sub benedictione, & gratia Dei. *Nec tertium*, quia in Legis Veteris impositione, & executione daretur gratia, & adiutorium ad iugum eius ferendum. *Ergo.*

* 5 QUÆRO II. Quomodo Sacramenta Novæ Legis causant gratiam? etiam recedente fictione? Revisis Notatis pro *q.* 1. *n.* 1. in hoc Exam. *Resp.* 1. *Concil. Trid. Sess* 7. *Can.* 8. sic definit: *Si quis dixerit, per ipsa Novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* *Ratio* de parvulis respectu Baptismi patet ex dictis. Cui adde, quòd, Sacramenta causare gratiam ex opere operato, est eam causare non ex merito recipientis, sed virtute passionis Christi iam operata. Sed sic est de Sacramentis novæ Legis. *Ergo.*

Nota tamen id, quod diximus, Sacramenta Novæ Legis causare gratiam ex opere operato, non convenire ipsis solùm in voto habitis, sed in re susceptis, vt docet *Sylvius hic q.* 62. *art.* 1. Quia alioquin sequeretur, Sacramentum bis conferre suum effectum, semel in voto habitum, semel in re susceptum. Negari tamen nequit, quin habens votum Sacramenti accipiat remissionem peccatorum, & gratiam, sed non eam accipit ex opere operato Sacramenti, etsi eius effectui valdè sit similis, & ob hanc similitudinem subindè à Theologis vocetur effectus Sacramenti, non quòd hic, & nunc à Sacramento causetur, sed quia natus est ab eo causari, & nunc ad votum eius, & in ordine ad illud datur. Qualiter intelligendus est *S. Thom. quodlib.* 4. *art.* 10. & 4. contra Gentes, *cap.* 72. *& infra q.* 72. *art.* 6. *ad* 1. *& ad* 3. vbi in oppositum propendere videtur.

* 6 *Resp.* 2. Sacramenta Novæ Legis non solùm moraliter, sed & physice instrumentaliter causant gratiã. *Ratio* desumitur ex dignitate & præeminentia Sacramentorum Novæ Legis præ antiquis. Et docetur clarè à S. Thom. cuius verba vide in Auctoribus. Et quamvis non sit de fide, colligitur tamen fundatè ex Trid. Sess. cit. Can. 6 vbi decernit: *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam ex ponentibus obicem non conferre quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Quibus verbis Sacramentis nostris attribuitur maior virtus causativa gratiæ, quam moralis, quia hæc verba debent

bent intelligi in ſenſu proprio; & clarè patet, quod in ſenſu proprio; & clarè patet, quòd in ſenſu proprio intellecta excedãt ratione ſigni, cauſa verò moralis ratione ſigni non excedit, & effectum propriè non continet, nec confert; ſed aliam cauſam inducit, vt eum cauſet. *Ergo.*

Dixi in R. 2. *inſtrumentaliter.* Quia certum eſt, quòd ſolus Deus ſit cauſa principalis gratiæ; & humanitas Chriſti non ſolùm ſit cauſa moralis, & meritoria, ſed ſimul inſtrumentum phyſicum, non ſeparatum, vti Sacramenta, ſed Divinitati perſonaliter coniunctum, quod eſt notabilius. Poteſt etiam dici, quòd Paſsio Chriſti adhuc phyſicè operetur gratiam, non in abſtracto ſumpta, vt eſt motus quidam, ſed in concreto, vt involvit ſubiectum paſſum, ſcilicèt Chriſtum, præſertim cum Paſsio Chriſti reliquerit in corpore Chriſti effectum, nimirum ſacra Stigmata.

* 7 Pro obiectionum ſolutione *Nota* 1. quòd quidem Sacramenta noſtra tanquam res ſenſibiles nobiliori modo cauſent gratiam, quàm actus præſtantiſsimarum virtutum, vtpotè ſolùm moraliter, ſeu meritoriè eam cauſantium: id verò Sacramenta non habent ex ſe, ſed ex elevatione Dei. 2. *Quod licèt* res corporea non poſsit, vt cauſa principalis attingere rem ſpiritualem, ſicut viſus corporeus abſolutè non poteſt videre Deum, quia in actu viſionis tanquam actionis vitalis ſemper agit vt cauſa principalis, benè tamen, vt inſtrumentum, vt patet in igne inferpali reſpectu ſpiritus damnati, quem torquet. 3. *Quod* influxui phyſico non officiat diſtantia ſuppoſiti, & ſufficiat ſimultas, & contactus virtutis. 4. *Quid* licèt ad omne inſtrumentũ, etiam divinę virtutis, neceſſariò requiratur actio quædam *prævia* (quia *aliàs* non eſſet *in* genere cauſæ efficientis, ſed medium purè deferent actionẽ principalis agentis) ſi tamen ſit inſtrumentum virtutis divinæ, vtpotè infinitæ, non requiritur neceſſariò, quòd ſit ita proportionata, vel quòd ſit diſpoſitiva ad effectum principaliter intentum. Nam Chriſtus volens illuminare cæcum, poſuit ſuper eius oculos lutum, vbi nulla erat proportio; vel diſpoſitio. 5. *Quod* licèt agens principale, & effectus debeant eſſe eiuſdem ordinis, non tamen agens *inſtrumentale*. 6. *Quòd* licèt agens inſtrumentale, & corporeũ, ſecundùm ſe ſumptum, non ſit eiuſdem ordinis cum effectu ſpirituali, vt eſt gratia, benè tamen, vt elevatum virtute ſpirituali, quam etiam fluentem, & tranſeuntem Sacramentum recipit ex motione cauſæ principalis, ſcilicèt Dei. 7. *Etſi res* ſpiritualis non poſsit in ſubiecto corporeo recipi permanenter, & ſtabiliter (quòd enim hoc modo recipitur, ad modum recipientis recipitur, & exiſtentiam, ſi ſit accidens, à ſubiecto emendicat) benè tamen vialiter, & fluenter, ſeu tranſeunter. 8. *Quamvis* illa virtus, ſeu accidens ſpirituale, ac indiviſibile non poſsit recipi in toto Sacramento, nec in eius parte; quia & motus Sacramentalis, & quævis eius pars, eſt quid ſucceſsivum, & diviſibile; poteſt tamen recipi in termino, ſeu facto eſſe illius, quòd eſt indiviſibile terminativum, & completivum totius entis ſacramentalis ſucceſsivi, exiſtitque in vltimo inſtanti extrinſecò terminativo. Et in hoc vltimo termino virtualiter exiſtit totum Sacramentum, quod ſufficit, vt per illam virtutem ſpiritualem fluentem in vltimo termino receptam, dicatur elevari totum Sacramentum. De actibus pœnitentis in ordine ad iuſtificationem vide infrà in proprio loco. Hæc, vt & quę dicentur *ad Q.* 3. non ſerviunt quidem ad praxim, benè tamen ad alios fines huius operis, ſeu Tribunalis in eiuſdem frontiſpicio inſinuatos; Qui poteſt ea capere, capiat, compendioſè relata ſunt, explicantur magis in Philoſophia, vbi agitur de cauſa inſtrumentali.

* 8 *Reſp.* 3. Omnia Sacramenta Novę Legis, validè quidem, ſed fictè, ideſt, indignè, ſacrilegè, ſeu in ſtatu peccati mortalis ſuſcepta, recedente fictione, ideſt, peccato per pœnitentiam ſublato, cauſant ex opere operato gratiam, tantam, quantam cauſaſſent, ſi dignè recepta fuiſſent, ſi etiam tanta adſit diſpoſitio: ſic tamen, vt Sacramenta characterem imprimentia gratiam illam cauſent phyſicè, reliqua verò ſolùm moraliter. Ita probabilius eſt ad mentem *S. Thom.* cuius verba vide in Auctoribus.

Ratio: Connaturale eſt omnibus cauſis, ſolùm impeditis, & per contrariam cauſam non excluſis, impedimento temoto producere ſuum effectum, quem, & qualem habuiſſent, ſi impeditæ non fuiſſent. Item vt cauſent iuxta ſuum modum exiſtendi, cauſent phyſicè, ſi phyſicè exiſtant; moraliter verò, ſi ſolùm moraliter exiſtant. Ita docet ſana Philoſophia. *Subſumo* 1. Sed Sacramenta Novæ Legis ſunt cauſæ phyſicæ iuxta dicta, & per fictionem à ſuo effectu ſolùm impediuntur, non verò excludũtur velut per contrariam cauſam; etſi enim indigna ſuſceptio Sacramenti ex parte ſuſcipientis ſit opus mortuum, ipſa tamen Sacramenta, eùm Paſsio Chriſti ſit eis applicata, manẽnt ſemper viva, exiſtentia moraliter in diuina acceptione, nec ſunt mortua per peccatum, ſed ſolùm mortificata, in quo differunt ab operibus bonis in peccato mortali factis, omni principio vitæ carentibus. Ergo. *Subſumo* 2. Sed Sacramenta characterem non imprimentia non exiſtunt phyſicè, nec in ſe, nec virtualiter in alio effectu à ſe relicto, ſed ſolùm moraliter, vt dictum eſt: è contra, quæ characterem, vt effectum relinquunt, exiſtunt virtualiter phyſicè in illo. Ergo illa ſolùm moraliter, hęc verò phyſicè cauſant gratiam recedente fictione. Ex hac ratione benè intellecta ſolvuntur variæ obiectiones. Vlteriùs tamen,

* 9 *Oppono contrà* 1. *part.* R. 3. Si Baptiſmus habeat ſuum effectum recedente fictione, deberet ante Baptiſmi operationem tolli fictio: Sed ante eam non poteſt tolli. Ergò Concluſio ruit. *Mai.* patet: Quia cauſa impedita non operatur, niſi ablato impedimento. *Min. prob.* Fictio debet tolli à Sacramento Pœnitentiæ per gratiam ſanantem: Sed nequit alicui prius dari gratia ſanans, quàm regenerans per Baptiſmum. *Ergò.*

R. Neg. Mim. Ad *prob. diſt. min.* 1. Non poteſt dari prius prioritate ſimpliciter tali, & in genere cauſæ efficientis, *conc. min.* Priùs ſecundum quid, & *in* genere cauſæ diſpoſitivæ, *neg. min. & conſequentiam.* 2. aliter: Nequit priùs dari gratia ſanans, vt formaliter ſanans eſt, *concedo min.* Vt eſt removens prohibens, *neg. min. & conſeq.* Quæ diſtinctio etiã applicetur ad maiorem. Eſt ergò mutua dependentia, ac priorita; inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Baptiſmi, eorumque effectus: Pœnitentiæ effectus eſt prior effectu Baptiſmi in genere cauſæ materialis, & diſpoſitivæ, quatenus tollit fictionem, quæ effectum eius impedit: Baptiſmus verò eſt prior in genere cauſæ efficientis, nam propriũ eſt illi, quod cauſet gratiam primam, & regenerativam. Datur etiam

etiam in illo primo naturæ effectus pœnitentiæ, non vt formaliter est gratia sanans, sed vt est removens prohibens. Quæ formalitates sunt benè distinguendæ.

Sed *Contra*: Iuxta datam solutionem ante operationem Baptismi datur per pœnitentiam gratia saltem, vt removens prohibens. Ergò Baptismus nihil operatur delendo peccatum originale, aut actualia ante Baptismum commissa. *Prob. conseq.* Gratia, etiam vt removens prohibens, nequit stare cum vllo peccato mortali, etiam Originali. Ergo removendo obicem, tollit etiam originale. Ergo Baptismus nihil habet amplius, quod operetur.

R. neg. conseq. Ad *prob.* concesso *ant. dist. conseq.* Ergò tollit etiam Originale indirectè, & per accidens, *conc. conseq.* Directè, & per se, *neg. conseq.* Itaque Originale (idem est de mortalibus actualibus ante Baptismum commissis) per gratiam in casu, de quo loquimur, per Sacramentum Pœnitentiæ collatam deletur solum indirectè, & per accidens; proindè necesse est, vt per gratiam baptismalem tollatur directè, & per se.

Sed *Contra*. Peccatum semel ab vno Sacramento deletum non exigit deleri adhuc per aliud. Ergò si iuxta datam solutionem peccatum originale tollitur per gratiam à Sacramento Penitentiæ productâ, Baptismus nihil operatur. *R. dist. ant.* Non exigit deleri per aliud absolutè, & quomodocumque, *conc. ant.* Cum certo modo, scilicet per se, & directè, *neg. ant. & conseq.* Etiamsi ergò peccatum Originale absolutè sit remissum in nostro casu, vt tamen tollatur connaturaliter, requiritur operatio Baptismi, cuius effectu tollatur per se, & directè. Hinc etsi nihil reale relinquatur tollendum per effectum Baptismi, hic tamen effectus talis est vt per se, & inquantum dimanat à tali Sacramento, polleat vi, & efficacia peccatum Originali tollendi, si aliunde remissum non fuisset. Quæ solutio fundatur in doctrina ab omnibus admissa, puta, quod, si alicui mortalia sint remissa per cõtritionem, tamen denuò sint subijcienda clavibus Ecclesiæ; sicut, si alicui Originale sit remissum per Baptismum flaminis, denuò baptizatur.

Contra est: Quæcumque gratia, etiam minima, æquè directè, & formaliter repugnat vni peccato, ac alteri, propter essentialem incompossibilitatem gratiæ habitualis, & peccati mortalis inter se. Ergò nec requiritur in præsenti casu, vt peccatum tollatur per Baptismum directè, cum iam sit data gratia per Sacramentum Pœnitentiæ. *R. distin. ant.* Quæcumque gratia repugnat, vt præcisè gratia est, *conc. ant.* vt est effectus talis, vel talis Sacramentis, *neg. ant. & conseq.* Ita doctè solvit noster *Lohat in 3. part. Tract. 2. disp. 2. dub. 2. docens*: Gratiam quidem repugnare suapte natura omni peccato, illudque delere non tamen prout consideratur sub illa ratione, quatenus à tali, vel tali Sacramento dimanat, quo sensu dicitur gratia Sacramentalis; sic enim debet conformari naturæ illius Sacramenti, à quo tanquam effectus hic, & nunc dimanat. Vnde hoc pacto gratia baptismalis habet per se, & directè remittere peccatum originale, & actualia ante, & in Baptismo commissa, gratia verò Sacramenti Pœnitentiæ actualia post eum commissa.

* 10 Sequitur ex dictis, quod, etsi gratia regenerans, & sanans, ac removens prohibens, entitativè in præsenti sit eadem gratia, habet tamen diversas formalitates, secundum quas nõ repugnat, quod in eodem instanti temporis cum priuitate, & posteriaritate naturæ à diversis Sacramentis attingatur, & sub vna ratione præsupponatur ad seipsum sub alia ratione, vt à simili patet in vltima dispositione respectu formæ. Itaque gratia removens prohibens quodcumque peccatum tollit, nimirum obicem per se, & directè, alia indirectè, & per accidens: gratia regenerans per se, & directè tollit Originale, & actualia ante, & in Baptismo commissa, reliqua indirectè; gratia sanans vt talis peccata post Baptismum commissa directè, antè commissa indirectè. Videinfrà *T. 13. E. 6. n. 3.* de Confessione informi, valida tamen, an illa recedente fictione causet gratiam.

* 11 QUÆRO III. Quando Sacramenta causant gratiam? *Resp. 1.* Sacramenta in vsu consistentia (vti sunt omnia præter Eucharistiam) causant gratiam in instanti terminativo extrinseco, in quo est *verum dicere*: *Nunc non est Sacramentum, & immediatè ante fuit. Ratio*: Sacramenta nõ causant gratiam, nisi quando sunt perfecta, seu completa: Sed non sunt completa, vel perfecta in instanti intrinseco, quando verum est dicere, Nunc Sacramenta non sunt, & immediatè antè erant. Ergò. *Min.* etsi constet, docetur tamen à *S. Thom. 4. ad Aalbald. dist. 8. à 5. vbi* de virtute productiva gratiæ loquens *ait*: Virtus communicatur Sacramento, quando est in suo termino, & complemento, non quando est simpliciter in successione. *Min* verò *prob.* Entia successiva non habent vltimum instans intrinsecum, in quo desinant, sed solum extrinsecum iuxta doctrinam Philosophorum in Physica docentium, ea non desinere per vltimum sui esse, seu in tali instanti, in quo sit verum dicere, Nunc est motus, *v. g.* & immediatè post non erit, quia in vnico *nunc*, seu in instanti non potest dari successio motus, vtpote, quæ perit partem priorem, & posteriorem, sed desinere per primum sui non esse, seu in instanti, in quo est verum dicere, *Nunc non est motus, & immediatè antè erat*: Sed Sacramenta in vsu consistentia sunt quædam entia successiva, vt patet in *ablutione, vnctione, absolutione*, &c. Ergò non habent instans intrinsecum, in quo desinant, vel perficiantur, sed tantum extrinsecum, & hoc instans est extrinsecum Sacramento, dicitur tamen intrinsecum inceptionis gratiæ, in eòque Sacramentum habet suum vltimum mutatum esse velut in diuisibile terminativum, quo in prædicto instanti intrinsecè completur, & perficitur, quod indiuisibile quodammodo coexistit gratiæ, ad quam causandam elevatur, & ab illo instanti extrinsecè mensuratur.

* 12 *Resp. 2.* Sacramentum Eucharistiæ (quod non consistit in vsu, sed in re permanente, & supponitur ante vsum) non causat gratiam ex opere operato quando conficitur 2. *Nec dum* ore sumitur, nec successivè toto tempore, quo durat sumptio 3. *Nec toto tempore*, quo species incorruptæ manent in stomacho cum præsentia Christi, licèt tunc homo ferventiores actus charitatis eliciat. 4. *Sed* in instanti extrinseco terminativo perfectæ manducationis, in quo est verum dicere, *Nunc non est manducatio*, & *immediatè antè fuit*. 5. *Potest* tamen ex opere operantis causare gratiam, dum sumitur, vel dum in stomacho manet. *Ratio 1. & 2. part.* Vt causetur gratia Eucharistica, cum habeat rationem cibi, requiritur vera manducatio Ioan. 6. *Nisi manducaveritis*, &c. Sed confectio cibi aut ponere, vel sump-

sumptio eius ad os, non est vera manducatio, vel bibitio, hæc enim includit perfectam deglutitionem, seu traiectionem in stomachum. Ergò.

* 13 Ex hoc sequitur, quod si quis post dignam Eucharistiæ sumptionem, antequam eam deglutiat, *moriatur*, vel ex infirmitate deglutire non valens, ex ore ejiciat, vel species tamdiu ore teneat, vt in ore liquescendo corrumpatur, defectu sufficientis applicationis non recipiat gratiam Eucharisticã ex opere operato, etsi faciendo, quod in se est, & quantum potest, satisfaciat præcepto sumendi. Recipiet tamen gratiam ex opere operato ille, qui species in stomachum traiectas evomit; vomitus enim supponit manducationem, licèt impediat digestionem, quæ non est de ratione causalitatis huius Sacramenti, ne quidem, vt conditio, etsi requiratur ad hoc, vt nutriat cibus corporalis, & hoc ideò, quia vt ille nutriat, debet converti in substantiam aliti: secus est de nutrimento spirituali. De quo videò in hoc *Exam. n.* 20. ante Q. 5. in Not. *Ratio* 3. *part.* Tum quia gratia Eucharistica promissa est manducanti: Sed manducatio non durat, quandiu species manent in stomacho. Ergò. *Tum* etiam quia aliàs recipiens Euchatistiam in mortali, adhuc posset recipere eius fructum ex opere operato, si nimirum durantibus in stomacho speciebus eliciat contritionem: Sed hoc est contra Apostolum dicentem, quod talis iudicium sibi manducat. *Ergò.* Tum tandẽ quia aliàs habens debiliorem, & tardius digerentem stomachum, acciperet plùs gratiæ, & sic augmentum gratiæ redderetur in *causam merè naturalem.*

Ratio 4. *part.* Gratia Eucharistiæ est promissa manducanti: Sed manducatio non est perfecta, nisi in vltimo, seu terminativo instanti, cum enim illa sit ens successivum, non habet instans terminativum intrinsecum, vt probatur in Physica. Ergò. *Ratio* 5. *part.* Quia toto illo tempore Eucharistia potest esse motivum eliciendi ferventiores actus supernaturales devotionis, charitatis, aliarumque virtutum, quibus aliquid meremur apud Deum. *Ergò.* Ex hac Ratione patet sensus verborum Christi Ioan. 9. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundo*, seu gratiam largior, nimirum saltem ex opere operantis; nam & illa datur per Christum.

* 14 *Oppono* 1. contra vtrumque: Quod non est, non causat, præsertim physicè: Sed in illo instanti terminativo extrinseco non est amplius Sacramentum, nec manducatio Eucharistiæ. Ergò. 2. *Vnum* physicè pendere ab alio, est, existentiam vnius inniti existentiæ alterius. Ergò idem quod prius. 3. *Vt Sacramentum* causet physicè, debet recipere virtutem supernaturalem: sed hanc non potest recipere, si non existat. Ergò. 4. *Effectus*, & causa dicunt ad invicem realem relationem. Ergò.

Ad 1. *dist. mai.* 1. Quod non est, nec immediatè antè fuit, *cont. mai.* Si tamen immediatè antè fuit, *neg. mai.* 2. *aliter*: Quod non est, nec infieri, nec infacto esse, *conc. mai* Si saltem sit in facto esse, *neg. mai.* 3. *Quod* nec est formaliter in seipso, nec virtualiter, *conc. mai.* Quod non est formaliter, benè tamen virtualiter in vltimo sui complemento, vti sit in præsenti, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. sonseq.* Licèt ergò Sacramentum formaliter (quia ens successivum est) transierit, manet tamen virtualiter, & in ratione causæ: quia rota totius motus Sacramentalis virtus manet in vltimo termino, quod est vltimum mutatum esse, in quo etiam recipitur virtus elevans ad causandam gratiam. De quo vidè dicta *ad Q.* 2. *ante R.* 3. *in hoc Exam.* Hæc triplex distinctio proportionabiliter debet applicari manducationi, quæ licet non sit causa, est tamen conditio, sine qua non causatur gratia Eucharistica, manetque etiam virtualiter in vltimo termino, quod est vltimum mutatum, seu manducatum esse. *Ad* 2. *aut.* est verum, & *ad* 3. *min.* est vera, de existentia alterius vel formali, vel virtuali. *Ad* 4. *aut.* est verum, si vtrumque extremum realiter existat, defectu cuius vtriusque realis existentiæ, deficit etiam realitas relationis, vt patet ex Logica.

* 15 *Quid ſentis*, si recipiens moriatur immediatè ante illud instans vltimum terminativum, sivè Sacramenti consistentis in vsu, sivè manducationis Eucharistiæ? *Dico*: Dato, quod hoc contingeret, non causari gratiam ex opere operato. *Ratio*: Quia Sacramentum non esset omnino perfectum, nec perfecta manducatio, quæ tamen requiritur: immò nec subiectum capax receptionis Sacramentis; hoc enim est homo, non sola anima.

Sed ſi à principio sumptionis Eucharistiæ fuit indispositus, elicit verò actu contritionis antè illud vltimum instans terminativum? *Dico*, talis reciperet gratiam. *Ratio*: Etsi talis poluerit obicem, immò sacrilegium retractavit tamen per pœnitentiam.

Quid ſi quis sumat in Eucharistia plures particulas? *Dico*: Per se loquendo gratia causatur, dum prima particula sumitur, aliæ verò sumptiones non causant novam, & distinctam gratiam, quia licèt sint physicè plures, moraliter tamen est vnica sumptio, & vnum convivium. Caterum si contingat aliquem in sumptione primæ particulæ non esse dispositum, bene tamen dum sumit secundam, gratia causabitur in sumptione 2. *particulæ*, non per se, sed per accidens. Si autem antè remissius posteà verò melius sit dispositus, accipiet in 2. *sumptione* maiorem gratiam ex opere operato, & quidem iuxta proportionem dispositionis, in sensu suprà explicato *n.* 1. *in Not.* 2. & infrà magis explicando.

* 16 QUÆRO IV. Quam gratiam per se causant Sacramenta Novæ Legis? *Ante R. Nota* 1. Gratiam habitualem, quæ vocatur Santificans, seu gratia gratum faciens, definiri à Theologis. 1. *Quod sit* qualitas supernaturalis animæ infusa, per quam reddimur grati, & amicabiles Deo. 2. *Quod sit* qualitas supernaturalis dans nobis esse, & vitam supernaturalem. 3. *Per quam* efficimur divinæ consortes naturæ.

Dixi 1. *habitualem* ad differentiam gratiæ actualis, per quam intelliguntur auxilia supernaturalia transeuntia, in intellectu, vel voluntate recepta, quæ dantur etiam peccatoribus, v. g. dum pias, seu supernaturales cogitationes eliciunt. Dixi 2. *gratum faciens*, seu sanctificans ipsum habentem, ad differentiã gratiæ gratis datæ, quæ primò, & per se respicit salutem aliorum, vt sunt gratia sanitatum, miraculorum, linguarum, &c.

Nota 1. Gratiam habitualem esse duplicem, nimirum primam, & secundam. *Prima* infunditur subiecto, actu nullum gratiæ sanctificantis gradum habenti. *Secunda* datur subiecto iam grato, seu est augmentum gratiæ præexistentis. Vtraque si detur extra Sacramentum, vocatur gratia non Sacramentalis, seu communiter dicta: si detur per Sacramentũ, vocatur gratia sacramentalis, quæ iuxta probabiliorem Thomistarum sententiam gratiæ communiter dictæ non addit novum habitum, nec tamen etiam veram denominationem extrinsecam, sed aliquid

trinsecum, & permanens, quod sit vis, ac vigor spiritualis, quo gratia sacramentalis viget, ac valet ad proprium Sacramenti effectum, cum ordine habituali ad divinum auxilium per modum transeuntis collati. Qui ordo, ac vigor est realis, ac intrinseca perfectio ab habitu gratiæ formaliter, vel modaliter solum distincta, constituens eum in ratione specifica, per eamque iuxta specificam Sacramentorum differentiam, ac pluralitatem multiplicantur etiam species gratiæ sacramentalis. *Declaratur hoc*: Gratia sacramentalis per *Baptismum data*, est gratia gratum faciens, habens specialé vim, perfectionem, ac vigoré ad regenerandum hominem, cum ordine ad auxilia divina, tum ad alia Sacramenta ritè suscipienda, tum ad vitam, in quam renasciturus est, conservandam, & exercendam. *In Confirmatione* ad fortem, & firmi fidei cõfessionem datur augmentum gratiæ cum prædicto vigore, & ordine ad auxilia necessaria. *In Eucharistia ad animam* nutriendam, & specialiter Deo vniendam per fervemiores virtutum actus, cum pari vigori, & ordine ad auxilia. *In pœnitentia* ad peccata delenda, plangenda, cavenda cũm simili vigore, &c. In *Extrema-Vnctione* ad tollendas, peccatorũ reliquias, ad morbum patienter ferendum, ad animam præparandam pro felici morte cum eodem vigore. *In Ordine* ad rectè exercendum cultum divinum, & Sacramenta administranda. *In Matrimonio* ad coniugaliter castè vivendum, ad fidem mutuò servandam, ad onera Matrimonij ferenda, &c.

Nota 3. Sacramenta Novæ Legis alia esse vivorum, quæ nimirum pro illis, quibus vivunt vita spirituali animæ per gratiam, quæ est vita animæ, sunt instituta, vt sunt omnia præter Baptismum, & Pœnitentiam: alia mortuorum, quæ sunt instituta (nimirum dicta duo pro illis, qui in anima spiritualiter sunt mortui per peccatum mortale, quod est mors animæ. *Nota 4.* Dupliciter posse intelligi, quod Sacramentum causet gratiam primam, vel secundam. 1. *Per se*, quando nimirum est primario institutum, vt causet talem gratiam. 2. *Per accidens*, vt si ex natura sua petat causare gratiam primam, in aliquo autem particulari casu causet secundam; quod est per accidens. *His notatis.*

* 17 *Resp.* 1. Sacramenta *mortuorum* per se conferunt gratiam *primam*; vivorum, per se, *secundam*. *Ratio* patet ex *Nota* 3. Quia ad hoc primario sunt instituta. *Adde*, quod per se solum causent Sacramenta id, quod significant, quia causalitas per se talis est adæquata significationi: Sed, &c. Ergò. Item Eucharistia, & confirmatio per se habent se, sicut potentia nutritiva, & augmentativa in naturalibus, quæ vitã supponunt. *Resp.* 2. Sacramenta mortuorum per accidens possunt causare gratiam secundam. *Patet* in casu, quo quis per contritionem iam iustificatus recipit Baptismum, vel Pœnitentiam.

Resp. 3. Sacramenta vivorum etiã per accidens possunt causare gratiam primam, & facere ex attrito contritum. *Ratio*: Iuxta *Trid. Sess.* 7. *Can.* 7. Sacramẽta conferunt gratiam non ponenti obicem: Sed peccator mortalis bona fide suscipiens aliquod Sacramentum vivorum, v. g. Eucharistiam, nullam habens conscientiam peccati mortalis sed invincibiliter se putans esse in gratia, eò quod post adhibitam humanam in examinanda conscientia diligentiam nullum mortale peccatum in mentem venerit, & cum tali inculpabili ignorantia eliciens attritionem, non ponit obicem gratiæ. Ergò vi talis Sacramẽti fit ex attrito cõtritus, & recipit gratiam, non *secundam*, vt patet: Ergò *primam*; sic tamẽ vt nõ sit duplex, sed vnus gradus gratiæ cũ duabus formalitatibus, nimirũ *nutritiæ* quæ esset per se, & *vivificantis*, quæ esset per accidẽs. Hæc doctrina est S. Th. infrà de Confirmatione *quæst.* 72. *art.* 7. *ad* 3. & de Eucharistia *quæst.* 79. *art.* 3.

Ex quo sequitur, hoc, quod est, Sacramenta vivorum in aliquo casu conferre primam gratiam etiam esse ex voluntate Christi, qui voluit, vt per se, & ex intentione non sumatur ad obtinendam primam gratiam; benè tamen, vt loco sui proprij effectus eam causent per accidens, & in casu, quo non adest dispositio sufficiens ad proprium effectum, sufficiens tamen ad gratiam primam, eique non repugnans. Et ita est in dicto casu. *Nota*: Quod cibus corporalis mortuo applicatus non nutriat, est, quia non nutrit, nisi convertatur in substantiam aliti per varias operationes vitales, quibus cadaver caret; sed cibus spiritualis potius alitum spiritualiter convertit in se, nec suscipienti desunt operationes vitales spirituales fidei, spei, doloris, &c. quos elicit per auxilia gratiæ.

* 18 QUÆRO V. Quantam gratiam causant Sacramenta Novæ Legis, & quæ dispositio requiritur ex parte recipientis? *Resp.* 1. Sacramenta Novæ Legis, inter se comparata (abstrahendo à dispositione subiecti) non causant æqualem gratiam, sed maiorem, vel minorem, secundùm excessum perfectionis eorum inter se. *Ratio*: Quia de Fide est iuxta *Trident.* Sacramenta Novæ Legis non esse inter se paria, sed vnum esse altero dignius. Vndè iuxta Theologos Eucharistia excedit omnia, quia realiter in se continet ipsum omnis gratiæ fontem, & Auctorem. Ergò quantum est ex parte ipsorum, & cæteris paribus, non causant æqualem gratiam.

* 19 *Resp.* 2. Idem Sacramentum in specie in subiectis æqualiter dispositis æqualem, in magis dispositis maiorem causat gratiam, etiam ex opere operato. *Ratio patet* ex natura causæ naturalis vniformis, seu vnum specie effectum per se respicientis, vti est quodvis Sacramentum; nam illa ex opere operato, seu virtute sibi intrinseca operatur, prout applicatur magis, vel minùs. Vndè *S. Thom. hic, q.* 69. *a.* 8. *id explicat dicens*: Sicut ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licèt ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat. *Ergo.*

* 20 *Resp.* 3. Vt homo adultus per Sacramentum recipiat gratiam primam, requiritur, quòd in eo præcesserit aliqua actualis dispositio, & peccati detestatio. *Est de Fide*; Vt ex multis S. Scripturę locis, & ex *Trident. Sess.* 6. & 14. *patet.* Et docetur à *S. Thom.* 1. 2. *q.* 113. *a.* 3. Estque contra Lutherum, quia omnia peccatoris opera, ante Sacramenti susceptionem facta, asserens esse peccata, in sermone de Petri Piscatione, sceleste ore ait: *Quanto sceleſtior es, tanto celerius Deus tibi gratiam infundet.*

Ratio: Quia forma non recipitur, nisi in materia dispositа, & depurata à forma oppositа, præsertim in moralibus, dum forma oppositа est voluntaria, adeòque voluntariæ retractanda. Ergo. *Nota*, hic esse sermonem de Lege ordinaria, non enim potest negari, quòd Deus homini dormienti per absolutam potentiam suam possit gratiã infundere, eumque iustificare. Dixi autem in *R.* 3. *adultus*; quia in pueris, & perpetuò amentibus nulla actualis dispositio requiritur, quia non sunt eius capaces, vti nec peccati actualis.

* 21 *Oppono* 1. Homo non iustificat seipsum, sed

sed solus Deus est causa iustificationis. Ergo. 2. *Homo* in sua iustificatione se habet vt lutum in manu figuli, vt patet *Rom.* 9. Sed lutum se habet merè passivè. Ergo. *Ad* 1. *dist. antec.* Vt causa principalis, *conced.* dispositiva, *neg.* Et hanc dispositionē non facit ex viribus naturæ, sed ex auxilijs gratiæ. *Ad* 2. *dist. mai.* Vt sit paritas adæquata, *neg.* aliqualis, *conc.* nimirum in hoc, quòd sicut lutum sibi relictum, seu propriis viribus formam artefacti in se inducere nequit, ita nec peccator formam gratiæ.

* 22 *Resp.* 4. Non est necesse, quòd dicta dispositio sit *contritio*, sed sufficit *attritio*. Nec necessariò requiritur, quòd ea actu sit, dum Sacramentum recipitur, sed sufficit, quòd præcesserit, & maneat virtualiter. *Ratio* 1. *p.* Tum quia iuxta *Trid.* Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: Sed qui est attritus (præsertim existimata contritione) non ponit obicem, immò positum retractat. Ergo. Tum etiam, quia si semper requiritur contritio, Sacramentum mortuorum nunquam causabit gratiam primam, & sic desinit esse mortuorum, & fit vivorum, contritio enim nunquā est sine gratia, quia est vltima dispositio ad illam. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia dispositio, attentio, intentio, devotio, &c. virtualis est effectus ex actuali relictus, eique æquivalet, vt patet ex dictis suprà de intentione requisita ad horas, & dicetur infrà de intentione ministri conficientis Sacramentum. *Ergo.*

* 23 *Resp.* 5. Ad percipiendum effectum primarium, & per se cuiuscumque Sacramenti vivorum non necessariò requiritur aliqua dispositio actualis, neque virtualis, sed sufficit, & requiritur habitualis per statum gratiæ. Undè si quis accedat cum distractione venialiter culpabili, ideſt, ex negligentia sive inculpabili, seu naturali, recipit illum effectum. Ita clarè *S. Thom. infrà q. 76. a. 8. retractanti id*, quod docuerat *in 2. dist. 2. q. 2. a. 1. q. 3.*

Ratio patet ex dictis: Quia Sacramenta conferunt suum effectum non ponenti obicem: Sed peccatum veniale, seu distractio venialiter culpabilis non est obex oppositus habitui gratiæ, & charitatis, sed solùm fervori eius, inquantum retardat actum eius, nimis inhærendo bono creato, vt ait *S. D.* primo loco infrà citando. Ergo non tollit omne eius augmentum. Negari tamen non potest, quod quandam intensionem impediat; quia Sacramenta ex opere operato causant maiorem gratiam, si adsit maior dispositio; quæ si sit actualis, est maior habituali.

Dixi 1. *ad effectum primarium*: Quia Eucharistia, quæ est Sacramentum vivorum, duplicem habet effectum; *vnus* est primarius, nimirum augmentum gratiæ habitualis; Et de hoc fuit sermo: *Alter* est minùs principalis, consistens in spirituali quadam refectione, ac dulcedine, animam exhilarante, & quasi inebriante: & ad hanc recipiendā iuxta *S. Thom. a. 8. cit.* necessaria est actualis devotio, sive circa Sacramentum, sive circa Deum. *Ratio*: Talis dulcedo est actus voluntatis, consecutus ad actum intellectus, actu rem considerantis; nec enim actu quis lætatur de re, quam actu non considerat. *Ergo.*

Dixi 2. *Non necessariò requiritur*; Nemo enim inficiabitur, actualem devotionem esse valdè vtilem, & decentem, præsertim in Eucharistia ob realem præsentiam maiestatis Christi. Ex quo inferri potest debitum morale decentiæ specialis, ac singularis devotionis, dispositionis, amoris, reverentiæ, &c. immò & legale saltem sub veniali obligans. Hinc si quis sæpè ad Eucharistiam accedat tepidè, meritò graviorem lapsum timere potest. Ex hoc explicātur *SS. PP.* si qui opponantur.

* 24 *Oppono* 1. contra 2. *p. R.* 4. contra *R.* 5. *S. Thom.* hic 3. *p. q.* 87. *a.* 2. *in corp* ait: *In habentibus vsum liberi arbitrij non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum; & in peccatum.* Et q. 80. a. 8. ad 6. de Eucharistia (agens de effectu eius primario) ait: *Maxima devotio requiritur in sumptione huius Sacramenti, quia tunc percipitur Sacramenti effectus.* Si maxima ergo actualis. 2. *Necessarium* requisitum ad omnem actionem, adeòque etiā ad gratiæ infusionem est mutuus contactus agentis, & passi: Sed mutuus contactus inter Deum, & inter hominē adultū non fit nisi per actualem devotionē. Ergo. 3. *Gratia*, quæ infunditur, mensuratur per propriū actū, & dispositionem recipientis. Ergo. 4. *Qui est* indignus gratia, non crescit in gratia. Sed voluntariè distractus est indignus gratia. Ergo. 5. *Per actum* etiam solùm venialiter malum, non potest quis fieri sanctus, & sanctior.

Ad 1. *R. S.* Thomam in primo loco loqui de infusione gratiæ extra Sacramentum, & quidem de lege Dei ordinaria. De quo plura in *T. de Pœnitent.* In 2. loco, vel loquitur de debito morali antè explicato, vel de effectu adæquato, nimirum principali, & minùs principali simul.

Ad 2. *dist. mai.* Ad infusionem gratiæ ex opere operātis, *conced. mai.* ex opere operato, *neg. mai.* Tunc enim sufficit contactus habitualis per statum gratiæ respectu Sacramenti vivorū, respectu autem Sacramenti mortuorum sufficit contactus virtualis, dum nimirum actualis attritio præcessit. *Ad* 3. *dist. antec.* sicut *ad* 2. vti, & hæc propositio, Contritio est vltima dispositio ad gratiam. Admittitur tamen vltrò, quòd si quis ad aliquod Sacramentum vivorum sine devotione etiam virtuali, & cum sola habituali accederet, minimam gratiam Sacramento correspondentem acciperet. *Ad* 4. *dist. mai.* Qui est indignus indignitate morali, *conc. mai.* veniali, subdist. Non crescit ex opere operato, *neg.* ex opere operantis, *conced. Ad* 5. *dist. antec.* sub iisdem terminis, ex opere operato, & operantis. Hinc idem actus potest esse venialiter malus, v. g. factus propter vanam gloriam, & tamen per eum conferri gratia ex opere operato, hoc autem ei conveniet sub diversis rationibus. Nam quoad substantiam, seu vt libera volitio est, sic est conditio requisita ad recipiendam gratiam; vt verò caret debita reverentia, est actus venialiter malus.

EXAMEN III.

De effectu Sacramentorum, qui est Character. De quo S. Thom. *quæst.* 63. *per* 6. *art.*

SUpponitur, quod Character sit effectus secundarius illorum Sacramentorum, à quibus imprimitur. Sicut econtra gratia est effectus primarius.

* 1 QUÆRO I. Quæ, & cur non omnia Novæ Legis Sacramenta imprimunt characterem? *Resp.* 1. Per quædam Sacramenta Novę Legis imprimitur à Deo Character recipienti illa. *Ratio S. D. a. 1. eſt*: Sacramenta Novæ Legis ad duo ordinantur, nimirum ad remedium contra peccata, & ad perficiem-

ſecundum animum in his, quæ pertinet ad cultum Dei ſecundum ritum Chriſtianæ vitæ: Sed quicumque ad aliquid certum deputatur, conſuevit ad illud conſignari, ſicut antiquitus milites, qui adſcribebantur militiæ, ſolebant inſigniri quibuſdam characteribus corporalibus, quia deputabantur ad aliquod corporale Ergò cum homines per Sacramẽta deputentur ad aliquid ſpirituale, pertinens ad cultum Dei, conveniens eſt, vt per ea inſignantur charactere ſpirituali. *Inſt. ad* 3. *S. Doctor.* dat diſparitatem, cur Sacramenta Veteris Legis non impreſſerint characterem, nimirum quia non habebant in ſe ſpiritualem virtutem, operantem ad aliquem ſpiritualem effectum. Sufficiebat ergò ibi corporalis circumciſio, quam Apoſtolus ſignaculum nominat *ad Rom.* 4.

Reſp. 2. Per tria tantum Novæ Legis Sacramẽta imprimitur Character, nimirum per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem. *Ratio* 1. *S. D. a.* 6. Sacramenta, in quibus imprimitur Character, non reiteramur, eò quod Character ſit indelebilis: Sed reliqua Sacramenta reiterantur, vt conſtat. Ergo. *Ratio* 2. *ibid. in c.* & *a.* 1. *ad* 2. licèt per omnia Sacramenta homo ſanctificetur, ac fiat particeps Sacerdotij Chriſti vt percipiens aliquem effectum eius, non tamen per omnia, ſed per ſola illa tria homo ſpecialiter conſecratur, ſeu deputatur ad divinum cultum per Ordinem quidem ad Sacramenta aliis tradenda: per Baptiſmum, cum is ſit omnium Sacramentorum ianua, ad ea recipienda; per Confirmationem, ad fidem fortiter, ac conſtanter profitendã. Ergò.

* 2 QUÆRO II. Quid eſt Character? *Reſp.* 1. Character eſt potentia phyſica. Et benè definitur à Thomiſtis: *Quod ſit perfectio ſpiritualis ordinata ad ea, quæ ſunt divini cultus.* Ita *S. Thom. a.* 2. *in c. Ratio S. D. eſt*: Character per Sacramenta imprimitur, inquantum per ea homo deputatur ad ea, quæ ſunt cultus Chriſtiani, qui conſiſtit in recipiendo, aut tradendo divina; Sed ad vtrumque horum requiritur quædam potentia, ad tradendum quidem potẽtiam activa, & talis eſt Character Ordinis, ad recipiendum vero potentia paſsiva, & talis eſt Character Baptiſmi; licèt enim is alia Sacramenta non recipiat vt *quod*, benè tamen vt *quo*, faciens hominem eorum capacem. Tandem Character Confirmationis, licèt paſsivè ſe habeat in recipiendo divina auxilia, eſt tamen potentia activa ad fidem cum robore profitendam. *Ergò. Reſp.* 2. Hæc ſpiritualis poteſtas non eſt principalis, ſed inſtrumentalis ſupernaturalis. Ita *S. D. in c. Ratio*: Habere Characterem Sacramenti competit miniſtris Dei ad actus ſupernaturales: Sed Miniſter habet ſe per modum inſtrumenti. Ergò.

* 3 *Reſp.* 3. Character propriè, ſeu directè non eſt in genere, vel ſpecie, ſeu in prædicamento, ſed reducitur ad 2. ſpeciem qualitatis, ſcilicet ad potentiam. Ita S. D. ibid. *Declaratur* cum *S. Thom. in Sed Contra. in corp.* & *ſolutionibus argumentorum*: Character eſt quid incompletum. Ergò non ponitur directè. Deinde in prima ſpecie qualitatis ſunt diſpoſitiones (ex natura ſua citò tranſeuntes, Character verò eſt indelebilis, vt dicetur) & habitus, qui diſponunt, non ſolum ad ſubſtantiam operationis, ſed etiam determinatè ad modum, ſcilicet ad benè, vel malè: quia habitu virtutis nullus vtitur malè, & habitu malitiæ nullus bene, Character autem non datur ad bene, aut male operandum, ſed ab hoc abſtrahit, & datur ad ſimpliciter operandũ. Nam Sacerdos in peccato mortali verè conſecrat, qui Charactere ſacerdotali caret, non conſecrat. Hinc licet Character habeat obiectum bonum, ſubiectum tamen indeterminatum relinquit, vt eo poſſit vti benè, vel malè. Ergò. In 3. *ſpecie* qualitatis non ſunt niſi paſsiones, ac qualitates ſenſibiles, talis autem non eſt Character. *In* 4. *ſpecie* eſt figura, quę eſt quædam terminatio quantitatis, & propriè loquendo non eſt niſi *in rebus* corporeis, in ſpiritualibus autem ſolum metaphoricè.

* 4 *Oppono* 1. Character videtur eſſe merum ens, ſeu relatio rationis, nimirum relatio ſigni quia eſt ſignaculum, vel ſaltem ſolum denominatio extrinſeca: ſicut dum inter homines quis inſtituitur Judex cum poteſtate ſolum morali. 2. *Potentia* dat ſimpliciter poſſe, vt ſine ea nullatenus poſsit elici actus, vt patet in intellectu, & voluntate: Sed poteſt quis fortiter confiteri fidem, etſi non ſit confirmatus, nimirum ope virtutum fidei, Religinis, fortitudinis, &c. Ergò.

Ad 1. *neg. ant.* Quia Character iuxta Concilia, & *SS. PP.* eſt ſignum ſpirituale impreſſum animæ, quod de ente, vel relatione rationis, aut denominatione extrinſeca non verificatur. Eſt autem diſparitas inter Inſtitutionem Judicis ab homine factam, quia homo inſtituens Judicem ſupponit in eo ideneitatem, nec dat eam, adeòque intrinſecè eum non immutat, miniſtri autem Dei reſpectu Sacramentorum, & actuum ſupernaturalium tam excellentium idoneitatem non habent, ſed à Deo accipiunt, & ſicut amor eius non eſt merè affectivus ſed effectivus, rebus bonitatem infundens, ita, & inſtitutio. Quomodo autem Character vocetur ſignum, explicat *S. D.* ad 4. dicens: *Character habet rationem ſigni per comparationem ad Sacramentum ſenſibile, à quo imprimitur, ſed ſecundum ſe conſideratus habet rationem principij.* Quod tandem non ſit realis relatio ſigni, probat ad 3. inquiens: *Relatio, quæ importatur in nomine ſigni, oportet quod ſuper aliquid fundatur, relatio autem huius ſigni, quod eſt character, non poteſt fundari immediatè ſuper eſſentiam animæ, quia ſic conveniret omni animæ naturaliter, & ideo oportet aliquid poni in anima, ſuper quod fundetur talis relatio: & hoc eſt eſſentia Characteris.* Hæc ibi. Ergo character non eſt in genere relationis.

Ad 2. *diſt. min.* Eo modo, quo id præſtatur ex vi Sacramenti Confirmationis, & ex charactere eius, *neg.* alio modo, *conc. antec.* & *neg. conſeq.* Virtutes ergo illæ, vt Gonet explicat, actus ad propugnandam fidem neceſſarios reſpiciunt, vt habent bonitatem moralem intra proprium obiectum, atque adeò determinatè ſub ratione boni. Ergo præter illas requiritur character Confirmationis ad propugnandam fidem ſub ratione indifferentis, & abſtrahendo à benè, vel malè moraliter.

* 5 QUÆRO III. Character imprimiturne indelebiliter? & cui ſubiecto? ac quæ ſunt eius munera? *Reſp.* 1. Character eſt perpetuus, & indelebilis. Ita S. D. *a.* 5. *Ratio eius eſt*: Character Sacramentalis eſt quædam participatio Sacerdotij Chriſti in fidelibus eius, vt ſcilicèt, ſicut Chriſtus habet plenam ſpiritualis Sacerdotij poteſtatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quòd participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu Sacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad divinum cultum. Et propter hoc etiam Chriſto non competit habere characterem, ſed poteſtas Sacerdotij eius compara-

parata ad characterem, sicut id, quod est plenum, & perfectum ad aliquam sui participationem. *Subsumo*: Sed Sacerdotium Christi est æternum, vt patet ex *Psalm.* 109. *v.* 5. Ergo omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium eius, est perpetua; ré consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis, nam Ecclesiæ, vel altaris consecratio manet semper, nisi destruatur. *Subsumo*: Sed res consecrata per characterem, seu eius subiectum, nimirum anima rationalis, & potentia intellectiva, est perpetua, & incorruptibilis. Ergo, & character.

* 6 *Resp.* 2. Character manet in cœlo, & in inferno, *Declarat* hoc *S. D. ibidem ad* 3. *dicens*: Quamvis post hanc vitam non maneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Ideò post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in his, qui vicerunt, ad gloriam, & in his, qui sunt victi, ad pœnam.

Ex quo solvitur hoc argumentum: Cessante fine, cessat id, quod est ad finem: Sed post hanc vitam cessat finis characteris, scilicèt cultus divinus. Ergo. Vide S. Thom. ad 1. vbi explicat, cur gratia homini in hac vita detur delebiliter, & non character. *Ex quo* sequitur, quòd si Sacerdos mortuus resuscitaretur, non esset rebaptizandus, nec reconfirmandus, nec reordinandus. Coniuges tamen resuscitati essent denuò copulandi, quia vinculum Coniugij mortè solvitur, vt patet 1. *Cor.* 7.

* 7 *Resp.* 3. Licèt essentia animæ sit subiectum remotum characteris, non tamen immediatum, & proximum, sed hoc est aliqua potentia animæ. Ita S. D. ad 4. *Ratio eius est*: Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel alijs tradendum ea, quæ sunt divini cultus: Sed divinus cultus consistit in quibusdam actibus, ad actus autem propriè ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Vndè Thomistæ in Philosophia probant, nullam substantiam creatam esse immediatè operativam. Ergo character non est sicut in subiecto immediato in essentia animæ, sed in potentia. Et *ad* 2. *ibidem S. Thom. ait*: Essentia animæ est subiectum potentiæ naturalis, quæ ex principijs essentiæ procedit, talis autem potentia non est character, sed est quædam spiritualis potentia ab extrinseco adveniens. Vndè sicut essentia animæ, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit; ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Hæc ibi.

* 8 *Resp.* 4. Immediatum subiectum characteris non est voluntas, sed intellectus, non speculativus, sed practicus. Ita *S. D. ibidem ad* 3. *Ratio* 1. *S. D. est*: Character ordinatur ad ea, quæ sunt divini cultus, cultus autem divinus est quædam protestatio fidei per exteriora signa. Ergo character immediatè est in ea potentia, in qua est fides, sed hæc est in intellectu practico, (speculativus enim abstrahit ab operatione) Ergo & character. *Ratio* 2. Voluntas est principiū bonæ, aut malæ operationis. Ergo & qualitates ei inhærentes (quia disponunt subiectū iuxta suam naturam) per se respiciunt bonum, aut malum. *Subsumo*: Sed character, vt ex dictis patet, abstrahit à bono, & malo. Ergo non est in voluntate.

* 9 *Oppono*: Deo exhibere cultum est actus virtutis Religionis, existentis in voluntate: Sed character respicit cultum Dei. Ergo est in voluntate. *Dist. mai.* Sub aliqua ratione formali, ea nimirum, quæ ad Religionem spectat, *conc. mai.* sub omni formalitate in eo actu reperibili, *neg. mai.* Potest ergo idem actus sub diversa ratione spectare ad diversas virtutes. Hinc confessio fidei per opera externa, vt formaliter est confessio fidei, elicitur à fide, & tamen etiam elicitur à Religione, inquantū est cultus Dei Religiosè factus. Item elicitur à charactere Confirmationis (vt patet ex *S. Thom. infrà q.* 72. *art.* 5. *ad* 2.) inquantum procedit ab homine deputato ad cultū Dei, ideſt, ad exercendæ opera externa secundùm se divino cultui proportionata, quæ tamen possunt fieri benè, vel malè.

* 10 *Resp.* 5. Munera characteris, & quasi proprietates sunt: 1. *Hominem* facere aptum ad diuinū cultum. 2. *Instruere* in actus sibi proportionatos. 3. *Hominem* Christo configurare, quia est participatio Sacerdotij Christi. 4. *Eum*, qui charactere est insignitus, distinguere ab alijs. 5. *Indelebilitas* est etiam proprietas eius.

* 11 QUÆRO IV. Essne in Christo character? Vel potestne character sacramentalis dici character Christi? *Resp.* 1. in Christo non est character. *Ratio* patet ex verbis S. Thom. paulò suprà adductis in Ratione pro *R.* 1. *ad Q.* 3. *vbi vide*. *Resp.* 2. Character sacramentalis est character Christi, ideſt, participatus ab eo. *Declarat* hoc eleganter S. Thom. hic art. 3. in corp. dicens: *Character proprie est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur vt ordinatum in aliquem finem, sicut charactere insignitur denarius ad vsus commutationem, & milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur: Primò quidem, & principaliter ad fruitionem gloriæ. Et ad hoc insignitur signaculo gratiæ secundùm illud Ezechielis* 9. *Signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium. Et Apoc.* 7. *Nolite nocere terræ, & mari neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Secundò autem deputatur quilibet fidelis ad recipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ pertinent ad cultum Dei: & ad hoc propriè deputatur character sacramentalis. Totus autem ritus Christianæ Religionis derivatur à Sacerdotio Christi. Et ideò manifestum est, quòd character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius Sacerdotio configurantur fideles secundùm sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt, quàm quædam participationes Sacerdotij Christi, ab ipso Christo derivatæ.* Hæc ibi S. Thomas.

EXAMEN IV.

De causa principali, ac minùs principali Sacramentorum, eiusque, ac recipientis intentione.

De quo *S. D. q.* 64. *per* 10. *art.* Et de Sacramentorum numero, eorumque ordine, *q.* 65. *per* 4. *art.*

* 1 QUÆRO I. Sacramenta Novæ Legis sumne omninò à solo Deo Christo instituta? eorumque interiorem effectum operaturne Christus vt homo? Item potuitne Christus potestatem, quam habuit in Sacramentis communicare Ministris? *Resp.* 1. Solus Deus est omnium Sacramentorum Novæ Legis institutor. Ita *S. Thom. q.* 64. *a.* 2. *in corp. Ratio* 1. Ille solus est Sacramentorum institutor, qui eis dat virtutem, & efficaciam

ficaciam: Sed hanc dedit solus Christus Deus Homo. Ergo. *Min. prob.* Virtus Sacramenti non est ab eo, qui vtitur Sacramento, quia ille operatur solùm per modum ministerij: Sed homo solùm vtitur Sacramento, & est minister eius. Ergo. *Ratio 2. est*, quam dat *Div S. Thom. a. 4. ad 1. dicens*: Christus non ex invidia prætermisit potestatem excellentiæ ministris Ecclesiæ communicare, sed propter fidelium vtilitatem, ne in homine spem ponerent, & ne essent diversa Sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur: sicut apud illos, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ*, 1. Cor. 1. Ergo.

Declarat hoc S. D. vlteriùs art. 2. ad 1. inquiens: Illa, quæ aguntur in Sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate Sacramenti, sed ad quandam solemnitatem, quæ adhiberur Sacramentis ad excitandam devotionem, & reverentiam in his, qui Sacramenta suscipiunt. Ea verò, quæ sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt: qui est Deus, & homo. Et licèt non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum Traditione. Sicut Apostolus dicit, 1. *Cor.* 11. *Cætera, cùm venero, disponam.* Hæc ibi.

Declarat id 2. ad 3. dicens: Apostoli, & eorum Successores sunt Vicarij Dei, quantùm ad regimen Ecclesiæ, constitutæ per fidem, & fidei Sacramenta. Vndè sicut non licèt eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licèt eis tradere aliam fidem, neque instituere alia Sacramenta, sed per Sacramenta, quę de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi. Hæc ibi. *Notandum hic*, quòd aliud sit determinare materiale pro Sacramento, aliud verò instituere Sacramentum. Primum suprà in hoc *T. E. t. n.* 12. & 13. concessimus Ecclesiæ, sed secundum fecit solus Deus in omni statu, quia hoc idem est ac dare Sacramento vlitutem, & efficaciam significandi, & causandi gratiam.

* 2 *Resp.* 2. Interiorem Sacramentorum effectum operatur Christus, & secundum quod est Deus, & secundum quod est homo; aliter tamen, & aliter, Ita *S. Thom. a. 3. in c. Declarat hoc ibid. his verbis*: Christus, secundum quod Deus, operatur in Sacramentis per auctoritatem, secundum autem quod est homo, ad interiores effectus Sacramentorum operatur meritoriè, & efficienter sed instrumentaliter; Passio enim Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ iustificationis, & meritoriè, & effectivè, vt instrumentum Divinitatis eius, sed tamen, quia est instrumentum coniunctum Divinitati in persona, habet quàdam principalitatem, & causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ. Et ideò sicut Christus inquantum Deus habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita inquantum homo habet potestatem ministerij principalis, sivè potestatem Excellentiæ. Ita S. D. *Subdit* quod hæc potestas excellentiæ Christi in Sacramentis cõsistat in 4. prærrogativis. *Prima* est, quod meritum, & virtus Passionis eius operatur in Sacramentis. *Secunda*, quod in nomine Christi Sacramenta sanctificantur. Et quia ex eius institutione Sacramenta virtutem obtinent, Inde est, quod *Tertiò* ipse, qui dedit virtutem Sacramentis, possit instituere Sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius econverso, ideò *Quarto* ad potestatem Excellentiæ Christi pertinet, quod ipse potuit effectum Sacramentorum sine exteriori Sacramento conferre. *Hæc ibi.*

* 3 *Resp.* 3. Potestas ministerialis instituendi Sacramenta defacto nulli puro homini fuit communicata. Vndè omnia Novæ Logis Sacramenta fuerunt immediatè à Christo instituta, & ab Apostolis promulgata. Sicut ab Apostolo Jacobo in sua *Epist. c.* 5. fuit promulgata Extrema-Vnctio. *Ratio* à priori est voluntas Christi, & patet ex *Trid. Sess. 7. Can. 1. ita* definiente: *Ratio congruentiæ* sumitur tum ex dignitate Sacramentorum Novæ Legis, quæ in ea derivatur ex dignitate instituentis. Tum ex motivo Rationis secundæ datæ pro R. 1. Hinc quando Christus Joan. 20. Apostolis dixit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*, ly *sicut non significat* omnimodâ æqualitatem potestatis Christi, & Apostolorum: vti nec in illis verbis Christi Joan. 18. *Rogo, pater, vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus*, ly *sicut* non significat tantam vnitatem inter fideles, quanta est inter Personas divinas.

* 4 *Resp.* 4. Potestas Excellentiæ; quæ fuit in Christo, per absolutam Dei potentiam potuit quoad substantiam puro homini communicari ad instituenda Sacramenta, sed non cum tanta perfectione, cum quanta fuit in Christo. *Ita S. D. hic art. 4.* Vbi hoc ita *Declarat*: Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem; Vnam auctoritatis, quæ competit ei secundùm quod Deus, & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia. Aliam potestatem habuit Excellentiæ, quæ competit ei secundùm quod homo, & talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicèt illis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, vt ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta, & vt ipsi possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum, effectum Sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo. *Hæc S. D.* Humanitas autem Christi est instrumentum coniunctum Divinitati. Ergo.

Ratio ergo 1. p. est, quod nulla sit implicantia, quòd potestas Excellentiæ Christi quoad substantiam cum prædictis 4. dotibus communicetur puræ creaturæ. 2. *Pars* patet etiam ex *S. Thom ibid. ad 3. dicente*: Ad evitandum hoc inconvenions, ne scilicèt multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ Ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset Caput principaliter, alij verò secundariò. *Ergo.*

Ratio est 1. Quia dicta potestas Christo competit naturaliter ex vi vnionis hypostaticę, & ex debito; puro homini autem, ideſt, qui non simul est Deus, accidentaliter, & ex gratia. 2. *Christus* non solùm condignè, sed etiam de toto rigore iustitiæ satisfecit pro peccatis nostris, etiam inquantũ illa sunt iniuriæ, & offensæ Dei, sub qua ratione, vel habent infinitatem intrinsecam, & simpliciter, vel saltem sunt superioris Ordinis respectu satisfactionis puri hominis. 3. *Christus* nobis de condigno meruit gratiam remissivam peccati sub dicta formalitate, si verò per absolutam Dei potentiam purus homo constitueretur Caput aliorum, ad summum posset alijs de condigno mereri primam gratiam, solùm vt est formaliter sanctificativa, ferma

Elia-

filiationis adoptivæ,& formaliter vt expulsiva peccati in ratione maculæ, seu malitiæ, sub qua ratione non habet infinitatem simpliciter, nec est superioris ordinis, non est malum Dei, sed malum hominis privans dono gratiæ, quæ est finita, & remissio peccati vt offensæ passivæ Dei fuisset adiuncta solùm ex divina ordinatione plenam satisfactionē gratuitò remittente. 4. *Meritum* Christi est valoris simpliciter infiniti, & inexhauribilis, secus est de merito puri hominis, cuius etiam satisfactio,& meritum in Sacramentis operarentur cum subordinatione, & dependentia ad Deum, & ad Christum, totius virtutis, & efficatiæ, tum hominī Sacramenta instituēnti, tum Sacramentis institutis collatæ fundamentum, & principium, maneretque homo ille instrumentum separatum, Humanitas Christi verò est instrumentum conjunctum. *Ergò.*

* 5 *Oppono contra* 1. *p. R.* 4. Iuxta S. Augustī. *tract.* 2. *in Ioan.* Iustificatio impij est quid maius quàm creatio cœli, & terræ: Sed hæc non potest committi creaturæ tanquam instrumento physico. Ergo nec illa. *Ad hoc* R. *sub dist.* dicendo quòd iustificatio impij ex parte termini, seu effectus quæ est gratia, & quid supernaturale, sit quid maius creatione, non verò ex parte modi producendi, quia sic dicit eductionem gratiæ è subiecto: è contra creatio est quid maius ex parte modi producendi,cùm sit ex nihilo; est autem quid minùs ex parte termini producti, cùm ille sit quid naturale. Potest ergo Deus, solus,& vnicus manens causa principalis,& auctoritativa gratiæ, mediante homine, vt instrumento causare gratiam, sed nihil creare, vt patet ex *S. Thom.* 1. *p. q* 45. *a.* 5. Potest etiam potestas excellentiæ Christi nominari auctoritas per comparationem ad alios Ministros, vt ait S. *D. hic, art. 2. ad* 2. non tamen absolutè. Vide in Tract. de *Iustificatione*, quomodo vnus homo possit alteri mereri gratiam, quomodo constitui caput aliorū. Et in Tract. de *Incarn.* quomodo purus homo possit pro suis, vel alienis peccatis satisfacere.

* 6 QUÆRO II. Quinam sunt Sacramentorum *Ministri*, fuerint soli Viatores, vel etiam Beati, & Angeli? *Resp.* 1. Solus homo Viator est Sacramentorum Minister de Lege Dei ordinaria seu ex vi modernæ institutionis, & ordinarius. *Ratio*: Quia Christus instituens Sacramenta, & eorum ministerium committens, fuit alloquutus solos viatores: *Ergò.* Hoc etiam intelligitur de homine defuncto, miraculosè resuscitato, & purum iterum viatorem agente.

* 7. *Resp.* 2. Homo beatus, etsi nulla nova ei fieret commissio, etiam de Lege ordinaria, seu ex vi institutionis Christi, esset idoneus Sacramentorum Minister in reassumpto corpore, extraordinarius tamen; loquendo de Sacramentis iurisdictionem non requirentibus. *Ratio*: Quia licèt Christus ministros instituens solos Viatores fuerit alloquutus, vtpotè quia eos solos habuit præsentes; attamen nullam fecit restrictionem ad statum viæ. Ergo.

Dixi 1. *in reassumpto corpore*; quia anima vtpotè solum pars hominis, non potest esse minister Sacramenti, licèt Characterem habeat, nam præter eum requiritur organum corporeum, quo vox, aut alia actio vitalis exerceatur. Dixi 2. *extraordinarius tamen*; non quod ad hoc sit opus potentia extraordinaria Dei, aut sit necessaria immutatio in vsu Sacramentorum, sicut dicetur de Angelis; sed licèt sit de Lege ordinaria, id est, ex vi modernæ institutionis, quia tamen soli Viatores ordinariò Sacramenta conficiunt, esset extraordinarius. Dixi 3. *de Sacramentis iurisdictionem non requirentibus*: Sermo enim hic est de sola potestate physica, non de morali, vti est Iurisdictio, quæ per mortē expirat. Hinc si Papa mortuus resurgeret, nō compereret ei suprema iurisdictio simul cum alio Viatore. *Ratio*: Quia repugnat, quod iurisdictio suprema stat penes duos in solidum, sicut dominium penes duos in solidum stare nequit.

* 8 *Resp.* 3. Angeli possunt de potentia,& Lege extraordinaria Dei conficere, & administrare Sacramenta. *Ratio* patet ex *S. Thom. hic a.* 7. *in c. dicente*: Sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; *ita etiam* virtutem suam nō alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. *Ergò.* Nec obest, quod in Angelis non sit Character, ille enim non est necessarius respectu potentiæ Dei absolutæ, per quam Angeli essent ministri.

* 9 *Resp.* 4. Sacramenta nostra ab Angelis cōfecta, essent eiusdem rationis, ac speciei cum Sacramentis ab homine confectis. *Ratio*: Licèt Sacramenta nostra essentialiter constent rebus,& verbis, non tamen est de essentia, vt sint vera verba veritate vitalitatis, seu vitaliter prolata, quæ non possunt dari in Angelo corpus assumente, sed sufficit, quod sint vera verba veritate *significationis*, seu *sint signa* sensibilia gratiæ sanctificantis: Sed per absolutam Dei potentiam possunt talia verba dari in Angelis corpora assumentibus. *Ergò.*

* 10 *Quid sentis* de receptione Sacramentorum respectu Beati? *Dico*: Si quis defunctus resurgeret, & viveret vita mortali vt ante iudubium est, quin posset recipere Sacramenta, vt alius homo; sed si maneret simul Comprehensor *vel* Christus, posset recipere Sacramenta stante suo non repugnantia, sicut Christus in vltima Cœna recepit Eucharistiam. In quo casu etsi non reciperet (sicut nec Christus recepit) effectum principalem Eucharistiæ, scilicet gratiæ augmentum, quia iam esset in termino: reciperet tamen effectum minus principalem, scilicet dulcedinem quandam spiritualem, de qua mentio facta fuit superius *Exam.* 2. *num.* 23. Ex quo patet, quod aliud sit recipere Sacramentum, & aliud sit recipere fructum Sacramenti. Sicut, & aliud est posse, & aliud actu Sacramentum conficere, potest, qui Characterem habet, sivè beatus sit, sivè damnatus; sed vt actu conficiat, requiritur Dei permissio, & concursus. De quo *quis cognovit sensum Domini?*

Quod Angeli sancti quibusdam Sanctis, vt nostræ S. Catharinæ Senensis, & B. Agneti de Monte Politiano administraverint sacram Eucharistiā, fundatas habemus historias. Vti, & rarum, & extraordinarium est, quod Thomas Stapletonus in Collectaneo de S. Thoma Apostolo ex alijs Autoribus refert, quod Anno 1120. quidam Indorum Patriarcha nomine Ioannes, Romam venerit, ibique Calixto II. & Cardinalibus in Consistorio testatus sit, S. Thomam Apostolum, omni anno solitum communicare populum; Propria manu dignis porrecta, ab indignis verò retracta.

11 QUERO III. Quid, & quotuplex est intentio requisita ad Sacramenti confectionem? *Resp.* 1. Quid, & quotuplex sit intentio, nimirum actualis, virtualis, habitualis, & quid sint, explicatum est

est suprà de horis Canon. *Tr.* 10. *E.* 5. *n.* 39. *Nota* 3. Quibus addi potest interpretativa. De qua postea *R.* 3. Vide etiam suprà *T.* 3. *E.* 1. *n.* 9. & 10. de voluntario, quid, & quotuplex sit.

Nota, Quod intentio in Ministro Sacramenti adhuc possit esse duplex. Vna cõmunis, qua scilicèt intendit facere id, quod vera Ecclesia facit, & quod Christus instituit. Altera privata, & particularis proprio, & particulari ipsius ministri judicio regulata. Prima est principalis, & substantialis, totamque actionem ministri, quoad Sacramentorum substantiam regulat, & alteram, scilicèt intentionem privatam, corrigit, limitat, & sibi subjicit. Hoc notabile maximè servit pro Quæst. sequentibus.

* 12 *Resp.* 2. In ministro Sacramenti ad valorem eius necessariò requiritur aliqua intentio, quæ tamen non est pars intrinseca Sacramenti, sed conditio applicans *sine qua non*. Prima pars patet ex Concil. Florent. decernente sic: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicèt rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Ergo.

Ratio est ex S. Thom. hic, art. 8. Tum quia, quæ sunt præter intentionem, sunt casualia, quod non est dicendum de operatione Sacramentorum. Tum etiã, quia quando aliquid se habet ad multa, oportet, quòd per aliquid determinetur ad vnum, si illud effici debeat: Sed quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimodè agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari, & ad munditiam, vel sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia. Ergo oportet, quòd per ablutionis intentionẽ determinetur ad vnum, scilicèt ad sacramentalem effectum. 2. *Pars* colligitur ex verbis citatis *Concil. Florent.* quod eodem modo loquitur de persona Ministri, & intentione eius. *Subsumo*: Sed persona ministri non est pars intrinseca Sacramenti, sed causa efficiens. Ergo nec intentio. *Pro quo nota*, quòd Concilium consultò vtatur illo termino *perficiuntur*, & non ly *componuntur*, ad insinuandum, quòd diversimodè loquatur de illis tribus ad Sacramentum requisitis, sic vt aliqua, scilicèt materia, & forma, requirantur, vt partes intrinsecæ, alia vt connotata necessaria extrinseca. Nam prior terminus, scilicèt ly *perficiuntur*, est vniversalis, & abstrahit à perfectivo intrinseco, & extrinseco, de quo vtroque Concilium ibi egit: alter verò terminus, scilicèt *componuntur*, tantum comprehendit partes intrinsecas.

* 13 *Oppone*: Quo posito ponitur res, & quo ablato tollitur, hoc est de essentia rei: Sed sic est de intentione ministri respectu Sacramenti: Ergo. *Dist. mai.* vel explico, eam esse veram, si eo posito, vel ablato res ponatur, vel tollatur à priori, & per locum intrinsecum, vt aiunt; secùs si per locum extrinsecum, vel à posteriori, vel solùm, vt per conditionem necessariò requisitam; & *hoc* 2. modo est de intentione.

* 14 *Resp.* 3. In ministro Sacramenti intentio habitualis, vel interpretativa non sufficit; actualis est optima, sed non necessaria; virtualis saltem necessario requiritur, & sufficit. Ita probabilius Thomistæ. *Ratio* 1. *p.* Christus Dominus instituit, vt actio sacramentalis fiat modo humano, idest, ex deliberatione: Sed actio procedens ex intentione habituali non fit modo humano, seu ex deliberatione, cùm nullus deliberatus actus voluntatis in eam influat, vt patet suprà *T.* 10. *E.* 5. *n.* 39. *de Hor. Canon.* ex descriptione eiusdem intentionis. Ergo. *Nota*, quòd à quibusdam Auctoribus intentio virtualis, vel etiam generalis interdum vocetur habitualis, vti & ab ipso S. Thom. vocatur hic, *art.* 8. *ad* 3. si ergo sic accipiatur, valet Sacramentum.

* 15 Pro 2. parte Not. Intentionem interpretativam variè accipi. *Primo.* Quidam eam vocant indirectam, vt si quis aliquid velit in alio directè volito, vt in causa, *v. g.* qui scit se in ebrietate habere consuetudinem blasphemandi, & directè intendit ebrietatem, is indirectè, & interpretativè censetur intendere blasphemiam. 2. *Alij hanc*, vt explicata est, vocant intentionem in causa; interpretativam verò dicunt esse, quam quis nec actualiter, nec virtualiter, nec habitualiter habet, sed dumtaxat haberet sub hac conditione, si in eius obiecti cognitionem veniret, sicque est conditionata: qualis intentio censetur esse in Catholico, qui tota vita nunquam habuit intentionem actualem suscipiendi Extremam-Vnctionem, repentè autem sensibus privatur, morti proximus, qui si casũ sumeret antè sciret, Sacramentũ hoc antè peteret. 3. *Sumitur* prout includitur in generali intentione faciendi, quòd Christianum, vel Sacerdotem, seu Ecclesiæ ministrum decet. Hoc notato.

Ratio 2. *p. est*: Quocumque ex tribus modis sumatur intentio interpretativa, non sufficit. *Non primo*: Quia etsi actio, vel prolatio verborum Sacerdotis ebrij, vel dormientis posset esse libera, vel voluntaria in causa, eamque Christus ad rationem Sacramenti elevare potuisset, defacto tamen eam non elevavit; tum ob reverentiam Sacramenti, eum vt Sacramenta à ministro conficerentur cum morali certitudine, quæ nequit esse in somno, & ebrietate, cùm loco materiæ debitæ à ministro determinatæ potuisset ab alio substitui indebita. Hanc autem esse voluntatem Christi, colligimus ex consensu, & quotidiana Ecclesiæ praxi. *Nec* 2. *modo*: Cùm enim illa intentio conditionata non existat, nec vnquam extiterit actu, sed solum existeret, nequit influere in actionem deliberatam, & humanam, vti est actio sacramentalis. *Nec* 3. *modo*: Quia intentio confusa manens talis, non potest influere in actionem humanam particularem: Sed illa intentio generalis est confusa. Ergo. Dixi, *manens talis*; ad insinuandum, quòd sufficiat intentio generalis per particularem determinata, *v. g.* intendo in hoc actu facere, quod facit vera Ecclesia. Porrò an intentio interpretativa sufficiat in recipiente Sacramentum, patebit infra *n.* 36. *R.* 4. 3. & 4. *Pars* patet ex dictis de Horis Canonicis loco paulò suprà citato.

* 16 QUÆRO IV. Requiriturne ad valorem Sacramenti, vt minister intendat facere actum formaliter vt sacramentalem, vel sufficitne exteriùs tantùm verba proferre, sive serio, sive jocosè, ac materiam, & formam coniungere, seu materialiter illum actum facere, mentaliter eum annullando? *Resp.* Probabilius est, quòd primum necessariò requiratur, & secundum non sufficiat ad valorem Sacramenti. *Ratio* Concil. Florent. in decreto Eugenij, & Trid. Sess. 7. Can. 11. decernit: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. Subsumo*: Sed intentio faciendi, quod facit Ecclesia, est intentio faciendi Sacramentum, seu actionem externam vt formaliter sacramentalem, & non merè materialiter. Ergo Sacramentum [illegible]

vt tale debet esse obiectum intentionis ministri. *Prob. min.* Nomine intentionis faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, Concilia requirunt illam *intentionem*, quam negabant Hæretici, quos Concilia ibi impugnant: Sed Hæretici non negabant intentionem faciendi actum sacramentalem materialiter, quem Ecclesia facit, sed faciendi formaliter vt talem. Ergo. *Nota*, inter Propositiones ab Alexandro VIII. damnatas num. 28. esse hanc: *Valet Baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat intus verò in corde suo apud se resolvit*: Non *intendo, quòd facit Ecclesia.*

Eadem est mens *S. Thom. hic a.* 8. *ad* 1. *dicentis*: Instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo movetur à principali agente, sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideò requiritur eius intentio, qua se subijciat principali agenti, vt scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia. *Hæc S. D.* Item hic *a.* 10. *clarè ait*: Intentio Ministri potest perverti dupliciter: Vno modo respectu ipsius Sacramenti, puta, cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed deridere, aliquid agere, & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat. *Hæc ibi.* Quæ verba sat clara sunt. Quando ergo *S. Thom. hic a.* 8. *ad* 2. *& in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. *dicit*, non requiri intentionem mentalem, sed sufficere expressionem intentionis per verba ab Ecclesia instituta; *ibi S. D.* vult contra aliquos DD. non esse necessariâ intentionem mentalem expressam, seu in actu signato, explicatam suprà loco citato de horis Canonicis, sed sufficere mentalem implicatam, seu in actu exercito; de qua suscipiens potest esse moraliter certus, & sic de veritate Sacramenti anxietatem deponere, nisi contrarium, exterius per verba formę exprimatur.

* 17 *Oppono* 3. Innocentius IV. *ait*, ad Baptismi valorem non requiri, quod baptizans gerat in mente facere, quod facit Ecclesia. Et Nicolaus I. à Bulgaris consultus de his, qui baptizati fuerant à quodam Judæo, de quo dubitabatur, an esset Christianus, vel Paganus, Respondit, si debita forma baptizati erant, non esse rebaptizandos. Vbi nulla fit mentio internæ intentionis. Et S. Chrysost. hom. 85. in Ioann. ait: *Non est iustum propter alterius malitiam ad salutis nostræ Sacramenta cum fide accidentes offendi*, id est, damnum pati, ex posita autem sententia id sequitur, nimirum multos pueros propter internæ intentonis retentionem à malo Ministro in baptizando factam (vti in Gallijs accidisse scribitur) Deo æternum privari.

2. *Vulgaris est* historia de Athanasio, qui, cum esset puer, quosdam alios pueros baptizavit per iocum, consequenter cum intentione faciendi solum actum externum, quem tamen Baptismum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus. *Item de S. Genesio* Martyre, qui cum esset mimus, & in Scena (vt Imperatori placeret) se baptizari faciebat, & ex baptismo iustificatus est 3. *Sacramenta* valent ex opere operato. Ergo ad eorum valorem non requiritur intentio ministri, sed sufficit opus externum, & applicatio formæ ad materiam. 4. *Sacramentum* subsistit, dum est signum, & causa gratiæ. Sed hoc non habet à Ministro sed ex institutione Christi: Ergò.

5 *Instrumentum* nihil agit præter actum externum: Sed minister est instrumentum. Ergò 6. *Hæretici*, ac Pagani validè baptizare possunt: Sed illi non habent intentionem veræ Ecclesiæ. Ergo 7. *Sponsi* baptizati contrahentes Matrimonium, si intendant solum facere contractum, & non Sacramentum, faciunt tamen Sacramentum, cum illud à contractu separare non possint. Ergo non requiritur intentio. 8. *Episcopus* validè ordinat excommunicatum: Sed non habet intentionem eum ordinandi. Ergo. *M. prob.* Quia antequam ordinet, protestatur, quod non velit talem ordinare.

9. *Sacerdos* nesciens quibus verbis fiat consecratio, verè consecrat, si verba proferat super panem: Sed ille non habet intentionem. Ergo. 10. *Minister* potest causare effectum, quem ipse non intendit, vt patet in hæretico baptizante, qui Characterem negat, & tamen producit. Ergo. 11. *Intentio* causæ secundæ non potest impedire actionem causæ primæ, quando materia, & forma, & actus est legitimè exercitus: Sed minister in Sacramento se habet vt causa secunda, & Deus est causa prima. Ergò 12. *Quod* quis non potest dare, non potest auferre: Sed sola interna intentio non potest dare seu conficere Sacramentum, ergo nec auferre.

Ad 1. Innocentius loquitur de Sacramenti valore prout valet ad effectum, non verò de eo, vt est in se. Nicolaus per debitam formam intelligit debitum ritum, qui comprehendit etiam intentionem mentalem, vt patet ex probatione nostra *S. Chrysost.* per malitiam intelligit improbam vitam ministri, quæ suscipienti non nocet. Quod autem ex retentione internæ intentionis ministri pueri æternum Deo privarentur, esset per accidens (nullum enim est fundamentum dicendi, quod Deus illum defectum suppleat) sicut etiam esset, si ex malitia (vt potest) omitteret vnum essentiale verbum formæ. Hinc si nobis obijciatur, debere nos semper esse anxios, an minister habuerit intentionem, retorquemus dicendo, tali modo debere nos semper etiam angi, an protulerit omnia verba essentialia formæ. Sufficit ergo certitudo moralis, nec requiritur physica ad quietandos animos, vt dictum est ante *Oppon* 1.

Ad 2. R. *Athanasium* quidem ludum fecisse, sed sub, & cum specie ludi habuisse intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia; nam de suo facto interrogatus, respondit, se voluisse facere, quod viderat fecisse Episcopum Alexandrinum. *Ad illud* de S. Genesio dicitur, eum in sua scena ab Angelo fuisse monitum de efficacia illius aquæ, adæoque eum elicuisse desiderium Baptismi, seu intentionem recipiendi. Cæterum quoad intentionem baptizantis dici potest, quod, quia casus miraculosus est, Deus, qui virtutem suam intentioni ministri (vti nec Sacramentis) non alligavit, eam supplevit. Vel etiam dici potest, quod ille in Scena Genesium baptizans habuerit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Quod enim Christianus (prout obijci potest) talem in Scena personam agens, intentionem Ecclesiæ nó habeat, est, ne rebaptizet baptizatum, & ne irrideat Sacramenta: at verò Pagani, ad maiorem Ecclesiæ, & Sacramentorum despectum, intendebant facere, quod Christiani facere solent. *Ad* 3. *dist. cons.* Ergo non requiritur intentio, vt causa valoris, seu instituivè, *conc.* vt conditio *sine qua non*, vel executivè,

negatur. Patet ex dictis *ad Q. 3. R. 1.* Item sufficit applicatio formæ ad materiam, facta formaliter juxta Christi institutionem, & vt est sacra cæremonia, *conc.* materialiter, & in esse entis, *negatur Ad 4.* datur prima distinctio mox data. Aliud est de Sacramento iam confecto, *v. g.* Eucharistiæ, nam post confectionem à ministro nullatenus amplius pendet.

An 5. dist. mai. Instrumentum inanimatum, *conc. mai.* animatum, & liberum, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Eodem modo distinguitur hæc propositio: Actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed agentis principalis. *Item hæc*: Instrumentum nihil agit præter actum externũ. Vidè verba *S. Thom.* adducta ad probandam sententiam nostram, vbi patet differentia inter instrumentum animatum, ac liberum, & inter inanimatum, quod scilicèt primum etiam moveat seipsum, *id est*, aliquam sui partem, nimirum cætera membra per voluntatem, quos actus voluntas potest elicere, vt causa principalis; attamen eius intentionem respectu Sacramenti Deus vult vt conditioné *sine qua non*, sed respectu Sacramenti vt talis, homo per se est instrumentum.

Huic Responsioni duo opponi possunt. 1. *Servus* est instrumentum animatum sui domini: Sed licet servus interius non cõsentiat contractui, ex domini mandato per eum facto, tamen subsistit. Ergo. 2. *Si quis* confiteatur per interpretem, aut Matrimonium contrahat per Procuratorem, subsistit Sacramentum, & contractus, licèt illi nihil intendant, nisi exterius proferre verba, & tamen sunt instrumenta animata. *Ergò*.

Pro solutione Nota, quod servus possit se dupliciter habere. 1. *Vt præcisè* referens voluntatem domini, & in hoc sensu *min.* est vera, & servus se habet, ac si esset instrumentum inanimatum 2. *Vt operis* subsistentia eius arbitrio sit à domino commissa, & hoc modo se habet, vt instrumentum animatum, & sic se habet minister in Sacramento. *Vnde Trid. ait*: Absolutio non est nudum ministerium, sed ad instar actus iudicialis Porrò interpres respectu Sacramenti Pœnitentiæ, & Procurator respectu Matrimonii, sunt instrumenta animata prioris generis, nec sunt ministri illorum Sacramentarum.

Ad 6. neg. min. Possunt enim habere, & censentur eam habere; si verò ex malitia eam non haberent, nihil facerent. Cæterum si Hæreticus haberet hanc intentionem, Intendo facere, quod facit Ecclesia Christi, sed non quod Ecclesia Romana, valeret Sacramentum, quia posterior intentio priorem non destruit, nec sibi contrariantur formaliter, sed solum materialiter: quia falsò existimat ex privato errore, Ecclesiam Romanam errare. *Ad 7. neg. conf.* Quia illi contrahentes habent generalem intentionem faciendi, quod Christus instituit, quam si non habeant, nec Sacramentum, nec contractum faciunt. *Ad 8. neg. min.* Vel enim illa Episcopi protestatio fit ad terrorem tantum, vel ea facta, si nullum indignum inveniat, elicit absolutam intentionem Ordines conferendi.

Ad 9. neg. min. Quia habet intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia. *Ad 10. dist. ant.* Quem, nec implicitè, nec explicitè intendit, *neg.* non explicitè, benè tamen implicitè, *conc. ant.* Qui enim explicitè vult causam, implicitè vult effectum. *Ad 11.* Concedo totum; sed dico, quod deficiente interna intentione ministri, materia, & forma debitè non applicentur, nec actus ritè exerceatur, consequenter causa prima ad Sacramenti valorem non concurrit, nec Sacramentum subsistit. *Ad 12. dist. mai. ex R. ad Oppono n. 11. ante R. 3.* Vel *neg. mai.* Quia *bonum ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu*. Sicut ergò non valet, Minister per solam formam sine materia non potest Baptismum conferre: Ergo omittendo solam formam non potest eum anullare; Ita similiter. Quia facere Sacramentum est de genere bonorum, illud auferre est de genere malorum.

* 18 QUÆRO V. Intentio introducendi novum ritum in Ecclesiam, invalidatne Sacramentum? Ante *R. Vide Not. positum n. 11.* immediatè ante *R. 2. Resp.* Minister adhibens materiam, & formam legitimam, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, etsi privata sua intentione intendat in Ecclesiam inducere novum ritum ab Ecclesia non tolleratum, sed odio habitum, verum conficit Sacramentum, si illum ritum in forma non explicet: si verò eum in forma exprimat, vt indè falsitas formæ sequatur, & genuinus sensus à Christo intentus destruatur, tunc Sacramentum non conficit, non ex defectu intentionis, ac si nimirum non posset habere intentionem Ecclesiæ, sed ex defectu formæ. *Ratio* 1. *part.* De Fide est, tunc verum confici Sacramentum, quando adest debita materia, forma, & minister Sacramenti cum intentione faciendi, quod Christus fecit: Sed hæc omnia concurrunt in casu primæ partis, nimirum dum falsus ritus in forma non exprimitur, vt patet: nam intentio particularis, & privata cedit communi, & corrigitur ab illa. *Ergo*. Aliud esset, si Hæreticus expressè intenderet facere solum, quod facit Ecclesia, *v. g. Londinensis*, excludendo *Romanam*, tunc enim Sacramentum esset nullum defectu debitæ intentionis.

2. & 3. *Pars* patet in exemplo Baptismi Arrianorum baptizantium in nomine Patris maioris, Filij minoris, &c. Et Donatistarum baptizantium sub hac forma: Si ego, & tu sumus hæretici, non te baptizo. Tunc enim Sacramentum nullum est, quia forma non est vera, sed ex illa additione falsificatur. Quod autem non sit nullum defectu intentionis, constat: Quia talis potest adhuc habere intentionem faciendi, quod Christus instituit, & quod Ecclesia facit Ergo est defectus formæ, non intentionis, vt etiam docet *S. Thom. hic quæst. 60. a. 6.*

* 19 QUÆRO VI. Qualis intentio requiritur in suscipiente Sacramentum? *Resp.* 1. Certum est, quod in adulto, rationis vsum habente, in receptione cuiuscunque Sacramenti de necessitate medij requiratur intentio, & liber consensus recipiendi id, quod in Ecclesia fit, seu quod Christus instituit, ita vt, si non consentiat: vel dissentiat, Sacramentum invalidè, & sine fructu recipiat. *Ratio*: Quia Christus voluit, vt receptio Sacramenti in adultis, quibus integrum est consentire, sit libera, & fiat humano modo. Quæ Christi voluntas colligitur ex communi Theologorum Sententia. Idem hic *quæst. 68. a. 7. S. D.* expressè de Baptismo docet in c. Et ad 1. & ad 2. ait: *Si in adulto defuit intentio suscipiendi Sacramentum, effet rebaptizandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo.*

* 20 *Resp.* 2. Non est necesse, vt dicta intentio sit actualis, sed sufficit virtualis; non verò habitualis. *Ratio* est, quæ suprà de ministro conficiente. *Resp.* 3. In Ministro Sacramentum conficiente re-

requiritur perfectior intentio, quam in recipiente. *Ratio*: Quia plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, &, *Nobilius est agere, quam pati*, vt habet axioma: Sed minister est agens, recipiens vero, qua talis solum est patiens. Ergo licet in ministro semper requiratur intentio, quæ sit principium actus humani, non tamen in recipiente. Excipitur Sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonij, vt patebit ex dicendis.

* 21 *Resp.*4. In adultis, quibus non est integrum hic, & nunc liberè consentire, sufficit (cæteris paribus, seu si aliundè nullus sit obex) intentio habitualis vel interpretativa. Excepto Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonij. Dixi, in *adultis*; Quia de infantibus patet ex praxi Ecclesiæ respectu Baptismi. *Declaratur* 1. *Pars*: In casu, quo quis voluit baptizari, & hac voluntate non retractata incidit in phrenesin, habet adhuc intentionem habitualem, vi cuius potest baptizari. *Item* Cathecumenus habuit voluntatem servandi omnia Christi Domini præcepta, omniaque salutis remedia suscipere, & hac voluntate pariter incidit in phrenesin, vel dormit, talis validè baptizatur, quia habet intentionem interpretativam, vel etiam primam moraliter perseverantem. *Similiter* est communis praxis, quòd infirmis, qui sensibus destituuntur (nisi clarè constet, eos esse in peccato mortali) detur Extrema-Unctio, immò & Eucharistia, si nullum sit periculum vomitus, vel alterius irreverentiæ. Quia in Professione vitæ Christianæ interpretativè habent sufficientem consensum ad suscipienda illa extrema, etsi fortè de aliquo illorum (vti de Extrema-Unctione facilè fieri potest) nihil vnquam audierint. 2. *Pars* patet: Quia Sacramentum Pœnitentiæ pro materia proxima habet ipsos actus pœnitentis, & Matrimonium actus contrahentium.

* 22 *Resp.*5. Sufficit, quòd intentio in R. 1. requisita sit voluntaria simpliciter, nec obest, quòd sit secundùm quid involuntaria. *Declaratur*: Si quis per vim, vel violentiam simpliciter talem cogeretur ad recipiendum Sacramentum consistens in vsu, invalidè reciperet, & ex Eucharistia nullum reciperet fructum. Si tamen quis per metum gravem illud reciperet, valor Sacramenti subsisteret: Quia metus gravis non tollit voluntarium simpliciter (vti violentia) sed solùm secundum quid, vt patet suprà *T.3.E.1.n.16.* Excipitur Matrimonium, quod metu gravi initum est nullum, vt patebit in suo loco. *Item* Ordo ex gravi metu susceptus, validus quidem est, & characterem imprimit, sic tamen ordinatus non obligabitur ad servandam continentiam, nisi postea ratificet. De quo plura alibi.

* 23 *Resp.*6. Si alicui adulto vsus rationis capaci merè negativè se habenti, ideſt, neque volenti, neque nolenti, impenderetur Sacramentū, *v.g.* Baptismi, is nec Sacramentum, nec vi illius gratiam reciperet. *Ratio est*, quam dant *Nugno* noster, & *Cabrera*. Quia si numquam voluit Sacramentum suscipere, ita vt, nec virtualem habeat intentionem, simpliciter loquendo est nolens; omnis enim adultus rationis capax rationabiliter, & interpretativè hanc habet voluntatem, vt de sua persona, sine proprio consensu in re gravi non disponatur. Quomodo non habentibus vsum rationis possit dari, vel denegari Eucharistia, tractat *S.D.3.p.q.80. art.9.* De quo vide infrà *T.12.E.4.n.24.*

* 24 QUÆRO VII. Mali Ministri conficiuntne vera Sacramenta, & licetne ea ab illis petere? Ipsi verò peccantne ea conficiendo? *Resp.*1. Mali, seu in peccato mortali existentes Ministri, *v.g.* infideles, hæretici, excommunicati, degradati, suspensi, &c. vera conficiunt Sacramenta, dummodo adhibeant omnia, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Ita *S.Thom.hic, art.9. Ratio*: Tum quia imprimis de Baptismo ita Christus voluit, quia est Sacramentum summæ necessitatis. *Tum* etiam, quia character semel receptus manet in maximis peccatoribus, etiam hæreticis, qui etiam possunt intendere facere id, quod facit Ecclesia, eiusque formam servare, quam si non servent, nihil faciunt. *Tum* tandem, quia Minister in Sacramentis operatur instrumentaliter, vt *ait S. D.* seu non in virtute propria, sed Christi, per probitatem vitæ verò non constituitur in ratione instrumenti, sed per motionem Dei. *Ergò.*

Ex quo sequitur, ab impio neminem quidem posse mundari ex opere operantis, benè tamen ex opere operato, non principaliter benè tamen instrumentaliter: & Baptismata Hæreticorum non esse quidem vera veritate fructus, puta, si extra casum necessitatis recipiantur ab ijs, quia sic fit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, & peccatum committitur, etsi sit verum Sacramentum veritate valoris. Quamvis enim hæretici non sint instrumenta coniuncta, benè tamen separata: & quamvis homo à communitate quadam expulsus non possit eius officia exercere, si per expulsionem tollatur potestas, potest tamen, si hæc maneat; sicut manet character.

* 25 *Resp.*2. Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato validè conferri non potest extra casum extremæ necessitatis. *Ratio*: Quia hoc Sacramentum ad sui valorem requirit iurisdictionem: Sed hæc per excommunicationem amittitur. Ergo. *Resp.*3. An, & quomodo liceat Sacramenta petere à malis Ministris, patet ex S. Thom. hic, *art.6 ad* 2. cuius verba relata sunt *T.7.E.7.n.66. ad* 1. casum. *Resp.* 4. Qui ministrat Sacramenta in peccato mortali, peccat mortaliter ex genere suo. Ita S.D.hic, art.6 in corp. *Ratio eius est*: Tum, quia Ministri debent conformari suo Domino, seu agenti principali iusta illud Levit.19.& 1.Petr.1. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Item sancta sanctè sunt tractanda. *Tum* etiam, quia hoc peccatū pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licèt Sacramenta secundùm se ipsa incontaminabilia sint. Ergo.

Dixi, *ex genere suo*: Tum, quia ex parvitate materiæ potest esse veniale, *v.g.* Eucharistiam de loco ad locum transferre, vel tollere ad dandam benedictionem; quia tangitur solùm mediatè *Item* exercere functiones 4. *minorum Ordinum*, benedicere templa, vasa, vestes sacras, Virgines sacras. *Tum* etiam, quia Minister Sacramenti est duplex, vnus solemnitatis, seu ex officio, seu specialiter ad id consecratus, & deputatus: & de eo intelligitur data resolutio. Alius est necessitatis, seu non ex officio, nec specialiter consecratus, & hic excusatur, *v.g.* Eucharistiam levans ex loco irreverenti, baptizans, sive Sacerdos, sive Laicus sine solemnitate in necessitate, Conjuges in mortali contrahentes, qui tamen mortaliter peccant Sacramentum recipiendo, aut non conficiendo; quia non sunt ad id specialiter consecrati. Nec peccat Sacerdos in mor-

mortali assistens matrimonio, quia non est minister eius.

* 26 *Resp* 5. Quo excellentius Sacramentum in mortali ad ministrarur, eo gravius peccatur, vnde probabilius est, esse exprimendum, quale fuerit Sacramentum. *Ratio*: Quia est irreverentia notabiliter gravior. *Resp.6.* Gravius est ministrare Sacramentum in gravioribus, & pluribus peccatis; sufficit tamen dicere, se tale Sacramentum ministrasse in mortali; nisi sit in peccato, vel peccatis gravissimis, & valdè extraordinarijs. *Ratio* patet ex dictis, nimirum ratione maioris vel minoris irreverentiæ, ac conformitatis cum agente principali.

* 27 *Resp.7.* Probabilius est, quod, vt Minister ex officio talis, seu consecratus, mortaliter peccet, sufficiat, eius actionem vel esse immediatè Sacramenti confectivam, vel Sacramenti facti applicativam, seu distributivam; vel Sacramentalem, seu ad Sacramenti confectionem proximè, aut propè ordinatam. *Ratio*: Quia est gravis irreverentia, & disformatio ad agens principale.

Ex quo Sequitur 1. Quod reliqua 5. Sacramenta præter Baptismum, & Matrimonium scienter in mortali ministrare, semper sit mortale, vt patet ex *S. Thom. 6. ad* 3. quia respectu eorum non occurrit tanta necessitas sicut respectu Baptismi, & requirunt ministrum specialiter consecratum. 2. *Mortaliter* peccare etiam, qui in mortali confessiones audit cum intentione contritionem eliciendi ante absolutionem, vt docet Gonet. Quia licèt audire confessiones non sit Sacramentum, est tamen actio sacramentalis proximè ordinata ad Sacramenti confectionem. 3. *Mortaliter* peccare Episcopos in mortali Chrismatis, aut Oleum infirmorum consecrantes, ob eandem rationem. 4. *Et illum*, qui, & quoties, Eucharistiam iam confectam in mortali dispensat: nam etiam distribuens Eucharistiam (quæ & ideò vocatur tremendum mysterium) specialiter repræsentat personam Christi, cui proinde debet conformari. Vnde *S. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 1. a. 3. q. 5. ad 4. ait*: Quicumque exhibet se in aliquo actu, vt ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat, si nimirum in mortali eum perficiat. Vide verba S. Dionys. relata à S. Thom. *hic a. 6. in Sed Contra* 5 *Idem* probabilius dicitur de Subdiacono & Diacono in mortali sua officia peragentibus. Quia illa concernunt materiâ gravem, suntque sacramentalia, seu ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem propè accedunt, & vel maximè *Diaconatus*, qui est vltima dispositio ad Sacerdotium. Vnde *Gregor. X. c. vlt.* de temporibus ordinandorum *dist.* 33. sub interminatione divini Iudicij prohibet huiusmodi in susceptis Ordinibus ministrare. Vide plura de hoc infrà in proprio loco *T. 15. E. 4. n.4.*

* 28 *Oppone*: Nullus debet reddi perplexus: Sed si mali ministri in Sacramentis peccent, fiunt perplexi; nam si sint tales ex officio, tenentur ea ministrare, & non possunt statim à peccato se liberare. Ergo. *Ad hoc S. D. a. 7. ad* 3. *ait*: ille, qui est in peccato mortali, non ex perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat Sacramenta dispensare, quia potest pœnitere de peccato, & licitè ministrare: non est autem inconveniens, quod sit perplexus supposito quodam, scilicet, quod velit remanere in peccato. *Hæc ibi*. Sed hoc oritur ex propria malitia. Pro cuius maiori explicatione.

* 29 QUÆRO VIII. Vt Minister Sacramenti non peccet, qualis in eo requiritur, & sufficit dispositio? *Resp.* 1. Ante Sacramenti confectionem (si Eucharistiam excipias) non est necessario præmittenda confessio, licet id sit de consilio. *Ratio*: Quia nullum de hoc extat præceptum, sivè divinum, sivè humanum. Quod tamen de Eucharistiam extat (puta, si sit copia Confessarij) in *Trident. Sess.* 13. *c.* 7. de Eucharistia, verba illa S. Pauli, *Probet autem seipsum homo*; *& sic de pane illo edat*, &c. exponente de probatione per confessionem sacramentalem, & absolutionem, *quantum*, *vir* quis *sibi videatur contritus.*

Ex quo *sequitur*, quod Sacerdos in mortali celebrans duplex peccatum committit, vnum, conficiendo; alterum, sumendo; forte & *tertium*, sibi ipsi Eucharistiam dispensando. Quæ tamen tria non est opus exprimere in Confessione, sed sufficit dicere, se in mortali celebrasse. Si verò elicuit contritionem post consecrationem, ante sumptionem, *id explicandum*, quia tunc solum peccavit conficiendo.

Dixi, *si sit copia Confessarij*. Hinc excusatur (si tamen contritionem eliciat) Parocus, qui hodie (vel quia festum est, vel pro præsente defuncto) tenetur celebrare, proximus autem Confessarius est ita distans, vt, si eum accedat, debeat cum scandalo Sacrum plus solito differre, vel sanitatem suam periculo læsionis exponare, vel si sit infirmus vel si sit itineris difficultas, temporis brevitas, vel adsint aliæ graves molestiæ, iuditio prudentum excusantes. Quæ tanquam generalis Regula potest notari circa distantiam Confessarij; certa enim statui non potest pro omni casu, sed pendet à prudenti arbitrio. Si Parochus habeat Sacellanum, tenetur illi confiteri, si alium non habeat, & hoc, etsi cum eo rixas habuerit, eumque suum hostem existimet, nisi inimicitia esset tam gravis, vt ex ea fractionem sigilli Confessionis prudenter timere possit. Quod est ratum. Si Sacerdos apud altare ante consecrationem recorderur peccati mortalis non confessi, & sine scandalo discedere non possit; sufficit elicere contritionem. Plures casus ad propositum vide *Tr. 12. R. 4. num. 15.*

* 30 *Resp.* 2. *Sacerdos*, si defectu Confessarij, in mortali (de quo tamen contritus fuit) *necessitate urgente absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Ita statuit, & loquitur Tid. loc. paulo suprà citato. In his verbis difficultas est circa ly *quamprimum*; Quod alij intelligunt, vt sit idem, ac *suo tempore*, alij *intra tridum*, alij *antequam iterum celebret*, alij esse solum consilium non præceptum; grave, & ly *quamprimum* esse idem, ac *prima occasione*, quam ille Sacerdos peracto Sacro opportunè tenetur quærere. Hinc ab Alexandro VII. damnatæ sunt hæ Propositiones *n.* 38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum. *Et n* 39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore cõfitebitur An dictum Tridentini præceptum etiam obliget Laicos, vel Sacerdotes more Laicorum communicantes, vel Missam ab alio cœptam complentes, *vide R. 5. loco citato ex Tract. 12.*

* 31 *Resp.* 3. Ad alia Sacramenta (præter Eucharistiam sine novo peccato conficienda) non sufficit attritio cognita, nec tamen necessario, & sub præcepto requiritur contritio in se verè talis, sed sufficit contritio existimata; Confessio verò si sit copia Confessarij, solum est de consilio. *Ratio* 1. *pari.*

part. Iuxta dicta minister in sanctitate debet conformari agenti principali, scilicet Deo: Sed homo non sanctificatur per attritionem, præsertim cognitam vt talem. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Aliquem obligare ad contritionem in se talem, est intolerabile, & infinitos causat scrupulos, cum contritio non possit naturaliter cognosci; vel certè homini dat occasionem naturaliter iudicandi se esse in gratia. 3. & 4. *Pars* sequuntur ex dictis.

Oppono casum, in quo subito quis vocatur ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ moribundo, vt vix habeat tempus eliciendi contritionem. *Resp.* Etiam in eo casu teneri ad contritionē. Quia contritio cùm sit actus spiritualis à potentia spirituali nimirum à voluntate elicitus, potest haberi in instanti, aut saltem brevissima temporis mora, ob quam brevitatem temporis non tollitur potentia ad contritionem, licèt eam faciat difficilem, difficultas autem non tollit obligationem, si præceptum absolute impleri possit, cæteris paribus.

* 40 QUÆRO IX. Scisne dare aliquam rationem congruentiæ, cur in Nova Lege, nec plura, nec pauciora sint Sacramenta, quàm septem? Et quis inter illa ordo, ac præeminentia? quæ necessitas eorum, quæ differentiæ? Dixi in titulo, *aliquam rationem congruentiæ*; nolo enim hic cum Hæreticis inire controversiam de septenario Sacramentorum numero, vtpotè quæ ad intentum huius operis non spectat. Vndè ad 1. part. Quæsiti. *Resp.* 1. Ratio à priori est voluntas Christi, sed Ratio congruentiæ est, quàm dat *S. Thom. hic, q. 65. art. 1. in c.* Christus Sacramenta instituit, vt causas instrumentales vitæ spiritualis ad perficiendum hominē, tum *in se*, tum *in ordine ad alios*, iuxta ritum Religionis Christianæ: Sed ad hoc sunt septem necessaria. Ergo. *Min.* declaratur ex analogia vitæ spiritualis ad corporalem. Nam in vita corporali homo priùs generatur, seu incipit esse, & vivere: cui in vita spirituali correspondet Baptismus, per quem homo spiritualiter regeneratur, & accipit primum esse, ac primam vitam spiritualem. 2. *In vita corporali* homo augetur, & ad perfectam quantitatem perducitur, cui in vita spirituali correspondet, Confirmatio, per quam homini datur virtus, & robur spirituale. 3. *In vita* corporali homo nutritur, & huic correspondet Eucharistia. 4. *In vita* corporali homo per medicinas liberatur ab infirmitatibus corporis, & huic respondet Pœnitentia liberans hominem ab infirmitatibus animæ, nimirum à peccatis. 5. *In vita corporali* homo per alia remedia liberatur à reliquijs morbi, & restituitur integræ sanitati & huic in vita spirituali correspondet Extrema-Vnctio, qua sublatis peccatorum reliquijs homo restituitur pristinæ sanitati spirituali. Et hisce perficitur homo in seipso. In ordine ad alios perficitur, vel accipiendo potestatem regendi multitudinem, & huic in vita spirituali correspondet *Ordo*, quo conferrur potestas spiritualis super populum Christianum. Vel perficitur in ordine ad alios, populum propagando, cui in vita spirituali correspondet Sacramentum *Matrimonij*, quo populus fidelis augetur. Ergo.

* 41 *Resp.* 2. Ordine generationis, & per se Sacramenta Novæ Legis se ita præcedunt, vt mox explicatum fuit. Et colligitur ex Analogia vitæ spiritualis ad corporalem. Dixi, *per se*; Quia per accidens benè sumitur Eucharistia, vti & Pœnitentia, ante *Confirmationem*, non tamen ante *Baptismum*, qui est omnium Sacramentorum Ianua: *Item* aliquando denuò Pœnitentia, & Eucharistia post Extremam-Vnctionem, morbo diutiùs durante. Quod Ordo, & Matrimonium sint postrema, est, quia vt ait *S. Thom. art.* 2. sicut vnum est prius quàm multitudo, ita Sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem vnius personæ, præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Matrimonium autem ponitur post Ordinem, eò quòd minùs participat de ratione vitæ spiritualis, ad quam ordinantur Sacramenta.

* 42 *Resp.* 3. Loquendo de dignitate, Sacramentum Eucharistiæ simpliciter est potissimum inter alia Sacramenta. Ita S. D. art. 3. *Ratio eius est*: Tum, quia in eo substantialiter continetur ipse Christus, in alijs autem Sacramentis continetur solùm quædam virtus instrumentalis participata à Christo. *Tum* etiam, quia alia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, vt ad finem; Ordo ad eam consecrandam; Baptismus ad recipiendam; In quo etiam perficitur aliquis per Confirmationem, vt non vereatur se subtrahere à tali Sacramento. Per pœnitentiam autem, & Extremam Vnctionem, præparatur homo ad dignè sumendū Corpus Christi. Matrimonium saltem sua significatione attingit Eucharistiam, in quantum significat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ.

Hic oritur difficultas circa hoc, quod dicit *S. Thom.* hominem per Extremam-Vnctionem disponi ad Eucharistiam, cum tamen hæc detur infirmis ante illam. Sest sensus est: Quia virtute Sacramenti Pœnitentiæ remittuntur peccata, Extrema-Vnctio autem tollit earum reliquias, ideò prævie recipiendo hæc Sacramenta, anima infirmi disponitur ad percipiendum fructum Eucharistiæ. Hinc, & antiquitùs Extrema-Vnctio conferebatur ante Communionem, quod & defacto licitum est; quòd defacto non semper id fiat, est, quia non superest tempus, aut occasio, nam multis potest dari Extrema-Vnctio, quibus non potest dari Eucharistia, vt experientia testatur. Nota, quòd Eucharistia non conferat primam gratiam, sicut Baptismus, non est propter eius imperfectionem, sed ob perfectionem: quia ratione excellentiæ suæ in subiecto prærequirit maiorem dispositionem, adeòque, & statum gratiæ.

* 43 *Resp.* 4. Necessitatem Sacramentorum S.D. art. 4. in corp. explicat, dicens: *Necessarium respectu finis (de quo nunc loquimur) dicitur aliquid dupliciter; uno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur necessarium id, sine quo non habetur finis ita conveniens, sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria Sacramenta necessaria: duo quidem personæ singulari; Baptismus quidem simpliciter, & absolute, Pœnitentia autem supposito peccato mortali post Baptismum. Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ, quia ubi non est Gubernator, populus corruet, vt dicitur Proverb. 11. Sed secundo sunt necessaria alia Sacramenta: Nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum, Extrema-Vnctio Pœnitentiam: Matrimonium verò Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat.* Hæc S. Thomas.

Oppono: Sicut de Baptismo dicitur: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* ita de Eucharistia Ioan. 6. *Nisi manducaveritis, &c.* non habebitis vitam in vobis. Ergo sunt

sunt paris necessitatis. *Ad hoc S. D. ibid. ad 2. sic*: Illud verbum *Nomini* intelligendum est de spirituali inunctione, & non de sola sacramentali, vt exponit S. August. super *Ioan. tract. 26. & 27. tom. 9.* De quo infrà plura *T. 12. E. 1. n. 6.*

* 44 *Resp. 4.* Sacramenta specie differunt penes effectus suos primarios, nimirum gratias sacramentales, quas per se causant. *Declaratur*: Baptismus causat gratiam *regenerantem*, Confirmatio *roborantem*, Eucharistia *nutrientem*, seu cibantem, Pœnitentia *sanantem*, Extrema-Vnctio reliquias peccatorum *abstergentem*; Ordo causat gratiam, quæ ministrem idonem facit ad peragenda Sacra Officia in Ecclesia. Matrimonium causat gratiam, qua Conjugum animi vniuntur per amorem, & qua iuvantur ad onera Matrimonij portanda, & ad Ecclesiam fidelium multiplicandam corporaliter, & spiritualiter.

* 45 *Resp. 6.* Variæ adhuc sunt differentiæ inter Novæ Legis Sacramenta. 1. *Aliqua* consistunt in vsu, seu in actione transeunte, vt sunt omnia præter Eucharistiam, quæ sola consistit in re permanente, postquam consecratio transiit, nimirum in speciebus consecratis. 2. *Aliqua* sunt iterabilia, nimirum tria, quæ Characterem imprimunt: alia iterantur, sed Matrimonium nonnisi defuncto vno coniuge. 3. *Aliqua sunt* Sacramenta mortuorum, alia vivorum, vt explicatum est in *E. 2. n. 16. Not. 3.* 4. *Alia* necessaria, alia non necessaria, vt declaratum est in *R. 5. Alia* formata, alia informia, vbi nomine formæ non intelligitur essentialis forma Sacramenti, sed effectus, nimirum gratia, quæ per antonomasiam vocatur *forma*, decor, & pulchritudo animæ, qua deficiente, illa coram Deo manet informis, vel deformis. Sacramentum ergo formatum est, quod non solum suscipitur validè, sed etiam licitè, & cum fructu, seu effectu. Informe est, quod est quidem validum, sed propter obicem peccati non causat gratiam. Hæc de alijs Sacramentis præter Pœnitentiam facilè capitur, quia in Sacramento Pœnitentiæ ipsi actus pœnitentis sunt dispositio ad gratiam, & partes essentiales eius. Cuius explicatio parebit infrà in proprio loco.

* 46 *Resp. 7.* In quovis Sacramento tria sunt consideranda. 1. *Id*, quod est *Sacramentum tantum*, nimirum, quod significat (scilicèt gratiam) & non significatur, v. g. ablutio cum verbis in Baptismo. 2. *Res tantum* nimirum id, quod significatur, & nõ significat, & est gratia. 3. *Res, & Sacramentum simul*, quod significat, & significatur, & est v. g. Character (in illis Sacramentis, quæ eum imprimunt) qui significatur per absolutionem, & significat gratiam.

Declaratur de quovis Sacramento. De Baptismo iam dictum est, & clarè docet *S. Thom. hic q. 66. ar. 1. in c.* Eodem modo dicendum est de alijs duobus Sacramentis Characterem imprimentibus, vt actio, in qua consistunt, sit Sacramentum tantum; Character res, & Sacramentum simul; Gratia res tantum. In Eucharistia species consecratæ sunt Sacramentum tantum, quia significant gratiam: Corpus, & Sanguis Christi res, & Sacramentum simul, quia significant gratiam, & significantur à speciebus. In Pœnitentia Sacramentum tantum sunt actus externi pœnitentis, quia significant gratiam: res, & Sacramentum simul est dolor internus, qui ab actu externo significatur, & significat gratiam. In Extrema-Vnctione Sacramentum tantum est Vnctio sub præscripta verborum forma: res, & Sacramentum simul est quædam animi hilaritas, seu interna devotio, quæ est spiritualis vnctio, vt patet ex *S. Thom. in suppl. q. 30. art. 3. ad 3* quæ significatur ab vnctione externa, & significat gratiam. Et licèt omne Sacramentum causet internam animi devotionem, non tamen sub ratione spiritualis vnctionis. In Matrimonio mutuus consensus extremus, & contractus, est Sacramentum tantum. Vinculum, quod per eum causatur; vt à Christo elevatum, est res, & Sacramentum simul. Et in omni Sacramento restitutum est gratia. *Ita S. Thom. in suppl. q. 42. art. 2. ad 5.*

EXAMEN V.

De Baptismo, eius Ministro, necessitate, subiecto, & effectu. De quo *S. Thom. qu. est. 66. vsque ad 69. inclusivè.*

* 1 QUÆRO I. Quid est Baptismus? quando institutus? *Resp. 1.* Baptismus physicè sumptus seu inquantùm est compositum ex materia, & forma, vt partibus physicis, sivè quasi physicis, definitur à S *Thom. hic q. 66. art. 1. in c. ex Mag. Sent.* quod sit ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma. Sumptus vero metaphysicè, seu vt constat ex genere, & differentia, definitur, quod sit Sacramentum regenerationis, seu Sacramentum Novæ Legis ad spiritualem hominum regenerationem à Christo institutum. *Ratio* patet ex Legibus bonæ definitionis.

Resp. 2. Christus Baptismum instituit ante suam Passionem, nimirum quando in Iordane baptizatus est. *Ita S. Thom. q. 66. art. 2. Ratio.* S. D. est: Tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum, scilicèt gratiam: sed hanc virtutem Baptismus accepit, quando Christus fuit baptizatus, teste S. August. dicente: *Ex quo Christus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Et hoc factum est ante passionem. Ergo.

Resp. 3. Christus hanc institutionem non fecit aliquem in exercitio baptizando, sed in actu signato, eius materiam designando, & ad gratiæ productionem consecrando, formam Baptismi Discipulis tradendo, non quidem eam publicè exprimendo, sed vel privatim dicendo, vel tradendo in figura SS. Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus S. qui erant præsentes in signo visibili, nimirum *Pater in voce*, qua dicebatur: Hic est Filius meus dilectus. *Filius in carne.* Spiritus S. in specie *Columbæ.*

Oppono: Communiter dicitur, quòd omnia Novæ Legis Sacramenta fluxerint ex Latere Christi pendentis in Cruce, & habeant efficaciam ex Passione Christi. Ergo. *Ad hoc dist. antec.* Vel quoad substantiam, vel quoad vltimam suam perfectionem, virtutem, & efficaciam, *conc.* Omnia quoad substantiam, *neg.* Hic verò sermo est de Baptismo, quoad substantiam. *Vnde S. Thom. q. 66. art. 2. ad 1. ait*: Baptismus etiam ante Passionem habebat efficaciam à Christi Passione, inquantum eam præfigurabat, aliter tamen, quàm Sacramenta Veteris Legis. Nam illa erant figuræ tantum, Baptismus autem

autem ab ipso Christo virtutem habebat iustificandi, per cuius virtutem ipsa etiam Passio salutifera fuit. *Hæc ibi.* Baptismus ergo tunc significabat Passionem Christi in fieri, & exhibendam, sic tamen, vt actualia Christi merita iam operarentur in illo. *Et ad* 3. *ibidem ait*; Quod illa Christi verba ante Passionem ad Nicodemum dicta, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. &c. magis videantur ad futurum respicere, quàm ad præsens tempus. Quia solùm fuit privatum cum Nicodemo colloquium, præceptum autem generale debet poni publicè. Vel potest dici, quòd fuerit Lex *prolata*, sed nondum *promulgata*.

* 2 *Resp.* 4. Præceptum de Baptismo, seu obligatio, & necessitas vtendi baptismo, fuit, hominibus indicta non ante, sed post Passionem, & Resurrectionem. *Ita S. Thom. art.* 2. *cit. in c. Ratio*: Præceptum Baptismi non incepit prius, quam præceptum Mosaicum, & Circumcisionis cessavit: Sed hoc non cessavit ante Passionem, & Resurrectionem Christi. Ergò. *Min prob.* Christus Matth. 5. dixit: *Non veni solvere Legem, sed adimplere*: Sed Lex non fuit adæquatè impleta, nisi quando Christus in Cruce expiraturus dixit: *Consummatum est.* Tunc enim incepit Sacerdotium Christi, vtpotè seipsum in ara Crucis Patri offerentis, consequenter, & Sacerdotium vetus cum Lege transferentis. Ergo.

Nota quod ly *Consummatum est*, comprehendat *Passionem simul*, & *Resurrectionem*; quia ambæ integrant vnum totalem Redemptionis nostræ motum qui duos habet terminos, scilicèt *à quo*, qui est mors Christi, qua destructum fuit peccatum, & *ad quem*, qui est Resurrectio, vitam spiritualem animæ consummans, hinc Christus ly *Consummatum est* retulit quidem ad mortem, non tamen præscindendo à Resurrectione. Et hoc volunt *SS. PP.* dicentes, baptismum fuisse institutum post Resurrectionem, loquentes de institutione completa, quoad obligationem. Nam aliud est instituere quoad substantiam, aliud quoad obligationem. Hoc secundùm est actus Legislatoris, non primum quatenus tale.

* 3 *Oppono* 1. Si Baptismus ante Christi Passionem non fuit de præcepto: Ergo Circumcisio mansit in præcepto, & Baptismus solum de consilio. 2. *Baptismus* est principium totius fidei Christi: sed ante Passionem tenebantur Judæi in Christum credere, ergo, & baptizari. 3. *Adveniente* veritate cessat figura: sed Cristus est veritas. Ergo figura, seu Lex Vetus statim cessavit Christo nato. 4. *Quid* si in die mortis Christi, vel Sabbatho sequenti aliquis infans compleviſſet diem octovum, fuissentne circumcidendus? 5. *Christus* Eucharistiam completè, & cum obligatione instituit ante Passionem, ergo, & Baptismum: quia per hunc homo ad illam ordinatur

Ad 1. dico cum Cabrera, quòd Circumcisio in Veteri Lege duplicem habuerit finem. Primus est remissio peccati originalis; secundus professio Legis Mosaicæ. Ad primum Circumcisio non fuit de præcepto, benè tamen ad secundum. Vndè ad primum, tàm Circumcisio, quàm Baptismus erant solùm de consilio, & per vtrumlibet horum mediorum poterat deleri originale. *Ad* 2. *dist. maj.* Fidei Christi iam susceptæ, seu protestatæ, sive obligantis *concedo*, secùs, *neg.* Tenebantur ergo Judæi, & alij credere, Christum esse verum Messiam, sed fidem Christi suscipere, & profiteri nondum tenebantur, omnia Christus id nondum præceperat. Immò Gentiles tunc fuissent salvati profitendo Legem Naturæ, vel Legem Scriptam, seu Circumcisionem. *Ad* 3. *maj.* est vera, si veritas sit in suo termino, & complemento, vti erat in Passione, & Resurrectione. *Ad* 4. dicitur cum Nugno, quòd Pater, etsi potuisset, obligatus tamen non fuisset illum infantem circumcidere, sed potuisset baptizare statim, aut expectare vsque post Resurrectionem. *Ad* 5. ait *S. D. infrà q.* 73. *art.* 5. *ad* 4. Institutio respondet ordini intentionis, Sacramentum autem Eucharistiæ, quamvis sit posterius Baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione, & ideò debuit priùs institui. *Subdit S. D.* Vel potest dici, quòd Baptismus iam erat aliqualiter institutus in ipso Christi Baptismo. Vndè & iam aliqui ipso Christi Baptismo erant baptizati, vt legitur *Joan.* 1.

* 4 *Resp.* 5. Lex Vetus fuit mortua, eiusque obligatio cessavit, & Lex Evangelica, ac præceptum Baptismi incepit, non in die Pentecostes, sed statim post Resurrectionem, quando Christus *Matth. vlt.* Discipulis apparens, Legem Baptismi publicè promulgavit dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Ratio* patet ex ipsis Christi verbis, vtpotè præceptum continentibus. Dein per illud Christi *Consummatum est*, omnes antiquæ Legis figuræ sunt impleræ.

* 5 *Oppono* 1. Apostoli Legem Christi non proposuerunt populo vsque ad Pentecostem. Ergo nec Lex Baptismi ante fuit promulgata 2. *Ipsi* Apostoli post Resurrectionem servarunt Circumcisionem, & quosdam alios ritus Veteris Legis: quia de causa Paulus reprehendit Petrum, circa Legalia nimis solicitum, qui tamen ipse (nimirum Paulus) circuncidit Timotheum. *Act.* 16. Ergo.

Ad 1. patet R. suprà *T.* 6. *E.* 5. *num.* 87. *in Not. Ad* 2. *neg. conseq.* Nam licèt post Resurrectionem Christi Lex Vetus fuerit mortua, non tamen erat statim mortifera, seu per sui vsum inducens peccatum mortale: nec omninò inutilis, sed hominibus bona fide, & ex ignorantia eam observantibus (ne essent destituti omni salutis remedio) proderat ad salutem, Deo (qui neminem vult perire) sic acceptante. Vndè Legalia non inceperunt esse mortifera, nisi quadragesimo circiter post Christi mortem anno, & templo Jerosolymitano cum Republica Judaica à Romanis Imperatoribus everso. Vel paulò aliter dici potest, quòd ante Lex Vetus fuerit mortua apud scientes Legem Christi, non apud invincibiliter ignorantes.

S. Augustin. & Angel. Doctor optimam observantiæ Legalium pro tunc dant congruentiam. Quia sicut homines mortui aliquantulum servantur, vt honorificentiùs sepeliantur, ita Legalia ab antiquis piè observata, Apostoli (omnibus omnia facti, vt omnes salvos facerent) aliquando retinuerunt, *tum* vt mortua mater Synagoga sepeliretur cum honore, *tum* etiam, ne Judæi, qui paternas Traditiones cum quadam æmulatione colebant, exasperarentur: *tum* tandem, ne Lex Scripta, tam subitò reiecta, putaretur fuisse ex se abominabilis, sicut est Idolorum cultus. S. Paulus autem S. Petrum reprehendit, ideoque quia in Legalibus præseferebat Zelum quodammodo excessivum.

* 6 QUÆRO II. Quæ materia? quæ forma? quis Minister Baptismi? *Resp.* 1, Materia proxima, seu quæ immediatè à forma, seu verbis informatur, est ablutio. Ita sentiunt omnes Christiani, potest tamen

tamen validè conferri Baptismus, vel per immersionem, vel per aspersionem, vel per effusionem, vel per ablutionem: ablutio autem nunc est in consuetudine Ecclesiæ, quæ servanda est, vbi fieri potest: trina ablutio, vel immersio non est de necessitate.

* 7 *Resp.* 2. Si quis intendat alteram occidere submergendo eum in aqua, & simul baptizare, eaque intentione eum proijciat in flumen, vel puteum verè baptizat. *Ratio*: Quia adest debita materia, forma, & intentio ministri, quæ non mouliantur per intentionem occidendi. Nec de necessitate Baptismi per immersionem collati est emersio. Si verò puer è manibus tuis casu decideret in fontem, & proferres formam, non esset baptizatus defectu intentionis.

* 8 *Resp.* 3. Materia remota Baptismi est sola aqua elementaris, vnde Baptismus potest fieri validè in qualibet tali aqua, qualitercumque transmutata, modò non solvatur species aquæ, secus si species aquæ solvatur. Ita docet *S. Thom. a.* 3. & 4. *Ratio*: Quia Christus sic instituit. Nota tamen, quod extra *necessitatem* sub peccato mortali adhibenda est aqua de fonte sacro, & benedicto. *Resp.* 4. Forma Baptismi est hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. In quocumque idiomate proferatur. Servanda tamen est consuetudo Ecclesiæ pro possibili.

Nota hic, inter Propositiones ab Alexandro VIII. damnatas num. 27. etiam esse istam: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. prætermissis illis, Ego te baptizo.*

Notandum, quod de essentia huius formæ sit, vt exprimatur actus baptizandi, persona baptizanda per ly *Te*, *Vos*, vel Dominationem vestram, & directè tres personæ diuinæ, vt patet ex verbis Christi *Matth. vlt.* Non tamen est de necessitate, vt exprimatur persona Ministri. Nam Græci validè baptizant sub hac forma: Baptizetur servus Christi in nomine, &c.

Hic reuidendum est ex præcedentibus, qualis requiratur intentio in ministro, quæ in eodem dispositio animæ. Quæ mutatio earum annullet Sacramentum. De Baptismi iterabilitate. Quæ requiratur simultas materiæ, & formæ. De qua sciendum, quod rutior modus baptizandi sit, vt baptizans prius incipiat abluere, & sic formam proferendo prosequatur ablutionem, à qua non desistat, nisi forma finita. Breviter, dico, Ablutio debet esse ante, & post formam.

* 9 *Resp.* 5. Baptizare est proprium officium Presbyterorum, & quidem eorum, qui sunt proprij Parochi, & habent potestatem iurisdictionis in baptizandum, eorumque Vicarij. Ita statuitur in Iure, & docetur à *S. T. q.* 67. *a.* 2. Diaconus (vt ex formula Ordinationis eius patet) ex proprio suo officio, & vi consecrationis suæ habet potestatem baptizandi ex comissione Episcopi, vel Presbyteri.

* 10 *Resp.* 6. Hæc doctrina intelligitur de ministro solemnitatis, & baptismo solemni. Nam minister necessitatis est quilibet homo, non solum Clericus, sed, & Laicus, immo Paganus; & mulier, vt patet ex *S. Thom. a.* 3. 4. & 5. modò adhibeant debitam materiam, formam, & intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, vel quod Christus in Sacramentis instituit. *Ratio*: Cùm hoc Sacramentum sit maximæ necessitatis, conueniens erat, vt haberet Ministrum valdè communem, & obviam maximè in articulo necessitatis:

* 11 *Resp.* 7. Occurente necessitate inter Ministros seruandus est ordo. *Declaratio* hoc *S. D. a.* 4. *in c. dicens.* Quia caput mulieris est vir, & caput viri est Christus 1. *Cor.* 11. non debet mulier baptizare, si adsit copia viri, sicut nec Laicus præsente Clerico, nec Clericus præsente Sacerdote, qui tamen potest baptizare præsente Episcopo, eò quod hoc pertineat ad Officium Sacerdotis. Ergo. *Nota*, Posse interdum esse expediens, vt mulier de modo baptizandi instructa *v. g.* obstetrix baptizet præsente viro sæculari ignaro, immò interdum etiam præsente Parocho propter decentiam, vt si fœtus non possit integer ex vtero matris educi. Cum proinde frequenter contingat, pueros in necessitate existentes ab obstetricibus baptizari, probabilius, & tutius est, eas sub mortali teneri discere, & bene callere formam, & materiam baptizandi cum debita intentione. Cui rei ipsi etiam Parochi, eorumque Cooperatores inuigilare tenentur.

* 12 *Resp.* 8. An, & quomodo plures possint simul vnum baptizare, explicat *S. Thom. a.* 6. *in c. dicens*: Casu, quo contentiosè vterque aliquem baptizare conaretur, manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret Baptismi Sacramentum, alius vero nihil faceret; & si verba pronunciare præsumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferret, & hominem immergerent, vt aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione Baptismi; Quia vterque intenderet non baptizatum baptizare, & vterque, quantum est de se, baptizaret: Nec traderent aliud, & aliud Sacramentum, sed Christus, qui est vnus interius baptizans, vnum Sacramentum per vtrumque conferret. *Hæc ibi.* Agerent enim tanquam materialiter plura instrumenta in virtute vnius causæ principalis, scilicèt Dei.

* 13 *Quid sentis* de Christo, an ipse per se aliquos baptizaverit? *Ad hoc* dico cum *S. Thom. infr. q.* 84. *a.* 7. *ad* 4. *vbi sic*: Christus non est vsus Baptismo, quem ipse instituit: sed est baptizatus baptismo Joannis. Sed nec etiam activè vsus est suo ministerio, quia ipse non baptizabat communiter, sed discipuli eius, vt dicitur *Ioan.* 4. Quamvis credendum sit, quod Discipulos suos baptizaverit, vt *S. Auguſt.* dicit ad Celeuciauum. *Hæc ibi* Vti, & suam carissimam Matrem.

* 14 Quid facies Sacerdos simul vocatus ad baptizandum infantem, & absolvendum adultum, quorum alteruter (qui alteri præponitur) certò morietur sine Sacramento? *Dico* Curet, vt infans baptizetur per sæcularem, ipse verò succurrat moribundo adulto.

Sed si nemo est, qui videatur posse rectè baptizare? *Dico*, quod Sacerdos in eo casu debeat infantem præferre. *Ratio*: Quia iuxta *S. Thom. infrà q.* 83. *art.* 6. occurrente difficultate semper arripiendum est illud, quod habet minùs de periculo: Sed adultus (cum per contritionem, & Sacramenti votum salvari possit) est in minori periculo, quàm parvulus, quia hic certò peribit, nisi baptizetur. *Ergò.*

* 15 QUÆRO III. Quanta est necessitas Baptismi? *Resp.* 1. Omnes homines sub periculo dispendij æternæ salutis tenentur suscipere Baptismum, licet sint in vtero sanctificati. *Patet ex* 2. Christi.

Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ*, &c. 2. *Pars* docetur, & probatur à *S. Thom. hic q.68. art. 1. ad 3. dicente*: Illi, qui ſunt ſanctificati in vtero, conſequuntur quidem gratiam emundantem à peccato originali, non tamen ex hoc ipſo conſequuntur characterem, quo Chriſto configurantur. Et propter hoc neceſſe eſt eos baptizari, vt per ſuſceptionem characteris alijs membris Chriſti conformentur.

* 16 *Oppono*: Parentes baptizati non habent peccatum originale, cùm ſint ab eo mundati. Ergo ſaltem filij parentum baptizatorum non ſunt neceſſariò baptizandi; quia illud à parentibus, eo carentibus, contrahere non potuerunt. *Hoc S. D. ſolvit hic q.68. art 1. ad 2.* remittens ſe ad *1.2.q.81. art.3. ad 2. vbi ait*: Peccatum originale per Baptiſmum auferetur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantùm ad mentem, remanet tamen peccatum originale actu quantùm ad fomitem, qui eſt inordinatio partium inferiorum animæ, & ipſius corporis, ſecundùm quod homo generat, & non ſecundum mentem. Et ideò baptizati traducunt peccatum originale. Non enim Parentes generant inquantum ſunt renovati per Baptiſmum, ſed inquantum retinent adhuc aliquid de vetuſtate primi peccati. *Hæc ibi.*

Reſp. 2. Defacto, & ſecundùm ordinariam Dei Legem extra caſum Martyrij, Baptiſmus in re ſuſceptus eſt parvulis ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius, ita vt non ſufficiat votum Baptiſmi à Parentibus, vel alijs conceptum, cum aliqua benedictione prolis, aut oblatione eius ad Deum cùm invocatione SS. Trinitatis velut cum ſigno proteſtativo Fidei in Chriſtum. Ita patet ex generali voluntate Chriſti. Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ſuper quę verba S. Ambroſ. ait: Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſsitate. Idem clarè docet S. Auguſt. *l.3. de origine animæ, cap.* 3. qui etiam in *Epiſt.* 105. & 57. Baptiſmum in voto parentum excludit dicens, referendum eſſe ad occulta Dei iudicia quòd parvulorum alius ad baptiſmum perveniat; & ſalvetur; alius verò non perveniat, & damnetur: Quamvis Parentes Baptiſmum exoptent, & hunc, quantum eſt ex ſe, procurent. *Ratio*: Dictum ſignum externum proteſtativum Fidei fuit remedium Legis Naturæ, & Scriptæ. Ergo Lex Gratiæ illud abrogavit.

* 17. *Oppono* 1. Pueri defacto dicuntur baptizari in fide parentum. Ergo. 2. *Communiter* dicitur, quòd propter ius paternum voluntas, parentum ſit voluntas filiorũ. 3. *Aliàs* non ſalvatur illud Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, quia non daret omnibus media ſufficientia ad ſalutem.

Ad 1. *R.* ſenſum eſſe, non quòd pueri verè credant, ſed quia per aliorum fidem ad Baptiſmum offeruntur, & per Baptiſmum eis cum gratia infunditur habitus Fidei. *Ad* 2. *R.* intelligi in foro fori de ijs quæ pater facit pro filio nondum emancipato, non verò de ijs, quæ concernunt ſalutem animæ. *Ad* 3. *R.* cum Thomiſtis *ex Tract.* de Prædeſtinatione, ly *dare* dupliciter poſſe ſumi. 1. *Prout* eſt correlativum ad recipere, deſignatque intrinſecam divinorum auxiliorum receptionem, & applicationem. 2. *Prout* idem eſt, ac præparare, & in communi offerre, ſeu paratum eſſe, quantum eſt ex parte ſua, eadem conferre. Primo modo Deus non dat omnibus reprobis media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia, ſed in pœnam peccati mortalis, vel actualis, vel originalis, ea multis denegantur, vt probatur in tract. de Prædeſtinatione, vt docet *S. Aug. Epiſt.* 107. ad Vitalem contra *Pelag. dicens*: Scimus, gratiam Dei non omnibus hominibus dari, ſcimus, eis, quibus datur, miſericordia Dei gratuita dari; ſcimus, eis, quibus non datur, iuſto Dei Iudicio non dari. Hæc ille. Si verò ly *dare* 2. modo ſumatur, Deus omnibus reprobis, tàm parvulis, quàm adultis dat media, & auxilia ad ſalutem ſufficientia, aliàs enim Deus non haberet ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines. Vide *T.7. de Fide, E.2.q.2.* Multa contra hæc obijci poſſent, quæ tamen habent propriam ſedem in tract. de Prædeſt. & tractatur à Gonet, *diſp.5. art.5. & 6.* Videatur ſpecialiter *art. 6. §. 2. obiect.* 2. Pluru argumenta, quæ poſſunt opponi, ſolùm probant de abſoluta Dei potentia, ſeu Deum potuiſſe ita inſtituere.

* 18 *Quid* vt Miniſter ageres, ſi infans periclitaretur in pelle ſecundina? qua non poteſt exui. *Dico*: Baptizare, & baptizaretur validè. *Ratio eſt*: Quia illa pellis pro tunc pertinet ad infantem, vt pars eius.

Quid ſi ſine periculo non poſsit expectari perfecta nativitas pueri? *Dico*: Debet baptizari in quacumque, etiam minima parte corporis, quæ prominet, vt ſunt manus, pes, digitus, &c. modò ſit moraliter ſenſibilis. *Ratio*: Quia per eius ablutionem homo dicitur ablutus, tinctus, aſperſus, ſicut ex minimo vulnere homo dicitur veneratus, ex minima macula maculatur, quæ ſunt denominationes extrinſecæ. *Nec obſtat*, quòd ex minimo calore, vel albedine ſubiectum non dicatur calidum, vel album. Quia hæc ſunt formæ accidentales inhærentes. Porrò extra caſum neceſsitatis ſemper abluenda eſt corporis pars magis principalis, nimirũ, caput in quo vigẽt omnes ſenſus, & à cuius ablutione indubitatè dicitur homo ablutus. Ita colligitur *ex S. Thom. q.68. art. 11. ad 4.*

* 19 *Quid ſi* puer adhuc ſit in vtero, & periclitetur, obſtetrix verò poſsit manu ad intus eum attingere, & abluere? *Dico* cum *S. Thom. q.68. art. 11. ad 1.* Non poſſe baptizari, probabilius eſt. Quia vt quis baptizetur, requiritur, vt ſit natus, debet enim per Baptiſmum renaſci: Sed talis puer non eſt natus. *Ergo* Non tamen condemnarem illam obſtetricem, ſi ſub conditione illum puerum in ea neceſsitate baptizaret. Oppoſitum noſtræ reſolutionis tenent aliqui DD. qui nativitatem ſufficere dicunt illam, qua quis de non homine fit homo; ſed malè.

* 20 *Quid ſi* mater non poſsit prolem edere? *Dico* Non debet ſcindi, vt puer extrahatur, & baptizetur. Si prægnans moriatur, & puer vivat, non debet ſepeliri, donec extrahatur puer per ſciſionem matris. Si mater ſit damnata ad mortem, executio ſententiæ eſt differenda vſque ad partum.

* 21 *Quid* faciet Miniſter, ſi ei pro Baptiſmo offeratur monſtrum? *Dico*: Si iudicet eſſe duas animas rationales, eo quod habeat duo capita, & pectora, debet ſpeciatim baptizare vnum poſt alium. Si id non poſsit diſcerni (ait noſter Lublino) prius baptizetur vnus determinatè, poſtea alius ſub conditione, nimirum: Si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine, &c.

* 22 QUERO IV. Quis eſt effectus Baptiſmi? *Reſp.* Conſtat ex ſæpè dictis, quod effectus eius pri-

primarius sit gratia prima sanctificans, regenerativa, seu delens peccatum Originale, cui effectui per se adiungitur remissio omnis pœnæ peccatis debitę, quæ remissio etiam datur, nisi ex parte subiecti sit obex, v. g. affectus peccati, etiam solum venialis, v. g. in adulto. Effectus verò secundarius est Character, & facere hominem Christianum. Vide suprà hic *E.* 2. & 3. Vide etiam *T.* 5 *E.* 5.

* 23 *Quid est* esse Christianum? & quod signum Christiani? *Dico* 1. Est esse hominem baptizatum, & profiteri fidem Christi. De hoc *S. Thom.* 2. 2. *q.* 124 *a.* 5. *ad* 1. *sic ait*: Christianus dicitur, qui est Christi; dicitur autem aliquis esse Christi, non solum ex eo, quod habet fidem Christi, sed etiam ex eo, quod spiritu Christi ad opera virtuosa procedit, secundum illud ad *Rom.* 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. *Nota tamen*, non esse idem, esse Christianum, & esse Catholicum. Quia Catholicus est, qui Sacramento Baptismi initiatus, in Ecclesia Dei profitetur veram doctrinam Christi; si vero sit baptizatus, & teneat Sectam, vel opiniones ab Ecclesia vniversali, seu Catholica, nimirum Romana alienas, est quidem Christianus, non tamen est Catholicus: Hinc hæretici sunt quidem Christiani, sed non sunt Catholici. Omnis ergo Catholicus est Christianus, non verò è contra. *Dico* 2. Signum Christiani est signum factæ Crucis. Ita tenet totus Christianismus.

* 24 *Quare* ad formandam Crucem adhibetur dextra? cur interdum tres, interdum 5. digiti? *Dico* 1: Dextra adhibetur ideò, quia dignum est, vt ad Dei servitium adhibeantur digniora membra: Sed dextra est dignior, quam sinistra. Ergo *Dico* 2. Tres digiti significant confessionem Trinitatis personarum in vnitate naturæ, quinque digiti cultum Vulnerum Christi.

Cur in Cruce maiori tangendo frontem nominamus Patrem, & Filium; tangendo pectus: Spiritum Sanctum, tangendo vtrumque humerum? *Dico*, ideo, vt significetur, Patrem dici rerum omnium principium, sicut à capite procedit vita in alia corporis membra, & Filium ab æterno procedere ex corde, seu intellectu Patris, ac in tempore in vtero Virginis esse conceptum: tandem Spiritum Sanctum veluti amorem divinum ab vtroque procedere velut ab vno principio.

Similiter formando pollice crucem parvam, signamus primò frontem, tanquam verecundiæ sedem, ne verecundemur pro Christo ignominiam pati: Deindè os, & cor, vt vtrumque cruce velut signaculo muniatur, nec ex eo, qui procedat contra Deum, aut proximum: Porro tangendo frontem, nominamus *Patrem* ob rationem ante datam. Tangendo os nominamus Filium, ad significandū, quod is ex ore Patris procedat. Tangendo, seu crucem formando super pectus, seu cor, nominamus Spiritum Sanctum, quia cor est sedes amoris, & Spiritus S. est amor divinus. *Quare* in cruce dicitur in nomine, nō in nominibus, cum sint tres personę? *Dico* Vt significetur trium Personarum vnitas in eadem natura.

* 25 QUÆRO V. Liceatne infidelium pueros baptizare invitis parentibus? Et quid sentis de Baptismo furiosorum, & amentium, aut dormientium? *Resp.* 1: *ad* 1. *partem* negativè, etiam de publica auctoritate, si sermo sit de infantibus infidelium parentum, qui Principi Christiano subiecti sunt solum civiliter, & politicè, & non sunt vera eorum mancipia. *Declarat hoc* S. D. hic q. 68. art. 10. in c. dicens: *Pueri infidelium filij aut habent vsum rationis, aut non habent. Si habent iam quantum ad ea, quæ sunt iuris divini, vel naturalis, incipiunt sua potestatis esse. Et ideò propria voluntate invitis parentibus possunt Baptismum suscipere, sicut & Matrimonium contrahere. Et ideò tales licitè moneri possunt, & induci ad suscipiendum Baptismum. Si verò nondum habent vsum liberi arbitrij, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiù ipsi sibi providere non possunt, vndè etiam de pueris antiquorum dicitur, quòd salvabantur in fide parentum. Et ideò contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens vsum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideò non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filij infidelium invitis parentibus baptizentur.* Hæc ibi S. D. ad 3. ait: *Homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Vndè puer, antequam vsum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum quorum curæ naturaliter subiacet, & secundùm eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.* Hæc S. Thomas.

Dixi, *qui sunt Principi Christiano solùm civiliter subiecti*: Si enim parentes ei subijciantur propriè serviliter, despoticè, & vt mancipia, nimirum iure belli, vel emptionis, &c. tunc Baptismus illorum infantum non solùm est validus (quod & prima pars supponit) sed & licitus. Quia tunc parentibus nulla fit iniuria; sicut enim Domini eorum filios licitè possunt vendere alijs, vel donare, ita & Ecclesiæ iurisdictionis subijcere. Ex quo fit, quòd etsi ius dominij in servum, & mancipium directè, & per se non importet facultatem disponendi circa supernaturalia, benè tamen indirectè.

* 26 *Resp.* 2. De furiosis, & amentibus pulchrè rem totam explicat *S. D. q.* 68. *art.* 12. *in c. dicens*: Circa amentes, & furiosos est distinguendum; quidam enim sunt à nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla; in quibus etiam nullus vsus rationis apparet; Et de talibus, quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium, & de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ, vt suprà dictum est: alij verò sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundùm voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideò si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia, & amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant: alioquin si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. *Quidam verò sunt*, qui etsi à nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione vti possunt. Vndè si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti. Et debet eis tunc Sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin melius est, vt tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis. ad hoc, quòd devotius suscipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam verò sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis existant, intantum tamen ratione vtuntur, quòd possint de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem.

Et

Et de talibus idem est iudicium, sicut de his, qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti. Hæc S. Thom. *in R. ad 2. S. D.* dat differentiam respectu Baptismi inter bruta, & furiosos, ac amentes dicens: Quòd hi careant vsu rationis per accidens, scilicèt propter aliquod impedimentum organi corporalis, non autem propter defectum animæ rationalis, sicut bruta. Vndè non est de his similis ratio.

* 27 *Resp.* 3. De dormientibus *S. Thom. ibidem, in R. ad 3. sic inquit*: Dormientes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat, in quo casu baptizari debent, si priùs in eis voluntas apparuit suscipiendi Baptismum, sicut & de amentibus dictum est. Sicut August. narrat *in 4. lib. Confess.* de amico suo, qui baptizatus est nesciens, propter periculum mortis.

Quæri hic posset, quæ intentio requiratur in suscipiente, sed de hoc constat ex dictis suprà in hoc *T. E. 4. n. 19.* Vti & quæ dispositio, an attritio, vel contritio requiratur in adulto baptizari volente, patet ex dictis ibid. E. 2. n. 21. & seqq. Quibus adde, certum esse, quòd talis non teneatur confiteri peccata actualia ante Baptismum commissa, nec possit ab ijs absolvi ante Baptismum: Tum quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum, adeòque & Pœnitentiæ: Tum etiam, quia sunt commissa ab homine iurisdictioni Ecclesiæ nondum subiecto. Verumtamen adulti ante Baptismum diligenter sunt catechizandi.

* 28 Quæro 6. Quid sentis de loco, & tèpore Baptismi, de nomine imponèdo, & de Patrinis. *Resp* 1. De loco Baptismi Clementina de Baptismo *sic statuit*: Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, vel alijs privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesijs, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter deputati, aliquos, nisi Regum, vel Principum, quibus valeat hoc in casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi, audeat baptizare. Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, raliter per suum Episcopum castigetur, quòd alij similia attentare non præsumant. *Hæc ibi.*

Ex quibus patet, quòd Baptismus per se loquendo debeat administrari in Ecclesia, in qua est Baptisterium, & absque necessitate, & privilegio extra eam baptizare sit peccatum mortale. In quibusdam locis idem privilegium prætendunt alij passim Nobiles, ac Domicelli, qui mos merirò ab Episcopis est reformandus, cùm enim Clementina, nec ipsis Episcopis permittat, vt extra Ecclesiam baptizent, nec ipsi facultatem habent id pro libitu concedendi. Excusat tamen ad privatum Baptismum necessitas (vt patet ex Clementina) quæ non necessariò debet esse extrema, sed sufficit probabile periculum, dubium, vel prudens timor, ne infans moriatur ante Baptismum, nisi privatim baptizetur; vel ne graviter infirmetur. Quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto damno.

Necessitati æquiparatur casus, quo infans non posset ad Eccleam portari sine periculo infamiæ, vel vitæ parentum, v. g. si nobilis puella defloratæ peperisset occultè.

Dixi, *prudens timor*, ideſt, non levis, immò in quibusdam Diœcesibus in hyeme, dum est frigus valdè intensum, Parochi sine scrupulo domi baptizant.

* 29 *Resp.* 2. Si puer domi baptizetur, baptizandus simul est cum consuetis cæremonijs, quas separare, vel in aliud tempus differre est grave peccatum. *Ratio*: Quia dispensatio solùm datur quoad locum, non quoad separationem rituum à Baptismo, nisi fortè in casu quodam raro fuerit petita, & data propter aduentantes illustres Patrinos, in quo tamen casu melius esset, etiam ipsum Baptismum ad aliquot dies differre, si nimirum infans non periclitetur. *Nota*, quòd, si ob casum necessitatis cæremoniæ in privato Baptismo fuerint omissæ, sint posteà in Ecclesia, etiam cum exorcismis supplendæ, maximè quia compertum est pueros sine ijs baptizatos, magis infestari à dæmonibus.

* 30 *Resp.* 3. In primitiva Ecclesia Baptismus solùm conferebatur in festis Paschæ, & Pentecostes. Nunc autem generalis consuetudo obtinet, vt puerorum Baptisma non differatur, & hoc propter periculum, quia non potest eis alio remedio subveniri. Adulti verò priùs instruendi sunt, & probandi vtrùm eorum spiritus sit à Deo, & ne fictè accedendo Ecclesiam decipiant, præsertim cum salvari possint per Baptismi desiderium, seu per Baptismum flaminis, si antè decedant. *Hoc fusè explicat S. D. hic q. 68. art. 3. in corp.*

* 31 *Resp.* 4. Inconveniens est, vt baptizando imponatur nomen ab aliquo Gentili desumptum. Hinc Parocho, Parentibus, & Patrinis incumbit curare, vt ei imponatur nomen alicuius Sancti, vel Veteris Testamenti, *v. g. Abrahæ, Eliæ, Danielis, &c.* vel Novi. Non tamen est peccatum imponere nomen hominis, quem Ecclesia non dum canonizavit.

* 32 *Resp.* 5. In Baptismo debet adhiberi aliqua, vel aliquis, qui baptizandum leuet de sacro Fonte, exindè dictus *Patrinus*, vel *Matrina*. *Ratio est*, quam dat *S. D. hic, q. 67. art. 7. in corp. & ad 2.* Spiritualis regeneratio, quæ fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. Vndè 1. Petri 2. dicitur: *Sicut modò geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite*: Sed in generatione carnali, licèt ex necessitate non requiratur, nisi pater, & mater, attamen ad facilem partum, & conuenientem pueri educationem, requiritur obstetrix, nutrix, & Pædagogus. Ergo etiá in generatione spirituali requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & Pædagogi, instruendo baptizatum, quasi novitium in his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam: Sed talis est Patrinus, vel Matrina: Ergo talis debet adhiberi. Et quidem non solum in Baptismo infantis, sed etiam adulti, non enim adhiberetur propter imbecillitatem corporalem, sed spiritualem, vt ait *S. Thom. ibid. ad 3.* Nota, quòd hæc obligatio instruendi cessat in illis locis, vbi pueri sufficienter instruuntur à Parentibus, Parochis, alijsque Magistris spiritualibus, Prædicatoribus, &c. sed si hi deficiant, currit obligatio Patrini.

* 33 *Resp.* 6. Si in periculo mortis pueri, Baptismus administretur sine Patrino nullum est peccatum. Porrò Trid. Sess. 24. cap. 2. circa Patrinos statuit, vt *vnus tantùm, sive vir, sive mulier, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de Baptismo suscipiant*, mandat deindè Parocho, vt *eorum nomina in libro describat, doceatque eos, quam contraxerint cognationem*. De qua infrà in tract. de Matrimon. de Cognatione. *Ne ignorantia excusari valeant*. Subdit: *Si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognatio-*

rem spiritualem nullo modo contrahant. Ex quibus patet, quòd non possint esse duo Patrini vnius sexus. Et si plures, quàm vnus, & vna, adhibeantur (vti in quibusdam locis pauperes faciunt, vt stipem lucrentur) reliqui solùm debent assistere, sed infantem, non levare, nec eorum nomina libro inscribi.

* 34 *Resp.* 7. Excluditur à munere Patrini. 1. *Qui* non est baptizatus. 2. *Criminosus*, ac publicè infamis. 3. *Monachi*, & Abbates. Circa Abbates tamen in quibusdam locis contrarium practicatur. 4. *Tutius*, & probabilius est, quod Catholicis non liceat, vllatenus adhibere Patrinos hæreticos, tum ratione scandali, tùm etiam, quia esset quasi protestatio falsæ Religionis: quia indubiè nonnisi de sua secta spondent sunt. Si se offerat casus aliquis extraordinarius, in quo id videatur conveniens, vel consultum insistendo Sententiæ Laymanni, viderint illi, & iudicent (quorum interest causæ rationabilitatem. In locis mixtæ Religionis, *v.g.* in Germania, facilius excusatur Catholicus si agat Patrinum prolis parentum Acatholicorum baptizanda Prædicentio, protestans quòd infantem suscipiat iuxta morem Ecclesiæ Romanæ Quia in hoc casu minus malum timetur, immò sperari potest maius bonum circa prolem, casu quo illa Parentibus destituerentur. In his omnibus pro circunstantijs loci, temporis, & Personarum requiritur prudens iudicium, & impossibile est, vnam certam pro omni casu statuere Regulam.

** 35 QUÆRO VII. Debetne rebaptizari proles in necessitate baptizata ab obstetrice? 2. *Vel* extra necessitatem ab hæretico ministro? 3 *Vel* exposita ad portam Ecclesiæ, aut Hospitalis? 4. *Vel* etiam adultus Hæreticus ad Fidem Catholicã conversus in nomine solius Christi baptizatus? *Resp. Ad* 1. Si per testes constet, obstetricem omnia externa rite adhibuisse, proles non est rebaptizanda; si hoc non constet, rebaptizanda est sub conditione. *Ratio*: Quia non habetur moralis certitudo de valori Baptismi; facilè enim mulier in tali casu ex ignorantia, vel muliebri turbatione defectum committere potest. Secus est, si id per testes constet.

Ad 2. & 4. patet R. de consecratione dist. 4. cap. *si revera*, vbi dicitur: *Qui de Hæreticis confitentur se baptizatos solummodò in nomine Domini, sine dubitatione ad Catholicam fidem venientes in nomine Trinitatis baptizabis: si verò in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa, Catholicæ fidei sociabis. Subsumo*: Sed Hæretici defacto baptizant in nomine SS. Trinitatis. Ergo ab ijs baptizati non sunt etiam sub conditione rebaptizandi, nisi occurrant aliundè motiva dubitandi. Recolligantur hic dicta suprà *E.4.n.18.* & 19.

Ad 3. Si talles tenelli pueri non habeant appensam sibi schedulam collati Baptismi testẽ, certum est debere baptizari sub conditione. *Ratio est*: Quia non adest moralis certitudo de Baptismo. Et in dubio semper inclinandum est in favorem baptizandi, ne fulus eius periclitetur, ob quam eandẽ rationem sub conditione sunt rebaptizandi, si præter illam schedulam nullo alio modo possit haberi certitudo, quia illa schedula non facit certitudinem etiam moralem, cùm non sciatur, à quo sit appensa, vel quomodo baptismus collatus, vel à quo, an ab obstetrice, de qua anteà.

Dixi, *sub conditione*; quia eam apponendo occurrente necessitate, & casu dubio, videtur non irrogari irreverentia Sacramento. Vndè S. Thom. hic, q. 66. art. 9. ad 4. ait: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, ego non te baptizo, sed si nondum baptizatus es: Ego te baptizo in nomine, &c. Non enim videtur iterari, quod nescitur esse factum.*

* 36 QUÆRO VIII. Quid sentis de matris ex illicito concubitu parientis obligatione ad nominandum patrem, à Parocho baptizatura interrogata? Ante R. *Nota*: Quòd Parochus ob gravia incommoda, quæ alias oriri possunt, teneatur sub gravi obligatione in speciali libro annotare omnium baptizatorum, eorum Parentum, ac Patrinorum nomina, & cognomina, annum, mensem, ac diem Baptismi, adeòque Parochus habet ius interrogandi Puerperam de Patre. Hoc notato.

Resp. 1. Si stupator sit occultus, cui ex nominatione sui immineret grande damnum in fama, & honore, non potest Puerpera eum nominare, sed debet eius famæ parcere, eumque reticere quanti sine peccato potest: nec Parochus propter hoc potest propria auctoritate puero denegare Baptismũ, nec puerperam ad nominandum angariare. *Ratio*: Quia nemo audet occultum alterius crimen, proximo, aut bono communi non nocivum prodere, nec ad prodendum inducere: præsertim, quia posset esse concubitus adulterinus, sacrilegus, incestuosus ratione cuius posset infligi pœna capitis, vel relegationis. *An illa* puerpera in eo casu possit vti æquivocatione, & restrictione mentali, colligi potest ex dictis suprà *T.10.E.4.n.25.* & *seqq.*

* 37 *Resp.* 3. Si Parochus iussu Magistratus Ecclesiastici deneget Baptismum puero (aliunde de vita non periclitanti) nisi edat nomen Patris, non peccat. *Ratio*: Quia Episcopus loci propter nimiam copiam prolium fornicariarum, & difficilem earum sustentationem potest habere causam rationabilem ita statuendi. *Resp.* 4. Si mulier alium innocentem nominet esse Patrem prolis, cui ex illa nominatione imminet grave malum in honore, vel fama, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. *Ratio*: Quia esset vera causa damni. Excipitur tamen, nisi ille rogatus consentiat, vt alterius dignioris fama illæsa permaneat.

* 38 *Resp.* 5. Non benè faciunt Parochi, qui ex sola matris nominatione, marem (se patrem esse negantem) libro Baptismali inscribunt absolutè. Vndè in eo casu deberent inscribere cum clausula, *v.g.* Natus est patre NN. *vt mater ait. Resp.* 6. Sola nominatio puerperæ non facit plenam immò, nec semiplenam fidem in Judicio, quòd hic sit pater prolis; hinc plura admicula sunt necessaria. *Ratio*: Quia experientia testatur, quòd mulierculæ fingant: alios Patres. An pater à mulierecula nominatus Judici interroganti teneatur fateri se esse Patrem, colligi potest ex dictis suprà *T.9. E.5. n.10.* & *seq.*

* 39 QUÆRO IX. Quotuplex est Baptismus? *Resp.* 1. Triplex est Baptismus, scilicet Flaminis, seu aquæ, Flaminis, & Sanguinis. *Declarat hoc* S.D. hic, q. 66. art. 11. dicens: *Baptismus aquæ efficaciam habet à Passione Christi, cui aliquis configuratur per Baptismum, & vlteriùs, vt à prima causa à Spiritu S. Licèt autem effectus dependeat à prima causa, causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Et ideò præter Baptismum aquæ potest aliquis consequi Sacramenti effectum ex Passione Christi, inquantum quis ei conformatur pro Christo patiendo. Vndè Apoc. 7. Hi sunt*

ſunt, qui, &c. & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Et hic eſt Baptiſmus Sanguinis, ſeu martyrium. Eadem ratione aliquis per virtutem Spiritus ſancti conſequitur effectum Baptiſmi, non ſolùm ſine Baptiſmo aquæ, ſed etiam ſine Baptiſmo Sanguinis, inquantum alicuius cor per Spiritum S. movetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis; Vndè etiam dicitur Baptiſmus pœnitentiæ. Et hic eſt Baptiſmus flaminis, ſeu deſiderium, vel votum Baptiſmi cum vera contritione, & dilectione Dei ſuper omnia.

Reſp. 2. Duo illa Baptiſmata Flaminis, & Sanguinis, non ſunt Sacramenta, nec imprimunt characterem. *Ratio*: Quia vt arguit *S. Thoc. cit. art.* 11 *ad* 2. Sacramentum habet rationem ſigni: Sed illa duo cum Baptiſmo aquæ non conveniunt quantum ad rationem ſigni (quia non habent inſtitutionem à Chriſto) ſed ſolùm quantum ad effectum Baptiſmi. Ergo non ſunt Sacramenta.

* 40 *Reſp.* 3. Baptiſmus flaminis ſupplet Baptiſmum fluminis ex opere operantis tollendo peccata, dando gratiam ſanctificantem, & remittendo pœnam æternam, ſed non ſemper totam pœnam temporalem. *Prima pars dacetur* à S. Thom. hic, q. 68. art. 2. in corp. dicente: *Quibus Sacramentum Baptiſmi deeſt re, & voto, ſalutem conſequi non poſſunt, cui autem deeſt re, ſed non voto, ſicut cum aliquis baptizari deſiderat, ſed prævenitur morte, talis ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium Baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem ſanctificat. Ratio huius partis* eſt, vt patet ex verbis S. Thom. Baptiſmus Flaminis eſt votũ Baptiſmi, procedens ex fide per dilectionem Dei ſuper omnia operante, & cum perfecta contritione: Sed iuxta *Trident. Seſſ.* 14. *cap.* 4. per illam remittitur peccatum, & pœna æterna, daturque gratia. Ergo. Ex quibus patet, illud Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit*, eſſe verum hìmirum re, vel voto. 2. *Pars* eſt S. Thom. *in eod. art.* 2. *ad* 2. *dicentis*: Si quis Catechumenus ſit, habens deſiderium Baptiſmi, talis decedens non ſtatim pervenit ad vitam æternam, ſed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipſe tamen ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignẽ. 1. Cor. 3. *Ratio eſt*: Quia contritio non ſemper attingit illum intenſionis gradum, vt adæquet totam pœnam temporalem, peccatis præteritis debitam.

* 41 *Reſp.* 4. Inter illa tria Baptiſmata Baptiſmus Sanguinis, quantum ad effectum, habet præeminentiam. *Ratio* S. D. *q.* 66. *art.* 12, *in corp. eſt*: Baptiſmus Flaminis, & Martyrij dicuntur Baptiſmata inquantum efficiunt effectum Baptiſmi aquæ, cuius vicem ſupplent, & qui ſuam efficaciam habet à Paſſione Chriſti, & Spiritus S. quæ duæ cauſæ in quolibet horum trium Baptiſmatum operantur. *Subſumo*: Sed excellentiſsimè operantur in Baptiſmo Sanguinis. Ergo. *Min. prob.* In Baptiſmo aquæ Paſſio Chriſti operatur quidem per quandam figuralem repræſentationem: in Baptiſmo autem Flaminis, vel Pœnitentiæ per quandam affectionem: Sed in Baptiſmo Sanguinis per operis imitationẽ. *Similiter* virtus Spiritus Sancti operatur in Baptiſmo aquæ per quandam virtutem latentem: in Baptiſmo Pœnitentiæ per cordis commotionem: Sed in Baptiſmo Sanguinis per potiſsimum dilectionis feruorem, ſecundùm illud *Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis. *Ergo.*

Dixi in R. 4. *quantum ad effectum*; Quia in ratione ſigni, & Sacramenti Baptiſmus aquæ præcellit: immò & in modo cauſandi ex opere operato phyſicè gratiam, quę phyſica cauſalitas eſt privilegium Sacramentorum Novæ Legis, & non convenit Martyrio, licèt virtus cauſandi gratiam, nimirum Paſſio Chriſti, & Spiritus Sanctus, perfectiùs in eo operentur modo explicato. Ex quo ſolvitur illa obiectio contra ſequentem R. Cauſare enim gratiam ex opere operato eſt prærogativa Sacramentorum Novæ Legis.

* 42 *Reſp.* 5. Baptiſmus Sanguinis, ſeu Martyrium moraliter, ſeu paſsivè confert gratiam ex opere operato, tàm parvulis, quàm adultis, facitque hos ex attritis contritos, ſi ſint in peccato mortali, & confert gratiam primam: ſi verò iam ſint in gratia, vel contriti, cauſat gratiam ſecundam.

1. *Pars* de parvulis eſt *S. Thom.* 2. 2. *q.* 124. *a.* 1. *ad* 1: Et in 4. *diſt.* 4. *q.* 3. *a.* 3. *q.* 3. *ad* 1. Et patet in parvulis ab Herode pro Chriſto occiſis, inter quos veriſimile eſt fuiſſe aliquos ex Gentilibus, vel etiam nondum circumciſos à Judæis, vtpotè occiſos ante diem octavum ætatis. In his ergò parvulis martyrium non potuit cauſare gratiam ex opere operantis, defectu vſus rationis. Dicere autem, quòd Innocentibus miraculosè fuerit acceleratus vſus liberi arbitrij, ita vt voluntariè Martyrium paſſi ſint, hoc per auctoritatem Scripturæ non comprobatur, ait *S. D. loc. ex* 2. 2. *citato, ſubdens*: Ideò meliùs dicendum eſt, quod Martyrij gloriam, quam in alijs propria voluntas meretur, illi parvuli occiſi per Dei gratiam ſunt aſſecuti. Nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit Baptiſmatis: Vndè fiebt in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occiſis propter Chriſtum meritum Martyrij Chriſti operatur ad palmam Martyrij conſequendam. *Hæc S. D.* Ergo Martyrium in parvulis cauſat gratiam ex opere operato: Sed non cauſat eam phyſicè, & activè ob rationem ante R. 5. *datam*. Ergo moraliter ſolum, & paſsivè. Vidè ſuprà in hoc *T. E.* 2, *n.* 1. *Not.* 2. quid ſit gratiam cauſari ex opere operato, vel ex opere operantis, activè, vel paſsivè.

Ratio 1. *pro* 2. *part.* Scriptura, & SS. PP. iuſtificationem, & ſalvationem Martyris non attribuunt contritioni, vel charitati, ſed ipſi morti. Nam ille, qui generaliter dixit Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. excepit Martyrium Matth. 10. eique attribuit dictum privilegium, dicens: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.* Ergo cauſat in adultis gratiam ex opere operato. *Ratio* 2. Si Baptiſmus ſanguinis cauſaret gratiam ſolùm ex opere operantis, non differret à Baptiſmo Flaminis, quia etiam ille cauſat ratione contritionis, & dilectionis. *Ratio* 3. Baptiſmus Sanguinis ex opere operato cauſat remiſsionem totius pœnæ, etiam temporalis, & quidem infallibiliter. Ergo. *Prob. antec.* Martyr ſtatim cœlum ingreditur iuxta illud Innocentij III. cap. *Cum Marthæ de celebrat. Miſſar. Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Subſumo*: Sed incertum eſt, quòd omnis Martyr eliciat actum contritionis, & dilectionis tam perfectum, vt adæquet omnem pœnam peccatis commiſsis fortè graviſsimis debitam. Ergo ex opere operato, nimirũ moraliter, quatenus Chriſtus voluit, vt poſitionẽ Martyrij, tanquam realis imitationis ſuæ Paſſionis, remittatur tota culpa, & pœna, non præciſè propter contritionem, ſed etiam ob ipſum opus Martyris. Ergo.

3. & 4.

3. & 4. *Pari* de gratia prima, & secunda, infertur ex dictis. Qui enim in Martyrio est contritus, non debet esse peioris conditionis, quàm qui in eo est attritus: Sed attritus accepit gratiam primam. Ergo contritus secundam. Ex quibus sequitur, quòd qui cum voluntate pro Christo subeundi Martyrium iret dormitum, licèt solum attritus, verè esset Martyr, & salvaretur: secus, si nullum habuerit martyrij desiderium. Quomodo intelligatur fieri ex attrito contritum, patebit infra in *T. de Pœnitentia*.

* 43 *Oppono* 1. contra *R.* 5. Parvuli non sunt capaces actus virtutis: Sed martyrium est actus virtutis, scilicèt fortitudinis. Ergo. 2. *Actus* virtutum causant gratiam solum ex opere operantis: Sed martyrium est actus virtutis. Ergo. 3. *S. Thom. hic, q. 66. art. 12. ad 2. ait*: Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quòd Baptismus sanguinis includit Baptismum Flaminis, & non econverso. Vndè ex hoc ipso probatur perfectior. Ergo causat ratione charitatis gratiam: Ergo solum ex opere operantis. 4. *Internum* desiderium martyrij non causat gratiã ex opere operato. Ergo nec externum martyrium. *Prob. conseq.* Iuxta Thomistas actus exterior non addit specialem bonitatem, vel malitiam super internum. Ergo si &c. 5. *Quilibet* homo sub mortali tenetur in articulo mortis elicere actum charitatis Ergo & Martyr. Ergo non sufficit, quòd sit attritus. 6. *Quando* causatur gratia à martyrio?

Ad 1. *& 2. dist. mai.* Vt formaliter actus virtutis est, liberè elicitus, *conc. mai.* sub alia ratione, nimirum inquantum est realis imitatio Passionis Christi, & opus singulariter à Christo privilegiatũ (prout ante dictum) qualiter etiam est in parvulis, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conseq.* Ex quo patet, martyrium dupliciter posse considerari. *Ad* 3. *R.* Sensum esse, quòd ad martyrium necessariò requiratur charitas, non per modum actus, sed saltem per modum operis, seu interpretativa, & ipso opere exhibita; Et hæc etiam fuit in parvulis pro Christo occisis. De quibus Ecclesia dicit, quòd Dei præconium non loquendo, sed moriendo confessi sint. Eodem modo explicatur Scriptura 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, &c.* Paulò aliter dici potest, quòd martyrium semper habeat charitatem, si non in principio actus, saltem in termino, quia per illud causatur gratia, quæ non est sine charitate, Idem est sensus illorum verborum S. Thom. *Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis.* Dum autem S. D. in 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. ait: *Ad actum martyrij inclinat charitas per modum virtutis imperantis, fortitudo autem per modum virtutis elicientis.* Sensus est, martyrium de se esse actum à charitate imperabilem, & hoc imperium eius naturæ, esse valdè conforme, sed id non est simpliter necessarium. Vndè *quodlib.* 4. *art.* 19. admittit, posse reperiri martyrium sine imperio charitatis. Qua de causa S. D. consultò dicit: *Inclinat charitas*, idest, propendet. *Ad* 4. *neg. conseq.* Ad *prob.* patet suprà *T.* 3. *E.* 3. *n.* 19. *& seq.* R. 2. *Ad* 5. *dist. antec.* Per se, & regulariter, *conced. antec.* per accidens, & in hoc particulari casu, in quo sicut martyrium supplet Baptismum aquæ, ita, & perfectæ contritionis, & dilectionis Dei, iuxta illud: *Maiorem charitatem nemo habet*, &c. *nego antec. & conseq.* Sufficit ergo, si Martyr super peccata per memoriam recollecta eliciat actum attritionis; In praxi tamen consulenda est attritio, quę sit saltem existimata contritio. Si Martyr baptizatus habeat copiam Confessarij, tenetur priùs confiteri; si baptizatus non sit, & Baptismi copiam habeat, tenetur eum priùs suscipere, & hac ratione ad tam difficile certamen se præparare. *Ad* 6. Gratia à martyrio causatur in illo agonis instanti, in quo accepto lethali vulnere, etsi mors physicè nondum adsit, attamen ob inevitabilem mortis iamiam impendentis necessitatem cursus vitę moraliter consummatur: quod instans licèt non à nobis, saltem à Deo designari potest.

* 44 *Quid si* accepto lethali vulnere Martyr à Deo in vita miraculosè conservetur, vti servavit S. Joannem Evang. in ferventis olei dolio? *Dico*, talem accipere gratiam in præfato instanti, & sine novo martyrio verè dici Martyrem, vt patet ex *S. Thom. cit. q. 124. ex 2 2. art. 4. ad 4.* Necesse tamen est, vt talis non maculet se novo peccato mortali.

Nonne deberet excellentię martyrij, vt Deus talem Martyrem speciali privilegio confirmet in gratia, & reddat impotentem ad peccandum in sensu composito, vt vult Gonet? *Dico*: Hoc solo pietatis titulo asserendum non est, nec colligitur ex Scriptura, aut traditione: adeòque incertum est. Vndè *S. Thom. infrà q. 96. art. 6. ad 7. docet*: Quod in illis, qui pro Christo gravia vulnera acceperunt, talis negligentia possit contingere, quæ culpam mortalem inducat, quæ & auream auferat, & aureolam.

* 45 *Quæ mors*, vel mortis causa Martyrem facit? *Dico*: Vt mors Martyrem faciat (loquendo de adultis) debet *primò* esse acceptata; quia adulto nõ datur gratia, nisi aliquo modo, nimirum virtualiter saltem, vel interpretativè sit voluntarius, vt patet ex dictis suprà in hoc *Tr. Ex. 2. n. 18. & seqq.* de receptione Sacramentorum. *Secundò*. Debet inferri non repugnanti, quia aliàs non moritur, vt testis fidei Christi, sed vt miles victus, qua de causa milites nostri occumbentes in bello sancto cõtra Turcas non sunt Martyres. Hinc quando SS. PP. aliquos sanctos Confessores, & B. Virginem vocant Martyres, *illæ auctoritates loquuntur de Martyrio per quandam similitudinem*, ait S. Thom. *cit. art. 4. ad 1. Tertiò*. Debet esse mors, etsi sponte electa, attamen violenta, & iniusta à Tyranno veritatem, aut iustitiam persequente illata. Hinc, qui se exponunt pro servitio Pestiferorum, & in eo moriuntur, non sunt propriè Martyres, sed solùm per quandam similitudinem. *Quartò*. Causa mortis debet esse honesta honestate supernaturali, quia si non sit causa honesta, erit martyr diaboli, non Christi; si non sit supernaturalis, moritur non vt Christianus, sed vt Philosophus. An esset verè Martyr, qui pro Christo subiret mortem ex vana gloria, vide suprà *Tr. 5. Ex. 1. n. 14.*

Declaratur vlterius motivum Martyrij ex *S. T. cit. ex 2. 2. art. 5. in c. vbi ait*: Martyres dicuntur quasi testes, quia corporalibus suis passionibus vsque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati, quæ secundum pietatem est: quæ per Christum nobis innotuit. Huiusmodi autè est veritas fidei, & ideo cuiuslibet Martyrij causa est fidei veritas: sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit, non solum per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit. Et ideo

omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei. Vndè, & B. Joannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fidè, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuit. Hæc ibid.

* 46 *Oppono* contra 3. *conditionem.* Nam illa loquitur contradictoria. Quia mors sponte quæsita (vti fuit à Christo, & alijs Sanctis) non est violenta, & mors violenta, & iniusta non est voluntaria. Primum patet ex illa Regula Juris: Scienti, & volenti non fit iniuria. Alterum patet ex definitione violenti in Philosophia. *Ad hoc* R. Quod Christus voluntariè quæsiverit mortem, inquantum erat à Patre præcepta, & vt erat redemptiva generis humani, non verò inquantum erat mala, & iniusta, permisivè scilicet se habendo ad malitiam peccati, & ad invidiam Judæorum. Similiter viri Sancti quæsierunt pro Christo pati mortem, inquantum illa est actus virtutis, imitatio Passionis Christi, & meritoria æternæ vitæ, non verò vt formaliter est mala.

Ex qua *R.* explicantur verba S. Chrysost. in c. 21. Matth. dicentis: *Christus cum tanta gloria est ingressus, vt amplius eorum adversus se excitaret invidiam.* Item, *Ad versus se compellevat mortem.* Item, *Excitavit eos, non vt facerent, quod antè volverant, sed vt possent facere, quod prius volebant.* Quibus verbis posset quis opponens subsumere: Sed Judæi prius volebant mortem formaliter, vt iniuriosam: Ergo Christus eos ad hanc vt talem excitavit, adeoque eam voluit. Sed explicatio patet ex dictis.

EXAMEN VI.

De Sacramento Confirmationis, eius materia, forma, necessitate, Ministro, subiecto, effectu, &c.

S. Thom. quæst. 72. per 12. artic.

* 1 QUÆRO 1. Quid est Confirmatio, à quo, & vbi instituta? quæ eius materia? quæ forma? quæ necessitas? *Resp.* 1. Confirmatio est vnctio Chrismatis ab Episcopo in fronte facta homini baptizato, sub certa verborum forma. *Vel*, est Sacramentum Novæ Legis à Christo institutum ad spiritualem hominum in fide potestanda corroborationem. Prima definitio est physica, altera metaphysica, sicut *E. 5. n. 1. in R. ad Q. 1.* dictum est de Baptismi definitione.

Resp. 2. Hoc Sacramentum est immediatè à Christo institutum, & quidem probabilius in Cœna: non verò quando Christo fuerunt oblati parvuli, vt eis imponeret manus, vt imposuit: nec quando post Resurrectionem Apostolis insufflando dedit Spiritum Sanctum. 1. *Pars* patet ex dictis suprà *E. 4. n. 1. R. 3.* 2. *Partem* ex Traditione Apostolorum docet Fabianus ú Papa *Epist. 2. c. 1.* & patet ex vsu Ecclesiæ consecratis tunc eius materiam. *Ratio* 3. *p.* Hoc Sacramentum non confertur, nisi baptizatis: Sed illi pueri tunc nondum erant baptizati. Ergo. *Ratio* 4. *p.* Non erat conveniens vt Christus vna, eademque actione simul instituerat duo Sacramenta: Sed Christus tunc instituit Sacramentum Pœnitentiæ. Ergò non Confirmationis. *Nota hic*, quod, quando *S. Thom. hic a. 1. ad 1. sit*, quod Christus instituerit hoc Sacramentum promittendo, promissio non respexerit Sacramentum, sed effectum eius. Vndè in Cœna Sacramentum instituit, sed effectum tunc promisit, qui est plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem. Explicatio patet ex textu, qui videatur.

* 2 *Resp.* 3. Materia remota huius Sacramenti est Chrisma, seu vnguentum ex oleo olivarum, per Episcopum consecrato, & ex balsamo confectum. Dixi, *remota*; quia materia proxima est vnctio. *Ratio congruentiæ* datur ex *S. Thom. 2. 2. in. c.* Quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale: sed gratia Spiritus Sancti designatur in oleo; vnde Christus dicitur esse vnctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit: admiscetur autem balsamum propter fragentiam odoris, quæ redundat ad alios, quæ significat fragrantiam bonæ famæ, quam perfecti in Christo in alios ædificationem transfundere debent, vt sint bonus odor Christi. Ergo. Dixi autem *oleum olivarum*; Quia hoc propriè dicitur oleum, & vsuale est.

Nec obstat, quod Apostoli imprimitiva Ecclesia confirmaverint per solam manuum impositionem; quia hoc factum est ex speciali dispensatione Christi, facitque diversitatem solùm materialem, non verò formalem in hoc Sacramento. De qua suprà iam dictum est. *Ratio est*, cur Chrisma debeat esse benedictum, est, quam dat *S. Thom. art. 3. in corp.* Quia ideò materia, *v. g.* Baptismi non indiget prævia consecratione, quæ sit de essentia, quia est sanctificata per vsum, & contactum Christi. Si quæ verò benedictio adhibeatur, est solùm de solemnitate, & accidentalis: Sed Christus suo contactu materiam huius Sacramenti non sanctificavit, cũ confirmatus non fuerit, nec Chrisma consecraverit. *Ergo.* Cur huius Sacramenti non verò Extremæ-Vnctionis materia necessariò debeat esse benedicta ab Episcopo, vide infrà *Tr. 14. Ex. 4. n. 4. in Notabili.*

* 3 *Resp.* 4. Forma huius Sacramenti est: Signo te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *S. Thom. art. 4. Declaratur*: Sensus est, quòd de essentia Vnctionis sit: 1. *Vt vnctio* fiat per modum signi crucis, 2. *Vt fiat* in fronte, quia ibi est sedes verecundiæ, ne confirmandus, vt insinuat *S. Thom. art. 9. in corp.* verecundetur confiteri Christi nomen, & maximè Crucem, quæ Judæis est scandalum, & Gentibus stultitia, nobis autem Dei Virtus, & Sapientia. 3. *Expressio SS. Trinitatis*, vt docemur ex Apostolica Traditione, & Concilijs, quæ cum Evangelio (in quo hoc non est expressum) paris sunt auctoritatis.

* 4 *Resp.* 5. Hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi, non vt simpliciter necessarium, sed tanquam valdè vtile. *S. Thom. art. 8. Declarat hoc in c. ad 1.* Per hoc Sacramentum promoveatur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, vt omnis, qui corporaliter nascitur ad perfectam ætatem perveniat, sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte præventitur; multò magis autem de intentione Dei est, omnia ad perfectionem perducere. Vndè *Deuter. 32.* Dei perfecta sunt opera. Anima autem ad quam perficitur, & spiritualis nativitas,

vitas, & ſpiritualis ætatis perfectio, immortalis eſt, & poteſt ſicut tempore ſenectutis ſpiritualem nativitatem conſequi, ita tempore iuventutis, vel pueritiæ conſequi perfectam ætatem; quia huiuſmodi corporales ætates non præiudicant animæ. Et indè eſt, quòd multi in puerili ætate propter perceptum Spiritus Sancti robur vſque ad ſanguinem fortiter pro Chriſto certaverint. Hæc ibi. Ergo: *Et in ſolut. ad 4. ex Hugone de S. Vict. ait*: Omninò periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare cõtingeret, non quia damnaretur (niſi forte propter contemptum) ſed quia detrimentum perfectionis pateretur. Vndè etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic maiorem obtinent gratiam. *Ita S. Thom.*

* 5 *Eſtne* ergo hoc Sacramentum dandum morituris, nondum confirmatis? *Affirmat* S. *D. ibidem dicens*: Anima, ad quam pertinet ſpiritualis ætas, immortalis eſt: & ideò etiam morituris hoc Sacramentum dandum eſt, vt in Reſurrectione perfecti appareant, ſecundùm illud ad *Epheſ. 4.* Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. *Hæc ibidem.* Ex his colligitur, quòd nemo mortaliter peccet, qui hoc Sacramentum non ſuſcipit, modò non omittat ex contemptu, vel cum ſcandalo.

* 6 QUÆRO II. Quodnam *eſt* ſubiectum, & quis Miniſter, vel effectus huius Sacramenti? *Reſp. 1.* Subiectum Confirmationis eſt quilibet homo baptizatus; vndè, ſitamen baptizatus non ſit, incapax eſt. Ita S. D. art. 6. *Declarat hoc in corp.* Character Confirmationis ex neceſsitate præſupponit characterem baptiſmalem, ita vt ſi non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, ſed oporteret iteratò ipſum confirmare poſt Baptiſmum. *Ratio*: Quia Confirmatio ſe habet ad Baptiſmum ſicut augmentum ad generationem: ſed nullus poteſt augmentari, niſi ſit natus. Ergo ſimiliter, &c. *Nota*: De quo dubitatur, an ſit confirmatus, debet confirmari ſub conditione, v. g. *Si non es confirmatus, Ego te, &c.*

* 7 *Reſp. 2.* Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius huius Sacramenti: *Ratio* à priori eſt voluntas Chriſti: Rationem congruentiæ dat S. *Thom. art. 11.* In quolibet opere vltima conſummatio ſummæ artis, aut virtuti reſervatur, ſicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, ſuperior autem dat formam: Sed per hoc Sacramentum conſummatur, & perficitur Baptiſmus, & Epiſcopi obtinent ſummam poteſtatem in Eccleſia. Ergo.

* 8 *Reſp. 3.* Simplex Sacerdos poteſt hoc Sacramentum validè, & licitè conferre ex commiſſione Papæ, non tamen Epiſcopi. *Ratio S. D. ibidem ad 1.* Papa in Eccleſiam habet plenitudinem poteſtatis (non ſolùm Ordinis, ſed & Iuriſdictionis) ex qua poteſt quædã, quę ſunt ſuperiorum Ordinum, committere quibuſdam inferioribus, ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre Ordines Minores, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem. *Subſumo*: Sed illa plenitudo poteſtatis iuriſdictionis in totam Eccleſiam non eſt in Epiſcopo, ſed in ſolo Papa. Ergo.

Ex quo colligitur, quòd cõmittere adminiſtrationẽ huius Sacramenti ſit actus poteſtatis Ordinis, habitis adiũctã ſupremã iuriſdictionẽ ſuper totã Eccleſiam. Item quòd omnis Epiſcopus poſsit dici Epiſcopus vniverſalis Eccleſiæ, ly *vniverſalis* ſumendo in obliquo, vt conſtruatur cum ly *Eccleſiæ*, non cum ly Epiſcopus, prout Papa ſolus eſt vniverſalis Epiſcopus. *Colligitur* 2. intelligentia illius dicti: Epiſcopus poteſt in ſua Dioceſi, quod Papa poteſt in tota Eccleſia. Nam verum ſolùm eſt de ijs, quæ Papa poteſt ex vi Ordinis, & conſecrationis Epiſcopalis, non verò de ijs, quæ poteſt ratione iuriſdictionis, aliàs enim Epiſcopus in ſua Dioeceſi poſſet cum infallibilitate concedere Decreta fidei, & morum, vti poteſt Papa pro tota Eccleſia: Quod nemo concedit. De quo plura infrà Tract. 13. in proprio loco de Epiſcopatu.

Reſp. 4. Primarius huius Sacramenti effectus eſt gratia ſecunda, ſeu augmentum gratiæ cum ſpeciali robore ad fidem, non quomodocumque, ſed conſtanter profitendam. De quo vide dicta de gratia ſacrament. *Ex. 2. n. 16.* Effectus ſecundarius eſt character, de quo ſuprà *Ex. 3.*

* 9 QUÆRO III. Quid ſentis de intentione, ac diſpoſitione ad hoc Sacramentum, de loco, in quo conferendum, de ætate confirmandi, de Patrinis, de alapa, quæ ei infligitur, de faſcia, qua frons ligatur? *Reſp. 1.* De intentione recipiendi Sacramentum dictum eſt ſuprà Ex. 4. n. 19. *Reſp. 2.* De diſpoſitione patet E. 2. n. 18. & ſeqq. Eſt enim Confirmatio Sacramentum Vivorum, adeòque recipiens debet eſſe in gratia. Hinc ſi eſt in mortali, & habet copiam Confeſſarij, tenetur prius confiteri: ſi non habet, prærequiritur neceſsariò contritio ſaltem exiſtimata. Quamobrem Parochi tenentur ſuos Parochianos de hoc inſtruere, & ſerìò admonere. *Reſp. 3.* Ex cauſa rationabili hoc Sacramentum poteſt conferri extra Eccleſiam in loco honeſto. Dum verò multitudo confluit, & nulla rationabilis cauſa excuſat, conferendum eſt in Eccleſia. *Ratio*: Propter reverentiam Sacramenti.

* 10 *Reſp. 4.* Rationabilis mos eſt Eccleſiæ, vt confirmandus habeat vſum rationis. *Ratio*: Vt caveatur periculum iterationis, & vt ſuſcipiat illud cum maiori reverentia. *Nota*: Vbi Epiſcopi ſtatò comparent, poſſunt etiam pueri, ſeu infantes licitè confirmari, & in quibuſdam locis ſic expedit fieri. *Reſp. 5.* Perpetuò amentes baptizati ſunt capaces huius Sacramenti. *Ratio*: Quia ſunt capaces effectus eius primarij, ſcilicet augmenti gratiæ.

* 11 *Reſp. 6.* In hoc Sacramento requiritur Patrinus, qui confirmandum teneat. *Declarat hoc S. D. art. 10.* Sicut aliquis de novo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſervationem vitæ (ſecundum illud *Hebr. 12.* Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reverebamur eos) ita illi, qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus conſtituuntur Duces, & Centuriones: ſed homo per hoc Sacramentum paratur ad pugnam ſpiritualem. Ergo. *In ſolut. 1. ait*: Licèt illæ, qui confirmatur, ſit adultus corporaliter, non tamen ſpiritualiter. Et *in ſolut. ad 2.* Licèt baptizatus ſit membrum Eccleſiæ effectus, nondum tamen eſt adſcriptus militiæ Chriſtianæ. *Reſp. 7.* Patrinus debet eſſe confirmatus. *Ita S. D. ibid. ad 2. dicens*: Non debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum eſt confirmatus. *Reſp. 8.* Non differt, vtrum maſculus, vel fœmina teneat aliquem in confirmatione, ait S. Thom. ibid. ad 3. Quia ſicut dicitur Coloſſ. 3. *In Chriſto Jeſu non eſt maſculus, & fœmina.* Vndè admittitur vnus, vel vna, niſi obſtet conſuetudo loci, non tamen (vti in Baptiſmo) vnus, & vna. Patrinus Confirmationis non debet eſſe idem qui Baptiſmi, ſaltem extra neceſsitatem. Poſſunt hoc

hoc officio fungi Monachi, & Moniales, niſi Statuta propriæ Religionis prohibeant. Legitur etiam practicatum eſſe, quod Epiſcopi eos, qui Patrinos habere non poterant, confirmaverint ſine Patrinis, præſertim in magno confluxu. De cognatione, quæ per hoc Sacramentum contrahitur, dicetur infrà de Matrimonio *T. 16. E. 6. n. 75.*

* 12 *Reſp.* 9. Confirmato infligitur alapa, Tum vt intelligat, ſe debere eſſe paratum ad crucem, ignominiam, aliaque adverſa pro ſuo Salvatore ſuſtinenda. Tum etiam in memoriam collati Sacramẽti. *Reſp.* 10. De portanda in reverentiam ſacri Chriſmatis circa frontem faſcia cum rubra cruce, ſpectãda eſt conſuetudo loci, & voluntas Epiſcopi confirmantis. Vbi portatur, debet poſt aliquod dies Chriſmate exſiccato per Sacerdotem deponi, & ad profanum vſum non amplius adhiberi. In quibuſdam locis facta Vnctione quidam Sacerdotes ad id conſtituti ſpongia, vel alio linteo abſtergunt frontem confirmati. In alijs locis etſi confirmati faſcia in fronte cingantur, attamen cincti vadunt ad locum vicinum, vbi Sacerdotes faſcias deponunt, frontem abſtergunt, & faſciæ pro aliorum confirmandorum ijs carentium vſu aſſervãtur. Vbi reverenter aſſervari non poſſunt, comburantur, & cineres immittantur in locum in Eccleſia ad id deputatum. *Nota*, quod Epiſcopo, & Parocho incumbat notare in libro nomina confirmatorum, tum propter Ordines fortè ſuo tempore ſuſcipiendos; Tum propter cognationem ſpiritualem, vt hæc ſciatur. Nomen in Confirmatione mutare non eſt peccatum.

TRACTATUS XII.
DE EUCHARISTIA.

S. Thom. 3. part. à quæſt. 73. vſque ad quæſt. 83. inclusivè.

SACRAMENTUM hoc tantum eſt, vt magnus Pater Auguſtinus Tract. 84. in Joann. de eo dicere audeat: Deus cùm ſit omnipotens, plus dare non potuit; cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit: cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit. Officij, quo Eccleſia in honorem huius Venerabilis Sacramenti vtitur, auctor eſt Angelicus noſter Thomas, dictus ex eo, Doctor Euchariſticus. Meritò proindè cum eo de illo agendum eſt. Vndè ſit,

EXAMEN I.

De eſſentia, vnitate, neceſsitate, ac inſtitutione Euchariſtiæ.

S. Thom. Quæſt. 73. per 6. artic.

* 1 QUÆRO 1. Quid eſt Euchariſtia? *Reſp.* 1. Sacramentum Euchariſtiæ, ſi phyſicè conſideretur, nihil aliud eſt, quàm ſpecies conſecratæ ſub præſcripta verborum forma vt realiter continentes Chriſtum ad cauſandam gratiam cibitativam. Metaphyſicè ſumptum definitur eſſe Sacramentum Novæ Legis, ſignificans Chriſtum, vt realiter ſub ſpeciebus contentum, & gratiam nutrientem. Vel, ad ſpiritualem hominum nutritionem inſtitutum. Dixi *Sacramentum*; quia de Euchariſtia, vt Sacrificium eſt, agetur infrà *E. 5.* vbi etiam dabitur definitio eius vt Sacrificij. Hic agitur de ea, vt Sacramentum eſt. Quid in ea ſit res tantum, Sacramentum tantum, & vtrumque ſimul, vide ſuprà in *Trid. 11. E. 4. num. 46.*

* 2 *Reſp.* 2. Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter non conſiſtit in ſumptione. 2. *Nec* in conſecratione. 3. *Nec* in Corpore, & Sangine Chriſti ſecundum ſe. 4. *Nec* in ſpeciebus Sacramentalibus ſecundum ſe. 5. *Sed* in ſpeciebus conſecratis præſata omnia connotantibus, nimirum Corpus, & Sanguinem Chriſti in eis contentum, vt cauſam gratiæ cibitativæ: conſecrationem, vt actionem ſui confectivam: ſumptionem, vt finem. 1. *Pars* eſt de fide contra Hæreticos definita in *Trid. ſeſſ. 13. can.* 4. *Et ratio eſt*: Quia Euchariſtia eſt inſtituta per modum cibi, & potus ſpiritualis: Sed cibus, & potus præſupponitur ante ſumptionẽ, vt patet eſtque illa ſolum conditio applicans. Ergo.

Pro ſolutionibus oppoſitionum, Nota, quod etſi ſumptioni Euchariſtiæ ſit promiſſa gratia, non tamen vt ſignificanti, & cauſanti, ſed vt applicatione cauſæ, & ſigni. Item quod licet Euchariſtia non poſſit conſecrari licitè niſi in ordine ad ſumptionem, benè tamen validè, non enim Chriſtus inſtituit vſum Euchariſtiæ tamquam partem eſſentialem, vel integralem eius: nec ſumptio complet ſignificantum huius Sacramenti complemento intrinſeco, ſed tantum extrinſeco, & accidentali. Nec denique eſt de ratione Sacramenti, præſertim non conſiſtentis in vſu, quod ſemper in *actu 1.* cauſet gratiam, ſed ſufficit quod ſit aptum cauſare illam, poſitis tamen requiſitis. Nec tandem de ratione Sacramenti vniverſaliter eſt, quod ſit aliqua ſacra cæremonia quoad ſuum eſſe, ſed ſufficit, quod ſit talis, vel quoad ſui vſum, vel quoad ſui confectionem: vti etiam eſt Euchariſtia. Ex his multæ ſolvuntur obiectiones.

Ratio 2. p. Tum quia Euchariſtia eſt permanens, Conſecratio verò tranſit. *Tum* etiam quia res formaliter, & eſſentialiter non conſiſtit in actione, per quam fit: ſed Sacramentum Euchariſtiæ efficitur per conſecrationem activam, & paſsivè eſt fieri illius, & via ad illum, via verò non eſt idem formaliter cum termino. *Ergo.* Ex quo ſit, quod, quando a *DD.* conſecratio vocatur Euchariſtia, ſit locutio in ſenſu cauſali, ſeu per *Synedochen*, ſumendo cauſam pro effectu vel contra.

Ratio 3. p. Sacramentum Novæ Legis eſt ſignum ſenſibile ratione ſui; ſed Corpus, & Sanguis in Eucha-

charistia non sunt ratione sui sensibilia. *Ergo*. Dum ergo SS. PP. hoc Sacramentum vocant Corpus, & Sanguinem Christi, loquuntur per *Metonymiam*, accipiendo continens pro contento, signum pro signato; sicut imago Cæsaris sæpè vocatur Cæsar.

Ratio 4. *p*. Eucharistia est cibus spiritualis animæ: sed species secundum se, & secluso Corpore, & Sanguine Christi, non sunt cibus spiritualis animæ, quia à Corpore, & Sanguine Christi in se contento habent vim significandi gratiam. Ergò. *Quinta pars* ex his infertur. Quia Sacramentum in recto debet consistere in aliquo de se sensibili: sed species de se sunt sensibiles, & ratione contenti Corporis, & Sanguinis Christi habent vim cibandi, & sanctificandi animam. Ergo.

Ex quo sequitur, quod prædicata huic Sacramento à SS. PP. attribui solita, etiam conveniant speciebus, non quidem secundum se, & materialiter sumptis, subqua ratione præexistunt cõsecrationi, sed formaliter vt consecratis, quibus causantur per consecrationem. Talia prædicta sunt, esse *Panem Vivum*, *Panem Angelorum*, cibum spiritualem animæ adorari latria, esse omnium Sacramentorum excellentissimum, esse simul (sub diversa tamen ratione) Sacramentum, & Sacrificium, &c. Hæc omnia conveniunt speciebus cõsecratis ratione contenti, scilicet Corporis, & Sanguinis Christi, nec ad hoc requiritur, quod illa sint pars intrinseca Sacramenti; sicuti mago Christi adoratur latria præcisè ratione significationis, & Humanitas eius ratione Vnionis ad Verbum. Ex hoc solvuntur variæ obiectiones. Pro quarum vlteriori solutione:

* 3 *Nota*, Sacramentum, & in specie Eucharistiam, posse dupliciter considerari. 1. *Formaliter*, & metaphysicè, & sub hac ratione præcisè est in genere signi, & non causæ. 2. *Physicè*, & secundum omnia, quæ includit, & sic dicit vtrumque esque signum practicum, & sic virtus causativa gratiæ (nimirum Corpus, & Sanguis Christi (ei est intrinseca. Hic est sermo de Eucharistia in primo sensu. Hic Thomistæ docẽt, quod de essentia metaphysica Sacramenti sit sola ratio signi gratiæ, non verò ratio causæ, quam tamen nolunt habere se merè per accidens ad rationem Sacramenti, sed esse intrinsecum quendam modum, & complementum eius. Et certè, quod in Sacramento principalius se habeat ratio signi, quam ratio causæ facile patet; Quia nobilitas medij desumitur ex perfectione finis: sed Sacramenta sunt quædam media ad duplicem finem, nimirum, Primò ad honorem, & cultum Dei, quem respiciunt, inquantum sunt signa gratiæ, ac divinæ bonitatis: 2. Ad nostram vtilitatem, quam respiciunt sub conceptu causæ. Primus autem finis est nobilior altero, vt clarè constat. Ergò.

* 4 *Oppono* contra vltimam partem *R.* 2. Sacramenta Novæ Legis constant non solum ex rebus, vt materia: Sed etiam ex verbis, vt forma, tanquam ex partibus essentialibus, vt dictum est suprà 7. 11. *Et n.* 6 Sed verba consecrationis non sunt pars essentialis Eucharistiæ, nec specierum. Ergo, vel Eucharistia non est Sacramentum, vel essentialiter non consistit in speciebus. *Min. prob.* Causa efficiens non est pars essentialis, seu intrinseca sui effectus: sed verba consecrationis sunt causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ, vt patet ex S. *Thom. infrà quæst.* 78. *art.* 4. Ergo. *Confirm.* 1. Pars intrinseca Eucharistiæ debet se habere vt cibus, & potus, & causare gratiam: sed verba non sunt cibus, & potus, nec possunt concoqui. Ergo. *Confirm.* 2. Eucharistia est Sacramentum permanens: Sed verba non permanent, quia transeunt. Ergo.

Ad Oppos. neg. min. Ad *prob. dist. min.* Sunt causa efficiens Sacramenti inadæquatè sumpti, *concedit.*, adæquatè *neg.* Eucharistia ergo potest sumi primò inadæquatè, nimirum pro solis speciebus, & sic verba sunt causa eius efficiens, quia effectivè eas consecrãt, 2. pro adequato signo sensibili gratiæ à Christo instituto, importante vnum vt determinabile, alterum vt determinãs, & sub hac ratione verba sunt forma, & pars intrinseca. *Ad* 1. *confirm. dist. min.* Vt cibus spiritualis, *conc.* materialis, *neg.* Verba ergo, seu realis virtus ab eis relicta (statim magis explicanda) sunt cibus spiritualis, & causa saltem partialis gratiæ nutritivæ, & dicuntur manducari, non instar cibi corporalis, sed spiritualiter sacramentaliter. *Ad* 2. *confirm. dist. min.* Verba non permanent formaliter, *conc.* virtualiter, *neg. min.* Potest ergo res propriè dici composita ex aliquo, quod solum virtualiter manet in illo, sicut iuxta Physicam elementa solum virtualiter sunt in mixtis, quæ tamen proprièdicuntur composita ex illis. Verba ergo speciebus impresserunt determinationem passivam, ac modificationem, seu modos reales, quibus determinantur ad sensibiliter significandum cibum spiritualem animæ, nimirum gratiam, sive Corpus, & Sanguinem Christi per modum cibi, & potus. Qui modi sunt reales virtutes verborum, & multiplicatur iuxta diversitatem hostiarum, si plures simul consecrentur; licèt enim forma consecrationis sit formaliter vna, est tamen virtualiter multiplex. *Item* modi illi sunt sensibiles, non quidem ratione sui, sed ratione verborum, ad quæ vt ad causam dicunt respectum essentialem. Nam, & contritio est essentialis pars Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen solum est sensibilis ratione alterius.

Nec licèt inferre: Ergo Eucharistia componitur solùm ex rebus, & modis. Quia ille modus non est verba. *Non*, inquam, licèt. Distinguitur tamen altera propositio: Modus non est verba formaliter, *nec.* Virtualiter, *negatur*. Illi ergo modi sunt reales verborum virtutes; vndè Sacramentum hoc adhuc absolutè dicitur componi ex illis, vti à pari dictum est de elementis, seu cum speciebus faciunt compositionem, elevanturque cum illis ad causandam gratiam, vt sic salvetur, materiam, & formam simul causare illam.

* 5 QUÆRO II. Eucharistia estne vnum Sacramentum; vel plura? *Resp.* Sacramentum Eucharistiæ materialiter quidem est plura Sacramenta, formaliter tamen simpliciter, & perfectivè est vnum. *S. Thom. art.* 2. *Declaratur ex eodem*: Vnum dicitur non solùm quod est indivisibile, vel quid continuũ, sed etiam quod est perfectum: est autem aliquid vnum vnitate perfectionis, ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad eius finem, sicut homo integratur ex omnibus membris ad operationem vitæ necessarijs, & domus ex omnibus partibus necessarijs ad inhabitandum. *Sed contra*: Sed Eucharistia, licèt plura in se contineat, nimirum speciem panis, & vini, vti & habet duplicem formam, & materiam, hæc tamen sunt necessaria ad eius finem. Ergo. *Min. prob.* Hoc Sacramentum est institutum per modum convivij spiritualis, quod conformatur corporali: Sed ad hoc requiruntur duo,

duo, nimirum *cibus* qui est alimentum siccum, & *potus*, qui est alimentum humidum. Ergo & ad illud, &c. *In solut. ad* 1. declarat hoc ipsum ex Collecta Ecclesiæ, in qua primò dicitur pluraliter: Purificent nos *Sacramenta*, quæ sumpsimus. Et postea singulariter subditur, hoc tuum *Sacramentum* non sit nobis reatus ad pœnam, &c. ad ostendendum, quòd hoc Sacramentum quodammodo est multa, simpliciter tamen vnum.

* 6 QUÆRO III. Eucharistia estne de necessitate salutis, etiam respectu parvulorum? *Resp.* Eucharistia est omnibus hominibus ad salutem necessaria, diversimodè tamen, adultis in re, vel (si realiter eam sumere non possint) in voto proprio, parvulis in voto Ecclesiæ: magis tamen est necessarius Baptismus. *Declarat hoc* pulchrè, & fusè *S.D. art.* 3. *in corp. dicens*: In hoc Sacramento est duo considerare, scilicèt ipsum Sacramentum, & rem Sacramenti: dictum est autem, quod res huius Sacramenti est vnitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque Arca Noe, quæ significat Ecclesiam, vt habetur 1. *Pet.* 3. Dictum est autem suprà, quòd res alicuius Sacramenti haberi potest ante perceptionem Sacramenti ex ipso voto Sacramenti percipiendi. Vndè ante perceptionem huius Sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum: sicut & ante Baptismum ex voto Baptismi, vt suprà dictum est. Est tamen differentia quantùm ad duo. Primò quidem, quia Baptismus est principium spiritualis vitæ, & janua Sacramentorum: Eucharistia verò est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis (vt suprà dictum est) per sanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. Et ideò perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc quòd simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio, & intentione. Alia differentia est, quia per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam; & ideò ex hoc ipso quòd pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam; & per consequens recipiunt rem ipsius: sed ad Baptismum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum: Et ideò ante susceptionem Baptismi non habent pueri aliquo modo Baptismum in voto, sed soli adulti; vndè rem Sacramenti non possunt recipere sine perceptione Sacramenti. Et ideò hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut Baptismus. *Hæc S.D.*

In solutione *ad* 2. *S. D.* ponit differentiam inter alimentum corporale, & spirituale, quòd corporale convertitur in substantiam eius, qui nutritur: & ideò non potest homini valere ad vitæ conservationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur: sed alimentum spirituale convertit hominem in seipsum, secundùm illud, quod *August. dicit in lib. Confess.* quòd quasi audivit vocem Christi dicentis sibi: Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine huius Sacramenti perceptione. Et ideò non est simile. *Hæc ibi S. D.* De præcepto sumendi certis temporibus, & casibus Eucharistiam, vide infrà in hoc *Tr. Ex.* 4. *n.* 45. *& 46.*

* 7 QUÆRO IV. Institutio huius Sacramenti fuitne conveniens? *Resp.* Christus instituit convenienter hoc Sacramentũ in vltima Cœna. 1. *Pars*, quòd scilicèt Christus Eucharistiam instituerit est de fide, vt patet ex sæpè dictis. 2. *Pars*, quod illud instituerit convenienter, patet ex convenientia S. *Thom.* Nam sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, qua homo vitam accipit; & augmentum, quo acquirit perfectionem vitæ, & robur corporis; & alimentum, quo vita conservatur; Ita etiam vita spirituali renascimur per Baptismum, spiritualiter augemur per Confirmationem. Ergo conveniens fuit, etiam instituere Eucharistiam, vt per eam spiritualiter alimentemur. 3. *Pars*, quòd nimirum institutio facta sit in vltima Cœna, patet *Matth.* 26. *Luc.* 22. &c. quòd autem tunc convenienter facta sit, patet ex variis congruentijs S. Thom. hic, *art.* 5. *in corp.* vbi videantur. *In solut. ad* 4. ostendit S.D. Quare Eucharistiæ institutio præcesserit institutionem Baptismi. Quæ doctrina adducta est suprà *Tr.* 11. *Ex.* 3. *n.* 2. *in R. ad* 5.

EXAMEN II.

De materia remota Eucharistiæ.

S. Thom. quæst. 74. *per* 8. *art.*

* 1 QUÆRO I. Quæ est materia Consecrationis Eucharistiæ? quanta potest, vel debet esse, & qualiter præsens? *Resp.* 1. Panis, & Vinum sunt materia conveniens huius Sacramenti. *Ratio*: Quia Christus *Matth.* 26. sic instituit. Cuius diversas *S.D. art.* 1. dat congruẽtias. Vna est desumpta ex vsu Eucharistiæ: sicut enim in Baptismo aqua assumitur ad vsum ablutionis spiritualis, quia ablutio corporalis communiter fit in aquâ: ita in hoc Sacramento ad vsum manducationis spiritualis assumitur *Panis*, & *Vinum*, quia illis homines communiter reficiuntur corporaliter. Ergo. Est contra *Artotyritas*, qui in hoc Sacramento offerebant panem, & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas, vt refert *S. Thom. art.* 1. Item contra *Cataphrygas*, & *Pepuzianos* infantis sanguinem de toto eius corpore minutis punctionem vulneribus extorquentes, eum farinæ miscentes, & indè panem facientes, & quasi Eucharistiam suam conficientes. Item contra *Aquarios* sub specie sobrietatis solam aquam in hoc Sacramento offerentes. Hos omnes errores *S. Thom. refutat ex cit. Matth.* 26.

* 2 *Resp.* 2. Materia valida Consecrationis est solus panis triticeus, & vinum de vite *S. Thom. art.* 3. *& 5. Rationem dat*: Iuxta dicta ad vsum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communiter apud homines in talem vsum venit: Sed inter alios panes homines communiter vtuntur triticeo, nam alij panes videntur esse introducti in huius panis defectum, sicut & propriè vinum dicitur quod de vite sumitur, alij verò liquores dicuntur vinum secundùm quandam similitudinem ad vinum vitis. *Ergo.*

Nota ex *S. Thom. art.* 3. *ad* 2. Quòd generans generat sibi simile, licet vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativę fiat aliqua dissi-

dissimilitudo quantùm ad accidentia; ideò si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici in malis terris seminato nascitur siligo) ex tali frumento panis confectus, potest esse materia huius Sacramenti. Quod tamen nõ videtur habere locum in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius: similitudo autem figuræ in talibus magis videtur significare propinquitatē, quàm identitatem speciei. Sicut ex similitudine figuræ manifestatur, quòd canis, & lupus sunt propinquæ speciei, non autem eiusdem. Vndè ex talibus frumentis, quę nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia huius Sacramenti. Ita *S.Thom.* Verum in quibusdam locis far, spelta, & siligo (à seligendo dicta) significant selectum triticum, eiusque speciem; in quo sensu non est dubium de valore.

* 3 *Resp.* 3. Si ad multò maiorem quantitatem tritici fiat modica admixtio alterius frumenti, potest exindè confici panis, qui sit vera materia consecrationis; secus si admixtio sit magna, puta ex æquo, vel quasi. *Ita art.* 3. *ad* 3. *Ratio* ibidem: Quia in secundo casu permixtio speciem mutat, non in primo, quia *id* quod est modicum, quodammodo absumitur à plurimo.

Ref. 4. Quando est tanta corruptio panis, vt solvatur species, sicut cum perditur, vel mutatur sapor, color, & alia accidentia, non potest exindè confici Corpus Christi: aliquando verò non est tanta corruptio, quæ speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici Corpus Christi, sed conficiens peccat propter irreverentiam Sacramenti. *Ibid. ad* 4. *Subdit S.D.* Et quia amidum (*amylum*) est ex tritico corrupto, non videtur, quòd panis exindè confectus possit fieri Corpus Christi: quamvis quidam contrarium dicant.

* 4 *Resp.* 5. Non est de necessitate Sacramenti, quòd sit panis azymus, vel fermentatus, quia in vnoquoque confici potest: conveniens autem est, vt vnusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ. Ita *S.D. art.* 4. *in corp. Declarat* hoc *dicens*: Super hoc sunt diversæ Ecclesiarum cõsuetudines. Dicit enim *B. Gregorius, in Registro*: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quòd Dominus sine vlla commixtione suscepit carnem: sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quòd Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. Vndè sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primò quidem propter institutionem Christi, qui hoc Sacramentum instituit prima die azymorum (vt habetur *Matt.* 26. & *Marc.* 14. & *Luc.* 22.) qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, vt habetur *Exod.* 12. Secundò, quia panis est propriè Sacramentum Corporis (quod sine corruptione conceptum est) magis, quàm divinitatis ipsius, vt infrà patebit. *Tertiò*, quia hoc magis competit synceritati fidelium, quæ requiritur ad vsum huius Sacramenti, secundùm illud *prima Cor.* 5. Pascha nostrũ immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis synceritatis, & veritatis. Habet tamen hæc consuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter significationem; quia tangit *Gregor.* & in detestatione hæresis Nazarænorum, qui Legalia Evangelio miscebant. Hæc *S. Thom. In solut. ad* 2. *dic. S.D.* Conficientes ex azymo non intendunt cæremonias Legis servare, sed conformare se institutioni Christi, & ideò non judaizant, alioquin & celebrantes in pane fermentato judaizarent. Quia Judęi panes primitiarum fermentatos offerebant. Hæc ibidem.

* 5 *Resp* 6. Acetum non potest consecrari, benè tamen vinum acescens. *S.Thom. art.* 3. *ad* 2. *Ratio*: Acetum est vinum corruptum, vinum verò acescens est in via solùm ad corruptionem, sicut in *R.* 4. de pane dictum est. *Resp.* 7. Agresta non est materia consecrabilis, benè tamen mustũ. *S. Thom. art.* 5. *ad* 3. *Ratio*: Agresta solùm est in via generationis, & nondum habet speciem vini, quam tamen habet mustum. *Ergò*.

Nota ex S.Thom. *ibid.* quòd uvæ integrę non debeant huic Sacramento misceri, quia iam esset ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam, ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur: quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Dicitur enim à Julio Papa: Si necesse fuerit, botrus in calice prematur. *Resp.* 8. Vinum miraculosè factum, *v.g.* ex aqua, vti in Cana Galilęæ, est materia consecrabilis, etiam licitè. *Ratio*: Quia est vinum de vite, non quòd creverit in vite, sed habens naturam veri vini de vite; quod sufficit.

* 6 *Resp* 9. De necessitate præcepti debet vino, quod in hoc Sacramento offertur, misceri modica naturalis aqua, non tamen de necessitate Sacramenti. *Ratio* 1. *p. ex a.* 6. fundatur in institutione Christi: creditur enim, quod Christus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permixto secùndum morem illius patriæ. Vndè, & Prov. 9. dicitur: *Bibite vinum, quod miscui vobis*. Congruentiam *dat* S. *D.* Quia illa mixtio est conveniens ad significandum effectum huius Sacramenti, qui est vnio populi Christiani ad Christum; quia, vt Julius Papa dicit, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi Sanguinem Christi. *Ratio* 2. *p.* Quod scilicet aqua debeat esse modica, nimirum vna, & altera gutta sensibiliter admixta. Quia aliàs non posset converti in vinum, vti converti debere posteà probabitur. Nota ex *S. Thom. a.* 8. *ad* 3. si aqua antèà apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem huius Sacramenti, sed operet aquam vino apponi circa ipsam Sacramenti celebrationem. *Ratio* 3. *p. ex a.* 7. Apositio aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem huius Sacramenti à fidelibus quoad adunationem populi cum Christo: sed vsus fidelium non est de necessitate huius Sacramenti, sed quid consequens ad illud, vt ex sæpè dictis patet *Ergo*. Ex quo Sequitur, quod, quin Sacrificio aquam non apponeret, validè quidem consecraret, sed non licitè, graviterque peccaret.

* 7 *Resp.* 10. Nulla Eucharistiæ materia est tam magna, vel parva, quæ validè consecrari non possit, modo sit Sacerdoti saltem moraliter præsens: quæ præsentia est de necessitate, & moralis sufficit. Patet ex *art.* 2. *S. Thom. Ratio*: Tum quia Christus Apostolis dedit potestatem absolutè, nulla facta limitatione. Tum etiam quia particulæ demonstrativæ. *Hoc* & *Hic* in forma consecrationis

significant consecrati, quod est presens, ac materia debita, & nisi moraliter præsens, seu aliquo sensu perceptibilis sit, per dicta pronomina demonstrari non potest. *Ergo*. Nota tamen, graviter peccaturum Sacerdotem, qui sua potestate quoad hoc irrationabiliter vteretur, hostias nimis multas, aut materiam nimis magnam, vel nimis parvam, ersi fat sensibilem, consecrando.

8 * QUÆRO II. Aqua Calici admixta convertiturne immediatè in Sanguinem Christi, vel prius in vinum? *Resp.* Probabilius est, quod aqua prius convertatur in vinum, & mediante vino in Sanguinem. Ita Angelicus Doctor expresse *hic a.* 8. *in c. sic discurrens*: Circa aquam adiunctam vino, sicut *Innocen.* III. dicit in quadam Decretali, triplex est opinio. *Quidam* enim dicunt, quod aqua adiuncta vino per se manet, vino converso in Sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi Corpus, & Sanguis Christi: alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. *Et ideò* alij dixerunt, quod, sicut vinum convertitur in Sanguinem, ita aqua convertitur in quam, quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinū à pane. *Et ideò*, sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam converti in vinum, & vinum in Sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeò modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum. *Hæc S. Thom.*

Ratio: Nihil convertitur immediatè in Sanguinem Christi, nisi quod ex Christi institutione est idonea materia consecrationis: sed iuxta perpetuā Ecclesiæ Traditionem, & Conciliorum, *Florent.* & *Trident.* diffinitionem, talis materia est solum vinum de vite, seu habens naturam veri vini de vite, tale autem non est aqua manēs in sua natura, etiam vino iuxta posita. Ergo. *Confirm.* 1. Ratio consecrabilis non solum debet reperiri in toto consecrabili, sed etiam in quavis eius parte sensibili: Sed in aqua vt vino solum iuncta, tanquam parte, non reperitur ratio consecrabilis. Ergo, vt consecretur, debet prius verti in vinum. *Confirm.* 2. Sub aqua immediatè non potest Sanguis Christi conservari. Ergo illa non potest immediatè in eum converti. *Conf. patet*: Quia Sanguis Christi debet posse conservari in materia immediatè consecrabili.

* 9 Ex quibus colligitur sensus *SS. PP.* dicentium, quod aqua offeratur, & consecratione mutetur in Sanguinem Christi, & quod consecretur Calix aquā mixtus: loquuntur enim de oblatione, & consecratione non immediata, sed mediata, nimirum mediante vino, in quod aqua prius convertitur. Exemplum sit de elementis; hæc enim in mixto non manent formaliter, sed solum virtualiter, & tamen vera est hæc locutio: Corpus humanum est mixtum ex elementis, seu elementa sunt in homine. Item hoc mixtum cum elementis convertitur in cadaver; si non immediatè, saltem mediatè ita etiā licèt aqua non maneat formaliter in vino, quoad suam substantiam, et tamen verum dicere, Aqua est vino, vinum est aquæ mixtum, sed, quod *N.B.* non illa mixtione, de qua agitur in Physica *in 1. de Generat.* in qua ex miscibilibus in se invicem agentibus, & reagentibus, ac à se invicem corruptis generatur vnum rertium, sed qua vnum ab altero prædominante in ipsum convertitur. Sic vt non differat in Eucharistia dari duas transsubstantiationes, vnam supernaturalem, & miraculosam, nimirum panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, quæ sola fit vi verborum; alteram naturalem, nimirum aquæ in vinum.

* 10 *Oppono* 1. Christus apposuit aquam in magna quantitate. Ergo non poterat prius in vinum converti. *Prob. ant.*: Christus aquam apposuit iuxta morem Patriæ: sed iuxta morem Patriæ (qui respiciebat temperantiam) apponebatur in magna quantitate. Ergo. 2. *Si aqua* prius fit vinum: Ergo materia Consecrationis non est solum vinum de vite, sed etiam de aqua. 3. *Non* est assignabilis qualitas dissymbola, per quam vinū in se convertat aquā. 4. *Saltem* illa conversio non potest fieri in casu, quo aqua, ex oblivione non apposita, esset adhuc apponenda immediatè ante Consecrationem.

Ad 1. *neg. ant.* admittitur tamen, quod Christus aquam apposuerit in maiori quantitate, quam nos, & hoc ideò, quia tanquam perfectissimus naturarum omnium comprehensor sciebat quantum aquæ posset converti in tantum vini. Ad *prob. dist. mai.* Iuxta morem, & etiam ex eadem causa, ob quam erat de more Patriæ, scilicèt ob temperantiam, *neg. mai.* ob aliam causam, nimirum mysticam significationem vnionis populi cum Christo, *conc. mai.* Quæ vnio licèt solum sit moralis, per hoc non tollitur, quod conversio aquæ in vinum, sit in se physica. Quia bene stat, aliquid in se esse quid physicum, sub ratione tamen signi ad placitum, seu vt institutum, esse quid morale, vt patet in signis à Deo, vel homine institutis. *Ad* 2. patet ex *R.* 8. *ad Q.* 1. in hoc *E. n.* 5.

Ad 3. *neg. ant.* quia illa qualitas est calor vini, qui non est quidem formalis, sed virtualis calor, estque ipsa naturalis acrimonia vini, formaliter in eo existens; sua actione aquam alterans, corrumpens, & quasi absorbens. Exemplum caloris virtualis patet in Sole, & pipere. *Ad* 4. *neg. ant.* Sufficit enim brevis mora. Si tamen in eo casu aqua ob vini debilitatem non converteretur in illud, sed maneret in sua substantia, esset per accidens; Vti, & tunc per accidens totum, quod est in Calice, non posset adorari latria.

* 11 *Quomodo* in hoc casu evitaretur periculum Idololatriæ? *Dico*, *hoc modo*: Quia adoratio dirigitur fide, quæ docet, in Calice nihil esse adorandum, nisi Sanguinem Christi. Idem patet in casu, quo musca cecidisset in Calicem. *Quomodo* subsistit in eo casu forma consecrationis, & specialiter particula *Hic*? *Dico*, subsistit; quia ly *Hic* in forma Consecrationis tantum designat contentum sub Speciebus vini, & intentio tum Christi, tum Sacerdotis solum est, vt consecretur materia idonea, quæ est solum vinum de vite. *Quid si* ille casus contingeret in Nativitate Domini, potestne Sacerdos legere secundam Missam? *Ratio* dubitandi est, quia videtur solvisse ieiunium, sumendo illam aquam è Caliçe. *Dico*, potest. *Tum* quia non scit, quod non sit conversa. *Tum* etiam quia talis aqua sumitur per viam Sacramenti ob coniunctionem cum Speciebus, in quo differt ab ablutione, quæ ideò ieiunium solvit, quia sumitur seorsim à Speciebus, & sine coniunctione ad illas. *Cur vos* Dominicani in Missis privatis aquam apponitis à principio Missæ? *Dico*, Ideò, vt simus, eo magis certi de conversione aquæ in vinum.

* 12 QUÆRO III. Possitne in aliquo casu saltem Papa dispensante, vna Species licitè consecrari

cari sine altera? *Resp.* Licèt vna species possit sine altera consecrari validè. 2. *Nunquam* tamen licitè, altera consecrari valide. 3. *Nec* in hoc potest Papa quæcumque sit necessitas. 3. *Nec* in hoc potest Papa dispensare, vel Legem interpretari. Vndè vtriusque Speciei consecratio est de iure divino, & non tantum Ecclesiastico. *Ratio* 1. *p.* Forma Consecrationis vnius Speciei non dependet ab altera, quia independenter ab illa significat Corpus Christi, Ergo, & ponit: Quia verba sunt practica. *Ratio* 2 & 4. *p.* De iure divino est, quod Consecratio Eucharistiæ sit simul Sacrificium, pura, incruentum, de quo infrà, vt patet ex institutione Christi: sed non potest esse Sacrificiũ nisi consecretur vtraque Species. Ergo. *Min. prob.* Sacrificium incruentum ex sua institutione est repræsentatio sacrificij cruenti in Cruce oblati: Sed hoc non fuisset perfectum, sed mutilum sine effusione Sanguinis. *Ergo.*

Ratio 3. *p.* Papa etiam vi vniversalis potestatis clavium sibi datæ, non potest dispensare in iure divino absoluto, vel in eo, quod spectat ad substantiam, aut integritatem Sacramentorum, aut sacrificij Missæ: sed, vt patet ex *Trid. sess.* 21. *c.* 2. quæ circa hæc potest, solum potest salva eorum substantia, nec potest, vtpotè inferior, dictum ius Dei, vtpotè superioris, authoritativè interpretari. *Subsumo*: sed, vt probatum est, vtriusque Speciei Consecratio est de substantia, & integritate Sacramenti, & sacrificij Eucharistici: Ergo. *Confirm. de interpretatione.* Nam hæc solum habet locum tunc, quando ius est obscurum, vel est dubium, an ad talem casum se extendat: sed nos sub præcepto divino obligari ad confectionem huius Sacramenti, vt substantialiter integri, non est obscurum, sed luce clarius, vt patet ex dictis. *Ergo.*

Quomodo Papa possit (nimirum impropriè) dispensare in iuramento, voto simplici, & iuxta aliquos; etiam in matrimonio rato, quę non sunt de iure divino absoluto, sed solum ex suppositione actus humani liberi; Vidè suprà T. 6. de Lege naturali. *E.* 2. *n.* 10. *Et ibid. E.* 5. *n.* 77.

* 13 *Oppono* 1. Ius divinum præcipit, vt celebrans sumat veramque speciem, & tamen licitè fit *oppositum*, vt patet in *Neomystis* cum Episcopo celebrantibus. Ergo. 2. *Vna* species licitè conservatur sine altera. Ergo, & consecratur, &c. *Ad* 1. *dist. ant.* Vt celebrans principalis, qui est Episcopus ordinãs, *conc. minus principalis*, vti est Sacerdos ordinatus, *neg. Ad* 2. *neg. conseq.* Quia vnum iure divino prohibetur, alterum non. Et vi huius præcepti vna species ab altera magis dependet in fieri, quam in facto esse.

* 14 *Quomodo ergo* resolvis hos casus? 1. *Sacerdos* consecrat aquam loco vini, quod deprehendens, vinum absolutè non potest habere, vel saltem non sine evidenti periculo vitæ? 2. *Si quis* ex metu mortis certo imminentis consecret vnam speciem sine altera? 3. *Si quis* Sacerdoti minetur mortem nisi pro Communione infirmi consecret speciẽ panis sine specie vini. Nam ibi concurrunt tria præcepta, nimirum de Communione summenda in articulo mortis, de servãda vita, & de integritate Sacramenti: sed duo prima præcepta sunt maiora tertio. Ergo illa sunt servanda 4. *Potest* esse casus, quod ad quandam Provinciam non posset asportari vinũ, & nisi species panis consecraretur, esset periculum, ne tota deficeret à fide?

Ad 1. Tutè non esse obligationem consecrandi speciem vini propter impotentiam physicam, vel moralem. Eadem de causa excusaretur quis à sumptione Calicis ob venenum in eo deprehensum. *Ad* 2. Duplex est metus, v. g. mortis, vnus ab intrinseco, alter ab extrinseco. Primus infertur à causa naturali, seu non libera, v. g. venenum respectu sumptionis (etsi hoc fortè à causa libera fuerit appositum,) ast hoc se habet materialiter, & remotè, vel iamiam impendens ruina templi, specie panis consecrata. Et talis metus excusat in præsenti casu. Metus mortis ab extrinseco excutitur à causa libera: Et hic non excusat. Sicut si Machabæi comedissent carnes suillas ob metum mortis (quia erat ab extrinseco) incussum ab Antiocho, peccassent, non tamen si eas comedissent, ne fame perirent, quia hic esset metus ab intrinseco. Sic etiam, si quis secundæ speciei consecrationem omitteret ex metu ruinæ templi, nõ peccaret, peccaret tamen, si eam omitteret ex metu mortis sibi incusso ab homine in contemptum Fidei, vel Sacramenti. *Idem est*, si fieret ad communicandum infirmum, licèt enim tunc ille minus explicitè velit vtilitatem proximi, quia tamen scit consecrationem vnius Speciei sine altera esse Lege Divina prohibitam, implicitè, & interpretativè vult contemptum Legis Divinæ, & Dei; à qua implicita intentione non potest eius voluntas in tali causa denudari. Ex quibus patet, aliud esse, à principio habere intentionem consecrandi vtramque speciem, & postea per accidens ob metum ab intrinseco talem impediri à secundę Speciei Consecratione: & aliud, à principio habere intentionem consecrandi vnam Speciem tantum; quod posterius nunquam licet.

Ad 3. *R.* nec tunc licere: Negatur enim, quod præceptum de communicando in *art. mortis*, & de servanda vita sit maius, quam præceptum de integritate Sacramenti. Quia ritum pro Eucharistia obficienda à Christo institutum servare integrum, & substantialiter immutatum, maius bonum est, quam vita corporalis, & quam Communio infirmi in re, cum hic Eucharistiam possit habere in voto, & sic salvari. Sicut ob dandum Viaticum, ne quidem licet celebrare, vtramque speciem consecrando sine sacris vestibus. Ex quo sequitur, quod præceptum Communionis in agone obligat sub hac conditione, si debitè fieri potest, seu si sit copia Sacramenti: quando vero vtraque species non potest consecrari moraliter loquendo, non est copia huius Sacramenti. *Nec vetent instare*: Præceptum, quod cedit simul ad Dei gloriam, & animarum vtilitatem, maius est eo, quod cedit in gloriam Dei tantum: sed præceptum Communionis habet se primo modo, præceptum verò de integritate Sacramenti se habet secundo modo. *Ergo.* Nam maior est vera, si primum præceptum sit absolutum, non verò si solum conditionatum, vti in præsenti.

Ad 4. est casus metaphysicus. Quo tamen dato, populus adhuc posset salvari per votum huius Sacramenti, quod per animarum Curatores populo sedulo esset præcipiendum: cui prædicationi, & divinę voluntati homines timoratæ conscientiæ facilè acquiescerent. Omni ergo necessitati succurrendi est permedia ordinata, non verò per talia, quæ iuri divino præiudicant; vti præiudicat Consecratio vnius Speciei.

Ex quibus Colligitur, præceptum divinum de vtraque Specie consecranda esse negativum, seu obligans semper, & pro semper, licet appareat explicari ad modum præcepti affirmativi per illa verba

92 Christi: *Hoc facite in meam commemorationem, &c.* sicut è contra tantum est præceptum affirmativum, quo Sacerdos tenetur Sacramentum, quod factum fuerat imperfectum, facere perfectum. Quod proinde obligat quidem semper, sed non pro semper, vt patet ex dictis de metu mortis ab intrinseco, *T. 3. E. 1. n. 13.*

EXAMEN III.

De Præsentia, & modo quo Christus est in Eucharistia, & de accidentibus Panis, & Vini remanentibus.

S. Thom. quæst. 75. 76. & 77.

* 1 QUÆRO 1. Estne in hoc Sacramento Corpus Christi secundùm veritatem? *Hæc* quæstio ad controversitas spectat, ideò breviter expediendâ. *Resp.* Christus est in Eucharistia, non solùm vt in signo, & figura, sed *verè*; nec solùm *obiectivè*; sed *realiter*; nec solùm secundùm *virtutem*, sed *substantialiter*. Est de fide contra hæreticos, & docetur à S. Thom. q. 75. art. 1. Patetque Ioan. 6. Nam ibi Christus ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, &c. Nisi manducaveritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem.* Sed ibi Christus non loquitur de manducatione spirituali per fidem, vt putat Calvinus. Ergo de reali, & substantiali. *Prob. min.* 1. Quia aliàs Christus frustrà diceret, *dabo*, sed deberet dicere; *dedi*, qui per fidem iam pridem dederat. 2. *Christus* frustrà distingueret inter comestionem, & bibitionem; si enim hæ fiant per fidem, sunt idem, nimirum credere in Christum. 3. *Frustrà* Christus cibum Eucharisticum prætulisset mannæ, dicens: *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna.* Ioan. 6. v. 59. Quia etiam illud erat signum Corporis Christi veri, & per illud Christus spiritualiter manducabatur per fidem: & sic quantùm ad hoc Sacramentum fideles N. L. non essent melioris conditionis, quàm Veteris Legis. Ergo. *Neg.* Dum Scriptura, & *SS. PP.* Eucharistiam vocant figuram, signum, commemorationem, loquuntur de speciebus exterioribus, non verò de re contenta sub illis. Et dum asserunt, quòd cœlum contineat Christum vsque ad tempus Resurrectionis mortuorum, quòd Christus mundum reliquerit, quòd eius Corpus manducari à nobis non possit, sermo est de aspectabili eius præsentia, & visibili, ac humana cum hominibus conversatione, & manducatione sub propria specie; quòd autem invisibiliter (substantialiter tamen) velit nobiscum esse vsque ad consummationem sæculi, ipse promisit. *Quando* Eucharistia vocatur Panis, & Vinum, nihil obstat; Quia Scriptura sæpè aliquid appellat nomine illius, ex quo factum est. Sicut homo vocatur terra, aut pulvis (quia ex terra est factus.) Hinc S. Augustin. citatus à Gratiano can. vtrum sub figura, de consecr. dist. 2. ait: *Corpus Christi, & veritas est, & figura est. Est veritas, dum Corpus Christi, & Sanguis ex Panis, & Vini substantia efficitur: figura verò est id, quod exterius sentitur.*

* 2 *Oppono* 1. Apost. 1. *Cor.* 11. *ait*: Patres nostri eandem escam spiritalem manducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt: Sed illi manducaverunt sola fide, & in figura. Ergo & nos. Et *Ioan. 6.* Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba, quæ locutus sum, Spiritus, & vita sunt, ideſt, spiritualiter intelligenda. Ergo. 2. *Sequitur*, accidentia Panis, & Vini esse sine subiecto, quod fieri nequit. 3 *Corpus* Christi in Eucharistia esse, & non esse in loco, seu esse inextensum localiter, cùm tamen extensio ad locum sit effectus formalis quantitatis. 4. *Idem* Corpus (indivisum manens) esse simul in pluribus locis, immò in innumeris hostijs, & altaribus. 5. *Corpus* Christi quandoque in terra cadere, à muribus derodi, devorari, dentibus teri, in substantiam aliti verti, ad motum spectrum simul sursum, & deorsum moveri, putrescere, Sanguinem Christi acescere, in ventrem, & secessum ire, &c.

Ad 1. Apostolus vult; esse eandem escam ex parte rei manducatæ, non autem ex parte modi manducandi. Nos Christi carnem manducamus per fidem, & simul realiter; Patres verò nostri per fidem tantùm. Ad alterum; patet ex *S. Thom. hic, q. 75. art. 1. ad 1.* vbi S. *Augustinum explicans ait*: Per hoc autem, quod subdit, Sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, non intendit, quòd Corpus Christi sit in hoc Sacramento solùm secundùm mysticam significationem, sed spiritualiter dici, ideſt, invisibiliter, & per virtutem Spiritus Sancti. Vndè super *Ioan. tract. 27. tom. 9.* exponens id, quod dicitur, *Caro non prodest quicquam*, dicit: Sed quomodo illi intellexerunt, carnem quippè sic intellexerunt manducandam, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur: accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis. Hæc ibi.

Ad 2. *R.* Id naturaliter quidem fieri non posse, benè tamen miraculosè. *Ad* 3. ita est. Nam extensio ad locum solùm est effectus secundarius quantitatis, ab ea realiter distinctus, & miraculosè separabilis; licèt effectus primarius, qui respectu eius est extensio partium in ordine ad se, sit ipsa forma, seu quantitas communicata subiecto. Vndè *S. D. art. 1. cit. ad* 3. *ait*: Corpus Christi non est eo modo in hoc Sacramento sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali modo, qui est proprius huic Sacramento. Vndè dicimus, quòd Corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in Sacramento: per quod non intelligimus, quòd Christus sit ibi solùm sicut in signo, licèt Sacramentum sit in genere signi, sed intelligimus Corpus Christi hic esse secundùm modum proprium huic Sacramento. Hæc ibi; nimirum modo indivisibili, ad locum inextenso, seu ad modum substantiæ, nò quantitatis. *Ad* 4. *dist.* Localiter, & circumscriptivè, *neg.* sacramentaliter, & per conversionem, seu transsubstantiationem, *conced.* Itaque Corpus Christi in cœlo est circumscriptivè, & à loco ibidem ita concluditur, seu circumscribitur, vt secundùm eundem essendi modum, nimirum circumscriptivè, nec sit, nec esse possit alibi, iuxta Thomistas in Physica: benè tamen secundùm diversum essendi modum, nimirum *sacramentaliter*, immò simul habet in diversis hostijs præsentia sacramentalis.

Nec est eadem ratio de præsentia sacramentali, & circumscriptivâ. Quòd enim prior in eodem corpore possit multiplicari, & non altera, est ideò, quia ratio formalis essendi in loco sacramentaliter

est conversio vnius substantiæ in aliam in Sacramento: *ratio* autem essendi in loco quantitativè, seu circumscriptivè est quantitas. *Subsume*: Sed possunt multiplicari, & secundum fidem defacto multiplicantur conversiones substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis Christi, non tamen potest in eodem corpore multiplicari quãtitas molis, nequeunt enim plura accidentia solo numero distincta simul esse in eodem subiecto. Ergo.

Ad 5 exclamo cum S. August. lib. 22. de Civit. cap. 11. *Ecce quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* Omnia ergo illa fiunt in speciebus externis, nõ in Corpore Christi, quod non est Eucharistia modo passibili, sed impassibili, vndè, nec lædi, nec pati ibi potest. Sicut ergo dum corpus cuiusvis hominis cadit in terram, truditur, læditur, sordescit, putrescit, non tamen anima dicitur cadere, lædi, sordescere. Ita similiter. *Item* potest res per accidens, seu ratione alterius simul moveri sursum, & deorsum, vt anima in diversis membris. Vide infrà de formæ Eucharistiæ, vbi dicetur, quod formæ verba sint practica, & non solùm significent, sed efficiant præsentiam sacramentalem.

* 3 QUÆRO II. Manetne in Eucharistia aliquid de pane, & vino? & quid illud? *Hæc* quæstio etiam spectat ad Controversistas. *Resp.* In Consecratione Eucharistiæ fit transsubstantiatio, seu vera substantialis conversio totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, ita vt nec materia, nec forma, nec aliud quid substantiale de pane, & vino maneat, sed sola eorũ accidentia, seu species. Est contra Lutheranos, tenentes contra veram fidem, quòd maneat substantia vini, & panis, & Corpus Christi sit simul cum pane seu in pane, qui indè dicti sunt *Impanatores*.

Ratio est, quam insinuat *S. D. q.* 75 *a.* 2. *in corp.* Si maneat panis, falsa sunt verba Christi: *Hoc est Corpus meum.* Sed hoc nequit dici. Ergo. *Mai. prob.* Pronomen demonstrativum *Hoc* significat, quòd substantia sub accidentibus panis contenta sit Corpus Christi: sed si sub eis manet panis, id non significat. Ergo. *Mai. patet* Hæc enim propositio: *Hoc est Corpus meum*, est affirmativa, vera, & formalis propositio: sed ad veritatem propositionis affirmativæ requiritur identitas prædicati, & subiecti, vt docetur in Dialectica. Ergo. *Min verò probatur*: Si panis maneat, sensus verborum est hic; substantia panis (vtpotè sub illis accidentibus contenta) est Corpus meum, qui sensus est falsissimus. Ergo.

Confirm. Si in aliquo sacco simul esset triticum, & lapides, falsa esset hæc propositio: *Hoc est triticum.* Ergo etiam falsa est hæc propositio: *Hoc est Corpus meum*, si simul maneat panis. *Prob. conseq.* Ideò prior propositio esset falsa, quia deficeret identitas prædicati, & subiecti, (ex eo enim, quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa,) & quia triticum, & lapides omninò disparatè sè habent: sed idem est in præsenti, si maneat panis, & vinum in Eucharistia, vt patet. Ergo.

Ex quibus sequitur, quòd substantia panis, & vini non annihiletur, vt docet *Sanct. Doct. quæstione* 75. *a.* 3. vbi specialiter *ad* 1. *ait*: Substantia panis, & vini facta consecratione, neque sub speciebus Sacramenti maner, neque alibi. Non tamen sequitur, quòd annihiletur: cõvertitur enim in Corpus Christi. Et *ad* 3. *ait*: Licèt post consecrationem hæc sit falsa, substantia panis est aliquid, id tamen, in quod substantia panis est conversa, est aliquid. Et ideò substantia panis non est annihilata *Hæc ibi.* Quòd autem nihil substantiale de pane, & vino maneat, etiam sequitur; quia alias non esset perfecta transsubstantiatio.

Quòd maneant accidentia, congruenter ostendit *S. D. q.* 75. *art.* 5. *in corp. dicens*: Sensui appareret, facta consecratione omnia accidentia panis, & vini remanere: Quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. *Primo* quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile, carnem humanis comedere, & sanguinem bibere. Et ideò proponitur nobis Caro, & Sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quæ frequentiùs in vsum hominis veniunt, scilicèt panis, & vini. *Secundò*, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus. *Tertiò*, vt dum invisibiliter Corpus, & Sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei. *Hæc S. D.*

Vide *n.* 1. ad 2. oppos. quomodo accidentia possint esse sine subiecto. Adde, quòd quamvis accidentia etiam per absolutam Dei potentiam non possint existere per se perfectate intrinseca, quæ debetur soli substantiæ, benè tamen perfectate extrinseca, ideſt per extrinsecam Dei manutenentiam accidentium sine subiecto, seu causa materiali. Quamvis enim Deus se solo non possit suplere causalitatem causæ materialis intrinsecæ, seu materiæ primę, per modum partis, cum forma totum compositum constituentis, potest tamen supplere causalitatem materialem extrinsecam (qualem habet subiectum respectu accidentium) non quidem in eodem genere causæ, sed in genere causæ efficientis accidentia sine subiecto conservantis.

* 4 *Oppono*: Forma panis est accidens: sed illa non manet. Ergo. *Prob. mai.* Panis est quoddam artificiale, Ergo forma panis est accidens. *Ad hoc neg. mai.* Ad *prob. neg. conseq.* Rationem negationis dat *S. Thom. q.* 75. *art* 6. *ad* 1. *dicens*: Nihil prohibet arte fieri aliquid, cuius forma non est accidens, sed forma substantialis; sicut arte possunt produci rane, serpentes, &c. talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialem panis, & virtute ignis decoquentis materiam ex farina, & aqua confectam. Hæc ibi.

* 5 QUÆRO III. Quid virtute verborum consecrationis ponitur, seu continetur sub quavis specie, nimirum panis, & vini? de quo *S. D. q.* 76. *art.* 1. 2. & 3.

Ante R. nota ex art. 1. sub speciebus Sacramentalibus posse aliquid contineri duobus modis. 1. *Ex vi* verborum, quod nimirum per verba consecrationis formaliter, & expresè significatur, adeòque est terminus primarius cõversionis. Quod alij paulò aliter explicant, dicendo: Esse id, quo posito ponitur veritas formæ, & quo ablato tollitur. 2. *Concomitanter*, vti est illud, quòd etsi per verba non significetur, vel exprimatur, est tamen quid realiter vnitum termino primario per verba formæ significato. Quo notato.

Resp. 1. Ex vi verborum sub speciebus panis ponitur solum Corpus Christi, sub speciebus vini solus Sanguis Christi. *Ratio*: Quia hoc solum expresè, & formaliter per verba formæ significatur.

Resp. 2. Defacto sub speciebus panis per con-

comitantiam continetur Sanguis, & sub speciebus vini Corpus. *Ita S. Thom. art. 2. Ratio*: Quæ sunt coniuncta coniunctione naturali, & adæquata, vbi est vnum, ibi est, & alterum, saltem per concomitantiam: sed talis coniunctio defacto est inter Corpus, & Sanguinem Christi. Ergo. Dixi, *defacto*; Quia cum in triduo mortis Christi non fuerit talis coniunctio inter Corpus, & Sanguinem eius (fuerunt enim separata) si tunc fuisset facta consecratio, sub speciebus vini fuisset Sanguis sine corpore, & sub speciebus panis Corpus sine Sanguine. Quia totus Sanguis dicitur, & creditur esse effusus.

* 6 *Resp.* 3. Etiam anima Christi, quà anima, est per concomitantiam sub vtraque specie, sicut & Divinitas, & Verbum Divinum, *S. Thom. art. 1. ad 1. Ratio* patet ex dicta reali coniunctione. Vide infrà in *Ex. 4. sequent. num. 59. vsque ad finem.* Et *Ex. 5. num. 74.*

Notà, hanc Propositionem, Quando duo sunt coniuncta, vbi est vnum, ibi etiam est alterum, esse veram *primò* de coniunctione adæquata, ita vt vnum æquè latè patear, seu se non magis extendat, quàm alterum. Hinc quia humanitas Christi, & Verbum Divinum non vniuntur adæquatè, etsi benè sequatur, Vbi est humanitas ibi est Verbum: non tamen sequitur, Vbi est Verbum, ibi est Humanitas. Quia aliàs Humanitas esset vbique, sicut Verbum Divinum est vbique.

Secus intelligitur de coniunctione naturali, seu tali, vt illa, quæ sunt coniuncta spectent ad integritatem, seu constitutionem eiusdem, vti in homine sunt brachia, manus, caput, sanguis naturalis, & alij humores in sua puritate considerati. Hinc quia excrementa, saliva, sudor, lacrymæ (idem est de vestibus, & cibo) non habent talem coniunctionem cum Corpore Christi, non sunt per concomitantiam in Eucharistia. *Idem* est de accidentibus, & attributis relativis ad locum, seu dependentibus ab extensione locali, vti stare, sedere, iacere, &c.

* 7 *Resp.* 4. *Pater*, & Spiritus Sanctus propriè sacramentaliter non sunt in Eucharistia, etiam per concomitantiam mediatam. *Ratio* fundatur in S. Thom. infrà q. 79. a. 7. ad 3. dicente: *Sub Hostiâ non est nisi totus Christus.* Nihil enim modo sacramentali per concomitantiam continetur in hoc Sacramento, nisi spectet ad totalitatem, & constitutionem Christi, & dicatur cum eo concomitanter immolari, offerri, manducari, &c. Sed Pater, & *Spiritus Sanctus* licet vniantur Deitati, & Verbo Diuino, non tamen spectant ad totalitatem, & constitutionem Christi, nec dicuntur immolari, &c. *Ergo.*

Resp. 5. Totus Christus est in tota Hostia, & totus in qualibet parte Hostiæ, etiam minima, sivè coniuncta, sivè separata, sensibili tamen *S. Thom. a.* 3. *Ratio* S. D. est: Christus succedit loco panis: sed natura panis non solum est in toto pane, nec solum est in parte coniuncta, sed etiam in parte separata, etiam minima, modo sit sensibilis. Ergo, & Christus. *Quæri* hic posset, an quando in hoc Sacramento miraculosè apparet puer, vel caro, sit ibi verè Corpus Christi. Hoc videatur clarè explicatum in S. Thom. hic *quæst.* 76. *art.* 8.

*** *** **

EXAMEN IV.

De forma, effectu, vsu, & Ministro Eucharistiæ.

S. Thom. à quæst. 78. vsque ad 82. inclusivè.

* 1 QUÆRO 1. Quænam verba sunt de essentia formæ consecrationis? *Resp.* 1. Probabilius est, quod de essentia formæ consecrationis sint hæc sola verba: *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei.* Vel, *Hic est Sanguis meus.* Patet ex S. *Thom. art. 1. 2. & 3.* Supponitur autem, quòd ly *enim* sine gravi peccato non possit omitti, & quod ad valorem sufficiat (vt patet ex suprà dictis) alia verba æquivalentia, servandus tamen in idiomate sit mos Ecclesiæ. *Ratio*: Non alia verba sunt de essentia formæ consecrationis vtriusque speciei, quam quæ adæquatè significant præsentiam Corporis Christi sub speciebus panis, & Sanguinis sub speciebus vini, quâ proinde, & causant, cum sint practica: sed illam præsentiam adæquatè significant præfata verba. Ergo. *min.* declaratur: Particula *enim* non significat, nec efficit præsentiam sacramentalem, sed verba formæ solum connectit cum illis verbis antecedentibus, scilicet *accipite, & comedite*, ac reddit sensum causalem vsus huius Sacramenti, vsus autem non est de essentia huius Sacramenti, sed solum conditio applicata quoad effectum, vel illud complet complemento solum extrinseco. Ergo. Deinde ad dicendum, verba illa prævia, *Qui pridie, quam pateretur*, esse de essentia formæ, solum movere potest hæc ratio, vt intelligatur, quod verba significent Corpus Christi, & proferantur nomine eius, non Sacerdotis: sed hæc ratio non probat, quia ad id sufficit formalis, vel virtualis intentio Sacerdotis, etsi eam exterius in verbis non exprimat, vt patebit ex dicendis ex *S. Thom. art. 1. ad 4.* Ergo.

Circa essentialia verba formæ consecrationis vini controversia est inter ipsos etiam Thomistas. Nam Gonet, & alij volunt, etiam alia sequentia verba nimirum *novi Testamenti, qui pro multis effundetur*, esse de essentia, fundantes se in verbis *S. T. hic art. 3. in c. dicentis*: Circa hanc formam est duplex opinio: Quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ huius est solum hoc, quod dicitur, *Hic est Calix Sanguinis mei*, non autem ea, quæ sequuntur; sed hoc videtur inconveniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, id est, Sanguinis Christi. Vnde pertinent ad integritatem eiusdem locutionis. Et propter hoc sunt alij, qui melius dicunt, quod omnia sequentia sunt de substantia formæ vsque ad hoc, quod posteà sequitur, Hæc quotiescumque feceritis, quod pertinet ad vsum huius Sacramenti. Vnde non est de substantia formæ. Et indè est, quod Sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo Calicem in manibus, omnia hæc verba profert. *Luc. etiam. 22.* interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cùm dicitur, *Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine.* Dicendum est ergo, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ: sed per prima verba, cùm dicitur, *Hic est Calix Sanguinis mei*, significa-

ficatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis. Per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in Passione, quæ operatur in hoc Sacramento. Hæc S. Thom.

Confirmant hoc 1. *Ly* substantia apud S. Tho. idem significat; quod essentia, nam suprà *quæst. 60. art 8.* agens de substantia formæ Sacramentorum pro eodem accipit, esse de substantia, ac esse de essentia; ait enim ibidem: *Si diminuatur aliquid illorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum.* Immò (ait Araujo) núquam invenitur apud ipsum, substantiam non accipi pro essentia. Ergo.

Confirmant 2. *S. Thom.* ait: *Quidam dixerunt, quod de substantia formæ hujus est hoc solum, quod dicitur, Hic est Calix Sanguinis mei, non autem ea, quæ sequuntur.* Et subdit: *Sed hoc videtur inconveniens.* Item *alij melius dicunt, quod omnia sequentia sunt de substantia formæ. Subsumo:* Sed in his vltimis verbis *S.D.* per substantiam intelligit essentiã. Ergo. *Prob. mis.* S. Thom. in eodem sensu accipit nomen substantiæ, in quo Auctores, quos impugnat, illud accipiebant, quia aliàs æquivocaret, & nihil diceret ad propositum, nec benè eos refutaret: sed illi Auctores nomen substantiæ accipiebant pro essentia. Ergo.

Confirmat. 3. *S. Thom. in 4. d. 8. quæst. 2. ar. 2. quæst. 1. ad 3.* argumentum (quòd sic habebat) proprietates naturaliter consequuntur substantiam rei: sed illud, quod consequitur substantiam, non potest esse factivum transsubstantiationis. Ergò eum illa verba, quæ consequuntur, designent aliquas proprietates sanguinis, in quem fit transsubstantiatio, videtur, quod non sint de forma; ad hoc, inquam, respondet sic S. Thom. *Quamvis illa verba, quæ sequuntur, designent aliquas proprietates Sanguinis, inquantum huiusmodi, sunt tamen essentiales Sanguini, inquantum est per passionem effusi.* Subsumunt: sed Eucharistia est instituta non solum per modum cibi, & potus spiritualis, sed etiam, vt expressè tanquam Sacrificium significet Passionem Christi, quæ completa, & consummata fuit in effusione Sanguinis. *Ergo.*

Confirmat. 4. Pius V. oppositam sententiam ex Comentarijs Caietani, qui hæc in parte à S. Tho. recesserat, iussit expungi. Ergo. *Confirmat. 5.* Ecclesia Latina tam necessaria iudicat illa verba sequentia, vt in Rubricis Missalis præcipiat; formã ex integro esse repetendam, si contingeret aliqua illorum verborum omitti. Ergo sunt de essentia. *Prob. conseq.* Quia alias non esset opus omissa repetere.

His non obstantibus probabilius manet, quòd sententia nostra attingat mentem S. Thom. Prob. 1. Quia S. Thom. clarè ait: *Sed per prima verba, cum dicitur: Hic est Calix Sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in Sanguinem eo modo, quo dictum est in consecratione panis:* sed verba consecrationis, cùm sint practica, efficiunt, quòd significant, & in forma consecrationis panis alia verba non sunt de essentia. Ergo 2. *S. D.* expressè ait: *Alia verba pertinet ad integritatem eiusdem locutionis:* sed partes integrales nó sunt essentiales. Ergo. 3. *S. Thom. in art. 1.* quærens an hæc sit forma huius Sacramenti, Hoc est Corpus meum, &, Hic est Calix Sanguinis mei, sibi objicit argumentum, quo vult probare, etiam illa prævia verba, Qui pridiè, quàm paterentur, &c. esse de essentia, vt intelligatur formam proferri nomine Christi, & non Sacerdotis. Et respondet. *Ad 4. dicendum,* quòd quidam dixerunt, hoc Sacramentum perfici non posse prædictis verbis prolatis, & alijs prætermissis, præcipuè, quæ sunt in Canone Missæ. Sed hoc patet esse falsum: Quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundùm omnia tempora, sed diversa sunt à diversis apposita. Vndè dicendum est, quòd si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi Sacramentũ, perficeretur hoc Sacramentum. Quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur, quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non exprimeretur. *Hæc S. Thom.*

Quibus verbis S.D. non solùm ab essentia formæ excludit illa verba antecedentia: *Qui pridiè, &c.* sed etiam sequentia, *novi, & æterni Testamenti, &c.* Tum quia ait: *Si Sacerdos sola illa verba prædicta proferret cum intentione, &c. perficeretur Sacramentum,* verba nimirum in titulo articuli posita: sed verba illa sunt sola: *Hic est Calix Sanguinis mei.* Ergo. Tum quia S.D. addit: *Quia Canon Missæ non est idem apud omnes, &c. sed diversa sunt à diversis apposita, &c. Subsumo:* sed etiam verba sequentia, nimirum, novi, & æterni Testamenti, à diversis sunt omissa, vt patet ex Lectione Liturgiarum, tàm modernarum, quàm antiquarum; illa verò, Hic est Calix Sanguinis mei, sunt eadem apud omnes. *Ergo.*

* 2 Hinc ad fundamentum Gõneti, & aliorum. *Resp.* quòd S. Thom. ibi per substantiam non intelligat essentiam, sed integritatem; ait enim, *pertinent ad integritatem locutionis* tanquam declaratio, expressio, & explicatio formæ essentialis, prolata eodem ritu, & modo. Exemplificat hoc noster Contenson in forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ licèt essentialiter consistat in ly *absolvo te*, tamen illa verba, *à peccatis tuis*, ex vsu Ecclesiæ addita, possunt dici esse de substantia formæ, quia eandem propositionem integrant, eodemque ritu, & modo proferuntur. Idem est in Ecclesia Græca de illis verbis: *Quod pro vobis tradetur.*

Ad 1. confirm. dist. anteced. Aliquando, *conc.* semper, *neg.* Vndè ly substantia, sicut in Philosophia, ita & in Theologia aliquando accipitur pro essentia, aliquando pro integritate. Primo modo accipitur à S. *Thom. q. 60.* vt patet ex textu; insinuat enim, quòd per diminutionem substantiæ intelligat mutationem, *qua tollitur debitus sensus verborum.* Secundo modo sumitur à S. Thom. *in præsenti*, quod etiam clarè patet: dicit enim spectare ad integritatem. Vndè negatur, quod dicit Araujo.

Ad 2. confirm. neg. min. subsumptam. *Ad prob.* iterùm, *neg. min.* Quia Auctores à S. Thom. impugnati, volebant, quòd verba sequentia *novi, & æterni,* &c. in nullo sensu spectent ad substantiam formæ, sed habeant se sicut illa verba: *Hæc quotiescunque feceritis, &c.*

Ad 3. confirm. mens S. Thom. patet ex ipsis verbis; loquitur enim de Sanguine *inquantum*, ideſt, reduplicativè, vt *effusus*, & revera separatus fuit; Sanguinis autem vt talis essentiam explicant illa verba, quam verba essentialia solùm significant implicitè. Vndè ad *min.* dicitur, quòd illa expressa significatio Sanguinis, vt revera separati, non sit de essentia, sed de substantia; & verba essentialia significant Sanguinem mysticè separatum, & mysticè separant. Proindè ratio Sacrificij non tollitur. Dum verò S. D. dicit, quòd etiam sequentia verba perti-

pertineant ad vim effectivam; loquitur de virtute substantiali, seu integrali, non essentiali.

Ad 4. confirm. R. cum Contensonio factum esse, Ideò, quia Caietanus germanam D. Thom. mentem non attigerat, vir alioquin ingeniosissimus, & eruditissimus ad Purpuram iam assumptus, subindèque sui iuris factus, & proprijs opinationibus plus æquo indulgens. Etenim arbitratus est, S. Thomam existimare omnia verba illa esse formæ Calicis essentialia, quibusdam articuli tertij verbis ab aliorum contextu divulsis deceptus. *Hæc ille.*

Ad 5. confirm. Respondet benè idem Auctor, quòd Ecclesia per hoc ostendat suam cautelam, & solicitudinem sectans securiora in Sacramentis; cũ enim omnia illa verba ad essentiam desiderari multi Doctores teneant, illa præsertim, quæ effusionem Sanguinis significant, & aliunde in possessione illius formæ Ecclesia sit, eam retinere, & omissum instaurare prudentissimè studet: vt in re omnium maxima, centro nimirum Religionis, & pietatis, Eucharistia, nullum prorsus dubium supersit. Cùm verò verba ex integro repetuntur, postquam semel prolata sunt illa: *Hic est Calix Sanguinis mei*, tunc non sunt consecratoria, cum Consecrationem supponant, sed sunt explicativa, & declarativa, proprietatum Sanguinis Christi fusi, & veluti sacer formæ commentarius à Traditione consecratus. *Hæc ille.* Ex quibus *dist. anteced.* Judicat necessaria necessitate essentiæ, *neg.* explicationis, *conced.* Vndè est necessitas præcepti, non Sacramenti.

* 3 QUÆRO II. Verba formæ proferuntur-ne recitativè, scilicèt historicè solùm, vel etiam formaliter significativè? Quæ vis, & efficatia eis ineſt? & pro quo supponunt ly *Hoc*, & *Hic*? *Ante R. nota*, quod verba proferri recitativè, & materialiter est, ea proferri per modum narrationis, in quantum referuntur verba in vltima Cœna à Christo prolata, ac si Sacerdos diceret: Hæc erant verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, &c. Ast significativè proferri est, exerceri ipsius formæ, seu verborum significationem, quæ ab ipso indubiè, non historicè, sed formaliter, & significativè sunt prolata. *Hoc notato.*

* 4 *Resp.* 1. Forma consecrationis proferenda est non solùm materialiter, recitativè, seu historicè, sed etiam formaliter, & significativè. *Ita* S. T. *q. 78. art. 5. Ratio*: Verba Sacramentorum sunt signa practica, & efficiunt, quod significant: sed si nó proferantur significativè, & formaliter, sed tantùm recitativè, & materialiter, tunc non significant, ex hoc pane, quem Sacerdos habet in manibus, confici Corpus Christi. Ergo. *Min. prob.* Si proferantur tantùm recitativè, per eam solùm refertur factum Christi. Ergo.

* 5 *Resp.* 2. In verbis formalibus huius Sacramenti est quædam virtus creata ad conversionẽ faciendam, instrumentalis tamen. *Ita loquitur S. T. quæst. 78. a. 4. in c.* Vbi admittit virtutem hanc esse physicam, non præcisè moralem. Nam *ad 1. ait*: cum dicitur, sola virtute Spiritus S panem in Corpus Christi converti, non excluditur virtus instrumentalis, quæ est in forma huius Sacramenti: Sicut cum dicitur, solus faber facit cultellum, non excluditur virtus martelli. Hæc ibi. Virtus autem martelli est physica. Ergo. *Ratio* patet ex dictis suprà de causalitate Sacramentorum Novæ Legis, *T. 1. D. 2. n. 5. R. 2.*

* 6 *Resp.* 3. Verba formæ ponunt Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus statim ac sunt prolata, seu ante Sumptionem. Est contra Lutheranos. *Ratio* patet ex dictis. Tum quia verba sunt practica, adeòque statim causant quod significant, nec manẽt suspensa ad Sumptionem vsque: hoc enim non est de essentia Eucharistiæ nec dat ei virtutem, vt suprà probatum est. Tum etiam, quia aliàs tolleretur veritas verborum Christi, *Hoc est Corpus meum*, sed esset dicendum, *Hoc erit*, &c. Vel, *Hic erit.*

* 7 *Resp.* 4. Forma Consecrationis panis habet suum effectum ante alteram formam. *Ratio* patet suprà *D. 2. n. 11. ad Q. 3. in prob. 1. partis. Resp.* 5. Pronomen *Hoc* & *Hic* in formæ Eucharistiæ non supponunt pro Speciebus, nec pro substantia panis. 2. *Nec* etiam ly *Hoc* iunctum particulæ *Est* facit hunc sensum: Hæc substantia panis transit, seu convertitur in Corpus Christi. 3. *Significant ergo*, seu demonstrant aliquid commune pani, & Corpori, vino, & Sanguini Christi, non quidem sub ratione communi sive generica, sive specifica, sed sub ratione particulari, quasi singulari vagè, vt huius propositionis, Hoc est Corpus meum, Hic est Sãguis meus, sensus sit: Substantia sub illis Speciebus contenta est Corpus meum, Sanguis meus. Ita S. Thom. *hic, quæst. 78. art. 5. in corp. Ratio 1. p.* Quia alias Corpus Christi prædicaretur de pane, & Sanguis de vino, vel accidentibus eius. *V. g.* Panis est Corpus Christi: Sed hoc est falsum. Ergo. *Ratio 2. partis.* Quia ly *est* in forma non significat transitum, sed permanentiam.

Ratio 3. p. ex S. *Thom. art. 5. est*: Verba formæ sacramentalis significant id, quod efficiunt: Sed efficiunt, vt contentum sub Speciebus, quod prius erat panis, sit Corpus Christi. Ergo etiam significant tale contentum, seu quid commune vtrique sub ratione singulari vagè. *Mai.* etsi pateat ex dictis, declaratur: Licèt propositio speculativa præsupponat suum obiectum, cum de ea verificetur illud axioma, Ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, illud tamen non præsupponit, propositio practica, vti est forma Sacramenti, hæc enim etsi aliquid affirmet in re, non tamen ita affirmat, vt illud præsupponat; sed vt efficiat. Exemplificari hoc potest sic. Quando Christus in Cana Galilææ aquam miraculosè convertit in vinum, appositis illis Hydrijs, verum fuit dicere: Hoc est vinum, id est, substantiam in istis Hydrijs contenta est vinum, quæ ante fuit aqua. Ita similiter.

Ex quo Sequitur, quod significatio pronominis *Hoc*, aut *Hic* non sit tolliter suspensa vsque ad finem prolationis verborum, sed statim à principio significet, & demonstret contentum sub speciebus, non tamen determinando, quod illud sit, an nimirum sit panis, vel Corpus Christi, quousque eius significatio determinetur ad Corpus Christi per verba sequentia in fine prolationis omnium verborum. *Hæc* autem conversio non fit successivè, sed in instanti, vt docet S. *Thom. cit. art. 5. in c. Et a. 2. & q. 75. art. 7.*

* 8 *Licitne* repetere verba formę in eadem Missa? *Dico* esse grave Sacrilegium. *Ratio*: Quia verba falsificantur, cum proferantur super materiam iam consecratam. *Etsi* peccatum repetere partem formæ? *v. g.* ly *Hoc*, vel *Hic*. *Dico*: Si fiat ex minima anxietate, vti fieri solet, vix erit veniale, vel saltem illud non excedit. *Ratio*: Quia Sacramentum

non exponitur periculo, nec sensus verborum variatur. *Quid* si celebrans probabiliter dubiter, an verba consecrationis protulerit? *Dico*: Tenetur formam repetere sub conditione. *Ratio*: Quia alias Sacramentum exponit periculo nullitatis, & se periculo peccati mortalis. *Nonne* super allam saltè materiam, seu hostiam potest in eadem Missa forma proferri? *Dico*: Non potest sine sacrilegio. *Ratio*: Quia vnum numero Sacrificium petit vnam numero formam.

Effectus Eucharistia. *S. Thom. quæst. 79. per 8. artic.*

* 9 QUÆRO III. Quis est? potestne applicari alijs non sumentibus? *Ante R. Nota*, multa hic dici posse, quæ iam tractata sunt impræcedentibus, nimirum, Quando Eucharistia causet gratiam. De quo vide *T. 11. E. 2. n. 12. R. 2.* An aliquo casu possit causare gratiam primam, & remittere peccatum mortale. Vide ibidem, *n. 17. R. 3.* An causet gratiam precedente fictione, ibid. *n. 8. R.* An peccatum veniale impediat huius Sacramenti effectum, vel an ad eum percipiendum requiratur devotio actualis, vel sufficiat habitualis per statum gratiæ, ibid. *n. 23 R. 5. Hoc notato.*

Resp. 1. Effectus primarius Sacramenti Eucharistiæ est gratia secunda cibariva; secundarius est spiritualis quædam dulcedo Patet ex sæpè dictis suprà de Sacram. in communi citato *num.* 23. *R.* 5. vsque ad finem. *Resp.* 2. Etiam adeptio gloriæ est effectus huius Sacramenti iuxta S. Thom. 2. 2. Patet ex illo Joann. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Nota, adeptionem gloriæ esse effectum Eucharistiæ, non tantum ex ratione omnibus Sacramentis communi, quia nimirum eius effectus est gratia, quæ est semen gloriæ, sed etiam ex ratione speciali, quia nimirum vitam spiritualem prius in Baptismo acceptam spiritualiter nutriendo auget, & conservat, vt possit continuari vsque ad tempus, quò gloria recipiatur.

* 10 *Resp.* 3. Virtute huius Sacramenti remittuntur peccata venialia *S. Thom. a.* 4. *Ratio est*: Omne Sacramentum causat gratiam, & charitatem ex opere operato: sed quoties infunditur gratia, remittuntur venialia, vt docet *S. D. infrà q.* 87. *a.* 2. Ergo Eucharistia tollit venialia, & quidem ex hac ratione (omnibus Sacramentis communi) immediate. Deinde ex ratione sibi peculiari, mediatè. Quia ex opere operato specialiter excitat fervorem charitatis; sed hic fervor opponitur peccato veniali. Ergo tollit illud. *Nota* tamen, quod, etsi Eucharistia habeat virtutem tollèdi simul omnia venialia delet, non defectu sui, sed ob indispositionem suscipientis, *ait S. D. art.* 4. *ad* 3.

* 11 *Resp.* 4. Per Eucharistiam etiam remittitur pœna peccati, non tota, sed secundum quantitatem devotionis sumentium. S. Thom. art. 5. *Declaratur*: Eucharistia vt Sacramentum (de ea, vt est Sacrificium, agetur infrà cum S. Thom. q. 83.) pœnam non remittit quidem directè, cum non sit instituta ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum vi vnionis ad Christum, & ad membra eius, adeòque proprius, & directus effectus eius est gratia nutritiva; sed indirectè, causando enim gratiam, & fervorem charitatis, etiam indirectè causat remissionem pœnæ, iuxta maiorem, vel minorem fervorem charitatis intensionem. *Resp.* 5. Per Eucharistiam homo præservatur à peccatis futuris. Ita S. Thom. art. 6. *Ratio* S. D. est: Quia homines intus in anima roborat tanquam cibus spiritualis, & exterius dæmonum incursus depellit. Vnde Chrysost. super *Joann. ait*: Vt Leones flammam spirantes, sic ad illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.

* 11 *Resp.* 6. Euchatistia sumentibus ex opere operato prodest non solum vt Sacrificium, sed etiam vt Sacramentum: non sumentibus vero ex opere operato prodest solum, vt Sacrificium, vt Sacramentum autem ex opere operantis. *Ita art.* 7.

Primam partem, quòd nimirum Eucharistia sumentibus prosit, probat S. D. ex illis verbis Canonis: Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur. 2. *Partem* ex illis, Memento, Domine, famulorum famularumque, tuarum, pro quibus offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium pro se suisque omnibus, &c. 3. *Partem* probat ex forma consecrationis Calicis Matth. 26. & Luc. 22. tradita. *Hic est Sanguis*, &c. *qui pro vobis* scilicet sumentibus, *& pro multis* scilicet alijs, *effundetur in remissionem peccatorum.* 4. *Pars* patet: Quia actus communicandi, seu sacra Communio est actus Religionis, & opus Deo gratissimum. Ergo ex opere operantis potest pro alijs offerri, isque sive vivis, sive defunctis, prodesse per modum meriti de congruo, vel per modum satisfactionis, aut impetrationis, in quo hoc Sacramentum censetur habere specialem efficaciam, non minus, ac habent alia bona opera, nimirum ieiunium, oratio, eleemosyna, &c. Tum propter realem Christi præsentiam, & quasi familiariorem coniunctionem. Tum etiam, quia specialiter excitat fervorem charitatis.

Vsus, seu sumptio Eucharistiæ; & dispositio animæ ad eam.

S. Thom. quæst 80. *part.* 12. *art.*

* 13 QUÆRO IV. Quod sunt modi manducandi Christum? quæ dispositio requiritur in sumente? quantum peccatum est indigna sumptio? *Resp.* 1. Triplex est manducatio Eucharistiæ, vt patet ex *Trid. sess.* 13. *cap.* 8. Prima sacramentalis tantum, quæ est in malis Christianis, qui quidem sumunt verum Sacramentum, sed sine fructu. Vnde Ecclesia canit: *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ, vel interitus.* Secunda est spiritualis tantum, qualiter manducatur ab hominibus iustis, quando fide viva hoc Sacramentum recipiunt in voto, & desiderio explicito manducandi illud realiter, qui etiam recipiunt eius fructum, scilicet gratiam. Quæ tamen non est propriè sacramentalis, cum non sit ex opere operato, nec à Sacramento in re suscepto causata, vti requiritur ad gratiam sacramentalem; Vocatur tamen effectus Sacramenti, quia datur per ordinem ad illud ex opere tamen operantis; estque similis effectui sacramentali. Tertia est sacramentalis, & spiritualis simul quia ab homine iusto recipitur hoc Sacramentum, & fructus eius. Addi pos-

fet

set 4. *modus* manducandi Christum; quia tamen ad vnum ex prædictis reduci potest, nimirum realis, & purè materialis, qualiter posset sumi à bruto, vel ab eo, qui nescit, quod sumit, esse Sactamentum, sed sumit vt naturale alimentum.

* 14 *Resp.* 2. Licet Angeli spiritualiter manducent Christum, non tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc Sacramentum. *Ita* S. *D. a.* 2. *Declarat hoc*: Dupliciter contingit spiritualiter manducare Christum. *Vno modo* prout in sua specie consistit. Et hoc modo Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, inquantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta (quem Panem expectamus in Patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur. *Alio modo* contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus huius Sacramenti, inquantum aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum. Et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc Sacramentũ, quod non competit Angelis. *Hæc* S. *Thom.* Ex quibus patet, quomodo Christus dicatur cibus, vel panis Angelorum, merito à nobis angelica cum puritate in Eucharistia sumendus.

* 15 *Resp.* 3. Habens conscientiam peccati mortalis, per se, & regulariter loquendo tenetur, & quidem ex præcepto diuino, non naturali, sed positiuo, præmittere confessionem ante Communionem. *Ante probationem, Nota*, hic non esse sermonem de Sacerdotibus celebraturis, de ijs enim idem iam dictum est *T.* 11. *E.* 4. *n.* 29. *R.* 1. & 2. Item, quæ dispositio sufficiat ad recipiendum fructum Eucharistiæ, vide ibid. *E.* 2. *n.* 23. *R.* 5. Hoc notato.

1. *Pars*, de obligatione absolutè statuitur à *Trid. Sess.* 13. *can.* 11. 2. *Pars*, quòd sit præceptum diuinum, colligitur ex eodem *Trid. ibidem, ait enim*: Statuit, atque declarat ipsa S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. *Subsume*: Sed declaratio præcepti supponit præceptum. Ergo est diuinum. *Ratio* 3. *p.* Constitutiua natura huius Sacramenti, potuit Deus ordinare: vt quis sine confessione licitè illud reciperet, & contritio esset sufficiens dispositio, & reverentia. Ergo prævia confessio non oritur ex natura huius Sacramenti, consequenter nec est præceptum naturale de ea, etiam in ordine gratiæ, sed tantùm supposito Dei statuto per Apostolum, loco citato nobis tradito. Dixi in R. 3. *per se, & regulariter*; quia in quibusdam casibus licèt communicare cum sola contritione. Pro quo.

* 16 *Resp.* 4. In casu, quo peccator non habet copiã Confessoris, & vrget gravis necessitas communicandi, potest licitè communicare elicita contritione, vel etiam attritione supernaturali, quam prudenter existimat esse contritionem: sed omnino *requiritur* vtramque hanc conditionem adesse, scilicèt Confessarij carentiam, & communicandi necessitatem; altera vtra deficiente, non licèt.

Declaratur 1. quando censeatur non esse copia Confessarij. *Primò*: Quando nullus adest Sacerdos. 2. *Si* quidem adsit, sed non possit ei confiteri sine interprete. De quo vide infrà de confessione, *T.* 13. *E.* 4. *n.* 60. 3 Si Confessario præsenti non possit confiteri sine gravi periculo pertractionis ad peccatum, vel fractionis sygilli, & secuturi indè damni, vel infamiæ. Vbi si periculum censeatur esse solùm respectu vnius, alterius vè peccati, his omissis, tenetur confiteri alia. Porrò quanta ad omittendam confessionem sufficiat distantia Confessarij, vide suprà *T.* 11. *E.* 4. *n.* 29.

Declaratur 2. quæ sit illa gravis necessitas. *Primò* est in periculo mortis, vt si aliàs quis esset moriturus sine Viatico. 2. *Dum* Sacerdos ex officio tenetur celebrare, & per alium non potest supplere. 3. *Si necesse* sit celebrare, vt consecretur hostia pro Communione moribundi, sive Sacerdos teneatur ex officio, sive non. 4. *Quando* sine scandalo celebratio, vel Communio nequit omitti. Et qui similes casus se offerant, quorum necessitas maximè pender ab arbitrio prudentum, & habent locum etiam in Laico, vt sufficiat ei contritio.

* 17 *Resp.* 5. Probabilius est, quòd præceptum Trident. (de quo suprà *T.* 11. *E.* 4. *R.* 2.) positum Sacerdoti sine prævia confessione celebranti, dum est in mortali, vt quam primum confiteatur, non obliget Laicos. *Ratio*: Quia potuit occurrere specialis causa, cur celebrantibus id præciperetur, & non alijs, quia Sacramentum non solùm sumunt, sed etiam conficiunt, & offerunt. Ergo in eis requiritur maior præparatio, & reverentia. Hinc S. T. *hic. q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. *asserit*, in eo cui deest copia Confessarij, & Communionis necessitas vrget, requiri propositum confitendi, & satisfaciendi, nihil addens de statim posteà confitendo.

Ex quo sequitur, quòd si etiam Sacerdos in necessitate communicaret more Laicorum sine prævia confessione, non teneatur statim post communionem confiteri. Quia Concilium solùm loquitur de celebrantibus. Si tamen Sacerdos deberet complere Sacrificium ab alio inchoatum, vel qui in Parasceve ex necessitate faceret officium sine confessione, obligatur posteà quam primum confiteri, quia facit actionem Sacerdoti propriam, proindeque nomine celebrantis comprehensam.

* 18 *Resp.* 6. Dictum præceptum obligat, vt prævie fiat confessio integræ de omnibus peccatis, quorum habetur memoria. *Ratio* patebit infrà de obligatione ad integritatem confessionis. Ex quo sequitur, quòd si quis post confessionem recordetur alicuius peccati mortalis obliti, & Confessariũ commodè habere possit, tenetur illud adhuc ante communionem confiteri; qui verò ad mensam communionis iam sedet, seu flexit, & recordatur alicuius peccati mortalis, & sine nota infamiæ recedere, confessariumque adire nequit, potest elicita contritione licitè communicare.

* 19 *Resp.* 7. Qui Eucharistiam sumit cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter peccato sacrilegij. Quod quamvis secundum suam speciem sit graviùs plerisque alijs, non tamen est omnium grauissimum. *Ita S. D. art.* 4. & 5. 1. *Pars* patet ex illo 1. *ad Cor.* 11. Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, idest, condemnationem, idque propter gravem irreverentiam. Nota ex solutione *ad* 2. quòd alia sit medicina, quę datur sanandis, & hæc supponit infirmitatem; alia quæ datur iam sanatis ad confortationem, & talis est Eucharistia.

2 *Pars* declaratur ex *S. Thom. art.* 5. Cùm essentialis, & primaria peccati gravitas, & per se talis desumatur ab obiecto, eiusque dignitate, tamò peccatum est gravius, quantò maius est obiectum, contra quod peccatur, vt patet suprà *in Tract. de peccatis*. Ergo illa peccata per se sunt grauissima, quæ con-

committuntur immediatè in ipsam divinitatem, & directè repugnant Virtutibus Theologicis, vt sunt, infidelitas, blasphemia, desperatio, odium Dei. Secundo loco ponuntur illa peccata, etiam sat gravia, quæ committuntur in humanitatem Christi in propria specie, vti fuerunt peccata Judæorum crucifigentium Christum. Tertiò loco sunt, quæ committuntur contra Sacramenta, præsertim contra augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ad quæ spectat peccatum sacrilegæ Communionis. Postremo loco sunt, quæ committuntur contra puras creaturas, vt furtum, homicidium, &c.

Dixi, *per se*; quia per accidens vnum peccatum est gravius altero ex parte peccantis, vt, si vnus peccet ex contemptu, vel certa scientia, alter ex quadam ignorantia, vel infirmitate. Item ratione majoris damni, vel scandali, prout explicatum est suprà de peccatis, *T. 4. B. 1. n. 36. & seqq.* Et secundùm hoc peccatum indignæ communionis gravius est in illis, qui accedunt ex actuali contemptu cum conscientia peccati mortalis, quam in ijs, qui accedunt indignè ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato. Item est eò gravius, quò pluribus, & gravioribus peccatis sumens est obnoxius.

Tandem longè gravius peccatum esset, immò maximum horrorem præseferret, si quis hoc Sacramentum à canibus devorandum, vel in lutum conculcandum, vel in sterquilinium projiceret. Rationem dat *S. D. hic ad 1.* Quia hoc faceret ex intentione injuriam faciendi huic Sacramento, quod nō intendit peccator indignè communicans. Ex quibus patet, sacrilegam Communionem secundùm speciem esse gravius homicidio (secus est de Deicidio) homicidium verò sit gravius ratione damni, vtpotè quod est irreparabile.

* 20 QUÆRO V. Eucharistia estne deneganda peccatoribus? *Resp. 1.* ex *S. Thom. art. 6.* Publicis, seu manifestis peccatoribus non est danda Eucharistia, *nisi* post pœnitentiam, & reconciliationem. *Ratio*: Tum quia sic exigit Divina Majestas, & disciplina Evangelica. Tum etiam, quia tales per publicum crimen non expiatum amiserunt jus ad Eucharistiam.

Nota, manifestos peccatores dici, quorum peccata noscuntur ante Judicis sententiam, aut per propriam confessionem in judicio factam, vel facti evidentiam, nulla tergiversatione celabilem: quæ evidentia debet pensari non ex solo testium numero, sed attenta qualitate delicti, loci, personarum, quibus de crimine constat. Tales sunt publici vsurarij, raptores, &c.

* 21 *Resp. 2.* Peccatori publico post pœnitentiam occultè petenti potest dari Eucharistia, modo illis, coram quibus sumit, constet de pœnitentia. Vnde, & eius communio non est publicanda, antequam innotescat eius emendatio. *Ratio*: Quia per publicum crimen, solum est amissum ius sumendi publicè, ne detur alijs scandalum. *Resp. 3.* Peccatori occulto occultè petenti neganda est Eucharistia *Ratio*: Quia nulla subest causa scandali, vel infamiæ in hac denegatione. *Resp. 4.* Peccatori occulto publice petenti Eucharistia non est neganda. *Ratio*: Tum quia publicè est in possessione suæ famæ, adeoque non est diffamandus publicè. Tum etiam, quia ita fecit Christus in Cœna, Corpus sumendo Judæ. De quo vide in hoc *T. n. 57. R. 3.*

* 22 *Resp. 1.* Si Sacerdos peccatum sciat per solam confessionem, & non possit ex alia causa honestè se excusare, debet dare etiam occultè petenti. Secus si sciat simul alia via. *Ratio 1. p.* Quia Sacerdos obligatur sigillo confessionis etiam respectu pœnitentis, ita vt sine eius consensu de peccatis in confessione auditis extra confessionem, etiam cum ipso licite loqui non possit. Ergo. *Ratio 2. p.* Quia tunc potest alio modo se excusare. *Resp. 6.* Ad evitandum peccatum indigne sumentis non licet in vllo casu ei dare hostiam non consecratam. Ita *S. D. art. 6. ad 2. Ratio*: Tum quia adesset fictio, qua verbis, facto, vel gestu affirmaret, ibi esse Christum, quod non est. Tum etiam, quia populum, vel ipsum sumentem exponeret peccato Idolatriæ. *Resp. 7.* Nullo modo Corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem. *Ita S. D. idid. ad 3.* Vnde, & graviter peccant viri, quia ad sacram Communionem cogunt vxores, quas de adulterio habent suspectas. *Ratio*: Quia est tentatio Dei, vt extraordinario signo patefaciat veritatem.

* 23 *Quid si* Sacerdos Communionem distribuens inter communicantes videat fœminam, quæ sactam hostiam extrahit ex ore in strophiolum, ad eam, vt suspicatur, inhonorandam? *Dico*, hic cautè agendum esse. *Primo*, si Sacerdos fœminam noscat, vel ex aliquo signo notare, & postea cum ea seorsim loqui possit, & malum impedire, id faciendum est. 2. *Si alijs* non advertentibus hostia clam ei eripi possit, eripiatur: si neutrum horum possit fieri, res Deo commenderur. 3. *Fœmina* illa publicè confundenda non est, nec hostia ei eripienda. *Ratio*: Tum quia iuxta suprà dicta, Eucharistia potest, immò debet ministrari occulto peccatori publicè petenti. Ergo etiam potest relinqui illi, quia putatur ea abusurus. Tum etiam, quia sola præsumptio non sufficit, vt quis cum certo secutura infamia extrudatur ex possessione suę famæ: Sed talis fœmina est in possessione suæ famæ, & contra eam stat sola præsumptio criminis. Ergo. *Min. prob.* Forsan enim solum phlegma traxit ex ore, vel extraxit hostiam. non ad abutendum ea, sed ne per subitum vomitum, quam tinet, inhonoretur. Ergo.

24 * QUÆRO VI. Eucharistia estne danda, non habentibus vsum rationis? *Resp. 1.* cum *S. Thom. art. 9.* Eucharistia non est doneganda ijs, qui habent debilem vsum rationis, modo detur raro, vt in Paschate, aut Jubilæo, & prævię instruantur, & desit periculum irreverentiæ: *Ratio*: Quia tales possunt aliquam devotionem huius Sacramenti concipere. Porro quid sit habere debilem vsum rationis, *S. D.* exemplificat hoc exemplo, sicut dicitur, non videns, quia melè videt.

* 25 *Resp. 2.* Illis, qui nunquam habuerūt vsum rationis, sed sic à nativitate permanserunt, non est dandum hoc Sacramentum: si tamen illis daretur, probabilius est, quod reciperent gratiam. *Ratio 1. p.* Quia in eis nullo modo præcessit huius Sacramenti devotio. *Ratio 2. p.* Tum quia iuxta probata ad fructum Eucharistiæ sufficit status gratiæ, & non necessario requiritur devotio actualis, vel virtualis: Sed in talibus adhuc est gratia ac innocentia baptismalis. Ergo. *Tum* quia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: Ergo.

Resp. 3. Quia non semper caruerunt vsu rationis, si prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio huius Sacramenti, debet eis in articulo mortis exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. In talibus, *ait S. D.* infundendam ori esse Eucharistiam.

tiam. *Ratio* patet ex ipsis verbis S. Thomæ.

* 26 *Resp.* 4. Loquendo de arreptitijs, seu energumenis, seu à diabolo obsessis, distinguendum est. Alij enim sunt, quos Deus tradidit propter scelera in potestatem diaboli, nec conantur, vt à peccato mundentur, & Deo reconcilientur, & tales à mysterijs divinis sunt arcendi, vsquedum sincerè pœniteant. Alij sunt, qui quantum in ipsis est, conantur, vt à potestate Diaboli liberentur, & talibus sacra Communio non est deneganda, vt patet ex *S. Thom. ad* 2. An ebrio lethaliter infirmato possit dari Viaticum Eucharistiæ, vide suprà *T.* 5. *Ex.* 3. *num.* 47.

* 27 *Resp.* 5. Homini rationis compoti sed à nativitate surdo, & muto, signis, & nutibus, quantum fieri potest, prævio confessu, sicut potest dari absolutio, ita, & alia Sacramenta. Immò, & saltem tempore paschali, & in articulo mortis, Eucharistia, si alias non videatur indispositus. *Ratio est* tum dicta necessitas sacri huius Viatici. Tum quia ope visus, per nutus, & signa potest disponi, & instrui.

Oppono: Homo surdus, & mutus non habet actualem fidem huius Sacramenti, aut absentiæ panis, seu transubstantiationis, fides enim est ex auditu, quo ille caret. Ergo. *Ad hoc* R. nihil hoc obstare: cum enim Deus in necessarijs non desit, supponitur, quod talis homo interius specialiter illuminetur ad eliciendum actum fidei, sicut id omnino asserendum est de mysterio SS. Trinitatis, & Incarnationis, sine cuius explicita fide adultus salvari non potest: cæteroquin verò non apparet, quomodo tales possint salvari. adde, quod tales videantur sub Missa ad elevationem, & sub Communione pectus tundere, variaque devotionis signa edere, adeòque censentur Eucharistiam adorare, & saltem in confuso agnoscere, quod, dum illa dispensatur, non detur vt cibus profanus, sed vt spiritualis. Vide infrà de confessione hominis surdi, & muti, *T.* 13. *Ex.* 4. *n.* 60. *Quid si* esset simul cæcus à nativitate? *Dico*: Ordinariè non potest tali homini dari Eucharistia. *Ratio*: Quia difficillimè potest qualificari, & instrui.

Dispositio corporis ad Eucharistiam.

* 28 QUÆRO VII. Pollutio, vel actio coniugalis, & cibus præsumptus impediuntne à suptione? De peccato pollutionis actum est suprà *T.* 5. *E.* 2. *n.* 31. *Resp.* 1. Si pollutio sit sine peccato, vel cum peccato solum veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius Sacramenti, bene tamen ex congruentia; si verò sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate, nisi præmittatur Confessio sacramentalis, qua præmissa adhuc peccavit venialiter, nisi excuset iuxta causa *v. g.* scandalum, infamia, festum, &c.

1. *Partem* declarat *S. D.* ex collationibus Patrum, in quibus legitur, quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum, Seniores, comperto quod nulla causa in ipso præcesserat, decreverunt, quod propter hoc à Communione non cessaret: & ita cessavit illusio dæmonum.

2. *Partem* declarat dicens: Ex quadam verò congruentia impedit quantum ad duo, quorum unum semper accidit; scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altere accedere (vnde, & volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant) nisi fortè talis immunditia sit perpetua; vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguis, vel aliquid huiusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, vt Gregorius dicit, cum fortasse, aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium; pro eo quod Sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit. *Hæc ibid.*

3. *Pars* patet: Quia peccatum mortale facit hominem indignum, quo etiam per confessionem expiato adhuc temerarium videtur (nisi iusta, vt dictum est, causa excuset) quod peccator admisso primum enormi scelere mox Corpus Christi sumat: sicut nec à veniali excusatur, qui statim post commissum homicidium cruentis adhuc manibus, aut post quodvis aliud grave delictum illius ad hoc Sacramentum, etiam præmissa confessione, accedere.

* 29 *Resp.* 2. De actu coniugali *S. Thom. sic loquitur*: coitus coniugalis, si fit sine peccato (puta, si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum) non alia ratione impedit sumptionem huius Sacramenti, nisi sicut dictum est de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Ratione cuius *Hieron. dicit super Matth.* Si panes Propositionis ab his, qui vxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his, quæ coniugalibus paulo ante complexibus hæsere, violari atque contingi: non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus: sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum, *Gregor.* dicit, quod talis est suo iuditio relinquendus: Si verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere (vt ibidem Gregor. subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum. *Hæc S. Doct.*

* 30 *Resp.* 3. Cibus, vel potus præassumptus ex rationabili Ecclesiæ Statuto impedit sumptionem Eucharistiæ: *S. D. n.* 8. *Ratio* tum ob Sacramenti honorem, & reverentiam, tum ob vomitus qui ex præassumpto cibo non raro contingit, periculum. *Ref.* 4. Ab hac generali Regula excipiuntur infirmi (ait S. D.) qui statim communicandi sunt; etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine Communione decedant; id est, si sint in periculo mortis. *Rationem dat*: Quia necessitas non habet legem. *Notandum*: Manente eadem periculosa infirmitate posse eidem sæpius saltem de octiduo in octiduum conferri Eucharistiam. Nam quia tunc insurgunt vehementes tentationes, & simul est extrema necessitas perstiendi in gratia, pia Mater Ecclesia videtur hoc indulgere.

* 31 *Resp.* 5. Plures sunt casus, in quibus non ieiuno licet Eucharistiam sumere. *Primus est*: Si Sacerdos non ieiunus debeat Sacrificium integrare, *v. g.* dum per errorem loco vini (quod iam sumptum est) fuit infusa aqua, aut Sacerdos post consecrationem recordatur se non esse ieiunum: quia præceptum divinum de integritate Sacrificij præpon-

ponderat præcepto Eucharistico de hoc ieiunio. *Idem ast*, si ante consecrationem recordetur, se non esse ieiunum, & non posse recedere sine infamia, vel scandalo. *Item si* Eucharistia ab infidelibus esset conculcanda, vel incendio dehonestanda, posset sumi à non ieiuno, etiam Latico. *Secundus casus*: Si Sacerdos sumpta ablutione aliquas hostiarum consecratarum reliquias, seu particulas in calice, patena, vel corporali deprehendat. Quia earum sumptio moraliter censetur esse eadem cum illo Sacrificio. *Tertius casus*: Si Papa in hoc ieiunio dispenset, vti ex iusta causa potest, cum sit solum præceptum Ecclesiasticum. Sed sicut talis iusta causa non facile occurrit, ita nec dispensatio facile dabitur.

* 32 *Resp.* 6. Probabilius est, quod Sacerdos non ieiunus licitè non possit consecrare ob dandam Eucharistiam infirmo, aliàs morituro sine Viatico; nec Parochus, vt populus in festo audiat Missam, aliàs non auditurus. *Ratio*: Quia præceptum de sumendo Viatico, & audienda Missa non obligat nisi quando decenter haberi potest. Nec Ecclesia dispensat. *Oppono*: Olim saltem in anniversario die Cænæ Domini Eucharistia sumebatur à non ieiunis in representionem Cænæ dominicæ. *Ad hoc* S. D. *hic art.* 8. *ad* 3. *ait*: esse abrogatum.

* 33 *Sed quale ieiunium* prærequiritur ad Eucharistiam, naturale, vel Ecclesiasticum? Cuius duplicis ieiunij explicatio patet suprà *T.* 5. *Ex.* 4. *n.* 1. *Dico* cum S. Thom. in solutione *ad* 4. prærequiri ieiunium naturæ, quod importat privationem cuiuscumque præsumpti per modum cibi, vel potus: computat autem Ecclesia Romana diem à media nocte, vt suprà dictum *T. ibid.*

Ex quo S. D. infert, quod nec post assumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate liceat hoc Sacramentum sumere. Nec refert, vtrum aliquid huiusmodi nutriat, vel non nutriat, aut sumatur per se, aut cum alijs dummodo sumatur per modum cibi, vel potus. Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius Sacramenti, quia non traijciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquijs aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traijciantur in magna quantitate, sed permixtę saliva, quod vitari non potest. *Ita S. Thom.* Idem est, si quis ad capiendum experimentum de sapore cibi, vel potius parum salivæ admixtum, in quantitate vix perceptibili, deglutiret.

Quid sentis de mulieribus comedentibus terram, vel simile quid? *Dico*, post illius sumptionem non posse communicare, sive sumant ob delectationem, quod est comedere per modum cibi, sive vt colorem minuant, quod est comedere permodum medicinæ. *Quid de eò*, qui comedit modicum papyri etiam inadvertenter? *Dico* esse abstinendum extra necessitatem. Quia *S. Thom. dicit*, Nec refert, vtrum nutriat, vel non nutriat.

* 34 *Prærequiriturne* ante Communionem somnus, vel digestio cibi? *Dico* cum *S. Thom. ibid. ad* 5. *vbi ait*. Nec refert, vtrum post cibum, vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem, vel indigestionem. Ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius Sacramenti. Hæc ibid.

Debetne esse aliqua mora inter sumptionem huius Sacramenti, & reliquos cibos postea sumendos? *Affirmo* cum *D. Thom. ibid. ad* 6. Mora autem illa antiquitus fuit longior, nunc autem ad minus per horæ quadrantem (nisi venialiter quis peccare velit) expectandum est, & prius gratiæ Deo agendæ. Exemptio est, si necessitas vrgeat.

Licetne statim exspuere salivam post Communionem? *Dico*, licere quidem, seu non esse peccatum, si nulla hostiæ particula in ore resset, quia iuxta Medicos saliva non provenit ex stomacho, sed descendit ex capite in os; decens tamen est, nō statim exspuere. *Communicanti* debetne esse honestè vestitus? *Affirmo*, quantum communicantis status, & media permittunt. *Gladiatur* communicaturus tenetne gladium deponere? *Affirmo*, esse de congruentia ad ostendendam coram humili Salvatore humilitatem. Ita habet consuetudo. Nulla tamen est lex, quæ ad hoc graviter obliget.

Necessitas Eucharistiæ, & obligatio sumendi.

Aliqua de hoc iam dicta sunt de sumptione Eucharistiæ, quoad necessitatem medij in re, vel in voto de parvulis, & adultis. *E. 1. n. 4. ad Q. 3.* vbi vide. Hic potissimum agitur de necessitate præcepti.

* 35 QUÆRO VIII. Quo ætatis anno, quo tempore anni, in quo casu obligat præceptum Cōmunionis? *Resp.* 1. Pueri non obligantur ad sumptionem Eucharistiæ, antequam perveniant ad annos discretionis, id est, quando non solum sunt doli capaces, & peccare possunt, sed etiam quando talem habent discretionem, & rationis vsum, vt hoc mysterium suo modo capare, illudque tanquā cibum spiritualem à corporali distinguere possint, sicque cum debita reverentia accedere. Hoc insinuat S. Thom. art. 9. ad 3. in fine dicens: *Quando iam pueri incipiunt aliqualem vsum rationis habere, vt possint devotionem concipere huius Sacramenti, tunc potest eis hoc Sacramentum conferri.*

Certa ætas, in qua pueri, & puellæ dicantur annos discretionis attigisse, in particulari pro omnibus definiri nequit, cum alij circa annum nonum, alij circa decimum, alij serius, nimirum 12. vel 14. dent sufficientia signa discretionis. Hoc ergo relinquitur iuditio Confessarij, qui iudicare debet non solū ex ætate, sed etiam ex qualitate morum, & ingenij.

* 36 *Resp.* 2. Pueri non tam citò obligantur ad Eucharistiam, quam ad Confessionem. *Ratio*: Quia Eucharistia est maioris dignitatis, & minoris necessitatis, quam Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo requirit maiorem præparationem. Hinc ad Confessionem sufficit vsus rationis sufficiens ad peccandum mortaliter, ad Eucharistiam verò requiritur maior discretio, ob rationem mox datam.

* 37 *Resp.* 3. Pueris doli capacibus prævię confessis debet in articulo mortis dari Eucharistia, licet antea nunquam communicaverint. Et hoc probabilius est, & colligitur ex verbis S. Thom. ante adductis. *Ratio*: Tum quia Eucharistia pueris multum potest prodesse. *Tum* etiam, quia non fit iniuria Sacramento, cum ad illud reverenter sumendum possint disponi. Hinc, & facilius admitti-

tur

tur tempore Jubilæi, si sufficienter sint instructi. Notanda est hic ex *Cajet.* generalis Regula; numerum quandocumque, & quibuscumque potest dari Sacramentum pœnitentiæ, potest in articulo mortis etiam dari Viaticum Eucharistiæ, ita tamen, vt prius provideatur scandalo, si quod timeatur, nimirum publicando, petram scandali esse sublatam, *v. g.* concubinam esse dimissam, si concubinarius publicus esset communicandus, &c.

* 38 *Resp.* 4. Iuxta Canonem *Omnis utriusque sexus*, omnes fideles tenentur communicare in Paschate, seu tempore Paschali. Non communicãs peccat mortaliter, & in pœnam debet excommunicari, & sepultura Ecclesiastica privari. Quæ proinde pœnæ sunt solum sententiæ ferendæ, non latæ, nec infligendæ à Parocho sine iussu, vel præscitu Ordinarij. Per tempus Paschale secundum ius cõmune intelliguntur illi 15. dies à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusivè, iuxta declarationem *Eugenij IV.* Hic tamen observanda est consuetudo Diœcesium, quia alicubi quatuor, alicubi (ob fidelium copiam) plures semptimanæ conceduntur.

* 39 *R.* 5. Probabilius, & tutius est, quòd qui Cõmunionem Paschalem, sive culpabiliter, sive inculpabiliter intermisit, teneatur prima commoditate posteà communicare, ita vt eò gravius peccet, quò diutiùs differat. Item quòd, qui prævidet se tempore Paschali negotijs, bello gerendo, peregrinatione, aut navigatione, à Communione impediendum, teneatur prævenire. *Ratio* 1. *p.* Tum quia, qui statuto tempore non solvit, quod debet, per hoc non deobligatur, sed potiùs termino solutionis præter lapso arctiùs tenetur, & compellitur, vt patet non solùm in solutione debiti pecuniarij, sed etiam in satisfactione Sacramenti Pœnitentiæ; si enim Confessarius alicui injunxit, vt ieiunet *Fer.* 6. & non ieiunat, tenetur alia die, qua commodè potest. *Tum etiam*, quia Communio Paschalis non est onus præcisè alligatum illi tempori, sicut ieiunium Vigiliæ, vel horæ Canonicæ alligantur certæ diei, sed solùm est determinatio temporis, quo debet impleri ius divinum, ad communionem obligans, vt parebit, tum ex dicendis, tum ex eo, quòd illi, qui eam neglexerunt, posteà adhuc ad eam compellantur, etiam censuris, si necesse est. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Trident. sess. 13. can. 9. confirmans Statutum Concilij Lateran. cap. *Omnes utriusque sexus*, sic decernit: *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum iuxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.* Quibus verbis per ly *ad minus in Paschate*, Concilium exprimit, Ecclesiæ intentionem esse, vt communio non differatur extra tempus Paschale, & hoc specialiter in memoria Passionis, & Resurrectionis Christi: sed prævidens impedimenta, & non prævenies, sciens, & volens differt vltra. Ergo peccat mortaliter, nisi anticipet.

* 40 *Resp.* 6. Communio Paschalis peragenda est in propria Ecclesia parochiali, & non extra, nisi de consensu Pastoris. Ita patet *ex cit. cap. Conc. Later.* & declaravit Congregatio Cardinalium interpretum Decretis Pontificijs, & praxi Ecclesiarum. *Ratio*: Quia iustum est (ait Contenson) vt Christianus ibi suscipiat alimenta vitæ, vbi in Christo primum vivere cœpit; nec Pastorem videretur agnoscere, qui ab eo pane vitæ pasci abnueret.

Dixi, *Communio Paschalis*: Quia ex devotione tempore paschali, immò etiam in ipso die Paschatis apud Religiosos communicare, moderna praxis non improbat. Dixi 2. *nisi de Pastoris consensu*; qui licèt non sit expressus, sed interpretativus solùm, & præsumptus, interdum potest sufficere, vt si quis cũ tali consensu, & cum intentione Pastori id significandi, & testimonium Communionis præsentandi, apud Religiosos ob causas, quas bonas fide iudicat sufficientes, communicet. *Nota*, quòd simplex Sacerdos sæcularis satisfaciat celebrando extra propriam Parochiam. Quia cap. *Omnis utriusque sexus*, loquitur de ijs, qui communicant de manu aliena. Et ita habet consuetudo. Si tamen nec alibi, nec in propria Parochia velit celebrare, tenetur in ea communicare. De Confessione annua apud Religiosos, vide infrà in *Tract. de Pœnitentia, Exam. 5. num.* 88.

* 41 *Resp.* 7. Religiosis licitum est ministrare, etiam in Paschate, & in articulo mortis, omnia Sacramenta familiaribus, & servitoribus, qui actualiter Religiosis serviunt, & intra Monasteria, seu Loca Religiosorum commorantur, & sub eorum obedientia viuunt. Ita habetur ex privilegio diversorum Pontificum.

* 42 *Resp.* 8. Præceptum communionis Paschalis non impletur per communionem sacrilegam. *Ratio*: Quia *Concil. Later. cap. cit. decernit*, Eucharistiam ad minus in Paschate debere sumi, & quidem *reverenter*. Hinc inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas num. 55. est hæc: *Præceptũ Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Vide supra, an, & quomodo Ecclesia possit præcipere actus internos. *Tr. 6. Ex. 5. num.* 24.

* 43 *Resp.* 9. Adulti in articulo mortis existentes tenentur iure divino recipere Eucharistiam. *Ratio* iuxta *Trident. sess.* 13. *cap* 8. Christus Eucharistiam instituit in Viaticum salutis, cuius vigore confortati ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam mortales valeant pervenire. Ergo. *Quid si* paucis diebus ante repentinum lethalem morbum quis sumpserit Eucharistiam, teneturne denuo? *Affirmo*: Tum quia in agone indiget novo robore. Tum quia non sumpsit per modum Viatici.

* 44 *Quid si* sit reus morte puniendus, debetne ipsi dari? *Affirmo*, licèt non amplius sit ieiunus: Quia est Viaticum. Et ideò consuetudo Hispanorum reis morte puniendis Eucharistiam negantium à Pio V. 1569. est sublata. Hinc apud Deum non excusantur Belli Duces, qui milites in flagranti deprehensos absque communione in proxima arbore suspendi iubent. *Nota*, quòd si esset casus, quo reus Eucharistiam in re suscipere non posset, vel Ecclesia, seu Parochus prudenter iudicaret dandam non esse, teneretur eam habere in voto: quod Parochus ei debet explicare.

* 45 *Quid intelligis* per articulum mortis? *Intelligo* non solùm, quando mors hic, & nunc inevitabiliter imminet, sed etiam *probabile* periculum mortis est, non in quo vni, aut alteri, sed in quo plerisque solet mors evenire; vndecumque illud oriatur, sive ex morbo, peste, sive ex violentia, prælio, longa, & periculosa peregrinatione, navigatione, puerperio præsertim primo. *Ratio*: Quia in habenda cura salutis probabile periculum mortis æquiparatur morti inevitabiliter instanti: sed in

casibus illis est probabile periculum mortis. Ergo. *Nota*, laudabilem esse praxim illorum, qui ex fervore implendi præceptum Dei desumendo Viatico, quoties celebrant, vel communicant, Eucharistiam sumunt, vt Viaticum, casu quo improvisa morte prævenirentur.

* 46 *Resp.* 10. Licèt Ecclesia per suum præceptum nullum communionis Eucharistiæ tempus determinasset, nihilominus adulti ratione præditi tenerentur ad eam iure divino extra mortis articulum. *Ratio*: Tum quia ipse Christus hoc præceptum posuit Joan. 9. *Caro mea verè est cibus; Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Tum etiam, quia omnibus non solùm in articulo mortis, sed etiam sæpè in vita sumendus est cibus spiritualis: sed Christus Eucharistiam instituit per modum cibi spiritualis. *Ergo.*

* 47 QUÆRO IX. Licetne quotidiè, non tantùm semel, sed sæpiùs Eucharistiam sumere, vel etiam omninò à communione cessare? *Ante* R. *nota ex S. Thom. q. 80. art. 10. ad 5.* quòd secundùm diversum statum Ecclesiæ diversa circa communionem statuta emanaverint. Nam in primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt quotidiè fideles communicarent. Postmodum verò, diminuto fidei fervore Fabianus Papa indulsit, vt, si non frequentiùs, saltem ter in anno omnes communicent, scilicèt in *Paschate, Pentecoste, & Natali Domini.* Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum, statuit Innoc. III. vt saltem semel in anno, scilicèt in Pascha, fideles communicent. Hæc S. D. hoc notato.

Resp. 1. De quotidiana communione *S. Thom. in corp. art. cit sic loquitur*: Circa vsum huius Sacramenti duo possunt considerari. *Vnum* quidè ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, & ideò vtile est quotidiè ipsum sumere, vt homo quotidiè eius fructum percipiat. *Alio modo* potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideò si aliquis se quotidiè ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quòd quotidiè sumat. Vndè S. August. *in lib. de verbis Domini*, cùm dixisset: Accipe quotidiè, vt quotidie tibi prosit, subiungit: *Sic vive, vt quotidiè mereatis accipere.* Sed quia multoties in pluribus hominū multa impedimenta huius devotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidiè ad hoc Sacramentū accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum. Vndè *in lib. de Eccles. dogm.* dicitur: Quotidiè Eucharistiæ Communionem accipere, nec laudo, nec vitupero. *Hæc ibi.*

In R. ad 3. ait S. D.. Vtrumque pertinet ad reverentiam huius Sacramenti, & quòd quotidiè sumatur, & quòd aliquando abstineatur. Vndè Aug. *epist. 118. cap. 2. sum. 2. dicit*: Si dixerit quispiam, nō quotidiè accipiendam Eucharistiam, alius contrà faciat vnusquisque, quod secundùm fidem suam pie credit esse faciendum: Neque enim litigaverunt inter se Zachæus, & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens suscepit Dominum; alter dixit: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non vno modo. Hæc ibi. Nota, Inter Propositiones ab Innoc. XI. damnatas esse etiam hanc: *Frequens Confessio, & Communio etiam inhibit, qui generaliter vivunt, est mala præsumptionis.* Videbis n. 56.

* 48 *Resp.* 2. *Consultum in lib. de Eccles. dogmatibus, omnibus diebus Dominicis esse communicandū*, ait S. D. ad 5. in fine. Qui ergo mortalia vitant semel in hebdomada, & interdum bis (nimirum occurrente singulari festo) communicare possunt.

Resp. 3. *in* R, *ad 4. S. D. ait*: Quod quia Dominus dicit, Panem nostrum quotidianus dà nobis hodiè, non est pluries in die communicandum, vt saltem per hoc, quòd aliquis semel in die communicat, repræsentetur vnitas Passionis Christi. Aliud est de Sacerdote ex Ecclesiæ statuto ter celebrante in Natali Domini ad repræsentandam triplicem Christi Nativitatem, nimirum æternam à Patre, temporalem à Matre, spiritualem in Anima. Item de Sacerdote ex dispensatione, vel necessitate (quæ legem non habet) eodem die sæpiùs celebrante in administratione plurium Parochiarum.

* 49 *Nota*, quòd Sacra Congregatio 1679. die 12. Februarij saluberrimum ediderit decretum, quo frequentiam Sacræ Communionis commisit prudenti judicio, ac discretioni Episcoporum, Parochorum, Confessariorum, &c. considerando conditiones personarum sumentium, vt, negotiatorū, conjugatorum. Moniales vult admoneri, vt communicent diebus ex ordinis instituto constitutis. Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, vt dignè frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, in illis à superioribus permittatur. *Item mandat*, vt Episcopi, & Parochi, seu Confessarij redarguant eos, qui asserunt, communionem quotidianam esse de iure divino, & vt doceant, Eucharistiam à sanis esse sumendam in Ecclesijs, vel ex dispensatione, seu privilegio Pontificis in Oratorijs privatis de manu Sacerdotis. *Item* damnat illos abusus, videlicèt, quod aliqui non in Ecclesijs, sed in privatis Oratorijs, & domi, immò cubantes in lecto, & non laborantes vlla gravis infirmitatis nota sumant SS. Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; alijque in communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito. Circa infimos ad Ecclesias, aut ad privata Oratoria accedere non valentes, statuit, vt ab Ecclesia deferatur Sanctissimum publicè, & cum pompa iuxta formam Ritualis Romani; si verò deferatur ex privato Oratorio, fiat cū forma decenti. Circa communionem in feria sexta Paraseeves vult servari Rubricas Missalis, & vsum Ecclesiæ Romanæ. Hæc ex illo Decreto.

* 50 *Resp.* 4. Non licèt omnino cessare à communione in re, dum in re haberi potest, vt docet *S. D. art.* 11. Et patet ex dictis; sunt certa tempora, & casus, in quibus iure divino, & Ecclesiastico tenemur Eucharistiam sumere in re, & non tantùm in voto. In *solut. ad 1. ait S. D. ex Gregorio*: Illa est vera humilitas, cùm ad resipuendum, quod vtiliter præcipitur, pertinax non est. Et ideò non potest esse laudabilis humilitas, si contra præceptum Christi, & Ecclesiæ aliquis omninò à communione abstineat. Hæc ibi.

* 51 QUÆRO X. Sumpsitne Christus in Cœna suum Corpus, & quidem passibile, deditque Discipulis, etiam Judæ? Et quid si Eucharistia fuisset servata tempore mortis Christi? De quo S. D. *quæst. 81. Resp.* 1. Christus in Cœna manducavit spiritualiter, & sacramentaliter, in quantum Corpus suum sub Sacramento sumpsit. Ita S. Thom. art. 1.

art. 1. ad 3: probat ex illo Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, quod Eusebius exponit de novo mysterio novi Testamenti, quod tradebat Discipulis. *Resp.* 2. De effectu sumptionis sic loquitur *S. D. ibidem*: Effectus huius Sacramenti est non solùm augmentum habitualis gratiæ, sed etiam quædam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quamvis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione Sacramenti, habuit tamen quandam spiritualem delectationem in nova institutione huius Sacramenti. Hæc ibi.

* 52 *Resp.* 3. Judas cum alijs Discipulis Corpus Domini, & Sanguinem suscepit. Ita *S. D. art.* 2. *in corp.* & ex S. Dionys. *Ratio ibidem*: Quia Christus nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat eius Magisterio, vt Judam occultum peccatorem sine accusatore, & evidenti probatione ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi, & ipse Judas exasperatus indè sumeret occasionem peccandi.

Oppone: Dominus implevit, quod præcepit, iuxta illud: *Cœpit Jesus facere, & docere*: Sed ipse Matth. 7. præcepit: *Nolite sanctum dare canibus*, & ipse scivit Judam esse peccatorem. Ergo. *Ad hoc* S. D. ibidem *ad* 2. *ait*: Christo nota erat Judæ iniquitas, sicut Deo, non autem erat sibi nota per modum, quo hominibus innotescit. Et ideò Christus Judam non repulit à Communione, vt daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab alijs Sacerdotibus expellendos. Hæc ibi.

* 53 *Resp.* 4. Christus sumpsit; & Discipulis suis dedit Corpus suum passibile; existens impassibiliter in Eucharistia. Ita S. D. art. 3. *Ratio*: Christus tale Corpus sumpsit, & Discipulis dedit, quale habuit: Sed habebat tunc Corpus passibile, & mortale. *Ergo*. Sed impassibili modo erat sub specie Sacramenti, in se verò, seu in propria specie erat passibile, sicut in se est visibile, & tamen invisibiliter est in Sacramento. Ergo.

* 54 *Resp.* 5. Si Eucharistia tempore mortis Christi fuisset servata, Christus in ea fuisset mortuus. S. D. art. 4. *Ratio ibidem*: Idem Christus, qui erat in Cruce, fuisset in Sacramento: sed in Cruce moriebatur. Ergo & in Sacramento cõsetvato moreretur. *Declarat hoc S. D. in c. art. dicens*: Quidquid pertinet ad Christum secundum quod est in se, potest attribui ei, & in propria specie, & in Sacramento existenti, sicut vivere, mori, dolere, animatum, vel inanimatum esse, &c. Quæcumque verò conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in Sacramento, sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, pati, &c. *In solut. ad* 2. *docet* 3. *Thom.* quod si tempore Passionis Christi (quando realiter Sanguis fuit separatus à Corpore Christi) hoc Sacramentum fuisset consecratum, sub specie panis fuisset solum Corpus, & sub specie vini solus Sanguis, licèt defacto ob vnionem sint simul per concomitantiam. *Et in sol. ad* 3. *docet* quod tunc Anima Christi non fuisset in hoc Sacramento, non propter defectum virtutis verborum, sed quia anima erat realiter à corpore separata; verba enim ponunt Corpus Christi, vt est in se. Vide suprà *E.* 3 *n.* 61. Et infrà in hoc *Tract. Enum.* 5. *num.* 74. *ad* 3. *Oppos.*

Minister Eucharistiæ. De quo S. Doct. *quæst.* 82. *per* 10. *art.*

55 QUÆRO XI. Cuius est, Eucharistiam consecrare, & dispensare? *Resp.* 1. Solus Sacerdos potest Eucharistiam conficere, seu consecrare. Ita S. D. art. 1. *Ratio* Quia illi soli in sua Ordinatione datur hæc potestas. [De Baptismo (qui à quovis homine validè conferri potest) est disparitas, quia est Sacramentum summæ necessitatis. *Resp.* 2. Dispensatio Eucharistiæ spectat ad Sacerdotem. *Ita art.* 3. *Ratio*: Quia Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum. Ergo eius est dona divinitus sanctificata populo tradere.

Resp. 3. De Diacono ait *S. D. art.* 3. *ad* 1. quod quia est quasi propinquus Ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio, vt scilicet dispenset Sanguinem, quia non est necesse, eum immediatè tangere sicut corpus, cum contineatur in vase, Corpus autem Christi non dispenset nisi in necessitate iubente Episcopo, vel Presbytero. Hinc in articulo necessitatis in defectu Sacerdotis Diaconus (non tamen Laicus) infirmo Eucharistiam dare potest. Immò Sacerdos morti proximus, non habens copiam Confessarij, nec etiam Diaconi, potest contritus seipsum communicare ob casum tantæ necessitatis. *Resp.* 4. Necesse est, quod Sacerdos quoties consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum. *Ita S. D. art.* 4. *in fine corp. Ratio*: Quicumque Sacrificiũ offert, debet Sacrificij fieri particeps. Ex quo infert S. D. quod Sacerdos debeat sumere, antequam populo Eucharistiam dispenset. Hinc.

* 56 *Not.* 1. *Sacerdos* celebrans grave peccatum committeret, si formulam, seu hostiam vnicam in sua Missa consecratam servaret pro Processione, imponendam Monstrantiæ, & eius loco sumeret veterem, quia non participaret de vtraque specie tunc consecrata, & consequenter integrè nõ compleret hoc Sacrificium. *Not.* 2. Sacerdos, si cum sua Hostia maiori velit prò Fidelium vsu etiam cõsecrare parvas, habeat eas in alteri ad Offertorium, vt, cum ad idem Sacrificium deputentur, omnes simul offerantur: Si tamen contingeret casus, in quo aliqui necessario essent communicandi, & hostiæ parvæ afferrentur ante vel immediatè post Præfationem, possunt adhuc consecrari cum hostia maiori facta prius oblatione. Quia illa prævia oblatio non est de essentia Sacrificij.

Not. 3. Quod etsi communiter nõ debeat practicari, vt celebrans Hostiam maiorem à se consecratam dividat, & partem det volenti communicare, si tamen esset casus necessitatis nimirum in articulo mortis (de quo suprà) vel Communionis Paschalis, cuius terminus hic, & nunc exspirat, nec alia hostia consecrata haberi potest, non esset illicitum partem hostiæ maioris dare volenti communicare.

* 57 *Quid si* ante sumptionem Corpus Christi miraculosè appareret sub specie carnis, & sanguis sub specie sanguinis? *Respondet S. Thom. art.* 4. *ad* 3. non esse sumendum. Dicit enim Hieronymus super Levit. De hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illa verò, quam Christus in ara Crucis obtulit, secundùm se nulli edere licèt. Nec propter hoc Sacerdos transgressor efficitur, quia ea, quæ miraculosè fiunt,

legibus non subduntur. Consulendum tamen esset Sacerdoti, quòd iterato corpus, & sanguinem Domini consecraret, & sumeret. Hæc ibi.

* 58 QUÆRO XII: Licètne Sacerdoti omnino cessare à celebratione, quoties, & est celebrandum per annum? *Resp.* 1. Irrationabiliter dicitur, quòd Sacerdos saltem non curatus licitè possit omnino abstinere à celebratione S. Thom. q. 82. a. 10. in corp.

Ratio ibidem: Vnusquisque tenetur vti gratia sibi data, cùm fuerit opportunum, secundùm illud 2. *Corinth.* 6. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: sed opportunitas offerendi Sacrificium non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui per consecrationem sacrificium offertur. Ergo.

Ex quo S. Doct. infert, quòd Sacerdos non curatus teneatur saltem celebrare in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt, vt in Paschate, Pentecoste, Natali Domini, in *festis* B. V. & quibusdam Apostolorum, ita vt saltem duo decies in anno celebret. Certùm iudico, mortaliter peccare eum, qui non celebrat in anno ter, vel quater in principalibus festis, vel saltem extra illa. Ita enim præcipit Innoc. III. in cap. *Deleatur, de celebrat. Miss.* Ratio patet tum ex dictis, tum quia potest per hoc dari scandalum grave.

* 59 Dixi, *non Curatus*; Nam probabilius est, quòd Parochus teneatur frequentiùs celebrare etiam extra festa, serviendo suis ovibus. Immò quòd saltem diebus Dominicis, & festivis pro ijs teneatur ex justitia Missam applicare, adeòque non possit pro illis Missis speciale stipendium recipere: censetur enim tacitè subesse hic contractus. *Vide R. 3. seq.*

* 60 *Resp.* 2. S. Thom. *citat. art.* 10. *ad* 3. de morbo, lepra, epilepsia Sacerdotio superveniente sic decidit: *Debilitas, vel ægritudo superveniens Ordini Sacerdotali Ordinem non tollit: executionem tamen Ordinis tollit quantum ad Consecrationem Eucharistiæ: quandoque quidem propter impossibilitatem executionis, sicut si privetur oculis, aut digitis, aut vsu linguæ. Quandoque autem propter periculum, sicut patet de eo, qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcunque alienationem mentis. Quandoque propter abominationem, sicut patet de leproso, qui non debet publicè celebrare. Potest tamen Missam dicere occultè, nisi lepra adeò invaluerit, quòd per corrosionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.* Hæc S. Doct. Hinc epileptici, seu morbum caducum patientes (idem de energumenis, seu obsessis) tamdiù censentur ab officio suspensi, vlque dum vnius anni spacio judicio Episcopi censeantur à suo malo liberati.

* 61 *Resp.* 3. Est præceptum divinum de quotidiè celebrando in Ecclesia, præterquam in die Parasceves. *Item* est præceptum Ecclesiæ, vt Eucharistia quotidiè conficiatur in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus, vt probat totius Ecclesiæ consuetudo. Similiter Parochi tenentur celebrare, vel per alium celebrari facere, saltem quoties populus teneatur audire Missam. Nam inter Parochianos, & Parochum (ob id reditus percipientem) videtur initus hic tacitus contractus. Vide dicta *ante* R. 2.

* 62 QUÆRO XIII. Missa mali, & boni Sacerdotis suntne eiusdem valoris? *Resp.* Sunt, quantum est ex opere operato, non verò quantum est ex opere operantis. *Declarat hoc S. D. art. 6. in corp. dicens*: In Missa duo est considerare, scilicèt ipsum Sacramentum, quod est principale: & orationes, quæ in Missa fiunt pro vivis, & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum non minùs valet Missa Sacerdotis mali, quàm boni, quia vtrobique idem conficitur Sacramentum. Oratio etiam quæ fit in Missa, potest considerari dupliciter: Vno modo in quantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis: Et sic non est dubium, quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo in quantum oratio in Missa profertur à Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius Sacerdos est Minister. Quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut suprà dictum est de ministerio Christi. Vndè etiam quantùm ad hoc est fructuosa non solùm oratio Sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiã omnes eius orationes, quas facit in Ecclesiasticis officijs, in quibus gerit personam Ecclesiæ; licèt orationes eius privatæ non sint fructuosæ secundùm illud *Proverb.* 28. Qui declinat aures suas, ne audiat Legem, oratio eius erit execrabilis. *Hæc S. Doct.*

Posset hic quæri, an mali Sacerdotes, etiam hæretici, schismatici, excommunicati, degradati possint validè consecrare, & an ab eis liceat Sacramenta, vel Communionem petere. Sed hæc patent ex dictis suprà *T.* 11. *E.* 4. *ad q.* 7. Et suprà de commercio cum hæreticis, *T.* 7. *E.* 3. *ad q.* 12.

* 63 Quæ. 4. Eucharistia quomodo in Ecclesijs, etiã Monialium est asservanda? Et quid sentis de lampade, quæ ante eam ardere debet?

Resp. 1. Parochus (idem est de Superiori Cœnobij) ex officio tenetur curare, vt Eucharistia in loco decenti, & honorifico asservetur, & frequenter (novam Hostiam imponendo, & antiquam sumendo) renovetur, ne species corrumpantur. Et hoc meritò deberet fieri hebdomadatim, vel saltem omni quindena, vel mense ad summum. *Ratio* patet ex reverentia Augustissimo Sacramento debita.

Resp. 2. Ex generali consuetudine continuo diu, noctuque ante Venerabile debet ardere lampas cuius curam Parochus (& cum eo ædituus) vti & Superior Monasterij gerere debet. Qui facilè culpam mortalem committere possunt, si nulla causa, *v. g.* inopia, excusante vno, alterovè die) præsertim cum scandalo) Eucharistiam scienter relinquunt sine lumine. Idem est de ædituo, si relinquat lampadem extinctam per tres dies, aut 4. noctes. *Ratio est*: quæ antè.

Resp. 3. Quod concernit conservationem lampidis, primo pensanda est consuetudo Ecclesiæ talis loci, quæ si ferat, vt Parochiani ad eum finem certas oblationes faciant, vel vt conservatio fiat ex proventibus Ecclesiæ, vel vt pro conservatione lampadis contribuant Patroni, & omnes, qui intuitu illius Ecclesiæ fructus aliquos percipiunt, tali consuetudini standum est; si non vigeat, introducenda est.

Resp. 4. In Monasterijs Monialium Eucharistia debet asservari in publica Ecclesia, non verò intra Chorum, aut sepia Monasterij, non obstante quocunque indulto. Ita Trid. *sess.* 25. *de Regular. c.* 10.

EXA-

EXAMEN V.

De Eucharistia vt Sacrificium est.

S. Thom. Quæst. 83. per 6. artic.

* 1 QUÆRO 1. Missa, seu Eucharistia, prout in Missa celebratur estne verum, & propriè dictum Sacrificium? Idem de morte Christi, & quomodo hæc sacrificia differant, quis sit offerens? *Ante R. Nota* 1. definitionem Sacrificij, vt sic, explicatam esse suprà *T.* 10. *E.* 2. *n.* 9. dum actum fuit de actibus Religionis. *Item* Sacramentum, & Sacrificium differre in hoc, quod Sacramentum per se primo sit institutum, vt *significet*, nimirum gratiam; secundariò verò, vt *agat*, seu gratiam producat; vndè ponitur in genere signi. Sacrificium verò per se primò ordinatur, vt *agat*, nimirum Deo aliquid offerat; secundariò autem, & consequenter, vt aliquid *significet*; vndè ponitur in genere, seu prædicamento actionis, supponitque pro actione externa. Pro quo.

Nota 1. Sacrificium suo modo duplex in Nova Lege distingui. Vnum Redemptionis, alterum Religionis; primum est, quod Christus semel in ara Crucis obtulit, eoque vnico, vtpote infinito, omnes homines à seruitute peccati redemit. Secundum spectat ad Dei cultum, & est repræsentatio prioris, eiusque applicatio, nimirum *Missa*. Sacrificiū enim alicuius Religionis debet ea semper comitari: Et hoc sæpè iteratur, & toties, quoties Missa celebratur. His notatis.

Resp. 1. Missa in Nova Lege habet veram rationem Sacrificij. Est de fide, & est *S. Thom. hic ar.* 1. *in c. Ratio*: Quia Missæ convenit definitio supra data Sacrificij. In primis est *oblatio rei sensibilis*; saltem ratione alterius, scilicet Corporis, & Sanguinis Christi ratione specierum 2. *Est* oblatio *rei permanentis*, quia Christus præcepit eam fieri vsque ad consummationem sæculi, & Hostia oblata (scilicet Corpus Christi gloriosum) est etiam permanes. 3. *Est* instituta legitima auctoritate, scilicet Dei hominis. 4. *Est* à legitimo Ministro facta, scilicet à Sacerdote, per Dei potestatem ordinato. 5. *Est facta immediatè soli Deo*, vt patet ex Canone Missæ, & ex prævio offertorio. 6. *Fit* cum reali immutatione hostiæ oblatæ, scilicet Christi, non quidem cruenta, sed incruenta, seu mystica, sive inquantum consecratio per se loquendo, & ex vi verborum corpus, & sanguinem Christi ab invicem separat, & per gladiam verborum (*vt Cyrillus loquitur*) sanguis Christi effunditur, & realiter separarentur, nisi Christi corpus defacto esset gloriosum, & impassibile: nam post consecrationem per accidens est, & solum per concomitantiam, quod corpus, & sanguis sit sub eadem specie. 7. *Fit* in recognitionem supremi Dominij Dei in vitam, & in mortem, quia ad hoc est à Christo etiam instituta.

* 2 *Resp.* 2. Vltima Domini Cœna, & mors Christi in Cruce fuit etiam verum Sacrificium. Patet hoc applicanti prædictam definitionem.

Oppono: Si Christus in Cœna verè sacrificasset, tunc aliquam actionem exercuisset erga seipsum, nimirum seipsum effectivè ponendo sub Sacramento: Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min.* patet: Quia iuxta Physicos idem non potest movere, seu producere seipsum, vel dependere à se ipso. *Ad hoc dist. mai.* Exercuisset erga seipsum secundū se sumptum, *neg. mai.* sumptum cum novo modo essendi, nimirum sacramentaliter, *conc. mai.* Et sic *dist. min. neg. conseq.* Hæc distinctio salvat distinctionem realem inter causam efficientem, & effectum, vti & prioritatem causæ. Hinc etsi idem non possit etiam divinitus producere seipsum productione primitiva, absolutè, & simpliciter, benè tamen sub novo essendi modo. Habet ergò in vtraque productione Corpus Christi idem esse substantiale, sed diversum essendi modum: attingiturque per plures actiones totales, diversæ rationis tamen, seu sub diversa formali ratione terminandi. Nam sub ratione entis ex nihilo (saltem anima) terminat creationem: sub ratione hominis terminat generationem: inquantum habet esse Sacramentale, terminat conversionem Eucharisticam.

* 3 *Resp.* 3. Sacrificium Crucis, Cœnæ, & Missæ ex parte rei oblatæ, non differunt numero: ex parte verò modi offerendi primum ab alijs differt quasi specie, seu specie modali *S. Thom. a.* 1. *ad* 1. *Ratio* Quia res oblata est eadem numero, scilicet Christus: Sed modus offerendi in ara Crucis erat cruentus, & in propria specie, in alijs incruentus, & in specie aliena.

Resp. 4. Licet tres illæ sacrificationes, nimirum in Cruce, in Cœna, & defecto in Missa materialiter numero differant, seu in esse entis, & actionis multiplicentur: formaliter tamen in ratione sacrificationis, seu Sacrificij non differunt numero, seu sunt idem. *Ratio* 1. *p.* Quia fiunt diverso tempore, & in diversis alijs circumstantijs. *Ratio.* 2. *p.* Quia Sacrificium Missæ est continuatio Sacrificij Crucis, & Cœnæ; continuatio autem inducit aliquam identitatem, etiam simpliciter talem, non quidem omnibus modis, sed in suo genere, & absolutè Quod declaratur exemplo Comœdiæ, quæ eadem in diversis locis, & temporibus exhibetur, quæ revera est, & dicitur esse eadem Comœdia; licet actiones materialiter numero multiplicentur. Vide in hoc *E.* n. 81. in fine R. ad Oppono post R. 5.

Ex quo sequitur, quod etiam omnia Missæ sacrificia præterita, præsentia, & futura non solum ex parte rei oblatæ, sed etiam ex parte actionis formaliter sint idem sacrificium: quia omnia sunt representatio, & continuatio eiusdem Sacrificij Christi, & Passionis, quæ est eadem: sicut dictum est de eadem Comœdia sæpius exhibita: appellantur vero diversa numero sacrificia propter distinctionem materialem. Nec obstat, quod dicantur numero formaliter plura Sacramenta Eucharistiæ, quia illa ordinantur ad sanctificandos homines per effectus gratiæ, quos causant, qui sunt diversi.

* 4 *Resp.* 5. Christus vt homo est principalis offerens in Missa, Sacerdos vero celebrans est offerens minus principalis, & instrumentalis 1. *Pars* patet ex illo Psalm. *Tu es Sacerdos in æternum.* 2. *Pars.* patet: Quia Sacerdos agit in virtute Christi.

Resp. 6. Licet Christus proprie non habeat successores in Sacerdotio habet tamen Vicarios, Ministros, & hi sunt Sacerdotes. *Declaratur*: Differentia est in hoc, quia successor est æqualis potestatis cum prædecessore, quod quidem erat in Lege Veteri, Aaroni enim Eleazarus, & hic Phinees successit in æquali potestate, quod non est in Vicario:

rio: sed nullus Sacerdos est Christo æquális in potestate, nec Christus est mortalis. Ergo non indiget successore, sed solum habet Ministros, & Vicarios.

Oppone: Sacrificium Crucis est infiniti valoris. Ergo non indegemus alio Sacrificio *ad hoc* dist. cons. ex *Not.* 2. *ante R.* 1. patebit magis infrà ex dicendis *ad Q.* 3. *n.* 75.

* 5 QUÆRO II. In qua actione consistit essentia Sacrificij Missæ. *Resp.* 1. Oblatio illa, quæ ante consecrationem fit illis verbis, *Suscipe S. Trinitas, hanc obligationem*, &c. seu Offertorium, non est de essentia, nec de integritate huius Sacrificij 2. *Sicut* nec oblatio, quæ fit post consecrationem illis verbis, *Unde, & memores Domine*, &c. *offerimus præclaræ Majestati tuæ* 3. *Nec* fractio hostiæ in tres partes, quarum vna mittitur in Calicem. 4. *Nec* sumptio Eucharistiæ, nec consumptio specierum in stomacho. *Ratio* 1. *& 2. p.* Tum quia tunc res offerenda, scilicet Corpus, & Sanguis Christi, nondum est. Tum etiam (quod probat simul 2. partè) quia tunc nulla fit immutatio victimæ, sed solum simplex quædam deprecatio, vt sacrificium Deo sit acceptum. *Ergo.*

Nota: Etsi sacrificium essentialiter sit oblatio, non tamen est qualiscumque, seu simplex oblatio, nec requiritur in actu signato talis, vt *v. g.* necessario debeat dici, *offero*, vel *offerimus*, sed debet esse oblatio immutativa rei, saltem quoad modum, & sufficit, vt fiat in actu exercito, seu vt fiat non expresso verbo, sed potius re, & facto, ipsam hostiam Deo sistendo præsentem: sicut Christus potius opere quam verbo se obtulit in Cruce.

Ratio 1. *p.* Quia illa fractio solùm est ex institutione Ecclesiæ tanquam dispositio ad sumptionem, & sine ea subsisteret Sacrificium. *Ratio* 4. *p.* Actio, in qua sacrificium hoc essentialiter consistit, fit in Persona Christi vt principaliter offerentis, & sine grandi peccato non potest fieri extra altare, & proximè, & ratione sui debet significare Passionem, & mortem Christi sed sumentis. *Subsumo*: Sed sumptio non fit in persona Christi, sed sumentis, & consumptio specierum in stomacho fit postea extra altare, dum species vi caloris naturalis alterate corrumpuntur. *Item* sumptio proximè per se, & ratione sui solum significat sepulturam Christi, mortem verò significat ratione alterius, scilicèt consectationis; hoc ipso enim quod Christus manducatur, supponitur vi verborum consecrationis mysticè mactatus. *Ergo.* Ex hac ratione solvuntur auctoritates sacræ Scripturæ, & SS. Patrum, quibus dicitur, Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.

* 6 *Resp.* 2. Tota Sacrificij Missæ essentia consistit in consecratione. 2. *Quæ* essentialiter debet esse vtriusque speciei. 3. *Cum* habitudine transcendentali ad sumptionem velut ad finem, & terminum extrinsecum, spectantem ad Sacrificij integritatem. *Ita S. Thom. hic. q.* 82. *art.* 2. *ad* 1. *Et art.* 10. *in c. Ratio* 1. *p.* Actio, in qua consistit essentia huius Sacrificij, debet fieri in persona Christi, vt principalis offerentis, & representare Sacrificium Crucis: sed sola consecratio specialiter fit in persona Christi, quia Sacerdos in ea loquitur, ac si esset ipse Christus. Item illa est maximè representativa sacrificij Crucis, ob rationem pro 4. *p.* in probatione R. 1. adductam Ergo. *Ratio* 2. *p.* in Exam. 3. *ad Q.* 3. *pro* 2. *& 4. parte.*

Ex quo sequitur, quod inter vtramque speciem sit maior dependentia, loquendo de Sacrificio, quam loquendo de Sacramento, vna enim species (vt suprà dictum est) potest dici, & est Sacramentum, saltem particulare, non tamen est partiale Sacrificium. *Hinc* etsi vna species non sit de essentia alterius, ambæ tamen sunt de essentia sacrificij.

Ratio 3. *p.* Corpus, & Sanguis ponuntur in hoc Sacrificio per modum cibi, & potus: sed sumptio est finis, & terminus extrinsecus alimenti, integrans, & complens convivium. *Ergo.* Pro quo vide suprà de essentia Sacramenti Eucharistiæ. *Ex his sequitur*, quod in die Parasceves defectu consecrationis non conficiatur verum sacrificium, sed solum consummatio sacrificij præcedentis diei, nec populus eo die tenetur audire Missam, si quod festum de præcepto in eum diem caderet, non translatum ab Ecclesia: nec tenetur sub peccato interesse cæremoniæ, quæ tunc fit. Quando ergo SS. PP. dicunt, quotidie in Ecclesia celebrari, intelligitur salva exceptione illius diei. Ratio omissionis Missæ eo die est, ne Passio mystica, & expressa, seu realis eadem die representetur.

* 7 *Oppone* 1. contra *Resp.* 2. Actio sacrificativa debet hostiam præsupponere: sed consecratio hostiam, nimirum Corpus Christi non præsupponit in Eucharistia, sed producit. Ergo. 2. *Sit casus*, quod Sacerdos aliquis ex malitia intendat consecrare, & non sacrificare. 3. *Si*, quantum ex vi verborum, Christus in Missa immoletur, & mactetur, sequitur, quod ex vi verborum in Eucharistia ponatur Corpus Christi mortuum determinatè: sed hoc est falsum. Ergo. *Min. prob.* Ex vi verborum ponitur Corpus Christi, vt abstrahens à vita, & à morte, potest enim in Eucharistia esse vivum, vti est defecto, & potest esse mortuum, vt si in triduo mortis fuisset facta consecratio. Ergo.

Ad 1. *dist. mai.* Prioritate temporis semper, *negatur*; naturæ, *subdist.* Sub ea formalitate sub qua actio sacrificans est, *conc.* sub alia, sub qua non est, *negatur*. Hinc in consecratione (vt tradunt Gonet, & Labat) tres distinguendæ sunt formalitates, quarum vna alteram præsupponat prioritate rationis. Est autem hic inter eas ordo: Primo, inquantum panem, & vinum convertit, in Corpus, & Sanguinem Christi, sic est præparativa, & productiva victimæ. 2. *Quatenus* eadem Victima in honorem, & cultum Dei ipsi Deo in actu exercito præsentatur, eadem consecratio est oblatio. 3. *Quatenus* ex modo producendi victimam, seu quantum est de se, & ex vi verborum habet ponere Sanguinem Christi à corpore separatum, seu modo quodam mortuo, nimirum corpus per modum cibi, sanguinem per modum potus: sic consecratio est immutativa, & mactativa victimæ. Et sub hac vltima formalitate habet vltimam differentiam sacrificij propriè dicti; oblatio enim, etsi de essentia sit, est tamen potiùs prædicatum generícum, ratione distinctum à specifico.

Ad 2. optimè distinguit Sylvius: Talis, vel habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit, vel non habet? Si habet, tunc simul consecrat, & sacrificat, intentio enim communis, & generalis prævalet particulari, vt patet suprà *T.* 11. *E.* 4. *n.* 39. Si non habet, nec consecrat, nec sacrificat defectu intentionis. *Ad* 3 *dist. mai.* Sequitur, &c. quod in Eucharistia, vt est sacrifi-

crificium, qualiter de ea, hic agimus, *conced. mai.* vt est Sacramentum, de quo vt tali convincit probatio minoris, *neg. mai.*

* 8 QUÆRO III. Sacrificium Missæ esne infiniti valoris? *Resp.* Probabiliùs est, quòd sacrificium Missæ quoad se, seu in actu primo, sive quoad sufficientiam, & efficaciam intrinsecam, sit infiniti valoris intrinsecè, & extrinsecè, non solùm ex parte rei oblatæ, sed etiam ex parte oblationis, licèt de facto, & in exercitio causet solum effectum finitum ob limitationem ab extrinseco advenientem. Patet ex S. Thom. *suprà q. 79. art. 5.*

Ratio 1. p. Valor sacrificij non solùm desumitur à re oblata (quia aliàs oblatio, qua B.V. in templo obtulit suum Filium, esset infiniti valoris) sed etiam à dignitate offerentis principalis: sed in hoc Sacrificio non solùm res oblata, nimirum Corpus Christi, & Sanguis hypostaticè Verbo vnitus, sed etiam ipse offerens principalis, scilicèt Christus, est infiniti valoris, & dignitatis. Ergo.

Declaratur ex differentia Eucharistiæ, vt Sacramenti, & vt Sacrificij. Nam vt Sacramentum fit per Consecrationem; vt est actio physica alicuius productiva, sic est à Christo, vt à causa, & quidem solùm instrumentali physica, actiones autè Christi humanæ physicè sumptæ non sunt infiniti valoris: Ast Eucharistia in ratione Sacrificij, & Oblationis præcipuè spectat ad genus moris, estque à Christo, vt à causa principali morali, offerente se Deo Patri, & per modum inferioris submittente se illi vt superiori. Ergo propter reflexionem super suppositum Christi trahit ab eo valorem in genere moris infinitum, ad merendum, & satisfaciendum, non minùs ac trahebant actiones Christi Theandricæ, per quas pro nobis satisfecit in via, cum virtute causandi effectum syncathegorematicè perfectiorem in infinitum.

Ratio 2. p. Causa vniversalis in exercitio non agit vltra mensuram dispositionis subiecti: sed Sacrificium Crucis, & Missæ in ordine supernaturali est causa vniversalis ad merendum, & satisfaciendum. Ergo in exercitio producit effectum limitatum iuxta limitatam dispositionem subiecti, cui applicatur.

Declaratur vlteriùs, effectum Sacrificij Missæ non posse limitari ex finita dignitate Sacerdotis particularis. Cùm enim causa principalis operetur per propriam formam, per eam effectum sibi assimilat. Ergo tantùm per illam debet limitari; vndè in naturalibus mediante instrumento, *v.g.* semine, homo, vt causa principalis producit effectum à se intentum eiusdem secum speciei, licet in individuo possit limitari ab instrumento; in moralibus verò neque in individuo limitatur effectus ratione instrumenti, quia sequitur valorem, & dignitatem agentis principalis; quantò enim dignior est persona satisfaciens, tantò dignior est ipsa satisfactio, licèt instrumentum, quo facit eam, sit inferioris conditionis, sive in esse physico, vt si fiat mediante lingua; sive in esse moris, vt si fiat mediante alio homine, vt explicat Nugno. Dixi, *non limitari ex finita dignitate Sacerdotis*; quòd enim possit limitari effectus Sacrificij ab intentione Sacerdotis Missam alicui applicantis, patebit infrà n. 78. R. 2.

* 9 *Oppono* 1. Ergo sequitur 1. *Sacrificium* à simplici Sacerdote oblatum, esse eiusdem perfectionis cum Sacrificio Crucis, immediatè oblato à solo Christo, quia vtrumque est infinitum, vnum verò infinitum non est maius altero. 2. *Fusse* Missæ Sacrificio posse evacuari totum Purgatorium. 3. *Frustrà* offerri plura Sacrificia pro vna persona, quia vnum est infiniti valoris. 4. *Eandem* Missam (pro quo datum est stipendium) posse applicari pro alijs innumeris, immò infinitis hominibus, si darentur.

Ad 1. dist. Eiusdem perfectionis essentialis, desumptæ à principali offerente, & ex opere operato, *conced.* accidentalis, & ex opere operantis, *negatur.* Nota, non esse dubium, quin etiam valor Missæ proveniens ab Ecclesia, & ex merito Sacerdotis, ac ministrantium, sit simpliciter finitus, cùm fundetur in eorum dignitate finita.

Ad 2. Est verum quoad virtutem, & sufficientiam Sacrificij, seu in actu primo; in actu autem 2. non fiet, non defectu Sacrificij, sed quia non omnes animæ, pro quibus offertur, ad remissionem totius pœnæ sunt dispositæ. Similiter per vnicum Sacrificium, quantùm est de se, posset satisfieri pro pœna infinitè intensa. *Ad 3. neg.* Nam effectus Missæ limitatur iuxta devotionem eius, pro quo offertur; sed ille non semper est, vel saltem non scitur, quòd sit tam excellenter dispositus. Ergo. *Ad 4. R.* posse applicari ex charitate, non acceptis pluribus stipendijs; modo in particulari applicetur, cui stipendium dedit: stipendium verò non datur pro Missa, aut valore, aut fructu eius (quia esset simonia) sed vel pro labore corporali, vel pro sustentatione Ministri; & taxatur eius quantitas ex consuetudine Patriæ, vel statuto Ordinarij. Dixi, *pro sustentatione Ministri*, solius nimirum honestè, & frugali, in vnum diem, nec potest plus exigi titulo famulitij domestici, cognatorum, aut debitorum contractorum.

* 10 Ex his colligitur quorumdam casuum resolutio, nimirum *Primo*: Non licèt pro vna Missa (licèt sit infiniti valoris) accipere plura stipendia, etiam applicando alteri fructum specialissimum Sacerdoti debitum, quia incertum est, an ille fructus (cùm videatur esse beneficium personale) possit alteri dari. Et hoc verum est, sive sint plura stipendia adæquata, sive parva vnum totale integrantia, vt patet ex declaratione S. Congregationis Concilij, edita iussu Alexand. VII. & oppositum faciens tenetur ad restitutionem. Cæterùm dato, quòd fructus ille specialissimus sit alteri communicabilis, probabilius est, quod possit alijs saltem gratis applicari, modo fiat raro, & prudenter, ait Nugno, habebit enim Sacerdos alium fructum ex opere operantis, cum faciat actum excellentissimæ virtutis. Nec tenetur eum Sacerdos applicare illi, qui stipendium dedit.

Secundo. Iuxta declarationem S. Congregat. Concilij, §. 4. sub Vrbano VIII. 1625. Sacerdos, qui Missam suscepit celebrandam cũ certa eleemosyna, non potest eandem Missam alteri committere legendam, parte eleemosynæ sibi retenta; & oppositum faciens tenetur ad restitutionem. Quia nullũ habet titulum retinendi; non gratuitum, quia pecuniam non accepit per modum donationis, vt supponitur; nec onerosum, quia ipse onus non subit. *Excipitur* Beneficiatus, qui (nisi in fundatione aliter caveatur) suas Missas potest committere alteri, data eleemosyna iuxta morem Patriæ, licèt redditus Beneficij pius importent. Disparitas est, quia habet titulum Beneficij, cui alia onera annectuntur, *v.g.* recitandi Horas Canonicas, &c. *Tertiò* Non licèt anticipatè dicere Missas pro ijs, qui in futurum Miss-

sas

sas perent, iisque postea petentibus lectas Missas applicare. Et opposita sententia est damnata à Clemente VIII. 1605.

* 11 QUÆRO IV. Missa pro pluribus oblata prodestne æquè singulis, quàm si offerretur pro vno tantum? *Resp.* 1. Probabilius est, quòd sacrificium Missæ quoad essentiam, & substantiam suam, etsi pro pluribus nominatim, & æquè specialiter offeratur, singulis, seu cuivis in particulari æquè, & tantùm prosit (iuxta cuiuslibet tamen dispositionē) ac si pro vno offerretur tantum. Sicut si ex Mari, sive plures, sive pauciores simul hauriant, nulli aliquid deperit. *Ratio*: Quia Missa est infiniti valoris. Ergo eius fructus per applicationem etiam specialem, æqualiter pluribus factam, non minuitur. Dixi 1. *quoad essentiam suam*, non enim est sermo de fructu orationum, quas Sacerdos persolvit nomine Ecclesiæ, vel suo. Dixi 2. *æquè specialiter*; si enim pro aliquibus tantùm in communi, & in confuso offeratur, pro alijs verò nominatim, & specialiter, his magis prodest Quia applicatio Missæ fit per intentionem celebrantis.

Resp. 2. Mensura effectus huius sacrificij est duplex, nimirum intentio Sacerdotis, vt causa efficiens, & applicans, & devotio eius, pro quo offertur, vt causa dispositiva. *Declaratur* cum Nugno: Sacerdos tripliciter potest suum sacrificium alicui applicari. 1. *Generalissima* quadam ratione offerendo pro tota Ecclesia, & peccaret Sacerdos si à fructu sacrificij aliquem excluderet, licèt exceptio esset vaga. 2. *Quodammodo* in particulari, vt si applicet pro illa civitate, pro suis, vel familiæ suæ benefactoribus, pro omnibus petentibus in communi. 3. *Omnino* in particulari, nominando v. g. Petrum, Paulum, &c. Quantò particulariùs ergo Missa applicatur, tantò magis prodest, cæteris paribus (si nimirum is, pro quo offertur, magis sit dispositus, sicut quævis causa, quantò meliùs applicatur, tantò meliùs operatur. Pro eo, qui eleemosynam contulit, tenetur Sacerdos tertio modo, seu in particulari Missam applicare, & pro possibili conari, vt in Memento expressam eius memoriam habeat. Potest tamen sufficere memoria virtualis, vt si Sacerdos ante celebrationem composuit *Memento*, & postea obliviscatur, vel in ipso *Memento* dicat Deo: Offero pro omnibus illis, quorum anteà memoriam feci.

* 12 *Quisnam ergo* ex sacrificio Missæ maiorem recipit vtilitatem? *Dico*: Cæteris paribus, id est, si adsit etiam maior dispositio subiecti, Sacerdos, & post eum is, qui contulit eleemosynam, cuius collatio est specialissima devotio erga Missam; & conferentis sit specialis memoria in Missa. Post hunc illi, qui Missæ assistunt. Vndè in Canone fit eorum expressa memoria per ly: *Et omnium circumstantium.*

Si Missa pro pluribus æquè specialiter oblata æquè prosit, cur probi Sacerdotis pro Missis, quas specialiter pro se, aut suis offerunt, non acceptant stipendium? *Dico*, Optimū esse consilium ita facere, & secundum prudentiam, ait Nugno, vt quando quis maximè vult benefacere fratri, aut amico, pro tali Missa non recipiat stipendium, quia sic confert illi satisfactionem, quæ correspondet stipendio, adeòque cæteris paribus recipit tunc frater, vel amicus maiorem fructum. Dixi, *cæteris paribus*; si enim is, qui stipendium non dedit, maiori fervore, ac devotione feratur erga sacrificium, ei etiam specialiter applicatum, maiorem reportat fructum, quam qui dedit.

* 13 *Cuius auctoritate* fiunt reductiones Missarum, vt per certam, vel certas Missas, vel Anniversaria satisfiat pluribus? *Dico*: Sacra Congregatio sub Vrbano VIII. 1626. statuit, quod possint fieri à sola Sede Apostolica, & nullatenus ab Episcopis, nec à Generalibus Ordinum in Capitulis Generalibus, revocatis contrarijs Privilegijs.

Dum Ecclesia prohibuit, ne hæc reductio fiat ab Episcopis, vel ordinum superioribus. sensitne, efficaciam Missæ diminui respectu vnius, si simul offeratur pro alijs? *Dico*: Neutiquam, sed ideò, vt impleatur voluntas fundatorum, & eorum, qui dederunt stipendium.

Quas ob causas, vel in quibus casibus potest fieri hæc reductio? *Dico*: Sedes Apostolica non concedit illam Missarum reductionem, nisi in Collegijs, vel Conventibus eam petentibus sit magna necessitas, & paupertas, quando numerus Missarum fundatarum excedit numerum Sacerdotum, aut non fuit datum justum stipendium. Hinc non debet concedi illis Collegijs, qui faciunt sumptus non necessarios, vel magnifica extruunt ædificia.

* 14 QRÆRO V. & vltimo: Missa quos habet effectus ex opere operato? Item ratio sacrificij estne nobilior ratione Sacramenti?

Resp. 1. Sacrificium Missæ non tantum est laudis, & gratiarum actionis, aut nuda commemoratio sacrificij Crucis, sed habet tres effectus. 1. Est *propitiatorium*, seu habet vim placandi Deum, peccatis nostris offensum. 2. Est *impetratorium*, seu valet ad impetranda quævis bona spiritualia, immò & temporalia, si salutì non obsint. 3. Est *satisfactorium* pœnis temporalibus, quæ restant remissa culpa. 4. Est *de fide*, vt patet ex Tridentin. *Sess.* 22. *cap.* 1. *Can.* 2.

Resp. 2. Missa dictos effectus causat ex opere operato non tamen physicè, sed moraliter. *Ratio* 1. *p.* Quia causantur ex sola dignitate huius sacrificij, nimirum rei in eo oblatæ, ac principalis offerentis, independenter à dignitate Sacerdotis particularis, vt patet in Missa mali Sacerdotis, quæ tantum valet quantum boni, non ex opere operantis, cum illud nihil valeat; ergo ex opere operato. Item independenter à dignitate eius, pro quo offertur, ex parte cuius tamen requiritur dispositio, non vt ratio formalis causandi, sed vt *conditio sine qua non*. Vide suprà, quid sit causare ex opere operato. *T. 1. c. B. 2. n. 1.* Not. 2. *Ratio* 2. *p.* Quia sacrificium vt tale præcipuè consideratur in genere motis; & habet effectus immediatos solùm morales, per quod differt à Sacramento. Ergo.

Nota, non esse contra naturam effectus ex opere operato, quod non semper statim, & ex certa lege, ac infallibiliter fiat, sed quomodò, & quando Deo placuerit, & subiectum est dispositum. Habet tamen aliquos effectus, quos in subiectis ritè dispositis infallibiliter causat, nimirum remissionem pœnæ, vel totalis, vel partialis in justis, sive vivis, sive mortuis iuxta dispositionem subiecti.

Resp. 3. Sacrificium Missæ gratiam, sive secundam, sive primam, & peccatorum mortalium remissionem non causat directè, & immediatè, sed solùm indirectè, & mediatè, inquantum à Deo, eius oblatione placato, impetrat auxilium gratiæ excitantis, & donum pœnitentiæ, contritionem, vel attritionem cum Sacramento, per quæ immediatè confer-

fertur gratia sanctificans, & peccati remissio. Ita colligitur ex Trident. loco cit. *Ratio*: Quia ad gratiam habitualem directè causandam ordinantur Sacramenta, vtpotè per se primo instituta ad nostram sanctificationem, sacrificium verò primariò, & immediatè respicit cultum Dei, sanctificationem autem hominis solùm secundariò, & quasi per redundantiam, nimirum impetrando priùs dicta auxilia gratiæ, & donum Pœnitentiæ. Ergo.

Resp. 4. Remissionem pœnarum tempor alium causat Missa immediatè. *Ratio*: Quia est immediatè satisfactoria. *Resp.* 5. Etsi Eucharistia, vt Sacramentum ex parte, seu secundum quid nobilior sit seipsa vt sacrifitio, attamen omnibus pensatis, & simpliciter loquèdo sub ratione Sacrificij est excellentior.

Ratio 1. *p.* Quia Sacramentum vt tale respectu sui effectus immediati, scilicet gratiæ, exercet causalitatem physicam, Sacrificium verò suos effectus causat solum moraliter, quod est ignobilius. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Tum quia Sacrificium Eucharistiæ est idem cum Sacrificio Crucis, quod est nobilius omnibus Sacramentis, vtpote ab eius dignitate valoratis. Tum quia nobilitas medij sumitur à fine: sed licèt Sacramenta habeant effectus, qui sunt nobiliores in ordine ad nostram vtilitatem, Sacrificium tamen immediatè, & primario habet effectus nobiliores in ordine ad cultum divinum, qui est finis simpliciter nobilior. Ergo.

Oppono contra rationem 2. *p.* Si Sacrificium Crucis, & Eucharistiæ sunt idem: Ergo primum nō potest nobis applicari par secundum, vti tamen applicatur. *Prob. conseq.* Quia idem non applicatur per seipsum. Ergo. *Dist.* vltimum *antec.* Si sint idem omnibus modis, *conc.* secus, *neg.* Sufficit ergo quod secundum quid, & materialiter distinguantur. Vide suprà in hoc *E.* n. 3. *R.* 4.

* 15 *Estne* vtilius, Missas in vita sibi celebrari facere, quam post mortem? *Affirmo*: Quia exinde homo sibi comparat maiora beneficia. Nam Missæ pro aliquo dictæ post mortem sunt solum satisfactoriæ pro pœnis Purgatorij: si verò pro eo leguntur in vita sunt simul propitiatoriæ, & impetratoriæ, sicque iuvant in vita, & post. Immò per eas multiplicatas potest in vita tota Purgatorij pœna deleri, vt moriens statim cœlum iniret. Quod tamen forsam rarò contingit. An liceat curare legi pro se in vivis Missam de *Requiem*, Vide *T.* 15. *E.* 6. *num.* 51.

Hæc de Sacramentō, & Sacrificio Eucharistiæ dicta sufficiāt. Plura quidem hic dici possent de tēpore celebrationis Missæ, de loco, vasis, vestibus, cæremonijs, defectibus in Missę occurrentibus, sed ea remitto ad Tractatum de Ordinibus, & in speţie de Sacerdotio. Vide Tract. 15. Exam. 6.

TRACTATUS XIII.
DE SACRAMENTO
Pœnitentiæ, & partibus eius.

De quibus S. Doct. agit 3. part. à quæst. 84. vsque ad quæst. 90. quæ est vltima inclusivè. Et in Supplemento Tertiæ Partis, à quæst. 1. vsque ad 17. inclusivè.

SALVATOR hominum Homo-Deus Jesus Christus, sciens quod omnis caro corrumperat viam suam, quòd caro concupiscat adversus spiritum, ad malum prona ab adolescentia sua, quòd totus mundus sit in maligno positus: nolens tamen mortem peccatoris, sed magis vt convertatur, & vivat, non solum Patrem egit, vitam dando; sed & Medicum, animę morbos curando, & per peccata amissam animæ vitam restituendo virtute efficacissimi medicamenti, nimirum Pœnitentiæ Sacramenti, à se ad id misericordissimè instituti. De quo proindè cum Angelico Doctore tractandum.

EXAMEN I.
De essentia, & Institutione Sacramenti Pœnitentiæ, eiusque Partibus in generali. Et de Penitentia, vt est virtus.

De quibus S. Thom. quæst. 84. & 85.

* 1 QUÆRO I. Teneturne Confessarius calere doctrinam Theologorum de Sacramento Pœnitentiæ? *Resp. affirm.* Ratio patet suprà Tract. 1. n. 13. Quia lex naturalis dictat, quemlibet incoscientia teneri scire, quæ spectant ad suum officium, vt docet *S. T.* 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. *in c.* Sed ea, quæ tractantur in hoc Tractatu, spectant ad officium Confessatij, inquātum est Iudex, Doctor, & Medicus. Ergo. *Min.* declaratur: Ad officium Confessarij spectat scire, an, & quando possit ligare, & solvere, vt patet ex Trid. sess. 24. de Pœnitent. c. 6. sic statuente: *Quamvis absolutio Sacerdotis alicui beneficij sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a Iudice, sententia pronunciatur*: Iudex autem, & solvendi, & ligandi

ligandi facultatem habet: sed in hoc tractatu maximè instituitur Confessarius, quando, & quem possit ligare, vel à peccatorum vinculis solvere, vt patebit ex eius decursu. Ergo.

* 2 QUÆRO II. Quid est Sacramentum Pœnitentiæ, quando, & à quo institutum, quæ eius partes, quæ materia? De quo *S. D. q.* 84. *per* 10. *art. Ante R. suppono.* Pœnitentiam posse dupliciter considerari. Primò vt est Sacramentum Novæ Legis, qualitet de eo hic agimus. Secundò vt est virtus, qualiter etiam fuit in Veteri Lege. De qua postea *Q.* 6. Hoc supposito.

Resp. 1. Hoc Sacramentum physicè sumptum (vt suprà de Baptismo *T.* 11. *E.* 5. *R.* 1. *ad Q.* 1.) seu in quantum est compositum ex materia, & forma vt partibus physicis, seu quasi physicis, definitur, quod sit exterior peccatorum confessio dolorosa (seu, & dolor) sub impensa præscripta absolutionis forma. Sumptum metaphysicè, seu vt constat ex genere, & differentia, definitur, quod sit *Sacramentum Novæ Legis institutum ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum, seu ad causandam gratiam sanantem*, sive resuscitantem, aut remissivam dictorum peccatorum, vt patet ex *S. Thom. q.* 84. *a.* 1. *in c.* Hæc secunda definitio detur examinanti. Ex qua etiam patet, quis sit effectus huius Sacramenti.

* 3 *Resp.* 2. Solet hoc Sacramentum etiam vocari *reconciliationis*, nimirum ab effectu, qui est reconciliatio cum Deo: Item *Confessionis*, à notiore parte, quæ est confessio, & *Absolutionis*, à forma; *Pœnitentiæ* à contritione, quæ etiam est pars essentialis eius; non tamen vocatur satisfactionis, quia illa solum est pars eius integralis, & non de essentia. Item vocatur methaphoricè secunda post naufragium tabula. Nam (vt ait S. Thom. ar. 6. in c.) *Sicut primum remedium mare transeuntibus est, vt conserventur in navi integra, secundum autem remedium est post navem fractam, vt quis tabulæ adhæreat: ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quod homo integritatem in Baptismo acceptam servet: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam redeat.* Porrò Penitentia est dicta *à pœna*, & *teneo*, quasi *pœnæ tenentia*, vel punientia, iuxta Isidorum.

Resp. 3. Pœnitentia est verum Sacramentum, 2. *à Christo* immediatè institutum, 3. *cum* à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt. *Joann.* 20. Ita patet in *Trid. sess* 6. *c.* 14. & *sess.* 14. *c.* 1. & can. 1. *Prima*, & 2. *part* patent ex applicatione definitionis Sacramenti datæ suprà *T.* 11. *E.* 1. Et vlterius declaratur: Christus Apostolis, eorumque successoribus verè dedit potestatem remittendi peccata cum auriculari confessione, & omnium peccatorum quoad numerum, quoad speciem explicatione: sed hæc potestas in nullo alio, sed in hoc solo Sacramento exercetur, vt patet. Ergo. *Mai. prob.* Christus prædictis verbis Apostolos, eorumque successores instituit Judices, cum potestate solvendi, vel retinendi, qui revera actus iudiciarius est: sed hic actus nequit fieri, nec sententia à Judice ferri, nisi cognoscat numerum, speciem, ac circumstantias peccatorum Ergo. Et consequenter Christus instituit confessionem sacramentalem.

Nota, quod hanc potestatem, quam Christus *Joan.* 20. Apostolis dedit, promiserit; dum Petro dixit *Matth.* 16. Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in cœlis, vt patet ex S. T. ar. 7. in c.

* 5 *Resp.* 4. Partes Sacramenti Pœnitentiæ essentiales sunt *contritio*, *confessio*, & forma seu *absolutio*. Satisfactio est pars integralis. Patet ex S. T. art. 2. *Ratio*: Ea, sine quibus aliquod compositum ab intrinseco non potest subsistere, sunt de essentia, sine quibus autem subsistere potest, non sunt de essentia: sed Pœnitentiæ Sacramentum ab intrinseco non potest subsistere sine contritione, confessione, & absolutione, bene tamen sine actuali satisfactione. Ergo. Sed de his plura in sequentibus. Vide suprà *T.* 11. *E.* 1. Not. 1. Quomodo in pœnitentia salvetur illud, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Et ibid. *ante R.* 2. Qualis partium simultas requiratur in Sacramentis. Item ibid. *E.* 4. *n.* 46. *R.* 7. Vide quid in hoc Sacramento sit res tantum, quid Sacramentum tantum quid vtrumque simul.

Ex his sequitur, quod etsi non possit admitti hæc propositio, Pœnitens absolvit seipsum, vel est minister huius Sacramenti; quia non profert nec super se proferre potest formam absolutionis, hæc tamen est vera: Homo in Sacramento iustificat se ipsum per suos actus non principaliter sed instrumentaliter, non formaliter, sed dispositivè, non per actus præcisè secundum se sumptos, sed vt ad esse Sacramenti elevatos, & clavibus Ecclesiæ subiectos, sub qua ratione etiam physicè causant gratiam (iuxta dicta suprà *T.* 11. *E.* 2. *n.* 3. de causalitate physica Sacramentorum Novæ Legis) etsi alias, vt præcisè actus virtutum sunt: solum causent eam moraliter. Hinc potestas clavium, licèt formaliter sit in Sacerdote, qua de causa is nobiliori modo, instrumentaliter tamen, ad pœnitentis iustificationem concurrit; participativè tamen est in actibus pœnitentis, vt elevatis. Hæc proportionabiliter possunt applicari ad actus hominis in Sacramento Matrimonij.

* 6 *Resp.* 5. Materia huius Sacramenti est duplex: Vna proxima, nimirum actus pœnitentis; altera remota, nimirum peccata, non vt acceptanda, sed vt detestanda, & destruenda, *S. D. art.* 2. *in c. Ratio*: Quia Pœnitentia circa peccata vt destruenda versatur mediantibus actibus pœnitentis. *Nota*, per peccata in *R.* 5. intelligi personalia, seu actualia, & quidem post Baptismum commissa. Nam Originale tollitur per Baptismum; actualia verò ante Baptismum commissa non subsunt clavibus Ecclesiæ, cum sint commissa ab eo, qui Ecclesiæ Iurisdictioni tunc non suberat. De hoc plura posteà circa obiectum pœnit. n. 13. Nota tamen vlterius, quod materiâ remota Pœnitentiæ adhuc sit duplex, nimirum necessaria, vt sunt peccata mortalia, & libera, seu sufficiens, vt venialia.

* 7 QUÆRO III. Quæ est forma huius Sacramenti? *Resp.* 1. Forma Sacramenti Pœnitentiæ subsistit his verbis: *Absolvo te*, vel alijs æquivalentibus. *Ratio* 1. *p.* Quia sola illa verba apertè significant effectum huius Sacramenti, scilicet gratiam remissivam peccatorum, seu solutivam vinculorum animæ, quæ sunt peccata, vt explicat *S. D. a.* 3. *in c.* Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia æquivalentia verborum solum

solùm inducit mutationem materialem, quæ Sacramentum non annullat, vt patet suprà de Sacram. in communi. Hinc valida esset (attamen illicita) absolutio data his verbis, *Remitto, Condono tibi peccata tua.*

Resp. 2. Valida, sed illicita est hæc forma: *Absolvo à peccatis tuis. Ratio*: Quia æquivalet priori; nam ly *Te* includitur in ly *Tuis*. Nota, quòd licèt illa verba *absolvo te* secundùm se sint indifferentia ad absolutionem à censuris, & à peccatis, attamen ad absolutionem à peccatis sufficienter determinantur ex circunstantijs, quales sunt, intentio absolventis, præsentia confitentis, eiusque confessio peccatorum.

Resp. 3. Christus voluit, vt persona recipiens in forma exprimatur, per ly *Te*, vel per æquivalens; vndè ad eius determinationem non sufficiunt dictæ circunstantiæ: dicendo tantùm absolvo. *Ratio*: Tum vt sic expressè appareat, absolutionem dirigi ad præsentem, & non ad absentem. Tum etiam, vt significetur diversitas inter recipientem, & ministrantem Sacramentum.

* 8 *Resp.* 4. Valida esset (attamen illicita, nisi in casu magnæ necessitatis) absolutio, si Sacerdos ijsdem præfatis verbis absolveret à censurijs, & à peccatis simul, supposito tamen quòd pœnitens censuras, & peccata ritè exposuisset, & Confessarius posit, ac intendat ab vtrisque absolvere. *Ratio*: Quia Christus potestatem clavium promittens promisit eam absolutè per ly *Quæcumque*, &c. *Matth.* 18. vt patet ex dictis, & non restrinxit ad sola peccata. Ergo nec restrinxit, quando eam dedit. Ex quo sequitur, quòd eadem absolutio sub diversa ratione esset tunc sacramentalis, inquantum nimirum esset à peccatis; & non esset sacramentalis, nimirum inquantum esset à censuris: & sub hac secunda ratione prioritate saltem naturæ (etsi non temporis) esset prior seipsa, inquantum est à peccatis.

* 9 *Resp.* 5. Invocatio SS. Trinitatis non est de essentia huius Sacramenti, vti nec impositio manuum, nec signatio crucis. Ita S. Thom. *art.* 3. & 4. *Ratio* 1. *p.* Tum quia ante invocationem SS. Trinitatis, & sine ea perfectè significatur huius Sacramenti effectus. Tum etiam, quia nec est professio fidei, in quo differt à Baptismo; nec ordinatur ad fidem fortiter, & publicè profitendam, in quo differt à Confirmatione: in quibus duobus Sacramentis dicta invocatio necessariò est exprimenda. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia Christus potestatem clavium promittendo, ac dando non fecit mentionem illius cæremoniæ. *Nota* tamen, illam impositionem, seu extensionem manuum esse valdè congruam, quia per eam denotatur quædam iurisdictio, & prælatio super pœnitentem; vtpotè cuius salus ostenditur quasi esse in vel sub manu Sacerdotis.

* 10 *Resp.* 6. Forma absolutionis, vt valeat proferenda est voce humana, & verbo propriè dicto. 2. *Non* est solùm precatoria, sed revera judicialis, sic vt Sacerdos pœnitentem verè à culpa, & pœnæ æternæ reatu absolvat, non verò solùm declaret esse absolutum. 3. *Per* modum meræ precationis expressa Sacramentum annullat. 4. *Defacto* proferenda est per modum indicativum. 5. *Quod* tamen non est de essentia.

Ratio 1. *p.* cum nostro Araujo est communis regula iuris: *Singularis exceptio firmat regulam in contrarium*. Sed Concil. Florent. in decreto Vnionis tradens doctrinam vniversitèm de Sacramentis Novæ Legis, ait, illa perfici rebus, & verbis simpliciter, & absolutè, excepitque solum Matrimonium, de quo ait, quòd regulariter perficiatur verbis, subindicans, illud posse etiam perfici signis consensum exprimentibus. Ergo de omnibus alijs Sacramentis sentit, quòd debeant perfici verbis propriè dictis.

2. *Pars* patet ex Trident. *cit. in R. ad quæst.* 1. *num.* 1: in hoc *Tract.* Et *ratio est*: Juxta communem S. Thom. & Theologorum doctrinam Sacramenta Novæ Legis (adeòque etiam eorum partes, quarum vna est forma) id efficiunt, quod significant: sed prædicta verba significant absolutionem à vinculis. Ergo & efficiunt, puta, efficienter instrumentaliter Deo justificante per modum causæ principalis. *Ratio* 3. *p.* Juxta Trident. Absolutio est actus judicialis: sed deprecatio, cùm fiat supplicando, non est actus judicialis Ergo.

Adstipulatur S. Thom. *art.* 3. *ad* 1. *dicens*: In sacramentali absolutione non sufficeret dicere, Misereatur tui omnipotens Deus, &c. Vel, Absolutionem, & remissionem tribuat tibi Deus, &c. Quia per hæc verba Sacerdos absolutionem non significant fieri, sed petit, vt fiat. Præmittitur tamen in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus Sacramenti ex parte pœnitentis, cuius actus materialiter se habent in hoc Sacramento. *Et ad* 3. *ait*: Solus Deus per auctoritatem, & à peccato absolvit, & peccatum remittit; Sacerdotes tamen vtrumque faciunt per ministerium, inquantum verba instrumentaliter operantur in virtute divina.

Tandem ad 5. *ait*: Ita expositio, Ego te absolvo, ideſt, absolutum ostendo, quantùm ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta: Sacramenta enim Novæ Legis non solùm significat, sed etiam faciunt, quod significant. Vndè sicut Sacerdos baptizando ostendit hominem interiùs ablutum per verba, & facta, & non solùm significativè, sed etiam effectivè, ita etiam cùm dicit; Ego te absolvo, ostendit hominem absolutum non solùm significativè, sed etiam effectivè. *Hæc S. D.*

Ratio 4. *p.* Quia ita habet totius Ecclesiæ praxis. *Ratio* 5. *p.* Nam etsi illicita, valida tamen esset absolutio data per formam imperativam, v.g. *Absolvatur Ioannes à peccatis*; quia per modum imperativum adhuc salvatur ratio actus judicialis, & est solùm mutatio materialis. Ergo.

* 11 QUÆRO IV. Quisnam est genuinus sensus verborum Absolutionis? *Resp.* Est hic: *Ego tibi hac judiciali sententia, quantum est ex me, confero gratiam remissivam peccatorum.* Vel, *Impertior Sacramentum, quantum est de se, absolutivum à peccatis*; Licèt per accidens ex parte subiecti, vel ob indispositionem eius, actu non conferat. Et hic sensus etiam salvatur, quando hoc Sacramentum est validum, & informe, de quo infrà. Vel quando pœnitens confitetur tantùm peccata iam semel ritè confessa. *Ratio*: Quia, vt solet dici, Verba definitionis non dicunt actum, sed potentiam.

Oppono: Ergo hoc Sacramentum subsistit, licèt pœnitens studio tantùm confiteatur peccatum dubium, aut existimatum, vel aliquod mortale scienter, & sine rationabili causa omittat. *Prob.* Quia tunc adhuc verificatur sensus formæ, quantum est de se, absolutivæ.

Ad hoc negatur illatum, cum probatione. *Ratio est*: Quia deest materia essentialis, hæc tamen est

confessio, & dolor de peccatis, non tantùm dubijs, & existimatis; sed revera commissis: & quidem de omnibus integrè, integritate saltem formali. Nec tunc verificatur forma, hæc enim absolutè data, quantum est de se, solum est collativa gratiæ remissivæ peccati commissi sub conditione si commissum sit, dum scitur certò commissum. Nec est remissiva vnius lethalis peccati sine alio, nec peccati ritè clavibus Ecclesiæ non subiecti, vt fieret in posito casu omissionis peccati mortalis.

* 12 QUÆRO V. Hoc Sacramentum estne de necessitate salutis? *Resp.* 1. Hoc Sacramentum non est absolutè necessarium omni homini, sed solum ex suppositione, si peccaverit. S. Thom. art. 5. *Ratio*: Quia est institutum in remedium peccati. *Resp.* 2. Supposito etiam peccato hoc Sacramentum non est simpliciter necessarium in re, sed si in re haberi non possit, sufficit eius votum, seu desiderium. Ita declaratur in Tridentin. *Sess.* 6. *cap.* 14. & *Sess.* 14. *cap.* 4.

Resp. 3. Non est simpliciter in eo casu necessarium votum explicitum huius Sacramenti, quò (dum eius memoria occurrit) præter dolorem de peccatis expressè proponas data occasione confiteri, sed si non recordetur quis peccatorum, sufficit desiderium, seu votum implicitum inclusum in actu dilectionis Dei super omnia. Vel si quis de hoc Sacramento nihil sciens, recordetur tamen peccatorum, & de ijs seriò doleat, seu conteratur, & firmiter proponat emendationem. *Ratio*: In tali proposito, & dolore implicitè continetur propositū confitendi. De præcepto confessionis in certis temporibus, & casibus specialiter agetur infrà in proprio loco E. 4. n. 55. & seqq.

* 13 QUÆRO VI. Pœnitentia estne virtus? an specialis, & qualis? quod eius obiectum, & subiectū? De quo S. D. q. 85. per 6. art. *Ante R. vide* supra de virtutibus in communi, definitiones virtutis *Tr.* 4. *Ex.* 1. *n.* 2. *Item* n. 7. quòd alia sit virtus infusa, alia acquisita. Et ibidem, alia sit virtus per se, alia per accidens infusa. Et num. 10. quomodo virtutes morales consistant in medio, quotuplex sit hoc medium.

Resp. 1. Pœnitentia est vera virtus, vel actus virtutis. *Ratio* patet applicando definitiones virtutis suprà locis citatis traditas. *Declaratur* vlteriùs ex *S. D. art.* 1. *dicente*: Pœnitere est, de aliquo à se priùs facto dolere, dolor autem, vel tristitia dupliciter dicitur: *Vno* modo secundùm quod est passio quædam appetitus sensitivi, & quantùm ad hoc pœnitentia non est virtus, sed passio. *Alio* modo secundùm quod consistit in voluntate, & hoc modo est cum quadam electione, quæ quidem si sit recta, necesse est, quòd sit actus virtutis: dicitur enim *in* 2. *Ethic.* quòd virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, vt aliquis doleat, de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est. Quod quidem observatur in pœnitentia, de qua nunc loquimur: nam pœnitens assumit moderatum dolorē de peccatis præteritis cum intentione removendi ea. Vndè manifestum est, quòd pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel est actus virtutis. *Hæc S. Doct.* in R. ad 3. ibid. ait S. Doct. Dolere de eo, quòd prius factum est cum intentione conandi ad hoc, quod factum non fuerit, esset stultum: Hoc autem non intendit pœnitens, sed dolor eius est displicentia, seu reprobatio facti præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicèt offensam Dei, & reatum pœnæ. Et hoc non est stultum. Hæc S. D. quid sit passio, vide suprà *Tr.* 4. *E.* 1. *n.* 5.

Resp. 2. Pœnitentia est virtus specialis ab omnibus alijs specie essentiali distincta. *Declaratur* ex S. Thom. *art.* 2. *in corp. dicente*: Species habituum distinguuntur secundùm species actum; & ideò vbi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quòd in Pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicèt operari ad destructionem peccati præteriti, inquantum est Dei offensa; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Vndè necesse est ponere, quòd pœnitentia est specialis virtus. *Hæc S. D.*

In R. ad 1. S. *D. ait*: A Charitate derivatur aliquis actus dupliciter: *Vno modo* sicut ab ea elicitus; & talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter charitatem: sicut diligere bonum, gaudere de eo, & tristari de oppositō. *Alio modo* aliquis actus à charitate procedit, quasi à charitate imperatus. Et sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus (vtpote ordinans eas ad finem suum) actus à charitate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet; sicut & gaudere de bonis præteritis. Sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate. *In R. ad* 2. *ait*: Pœnitentia habet quidem realiter generalem materiam, inquātum respicit omnia peccata: sed tamen sub ratione speciali, inquantum scilicet sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam iustificationem. *In R. ad* 3. *ait*: Quælibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitij oppositi; sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto. Sed Pœnitentia expellit omne peccatum effectivè, inquantum operatur ad destrutionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia homine cooperāte. Vndè non sequitur, quod sit virtus generalis: *Hæc S. D.*

* 14 *Resp.* 3. Virtus Pœnitentiæ est species, seu pars iustitiæ, imperfecta tamen, sive potentialis. *Declaratur* 1. *p. ex S. Thom. art.* 3. *in c. dicente*: Pœnitentia non habet, quod si virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo, quod pœnitens dolet de peccato commisso, inquantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autē offensæ contrà aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur vlterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut & retributio: nisi quod recompensatio est ex parte eius, qui offendit (vtpotè cum satisfacit) retributio autem est ex parte eius, in quem est offensa commissa. Vtrumque autem ad materiæ iustitiæ pertinet, quia vtrumque est commutatio quædam. Vndè manifestum est, quod Pœnitentia secundum quod est virtus, est pars iustitiæ.

Declaratur 2. *p.* ibidem: Sciendum, quod secundum Philosophum in 5. *Ethic.* dupliciter dicitur iustum, scilicet simpliciter, & secundum quid; simpliciter quidem iustum est inter æquales, eò quod iustitia est æqualitas quædam, quod ipse vocat iustum politicum, vel civile, eò quòd omnes cives æquales sunt, quantum ad hoc, quod immedi-

diatè sunt sub Principe, sicut liberi existentes. Iustum autem secundùm quid dicitur, quod est inter illos, quorum vnus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino filius sub patre, vxor sub viro. Et tale iustum consideratur in pœnitentia. Vndè pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito sicut servus ad dominum, secundùm illud *Psam.* 122. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et sicut filius ad patrem, secundum illud *Lucæ* 15. *Pater peccavi in cœlum, & coram te.* Et sicut vxor ad virum secundum illud *Hierim.* 3. *Fornicata es, cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Hæc S. D.

Quid sit iustitia, & species eius, vide suprà *T.* 8. *E.* 1. *n.* 7. Et quid sit esse partem subiectivam, vel potentialem iustitiæ, vide *ibid. n.* 11.

* 15 *Resp.* 4. Pœnitentia est virtus moralis per se infusa, seu supernaturalis. 1. *Pars* patet applicanti definitionem virtutis moralis suprà traditam *T.* 4. *E.* 1. *n.* 2. Porrò quomodo Pœnitentia consistat in medio, explicatum est ibidem n. 23. *Ratio* 2. p. Virtus, quæ ex sua natura ordinat hominem ad Deum, vt ad finem supernaturalem, & Auctorem gratiæ, ac remmittentem peccata, & cuius actus sunt legitima dispositio ad gratiam, est supernaturalis, seu per se infusa. Sed talis est Pœnitentia, vt patet ex dictis, & dicendis. Ergo.

* 16 *Resp.* 5. Obiectum materiale primarium, & principale virtutis pœnitentiæ est peccatum mortale, præteritum, personale, & proprium, vt est offensa Dei, aliquo modo, nimirum imperfectè saltem, expiabilis per satisfactionem pœnitentis, seu vt detestandum, & puniendum in pœnitente. *Declaratur*: Dicitur 1. *obiectum materiale*, quia de formali dicetur posteà. 2. *Primarium*, quia peccatum veniale, cum sit offensa imperfecta, est eius obiectum minus principale. 3. *Præteritum*, quia offensa non potest expiari nisi sit commissa, quia tamen sincera Pœnitentia non est sine proposito cavendi futura, circa hæc versatur secundario 4. *Personale*, quia originale, cum non sit peccatum personæ, sed naturæ, non potest satisfactione personæ puri hominis expiari 5. *Proprium*, vt excludantur ab obiecto pœnitentiæ peccata aliena nobis nullatenus voluntaria: quia nullus purus homo potest satisfacere pro peccato alieno, vt probatur in *Tract. de Incarnat.* licèt possit pro pœna. Disparitas est; quia (vt discurrit Labat) satisfactio pro pœna temporali fit velut per externam quandam solutionem debiti, quam vnus potest præstare pro alio: At verò satisfactio pro culpa fit per ipsam interham offendentis erga offensum subiectionem, quam vnus homo pro alio facere nequit per Pœnitentiam, alioquin enim pœnitentia potuisset esse in Christo. De peccatis dubijs vide Ex. 4. n. 53.

* 17 *Resp.* 6. Obiectum formale virtutis pœnitentiæ est ius divinum, læsum per offensam, vt imperfectè saltem reparabile per compensationem, seu satisfactionem, quæ fit ab eo, qui peccavit. Sive, est illa imperfecta æqualitas, quam pœnitens per actum contritionis (quatenus ordine naturæ gratiam iustificantem subsequitur, ab eaque informatur) erga Deum reducit, vti eum posse probatur in *Tract. de Incarnat.* Hoc proportionabiliter intelligitur sicut id, quod *T.* 8. *E.* 1. *n.* 2. dictum est de obiecto iustitiæ. *Ratio*: Quia hoc obiectum, qua tale, à nulla alia virtute respicitur, per alliudque Pœnitentia ab omnibus aliis virtutibus distinguitur, charitas enim directè, & immediatè solum opponitur peccato, tollitque illud, prout opponitur bono divino, non verò vt opponitur Iuri divino, *nisi* indirectè. Ergo. *Nota*, quod, quia actus charitatis virtualiter, & æquivalenter est actus Pœnitentiæ, seu contritio, casu, quo alicui pœnitenti non veniret in mentem obligatio ad formalem actum pœnitentiæ in hoc, vel illo casu, salvari possit per actum charitatis.

Dixi in R. 6. *Quæ sit ab eo, qui peccavit*; nisi enim hoc requireretur, potuisset Pœnitentia esse in Christo, vt consideranti patebit. *Ex dictis* colligitur, quod pœnitentia, vtpote species, seu pars potentialis Iustitiæ, possit sic definiri: Est constans, & perpetua voluntas, seu virtus mortalis infusa in voluntate residens, ius suum divinæ Maiestati tribuens, proponendo emendationem, & punitionem delicti contra Deum commissi.

* 18 *Resp.* 7. Subiectum immediatum virtutis Pœnitentiæ est voluntas. 2. *Subiectum, quod*, & remotum est quivis homo peccati reus, vel saltem capax. 3. *Vnde* non fuit in Christo 4. *Bene* tamè in B. V. quoad habitum, & ornatum, & non quoad actum. 5. *Vti* & in protoparentibus in statu innocentiæ. 6. *In infantibus* gratia baptismalis prædictis. 7. *Et* in Beatis. 8. *In Angelis* non fuit, sive in via, sive extra viam. *Ratio* 1. *p.* ex 2. 4. est: Quia iustitia quoad omnes partes est involutate, vt patet ex eius definitione: sed pœnitentia est potentialis pars Iustiæ. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Vt patet ex *R.* 5: obiectum materiale Pœnitentiæ est peccatum, vt detestandum, & puniendum in pœnitente. Ergo eius subiectum non est nisi homo peccati capax. 3. *Pars* sequitur ex secunda. Quia Christus ratione Vnionis Hypostaticæ est, & erat ab intrinseco incapax peccati. Ergo respectu eius defuit obiectum primarium pœnitentiæ, Ergo & virtus, quę sine illo non subsistit. Ex quo sequitur, quòd Christus pro nobis non satisfecerit per pœnitentiam, sed per iustitiam.

Ratio 4. *p.* Quia B. Virgo non fuit incapax peccati ex natura, ratione suppositi, vti Christus, sed salu ex speciali privilegio. *Quinta, sexta, & septima, pars* patent: Quia in omnibus illis est absoluta possibilitas peccati tanquam obiecti primarij pœnitentiæ, nec sunt impecabiles ex natura sua secundum se. Ergo. *Ratio ultimæ partis est*: Quia respectu Angelorum ex natura est impossibile primarium obiectum pœnitentiæ, hoc enim est peccatum propriũ, vt remissibile: sed Angelis peccatum non est remissibile, quia non possunt de eo dolere, nec pœnitere, quia ex natura sua inflexibiliter adhærent obiecto, cui adhærent post deliberatam electionem. Ergo.

EXAMEN II.

De Effectu Pœnitentiæ.

S. Thom. à Quæst. 86. vsque ad 89. inclusivè.

* 1 QUÆRO 1. Remissio culpæ estne effectus pœnitentiæ, vel dantur ne peccata per pœnitentiam non remissibilia. *Resp.* Remissio culpæ est effectus Pœ-

ni-

nitentiæ, secundùm quod est virtus, principaliùs tamen secundùm quod est Sacramentum. Ita S.T. *q.86. art.6. in corp.* *Ratio ibidem*: Omne Sacramentum producit suum effectum ratione materiæ, & ratione formæ, principaliùs; ex vtroque enim fit vnū totum: sed actus pœnitentis, qui etiam sunt pœnitentiæ, habent se materialiter in hoc Sacramento, virtus verò clavium, quæ est præcipuè in forma, habet se formaliter. Ergo.

Resp. 2. Nullum datur peccatum tam grave, & enorme, quod non possit remitti per pœnitentiam, tàm vt virtus, quàm vt Sacramentum est, modò clavibus Ecclesiæ ritè subjiciatur, seu vera de eo pœnitentia habeatur. Est de fide, & docetur à S.Tho. *quæst.86 art.1.*

Ratio ibidem: Quia oppositum asserere, repugnat divinæ misericordiæ, de qua dicitur *Ioel 2.* quòd benignus, & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo vellet peccatum deleri, quod Deus per Pœnitentiæ Sacramentum, vel virtutem delere non posset. Ergo.

Dixi 1. *modò clavibus Ecclesiæ ritè subjiciatur*; defectu cuius finalis impœnitentia est irremissibilis, non ex defectu pœnitentiæ, sed ex indispositione subiecti impœnitentis. Et de hoc peccato ait S.Joan. *cap.5.* suæ primæ Canonicæ: *Est peccatum ad mortem, non dico pro eo, vt oret quis.* Dixi 2. *modò sincera de eo pœnitentia habeatur*; defectu cuius Antiochus 2. *Machab. 9.* non invenit misericordiam, quia preces non fudit ex dolore de peccatis, sed potiùs ex amore prolongandæ vitæ corporalis. Nec invenit Esau, quanquam cum lachrymis petierit *Hebr.12.* quia non dolebat de peccatis, sed potiùs de amissa primogenitura, vt patet ex *S.Thom. q.86. art.1 ad 1.* Ex eodem defectu non possunt per pœnitentiam deleri peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum, quia affectus eorum sunt confirmati in malo, ita quòd non potest eis displicere peccatum inquantum est culpa, sed solùm displicet eis pœna, quam patiuntur, ratione cuius aliquam pœnitentiam, sed infructuosam habent, secundùm illud Sap.5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Vndè talis pœnitentia non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. Ita S.Doct. ibid. in corp.

* 2 *Quomodo intelligis*, quando dicitur, peccata parentum imputari filijs. *Exod.* 20. Ego sum Dominus visitans iniquitatem Patrum in filios? *Dico*, vel intelligi de pœna temporali, quæ interdum (etiam in humanis) infligitur filijs ex culpa parentum. Vel intelligi sic, non quòd ad sui veritatem necessariò exigat rei eventum, sed quòd significetur voluntas Auctoris Dei de exequenda comminatione iuxta præsentem justitiam, & præsentem causarum secundarum ad talem effectum dispositarum statum, vt explicat Araujo. Quæ tamen comminatio secum paritur voluntatem consequentem de oppositio. Simile est de comminatione subversionis vrbis Niniuæ, & mortis Ezechiæ.

Quomodo explicas id, quod de peccato blasphemiæ in Spiritum Sanctum dicitur Matth. 12. Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro? *Ad hoc* patet supra *T.5. E.5. n.12.*

* 3 *Nihil ergo* de peccato post veram pœnitentiam in homine manet, nulla pœna? nullæ reliquiæ? *Dico*: Reatus pœnæ æternæ tollitur cum culpa. *Ratio*: Implicat enim, hominem per gratiam esse filium Dei, hæredem æternæ gloriæ, & simul dignum æterna morte, & pœna: sed loquendo de pœna temporali, in quam æterna fuit commutata, certum est, quòd, cum sit finita, possit à contritione valdè excellenti, qualis fuit in S.Paulo, & S.M. Maria Magdalena, adæquari, & per eam totaliter tolli: id tamen non semper fit, vndè restat luenda, vel in hac vita, vel in altera, nimirum in Purgatorio: vt patet ex *S.Thom. art.4.* Quod concernit reliquias peccati, ait *S. Thom. art.5.* nihil prohibet remissa culpa mortali remanere in anima ex parte conversionis inordinatæ ad bonum commutabile, dispositiones aliquas ex præcedentibus actibus causatas, quas peccati reliquias vocamus.

Dixi, *ex parte conversionis*; quia aversio à Deo tollitur per gratiam. Explicat hoc *S. D. in c. dicens*: Quod tales dispositiones maneant quidem, attamen debilitatæ, & diminutæ: ita vt homini non dominentur. Et hoc magis per modum dispositionum, quàm per modum habituum: sicut etiam remanet fomes post Baptismum.

Oppono: Dominus nunquam aliquem sanavit, quem non omninò, & totaliter liberavit. Ergo non manent dictæ reliquiæ. *Ad hoc S. Doct. art.5. ad 1.* Quòd Deus totum hominem perfectè curet, quandoque quidem subitò, sicut socrum Petri, quandoque successivè, sicut cæcum illuminavit. Ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, vt subitò perfectam consequatur sanitatem, non solùm remissa culpa, sed etiam sublatis reliquijs, id tamen non semper facit.

* 4 QUÆRO II. Potestne peccatum mortale remitti sine omni pœnitentia? *Resp.* 1. Regulariter, & per se loquendo ad remissionem culpæ mortalis extrà Sacramentum in adultis necessaria est pœnitentia formalis, seu actus explicitus detestationis peccati, nimirum contritio. Ita patet ex *S.Thom. art.2.*

Ratio: Rationi conforme est, vt, qui peccando recessit à Deo, in eius amicitiam non recipiatur, nisi culpa, & offensa ei displiceat; quem enim non pœnitet peccasse, venia, vel gratia dignus non est, quia moraliter censetur persistere in prava sua voluntate. *Ergo.*

Dixi in R. 1. *extra Sacramentum*; supponitur enim, quòd in Sacramento Pœnitentiæ semper requiratur pœnitentia, & dolor formalis, sine qua Sacramentum esset nullum, vtpotè parte essentiali destitutum. Ex quo sequitur, quòd dum salus nostra attribuitur fidei, intelligi debet de fide formata, & per dilectionem operante, quæ non est sine gratia, charitate, & pœnitentia, vt patet suprà de connexione virtutum. Dum dicitur, quòd charitas operit multitudinem peccatorum, intelligitur, vel dispositivè, si sermo sit de actu charitatis, sicut & eleemosyna redimit peccata: vel in sensu formali attribuitur habitui charitatis, non præcisè ratione sui, sed ob connexionem cum gratia, ratione cuius effectus vnius sæpè tribuitur alteri, vt docetur *in Tract. de Gratia*, per quod tamen non excluditur Pœnitentia. Dum tandem dicitur in Scriptura, quòd sine Pœnitentia sint dona Dei, sensus est: Deum non pœnitet dedisse dona gratiæ.

Resp. 2. Per accidens, & in particulari casu sufficit pœnitentia virtualis inclusa in actu dilectionis Dei super omnia. *Declaratur*; Casus ille est duplex: Primus est invincibilis ignorantiæ, vel natu-

turalis oblivionis peccati commissi. In quo casu sufficiet virtualis detestatio peccati, inclusa in actu dilectionis Dei super omnia: quia perfectus actus charitatis est vltima dispositio ad gratiam. Secundus est casus Martyrij, ad quod si quis ita subitò raperetur, vt non superesset tempus recogitandi peccata, ad iustificationem pariter sufficeret prædictus actus charitatis. De quo vide supra *Tract.* 11. *E.* 5. *n.* 73. & 42. vbi dictum est, an; & quomodo ad Martyrium requiratur actus charitatis.

* 5 *Resp.* 3. Potest Deus per absolutam suam potentiam sine vllo Pœnitentiæ tam formalis, quam virtualis actu homini remittere peccata. *Ratio*: Remissio peccati mortalis est effectus formalis gratiæ sanctificantis, vt patet ex *Trid.* Sed potest Deus per absolutam potentiam infundere gratiam homini absque omni eius dispositione, *v. g.* dormienti, cum gratiæ infusio non dependeat essentialiter ab actu libero recipientis vt dispositione, vt patet in iustificatione parvulorum. Ergo. Confirm. Iuxta S. T. 1. 2. *q.* 5. *a.* 8. *ad* 1. potest Deus per absolutam potentiam peccatori antecedenter ad omnem ipsius actum retractativum infundere lumen gloriæ, & sic elevare ad Beatitudinem; ergo & infundere gratiam sanctificantem.

* 6 *Oppono* contra R. 3. S. Thom. hic *a.* 2. in c. ait: *Impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundum quod est virtus.* Sed S. D. per ly *impossibile* ibi intelligit potentiam Dei absolutam. Ergo Prob. *min.* 1. S. Thom ibi statuit differentiam inter Pœnitentiam virtutem, & Sacramentum; dicens, possibile esse, quod peccatum remittatur sine Pœnitentia, vt Sacramentum est, non tamen sine ea, vt virtus est: sed sine Pœnitentia, vt Sacramentum est, seu sine ordine ad illud nequid peccatum remitti secundum potentiã Dei ordinariam. Ergo de virtute loquitur secundum potentiã absolutam. *Consequentia patet*: Quia S. D. maiorem necessitatem attribuit virtuti Pœnitentiæ, quam Sacramento. *Prob.* 2: *eadem min.* S. Thom. ibi ad remissionem offensæ divinæ requirit aliquam mutationem eius, qui offendit: sed hæc mutatio requiritur per absolutam Dei potentiam, cum implicet fieri transitum à termino *à quo* ad terminum *ad quem* sine mutatione vtriusque extremi. Ergo. *Prob.* 3: *eadem min.* Implicat privationem tolli, nisi per formam oppositam: sed forma opposita liberæ aversioni, est libera conversio: Ergo.

Ad hoc R. *neg. min.* Nam sicut in sacra Scriptura ly *impossibile* non semper procedit de potentia Dei absoluta, sed sumitur aliquando pro difficili, vt patet ex illo Heb. 6. *Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt*, &c. *& prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*: ita etiam apud S. Thom. interdum sumitur pro difficili, vt patet hic *q.* 86. *art.* 1. *ad* 2. vbi loquitur de irremissibilitate peccati in Spiritum Sanctum, & interdum pro impossibili naturaliter, vt patet 1. p. q. 47. a. 3. ad 3. *Non est possibile esse aliam terram, quam istam.* Similiter ergo in loco obiecto S. Thom. loquitur de cursu, & Lege ordinaria, *Ad* 1. *prob.* R. differentiam à S. D. statam consistere in hoc, quod sine pœnitentia, vt virtus est, in nullo statu peccatum mortale secundum legem ordinariam remitti possit, potuerit tamen in aliquo statu remitti sine pœnitentia, vt Sacramentum est, sicut ante Legem Evangelicam (*vt ipse S. D. in c. cit. art. explicat*) Christus remisit mulieri adulteræ *Ioan.* 8. & peccatrici *Luc.* 7. quæ tamen remissio non fuit facta sine pœnitentia vt virtus est. *Ad* 2. *prob. dist. mai.* Requirit mutationem, vel actualem, vel habitualem, *conc. mai.* necessario actualem, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Mutatur ergo in nostro casu subiectum per infusionem habitus gratiæ, expellentis suum contrarium, scilicet peccatum, sine qua mutatione habituali etiam per absolutam Dei potentiam, non posse peccatum per meram condonationem extrinsecam remitti, docent Thomistæ in *Tract.* de iustificat. *Ad* 3. *prob. distin. min.* Opposita liberæ aversioni actuali, *cont. min.* habituali, quæ solum est in nostro casu, *neg. min.* huic enim opponitur gratia habitualis. Vel secundo sic: Est conversio, quæ sit libera, vel actu, vel virtute, seu eminenter, *conc. min.* semper actu, *neg. min.* Habitus ergo gratiæ importat virtualiter, & radicaliter voluntariam peccati retractationem, facitque hominem habitualiter, & perfectius ad Deum esse conversum, & modo quodam eminentiori, magisque fixo, & permanente, quam facit actus liberi arbitrij.

Ex quo sequitur, quod in eo casu peccatum non solum tolleretur vt quid physicum, sed etiam vt quid morale, & voluntarium est: quia receptio gratiæ illi homini esset virtualiter, seu interpretativè voluntaria, dum enim fit aliquid in vtilitatem alicuius, etiam nescientis, is virtualiter, & interpretativè censetur consentire. Cui non obstat, quod macula peccati mortalis consistat in privatione gratiæ, vt connotante actum liberæ aversionis præteritum. Quia actus ille non est de essentia maculæ, sed solum connoratur, vt *conditio sine qua non*, & sola gratia in facto esse; & formaliter maculæ opponitur. Ergo per eam solam tolli potest, & actus liberi solum connaturaliter requiruntur, vt dispositiones, quibus Deus non est alligatus, vt patet ex S. T. 1. 2. *q.* 113. *art.* 3. *in c.* & *ad* 3.

* 7 QUÆRO III. Potestne per Pœnitentiam, aut alio modo, vnum peccatum mortalem remitti sine alio?

Resp. negativè, etiam loquendo de absoluta Dei potentia. *Ita S. Thom. hic q.* 86. *art.* 3. *Ratio ibid.* Nullam peccatum mortale potest remitti sine gratia, vt docetur in *Tract. de iustificat.* Sed omne peccatum mortale contrariatur gratiæ, & excludit eam. Ergo impossibile est, quod vnum remittatur sine alio. Ex quo patet, sermonem hic esse de remissione peccati quoad culpam; si enim loquamur de cessatione quoad actum, non negatur esse aliquos qui *cum quadam vitia resecant, in aliis graviter perdurant*, vt loquitur S. Gregor. super illud Amos 4. *Plui super vnam civitatem, & super alteram non plui, pars vna completa est, & pars, super quam non pluit aruit.*

* 8 *Oppono* 1. Peccata sunt quædam debita, vt patet ex Oratione Dominica: sed vnum debitum potest dimitti sine alio, vt patet ex praxi hominum. Ergo. 2. *Quæ* non sunt necessario connexa, eorum vnum potest tolli sine alio: sed peccata non sunt necessariò connexa. Ergo. 3. *Potest* Deus eundem hominem simul diligere, & odio habere. Ergo *Prob. ant.* Deus peccatorem diligit quoad naturam, & odio habet quoad culpam. Ergo. 4. *Sæpè fit*, quod Superior audiat reservata, & absolvat ab illis, & cum reservatis pœnitentem mittat ad Sacerdotem inferiorem. Ergo.

Ad 1. *dist. mai.* Sunt debita rei cuiusdam exteriores, *v. g.* pecuniæ, *neg. mai.* sunt debita culpæ, *cont. mai.*

mai. Et sic dist. min. neg. consq. Ita S. Diad 4. dicens: *Debitum culpæ contrariatur amicitiæ, & ideo vna culpa, vel offensa non remittitur sine altera: ridiculum enim videtur, quod etiam ab homine aliquis veniam petere de vna offensa, & non de altera.*

Ad 2. dist. mai. Quæ sub nulla ratione sunt connexa, *conc. mai.* sub aliqua, etsi non sub omni, *neg. mai. Et sic dist. min. neg. consq.* Quamvis ergo peccata non sint connexa quoad conversionem ad bonum commutabile sed vt omnia simul committantur: potest enim quis esse homicida absque hoc, quod sit adulter. Supposito tamen, quod sint comissa, necessariò sunt connexa quoad aversionem à bono incommutabili, seu à Deo, in qua omnia mortalia conveniunt, & ex hac parte habent rationem offensæ, quam oportet per pœnitentiam tolli, vt loquitur *S. D. ibi art. 3. ad 3.* Quamdiu ergo manet, etiam vnicum mortale, manet aversio a Deo. Hinc implicat dari veram, & perfectam contritionem de vno mortali, & non de altero ei coniuncto, cum contritio tanquam virtus ad gratiam disponens tollat omnem aversionem; aliud est de attritione, ob rationem oppositam.

In hoc sensu *S. D. 1. 2. q. 73. ar. 1. explicat* illud Iacobi 2. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*: nam per vnicum peccatum dicitur omnium reus quantum ad aversionem, & reatum pœnæ æternæ, in quibus omnia mortalia conveniunt, quia omnibus alijs mandatis seruatis, vno violato, homo vere à Deo avertitur, & incurrit pœnam æternam, damni quidem, quæ consistit in privatione Visionis beatificæ, ac si mille, vel omnia commisisset; pœnam sensus autem, saltem secundum substantiam, licèt non secundum intensionem. Videè infrà in hoc *E. n.* 30.

Ad 3. dist. mai. Dilectione naturali, *conc.* gratiæ, *neg.* Vnde *S. D. ad 5. ait*: dilectio, qua Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ab bonum gloriæ, à quo impeditur homo per quodlibet peccatum mortale, sed dilectio gratiæ, per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam æternam, *ad Rom. 6.* Gratia Dei vita æterna. Vnde non est similis ratio. Hæc ibi.

Ad 4. R. Si hoc fiat, censendum est, Superiorem nihil aliud facere, quam quod absolvat à censuris, & tollat reservationem, adeòque omnia peccata adhuc sunt confitenda alteri. Nec potest Superior dare absolutionem sacramentalem, nisi omnia mortalia audierit. Vide infrà *T. 14. E. 2. n. 63.* vbi de hoc agitur.

Pro dictorum intelligentia revideri potest ex Theologia speculativa ex *1. 2. q. 113. in Tract. de iustificat.* an gratia, & peccatum mortale possint simul ferri in eodem subiecto. Item suprà *T. 3. E. 1. n. 5.* an eadem voluntas possit simul ferri in plures fines vltimos totales. Item *T. 3. E. 3. n. 12.* an idem actus possit esset simul bonus, & malus. Item *ibid. in 5. de Politico.*

* 9 QUÆRO IV. Quomodo remittuntur peccata venialia per Pœnitentiam, aliaque Sacramenta, aut Sacramentalia? De hoc *S. D. agit q. 87. per 4. art. Resp. 1.* Sacramentum Pœnitentiæ venialia legitimè clavibus Ecclesiæ subiecta tollit ex opere operato. Patet ex S. Thom. a. 1. *Ratio*: Quia venialia sunt etiam propria materia Sacramenti Pœnitentiæ, saltem sufficiens, licet non necessaria, vt suprà dictum fuit.

Resp. 2. Sicut peccatum mortale remitti non potest, quandiu voluntas ei adhæret, ita nec veniale. *S. D. ibidem. Ratio*: Manente causa manet effectus: sed adæsio voluntatis ad peccatum est causa peccati. Ergo. *Resp. 3.* Ad remissionem venialium non sufficit displicentia habitualis, quæ habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis. *S. D. ibidem. Ratio*: Quia sic charitas non cõpateretur peccatum veniale, quod est falsum.

Ex quo *S. D. infert*, quod ad remissionem venialium requiratur saltem displicentia quædam virtualis, puta, cum aliquis hoc modo ferrur secundum affectum in Deum, & res divinas, vt quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hæc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. *S. D. Et ad 3. ait*: Fervor charitatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum.

* 10 *Resp. 4.* Ad remissionem venialium extra Sacramentum non sufficit attritio, nec opus alterius virtutis à charitate, & pœnitentia distinctæ licet sit informatum charitate, & meritorium vitæ æternæ. *Ratio*: Quia *S. Thom. q. 1.* ad remissionem venialium requirit motum pœnitentiæ *formalis*, vel virtualis, id est, actum contritionis, vel charitatis: Sed de sola contritione orta ex dilectione Dei verificatur, quod sit actus formalis pœnitentiæ, de solo verò actu charitatis, quod sit pœnitentia virtualis. Ergo.

* 11 *Resp. 5.* Alia Sacramenta, præter Pœnitentiam, etiam habent vim remmittendi venialia ex opere operato. *Ita S. D. ar. 3. Ratio*: Venialia facilius remittuntur, quam mortalia: sed omnia Novæ Legis Sacramenta tollunt mortalia ex opere operato, aliqua quidem per se, vt, Sacramenta mortuorum: aliqua verò per accidens, vt vivorum: sicut superius *T. 11. E. 2. n. 22.* explicatũ fuit. Ergo. *Nota* tamen, quod remissio venialium per alia Sacramenta non fiat immediatè, sed mediatè, eo modo, quo postea R. 11. dicetur de Sacramentalibus.

Resp. 6. Vt tollatur peccatum veniale, non requiritur, quod infundatur aliqua nova gratia habitualis, sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis. *S. D. art. 2. in c. Ratio* ibidem: Vnumquodque tollitur per suum oppositum: Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiæ vel charitati, sed retardat actum eius, in quantum homo nimis inhæret bono creato, licèt non contra Deum. Ergo. *Resp. 7.* Quandocumque de facto de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. *S. D. ibid. Ratio* Quia in habentibus vsum liberi arbitrij, in quibus solis possunt esse peccata, etiam venialia tantum, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum.

* 12 *Resp. 8.* Dilectio Dei potest esse tanta, vt omnia venialia tollat, si omnia explicitè, vel virtualiter detestetur, adeòque homo sit sine omni peccato veniali, licèt id affirmare non possit. *Ratio 1.* Tum quia vnumquodque tollitur per suum oppositum: sed dilectio Dei potest esse tam fervida, vt explicitè, vel virtualiter opponatur omni peccato, etiam veniali. Ergo. Tum etiam, qui licet mendatio, *v. g.* iocoso, non opponatur charitas secundùm rationem eius specificam, sed sola veritas, bonè ver-

men-

men secundum rationem genericam peccati venialis. Ergo, *Ratio 2.p.* Quia homo non est certus de sufficientia suæ dispositionis.

Resp. 9. Vera dilectio Dei potest stare cum complacentia alicuius peccati venialis. *Ratio:* Quia veniale est offensa levis, quæ non solvit amicitiam. *Resp.* 10. Licèt contritio perfecta, eo ipso; quòd sit de vno mortali, sit de omnibus, ideòque vnum sine alio remitti nequeat: secùs tamen est de venialibus. *Ratio* patet ex dictis: Quia omnia mortalia conveniunt in eadem incompossibilitate cum gratia, & amicitia Dei, non verò venialia. *Ergo.*

* 13 *Resp.* 11. Venialia etiam remittuntur per sacramentalia; 2. *Non immediatè*, sed mediatè, inquantum excitant pium motum voluntatis; 3. *Non ex opere* operato probabiliùs loquendo, sed ex opere operantis: sive consecrationem quandam Ecclesiæ habeant, sive non. *Ante probationem* nota, actiones, vel res sacras, quas vocamus sacramentales, vel sacramentalia, indicari hoc versu:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, ideſt, Oratio Dominica, vel oratio in Ecclesia consecrata. *Tinctus*; aqua benedicta. *Edens*; Panis benedictus, qui olim loco Eucharistiæ dabatur Catechumenis; vel etiam fidelibus non communicantibus. *Confessus*, ideſt, Confessio generalis, quæ fit in principio Missæ, vel in Completorio, & in Prima. Huc reducitur tunsio pectoris, qua manifestatur interior animi dolor. *Dans*, ideſt, eleemosynam, quæ peccata redimit. Huc reducitur ieiunium religiosè susceptum. *Benedicens*, ideſt, Pontificis, seu Episcopi, aut Abbatis benedictio, solemni ritu, ac signo crucis populo data.

Ex his aliqua habent specialem consecrationem, seu benedictionem Ecclesiæ ad nostram sanctificationē, *v.g.* aqua benedicta, benedictio Episcopalis: alia non habent, vt, tunsio pectoris, &c. Vocantur autem Sacramentalia, vel quia ad Sacramenti confectionem adhibentur, vel quia verorum Sacramentorum genium quodammodo æmulantur. Hoc norato.

Prima, & 2. pars est S. Thom. *art.* 3. *in corp. & ad 1. specialiter ait*: Omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, inquantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum, vel implicitè, vel explicitè. *Et ad 2. ait*: Omnia ista, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium, quibus mens actualiter inhæret. *Et ad 3.* Non per quodlibet prædictorum semper tollitur totus reatus pœnæ, quia sic, qui esset omnino immunis à peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim evolaret. Sed reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum modum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minùs. Hæc ibi.

Ratio: Nihil immediatè tollitur nisi per suum oppositum: sed venialia pro opposito habent fervorem charitatis (quem diminuunt) & formalem eorum detestationem. Ergo per illum, & illam solum immediatè tolluntur. Sed eum excitant Sacramenta, & Sacramentalia. Ergo. Nec obstat, quod Sacramenta immediatè, & ex opere operato tollant peccata mortalia. Disparitas enim est, quia immediatè causant gratiam, quæ est forma immediatè opposita mortalibus.

Ratio 3.p. Tum quia nullibi legitur, quod Sacramentalibus à Christo facta sit promissio remittendi peccata. Tum etiam, quia non videtur in Ecclesia esse potestas instituendi signa externa, quæ ex opere operato, seu ex vi institutionis habeant virtutem remittendi venialia. Nam Christus per illa verba, Quorum remiseritis peccata, &c. solùm dedit potestatem remittendi peccata ex opere operato per Sacramenta, non verò extra illa. Ergo.

Idem est de Exorcismis ab Ecclesia institutis, qui inter Sacramentalia censentur à S. Thom *supra q. 71. art. 3. ad 2.* qui effectus quosdam supernaturales contra dæmones habent ex opere operantis tantùm, & per modum impetrationis, quæ impetratio non fundatur in privata sanctitate Ministri, sed in oratione totius Ecclesiæ, quę eos instituit, & dæmonibus imperat. Fateor tamen; quòd illa Sacramentalia, quæ consecrationem quandam habent, maiorem habeant vim, sed & hanc non nisi ex opere operantis. Sicut actus vnius virturis, nitimur excellentioris, *v.g.* charitatis; maiorem ex opere operantis habet vim merendi, & impetrandi, quàm actus virtutis minùs perfectæ.

* 14 *Oppono* contra 2 *p.R.* 11. Si Sacramentalia solùm tollunt venialia mediante actu contritionis, aut charitatis. Ergo valdè impropriè ea tollunt. *Prob. conseq.* Quia sic tota vis ineſt illi actui. Ergo. 2. *Contra* 3 *p.* Si Sacramentalia tollunt venialia solùm ex opere operantis, excitando pium motum voluntatis. Ergo nihil differunt ab alijs rebus sacris, v.g. Imaginibus, Concionibus, Lectione spirituali. *Prob. conseq.* Quia etiam illa possunt excitare pios motus voluntatis. Ergo possunt conducere ad venialium remissionem.

Ad 1. neg. conseq. Ad prob. *dist. antec.* Tota vis immediata, *conced* mediata, *neg.* Nam, & causalitas mediata non est impropriè, sed in suo genere propriè talis. *Ad 2. neg. conseq.* Ad prob *dist. ant.* Possunt conducere occasionaliter; & quasi per accidens, *conced. antèced.* quodammodo per se, *neg. anteced. & conseq.* Imagines ergo sacræ, Concio, Lectio, &c. pios motus excitant solum præbendo occasionem, vt veniendo in cognitionem prototypi, circa illud pius motus excitetur: ast Sacramentalia conducunt ad dictum effectum per se, non perfectate physica, vel logica, sed morali, quæ tamen non est omnino infallibilis. Quæ tum impetrandi, tum dictum motum pium excitandi perfectas ei cōvenit, vel ex efficacia orationum Ecclesiæ, consecratione, seu benedictione. (*Vel vt ait Sylvius*) quatenus aliqua Sacramentalia ex genere suo, & modo, quo fiunt habent adiunctum aliquem dolorem peccatorum, vel eius significationem, vt confessio generalis, vel tunsio pectoris, Oratio Dominica, in qua petimus nobis dimitti quotidianas culpas, vt debita; vel habent vim ex Verbo Dei, vt eleemosyna, quæ peccata redimit, teste S. Scriptura. *Item*, vt, oratio in Ecclesia consecrata. Vndè, Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus, in ea omnis, qui petit, accipit. Non est hic aliud nisi Domus Dei, & porta Cœli.

* 15 *Potestne* alicui, in mortali peccato existenti, & manenti remitti veniale? *Dico*, non posse *Rationem dat S.D. art. 4. in corp. ad 1.* Licèt ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio gratiæ habitualis, requiritur tamen aliquis gratiæ actus, nimirum vel formalis Pœnitentia, seu contritio, vel actus charitatis perfectæ: Sed tales

actus non possunt esse in eo, qui subjacet peccato mortali, & vult in eo manere. Ergo.

* 16 QUÆRO V. *Sit casus*: Homo justus moritur in peccatis venialibus, quando hæc ei remittuntur? item reprobus cum mortalibus moritur simul in venialibus remittuntur hæc venialia in inferno.

Resp. 1. ad 1. p. Remitti in altera vita, nimirum in Purgatorio quoad culpam, & quoad pœnam. Ita sentit ipse Christus Matth. 12. de peccato in Spiritum S. dicens: *Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Quæ verba expendens S. August. lib 21. de Civit. cap. 24. ait: *Neque quibusdam veraciter dicetur, quòd eis non remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non isto, tamen remittatur in futuro*. Et Gregor. Magn. lib. 4. Dial. cap. 39 ait: *In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari, quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur*.

Ratio: Justus cum affectu peccati venialis moriens, cum eo non ingreditur Regnum Cœlorum; quia *Apocal.* 21. nihil coinquinatum intrat in illud. Ergo ab illa macula purgatur in Purgatorio, quod ad hoc est institutum, vt in eo purgentur sordes, & non solùm vt luatur pœna.

Resp. 2. Sordes illæ venialium culparum in Purgatorio absterguntur per fervidos charitatis, humilitatis, patientiæ, aliarumque virtutum actus ab animabus patientibus elicitos. Iuxta S. Thom. *q. 7. de malo, art. 11. Ratio*: Licèt post statum viæ non sit meritum, aut satisfactio, potest tamen esse remotio peccatorum, quibus sublatis anima in igne sicut aurum probata, & examinata, sicut examinatum argentum, nitescit, vt loquitur Contenson.

* 17 *Resp. 3. ad 3. p.* In inferno nullum peccatum veniale remittitur, adeòque in eo casu per accidens æternum punitur. Ita patet ex S. Thom. *citato supra T. 4. E. 2. n.* 14. vbi ratio data est, & plura sunt dicta, quæ hic serviunt.

Oppono contra hoc: Ergo talibus damnatis fit injuria. 2. *Ergo* Deus punit vltra condignum. *Ad 1.* negatur. Quia perditio damnatorũ ex ipsis est, eo quòd sponte se conjecerint in statum talem, in quo nulla redemptio, vel venia est. *Ad 2.* pariter negatur: Quia licèt pœna æterna peccato veniali non debeatur per se, benè tamen per accidens ex conditione subjecti, cui culpa continuò placet, proindè continua pœna debetur. Vndè (vt loquitur dictus Contenson) æternum punitur culpa in tempore perpetrata, quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci inflexibilis, & obstinatæ mentis voluntate; quæ etsi ad nihilum redigi vellet, ne pateretur, vivere semper vellet tamen, vt semper peccare posset. Ad magnam igitur iudicantis justitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui nunquam volunt carere peccato.

* 18 QUÆRO VI. Extinguuntur per Pœnitentiam peccata sic, vt per subsequens peccatum, etiam ingratitudinis non redeat? de quo *S. D. agit q. 88. per 4. art.* Ante R. nota, dupliciter posse intelligi peccatum redire. 1. *Simpliciter*, & absolutè, ita vt peccatum subsequens non tantùm inducat maculam, & reatum sibi proprium, sed etiam reducat antiquum, ac si peccata semper mansissent, & homo non tantùm propter nova, sed etiam propter antiqua peccata damnetur. 2. *Secundùmquid* inquantum peccatum sequens sit quodammodo grave propter præcedentia, quorum maculam virtualiter continet, quatenùs hominem reducit ad priorem privationis gratiæ statum. In quo sensu etiam intelligi potest illud *Iacobi* 2. de quo supra in hoc *Exam. n. 7. Qui offendit in vno, factus est omnium reus*, omni scilicèt gratia, ac bonorum operum mercede privandus. Hoc notato.

Resp. 1. Nullo modo potest esse, quòd macula, & reatus præcedentium peccatorum redeant, secundùm quod ex talibus actibus causabantur, ait S. Thom. *art. 1. in corp.* idest, simpliciter in primo sensu explicato in Notabili. *Ratio*: Quia forma absolutionis, eiusque effectus datur absolutè, & absque hac conditione, *nisi iterum peccaveris*, quæ nec tacitè ineft. *Nota*, hoc intelligi de reditu quoad eandem numero culpam (idem est de pœna æterna, quia illa pender ex culpa) de specie enim non est dubium, quin redire possit, vt si peccata remissa eadem placeant voluntati.

Ex his sequitur, quòd quando in Scriptura dicitur, quod Deus recordetur peccatorum remissorum, id intelligi de pœna, quia adhuc temporaliter punit ea. Nec est eadem ratio de operibus bonis per subsequens peccatum mortificatis, quæ iuxta dicenda per pœnitentiam reviviscunt. Disparitas enim est, quia hæc opera non omnino extinguuntur, sed solùm à suo effectu impediuntur, & manent in divina acceptatione, è contra verò de peccatis Scriptura dicit ea exinaniri, aboleri, projici in profundum maris, &c. Accedit, quòd Deus pronior sit ad miserendum, quàm ad puniendum.

Opponi posset illa parabola *Matth.* 18. de servo cui Dominus cimisit debitum, & tamen tradidit eum tortoribus vsquedum redderet totum, eo quod noluerit misereri conservi sui: quam parabolam Christus concluſit, *dicens*: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Sed *sensus parabolæ huius est*: Sicut Rex servum suum, qui post maximum debitum clementissimè remissum, conservo suo exiguum debitum remittere noluit, iussit gravissimè puniri: ita & Pater cœlestis graviter, & quidem in æternum punier illos, qui obtenta toties enormium scelerum venia, proximo ne leviores quidem offensas remittere volunt. De reditu autem peccati simpliciter ex hac parabola nihil probatur, de reditu secundum quid statim admittetur in R. 3.

* 19 *Resp. 2.* Nec per absolutam potentiam Dei potest idem numero peccatum redire, nec Deus peccatum remittere sub conditione, nisi iterum peccaveris. *Ratio 1. p.* Quia aliàs Deus esset vera causa illius peccati redeuntis, naturaliter enim à privatione ad habitum non datur regressus. *Ratio 2. p.* Remissio peccati mortalis absolutè non potest fieri nisi per infusionem gratiæ habitualis, vt dictum est, & alibi à Theologis probatur: sed infusio gratiæ essentialiter est absoluta, & non potest esse conditionata, quia gratia actu infusa essentialiter habet, quod actu destruat peccatum, non verò quod destrueret, si hæc, vel illa conditio adesset. Ergo.

* 20 *Resp. 3.* Per peccatum sequens pœnitentiam, peccata dimissa redeunt secundum quid ivxta secundum sensum in *Not. ante R. 1.* explicatum, & inquantum peccatum sequens ex prioribus dimissis aggravatur, præsertim ratione ingratitudinis. Ita S. Thom. in eodem art. 1. in c. *Declarat hoc ex illo ad Rom. 2. Secundum duritiam tuam, &* in-

impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, ex hoc scilicet solo, quod contemnitur Dei bonitas, quæ ad pœnitentiam expectat: multo autem magis contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati secundò peccatum iteretur. Ergo.

Resp. 4. Quantitas reatus peccati post priorum peccatorum remissionem commissi, potest quidem esse tantus, quantus erat omnium præcedentium; hoc tamen non semper fit. *Ita S. D. art.* 3. *Ratio*: Quantitas reatus adveniens est secundum gravitatem subsequentis: sed hoc potest esse aliquando magis, aliquando minus grave, vt si sit ebrietas, vel simplex fornicatio, & sequatur homicidium, vel adulterium, aut econtra: Vel si in sequentibus peccet ex ignorantia, vel infirmitate, antecedenter verò ex certa malitia, aut econtra. *Ergo.*

* 21 *Ingratitudo* peccantis estne speciale peccatum, vel saltem circumstantia notabiliter aggravans? *Dico* 1. cum *S. Thom. hic a.* 4. Ingratitudo peccantis aliquando est speciale peccatum, si nimirum peccator in contemptum Dei, & susceptí beneficij peccet. *Ratio* S. Doct. Peccatum speciem recipit ex intentione peccantis. Vnde, vt Philosophus dicit 5. *Ethic.* Ille, qui mœchatur vt furetur, magis est fur, quam mœchus. Ergo.

Dico 2. Si dicta intentio contemptus desit, ingratitudo peccantis solum est circumstantia generaliter consequens omne peccatum mortale. *Declarat hoc S. D. ibidem*: Si quis intendens aliquod peccatum committere (puta, homicidium, aut adulterium) non retrahatur ab hoc propter hoc, quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati sicut circumstantia quædam. Nam, vt *S. Augustin. dicit in lib. de nat. & gratia*, non omne peccatum est ex contemptu, & tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis.

Dico 3. Iuxta *S. Thom. in* 4. *dist.* 22. *art.* 4. Peccator recidivus per se, & directè non tenetur ad confessionem peccatorum non prius comissorum, nec ingenerali, nec in speciali, cuicumque confiteatur. *Ratio*: Quia iam sunt legitimè confessa, & ingratitudo si specialem contemptum non afferat, solum est circumstantia generalis, vt dictum est. Dixi, *per se, & directè*; quia per accidens, & indirectè potest esse necessarium, saltem in generali aperire præcedentia peccata, vt nimirum cognosci possit status pœnitentis, & conveniens medicina adhiberi. *De quo infrà latius Tract.* 8.

* 22 QUÆRO VII. Merita hominis iusti per subsequens peccatum mortificata reviviscunt per veram Pœnitentiam? De hoc *S. D. agit q.* 89. *per* 6. *art. Resp.* Affirmativè cum *S. Thom. art.* 5. Ante prob. nota, quid hoc sit opera in charitate facta per subsequens peccatum mortificari, bene explicari à *S. Thom. a.* 4. *in c. his verbis*: Res viva per mortem perdit operationem vitæ, vnde per quandam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur à suo proprio effectu, vel operatione; effectus autem operum virtuosorum, quæ in charitate fiunt, est, perducere ad vitam æternam. Quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Et secundùm hoc opera in charitate facta dicuntur mortificari per subsequens peccatum. Hoc notato. *Ratio S. D. ex art.* 5. *est*: Opera virtuosa mortificari, est, ea per peccatum sequens impediri ab effectu perducendi ad vitam æternam: sed hoc impedimentum tollitur per veram Pœnitentiam peccata remittentem. Ergo *Min. prob.* 1. ex illo Joel 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus.* Et ex illo: *Capillus de capite vestro non peribit.* Quæ verba explicant SS. Patres de reviviscentia meritorum. Et ad Hebr. 6. *Non enim iniustus est Deus, vt obliviscatur operis vestri, &c.* Prob. 2. Opera meritoria non solùm habent vim perducendi ad vitam æternam (quod pertinet ad eorum vitam) secundùm quod actu existunt in se, sed etiam postquam actu desinunt esse, secundum quod remanent in acceptatione divina: sed in acceptatione divina manent etiam, post quam per peccatum mortificantur, quia Deus illa opera, prout facta fuerunt, semper acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt, secundum illud Apoc. 2. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Ergo.

* 23 *Resurgitne* homo per pœnitentiam in æquali virtute ac erat antea. *Ad hoc S. D. art.* 2. *in c. respondet*: Secundum quod motus liberi arbitrij in Pœnitentia est intensior, vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam; *contingit autem intensionem* motus pœnitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiæ, quam illa, à qua ciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque verò minori. Et ideò pœnitens quandoque resurgit in maiori gratia quàm priùs habuerat, quandoque autem in æquali; quandoque etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur. *De Virginitate* obiter sciendū, quòd quoad formale per pœnitentiam reviviscat, licèt nō quoad materiale. De quo vide suprà *T.* 5. *E.* 2. *n.* 6. *in Not. tab.* Idem est de Innocentia.

* 24 *Restituiturne* ergo homo per pœnitentiam in pristinam dignitatem? *Dico* cum S. Thom. *art.* 3. restitui quoad Deum, cuius denuò fit filius per gratiam, redditurque ei stola prima, & annulus aureus; non tamen semper restitui quoad hominem, vt patet, si ratione peccati, vel censuræ, aut irregularitatis dignitatem Ecclesiasticam perdiderit.

* 25 *Reviviscuntne* etiam per Pœnitentiam opera bona mortua, ideſt, in peccato mortali facta? *Dico* cum S. Thom. *art.* 6. *quod non. Ratio*: Quod non habuit vitam, nèc principium vitæ, non potest revivisce re: sed opera secundùm se bona, sed facta extra gratiam, & charitatem (quæ est principium vitæ) ita se habent, nec de ijs dici potest, quòd maneat in divina acceptatione ad præmium supernaturale. *Ergo.* Admittit tamen *S. D. in eod. art. ad* 3. quòd Deus talia opera remuneret temporali remuneratione, sicut Gregorius dicit *in Homil. de Diuite, & Lazaro*, quòd nisi dives ille aliquod bonū egisset, & *in præsenti sæculo remunerationem* accepisset, nequaquam ei Abraham diceret, Recepisti bona in vita tua. Vel etiam hoc potest referri ad hoc, quòd patietur tolerabilius iudicium. De hoc vide in hoc *T. E.* 8. *n.* 8.

EXAMEN III.

De contritione. De qua agit S. Thom. in Supplemento à quæst. 1. vsque ad 5. inclusivè.

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotuplex est Contritio, & cuius virtutis actus? *Ante R. nota ex S. Thom. hic q.* 1. *art.* 1. *in c.* hoc nomen *Contritio* derivari à verbo *contero*, quod in rebus materialibus significat

rem duram conterere, & comminuere in minutissimas partes. Vndè metaphora translata ad spiritualia, actus pœnitentiæ vocatur *contritio*, quia voluntatis duritiem, seu cor peccatis induratum emollit, scindit, atterit, & comminuit. Hoc notato.

Resp. 1. Contritio generatim sumpta est dolor de peccato sub quocumque motivo supernaturali, & definitur à Tridentino sess. 14. cap. 4. quod sit *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Ly *animo* idem est, ac voluntatis, intelligiturque dolor spiritualis; vndè dolor, quem interdum experimur in parte sensitiva, cum sit passio corporalis, non est de essentia contritionis, seu proprietas eius, vt patet ex *S. Tho. q. 1. art. 2.* Hic S. Doct. plures adducit definitiones *in cit. art. 1.* inter quas est illa S. Agustin. Contritio est dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

Resp. 2. Contritio ita generatim sumpta dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfecta absolutè vocatur contritio, definiturque, quod sit *dolor de peccato commisso, vt est offensa Dei super omnia dilecti*, seu summè boni, cum proposito (vel actuali, vel virtuali, seu implicito) se emendandi, & confitendi, quia contritio in Nova Lege non delet peccatum, nisi in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, cuius est pars. Ly *offensa* est idem, quod iniuria, non quidem realiter illata, seu effectiva (cum Deus in se lædi non possit) sed moralis, affectiva, seu intenta.

Contritio imperfecta, quæ ad alterius differentiam vocatur *attritio*, definitur, quod sit *dolor de peccato commisso ex motivo supernaturali inferiori, quam sit dilectio Dei super omnia, v. g.* ex metu gehennæ, amissione Beatitudinis, seu ob Deum vt Vindicem, vel ex speciali deformitate talis peccati.

* 2 *Resp.* 3. Contritio essentialiter, & per se primo consistit in dolore, & odium, seu detestatio peccati solum se habet præsuppositivè. *Ratio*: Contritio essentialiter consistit in actu (saltem imperfectè) compensativo iniuriæ: sed per solum dolorem fit compensatio. Ergo. *Min. prob.* Recompensans debet à se aliquid auferre, & dare iniuriato: sed hoc fit per solum dolorem. Ergo. *Min. prob.* Odio habens peccatum nullum patitur malum, sed recipit magnum bonum honestum, qui verò de peccato dolet, etsi bonum honestum recipiat, afficitur tamen simul malo pœnæ, scilicet tristitia. *Ergo.*

Ex quo sequitur, quod in eodem instanti temporis cum prioritate, & posterioritate naturæ peccatum tollatur per odium, & per dolorem, seu contritionem formalem: per odium, inquantum est summum malum, seu est contra Deum vt summum Bonum: per dolorem, vt est offensa, seu injuria Dei per satisfactionem compensabilis. De quo vide *supra E. 5. n. 15. & 17.* vbi etiam patet, quænam peccata sint obiectum contritionis.

* 3 *Resp.* 4. Contritio est actus virtutis Pœnitentiæ. *Ita S. D. q. 1. art. 2. ad 1.* Et patet ex dictis *supra* de eadem virtute in *E. 1. n. 13. & 14.* Attritio verò non oritur ex aliqua virtute, sed ex quodam auxilio divino supernaturali transeunter dato: *Ratio*: Quia attritio elicitur ab homine in gratia sanctificante nondum constituto, adeoque non habente adhuc habitum virtutis infusæ.

* 4 QUÆRO II. In quo conveniunt, & in quo differunt contritio, & attritio? Item attritio possitne fieri contritio? *Resp.* 1. Conveniunt 1. *quod* vtraque versetur circa peccatum illud detestando. 2. *Quod* vtraque in substantia sit supernaturalis, & habeat obiectum, ac motivum supernaturale. Vndè nec esset contritio, nec attritio, si quis doleret de peccato, quia propter illud debet suspendi, amisit bonam famam, offendit patrem, &c.

Resp. 2. Differunt 1. *quòd* contritio sit actus virtutis, non verò attritio, vt dictum est *R. 4 ad q. 1.* 2. *Quod* contritio sit dolor perfectus, & procedat ex sua natura ex motivo dilectionis Dei super omnia; attritio verò sit dolor imperfectus, procedatque ex motivo inferiori. Quæ motiva sunt assignata ante *R. 3. ad Q. 1.* Quæ imperfectio etiam patet ex metaphora ex materialibus desumpta, in quibus dicuntur attrita (vt ait *S. D. q. 1. art. 2 ad 2.* quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfectè comminuta: contrita verò dicuntur, quando omnes partes tritæ sunt simul per diversionem ad minima. 3. *Quod* attritio per se solam sine Sacramento non justificet, etiam cum voto, & desiderio Sacramenti: quia stat cum peccato, licèt tollat affectum peccati. Contritio verò etiam extra Sacramentum, & extra articulum mortis, aut necessitatis, in quo non est copia Confessarij, habet annexam justificationem, sed peccati remissionem, sive gratiam sanctificantem, vt patet ex Trident. *sess. 14. cap. 4* Et *ratio est*: Tum quia (vtpotè procedens ex motivo dilectionis Dei super omnia) hominem plenè convertit ad Deum, ejque vt vltimo fini vnit, in qua dilectione virtualiter continetur propositum servandi omnia mandata. Tum etiam, quia est vltima dispositio ad gratiam. Ergo hanc habet sibi annexam etiam extra Sacramentum. 4. *Attritio* solùm est dispositio remota ad gratiam. 5. *Attritio* respicit peccatum vt est malum peccantis, contritio verò vt formaliter est offensa, & injuria Dei.

* 5 *Resp.* 3. Contritio, & Attritio supernaturalis specie essentiali differunt, nec potest attritio fieri contritio. 1. *Pars* sequitur ex dictis: Quia habent specie diversa principia, & motiva formalia. 2. *Pars* sequitur ex prima. Tum quia, quæ specie essentiali differunt, illorum vnum nequit fieri alterum. Tum etiam, quia docetur à *S. Thom. 3. in c. hac ratione*: Quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis fit actus fidei formatæ, quia actus ille informis transit, & non manet veniente charitate, attritio autem, & contritio non dicunt habitum, sed actum. Ergo.

Oppone 1. *contra R. 3.* Perfectum, & imperfectum non differunt specie essentiali; & vnum potest fieri alterum: sed sic se habent attritio, & contritio. Ergo. 2. *Communiter* dicitur, quod per Sacramentum Pœnitentiæ homo fiat ex attrito contritus: Ergo attritio fit contritio.

Ad 1 dist. mai. Si sit imperfectum defectu gradus, sicut calor, vt tria respectu caloris vt sex, vel sicut puer respectu viri, *cons. mai.* si sit imperfectum defectu essentiæ, sicut Embrio dicitur homo imperfectus, *neg. mai.* Hoc 2. modo se habet contritio imperfecta. Vel aliter: Si habeant eadem motiva, & obiecta, *cons.* secus, *negatur. Ad 2. neg. conseq.* Nam prima propositio significat transitum subiecti ab vna forma ad aliam, v. g. ab attritione ad contritionem, vt si dicam à pari, Petrus ex Physico fit Metaphysicus. Secunda verò significat, quod vna forma fiat alia, vt si dicam, Physica fit Metaphysicam, calor fit frigus, quod repugnat. Aliter *R.* =

Quod

Quod per Sacramentum Pœnitentiæ fiat quis ex attrito contritus, vel habitualiter, inquantum cum gratia per Sacramentum Pœnitentiæ infusa inter cæteras virtutes etiam accipit habitum virtutis Pœnitentiæ. Vel virtualiter, seu æquivalenter, quia attritio iuncta huic Sacramento obit quodammodo munus contritionis, eiquæ æquivalet, cum hominem etiam disponat (licèt non tam proximè) ad iustificationem, quæ est effectus Sacramenti.

* 7 QUÆRO III. attritio ex metu gehennæ concepta, estne actus honestus? Item quas conditiones debet habere attritio, vt cum hoc Sacramento sufficiat ad iustificationem? sufficietne sine actu charitatis, etiam imperfecto? *Resp.* 1. De fide est, attritionem ex metu gehennæ velut ex occasione à peccatore elicitam, esse actum bonum, & laudibilem ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientem. Ita *Trid. sess.* 14. *c.* 4. *definit*: Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpidinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat sancta Synodus, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis: quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se perducere ad iustificationem peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetranda disponit. Hæc ibi.

Vide suprà *T.* 3. *E.* 1. *n.* 6. quòd talis attritus non feratur efficaciter in duos vltimos fines, sed ratione peccati efficaciter, habitualiter saltem, haberet pro fine vltimo creaturam, ratione attritionis inefficaciter, Deum. *Item* quiesceret in amore sui, seu bonũ creatum, & proprium plus amaret quam Deum solùm negativè nullam faciendo comparationem inter Deum, & creaturam, non verò contrariè, seu cum tali comparatione. Vel, sisteret in bono creato, non tamen excludendo relationem in Deum, sed ab ea solùm præscindendo. Vide suprà *Tract.* 3. *E.* 1. *n.* 13. an; & quando actus ex metu impendentis mali, factus sit involuntarius, vt salvetur dictam attritionem ex metu pœnarum inferni non esse invitam, quia aliàs non sufficeret ad iustificationem cum Sacramento. Vide ibidem.

Item vide in Philosophia explicationem illius axiomatis: propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale. Ex quo probare quis posset, quod talis attritus dolens de peccato, & de pœna, immò de peccato propter pœnam, magis doleat de pœna, quòd esset inhonestum. Sed in Philosophia dici solet, quod ad veritatem huius axiomatis ly *propter* debeat denotare causam principalem talis effectus, & per se, ac sine qua effectus poni non possit: quod non est in præsenti.

* 8 *Resp.* 2. Est etiam licitum dolere de peccatis propter pœnas inferni, vt ly *propter* significet finem proximum, & minùs principalem: secus designet finem vltimum, hoc enim esset mortale. *Ratio* 1. *p.* Licitè quis ordinat suos actus ad magnum suum bonum creatum, vt ad finem proximum, modo Deus sit finis vltimus: sed evadere pœnas inferni est magnum bonum. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia talis homo formaliter, & expressè haberet hunc affectum: Non dolerem de peccato, nisi essent pœnæ inferni: sed ille affectus est mortaliter malus, vt patet, quia excludit Deum, vt vltimum finem. Ergo.

Nota, non esse inordinatum, ordinare bonum maius ad bonum minus, velut ad finem proximum, & minus principalem, si vtrumque bonum vlteriùs ordinetur ad alium finem principalem, qui sit vtroque melior. Sic ergò dolor de peccatis respicit dolorem de pœnis inferni, vt finem proximum: sed vterque ordinatur ad Deum, vt ad finem vltimum.

* 9 *Resp.* 3. Attritio vt sufficiat ad iustificationem vi huius Sacramenti obtinendam, debet habere has conditiones: *Primò* debet esse vera, id est, non apparens, vel existimata, quia est materia Sacramenti, ad quam non sufficit, quod sit putativè talis; nec fit talis per existimationem, vt patet in materia Baptismi. *Secundò* debet esse supernaturalis; quia *Trid. cit.* eam vocat donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, ac dispositionem ad gratiam. *Tertiò* debet esse vniversalis, seu extendere se ad omnia mortalia nondum confessa, cum vnum peccatum non possit remitti sine alio, vt suprà probatum est, adeoque; vel debent elici tot attritiones, quod sunt peccata specie diversa, vel debet homo de omnibus dolere sub vno generali motivo ad omnia se extendere. *Quartò* debet esse efficax, id est, excludens voluntatem peccandi, vt patet ex eodem Tridentino.

* 10 *Resp.* 4. Probabilius est contra Jansenium, quod vt attritio ex metu gehennæ concepta, cum Sacramento ad iustificationem sufficiat, non requiritur ad eam actus charitatis, seu dilectionis Dei super omnia, etiam imperfectus, & remissus. Ita clarè Angel. Doct. in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. ad 5. dicens: *Ad hoc vt homo se præparet ad gratiam in Baptismo percipiendam* (idem est de Sacramento Pœnitentiæ) *præexigitur fides, sed non charitas: quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.*

Ratio: Quia aliàs Sacramentum Pœnitentiæ defineret esse Sacramentum mortuorum, quia nunquam; & in nullo casu causaret primam gratiam delendo peccatum mortale, semper enim supponeret illud remissum per illum actum dilectionis Dei. Quod prob. 1. *ex S. Thom.* 3. *p. q.* 70. *art.* 4. *in c.* dicente: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, minima etiã charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti.* 2. Minima charitas sive habitualis, sive actualis, modo verè sit in specie charitatis, quantumvis remissa, est incompossibilis cum peccato mortali, cum ex sua essentia solum Deum pro vltimo fine efficaciter respiciat, vt patet suprà *T.* 7. *E.* 5. *n.* 74. Et ibid. *n.* 99. *ante R.* 2. Ergo.

Ex his ruit fundamentum Adversariorum putantium, quòd sine dicto amore non excludatur omnis affectus peccandi; ruit, inquam; Nam, vt benè arguit Gonet, efficax metus gehennæ, id est, vi cuius homo malum gehennæ ita refugit, vt efficaciter velit omnia media ad illud vitandum absolutè necessaria, includit necessariò voluntatem efficacem cavendi omne id, quod est inductivum gehennæ: sed tale omne est peccatum mortale. Ergo. Vide dicta pro R. 1. & locis ibi citatis. Ruit, & illud fundamentum, quo dicunt: Timor servilis non excludit affectum peccandi. Nam solùm est verum, si ille timor pœnas sibi proponat vt finem vltimum, secus si vt proximum iuxta R. 2.

* *Resp.* 5. Ad dictam attritionem requiritur ali-

quis

quis actus dilectionis Dei, non qui sit verè amor amicitiæ, vel charitatis, tendens in Deum summè diligendum ratione suæ bonitatis secundùm se sumptæ, seu vt in se bonus est, sed qui sit actus, seu amor spei, sive concupiscentiæ, quo attritus amat, vel amare incipit Deum, vt sibi (nimirum attrito, seu amanti) bonum, & vtilem: sic vt motivum talis amoris sit inferiùs motivo dilectionis Dei super omnia, nimirum, vel spes salutis, vel consideratio turpitudinis peccati, vel metu gehennæ, &c. *Nota hoc vt solvas, & conciliis authoritates quas adducit noster Contenson. Et vide Decret. Alexand. VII. infrà Tract. 8. E.*

Hoc videtur velle Trident. *sess. 6. cap. 6.* vbi inter dispositiones, quibus peccatores Justitiæ divinæ timore vtiliter concussi ad iustificationē per Sacramentum recipiendam se disponunt, recensct actum, quo Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt. *Ratio*: Voluntas non fertur in finem nisi amando, vt patet ex Physica: sed voluntas hominis attriti saltem imperfectè fertur in Deum vt vltimum finem, iuxta dicta, quia pœnæ solùm sunt finis proximus. Ergo.

Ex dictis colligitur, quòd ad Contritionem perfectam requiratur verus amor amicitiæ, amans Deum super omnia, seu vt in se bonus est, non verò vt est bonus, seu vtilis amanti. Vndè hæc non esset vera Contritio: Doleo de peccatis meis propter Deum vt meum summum Bonum.

* 12 QUÆRO IV. Sufficitne vna Contritio super omnia peccata, & quantæ illa debet esse intensionis? De quo *S. D. agit q. 2. & 3.* vtrobique per 4. art. *Ante R.* suppono ex *S. Thom. q. 2. art. 1. in corp.* quòd ad Contritionem etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ requiratur per se loquendo, & regulariter aliqua peccatorum recogitatio, seu examen conscientiæ, licèt non tam rigorosum sicut in Sacramento, quia hoc est judicium quoddam exterius, in quo homo homini debet reddere rationem propriæ conscientiæ suæ, quod non fit sine distincta examinatione: è contra extra Sacramentum redditur ratio ipsi Deo, qui vtpotè scrutans renes, & corda, facilius intelligit omnia. Dixi, *per se, & regulariter*; Quia interdum sufficit recogitatio peccatorum in generali, non descendendo ad singula. *Primò* in casu, quo adultus sua peccata recogitat ante baptismum, & de ijs dolet saltem per attritionem. *Secundò* si non suppetat tempus, tunc enim sufficit recogitatio, & dolor de peccatis in communi, cum voluntate saltem implicita discussionis in particulari, si esset commoditas. Hoc supposito.

Respond. 1. **Non est de necessitate veræ contritionis singulis peccatis singulas adhibere contritiones, est tamen de consilio.** 1. *Pars est S. Thom. art. 1. cit. dicentis*, quòd post recogitata peccata sufficit vna contritio communis omnibus, quia ille motus agit in vi omnium dispositionum, qui dolor potest dici esse de singulis, & specialis, licèt non sit singularis de singulis. *Ratio*: Quia aliàs, qui haberet mille mortalia, deberet elicere mille contritiones, quod nemo defendet. *Ratio 2. p.* De consilio est multiplicare actus virtutum.

* 13 *Resp. 2.* Vt dolor voluntatis sit vera contritio, debet esse summus appretiativè, & non requiritur, vt sit talis intensivè. *Ante Resp.* vide *T. 7. E. 3. n. 3.* in *Not. 1.* explicationem maioritatis intensivæ, & extensivæ in amore, quæ applicari potest dolori de peccato; dicitur enim dolor appretiativè summus, quando quis ita dolet, vt malum culpæ judicet, seu æstimet maius quovis alio malo, sitque paratus omnia alia mala potius subire, quàm illud: dicitur summus intensivè, quando est in gradu tam intenso, vt amplius intendi, vel augeri non possit. Hoc præmisso. *Ratio 1. p.* est: Prosecutio alicuius boni est mensura displicentiæ mali oppositi, seu inquantum aliquid placet, tantùm contrarium displicet: sed Deus debet appretiativè magis amari, quàm omne bonum creatum, vt patet loco antè citato ex *T. 7.* Ergo de peccato dolendum est dolore appretiativè summo.

Ex quo sequitur, quod in omni contritione saltem implicitè, & confusè includatur comparatio ad omnia mala pœnæ, & naturæ, quæ tamen comparatio à Confessarijs non est ita exaggeranda, præsertim infirmis propter periculum, nec suadenda, *v.g.* dicendo, an parati sint potiùs se, & omnia sua perdere, quàm tale, vel tale peccatum committere, non enim omnes tam perfecti sunt vti S. Paulus ad *Rom. 8. dicens*: Certus sum, quòd neque mors, &c. me separabit à charitate Christi.

Ratio 2. p. Minima contritio in intensione est eiusdem speciei cum ea, quæ est maximè intensa, quia sola intensio, vel remissio speciem non variat. Ergo procedit à gratia, sicut contritio intensior. Ergo sufficit ad justificationem à quibuscumque peccatis. Cum his stat, quod Confessarij debeant hortari pœnitentes ad vehementem dolorem, vti & ad Dei amorem.

* 14 *Debetne* maior esse dolor de vno peccato, quàm de alio? *Affirmo* cum *S. Thom. q. 3. art. 3. Ratio*: Contritio est dolor de peccato, quatenùs est offensa Dei: Sed in vno peccato est gravior offensa Dei, quàm in altero. Ergo.

* 15 *Sufficitne* dolor, quo quis dolet se non dolere de peccatis? *Dico*, non sufficit. *Ratio*: Quia talis dolor non est de peccatis, sed solùm est displicentia de ipso doloris defectu. An, & quomodo dolor contritionis possit esse nimius, vide suprà *T. 4. Exam. 1. num. 23.*

* 16 QUÆRO V. Quando quis obligatur ad Contritionem? *Resp. 1.* Præceptum contritionis non est merè positivum, sed etiam naturale. Ita S. Thom. *3. p. q. 84. art. 7. ad 1.* Dicitur naturale, non prout distinguitur à supernaturali, sed prout distinguitur à positivo, seu est naturale in ordine supernaturali gratiæ, eique connaturale. Sicut enim res naturales habent suam essentiam, & naturam, ita & supernaturales. *Ratio*: Natura dictat, si ius hominis, à fortiori jus Dei, servandum esse illæsum. Ergo & dictat, ius Dei læsum esse per pœnitentiam reparandum, quantum possumus.

Resp. 2. Præceptum contritionis spectat ad 1. *præceptum Decalogi*, in cuius præambulo dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus. *Ratio*: Si est Dominus, adeòque honorandus, natura dictat, quòd eius reconciliatio sit quærenda, dum est offensus.

Resp. 3. Probabiliùs est, quòd præceptum contritionis nō obliget ad eam eliciendam statim post commissum peccatum. 2. *Nec omnibus* diebus Festis, & Dominicis. 3. *Nec* quoties peccatum commissum memoriæ occurrit. 4. *Nec* semper per totum vitæ decursum: Sed certo tempore. *Ratio 1. 2. & 3. p.* est ex praxi: Quia nec pœnitentes de eo se accusant, nec Confessarij examinant. Fateor tamen, oppositam sententiam esse valdè piam, & consulca-

fulendam, & nec per modicum tempus licere in peccato morari quoad affectum. *Ratio* 4. & 5. *p.* Præceptum contritionis est affirmativum, scilicèt, *Pœnitentiam agite*: Sed natura præcepti affirmativi est, quòd obliget quidem semper, non tamen pro semper, vt patet in alijs præceptis affirmativis, *v. g.* eleemosynæ, Ergo.

* 17 *Resp.* 4. Præceptum Contritionis in quibusdam casibus obligat per se, in quibusdam per accidens. Qui casus in probabiliori sententia sunt: *Primò*, per se obligat in articulo mortis, verò, aut præsumpto, etiam in casu, quo homo habet copiam Sacramenti Pœnitentiæ, non quidem ex vi præcepti huius Sacramenti, quia illi satisfit per attritionem cum Sacramento, sed ex vi præcepti charitatis Dei, & sui ipsius. Quia in illa extrema lucta, à qua salus æterna pendet, tenenda sunt certiora, non autem constat, an Sacerdos verè habeat intentionem absolvendi, an sit verè baptizatus, &c. *Secundò* in morali periculo vitæ eo sensu, quo id de Eucharistia explicatum est suprà *T.* 12. *E.* 4. *n.* 45.

Casus, in quibus per accidens obligat præceptum contritionis sunt: *Primò*, Advertenter exurgente tam gravi tentatione, vt moraliter homo eam vincere nequeat, nisi per contritionem. 2. *Quoties* quis etiam erroneè existimat, se ad eam teneri. 3. *In valdè* gravi communi necessitate Reipublicæ, quæ præsumitur immitti à Deo ob peccata hominum. 4. *Dum* currit præceptum annuæ confessionis, & non est copia Confessarij, quia tunc homo tenetur supplere per contritionem, cuius præcepto in Lege Nova præceptum confessionis est subrogatū. 5. *Dum* quis in peccato mortali existens debet administrare aliquod Sacramentum, vel vnum è quinque vivorum recipere; provt probatum est suprà de Sacramentis in commui *T.* 11. *E.* 2. *n.* 18. & *seq.*

EXAMEN IV.

De Confessione, eius Quidditate, & Necessitate.

S. Thom. quæst. 6. Supplem. & quæst. 7.

* 1 QUÆRO I. Quid est Confessio, putà auricularis, coram Sacerdote, sive sacramentalis? Cuius virtutis actus? *Resp.* 1. Benè definitur in *Catec. Romano*, quòd sit legitima, & sacramentalis accusatio de propriis peccatis ad eorum veniam virtute clavium obtinendam, coram Sacerdote facta. *Resp.* 2. S. Thom. q. 7. art. 1. explicat, & approbat illam definitionem à S. August. traditam: *Confessio est, per quam morbus latens* (nimirum animæ, seu peccatum) *spe veniæ aperitur*. In R. ad 1. ibidem docet, quòd quamvis Sacerdos peccatum pœnitentis anteà aliquandò sciat, vt homo, non tamen scit, vt Vicarius Christi. Sicut etiam Judex aliquando scit aliquid vt homo, quòd nescit vt Judex, & quantùm ad hoc per Confessionem aperitur Sacerdoti: aſt (*vt ait ad* 2.) claditur alijs Confessionis sygillo.

Confessio peccatorum, quatenus sit ad consequendam eorum remissionem elicitivè est actus virtutis Pœnitentiæ juxta *S. Thom. q.* 7. *art.* 3. & patet ex dictis suprà de virtute Pœnit. Imperativè autem ad multas virtutes, *v. g.* spem, fidem, &c. pertinere potest, secundùm quod in finem multarum virtutum actus confessionis trahi potest, vt ait S. D. ibidem. Dixi, *quatenus sit ad remissionem*, &c. quia sub alijs rationibus confessio spectat ad alias virtutes, *v. g.* confessio veritatis in iudicio, ad justitiam: confessio beneficiorum in laudem Dei, ad virtutem Latriæ. *Ibidem in c.*

* 2 QUÆRO II. Quę est materia confessionis? Nonne peccata? Et quid de peccatis dubijs? Vel non commissis, & tamen confessis? *Ref.* 1. Quæ, & quotuplex sit confessionis materia, patet suprà E. 1. n. 4. & n. 13. *Ref.* 2. Peccatū mortale dubiū, confitendum est vt dubium: quòd si post confessionem deprehendatur fuisse certum, probabilius, & tutius est, quòd homò teneatur illud confiteri vt certum. *Ratio*: Homo tenetur confiteri mortalia, provt illa habet in conscientia: sed peccatum antè dubium, comperta certitudine non est ampliùs dubium, sed certum. Ergo confitendum dennò est, vt certum.

* 3 *Ref.* 3. Qui cōfitetur mera peccata dubia (loquendo de dubio prudente, & rationabili, quod addo ad excusandos communiter scrupulosos) debet absolvi sub conditione. Vt autem absolutè, seu sine conditione absolvatur, probabilius est, quòd teneatur addere, saltem vnum peccatum certum, etiam veniale tantùm. *Ratio*: Tum ne Sacramentum Pœnitentiæ exponatur periculo nullitatis. *Tum* etiam, quia qualis est confessio, talis est absolutio. *Tum* tandem, vt posset imponi certa pœnitentia. Ex quo fit, quod talis à peccato mortali confessio vt dubio absolvatur quidem, sed cum onere illud vt certum confitendi postea, si vt certum occurrat: necesse tamen non est, vt omnia alia peccata eam peccato dubio ritè explicata denuò confiteatur.

* 4 *Ref.* 4. Qui non scit certum numerū peccatorum mortalium, & dicit, *v. g.* fornicatus sum decies circiter, vel, plus minùs, & postea deprehendit certum numerum, *v. g.* fuisse duodecies, probabiliùs, & rotiùs tenetur postea numerum vt certum confiteri. *Ratio* est eadem: Quia dicendo *circiter*, vel *plus minùs* idem est, ac si diceret, dubitò an non sæpius, vel minùs. Ergo est eadem ratio. Hinc mirum, quòd multi *DD.* primùm teneant, & hoc postremum negent; cùm tamen ipsi fateantur, quòd nullam solidam videant disparitatem.

* 5 *Ref.* 5. Qui scienter dubia peccata mortalia narrat pro certis, & certa pro dubijs, peccat mortaliter, teneturque non solùm illam confessionem de peccatis vt certis repetere, sed & hoc speciale peccatum exprimere. *Ratio*: Circa materiam necessariam confessionis mentiri, & conscientiæ suæ Judicem decipere, semper est mortale: Sed hoc fit in eo casu. Ergo. Dixi, *scienter*: Quia ignorantia, & scrupulositas interdum excusant.

* 6 *Ref.* 6. Peccata per contritionem jam remissa confiteri non est peccatum, sed est necessarium. *Ratio*: Remissio peccati per contritionem fit per ordine ad confessionem. *Ref.* 7. Qui confitetur peccatum mortale, quod scit à se non commissum, peccat mortaliter. *Ratio* est data ad R. 5. Et id docet S. Thom. quæst. 6. art. 4. *Resp.* 8. Qui cum peccatis à se certò commissis confitetur scienter venialia non commissa, probabilius non peccat mortaliter, bene tamen venialiter. *Ratio*: Tum quia talis simul præbet materiam sufficientem pro absolutione. Tum etiam, quia per tale mendatium levis solùm injuria fit Sacramento. Sicut etiam patet in alijs Sacramentis, v. g. si aquæ Baptismi esset admixta minima pars terræ, hostiæ consecrandæ parva palea.

Aliud

Aliud est, si quis inter 20. vel 100. hostias consecrandas sciret vnam esse ex materia non consecrabili; quia hæc iam esset materia indebita non levis, sed notabilis, adeòque faciens peccatum mortale.

* 7 *Oppono*: S. Gregor. ait: Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Ergo. *Resp.* S. D. *hic ad 1. dicit*: Agnoscere culpam, vbi culpa non est, potest esse dupliciter: *Vno modo*, vt intelligatur quantùm ad substantiam actus, & sic non est verum; Non enim ad bonam mentem pertinet, sed ad errantem, vt se actum aliquem commisisse agnoscat, quem non commisit. *Alio modo* quantùm ad conditionem actus, & sic verum est, quod *Gregor. dicit.* Quia justus in actu, qui se bonus est, formidat, ne aliquis defectus ex parte sua fuerit. Et sic dicitur *Job. 9.* Verebar omnia opera mea. Et ideò ad bonam mentem etiam pertinet, vt hanc formidinem, quam corde tenet, lingua accuset. *Hæc S. D.* Eodem modo dicendum est de humili, qui se deteriorem reputat.

* 8 QUÆRO III. Quid censes de præcepto confessionis? Quando? Et quos obliget? Estne dispensabile? *Resp.* 1. In Nova Lege Confessio sacramentalis omnium peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, est ad salutem necessaria, non quidem iure humano, seu Ecclesiastico, sed iure divino positivo Christi, vnde, & hoc est Tribunal divinum, non Ecclesiæ. *Ratio* patet suprà *E. 1. n. 2. circa R. 3.*

Hinc ruunt illa argumenta Hæreticorum. 1. *David Psalm.* 31. confitebatur soli Domino 2. *Eius* tempore sufficiebat contritio; ruunt, inquam, quia erat in Veteri Lege. 3. *Ruit illud*: Ecclesia non cognoscit occulta, & interna. Ergo nec iudicat illa: ruit, inquam, quia non est Tribunal Ecclesiæ, sed Dei. Cum quibus tamen stat, quod Auctor Sacramentorum, vtpote qui virtutem suam Sacramentis, non alligavit, sine ijs, si velit, secundum potentiam extraordinariam possit peccata, etiam in Nova Lege, remittere contritis, non confessis, vt remisit Magdalenæ, & Latroni.

* 9 *Resp.* 2. Præceptum confessionis obligat proportionabiliter in casibus, in quibus *E. 3. n. 16.* diximus obligare præceptum contritionis, nimirum in articulo, & probabili periculo mortis, vt ibidem explicatum. Vnde, & tenetur reus ante executionem sententiæ; Quia tunc est maxima necessitas huius Sacramenti. 2. *Si quis* sit in mortali, & debeat, vel velit celebrare Missam, vel communicare 3. *Semel* in anno, seu intra annum. De quo posteà. 4. *Per accidens* in tribus primis casibus loco citato de contritione adductis.

Resp. 3. Determinatio temporis pro confessione, quòd nimirum sit facienda proprio Sacerdoti saltem semel in anno, facta est ab Ecclesia, vt patet ex *c. omnis vtriusque sexus* ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. *Ratio* statuendi, vt *ait S. D. art. 3. erat*: Tum vt quilibet peccatorem se recognosceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei. Tum, vt cum maiore reverentia ad Eucharistiam accedatur. Tum etiam, vt Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.

* 10 *Resp.* 4. Præceptum Confessionis comprehendit omnes peccatores, etiam in hoc mundo hominem vt Superiorem non agnoscentes. *Ratio S. D. ad 2.* Quia nullus est, qui non habeat Iudicem Christum, cui per suum Vicarium confiteri debet, qui quamvis sit eo inferior, inquantum Prælatus est, est tamen superior eo, inquantum peccator est ipse & ille Christi Minister. Sicut vnus Medicus ab alio curatur, non inquantum Medicus, sed inquantum infirmus, ait S. D. *q. 8. art. 4. ad 4.*

Resp. 5. Præcepto annuæ Confessionis, & Communionis Paschalis tenentur etiam Hæretici, & Apostatæ. *Ratio*: Quia per Baptismum subiecti sunt Ecclesiæ Legibus. De quo suprà de Legibus *T. 6. E. 5. n. 70. Resp. 6.* Confirmati in gratia non tenentur confiteri. *Ratio*: Quia non habent materiam necessariam, & licèt habeant sufficientem, propter eam tamen Sacramentum non est primariò institutum. De quo vide in hoc *Exam. n. 12. R. 5.* An habens sola venialia teneatur ad Confessionem annuam. Ex quo sequitur, quòd Deipara (non solùm confirmata in gratia, sed immunis ab omni peccato) præcepto Confessionis non fuerit obligata, nec capax huius Sacramenti. Hinc falsa, vel saltem magis pia, quàm vera sententia illorum, qui docent, quòd B. V. quotidiè fuerit cõfessa S. Joanni Evangelistæ.

* 11 *Resp.* 7. Papa non potest aliquem dispensare à præcepto Confessionis sub ea ratione, sub qua iuris divini est, ita vt sic dispensatus nunquam confiteatur, & sine Confessione salvetur, benè tamen quatenùs est iuris humani, nimirum quoad tempus. Ita S. Thom. *art 6. Ratio 1. p.* Quia Ministri Ecclesiæ non habent potestatem immutandi ius divinum, vel dispensandi in illo, præsertim cum est absolutum, & ex sola divina voluntate derivatum. Quomodo Papa dispenset in votis, vide *T. 6. E. 2. n. 10. Ibid. E. 5. n. 77.* Item *T. 10. E. 3. n. 39. & seqq. Ratio 2. p.* Quia determinatio temporis pro Confessione est facta ab Ecclesia.

* 12 QUÆRO IV. Quomodo computatur annus annuæ Confessionis? Si sacrilega sit, impleturne per eam præceptum? Hoc præcepto teneturne pueri? teneturne Papa? vel habens sola venialia? *Resp.* 1. Annus annuæ Confessionis secundùm se computandus esset à prima die Januarij vsque ad vltimum Decembris, attamen secundùm moderatam salutarem praxim totius Ecclesiæ, qua Fideles hoc præceptum simul implent circa Pascha cum præcepto Communionis, computatur à Paschate in Pascha. Quid, & quantum sit hoc tempus Paschale, vide suprà *T. 12. E. 4. n. 38.*

Resp. 2. Hoc præceptum non impletur per Confessionem fictam, sacrilegam, seu scienter invalidam. *Ratio*: Quia Confessio invalida non est præcepta, sed prohibita. Hinc inter Propositiones ab Alexandro VII. 1665. damnatas est hæc n. 14. *Qui facit Confessionem nullam voluntariè, satisfacit præcepto Ecclesiæ. Nota* tamen satisfieri per confessionem validam, & informem. De qua infra *E. 6. n. 101.* Quia in ea adsunt omnia essentialia requisita, & solùm effectus, scilicèt gratia impeditur.

* 13 *Resp.* 3. Probabilius est, quòd pueri præcepto Ecclesiastico Confessionis obligentur statim dum ad vsum rationis perveniunt, & mortaliter peccant.

Ratio: Hoc præceptum Ecclesiæ est determinatio præcepti divini: Sed statim ac homo rationis vsum attingit, ac mortaliter peccat, obligatur absolutè præcepto divino Confessionis, cum nullius peccati mortalis post Baptismum commissi remissio habetur sine ordine ad Confessionem. Ergo, &c. Ecclesiastico, &c. In qua ætate pueri teneantur ad Confessionẽ, & quod prius teneantur ad hanc, quàm ad Eucharistiam, vide suprà *T. 12. E. 4. n. 35. R. 2.*

Resp. 4.

*Resp.*4. Quòd Papa teneatur hoc præcepto, in quantum est divinum, est indubitatum: quomodo verò illo teneatur in quantum est Ecclesiasticum, nimirum saltem quoad vim directivam, non coercitivam, vide suprà *T.*6.*E.*5.*n.*82.*R.*2. A quo Confessarius Papæ accipiat jurisdictionem, dicetur infrà, Exam.5.*n.*6.

* 14 *Resp.*5. Probabilius est, quòd ex vi dicti præcepti ad Confessionem annuam non teneatur is, qui tantùm habet veniale. Ita S.D.*q.*6.*a.*3.*ad* 3: vbi vtramque sententiam vt probabilem adducit, in hanc tamen magis inclinat, & probat, quòd ex Decretali *omnis vtriusque sexus* non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc, quod dicit, quòd debent omnia peccata confiteri; quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus illa omnia confiteri potest. Et secundùm hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad Confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, vt se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse. Et hoc ei pro Confessione reputatur. *Hæc S.D.* Teneretur tamen in Paschate communicare. Dixi, *ex vi dicti præcepti*; Quia fieri potest, quòd teneatur ratione scandali vitandi, vel etiam, si dubiter, se esse in mortali.

* 15 QUÆRO V. Præceptum Confessionis estne distinctum, & independens à Præcepto Communionis? Estne aliquando præveniendum? vel, dū neglectum est, supplendum? aut potestne vna confessione impleri pro duobus annis, v.g. in casu, quo quis toto anno non esset confessus, & confiteretur in principio Januarij? *Resp.*1. Duo illa præcepta à se invicem in obligando nō dependent. *Ratio*: Quia sunt posita ob diversos fines, & motiva. Vndè dictum est loco *ante citat.* quòd pueri citiùs obligentur ad Confessionem, quàm ad Communionem. Ex quo fit, quòd per se non obligent pro eodem tempore, sed vnum per se pro Paschate, alterum per se semel in anno. Hinc si quis legitimè esset confessus in Epiphania, vt præcepto Ecclesiastico Confessionis satisfaciat, non tenetur denuò confiteri in Paschate, nisi habeat conscientiam peccati mortalis: tunc enim teneretur ex alio præcepto Divino prohibente sumptionem indignam. Item, si quis toto anno non posset communicare, posset tamen confiteri ad id teneretur.

*Resp.*2. Probabilius est, quòd, qui scit, aut probabiliter timet, se non posse confiteri ante finem anni, nisi confiteatur modo, vt fieri potest in casu longi itineris, teneatur Confessionem anticipare. *Ratio* patet suprà *T.*12.*E.*4.*n.*58. pro R.5. de casu præveniendæ Communionis. Vbi etiam insinuatur, alia esse præcepta, quorum onus, alligatur certo tempori, seu diei, vt jejunij, Missæ, Horarum, quæ non sunt necessariò prævenienda, vel supplenda: alia verò, quæ obligant pro indeterminato tempore, quæ sunt anticipanda, aut supplenda; & tale est in præsenti.

*Resp.*3. Probabilius est, quòd, qui toto anno non est confessus, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, anno elapso teneatur prima commoditate cōfiteri, & eo gravius peccet, quo diutiùs differt. *Ratio* patet de Communione loco suprà cit. *T.*12.*E.*4.*n.*38. *Resp.*4. negativè ad vltimam partem Quæsiti. *Ratio*: Quia ista Confessio est debita pro anno præcedenti. Ergo per eam non satisfit pro novo anno sequenti.

Obijcies: Vno actu possunt impleri duo præcepta simul occurrentia, v.g. possunt Horæ Canonicæ dici sub Missa. Ergo similiter. *Ad hoc est* disparitas. Nam hæc præcepta obligant pro diverso tempore, & illud *in* præsenti quoad substantiam est divinum, & magnæ necessitatis, ac vtilitatis; ob quam in eo rigore est explicandum.

* 17 QUÆRO VI. Teneturne quis, vt dictum præceptum impleat, confiteri per internuntium Sacerdoti absenti, vel etiam præsenti, si non posset aliter, quàm per scriptum, vel per interpretem? *Resp.*1. Confessio per internuntium, vel scripturam facta Sacerdoti absenti, & absolutio ab eodem absente data, non est sacramentalis, nec in vllo casu valida. Opposita Suarezij sententia est damnata à Clem.VIII.1602. *Ratio*: Tum quòd hæc fuerit mens Christi instituentis; Et patet ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ numquam talem confitendi modum (qui tamen in primordio Ecclesiæ ob fidelium copiam, & Sacerdotum inopiam fuisset necessarius) permisit. Tum etiam ob periculum sacrilegij, quod esset in casu, quo pœnitens fortè interea mutasset voluntatem. Tum tandem ob periculum scandali, revelationis, &c.

Hanc personalē præsentiam, per ly *Te* in forma absolutionis significatam, Christus in sua institutione evplicitè non præscripsit, bene tamen implicitè ob rationes modo datas. Proindè sicut in hoc Judicio pœnitentiali generalem rationem iudicij (quod alioquin inter absentes fieri potest) limitavit, & singulares circunstantias (iudicio forensi extrinsecas) adiecit, *v.g.* quod idem sit reus, testis, & occultissimorum etiam criminum suorum accusator, quod non est in iudicio externo: ita & voluit, vt fiat præcisè inter præsentes, quamvis enim si inter absentes fiat, videantur adesse omnia essentialia, vt minister, materia forma, &c. non tamen sunt debitè applicata. Sicut, si quis vellet consecrare panem nimis distantem, nihil facit, defectu debitæ applicationis.

Aliud est de Matrimonio: Quia ratio contractus (in qua ratio Sacramenti fundatur) quoad substantiam non est ex institutione Christi, sed fuit ab initio mundi, nec Christus eum mutavit, sed solum ad esse Sacramenti elevavit, proindè sicut antè, ita nunc potest fieri inter absentes: Judicium autem pœnitentiale etiam quoad substantiam non fuit antè Christi institutionem, ideò non est mirum, quod Christus in eo fecerit limitationem.

* 18 *Resp.*1. cum Nugno: Valida esset Confessio, si pœnitens per litteras sua peccata Confessori mittat, & postea in eius præsentia dicat, quod se de omnibus illis accuset, & doleat (qui tamen confitendi modus est inconveniens) *Ratio*: Quia adest personalis præsentia, & accusatio.

Nota, quòd, si detur casus, in quo quis ex causa gravi, & iusta non possit voce confiteri, vt potest contingere in gravi infirmitate, debet Confessori Confessionem scriptam facere, vti etiam interdum faciunt (teste Lublino) puellæ valde verecundæ, quæ tamen chartula cum ciphris ita scribenda esset, vt perditam nemo legere posset. Idem fieri potest in casu, quo Confessor subito obsurdesceret.

* 19 *Resp.*3. Ad præceptum annuæ Confessionis implendum tenetur quis confiteri per scriptum, vel per nutus, si aliter non possit: non tamen per interpretem, nisi in mortis articulo. *Ratio* 1.*p.* Præceptum revera obligat, dum in eius observatio-

ne non est magna difficultas, nec periculum damni: sed sic se habet casus præsens. Ergo. *Ratio 2. p.* Quia nullum extat ius, vi cuius sic publicanda sint delicta. *Ratio 3. p.* Quia non oportet dubiam reddere salutem suam; & vita æterna præponderat famæ, quæ in eo casu apud interpretem, læderetur; quamvis autem homo possit salvari per contritionem, illa tamen est difficilis. Ergo. Et dato, quod ad id homo non teneretur ex vi dicti præcepti, teneretur tamen ex præcepto charitatis erga seipsum.

* 20 QUÆRO VII. Ex vi dicti præcepti teneturne quis, quamprimum potest, confiteri peccata in Confessione omissa, sivè ex oblivione, sive ex iusta causa? aut aliquando bis confiteri eadem peccata?

Resp. 1. ad 2. p. Esse de consilio, non tamen de præcepto; vnde talis non peccat ea differendo vsque ad Confessionem sequentis anni. *Ratio*: Quia talis præceptum simpliciter iam implevit, in quo differt ab eo, qui Confessionem omnino omisit, & ab eo, qui fecit sacrilegam. De quo in præcedentibus. §. 43. & 5.

Resp. 2. In 4. præcipuè casibus tenetur quis eadem peccata bis confiteri. *Primus* est, si quis excõmunicatus ante absolutionem à peccatis, non fuisset absolutus à censuris. *Secundus*. Si pœnitens fecit votum de facienda Confessione generali, quam si non facit, peccat contra votum. *Tertius*. Si priotibus peccatis non manifestatis præsens status non posit sufficienter manifestari. *Quartus*. Quando quis vrgente necessitate, vel præcepto à Sacerdote inferiore solum per accidens, & indirectè fuit absolutus à reservatis, cum onere se suo tempore sistẽdi Superiori.

Generaliter dici potest, peccata iam confessa necessario esse iterum manifestanda, quando eorum confessio fuit invalida: potest autem esse invalida 1. *ex culpabili* defectu doloris, vel integritatis. 2. *Defectu* Ministri, vt, siis sit surdus, vel sub confessione dormiat, vel careat iurisdictione. 4. *Defectu* intentionis Ministri.

EXAMEN V.

De Ministro Confessionis.

S. Thom. Quæst. 8. Supplem. per 7. artic.

* 1 QUÆRO I. Quis, & quotuplex est Minister Sacramenti Pœnitentiæ? quæ, & quotuplex est eius potestas? Quid sit Confessarius; quid potestas clavium, vide suprà T. 1. n. 8. & 9. *Resp. 1.* Solus Sacerdos est Minister huius Sacramenti. Est de fide ex *Trid. sess. 14. can. 10.* *Ratio*: Soli Sacerdoti post collatam potestatem in Corpus Christi verum in sua Ordinatione datur potestas in Corpus Christi mysticum, seu in Fideles, per illa verba Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Ergo.

Nota aliud esse, Confessionem audire, aliud absolvere: hoc secundum potest solus Sacerdos; primum potest etiam Laicus in defectu Sacerdotis, vt docet, & nihil aliud vult S. Thom. hic art. 2. in c. Et ad 1. Nam ad 3. ait: quod *quamvis ille Laicus confessus in articulo necessitatis consequatur sit veniam à Deo, puta ex opere operantis, eo quod mandatum Dei implevit, sicut potuit oportet tamen, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit.* Vnde confessio facta Laico solum iuvat vel ad capiendum consilium, aut solatium, vel ad excitandum contritionem, maioremque sui confusionem, & humiliationem. Nec est in præcepto, sed ad summum de consilio; si tamen spectatis circunstantijs salubriter fieri possit, sitque Laicus vir prudens, probus, taciturnus, &c.

* 2 *Resp. 2.* Vt Sacerdos non solum validè, sed etiam licitè absolvat, est ei necessaria potestas iurisdictionis. Ita *S. D. art. 4. in c.* Estque hæc idẽ ac potestas clavium. *Ratio*: Vt *Trid. sess. 14. c. 4. ait*, Natura, & ratio Iudicij exposcit, vt sententia in subditos tantum feratur: Sed nemo est subditus, nisi habeatur in eum iurisdictio. Ergo.

Declaratur vlteriùs: Duplex in præsenti est potestas, *nimirum* Iurisdictionis, & Ordinis. Iurisdictio nihil aliud est, quàm moralis quadam potestas, seu auctoritas ferendi sententiam in foro conscientiæ in subditum, quæ realiter distinguitur, & in multis differt à potestate Ordinis, nimirum quod hæc secunda sit quid physicum, scilicet character sacerdotalis ad consecrandum Corpus Christi verum, prima verò quid morale, & detur super Corpus mysticum. Secunda completè datur Sacerdoti in Ordinatione, prima verò, quando deputatur legitimè in Confessarium, eique assignantur subditi. In secunda omnes Sacerdotes sunt æquales, & est invariabilis, & indelebilis: prima verò est variabilis, restringibilis, ampliabilis auferibilis. Tandem, quod potestas iurisdictionis sit idem, quod potestas clavium, vide suprà Tract. 1. procemiali, num. 9.

* 3 *Resp. 3.* Sacerdos in sua Ordinatione per illa verba Episcopi, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. non accipit potestatem validè absolvendi: *Declaratur*: Sacerdos in sua Ordinatione in primis per illa verba Episcopi: *Aceipe potestatem offerendi Sacrificium Deo*, &c. in contactu calicis accipit præcisè potestatem physicam, nimirum characterem. Et posteà per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, &c. accipit potestatem physicam super Corpus Christi morale, quæ non consistit in charactere sacerdotali secundùm se (sic enim est potestas physica tantùm super Corpus Christi verum) sed vt sumpto cum modo quodam reali, & intrinseco maioris perfectionis, & extensionis, vt sit potestas physica non solùm super Corpus Christi verum, sed & super mysticum, vt explicat Gõnet. Tandem iurisdictio, seu potestas moralis (sine qua nemo absolvere potest) datur tunc, quando exponitur pro Confessario, & assignantur ei subditi. Et tunc fit Judex actu, qui antè solùm erat Judex aptitudine, proxima tamen. *Ex his* hæc propositio, si objiciatur, cuivis Sacerdoti in Ordinatione datur potestas absolvendi, distinguitur: *physica*, conc. *moralis*, neg.

* 4 *Resp. 4.* Duplex est Minister Confessionis, scilicèt ordinarius, & delegatus, & eodem sensu duplex potestas Iurisdictionis, ordinaria nimirum, & delegata. *Declaratur*: Potestas ordinaria Iurisdictionis est, quæ alicui competit ex officio, seu vi proprij muneris, & ille vocatur Minister Ordinarius, talis est Papa super omnes Fideles, Episcopus super suam Diœcesin, Parochus super suos Parochia-

chianos, Prælati Religionum in suos subditos; Hi enim omnes ex suo officio sunt Pastores animarum. Et omnes vocantur Ministri Ordinarij Confessionis, licèt cæteroquin solus Episcopus, vt posteà dicetur, absolutè vocetur ordinarius. Potestas Jurisdictionis delegata est, quę non ex officio, sed ex alterius, ordinariam habentis, commissione alicui competit; & talis est in Religiosis respectu Fidelium. Qui proindè eam alteri subdelegare non possunt.

Nomine Episcopi intelligitur etiam eius Vicarius Generalis, hic enim cum Episcopo in eodem Tribunali reputatur vna persona, nec Episcopus ei potest hanc potestatem auferre, nisi eum deponendo: quia à jure habet illam. *Item* Sede vacante Capitulum suo Episcopo succedit in jurisdictione æquali. Similiter nomine Superiorum Ordinis intelliguntur etiam eorum Vicarij, qui mortuis, vel amotis Generalibus, Provincialibus, Prioribus, Guardianis, &c. habent in foro Pœniteentiæ Jurisdictionem ordinariam. Secus est de Vicarijs, quos Superiores adhuc in officio constituti assumunt in adjutorium sui Reginis, qui jurisdictionem solùm habent tantam, quantam eis dat principalis.

Dixi, *quòd solus Episcopus absolutè vocatur Ordinarius*; quia Ordinarius absolutè talis non solùm dicitur ex eo, quòd ex officio legat Missam, absolvat Pœnitentes, det eis Eucharistiam, &c. sed etiam ex eo, quòd conferat Sacramentum Ordinis, & Cõfirmationis, & exerceat alia officia spiritualia in foro externo, Confessarios approbet; Parochos constituat, corrigat, puniat, &c. qua de causa alij, quorum memini, potiùs vocari possunt Sacerdotes proprij, quia ex proprio officio Sacramenta ministrant. Cum quo tamen stat, quòd omnis Minister Ordinarius sit etiam proprius, licèt non è contra in hac strictiore acceptione. De jurisdictione præsertim præsumpta, probabili, dubia, &c. plura dicentur infrà in hoc *Exam. n.* 90. *& seqq.*

* 5 QUÆRO II. Quid est approbatio? debetne omnis Confessarius, vt validè absolvat, esse approbatus ab Episcopo? Et quid de Confessario Papę? *Resp.* 1. Approbatio est authenticum iudicium de idoneitate, & sufficientia Sacerdotis ad audiendas Confessiones, factum ab habente potestatem Episcopalem, vel quasi Episcopalem. *Ratio*: Sicut soli Episcopi, vel quasi Episcopi possunt Iurisdictionem conferre, ita & soli pro Iurisdictione approbare, seu idoneum iudicare. Dixi, *vel quasi Episcopalem*; nam Prælati exempti Regularium, cùm habeant potestatem quasi Episcopalem, ex suis Sacerdotibus possunt aliquos examinare, approbare, & exponere Confessorios pro suis subditis. Ex quo patet, quod approbatio non sit ipsa jurisdictio, nec collatio eius, sed requisitum ad eam præsuppositum, immò possunt separari, & approbatio sine altera esse.

Quomodo Religiosi Mendicantes tanquam exempti (quamvis iuxta sua privilegia Iurisdictionem accipiant à Sede Apostolica, vtpote cui immediatè subijciuntur) teneantur approbationem accipere ab Episcopo loci, patet ex *Trid.* cuius verba relata sunt suprà T. 1. n. 1. Vbi etiam patet, quomodo approbentur, vel examinentur Parochi. Et *ibid. num.* 2. an Religiosus exemptus etiam Superior, vel Doctor teneatur sustinere Examen Episcopi. Quæ approbatio est *conditio sine qua non*, & Religiosis datur Iurisdictio à Papa per Ordinum privilegia. Cæterum Clerici sæculares, quia immediatè Episcopo subijciuntur, ab eo etiam Iurisdictionem accipiunt.

* 6 *Resp.* 2. Approbatio est duplex; nimirum expræssa, & tacita. Prima, ante definita, sit verbo, vel scripto. Tacita datur facto, vel facti cõniventia, vt si Episcopus alicui conferat Beneficium Parochiale, vel si dicat Sacerdoti, audi istius confessionẽ, vel, audi quosvis; tibi cõfiteri volètes. Vel si Episcopus sciat hoc, vel illud genus Sacerdotum in sua Diœcesi absque expressa licentia Confessiones excipere, & non contradicit, cum possit; tunc enim tacitè consentit. De quibus plura in sequentibus.

Paulò aliter ab alijs solet explicari differentia inter delegationem, sive licentiam tacitam, & præsumptam, sic vt licentia tacita in rigore, & proprietate verbi sit, quæ in aliquo actu expresso iuxta legalem, vel rationabilem interpretationem virtutè continetur: præsumpta verò proprièsit, quæ per coniecturas, vel probabiles rationes creditur futura fuisse, si Superior conveniretur: de præsenti verò nullo modo existit, nec per specialem, nec per generalem voluntatem: operans tamen supponit ratihabitionem Superioris. De quo plura *Tract.* 8. *Exam. 2. n.* 15. *& 16.*

* 7 *Resp.* 2. Loquendo de Confessario Papæ sentiunt aliqui, eum habere iurisdictionem immediatè à Christo, & eius electionem, à Papa factam esse, solùm conditionẽ, *sine qua non*. Alij probabiliùs tenent, quòd eam immediatè accipiat à Papa, quem dicunt dupliciter posse considerari: Primò, vt formaliter est totius Ecclesiæ Caput, & sic est superior omni alio Sacerdote in terris. 2. *Vt* est peccator, hoc autem modo est inferior Confessario, & se ipso, vt Pontifice. Sicut Christus, in quo est vnica Persona, vt homo est inferior se ipso, vt Deo, & se Deo subjecit. Propter hanc ergo superioritatem licèt Papa non habeat iurisdictionem ad se ipsum iudicandum, aut absolvendum, habet tamen à Christo potestatem, vti alios Fideles, ita, & se ipsum in foro pœnitentiali subijciendi, cui voluerit Sacerdoti. An, & quomodo Papa in foro externo se possit alteri subijcere, vide suprà *Tract.* 7. *Exam.* 1. *num.* 37.

* 8 QUÆRO III. Regulares, vt validè approbentur, debentne à Superioribus præsentari Episcopo? Et hic potestne eorum approbationem limitare, vel revocare? *Resp.* 1. Quòd Religiosi cum sola suorum Superiorum licentia suis familiaribus, seu qui sunt de familia, & famulis in eorum servitijs, & Monasterijs habitantibus, hoc Sacramentum, & alia omnia in Paschate, & articulo mortis, vi suorum privilegiorum ministrare, patet suprà *T.* 12. *E.* 4. *n.* 48. *R.* 7.

Resp. 2. Dominicani, idem est de alijs Regularibus, nisi à Superioribus suis sint Episcopo præsentati, non absolvunt validè alios extraneos, etsi ab Episcopo licentiam habeant. Ita patet in nostris Constit. dist. 12. cap. 12. Et ex Clement. *dudum, de Sepult.* in 6. in qua expresse dicitur, quòd Regulares ad finem audiendi Confessiones Sæcularium debent præsentari per Superiores, & non aliter. Ergo sine præsentatione nulliter audiunt Confessiones.

Idem clarè constat ex Constitutione Julij III. 1553. expedita ad instantiam Generalis Ordinis

Prædic. quæ habetur in nostro Bullario Stephani Ysusmaris, in qua dicitur: *Immunitates à præceptis, & alias exemptiones personales, & absque suorum Superiorum licentia Confessores eligendi, tàm Secularium, quàm Regularium Confessiones audiendi, & alias similes gratias, &c. absque tuo, aut Superiorum suorum consensu concessas, &c. dicta auctoritate Apostolica revocamus, & cassamus.* Porrò hæc præsentatio iuxta praxim, vel fit personaliter, vel (ex rationabili causa) scripto. Quod idem videri potest in nostro Fontana, *verbo Confessor sæcularium.* Est ergo illa præsentatio *conditio sine qua non.* Potest tamen sufficere tacitus consensus Superioris, vt si Religiosus in vno loco approbatus, mittatur alio, & transeat per locum, vbi Episcopus residet, & se præsentet.

Resp. 3. De nostrorum Examine Constitutiones nostræ loco citato ante litt. B, severè disponunt: prout videre est suprà T. 1. n. 6.

Resp. 4. Dicta præsentatio Dominicanis ita est necessaria, vt, si semel sint Episcopo à Superioribus præsentati, & ab eo expositi; postea verò à suis Superioribus legitimè, & per sententiam iudicialiter latam ab audientia Confessionum suspendantur, non absolvant validè, si quid attentent. Ita de la Cruz probat ex Privilegio Leonis X. 1515. nostro Ordini concesso. Dixi, *judicialiter*; si enim alicui prohibeatur solùm extra judicialiter, seu simplici prohibitione, peccat quidem audiendo, tanquam inobediens, absolutio tamen est valida. Quia privare aliquem officio (vti etiam est Confessoris) est inter pœnas graviores, quæ non infliguntur nisi convicto, & per sententiam judicialem.

* 9 *Resp.* 5. Episcopus Religioso legitimè præsentato, & per examen idoneo reperto sine iusta causa approbationem denegans, peccat graviter, & quidem contra iustitiam in probabiliori, & communi DD sententia. *Ratio*: Talis approbatio non est mera gratia, sed est auctoritativa declaratio, ac testificatio sufficientiæ, seu idoneitatis ad obeundum munus Confessarij: sed tale testimonium in viro idoneo reperto, qui suppositâ approbatione, ex Apostolicæ Sedis privilegio quorumque Fidelium Confessiones audire potest, debetur ex iustitia, hoc enim videtur esse tacitum mandatum Papæ privilegiantis. Ergo.

Resp. 6. Religiosus Episcopo præsentatus, & iniustè reprobatus non absolvit validè. *Constat*: quia inter propositiones ab Alexandro VII. damnatas est etiam hæc n. 14. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

* 10 *Resp.* 7. Probabilior, & communior DD. sententia est quod Episcopus approbationem semel Religioso iustè concessam non possit revocare, nec semel legitimè approbatum ad examen sine iusta causa revocare. *Vide in Indice V. Regulares. Ratio*: Nemo sine iusta causa est deturbandus ex possessione sui iuris: sed talis Regularis per testimonium authenticum idoneitatis, ei datum est in possessione sui Iuris. Ergo. Idem patet ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Romani Pontificis*, in qua dicitur: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, & Diœcesi prævio examine approbati fuerunt, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successores præmaiori conscientiæ suæ quietè examinari de novo poterunt.* Si tamen prodeat notabilis causa dubitandi de alicuius Confessoris particularis sufficientia, vt si actus aliquos indigne fecerit, vel si viri fide digni ita noverint per experientiam, vel si in primo examine non adeò bene subsistere, sed ex necessitate, & ad certum tempus fuerit admissus, etiam ab eodem Episcopo, à quo fuit primò approbatus, de novo examinari potest.

* 11 *Resp.* 8. Nullo pacto possunt Locorum Ordinarij omnibus simul vnius Conventus Regularibus Confessarijs facultatem Confessiones audiendi adimere. Ita statuit sacra Congregatio 1615, 20. Novemb. *Resp.* 9. Episcopus non potest alicuius Regularis (qui generaliter idoneus repertus est) approbationem restringere ad certum tempus, vel personas. Ita statuit Sacra Congregatio 1587. his verbis: *Regulares, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumque Examinatoribus reperti, probati fuerint, generaliter quoque, & indistincte absque limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria*, &c.

Resp. 10. *Si* Episcopus ex iusta, causa, *v. g.* ob defectum scientiæ pro Mercatoribus, &c. Regularium approbationem restringat, valet restrictio, nec Regularis vltrà illam valide absolvere potest. Similiter si ex iusta causa solum sit approbatus pro parte Diœcesis, non potest validè absolvere in alia eius parte. *Ratio* Episcopus ex iusta causa potest Regularem sibi præsentatum absolutè non approbare. Ergo à fortiori potest ex rationabili causa eius approbationem restringere.

* 12 *Resp.* 11 Regulares semel absolutè, seu sine limitatione expositi, si ab illa Diœcesi amoveantur, & postea redeant non tenentur se iterum præsentare eidem Episcopo. Vti concessit *Eugenius IV.* immò nec Successori licentias eorum non revocanti. Idem est de quovis alio Confessore sæculari, ait la Cruz. *Resp.* 12. Licet Parochus, seu Sacerdos habens beneficium parochiale in aliqua Diœcesi (quamdiu illud tenet) censeatur approbatus pro omnibus alijs Diœcesibus, in ijsque Confessiones audire, & absolvere possit, modo iurisdictionem accipiat; secus tamen est de Regulari, aut eo qui Beneficium parochiale non habet, huic enim in alia Diœcesi nova illius Episcopi approbatio est necessaria. *Quid per Bullam Cruciatæ? Vide Tract. 17. Exam. 2. §. 6. de Confessario per Bullam.*

Ratio 1. *p.* Quia in *Trid.* is qui habet Beneficium parochiale, approbatur, seu iudicatur idoneus. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia *Trid.* loquens de Sacerdote non Parocho etiam Regulari, dicit, quòd debeat idoneus judicari ab Episcopis (loquendo in plurali) ideſt, à quovis Episcopo in cuius Diœcesi Confessiones vult excipere. Ergo. *Nota* tamen, certum esse, quòd Regulares vi suorum privilegiorum in Diœcesi, pro qua sunt approbati, possint absolvere quoscumque extraneos ex alijs Diœcesibus adventantes. De his plura in sequentibus.

* 13 QUÆRO IV. Quid censes de Confessario Monialium? *Ante R. Nota*, quod præter virtutes suprà *Trat. 1. num. 11.* in quovis Confessario requisitas, in eo, qui Monialibus datur, maximè relucere debeat discretio, gravitas, ac maturitas tum morum, tum & ætatis: vt spirituali eorum profectui in via Dei consulere possit, ad quod omnino necessarium est, vt in Monialium Statutis apprimè versatus sit, alioquin enim respectu earum Doctoris, Medici, & Judicis officio fungi minimè poterit, cum tamen teneatur. *Præterea* in statu, habitu,

habitu, & omnibus motibus suis, conversatione cum ipsis, in discursibus, &c. valdè sit circumspectus, ne quas docere debet verbo, & exemplo, scandalizet in ordinato discursu; interdum in devoto fœmineo sexu Confessionis sigilli fractionis suspicionem excitante. Spiritum pacis eis prædicet, schismata impediat, ac tollat; qua de re ipse Confessarius omni partialitate, & singulari erga hanc, vel illam familiaritate (quæ contemptum parit) eliminata, omnibus se amabilem præbeat. Cæteroquin inter Virgines, & Sorores erit Martyr, qui meritò optaret inter suos Fratres esse Confessor. Scire pariter debet casus Clausuram concernentes, in quibus violari soleat, & in quibus; ac quo comitatu ipse eam salva conscientia ingredi possit. De Clausura vide suprà *T. 6. E. 5. n. 41. & seqq.* Similes respectivè qualitates in Confessarij socio necessariæ sunt. Hoc notato.

* 14 *Resp. 1.* Licèt iure antiquo ante Bullam *Inscrutabili* à Gregor. XV. 1522. Nonis Februarij editam approbatio Confessariorum ordinariorum, & extraordinariorum Monialium spectaverit ad proprios earum Prælatos, quibus subsunt; attamen vbi hæc Bulla vsu est recepta, approbari debent ab Episcopo. Verba Bullæ sunt hæc: Confessores verò sivè Regulares, sivè Sæculares, quomodòcumque exempti, tam ordinarij quam extraordinarij ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur obtineant. Hęc ibi. *Hæc Bulla in Hispania non est in vsu. Vide infrà Tract. 17. Exam. 5. §. de Confessario.*

Vbi verò hæc Bulla non est in vsu (sicut revera in varijs Germaniæ Locis non est, & fortè ob Diœcesium amplitudinem, Ordinariorum distantiã, Monialium copiam, casuum frequentiam, commodè esse non potest: de quo Ordinum Superiores Confessarium posturi, & ipse Confessarius se informare debent suum vigorem adhuc videtur habere ius antiquum. Nam à iure, Constitutione, & Consuetudine antiqua non est recedendum, nisi quatenus per novam reperitur contrarium vsu receptum, *cap. de Constitut. in 6.* vsus enim optimus Legum interpres est. Ex quibus Patet, quòd Episcopus Monialibus Religionis exemptæ non possit assignare Confessarium prout sibi libet, sed tantùm aliquem ab Ordine præsentatum: licèt contra hunc, aut illum excipere possit, si iustam causam habeat.

* 15 *Resp. 2.* Confessario ordinario tenentur omnes Moniales confiteri, non tamen Extraordinario. *Ratio 1. p.* Confessarius ordinarius Monialium censetur deputatus loco Parochi: sed de iure (*cap. omnis utriusque*) omnes Parochiani tenentur confiteri Parocho. Ergo. *Ratio 2. p.* cum Donato nostro: Quòd Monialibus detur Confessor extraordinarius, est beneficium, favor, & gratia: Sed nemo cogitur beneficio vti, quia non confertur in invitum. *Leg. invito 70. de Regul. iur.* & quilibet potest cedere suo favori. Ergo.

Oppono contra 2. p. Concil. Trident. citandum ait: *Qui omnium Confessiones audire debeat.* Ergo. Hoc dictus Auctor benè explicat, quòd ly *audire debeat* se tenere ex parte Confessoris, si nimirum omnes ei velint confiteri, non ex parte Monialium.

* 16 *Resp. 1.* De extraordinario Trid. sess. 25. cap. 9. sic statuit: *Præter ordinarium autem Confessorem alium extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Debet autem offerri in communi, non autem in particulari, vt declaravit S. Congregatio 1593. 10. Martij.

Resp. 4. Confessarij etiam Regulares generaliter ab Episcopo pro Confessionum audientia approbati, non eò ipso sunt approbati pro Monialibus. Et approbatus pro vno Monasterio, non eò ipso est approbatus pro altero; & approbatus pro semel, non eò ipso est approbatus ad plures audiendas Confessiones Monialium, etiam eiusdem Monasterij. Ità declaravit S. Congregat. super dictam Bullam Gregor. XV.

Resp. 5. Juxtà illam Bullam, nec ipse Generalis sine licentia Episcopi potest absolvere sacramentaliter Moniales sui Ordinis *Ratio*: Quia Bulla loquitur indistinctè neminem excipiens. Et ita, vt refert Gavantus, declaravit S. Congreg. 1627. 13. Novemb. *Nota*, quòd Superiores non debeant poni, vt Confessarij Monialium, etiam sui Ordinis, nec sint eligibiles ad id, prout iuxta Barbosam etiam declaravit S. Congregat. 1615: eò quòd hæc officia videantur esse incompatibilia; Moniales enim suum Confessorem nimis frequenter occupant. Sed hoc non videtur vbique vsu receptum. Videmus enim in quibusdam locis Superiores agere Monialium Confessarios, vti & Parochos, ac Religiosos alterius Ordinis eodem officio fungi, cùm tamen Parochi sufficienter etiam occupentur in Parochialibus.

Resp. 6. Moniali in mortis articulo existenti, & petenti, potest ab illis, quorum est Confessarios deputare, concedi specialis Confessarius, qui Clausuram intret, & eam audiat. Immò & extrà illum articulum, si gravis, & iusta causa suadeat; attamen extra Clausuram, v.g. in parlatorio, vel simili loco. *Ratio*: Quia tanta necessitas Legem non habet, & gravis causa à Superioribus iudicata excusat.

* 17 *Quomodo* tempore Jubilæi Monialibus datur Confessarius? *Ad hoc* noster Donatus, *tom. 4. tract. 13. q. 31. dicit*: Quòd tempore Jubilæi Moniales soleant congregari ab Abbatissa, & interrogari, quos Confessarios libenter acceptarent? sicque nominant duos, tres, aut quatuor, qui deindè proponuntur Ordinario, & in specie approbantur ab illo: qui, si eos idoneos inveniat, facilis sit ad concedendum, nec arctet viam salutis. *Dentur* autem in communi, & non in particulari. Attendatur consuetudo loci, seu Monasterij.

* 18 *Monialeś Episcopi subiectæ* tenenturne casibus generaliter ab eo pro Diœcesi reservatis? *Dico*: Probabilius est, teneri. *Ratio*: Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi de omnibus subditis. Et patet à pari: Quia Ordinationes, & Acta in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus facta, etiam Moniales eiusdem Ordinis comprehendunt, quantùm ipsas afficere possunt.

* 19 *Potestne Episcopus* etiam respectu exemptarum aliquos casus, sibi reservare? Probabilius *Affirmo*, sic vt Regulares virtute privilegiorum non possint ab ijs absolvere. *Ratio*: Tum quia in *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5.* Episcopis locorum datur facultas censuris aliisque pœnis coercendi inobedientes, & contradictores circa Clausuram Monialium. Tum etiam, quia id possunt Episcopi tanquam delegati Apostolici, etiam quoad quosdam casus expressos in dicta Bulla *Inscrutabili*.

Quis

* 20 *Quis, Monialem* à reservatis potest absolvere? *Dico* 1. Si non sint exemptæ absolvuntur ab Episcopo; si exemptæ sint, absolvuntur à Superiore Ordinis sui. In quibus casibus, etiam Papalibus, id posit Prælatus Regularis, à pari patet de absolutione Religiosorum subditorum suprà *T.7.E.5. n.47.* Hinc Monialium Confessor in omnem eventum de generali licentia sui Superioris sibi providere deberet.

* 21 QUÆRO V. Debetne confessio fieri proprio Sacerdoti? *Ante R. nota*; eos dici subditos alicuius Diœcesis, vel Parochiæ, qui in ea domicilium habent perpetuò, vel ad tempus saltem, vt Studiosi, Milites præsidiarij, Mercatores, & similes ex industria per notabile tempus manentes, sic enim fiunt quasi incolæ, & acquirunt domicilium: si enim quis maneat diù præter intentionem, vel adsit recreationis gratia, vel ad exercenda ruralia, simpliciter manet pertinens ad Parochiam loci, à quo recessit. Cæterùm si quis pro diverso anni tempore habitet in duabus Diœcesibus, vel Parochijs, tot habet Episcopos, vel Parochos quot domicilia, sed pro vno tempore habet vnum Parochum, nimirum illum in cuius Parochia actualiter habitat. Quia iurisdictio fori Pœnitentiæ sequitur solùm ad domicilium, vt habet adiunctam actualem habitationem. Hoc notato.

Resp. 1. Ex iure divino teneamur confiteri proprio Sacerdoti, aut alteri de licentia proprij Sacerdotis. Ita patet clarè in Concil. Lateran. e *omnis vtriusque sexus.* Vbi iuxta *Concil. Trident.* nihil additur suprà ius divinum, nisi sola determinatio temporis, Confessionis nimirum ad minus semel in anno. Quis sit proprius Sacerdos, aut Minister Ordinarius Confessionis, vide num. 4. in hoc Exam. *Resp.* 2. Satisfaciunt præcepto annuæ Confessionis, quæ communiter fit in Paschate, qui confitentur Mendicantibus. Ita probat consensus totius orbis. *Ratio*: Quia habent licentiam à summo Sacerdote, seu Pontifice.

* 22 *Resp.* 3. Vagabundi, *v. g.* mendici, & peregrini, vt Mercatores, possunt confiteri Parocho loci, vbi sunt, vel cuivis Sacerdoti pro eo loco legitimè exposito. *Ratio*: Tum ne diù priventur tam salutari animæ remedio. *Tum* etiam, quia non est maior ratio, quare huic potius, quam alteri Parocho sint subditi.

* 23 *Resp.* 4. Proprius Parochus potest suos Parochianos audire, & absolvere etiam extra suam Parochiam, & Diœcesim, non tamen Religiosi incolas suæ Diœcesis extra eam. *Ratio* 1. *p.* Iudex Ordinarius Iurisdictionem, quæ sine externo strepitu iudicij exercetur, potest in suum subditum exercere extra proprium territorium: sed talis est Iurisdictio fori interni. Ergo.

2. *Pars* de facto est certa. Nam Bulla Clementis X. edita 1670 11. Kalend. Iulij, quæ incipit, *Superna*, expressè statuit, *Regulares ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi iam fuerunt approbati.*

* 24 *Resp.* 5. Quinam possint sibi eligere Confessorem, statuitur c. vltim. *de Pœnit. & absol.* Permittimus Episcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui, superioris licentiam providum, & discretum possint sibi eligere Confessarium. Isti autem sunt Abbates exempti, Ordinum Generales, Provinciales, & Superiores locales. Secus est de Abbatissis, Prioritissis, &c. nisi specialiter eis sit concessum ab illis, qui id concedere possunt.

Parochis, aliisque Sacerdotibus Secularibus idem licet, non quidem iure aliquo in Canonibus expresso, sed Ecclesiarum consuetudine est introductum, vt confiteri possint cuivis semel legitimè approbato, & exposito, saltem dum non est copia alterius Confessarij pro ea Diœcesi expositi, eò quod vtpote in varijs locis sacrificantes, hæc facultas eis necessaria esse videatur, & concessa ex tacito consensu Episcoporum, ac Superiorum scientium eos promiscuè sibi eligere Confessarios, & non contradicentium. Dixi, *legitimè approbato*, &c. Quia inter Propositiones ab Alexandro VII. damnatas est etiam hæc n. 16. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

* 25 *Resp.* 6. Post *Concil. Trident.* Parochus non potest simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum assumere ad audiendas ovium suarum Confessiones; bene tamen alium Parochum eiusdem Diœcesis. *Ratio*: Quia Trident. expressè vult, quod Sacerdos ab Episcopo debeat iudicari idoneus, vel habere Beneficium parochiale. Et de Parocho id patet ex praxi variarum Diœcesium.

* 26 *Resp.* 7. Menti Concilij Trid. conformior adeóque verior est sententia asserens, Confessario, vt validè absolvat, necessariam esse aprobationem illius Episcopi, in cuius Diœcesi vult audire Confessiones. Ex quo sequitur, quòd Parochus pro suarum ovium Confessionibus excipiendis non possit assumere Sacerdotem in alienâ Diœcesi expositum, etiam Regularem. *Ratio*: Quia *Trident.* expressè requirit examen ab Episcopis factum, loquens in plurali. *Recolligendum* tamen hic ex dictis suprà in hoc Exam. num. 4.

Resp. 2. *ad quæst.* 2. approbationem esse duplicem, nimirum tacitam, & expressam, & tacitam sufficere. Hinc *Gobat Casuista* celeberrimus in sua Theolog. experiment. *T.7.n.58.* scribit, non videri improbandum vsum in varijs Diœcesibus receptum, vt nimirum Religiosi mendicantes approbati ab vno Episcopo censeantur tacitè approbati ab alijs Episcopis, ad quorum Diœceses mittuntur, quamdiù illi non contradicunt, dum contradicere possunt. Possem ego (ait) plurimos præsertim Germaniæ Episcopatus nominare, in quibus ea viget notoria consuetudo, sive ob Diœcesium amplitudinem, Cœnobiorumque à Sede Episcopali distantiam, sive alijs de causis istorum locorum proprijs.

Similiter dantur loca miraculis clara à Regularibus inhabitata, ad quæ diversarum Diœcesium Parochi cum suis Parochianis processionaliter cõveniunt: soli autem Religiosi illius loci pro tot pœnitentibus non sufficiunt. Hinc, & Parochi non solùm suarum, sed & alienarum ovium Confessiones promiscuè excipiunt. De quo casu idem Gobat benè resolvit, non esse movendum scrupulum illis Sacerdotibus, vtpotè nitentibus longa, continua, notoria consuetudine vtique non ignorata omnibus Ordinarijs, ac proindè saltem tacitè approbata, seu necessitate quadam morali extorquente, vel impetrante consensum expressum, vel tacitum Ordinarium, manifestum tam diuturna dissimulatio-

sione. Subdit, fore tutissimum, & consultum, si Præsules talium locorum peterent expresse à Reverendissimis DD. Ordinarijs, approbationem.

Noster Conradus in calce primæ partis adduxit privilegium Eugenij IV. qui concessit, Confessarios Ordinis nostri (per communicationē etiam alios Regulares) in itinere existentes, vel alibi, non potentes commodè petere casus Episcopales, tunc posse plenariè vti auctoritate Episcopali. Item Gregor. XIII. concessit Religiosis Societ. Jesu (alijs per communicationem) vt semel approbati, & expositi, quando itinerantur per alias Diœceses, possint ibi audire Confessiones fidelium. Sed quia plures sunt DD. qui sentiunt hæc privilegia esse revocata, nolem in eis functionem meam fundare, præsertim post Decretum Vrbani VIII. edirum 1628. quo revocavit omnia privilegia, & facultates, si quæ fuerunt data ad audiendas Confessiones sine examine, & approbatione Episcoporum Diœcesanorum. Vndè communiter docent Auctores, ne quidem virtute Bullæ Cruciatæ posse eligi Confessarium non approbatum in Diœcesi, in qua Confessiones debet audire, licèt sit approbatus alibi.

Neque contrarium sumitur ex Clementinâ *Dudum. de sepult.* Nam in ea Religiosis non datur facultas audiendi Confessiones vbique, id est, in omnibus Diœcesibus, sed vbique in illa Diœcesi, ad quam præsentantur, aut in locis valde vicinis illi Diœcesi, in quibus indulgetur, quod possint audire Confessiones subditorum eius Episcopi, à quo fuerunt approbati.

* 27 *Quid significat* illa clausula (*de consensu Parochorum*) quæ solet inseri testimonio approbationis data Regularibus? *Dico*: Non credo, quòd Ordinarij eam Clausulam tam strictè sumant, vt velint Confessiones absque Parochi consensu à Regulari exceptas esse nullas; sed tantùm velle moneri Confessarium, vt Parocho loci deferat debitum respectum, petendo eius consensum, ne pax turberur, vel eum posteà informet. De quo vide Bullam Clementis X §. 4. in fine, infrà n 36.

* 28 *Potestne* quilibet Sacerdos etiam non approbatus absolvere à venialibus? *Dico*: Probabilior est sententia negativa Caietani, Donati, Navarri, & aliorum, &c. *Ratio*: Tum quia licet venialia sint materia libera Confessionis, nec teneamur ea confiteri, dum tamen quis ea confitetur, sunt materia apta huius Sacramenti, seu absolutionis: Sed absolutio requirit Ministrum ab Episcopo idoneum iudicatum. Ergo. Tum etiam, qui sæpe ignorat homo, quæ peccata certò sint venialia, & quę dubie.

Hinc Sacra Congregatio 1679. die 12. Februar. in decreto, cuius suprà de Communione quotidiana mentio facta fuit, ita statuit: Episcopi non permitant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarij etiam Regulares, aut quicumque alij Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse: neque de futuram Episcoporum, & Ordinariorum iustam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinarijs per hoc decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Hæc ibi.

* 29 QUÆRO VI. Quid iudicas de Confessarijs Regularium? *Resp.* 1. Confessarius Regularium (exceptis Monialibus, de quibus suprà) non indiget approbatione Episcopi, sed instituitur à suis Prælatis Iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos in vtroque foro habentibus, *v. g.* à Generali pro toto Ordine: à Provinciali pro Provincia: à Priore Conventuali pro suo Conventu: nisi tamen alicuius Ordinis Statuta aliter ferant. *Ratio*: Quia Prælati Regulares id poterant ante Tridentin. & hoc Concil. ius illud commune antiquum in hoc puncto non mutavit; statuit enim *sess.* 23. *de Reform. cap.* 15: nullum etiam Regularem posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, &c. nisi, &c.

Resp. 2. Prælatus Regularis potest taxare pœnitentiam à Confessario imponendam pœnitenti Religioso sibi subdito pro certis peccatis, sive reservata sint, sive non. *Ratio*: Quia in tali causa est Judex Ordinarius. Et patet ex Constitutione Clem. VIII. super casuum reservatione, prout habetur in fine Prologi Constitutionum nostrarum.

* 30 *Resp.* 3. Religiosi itinerantes, aut quomodolibet ex Prælati obedientia extra Conventum missi (nisi propria Regula, seu Statuta id vetent) possunt cuivis extraneo Sacerdoti, sive Seculari, sive Regulari, aliàs legitimè exposito, de licentia suorum Superiorum confiteri, si Confessarium Ordinis sui habere non possint, & fiat sine fraude, & Prælato significetur: si verò Confessarium Ordinis sui habere possint, confessio est nulla. Ita de Dominicanis clarè patet ex nostris Constit. *dist.* 1. *cap.* 14. *litt. C.*

Quo in casu licentia expressa est quidem optima, sufficit tamen tacita, præsumpta, ac interpretativa. *Ratio*: Qui concedit facultatem peregrinandi, censetur concedere omnia, sine quibus peregrinatio commodè fieri nequit: sed Religioso extrà Conventum cum licentia existenti, & Ordinis Confessarium habere non valenti, valdè incommodum esset, tamdiù manere privatum tam salubri salutis remedio. *Ergo*. In dicto casu facultas Religiosorum absolvendi datur ex Pontificio privilegio eligendi Confessarium; vt patet ex nostris Constitut. loc. citat.

* 31 *Resp.* 4. Illi extranei Confessarij non possunt Religiosos absolvere à casibus reservatis: *Ratio*: Tum quia casus speciales, vti sunt, qui reservantur, non veniunt in concessione generali, nisi exprimantur: *Tum* etiam, quia Confessarij extranei non possunt plus quàm intranei, seu Ordinis: sed hi non possunt. Ergo nec illi.

* 32 *Resp.* 5. Si Confessarius Ordinis Mendicantium, etiam ab Episcopo approbatus, veniat ad Monasterium alterius Ordinis, cuius Frater aliquis petit dicto Confessario confiteri, sine expresso consensu Prælati non potest ex consensu præsumpto eum absolvere, nisi sciente, & non contradicente Prælato, & ibi passim ita practicetur. *Ratio*: licèt enim possim præsumere, quòd Prælatus libenter videat profectum spirituale suorum subditorum, possum tamen etiam potiùs præsumere, eum non consentire, eo quòd ea ratione, vel Religio possit infamari, vel disciplina, ac Religiosa pax turbari.

* 33 *Resp.* 6. Religiosus vnius Ordinis, *v. g.* Prædicatorum, cum licentia degens, nempè Lecturæ gratia, in Conventu alterius Ordinis; in defectu Confessoris Ordinis sui, cum licentia præsertim sui Superioris, potest absolvi à Confessario alterius Or-

Ordinis, cui convivit, qui non ab Episcopo, sed à Prælato illius Conventus pro suis Religiosis est expositus. *Ratio*: Nam ex vna parte *Tridentin. in cit.* Decreto requirens approbationem Episcopi, non comprehendit Commissarios Regularium, sed clarè *Sæcularium etiam Sacerdotum* tantùm: Ex alia verò parte Religiosi à Superioribus non restringuntur ad Confessarios ab Episcopo approbatos (alioquin indubiè non possent) ergo *nec à nobis restringi* debent.

Resp. 7. Si duo Sacerdotes simplices Regulares eiusdem Ordinis simul cum licentia itinerentur, habita copia Confessoris extranei legitimè expositi, non possunt sibi invicem confiteri (excepto casu necessitatis) nisi licentia extra Conventum manendi cum tacitum Superioris consensum imbibere videatur. Patet ex dictis. Consideranda tamen sunt cuiuslibet Ordinis specialia Statuta. *Nota*, tacitum illum consensum posse præsumi, si ita præticetur scientibus Superioribus, & vterque de se sit habilis: secus præsumi non posse: in nostro Ordine id non præticatur.

* 34 *Resp.* 8. Probabilius, & *tutius* est, quod Fratres Professi Clerici (id est, non Sacerdotes) Ord. Prædicat. in Conventu morantes, non possint valicè absolvi nisi ab illo Confessario, qui eis à Superiore ex gremio assignatur. *Ratio*: Quia in Constit. nostris dist. 1. c. 14. lit. C. sic dicitur: *Fratres nostri non possunt sua peccata confiteri vlli Sacerdoti, etiam Fratri Ordinis nostri, absque suorum Prælatorum licentia.* Cum ergo in Ordine nostro iam moris sit, vt Sacerdotes nostri liberè possint confiteri cuivis Patri legitimè exposito, Fratribus Clericis verò (idem est de Laicis) detur specialis Confessarius, nimirum Magister Novitiorum, & in quibusdam festis per annum alius Extraordinarius, qui post Generalem, & Provincialem à solo Priore deputari potest: certum videtur, quod aliorum Confessariorum potestas, quoad Fratres, sit limitata. Hæc sententia in praxi est sequenda, vtpote per quam multa inconvenientia, & mala, peccandi occasiones, ac periculum, & Regiminis turbatio evitantur, & conscientiæ melius consulitur.

Dixi in R. 8. *Fratres professi.* Quia puri Novitij possunt à quovis exposito validè absolvi, cum enim nondum sint veri Religiosi, nondum tenentur lege coactiva Religionis, sed tantum pœna ejectionis ex Ordine, quia Religione dignus non est, qui eius Statuta (vi quorum ei ponitur specialis Confessarius) servare recusat. *Vbi Nota*, quod Novitij non possint excommunicari à Prælato Religionis ob rationem datam; nec ab Episcopo, vtpote à cuius iurisdictione sunt exempti; item gaudent privilegio fori, & Canonis, possuntque per Prælatos suæ Religionis absolvi à casibus reservatis etiam Papalibus illis nimirum, à quibus Prælatus alios suos absolvere potest.

Cum plura hactenus dicta sint de Confessarijs Regularibus præsertim Monialium, pro eorum cõfirmatione necesse fuit hic adiungere Summam Decreti Clementis X. de privilegijs Regularium, editi 1670. quod incipit *Superna*, in quo ita statuitur.

* 35 §. 3. Regulares, qui in Ecclesijs sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano Benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesijs licere Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ delegato censuris, alijsque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis felicis record. Gregor. XI. Prædecessoris nostri, incipientis: *Inscrutabili Dei providentia*, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque iusta, & rationabili causa contradicere non debere, & huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibusdam Oratorijs sui Ordinis sermonem coram populo; vel in Ecclesijs, aut ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium, eorum Iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis & nullus sæculatis ibi interesit, habere voluerint; Posse autem Episcopum licentiam concedere Regularibus in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos, quamvis ab Vniversitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiam si Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel ijsdem concessam ob rationabiles causas licèt occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere, non tamen posse Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesijs suorum Ordinum prædicent.

* 36 §. 4. Ad hæc Religiosos, ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiẽdos pprobatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium vnius Monasterij, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterij. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro vna vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones aure, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterùm in Monasterijs, ac etiam Collegijs, vbi iuxta Regularia Instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum Sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui Commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt; illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & distinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos: quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarius magis expedire videbitur, probare, & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque vlla Parochorum, vel ipsius Epis-

Episcopi licentia: de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum, Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones, præcipi: sufficere tamen, vt certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

* 37 §. 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, *quæ incipit*, omnis vtriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfeciſſe censendos. Regulares verò ad ciusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque vlla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo: secus autem ab eius Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterùm examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illi cōcessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat: de qua tamen haud necessarium esse, vt in actis constet, nec eam teneri Episcopum, ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat; vbi eam sibi aperiri postulaverit.

* 38 §. 6. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel alquod dilectum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam, oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, vtique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis, attamen confessiones audiendi, facultatem omnibus simul vnius Conventus Regularibus adimi ab Episcopo in consulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per *Mare magnum*, aliave privilegia, Regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis, & per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

* 39 §. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere: posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi, à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, vbi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse: vigore suprà dictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere pœnitentes à censuris quoad externum, & iudiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiali, vtique non censeri absolutos in exteriori iuditio, & contentioso. Quinimmò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denuntiatos ab Episcopis cogi posse, gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegijs coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum eius sit *interpretari*, *cuius* est condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, pro vt aliàs Constitutione prodecessoris nostri fel. record. Clem. IV. statutum fuit esse requirendum. Hæc ex illo Decreto. *De quo in Hispania quid? Vide infrà T. 18. Exam. de Pœnit. & Indice V. Regulares.*

* 40 QUÆRO VII. Ad valorem absolutionis sufficiens præsumpta ratihabitio eius, qui Jurisdictionem delegare potest? *Ante R. Nota primò*, delegationem jurisdictionis dupliciter posse fieri; primò directè, & immediate, quando nimirum delegans, sciens quid agat, verbo, vel scripto, aut alio quovis signo externo consensum suum ita exprimit, vt Confessarius sufficienter cognoscat, se habere delegatam Jurisdictionem. 2. *Mediatè*, & indirectè, quando nimirum pœnitenti conceditur facultas eligendi sibi Confessarium quemcunque idoneum, in quo tamen casus Confessarius non accipit suam jurisdictionē à pœnitente; sed pœnitens tantùm designat personam, cui hoc ipso, quòd eligitur confertur jurisdictio à proprio Sacerdote. Prior delegatio, scilicèt immediata, & directa, potest adhuc dupliciter fieri, scilicèt expressè, seu formaliter, & tacitè, seu implicitè, ac virtualiter, vel interpretativè: vti notatum est paulò suprà *n. 5. R. 2. ad q. 2.* de approbatione; quod applicandum est delegationi jurisdictionis.

Nota 2. Ratihabitionem esse duplicem: *Vna* est de præsenti, quando nimirum aliquis rationabiliter putat, quòd in præsenti, & defacto suum factum Superiori placeat, & ille jurisdictionem deleget, licèt non deleget eam formaliter; & expressè. *Altera est* de futuro, vt quando quis rationabiliter putat, quòd Superior, seu delegans, vsurpatam jurisdictionem, & factam absolutionem sit approbaturus, quando eam cognoverit. His notatis.

Resp. 1. Ratihabitio de futuro nullam confert jurisdictionem. Hinc nihil facit, qui absolvit, putans, Ordinarium esse ratificaturum absolutionem, & vsurpatam jurisdictionem. *Ratio*: Res actu præsens quoad sui existentiam non pendet ab eventu futuro: sed Sacramentum est res actu præsens, dum conficitur, & dictus consensus est futurus. Ergo.

* 41 *Resp. 2.* Ad validam absolutionem etiam non sufficit ratihabitio Superioris præsumpta de præsenti. *Ratio*: Juxta communem sententiam voluntas interna exterius non manifestata non sufficit ad collationem jurisdictionis; *in* omni enim contractu humano procedendum est modo humano, id est, sensibili. Ergo in casu nostro deberet adesse signum sensibile voluntatis internæ, approbantis audientiam confessionum; tale signum est, vel silentium Superioris scientis, & non contradicentis, cùm contradicere possit, vel annutus capitis, aut quodvis aliud signum, ex quo consensus colligi potest. *Ergo*.

Nota tamen, si Superior tacens revera interiùs dissentiat, & actu non impediat confessionū audientiam, quia nimirum, vel timet rixas, vel putat illum aliundè habere potestatem: vel vni, alteriùs mandavit, vt Confessarium monerent, vt desistat, monitio tamen ab illis facta non est, absolutio est nulla. *Ratio*: Quia præsumptio qualiscumque

debet cedere veritati, cap. *Nuper de Bigam.* Ergo.

* 43 *Resp.* 3. Ad iurisdictionis collationem, & absolutionis valorem non sufficit, quòd Ordinarius, vel Parochus erga alterum ita sit affectus, vt libenter iurisdictionem daret, si in mentem veniret, vel si alter peteret. *Ratio* patet ex dictis: Quia iurisdictio non delegatur, nisi per actum positivum internæ voluntatis signo externo manifestatum.

Oppono: Ad validè conferendam Extremam Vntionem, vel Eucharistiam sufficit præsumpta futura ratihabitio proprij Parochi. *Disparitas est*: Quia in his Sacramentis licentia non requiritur, etiam vt conditio, ad substantiam actus, sed solum vt seruetur debitus ordo in Ecclesia.

* 44 QUÆRO VIII. Quid tenet de iurisdictione dubia, probabili, aut ex titulo colorato, ac errore communi? *Resp.* 1. Cum iurisdictione dubia licet absolvere in extrema necessitate. *Ratio*: Quia in illa melius est conferre Sacramentum dubium, quàm nullum, vt communiter dicitur. *Resp.* 2. Probabilius est, quod in casu necessitatis etiam non extremæ, sed gravis, valide absolvat Sacerdos cum iurisdictione tantum probabili, id est, quam probabiliter putat se habere, licet revera non habeat. *Ratio* est cum Gonet, & alijs: Etsi non liceat sequi sententiam probabilem in materia, & forma Sacramentorum (cuius oppositum ab Innoc. XI. inter 65. Propositiones damnatas damnatum est num. 1.) bene tamen in iurisdictione. Disparitas est: *Quia* in primo casu minister se exponit periculo faciendi Sacramentum nullum, non autem in 2. *Quia* materia, & forma (cum sint ex institutione Christi) non dependent ab Ecclesia, vel consensu eius, adeoque ab ea suppleri nequeunt: econtra, quia iurisdictio ab Ecclesia dependet, pro animarum salute censetur Ecclesia ea uti (in casu tamen necessitatis tantum) supplere, dum quis, probabiliter putans se eam habere, absolvit. Quod magis patebit ex casu mox ponendo.

* 45 *Resp.* 3. Sacerdos habens titulum colorarum, seu putativum, *v. g.* beneficij curati à legitimo Superiore collatum, & quis ex communi errore populi habetur pro Confessario, vel Parocho, validè absolvit in sententia probabiliori. Dixi 1. *à legitimo Superiore*; nam nulla esset absolutio 1. *Si titulus* esset datus ab aliquo dare non potente. 2. *Si titulus* esset datus alicui non Sacerdoti, quia Ecclesia non potest supplere defectum eius, quod requiritur iure divino. 3. *Si simplex* Sacerdos, dicens se esse Confessorem, cum non sit, absolveret; quia non adesset titulus coloratus. Dixi 2. *Excommuni errore*; quia privatus error non sufficit, sed debet esse omnium, vel plerorumque putantium (errone tamen) titulum esse verè talem, cum tamen non sit, vt quia invalide est collatus, *v. g.* Beneficium Paroquiale est datum alicui excommunicato, vel non præsentato à Patrono, Vel si Ordinarius absque intentione interna, seu ficte dederit alicui iurisdictionem; vel si quis antè quidem fuerit legitimè approbatus, sed approbatio fuit revocata. Quam revocationem executionè præsentationis, illigitimitatem, fictionem, &c. omnes, vel plerique ignorant.

Ratio pro R. 3. Communis error, & titulus coloratus à legitimo Superiore collatus auctoritate Ecclesiæ, puta, Papæ, vel Sede vacante, Collegij Cardinalium, dat iurisdictionem non quidem habitualem, sed actualem ad singulos actus necessariam, vt consulat saluti animarum, laborantis in invincibili ignorantia, quæ nemini nocere debet. Idem communiter admittitur de Iudicibus sæcularibus; de quibus apud Iurisconsultos viget hoc axioma: *Communis error facit ius.* Ergo.

Nota tamen, quod Sacerdos cum titulo colorato absolvens (si nullitatis eius sit conscius) graviter peccet vsurpando alienam iurisdictionem. Vide dicta *T.* 2. *E.* 3. *n.* 30. *circa finem.*

* 46 QUÆRO IX. Potestne quilibet Sacerdos à quibusvis peccatis absolvere in articulo mortis? Item potestne Confessarius absolvere moribundum, qui in sua præsentia nulla dedit signa contritionis? *Resp.* 1. *Trid. sess.* 14. *c.* 7. *sic statuit*: In Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt. Idem docet *S. Thom. art.* 6. rationem dans: Quia necessitas legem non habet. Per articulum mortis simul intelligitur periculum mortis moraliter inevitabile. De quo suprà de Communione Paschali.

Resp. 2. Probabilius est, quòd præsente Sacerdote approbato simplex Sacerdos in dicto casu non possit absolvere validè. *Ratio*: Tum quia simplex Sacerdos non nisi ratione necessitatis habet potestatem absolvendi in articulo mortis: sed præsente approbato non est ea necessitas. Ergo. Tum etiam, quia Tridentin. solùm confirmat id, quod *in Ecclesia Dei custoditum semper fuit*: Sed Ecclesiæ praxis nunquam fuit, vt præsente approbato absolveret simplex Sacerdos. Ergo. An sic absolutus à reservatis, & censuris, si periculum evadat, teneatur ea denuò confiteri, decidetur infrà Tract. 14. Exam. 2. num. 34.

* 47 *Resp.* 3. Certum est apud omnes DD. quòd absolvi possit moribundus, qui, dum plura non potest, saltem confiteatur vnum peccatum, sive in specie infima, v.g. dicendo: Sum fornicatus; sive in specie subalterna, dicendo, v.g. *Peccavi* contra castitatem; sive in genere, dicendo: peccavi mortaliter. *Ratio*: Quia adsunt essentialia Sacramenti, & talis facit, quod potest.

Resp. 4. Probabilius est, absolvi posse moribundum, nullum peccatum in individuo, specie, vel genere exprimere potentem, sed tantùm per signa generalia in præsentia Sacerdotis demonstrantem, se peccasse, & de peccatis dolere. *Ratio est*, quæ antè: Quia Deus non exigit à nobis aliam confessionem, quam quæ hic, & nunc est nobis possibilis: sed in eo casu fit Confessio, qualis hic, & nunc per signa est possibilis. Ergo.

Resp 5. Probabilius est, posse absolvi (sub conditione tamen) illum moribundum, qui in absentia confessarij petit confiteri, & coram adstantibus signa doloris, sive voce, sive alio modo dedit, privatur autem sensibus ante aduentum Confessarij; cui deindè testes de datis signis testantur, sive testimonium detur Sacerdoti in præsentia infirmi, sive aliter. Ita patet ex Rituali Romano Pauli V. in quo de infirmo dicitur: *Si confitendi desideriam, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Vbi non excipitur, quod testimonium debeat deponi in præsentia Sacerdotis coram infirmo. Idem docetur à Sanct. Thom. *Opusc.* 65. §. *de Extrema Vnctione, in fine.*

Ratio: Si quid obstaret valori talis confessionis, & absolutionis, esset, quia fieret absenti, & per in-

Internuntium contra Decretum Clemen. VIII. sed hoc est falsum. Ergo. *Min. prob.* 1. Clemens solùm loquitur de particulari peccatorum confessione, & accusatione peccatorum facta absenti per litteras, vel per internuntium, in nostro autem casu solùm est confessio confusa, & imperfecta consistens in ostensione doloris, & desiderij confitendi. *Item Clemens* interrogatus respondit, quod sua intentio non fuit eo decreto comprehendere casum moribundi Confessarium advocantis, vt ostendit Sylvius hic, *q. 9. in dub. super art. 3. in* R. *ad 1. Prob.* eadem *min. 2.* Imperfecta illa, & pro casu necessitatis sufficiens confessio non est illud testimonium testium, quo testantur, quòd moribundus Confessarium petierit, vel signa doloris dederit, sed est signum aliquod sensibile pœnitentis, in ipso moriente virtualiter manens in aliquo sui effectu, testes autem habent se per modum interpretis: sed licitum, & validum est in necessitate confiteri per interpretem. *Ergo.*

Declaratur vlterius: Licèt per se, & regulariter ad Confessionem requiratur distincta cognitio causæ, & peccatorum in particulari, per accidens tamen, & in necessitate sufficit *talis*, qualis homini est possibilis: sed in casu posito sit confessio, qualis homini per interpretem est possibilis, & confessarius pœnitentis presentis dispositionem, & confessionem examinat, ac cognoscit ex testibus, quantùm possibile est. *Ergo.* Nota, *in eo casu* sufficere testimonium vnius prudentis hominis, etiam non iurati, & hoc tum ratione necessitatis; tum etiam, quia non agitur de præiuditio alterius, nec est periculum irreverentiæ, eo quod absolutio detur sub conditione, *v. g.* si capax es, absolvo te.

* 48 *Resp. 6.* Probabilius est, ne quidem sub conditione absolvi posse moribundum, etsi aliàs probùm Catholicum, qui nulla dedit signa doloris, vel desiderij confessionis. *Ratio:* Quia desunt essentialia Sacramenti Pœnitentiæ. Quod prob. Nam etsi imprimis admittantur, quod non fiat irreverentia Sacramento, eo quod infirmus absolvatur sub conditione; item etsi detur, quod habeat dolorem internum, attamen essentialiter requiritur aliqua peccatorum (si non in specie, saltem in genere) accusatio, seu confessio externa, si non voce saltem signis facta, vel per interpretem, qua dolor internus fiat sensibilis, & imploretur officium Iudicis: sed talis accusatio non datur, vt supponit casus. *Ergo.*

* 49 *Oppono* contra hoc 1. *Legitur*, quod Clemens VIII. aliquem ex fabrica S. Petri cadentem sic absolverit in ipso lapsu. Ergo. 2. *Talis* homo per actus Christianæ vitæ, & Sacramentorum antehac frequentationem satis indicat, se etiam in mortis articulo Pœnitentiæ Sacramentum postulare: sed hæc postulatio est quædam externa confessio. Ergo. 3. *Ex eo*, quod talis homo Christiane vixerit, præsumitur habere implicitam voluntatem suscipiendi Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem. Ergo, & Pœnitentiam.

Ad 1. R. Primo cum Lugo, esse fabulosum. 2. *Dato*, quod Clemens VIII. id fecerit, fecit vt privatus Doctor, cuius, vt talis, auctoritas non convincit. *Ad* 2. transeat *mai.* de interpretativa voluntate, & *neg. min.* oppositum enim patet ex nostra probatione. *Ad* 3. *neg. conseq.* Quia Sacramentum Pœnitentiæ pro materia, & parte essentiali habet ipsos actus sensibiles pœnitentis, qui in casu posito non dantur; secus est de Eucharistia, & Extremam-Vnctione. *Quid* ergo beneficij præstandum tali agonizanti? Dico: Precibus Deo, & Sanctis est recommendandus.

* 50 QUÆRO X. Quomodo *confitebitur* homo à nativitate cæcus, & mutus? vel ignarus alienæ linguæ? vel infirmus, qui non potest relinqui solus? *Resp.* 1. Qui à nativitate est mutus, & scribere nescit, confiteri debet signis, ac nutibus, & ad id tenetur, quando præceptum confessionis obligat. *Ratio:* Quia præcepti impletio non est tali muto difficilis, cùm enim alia animi sui sensa signis, & nutibus possit exprimere, potest, & peccata. *Notandum* Confessario, quòd adeò facilius cum tali pœnitente agendum, eiusque nutus facilius intelligendos, omninò consultum sit, ab iis, quibus pœnitens convivit, priùs petere informationem, nec debet Confessarius (excepto mortis articulo) eum absolvere, nisi vnum saltem peccatum in specie, & particulatim consuero aliquo nutu exprimat; licèt pectus tundendo, se de peccatis dolere significet.

* 51 *Resp.* 2. Si ille mutus esset simul à nativitate cæcus, vix poterit in eo sufficiens dispositio deprehendi, nisi primum post infantiam, vt aliqualem rationis vsum habens, vsum amisisset, tunc enim posset absolvi, si per signa se dispositū ostendat, & Eucharistiæ rapi: Cæterùm si extraordinarie contingeret, vt homo à nativitate surdus, cæcus, & mutus talia vsus rationis specimina daret, ex quibus colligeretur detestari peccata, esset saltem sub conditione absolvendus in articulo mortis.

* 52 *Resp.* 3. Si non inveniatur Confessarius eiusdem linguæ, cuius est pœnitens, nec alius qui possit esse interpres (de quo vide *E. 4. n.* 19. quando quis teneatur confiteri per interpretem) agat, vt sive per verba, sive per signa, aut nutus, aliovè modo accipiat aliquod peccatum pro materia: que habita eum ab omnibus absolvat, etsi confitens non sit in articulo, vel gravi periculo mortis, sed aliàs præceptum vrgeat. *Ratio:* Surdus, & mutus per signa, & nutus faciunt confessionem formaliter integram. Ergo idem est in præsenti. *Nota*, quòd talis pœnitens, cuius linguam non capit Confessarius, habita copia Confessarij suæ linguæ, teneatur omissa, & non benè intellecta confiteri.

* 53 *Resp.* 4. Si Sacerdos veniat ad infirmum, vel moribundum, qui non potest relinqui solus, sed ab alijs continuò est adiuvandus, vt sunt recenter vulnerati, & mulieres parturientes, &c dimissis alijs, personas præcisè necessarias relinquat, & vbi possibile est, potiùs viros, quàm mulieres: eosque moneat, vt aures occludant, & oculos à facie pœnitentis avertant, & quòd sub mortali teneantur ad servandum secretum, si fortè obiter quid audiant: sicque meliori, quo potest modo pœnitentem interroget, audiat peccata, etiam per signa si possit, ac quærat, an doleat de omnibus peccatis suis, quo annuente absolvat: ita tamen, vt, si postea post discessum adstantium detur occasio, & facultas, & pœnitens habeat vires, ex instituto eius confessio audiatur. Quam à fortiori tenetur pœnitens repetere, si fortè convaleſcat. Nota inter Propositiones ab Alexand. VII. damnatas esse etiam hanc, num. 11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob infans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

* 54 QUÆRO XI. Quid casus de recidi-

vis, possuntne, vel quicumque alij absolvi sub conditione, si non relabantur? vel sine absolutione dimitti? *Resp.* 1. Absolutio nunquam danda est sub conditione, nisi ex rationabili causa: ob quam prudenter interdum adhiberur conditio de præsenti, aut de præterito. *Ratio* 1. *p.* Quia fieret irreverentia Sacramento, & iniuria Pœnitenti. 2. *Pars* patet in casu, quo Confessarius dubitat de dispositione, vel capacitate pœnitentis.

Resp. 2. Graviter peccat Confessarius, & Sacramentum invalidat, qui dat absolutionem sub conditione de futuro, *v. g* si non relabaris, si ablatum restitueris, vel si iam verum est, quod ablatum restitues. *Ratio*: Tum quia non est in beneplacito ministri suspendere Sacramentum, vel effectum eius: non Sacramentum, quia forma erit falsa; eritque sensus, *Absolvam te*, & potius absentem, quam præsentem. Non effectum, quia is necessario sequitur ex Sacramento valide exhibito subiecto capaci. Ergo. *Tum* etiam quia fit iniuria pœnitenti, habet enim ius ad absolutionem absolutam, cum illius hic, & nunc sit capax, vt, si hic, & nunc verè habeat animum restituendi, etsi forte executio non sit futura. Ergo.

* 55 *Ref.* 3. Probabilius est, quod peccatoribus nullum emendationis specimen præferentibus, sed in eadem mortalia continuò relabentibus, licet dicant se habere verum emendationis propositum, absolutio non sit impartienda, sed differenda, vsquedum emendationem non solum verbo, sed & opere probent: sivè ille relapsus, seu recidiva proveniat ex retenta occasione proxima peccandi, sive ex inveterata peccandi consuetudine. Differt hæc sententia à doctrina Novatianorum, hi enim absolutionem, & Eucharistiam negabant etiam ijs, qui pœnitentiam, & emendationem etiam opere comprobabant.

Ratio: Sacerdos licitè potest, ac tenetur facere id, quod ei competit iure clavium divinitus concesso, & quod saluti animarum expedit sed in casu posito ita est, cum dilatione absolutionis. Ergo. *Prob. min.* pro 1. *p.* Christus *Joan.* 20. Apostolis, eorumque Successoribus dedit potestatem non solum dimittendi, sed & retinendi, seu alligandi peccata. Ergo. *Prob. min.* pro 2. *p.* Quia conducit magis ad apprehendendam morbi acerbitatem, seu peccati gravitatem, ad concipiendum firmius emendationis propositum, ad humiliandum se per pœnitentiæ opera coram pedibus Salvatoris. Ergo. *Confirmat* hoc experientia, qua compertum est, plurimos invetteratos peccatores, quibus peccandi consuetudo, & facillimæ absolutionis fiducia iam quasi callum obduxerat, hoc vnico medio fuisse emendatos.

* 56 *Oppono* 1. Deus statim absolvit, in quacumque hora ingemuerit peccator. Ergo idem incübit Christi Vicario. 2. *In hoc* tribunali pœnitens est simul reus, actor, seu accusator, & testis. Ergo sicut contra se dicenti Confessarius credit, ita & pro se dicenti, se habere serium emendationis propositum. 3. *Iudex* debet procedere secundum allegata, & probata: sed Confessarius est Judex. Ergo. 4. *Peccatum*, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Ergo talis pœnitens exponitur maiori periculo.

— *Ad* 1. *neg. conf.* Quia Deus tanquam scrutator cordium ipsam internam animæ dispositionem clarè videt, non autem homo. *Ad* 2. *neg. conf.* Quia quantum ad commissa peccata nemo maiorem notitiam habet, quam peccator, ast de sufficiente dispositione iudicare non spectat ad reum, sed ad Judicem, non ad ægrum, sed ad Medicum: & reus eam debet probare non verbis tantum, sed & opere. Et quamvis Judex per se, & regulariter omnem notitiam accipiat ex ore pœnitentis, aliquando tamen eam etiam debet habere ex operibus, & non solùm ex hac confessione, sed etiam ex prioribus, quarum notitia, licet non extra, benè tamen intra confessionem, vti potest, cautè tamen, & prudenter. *Ad* 3. conceditur totus syllogismus, sed *negatur*, quòd talis peccator sufficienter probet suam dispositionem, probanda enim est opere, non verbis tantùm, quæ sæpè fefellerunt; vt tam crebra recidiva probat. *Ad* 4. *antec.* est verum de peccato cuius manet affectus, & complacentia. Hinc aliud est de Medico corporis, ille enim medicinam negando patientem in maius periculum conjicere potest.

Nota tamen, quòd quia nulla regula est sine exceptione, immò exceptio Regulam in contrarium firmat, ita in præsenti excipitur. 1. *Articulus*, & periculum mortis, seu gravis infirmitas, tunc enim pœnitenti se sincerè dolore asserenti credendum. 2 *Si rarius* sit lapsus, & media à Confessario præscripta sedulò adhibuerit. 3. *Si det* valdè extraordinaria signa doloris, & emendationis, & petat sibi media præscribi ad peccata vitanda. Observandum etiam, an pœnitens brevi possit habere aliam, vel eandem confitendi occasionem, an hoc tribunal ex absolutionis denegatione, vel dilatione non sit ei futurum onerosum, &c.

* 57 *Quid si* vrgeat præceptum annuæ Communionis, cui præmittenda Confessio? *Dico*, per accidens posse abstineri sine novo peccato ex rationabili causa, ita enim ait Concil. Later. in quo illud præceptum est conditum: *Nisi forte de consilio proprij Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.*

* 58 *Quid si* talis homo sine absolutione dimissus posteà moreretur subitanea morte? *Retorqueo*: Quid si id contingeret antequam absolutionē petit? Deindè dico, quòd habeat remedium contritionis. *Hinc* meminerint Confessarij, vt peccatori lapso, saucio, & semivivo relicto, oleum infundat, & vinum; oleum benignitatis, ne desperet; visum severitatis, ne præpropera absolutione, pœnitenti, relabendi facilitatem præbeant, & se alieni peccati participes faciant. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. *Prov.* 17. Vulnera noli operire, quæ debent secari, & vri.

* 59 QUÆRO XII. Quid faciet Confessarius, qui in excipiendo Confessionem commisit errorem? *Resp.* 1. Qui pœnitentem absolvit invalidè, si ex eius monitione timeat oritura scandala, vel grave damnum tertij, aut ipsius Confessarij, relinquat pœnitentem in bona fide, & commendet Summo Sacerdoti Christo, & doleat de commisso defectu. *Ratio*: Quia tunc nimis difficile, & moraliter impossibile censetur supplere defectum absolutionis.

Resp. 2. Si Confessor ille talia mala non timeat, non debet defectum absolutionis pœnitenti extra Confessionem simpliciter manifestare, sed si præsens sit, suaviter dicat ei: Libens viderem, vt adhuc semel mihi confitereris, habeo enim, quæ dicam

pro

pro salute animæ tuæ. *Ratio* 1. *p.* est, ne Confessarius arguatur reus fracti sigilli. 2. *Pars* patet, quia suavior agendi modus in eo casu non datur.

Resp. 3. Si hoc pœnitenti non placeat, vel cum non noscat, vel convenire non possit; cum absolvere absentem non possit, agat, vt dictum est in *R.* 1. Nota tamen, quod cum licentia expressa pœnitentis, & secluso omni incommodo extra Confessionem pœnitenti hunc defectum possit pandere. *Ad quid* teneatur Confessarius in causa restitutionis, si eam non monuit, vel si eam in se suscepit, & non fecit, vide *T.* 8. *E.* 6. *n.* 15.

EXAMEN VI.

De Qualitate Confessionis.

S. Thom. in Supplem. quæst. 9. *per* 4. *artic.*

* 1 QUÆRO I. Quæ sunt qualitates ad legitimam Confessionem requisitæ? *Resp.* 1. Angel *Doct. art.* 4. assignat sedecim contentis his versibus:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata:
Fortis, & accusans, & sit parere paratâ.

Explicantur singula cum S. D. 1. *Simplex.* Vt pœnitens cum peccato nihil dicat, nisi quod ad eius quãtitatem spectat, omittatque omnes inutiles discursus, & impertinentes circumstantias. 2. *Humilis.* Vt pœnitens omninò se abijciat, & se miserum, & infirmum confiteatur. Item vt confiteatur cum reverentia, capite nudato, genibus flexis, &c. 3. *Pura.* Vt fiat debito fine, nimirum ex pura intentione Deum placandi, & veniam obtinendi. 4. *Fidelis*, Seu vt sit vera, nec dicantur peccata, quæ non sunt commissa, sive mortalia, tunc enim esset mendacium mortale, & simul sacrilegium, quia annullaret Sacramentum, sivè venialia. De quo vide *E.* 4. *n.* 2. *R.* 7. & 8. 5. *Frequens.* Propter eximios fructus, quos Confessio parit: qua in re standum est consilio directoris conscientiæ. 6. *Nuda.* Vt omissa obscuritate fiat verbis claris, non ambiguis, nec affectatis.

7. *Discreta*, seu prudens. Est autem hæc discretio, non solum, vt peccata præsertim carnalia dicantur terminis honestis, & modestis, sed etiam, vt S. D. ait, vt homo maiora peccata cum maiori pondere confiteatur. 8. *Libens*, id est, voluntaria, libera, non coacta, nec facta ex metu, *v. g.* ex communicationis, aut multæ, qui tamen confessionem non invalidat, modo aliàs rectè fiat. 9. *Verecunda.* Vt pœnitẽs ex horrore turpitudinis peccati erubescat, tum coram Confessario, tum in sua conscientia, nec iactet se de peccato. Quę verecundia plurimùm confert ad satisfactionem. 10. *Integra.* Vt nihil taceatur, quòd ad Confessionem spectat. Sed de hoc plura posteà. 11. *Secreta*, ob conditionem fori, in quo de occultis agitur, ne quis se ipsum diffamet publicè. 12. *Lachrymabilis*, putà, lachrymis mentis, qui est dolor, ac displicentia peccati. 13. *Accelerata*; Vt confiteatur statim, nec diù torpescat in statu damnationis. 14. *Fortis*; Vt pœnitens operetur immobiliter, & propter verecundiam veritas non dimittatur, nec timor, ac pudor à confessione deterreant. 15. *Accusans*, nimirum ex parte confitentis, vt se non excuset, nec alium accuset. 16. *Parere parata*, nimirum Sacerdoti, tanquam Christi Vicario, eius Consilijs obediendo.

* 2 *Resp.* 2. Ex his qualitatibus aliquæ sunt de necessitate confessionis, nimirum vt sit fidelis, non confitendo scienter mortale, quod commissum non est. Vt sit integra integritate formali, de qua posteà. Vt sit lachrymabilis, quia sine dolore non subsistit. Aliæ sunt de consilio, seu ad melius esse, nisi tamen aliquæ earum sumantur nimis rigorosè, vt patebit consideranti.

* 3 QUÆRO II. Potestne dari confessio sacramentalis valida, & informis, sicut potest dari Sacramentum Baptismi Confirmationis, &c. validũ, & informe, non quòd sit sinè forma, sed sine effectu, subsistat tamen in valore? Quoad hanc quæstionem non est tanta difficultas de alijs Sacramentis, ac de hoc, vtpotè cuius materia proxima sunt actus ipsiusmet pœnitentis.

Resp. cum S. Thom. *art.* 2. *affirm.* in vno casu, quando nimirum attritio non est generalis, nec se extendit ad peccata ex inculpabili oblivione in confessione omissa; *v. g.* habet quis quatuor peccata mortalia; & ex his tantum confitetur tria, cum attritione de ijs, supernaturali quidem, attamen ex motivo particularis deformitatis trium peccatorũ, quartum verò ex naturali oblivione omittit; proindè de eo nullatenus, nec virtualiter, vel implicitè dolet, quia omninò putat se illud non commisisse.

Ratio 1. Sacramentum validum, & informe dicitur, quod habet omnia sua essentialia, & tamen gratiam non causat: sed sic est in casu posito. Ergo. *Min. pro* 1. *parte prob.* Essentialia huius Sacramenti sunt, Dolor, Confessio formaliter integra, & Absolutio: Sed in illo casu datur dolor, seu attritio supernaturalis (licèt hæc per accidens, nimirum ex naturali oblivione, se non extendat ad peccatum omissum) *Item* quia oblivio est inculpabilis, datur confessio formaliter integra: & accedit absolutio. Ergo. *Min. pro* 2. *parte* supponitur. Ergo. *Ratio* 2. Effectus causæ efficientis est illa posterior, & potest causa esse sine illo, cùm nec sit de essentia, nec proprietas eius, & effectiæ causæ, & signi practici sufficit causalitas in actu primo: sed gratia est effectus Sacramenti in suo valore constituti, tanquam causæ efficientis. Ergo. *Subsumo*: Sed iuxta dicta Sacramentum esse informe nihil est aliud, quàm illud esse sine effectu, seu gratia. *Ergo.*

Nota, ex eo, quod *Trid. sess.* 14. *c.* 4. in attritione non separet, vel distinguat rationem partis Sacramenti à ratione dispositionis ad gratiam, solum colligi, quod eadem attritio per se, & regulariter sit simul pars Sacramenti, & actu disponat ad gratiam; cum quo stat, quod per accidens primum possit esse sine secundo propter obicem ex parte subiecti, qui quamvis in casu posito non sit positivus, id est, voluntarius, est tamen negativus, seu involuntarius, essentiam quidem Sacramenti non tollens, bene tamen effectum, & eo ipso, quod involuntarius est, excusans à novo peccato, & sacrilegio, cum enim ignoti nulla cupido, obicem non cognitum tollere non possum. Nec verum est, quod

quod talis homo faciat totum, quod est in se, quia simpliciter, & in se ex auxilio gratiæ (quod non deerat) potebat, & debebat elicere dolorem generalem se virtualiter extendentem ad oblita: qua extensione posita (& non aliter) per hoc Sacramentum homo fit ex attritio contritus.

Vide suprà *T.* 11. *E.* 2. *n.* 8. *&* 9. an, &c. quomodo Sacramenta Novæ Legis fictè suscepta recedente fictione causent gratiam, quod etiam de hoc Sacramento, vt informi, clarè docet, S. Tho. hic ar. 1. in c. dicens: *Quamvis hunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sacramentis est. Vnde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.* Item suprà in E. 1. n. 11. vide, quis sit sensus verborum formæ. Item suprà *E.* 4. *n.* 12. *ante R.* 3, quod per confessionem informem impleatur præceptum confessionis annuæ. *Varia* argumenta, quę obiici possunt, solvuntur ex Notabili posito, & locis citatis: alia vide in Auctoribus.

* 4 QUÆRO III. Possitne Confessio aliquando dimidiari? Qualis ad eam requiritur integritas? Quid sentiendum de circumstantijs aggravantibus? *Ante R. Nota*, quod integritas Confessionis sit duplex: Vna *materialis*, quæ etiam vocatur mathematica, vel metaphysica, & est, quando pœnitens nullum planè peccatum ab vltima confessione commissum, sive scienter, sive ignoranter omittit. Altera est *formalis*, seu moralis, quando quidem aliquod peccatum omittit, sed vel ex inculpabili oblivione, aut ignorantia, vel ex rationabili causa, nimirum quia fundatè putat, vel timet, Confessarium non servaturum sigillum, vel ex hac scientia illaturum grave damnum Pœnitenti, vel alteri. Hoc notatò:

Resp. 1. Est de fide, & de iure divino, quod Confessio Sacramentalis per se debet esse integra materialiter. *Ratio* patet ex officio Judicis, qui non potest legitimè ferre sententiam, nisi causa probè cognita; & ex officio Medici, qui non potest benè mederi, nisi totam infirmi habitudinem cognoscat; quia, vt *ait S. D. art.* 2. *in c.* Medicina, quæ vni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret.

Resp. 2. Ad essentiam, & effectum huius Sacramenti, in quibusdam casibus ob impotentiam physicam, vel moralem pœnitentis, sufficit integritas formalis. *Ratio*: Lex Christi obligat ad integritatem confessionis rationi consentaneam: sed integritas materialis non semper est rationi consentanea, potest enim vergere contra charitatem proximi, & in damnum eius, vt patebit ex casibus. Ergo.

* 5 *Resp.* 3. Casus, in quibus integritas formalis, & dimidiata confessio sufficit, sunt: *Primò* Si homo mutus, surdus, balbutientis linguæ, vel ignoti idiomatis non possit omnia sua peccata explicare. De quo vide suprà *E.* 5 *n.* 50. 2. *Si Pœnitens* sit in articulo mortis, vel amiserit loquelam inter confitendum, vide suprà de moribundis, ibd. *n.* 47. *&* 45. 3. *Si tempore* pestis, naufragij, vel instantis periculosi prælij rationabiliter timetur, quòd Confessarius integras aliquorum confessiones excipiendo, alios negligat, poterit plures aliquod peccatum confitentes simul absolvere, in forma loco *Te* ponendo *Vos*. 4. *Si* Pœnitens fundatè timeat fractionem sygilli. 5. *Si* peccatum omittatur ex invincibili ignorantia, vel oblivione de qua vide suprà *T.* 3. *E.* 1. *n.* 19. An scrupulosus aliquando excusetur ab integritate confessionis, vide *T.* 2. *E.* 2. *num.* 4. 6. *Si* Confessarius timeat, se audiendo integram confessionem inficiatur morbo lethali pœnitentis, v.g. tempore pestis, quo casu alij privarentur suo Pastore. 7. *Si peccatum* non possit manifestari nisi manifestando complicem, cui ex manifestatione imminet grave damnum. De quo postea.

* 6 *Resp.* 4. De obligatione confitendi circumstantias, sive speciem mutantes, sive solùm aggravantes, vide suprà *T.* 3. *E.* 2. *num.* 3. *&* 4. *An confessio* possit dimidiari ex eo, quod pœnitens, v.g. fœmina timeat confessarium à se scandalizandum, vide suprà *T.* 7. *E.* 7. *num.* 60. De casu, in quo audiuntur sola reservata, vide suprà *E.* 12. *n.* 7. *in* R. *ad* 4. vide etiam vnde sumatur multiplicatio numerica peccatorum, suprà *T.* 4. *E.* 2. *n.* 15. *&* 36. Nota, inter Propositiones damnatas ab Innoc. XI. esse etiam hanc num. 59 *Licèt sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis, v.g. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, aut Indulgentiæ.*

* 7 *Resp* 5: Sola verecundia non excusat ab integritate confessionis. *Ratio*: Qui, vel quæ non verecundatur Summum Bonum graviter offendere, non debet verecundari coram pedibus Salvatoris se humiliare plenè, & integrè confitendo delicta.

Quid sentis de puella, quæ ex verecundia vnum mortale omisit, attamen postea spiritu pœnitentiæ acta firmiter proponit illud confiteri in proximo Paschate, quo adveniente conscientiam sollicitè, quantùm potest, discutit, sed illius peccati omissi non recordatur, & in hac oblivione manet quinque annis, quibus elapsis peccatum illud in mentem venit, tenebitne repetere omnes confessiones quinquennio factas? *Dico*: Sufficit iterare illam confessionem invalidè factam, omniaque peccata in ea confessa denuò confiteri. *Ratio*: Cùm oblivio fuerit inculpabilis, aliæ confessiones illo quinquennio factæ, fuerunt validæ. Ergò.

* 8 *Quid dicendum* de illis, qui duos habent Confessarios, quorum vni, tanquam extraordinario, confitentur mortalia, alteri vt ordinario, venialia? *Dico* 1. *S. Thom. opusc.* 64. eos non laudat, ait enim: Hoc faciunt illi, qui timent despici à Confessario, vel reputari minus boni, plus timentes humanam verecundiam, quam divinam offensam, & plus amantes laudem extrinsecam, quam intrinsecam mentis pacem. Hinc communiter non debet practicari. *Dico* 2. Ille modus confitendi non ledit integritatem formalem confessionis. *Ratio*: Quia adsunt omnia essentialia, nimirum forma, & sufficiens contritio de omnibus mortalibus, & in vna confessione exhiberur materia necessaria, in altera sufficiens, seu libera. Ergo. *Dico* 3. Si quis valdè abhorreat talia mortalia tali Confessario confiteri, nulla erit culpa, dicto modo confessionem dimidiare. *Ratio est*: Quia tunc justa adest causa.

Dic. 4. Per accidès fieri potest, vt talis peccet etiã mortaliter, si nimirũ per hunc cõfitendi modum se exponat periculo labendi, vel relabendi in mortalia, & ea nunquam efficaciter evitandi. Hoc accidere solet illis, qui de industria adeunt Confessarios imperitos, vel quibus sunt ignoti.

* 9 *Qui aliquod* mortale omisit in confessione, ad quem Confessarium debet recurrere? *Dico* cum

cum S. *Thom. opusc. cit.* Si ex oblivione, inculpabili etiam, omisit, optimè facit, dum potest, si redeat ad eundem Confessarium. Si ex malitia, & verecundia omisit, tenetur ad eundem redire. Si verò vult recurrere ad alium, ait S. Doctor tenetur confiteri *omnia* peccata prius confessa, & illud quod prius amiserat, & omnia, quæ postea commisit, vti & mendatium, & simulationem in confessione commissam.

* 10 QUÆRO IV. Teneturne pœnitens propter confessionis integritatem revelare Confessario personam complicis, *v. g.* si peccavit cum matre, vel sorore sua consentiente? *Ante R.* supponitur vt certum, quod si talis pœnitens possit habere Confessarium, cui persona complicis non est nota, vel si possit coram eo, cui est nota, vestem, aut vocem mutando ita se occultare, vt non noscatur, ad id tenearur. Hoc supposito.

Resp. Probabilius est, quod propter confessionis integritatem possit, immò teneatur pœnitens indirecte manifestare personam complicis vere talis, quando speciem sui peccati nequit aliter explicare, nec ex complicis manifestatione vllum aliud damnum ei imminet, quàm infamia apud Confessarium. Ita clarè S. Thom. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 5. *Ratio*: Tum quia Judex (vti est Confessarius) debet integrè cognoscere delictum. *Tum* quia pœnitens habet ius pro salute sua se integrè accusandi in hoc sacro tribunali, quod interdum non potest, nisi nominando complicem. *Tum* tandem, quia alter voluntariè faciendo se complicem, scivit, vel scire debuit, illum aliquando acturum pœnitentiam, & habere ius ad confessionem integrè faciendam, cessit iuri suo quoad famam respectu Confessarij. Ergo.

Ex quo sequitur 1. *Quòd* diffamatio proximi, quæ sequitur apud Confessarium, solùm sit materialis, non verò formalis, seu ex intentione, quia formaliter nihil intendit, nisi vti iure suo integrè confitendi, ex quo illa diffamatio sequitur per accidens. Vide infrà *E.* 7 *n.* 1. *q.* 8. an pœnitens possit Confessori manifestari complicem ob correctionem fraternam. *Sequitur* 2. Quòd ius naturale de conservanda fama proximi in eo casu cesset, nec in suo vigore maneat. Cæteroquin præponderaret Juri positivo divino de confessionis integritate, putà, nisi alter cederet juri suo, aut si esset infamia formalis.

Dixi 1. in R. *Complicis verè talis*; id est, qui voluntariè se fecit participem criminis. Si enim totum peccatum fiat sine culpa alterius, vt si quis suum Superiorem diffamavit de peccato, revera quidem commisso, sed occultò, & iustè occultando; vel si quis suæ matri dedit pharmacum ad extinguendam prolem ex adulterio conceptam. In hoc convenitur omnes, quòd pœnitens non debeat nominare cõplicem. Similiter si frater cõmisit incestum cum matre, vel sorore non consentiente, sed eam vi opprimẽdo, satisfacit (*vt Gonet docet*) si dicat se peccasse cum consanguinea eam opprimendo, etsi circumstantiam personæ non exprimat. Quia in eo casu non est verè complex, secus si sit volens.

Dixi 2 Si nullum aliud immineat damnum, quàm, &c. si enim simul sit morale periculũ, quòd Confessor sit fracturus sygillum, & complicem extrà confessionem diffamaturus, aut aliud grave malum illaturus in bonis corporis, aut fortunarũ, &c. pœnitens non debet eum nominare: Confessio tamen erit formaliter integra, & valida, & cum effectu.

* 11 *Quomodo resolvis* hunc casum: Carnaliter peccarunt sponsus, & sponsa, accedunt ad eundem Confessarium, nullo alio præsente; sponsa confitetur delictum, & complicem addens, ante 3. septimanas esse commissum, eumque qui immediatè post subintrabit, esse suum sponsum, hic autem de illo peccato nullam facit mentionem, absolvetne eum Confessarius? *Dico*: Probabilius videtur non posse sponso constanter neganti absolutionem negari, licèt fateatur se intra 3. septimanas non esse confessum. *Ratio*: Tum quia aliàs Confessor frangeret sygillum confessionis revelando peccatum sponsæ: Tum etiam quia, esto non revelasset, non tamen tenebatur magis credere sponsæ, quàm sponso. Ergo.

Quid si Confessarius aliunde extra sponsæ confessionem certò sciat sponsum in confessione mentiri? *Dico* non potest eum absolvere. *Ratio est*: Quia grave peccatum est Sacramentum dare indigno.

Solet hic inquiri super *art.* 3. *S. D.* an confessio Sacerdoti absenti facta, & absolutio ab absente data subsistant? Sed de hoc actum est in **Exam.** 4. num. 17. quæst. 6. *vbi vide.*

EXAMEN VII.

De Sigillo Confessionis.

S. Doctor, Quæst. 11. *per* 5. *art.*

* 1 QUÆRO I. Quid est Sigillum Confessionis, & quo iure obligat? *Resp.* 1. Sigillum Confessionis est obligatio, qua Confessarius tenetur reticere ea, quæ per Confessionem sacramentalem ei fuerunt manifestata. Vocatur autem sigillum, ad eum modum, quo ea, quæ in literis sigillo munitis continentur, non sunt manifestabilia, sed secreta.

Resp. 2. Hoc sigillum Confessarium obligat iure Ecclesiastico, divino positivo, & naturali. 1. *Pars* patet ex c. *omnis utriusque sexus*, vbi Confessario strictissimè id præcipitur sub pœna comminatoria depositionis, & perpetuæ pœnitentiæ, ac reclusionis in Monasterio. 2. *Pars* patet ex institutione confessionis. Nam qui præcipit finem, etiam præcipit media ad eum necessaria: sed Christus præcepit Confessionem, à qua homines retraherentur, fieretque eis odiosa: nisi sigillum strictissimè obligaret Confessarium. Ergo. *Ratio* 3. *p.* Quia secretum naturale, seu extra confessionem commissum in re gravi sub mortali obligat iure naturæ, in re levi sub veniali. Secretum autem sacramentale semper est in re gravi, ob rationem pro 2. parte adductam. Ergo. *Confirm.* Revelando secretum naturale violatur fidelitas: quæ iure humano, divino, & naturali obligat ad servandum secretum tanquã depositum quoddam. Ergo à fortiori sigillum confessionis.

* 2 *Dum de secreto naturali agimus*, dic mihi, vnde cognoscis aliquid dici sub secreto? *Dico*: Cognosco id primò, si expressè secretum tecommendetur dicendo: Hoc tibi dico sub sygillo confessionis. Vbi tamen propriè non est sigillum confessionis, vt patet

patet ex *S. Thom. art.* 2. in sed contra, cum non sit in ordine ad illam, sed probabilius solum est obligatio secreti naturalis, maior, vel minor pro rei exigentia. Monet ibidem *S. D.* Aliquis non debet de facili, aliquid recipere, hoc modo, si tamen recipiat tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in cõfessione haberet, quãvis sub sigillo confessionis non habeat, id est, proportionabiliter eadem tenacitate celandum est. 2. *Quando*, etsi nõ fiat expressõ, saltem commendatur secretò, vt si dicatur talibus terminis, qui de se sufficienter demonstrant, dicentis intentionem esse, vt secretetur, *v.g.* si dicat: *Hoc non dicerem alteri*: Hoc tibi dico tanquam amico: nam rei gravitas, & modus dicendi satis indicant rem commendari secreto.

Ergone nunquam licet revelare secretum? *Distinguo*. Licet ad evitandum damnum publicum, licèt secretum esset sub iuramento receptum. *Ratio est*: Nemo potest se obligare ad celandum aliquid cum præiuditio boni communis, cuivis privatæ vtilitati præponderantis, quia alias tale secretum aut iuramentum esset vinculum iniquitatis. Ergo. 2. *Non* licet ad impediendum leve damnum privatum, aut leve dilectum. *Ratio* Custodia secreti necessaria est ad conservationem Reipublicę. Ergo debet præferri levi damno homnis privati.

3. *Licet revelare*, si damnum sit notabile, & delictum grave sit committendum, quod non potest impediri nisi revelatione secreti. *Ratio*: Quia secretum non debet obicem ponere charitati. Nota tamen, in hoc casu monendum prius esse (si fieri possit) eum, qui secretum commisit, vt damnum, vel delictum impediat; quòd si nolit, conqueri non poterit de facta revelatione, sed sibi imputet. 4. *Si damnum* iam sit illatum, & delictum commissum, non licèt revelare. *Ratio*: Observantia secreti, instar depositi, amico commissi, maioris est momenti pro bono publico, & conservatione securitatis civilis, quàm privatum damnum, aut delictum actu commissum.

Peccaretne mortaliter, qui secretum naturale sibi commissum revelaret vni, vel alteri amico prudenti? *Distinguo*: Si fiat cum periculo gravis damni, est mortale; si cum periculo levis damni, vel nullius, est leve, vel nullum; nisi tamen fortè is, cui revelatur esset de numerò illorum, quibus is, qui secretum commisit, absolutè nollet illud innotescere, sic enim graviter contristaretur, & ad revelationem esset omnino invitus.

* 3 QUÆRO II. Teneturne Sacerdos in quovis casu celare ea, quæ habet sub sigillo Confessionis, seu ex Confessione sacramentali? *Resp.* cum S Thom. *art.* 1. *affirm. Ratio*: *Tum*, quia sigillũ confessionis obligat iure naturæ, Divino, & Ecclesiastico. *Tum* etiam, quia hoc exigit bonum commune totius Religionis Christianæ, quod magna ex parte consistit in Sacramento Pœnitentiæ, hoc autem per revelationem sigilli redderetur odiosum, & intolerabile. Ergo.

Oppono 1. Quod est institutum pro charitate, non militat contra charitatem: sed celatio confessionis in aliquo casu militat contra charitatem. Ergo. *Min. prob.* 1. Ex casu quo quis ex confessione scit aliquem esse hæreticum, quem non potest inducere, vt à corruptione plebis desistat. 2. *prob. min. Ex casu* quo quis per cõfessionem scit, inter aliquos, matrimonium cõtrahere volentes, esse affinitatẽ. Ergo 3. *Si Papa* alicui Confessario sub pœna excommunicationis præcipiat, vt confessionem revelet, tenetur parere. Ergo.

3 *Sit casus*, quòd Confessor adducatur in testimonium pro illo peccato, quod scit ex confessione, & cogatur ad iurandum veritatem. Vel quòd Abbas ex confessione sciat, Priorem sibi subiectum esse Prioratu indignum. 4. *Sit casus*, quòd quis ex confessione sciat, aliquem ad Prælationem promovendum, esse ea indignum. Hæc suo ordine solvit *Angel. Doct. art.* 1.

Ad 1. *ait*: Nec sygillum confessionis contra charitatem militat, quia charitas non requirit, quòd apponatur remedium peccato, quod homò nescit: illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitũ, cũ illud non sciat aliquis vt homo, sed vt Deus. Tamẽ aliquod remediũ adhibere debet in prædictis casibus, quantum potest, sine revelatione confessionis, sicut, monendo eos, qui confitentur, & alijs diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum, ita tamen vt non dicat aliquid per quod verbo, vel nutu confitentem prodat. Hęc S. Doct.

Ad 2. *ait*: Nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi, vel licentiari. Vndè si præcipiatur sub pœna excommunicationis iam latæ, quod dicat, si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere: quia debet existimare, quòd intentio præcipientis est, si sciat vt homo, hoc autem non scit vt homo. Etsi etiam exprimeret de confessione interrogatus, non deberet dicere: nec excommunicationem incurreret, quia non est subiectus Superiori fino, nisi vt homò: hoc autem non scit vt homo, sed vt Deus. Hæc S. Doct.

Ad 3. Homo non adducitur in testimonium nisi vt homo, & ideò sine læsione conscientiæ potest iurare se nescire, quod scit tantum vt Deus. Similiter etiam potest Prælatus sine læsione conscientiæ dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum vt Deus, vel sine aliquo remedio: quia non tenetur adhibere remedium nisi eo modo, quod ad ipsum defertur. Vndè in his, quæ ad ipsum deferuntur in foro pœnitentiæ, debet in eodem foro, quantum potest, adhibere remedium: vt, Abbas in casu prædicto debet eum admonere, vt Prioratum resignet, vel si nolverit, potest ex aliqua alia occasione absolvere eum à cura Prioratus, ita tamẽ, quòd omnis suspitio vitetur de confessionis revelatione. Hæc S. D. *Ad* 4. Ex multis alijs causis redditur quis indignus ad Prælationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicuius huiusmodi. Et ideò, qui contradicit, nec suscipionem de crimine inducit, nec confessionem revelat. *Hæc S. Doct.* Vide suprà de vsu amphibologię, & restrictions mentalis *T.* 10. *E.* 4. *n.* 25. 26. & 27.

* 4 *Quid si* Confessor in confessione audivisset tale peccatum, cuius revelatio esset proficua conservationi totius Ecclesiæ, vt, si quidam Tyrannus eam vellet evertere? *Ratio dubitandi est*: Quia bonum commune præferendum est privato. *Dico*: Nec in eo casu licet revelare. *Ratio*: Bonum commune est quidem præferendum bono privato, attamẽ per media ordinata; immò hic non tã attenditur ad bonum particulare pœnitentis, quam ad commune totius Ecclesiæ, quod periclitaretur, vt patet ex dictis. Sicut ergo si quis Tyranus præciperet, vt aliquis fornicetur, vel blasphemet, sin minùs, quòd

vellet

velit omnes fideles occidere, non liceret ei obedire. Ita similiter. Ex quibus patet ad rationem dubitandi. Vide in hoc E. Q. 9.

* 5 *Quid si pœnitens* Confessario dicat, quod intendat eum occidere, potestne fugere? *Ratio dubitandi est*: Quia fugiendo prodit peccatum pœnitentis. Nihilhominus *Dico*, quod possit. *Ratio*, & solutio rationis dubij est: quia crimen pœnitentis tunc non manifestatur ex fuga Confessarij; potest enim quis cogitare, quod fugiat ob aliam causam, *v. g.* ob dolores ex improviso advenientes, vel ob temporis inopiam, aut ratione cuiusdam negotij, &c. si verò pœnitens Confessarium insequatur, seipsum manifestat. Vide infrà in hoc E.

* 6 *Datur ne* parvitas materiæ respectu huius sigilli, ita vt revelare solum veniale, sit veniale? *Dico* Non datur; sicut non datur in perjurio. *Ratio*: Licet peccatum veniale secundum se sit materia levis, tamen in ordine ad sigillum confessionis est materia gravissima: possent enim homines meritò timere, ne etiam peccata gravia manifestentur. An id possit fieri cum licentia pœnitentis, dicetur statim. Vnde:

* 7 QUÆRO III. Potestne Sacerdos de licentia confitentis eius peccatum in Confessione auditum revelare? *Resp. affirm.* cum *S. Thom. a.* 4. nimirum si sit licentia expressa; interpretativa enim, vel præsumpta per modum ratihabitionis non sufficit. *Ratio* Tum quia confitens potest facere vt illud, quod Sacerdos sciebat tantum vt Deus, sciat vt homo, quod fit per licentiam. Quæ quod debeat esse expressa, est, quia est in re gravissima. *Tum etiam*, quia secretum ex natura sua dependet à voluntate committentis, sicut depositum à voluntate deponentis. *Tum tandem*, quia totum ius sigilli primariò est in favorem pœnitentis; ne confessio ipsi fiat onerosa, & odiosa, & in favorem aliorum solum consecutive: Sed quilibet potest cedere favori primario sibi concesso. Ergo.

Dixi, *primario*, ad insinuandam differentiam à privilegio fori Clericis concesso; nam lex, qua eos eximit à foro civili, primario est condita in favorem status Clericalis, attendendo ad illius dignitatem, & decentiam, & non in favorem cuiusvis particularis personæ. Et ideò nullus Clericus potest cedere juri suo, vt à Judice sæculari judicetur.

* 8 *Oppono* 1. Quod non potest superior, nec potest inferior: sed, vt antea dictum, Papa non potest aliquem licentiare, vt revelet, quod in Confessione audivit. Ergo nec pœnitens confessario ad id licentiam dare. 2. *Quod* est institutum propter bonum commune, non potest ex arbitrio vnius irritari: Sed celatio confessionis est instituta propter bonum commune totius Ecclesiæ. Ergo. 3. *Si Pœnitens* Confessario suo potest dare hanc licentiam, pallium malitiæ datur malis Sacerdotibus: Sed hoc est inconveniens. Ergo. *Prob. mai.* Quia revelando audita in confessione possunt prætendere esse sibi à pœnitentibus datam licentiam. Ergo. 4. *Si cum* licentia pœnitentis possit Confessor peccatum revelare: ergo is, cui ille licentiatus revelat, potest iterum alijs revelare. *Hæc suo ordine solvit S. D. a.* 4.

Ad 1. *dist. mai.* Si cætera sunt paria, *conc*, *secus*, *negatur*. Disparitatem dat S. D. dicens: *Papa non potest licentiare Sacerdotem ad dicendum, quia non potest facere, quod illud sciat vt homo, quod tamen facere potest ille, qui confitetur. Ad* 2. conceditur totum, sed negatur, quod irritetur in eo casu id, quod propter bonum commune est institutum. *Quia sigillum confessionis non frangitur*, ait S. D. *cum dicitur, quod alio modo scitur. Ad* 3. negatur *mai.* Ad *prob. dist. ant.* Quam tamen licentiam debent probare, *conc*, *secus*, *negatur*. Vnde ex hoc non datur impunitas malis Sacerdotibus, ait S. Thom. quia imminet eis probatio (si accusantur) quod de licentia confitentis revelaverint. *Ad* 4. negatur. *Illatum*: Quia ille, ad quem notitia peccati devenit mediante Sacerdote de voluntate confitentis, participat in aliquo actu Sacerdotis. Et ideò simile est de eo, & de interprete, nisi forte peccator velit, quod ille absolutè, & libere sciat, ait S. D.

* 9 QUÆRO IV. Qui aliquid scit per confessionem, & etiam alio modo, potestne illud alteri revelare? *Resp.* cum *S. Thom. a.* 5. *in c. dicendum*: Opinio communior est, quod illud, quod homo aliàs scit, sive ante confessionem, sive post, non teneatur celare quantum ad id, quod scit vt homo. Potest enim dicere: scio illud, quia video, teneor tamen celare illud, inquantum scit vt Deus. Non enim potest dicere: Ego hoc audivi in confessione. Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere, ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas. Ita S. D. *Ratio*: ibidem in sed Contra *Tum quia* nullus potest alium obligare, ad quod non erat obligatus, nisi sit suus Prælatus, qui obligat cum præcepto: sed ille, qui sciebat alicuius peccatum per visum, non erat obligatus ad celandum. Ergo. *Tum etiam*, quia aliàs posset impediri justitia Ecclesiæ, si quis, vt evaderet sententiam ex communicationis ferendæ in ipsum propter peccatum, de quo convictus est, confiteretur ei, qui sententiam ferre debet: sed iustitiæ executio est in præcepto. Ergo.

Oppono: Duorum, quod est altero potentius, trahit ad se reliquum: sed scientia, qua quis scit peccatum vt Deus, est potentior, & dignior scientia, qua scit peccatum vt homo. Ergo trahit ad se eam, vt nec per eam possit revelari. *Ad hoc S. Tho. ibid. ad* 3. *dicit*. Maiorem esse intelligendam de duobus, quæ habent oppositionem; sed scientia, qua scit aliquis peccatum vt Deus, & illa, qua scit vt homo, non sunt oppositæ. Et ideò ratio non procedit.

* 10 QUÆRO V. Per quam confessionem quis tenetur ad observantiam sigilli? Item caditne sub sigillo quidquid in Confessione auditur? *Resp.* 1. *ad* 1. *p.* Tenetur per omnem, & solam Confessionem sacramentalem, quæ est, dum fit animo se accusandi, & peccata clavibus Ecclesiæ subijciendi, ad obtinendam absolutionem, licèt hæc fortè non detur, vel ex defectu requisitæ dispositionis in pœnitente, vel defectu potestatis in Sacerdote. *Ratio*: Nisi hoc dicatur, confessio redditur valde odiosa, & onerosa.

Resp. 2. Laicum se Sacerdotem simulans, & alterius, bona fide accedentis, peccata audiens, tenetur sigillo. *Ratio*: Quia iuxta dicta est confessio sacramentalis, non quidem in re, sed à pœnitente in prudente æstimatione sic iudicata. Dixi, *bona fide*; si enim Pœnitens sciat fictionem, non consurgit sigillum, sicut nec quando quis accedit ad verum Sacerdotem animo illudendi, aut Confessarium ad crimen pertrahendi: Quia non est vllatenus confessio sacramentalis.

* 11. *Resp.* 3. Directè sub sygillo cadit quidquid est materia confessionis, hinc rum mortalia in genere, & specie, venialia verò in specie; indirectè peccatum complicis eodem sygillo regitur. *Item* defectus, & imperfectiones pœnitentis, vt quòd sit scrupulosus, morosus, indoctus, tempus impertinentijs, &c. *Item* omnia, per quæ potest deveniri in notitiam peccatoris, aut peccati. *Item* circumstantiæ, & similia, ex quorum revelatione pœnitenti evenire potest infamia, verecundia, confusio, mala suspicio, aliudvè incommodum, vt si quis sit confessus, se illegitimè natum sacros Ordines fuscepisse, se infamibus parentibus natum, iactasse generis nobilitatem, &c. *Ratio*: Quia DD. communiter dicunt, sub sygillo cadere, quidquid confessionem reddit odiosam, vel onerosam; nec distinguuntur inter audita, vel visa. *Nota* tamen, quod si tales defectus iam passim essent noti, non caderent sub sygillo.

Dixi, *venialia in specie*, id est, hoc, vel illud; Quia non est contra sygillum, si Confessor dicat in genere: Petrus confessus est mihi venialia, nullum specificando: si enim est confessus, ad minùs venialia confiteri debuit. *Item* post duorum, vel trium confessionem auditam non licèt dicere, hic mihi est confessus sola venialia; nec licèt vnum laudare ob conscientiæ puritatem, non laudatis alijs. Quia potest oriri suspicio, quòd alij sint confessi mortalia, injiciturque eis verecundia.

Resp. 4. Pœnitentia imposita cadit sub sygillo. *Declaratur*: Si pœnitentia sit signum culpæ mortalis certæ, vel dubiæ, aut peccatorum venialium quoad numerum, vel speciem; frangitur sygillum ea revelando; secùs si sit ita levis, vt ex ea colligi nequeat, nisi quod commune, & notum est, scilicèt pœnitentem fuisse venialia confessum. *Ratio* patet ex dictis *ad Resp.* 3.

* 12. QUÆRO VI. Quinam tenentur ad sygillum confessionis? an & ipse pœnitens? *Resp.* 1. Per se primò, & directè tenetur solus Confessarius, secundariò, & indirectè obligantur etiam alij, sive Clerici, sive Laici, qui sive licitè, sive casu, sive studio peccata ex solâ confessione sacramentali audierunt, vt contingit subindè ijs, qui proximè adstant confessionali. Idem est de interprete. Item de Laico, cuius mentio facta *in R. 2. ad quæst. 5. Ratio* 1. *p.* Quia solus Sacerdos est minister huius Sacramenti. *Ratio* 2. & 3. *p.* Quia res transit cum suo onere, vt solet dici: sed notitia ex confessione comparata habet hoc onus, quòd sygillo silentij debeat manere obligata. Ergo.

* 13. *Resp.* 2. Tenetur sygillo Superior, à quo petitur facultas absolvendi à casu reservato. Vbi bene vide *Not.* Quod aliqui DD. reprehendant illum Superiorem localem, qui Visitatori dicit, in suo Conventu sæpè peti licentiam absolvendi à reservatis. Item tenetur ille, à quo in casu aliquo fuit petitum consilium. Tenetur qui reperit chartam, in qua alterius peccata sunt scripta iam confessa, vel saltem Sacerdoti pro confessione iam porrecta. *Ratio* est adducta pro *R.* 3. *ad q.* 5. & *pro* 2. *p. R.* 1. *q.* 6. Dixi, *iam confessa*; si enim quis inveniat illam chartam ante confessionem inchoatam, non tenetur sygillo, benè tamen ad secretum naturale vi illius præcepti naturalis. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hinc si ea charta contineretur aliquod crimen vergens in damnum innocentis, vel Reipublicæ, tenetur illud revelare. Cuius ratio patet in hoc *Exam.*

* 14. *Resp.* 1. Licèt aliqui DD. teneant, etiam ipsum pœnitentem teneri obligatione sygilli circa ea, quæ in Confessione à Confessario audit, & circa quæ interest Confessarij: probabilius tamen est, quòd solùm teneatur obligatione secreti naturalis. *Ratio*: Tum quia obligatio sygilli est in favorem solius pœnitentis, & non Confessarij. Tum etiam, quia, vt ex dictis patet, obligatio sygilli solùm cadit super illa, quæ clavibus Ecclesiæ subijciuntur, & Sacerdoti manifestantur.

* 15. QUÆRO VII. Licètne Confessario notitia confessionis vti ad regimen externum pœnitentis? ad negandum votum pro electione, vel beneficio, aut officio? vel ad loquendum de peccatis cum pœnitente? *Resp.* 1. negativè. *Ratio*: *Tum* quia est indirecta saltem fractio sygilli, confessione reddens odiosam. *Tum* etiam, quia sygillum non solùm obligat Confessarium erga alios, sed etiam erga ipsum pœnitentem. Hinc discant cautè agere Concionatores in Cathedris, in vitia invehentes, & Magistri Novitiorum in Claustris, ac Monialium Confessarij ijs concionantes, defectusque reprehendentes: facilè enim contingit, pœnitentes, seù confessos pudore confundi.

Resp. 2. De auditis in confessione loqui absque vlla manifestatione pœnitentis, & sine periculo cognitionis, aut suspicionis eius, non est peccatum: magna tamen cautela hac in re est necessaria. *Ratio*: Quia nulli fit injuria, nec confessio redditur odiosa.

Resp. 3. Sine expressa licentia pœnitentis non licèt Confessario de auditis in Confessione cum eo, etiam solo, loqui extra confessionem. *Ratio*: Tum quia per sygillum Confessario clauditur os. Tum etiam, quia pœnitenti confessio redderetur odiosa, vide in hoc *Exam. num.* 17. *ad* 5. quòd nec duo Confessarij eiusdem pœnitentis possint inter se loqui de peccatis eius.

Resp. 4. Practicè probabilius est, quòd non petita etiam licentia, possit Confessarius extra confessionem pœnitenti loqui de auditis in priori confessione, si prudenter judicetur necessarium. *Ratio*: Tum quia id fit in eodem foro pœnitentiali, in quo Confessor, vt pœnitentem curet (sicut tenetur) interdum eget reflexione super peccata præterita, quæ proindè aliquo modo spectant ad præsentem confessionem. Tum etiam, quia ita confirmat praxis Confessariorum ex præcedentibus confessionibus sæpè colligentium consuetudinem, & recidivam peccati, ac pœnitentis dispositionem, vel indispositionem ad absolutionem.

* 16. QUÆRO VIII. Licèrne Confessario notitia confessionis vti ad corrigendum complicem ad petitionem pœnitentis? *Resp.* 1. Pœnitenti nunquam licèt in Confessione Confessario manifestare personam complicis ob solùm finem correctionis fraternæ, vel denuntiationis, vel ad bonam gubernationem Communitatis. *Ratio*: Tum quia confessio per se non ordinatur ad correctionem fraternam. Tum etiam, quia licèt pœnitens, possit Confessario dare licentiam loquendi de peccatis proprijs, non tamen de alienis. Vide suprà *Exam.* 6. *num.* 10. *q.* 4. de integritate confessionis quoad revelationem complicis.

Resp. 2. Etiam regulariter loquendo Sacerdoti non licèt à pœnitente exigere, vt ob finem correctionis complicem sibi extra confessionem manifestet.

Ratio:

Ratio : Tum quia exindè facilè sequuntur multa pusillorum scandala, putantium violari sygillum Sacramenti. Tum quia regulariter sunt multi alij, qui talem correctionem melius facere possunt quam Confessor, cui complex non est confessus.

Quid si præter Confessarium nulla alia persona ad talem correctionem apta inveniretur? *Dico*, dato hoc casu, qui rarissimus est, posset Confessarius obligare pœnitentem, vt extra confessionem sibi manifestet complicem; modò nullum possit subsequi scandalum, irreverentia, vel odium Sacramenti, fractio sygilli, effetque casus extremæ necessitatis, maximi boni, vel ad defendendum proximum, vt docet noster Nugno.

* 17 QUÆRO IX. Quomodo resolvis hos casus? *Primò* : Confessor pœnitenti ob indispositionem non absoluto renuit dare schedulam, seu testimonium Confessionis, frangitne ob hoc sygillum? 2. *Sacerdos* in confessione audivit tali nocte grave incendium; vel homicidium esse patrandum, quod Judicibus aperit sic: *Vigilate, quia accidere possunt aliquâ detrimenta, attendite, vel cavete vobis*; Judex vigilando malefactores deprehendit, & punit, frangiturne sygillum? 3. *Potestne* Confessarius pro explicatione proprij peccati in confessione peccatum alterius in confessione auditum revelare? 4. *Potestne* Confessarius scientia confessionis vti ad evitandum grave periculum proprium, vel aliorum, spirituale, vel temporale? 5. *Sunt duo* Confessarij, qui eiusdem pœnitentis peccata in confessione audiverunt, possuntne illi (absque expressa pœnitentis licentia) saltem pro salute eius de peccatis illius inter se loqui.

Ad 1. R. Si alij sciant, quòd pœnitens hunc Confessarium accesserit, & ipse schedam absolutè petat, tenetur eam dare, ne denegando eum prodat, & sygillum frangat. Nec Confessarius eam dando mentitur, quia solum testatur esse confessum. Si pœnitens ex hoc captet occasionem perseverandi in malo, peritio eius ex ipso est. Cæterùm si nullus alius sciat, quòd pœnitens hunc Confessarium accesserit, schedam negando, non frangit sygillum: Quia nec verbo, nec facto pœnitentis peccata prodit, vt suppono, sed solùm confessionem factam positivo testimonio non approbat, ad quod non tenetur. *Ad* 2. Non frangit sygillum, quia delictum fit publicum sine deordinatione sygilli: non tamen licèt delictum specificare; ait hoster *Candidus*. Hoc statim magis patebit *in* R. *ad* 4. *Ad* 3. R. negativè. Quia sygillum strictiùs, vtpotè sub periculo mortis, obligat, quàm præceptum de integritate confessionis, à qua minora mala excusant, vt patet suprà in *in E.6 n.4.* R. 3.

Ad 4. R. posse, dummodo Sacerdos ita cautè, & prudenter agat, vt ad minùs alij non advertant, cum tali scientia vti, & nullus pudor, vel confusio pœnitenti oriatur. Ex quo sequitur, quòd Confessarius ex confessione cognoscens sibi in via parari insidias, vel venenum in Calice pro Missa, possit manere domi, vel viam declinare, aut Missam omittere, aliam causam sine mendacio allegando. Si ex confessione cognoscat suum Confessarium iurisdictione carere, aut res suas sibi furto esse ablatas, potest alium Confessarium eligere, & res suas melius custodire. Alium casum vide suprà in hoc *E.7.n.5. Ad 5.* R. non posse: Quia quod intra iudicium Sacramenti est sygillatum, non licèt extra illud alio sermone aperire, licet vtrique cognitum sit. Alia ratio patet in hoc *Exam. num.15. pro* R. 3.

EXAMEN VIII.

De Satisfactione, eius quidditate, ac qualitate.

S. Thom. in Supplem. quæst. 12. *vsque ad* 15. *inclusivè.*

§ 1 QUÆRO 1. Quid est satisfactio in præsenti? Quotuplex? Potestne homo pro pœna temporali, suo, vel alieno peccato debita, condignè satisfacere, quæ satisfactio, vt effectum habeat, quas conditiones requirit?

Resp. 1. Satisfactio in genere significat compensationem offensæ, seu injuriæ alteri illatæ, vt patet ex *S. Thom. hic, q.* 12. *art.* 3. *in corp.* Differt à restitutione, quæ versatur circa res alienas invito domino ablatas, reddendo eas, vel æquivalens: Item à satisfactione pœnæ à principio extrinseco, v.g. Judice inflictæ, vt sit etiam in Purgatorio.

Resp. 2. Satisfactio pro peccatis est duplex: Vna sacramentalis, altera non sacramentalis. Prima (*de qua q.* 2. *sequenti*) ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *definiri potest*, quòd sit actio per quam in Sacramento Pœnitentiæ, aliquam iuxta sententiam Sacerdotis, Deo pro peccatis tributimus compensationem. Licèt enim peccata per Sacramentum iam sint remissa, vt supponitur, adeòque pro eis non fiat amplius satisfactio, restat tamen eorum effectus, scilicèt pœna temporalis, in quam æterna commutatur, vt patet suprà *E.* 2. *n.* 18. Altera est per opera à Sacerdote non iuncta, sed sua sponte assumpta, punitio sui ad compensandam iniuriam Deo per peccata illatam, ad eumque sit placandum, vt pœnam temporalem remittat. Ex quo sequitur, quòd satisfactio licèt imperativè sit à charitate, elicitivè tamen sit actus virtutis pœnitentiæ. De qua suprà in hoc Tract. *E.* 1. *n.* 13. *& seqq.* Vt etiam docet S. T. *hic, q.* 12. *art.* 1.

Resp. 3. Homo iustus verè, & quidem de condigno satisfacit pro pœna temporali, peccato suo debita, iuxta S. Thom. *q.* 13. *art.* 1. non tamen de rigore iustitiæ. *Ratio* 1. *p.* Satisfactio hominis iusti potest habere qualitatem, si non physicam, saltem moralem; ac proportionalem ex dignitate formæ sanctificantis, scilicèt gratiæ, cum pœna temporali, peccato suo etiam mortali debita, quia pœna illa est finita in intensione, & duratione.

Ne hoc derogat satisfactioni Christi; licèt enim illa in se, seu in actu primo, vel quoad sufficientiam sit infinita simpliciter, & plenissimè pro nobis satisfecerit, debet tamen nobis applicari, nosque debemus eius participes fieri; quod fit per Sacramenta, per bona opera, per nostram devotionem, quæ tamen cùm sint finita, etiam finito modo nobis applicatur, sicut suprà *T.* 12. *E.* 5. *n.* 7. dictum est de valore Sacrificij Missæ. Ex quo clarè patet, quàm malè inferant hæretici, ex eò sequi, quòd homo sit sibi redemptor, & quòd pœna nobis non remittatur gratis, seu ex gratia Christi, sed ex operibus nostris: malè, inquam, quia corde, & ore profitemur, operibus nostris nullâ inesse vim, nisi ex gratia Redemptoris.

Ratio 2. *p.* Vt aliqua satisfactio sit ex rigore justitiæ, non sufficit eam esse ad æqualitatem, & tantum solvi à debitore, quantum debetur creditori, sed vltra hoc requiritur, quòd non fundetur in gratia creditoris, & fiat ex bonis proprijs, nullo alio titulo creditori debitis: sed, vt patet, hoc nequit dici de satisfactione hominis. Ergo.

* 3 *Resp.* 4. Ad satisfactionem requiruntur triplicis generis conditiones. 1. *Aliqua* ex parte satisfacientis. 2. *Alia* ex parte operis. 3. *Ex parte* Dei. *Declaratur*: Ex parte satisfacientis requiritur 1. *quòd* sit in via; Quia post hanc vitam, vti non datur locus meriti, ita nec satisfactionis, sed solùm satisfassionis in Purgatorio: 2. *Vt fit* in gratia, hæc enim operibus nostris (vtpotè secundùm se pœnis purgatorij improportionatis) debet dare valorem, & condignitatem.

Ex parte operis requiritur 1. *vt sit* liberum; Quia sicut in naturalibus, seu non voluntarijs, vel non liberis, non meremur, nec demeremur, ita nec satisfacimus. Hinc per flagella, seu calamitates huius vitæ non satisfacimus quidem inquantum præcisè infliguntur ab extrinseco, nimirum à Deo, cùm taliter non sint nobis libera; benè tamen inquantum voluntariè ea accepramus, & patienter toleramus: vt patet ex S. Thom. *hic q.* 15. *art.* 2. Hoc notent podagrici, aut similibus morbis afflicti, qui si ex impatientia execrentur, jurent, sibi, alijsve mala imprecentur, merentur maiores pœnas in Purgatorio, vel in inferno luendas. Si verò patienter ferant, Purgatorium in hac vita solvunt. 2. *Vt fit* opus bonum; mala enim potiùs merentur puniri. 3. *Vt* sit supernaturale, quia debet esse ex meritis Christi, & ex gratia. 4. *Vt fit* pœnale; quia satisfactio fit ad peccata commissa vindicanda, ea in se ipso puniendo, & ad futura cavenda: non enim facilè reddit ad culpam, qui expertus est pœnam. Vide infrà in hoc E. R. 5. Tandem ex parte Dei requiritur acceptatio, seu voluntas remittendi pœnam intuitu talis operis; quia opera nostra Deo iam sunt debita alijs titulis, nimirum Creationis, Redemptionis, Vocationis, &c.

* 4 *Ref.* 5. Potest vnus homo pro alio satisfacere satisfactione non Sacramentali, quatenus hæc est compensantio pœnæ. 2. *Non* tamen inquantum est medicinalis, seu in remedium peccati. Nec satisfactione sacramentali. Ita S. Thom. hic q. 13. art. 2. 1. *Partem* S. D. probat, tum ex illo ad Gal 6. Alter alterius onera portate. Subdens autem *ibid. Apostolus*, vnusquisque onus suum portabit, loquitur tantum de ratione reddenda *Tum* hac ratione: Pœna maximè habet vim satisfaciendi ratione charitatis, & charitas magis potest apud Deum, quàm apud homines: sed vnus homo apud homines potest ex alterius amore debitum eius solvere. Ergo à fortiori apud Deum.

Declaratur vlterius hæc 1. *Pars*. Debitum pœnæ temporalis non est purè personale, nec purè reale, sed mixtum, quod potest solvi, vel ab ipso debitore, vel ab alio. In quo differt *primò* à culpa, quæ est debitum purè personale, & ideò vnus homo non potest pro altero conteri, vel confiteri, sic vt per hos actus alterius peccatum aboleatur, etiam dispositivè, quia dispositio debet esse in disponibili. *Differt* 2. à pœna æterna, quæ quia est pœna primariæ delicti personalis, etiam est debitum purè personale, nec vllus nisi Christus pro eo potest condignum exhibere pretium; in quo sensu intelligitur illud S. *Augustin. Tract* 84. *in Joann.* In fraternorum peccatorum remissionem nullius Martyris sanguis funditur. Verum pœna temporalis solum est pœna secundaria delicti, ideòque est debitum mixtum.

Nec hæc sententia derogat Christo, cui pro alio satisfacere est proprium, vt causæ principali, & vniversali, à qua vim, & efficaciam participat satisfactio particularis; cum quo stat, quod homo possit satisfacere pro alio tanquam gerens vices eius. Vt enim quis pro alio satisfaciat, vt causa principalis, ac vniversalis, debet habere satisfactionem superabundantem; vt vices gerens autem pro alio satisfacere potest, etsi ipsemet satisfactione indigeat. Sicut in humanis vnus pro altero potest solvere debitum, licet ipsemet debeat. Vbi.

Nota ex S. Thom. hic q. 13. art. 2. ad 3. quod *qui ex charitate pro alio meretur, saltem merito congrui etiam sibi magis meretur, non autem ille, qui pro alio satisfacit, etiam pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad vtrumque peccatum, tamen satisfaciendo pro alio, sibi meretur aliquid maius, quam sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam.* Disparitatem ibidem dat: *Quia in solutione debiti attenditur quantitas pœnæ; sed in merito attenditur radix charitatis.*

2. *Partem S. D. ibidem in c.* probat ex eo; Quia medicina recipi debet in eo subiecto, in quo est morbus, & cui applicatur, ieiunio enim vnius non domatur caro alterius, nec ex actibus vnius alius bene agere consuevit; nisi secundum accidens, in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alicui mereri augmentum gratiæ, quæ est medium efficacissimum ad vitandum peccatum; quod magis est per modum meriti, quam satisfactionis. Ergo. *Nota*, quod non omnis satisfactio, præsertim extra Sacramentum, de qua hic est sermo, est medicinalis, nisi latè, impropriè, & remotè: licet enim satisfactio fiat ad futurorum peccatorum cautelam, in eam tamen influxus satisfactionis solum remotè concurrit: proximè verò conducit ad restantis pœnæ temporalis solutionem.

3. *Pars* patet: Quia iuxta *Concil. Trid. & S. T.* materia huius Sacramenti sunt ipsi actus Pœnitentis, qui virtute clavium ad esse Sacramenti elevantur. Ergo.

Opponi potest contra hanc 3. partem, quod Confessor possit imponere pœnitentiam per alium implendam, sed de hoc infrà in hoc Exam. R. 2. ad Q. 6.

* 5 *Resp.* 5. Vt satisfactio vnius alteri prosit, requiruntur quædam conditiones, tum ex parte satisfacientis, tum ex parte eius pro quo satisfacit. *Declaratur*: Ex parte satisfacientis requiritur, quod sit in gratia, cum hæc sit forma dignificans opera. Quod intellige de satisfactione, quæ sit nomine proprio. Nam si quis opera faciat nomine Ecclesiæ, *v. g.* dicendo orationes in Missa, vel in Choro, sunt satisfactoria (iuxta *S. Thom. in 4. d.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 3.) licet ministri sint in statu peccati mortalis; quia tunc non attenditur minister sed is, cuius nomine orat, quæ est Ecclesia, Sponsa sine macula. 2. *Vt possit* opus sufficiens ap satisfaciendum. 3. *Vt* habeat intentionem applicandi, sed opus sibi proficuum transferendi in alium. Ex parte eius, cui satisfactio applicatur, requiritur 1. *quod* sit in gratia, qui enim est in mortali, est indignus remissione pœnæ. 2. *Requiritur* saltem virtualis acceptatio, quæ cen-

censetur esse in omnibus in gratia existentibus, & satisfactione indigentibus.

* 6 QUÆRO II. Satisfactio estne vera pars Sacramenti Pœnitentiæ, causans effectum ex opere operato? Quid si impleatur in peccato mortali? *Resp.* 1. *Satisfactio* sacramentalis est vera pars Sacramenti Pœnitentiæ. 2. *non essentialis.* 3. *sed integralis. Ratio* 1. & 3. *Partis est.* Hoc Sacramentum etsi primariò sit iudicium reconciliatorium rei cum Deo, secundario tamen, & integraliter est vindicativum iniuriæ Deo intentatæ: sed vindicta non est sine pœna. Ergo. 2. *Pars* patet ex dictis suprà in hoc *T. E.* 1. n. 5, *pro R.* 4.

Resp. 2. Satisfactio sacramentalis triplicem habet effectum ex opere operato, scilicet remissionem temporalis pœnæ ex peccatis iam condonatis relictæ. 2. *Auxilia* quædam supernaturalia ad peccata in futurum facilius cavenda. 3. *Augmentum* gratiæ habitualis. *Ratio* 1. & 2. *p.* Iuxta *Trid. sess.* 7. *can.* 6. Sacramenta Novæ Legis ex opere operato, id efficiunt quod significant, cum sint signa practica: Sed satisfactio sacramentalis significat duos primos effectus, vt patet ex dictis in hoc *E n.* 1. *pro R.* 2. & *n.* 25. *pro* R. 4. Ergo. *Ratio* 3. *p.* Pars debet sapere naturam totius, cuius est pars, eo modo quo est capax: Sed satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, & de huius natura est conferre gratiam ex opere operato. Ergo confert gratiam. Sed non potest causare gratiam primam. Ergo secundam, & quasi integralem. Eandem partem clarè docet *S. D.* 3. *p. q.* 90. *art.* 2. *ad* 2. *Ex hac ratione* solvitur illa Obiectio. Quod causat, & significat gratiam in Sacramentis, est pars essentialis. Item Sacramentum, quod causat gratiam secundam, est Sacramentum vivorum. Est enim verum, si sit gratia essentialis, & primaria; secus si integralis, & secundaria.

* 7 *Resp.* 3. Probabilius est, quod Pœnitentia sacramentalis in peccato mortali impleta valeat quidem, seu subsistat, ita vt non sit necessariò iteranda, per eamque satisfit præcepto Confessarij. 2. *Effectum* verò non causat. 3. *Immò* pœnitens peccat sic implendo. 4. *Non* moraliter, sed venialiter. 5. *Sortitur* tamen suum effectum ex opere operato fictione sublata per contritionem, vel attritionem cum Sacramento. Patet ex *S. Thom. q.* 14. *art.* 2. & 3. *Ratio* 3. *p.* Quia pœnitentia non iniungitur cum hoc onore, vt impleatur in statu gratiæ, quamvis consultissimum sit, vt fiat. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia effectui ponitur obex, nimirum tam gratiæ, vt patet, quam remissioni pœnæ, qua mortale cum facit indignum. Ergo. *Ratio* 3. *p.* Qui ponit voluntariè obicem gratiæ, peccat. *Ratio* 4. *p.* Quia ponitur obex solum gratiæ secundariæ, & minus principali, ac effectui partiali; adeòque non est materia gravis, nec solent homines de hoc se accusare. Ergo.

Ratio 5. & 6. *Partis*: Pars Sacramenti debet imitari naturam Sacramenti: sed satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, & hoc si sit validum informe, recedente fictione obtinet ex opere operato suum effectum. Ergo & satisfactio. *Min.* est probata suprà de omnibus Sacramentis, *T.* 11. *E.* 2. *num.* 8. Vbi etiam patet, quòd illa Sacramenta, quæ aliquem effectum relinquunt, recedente fictione suum effectum causent physicè, alia verò moraliter. Vide etiam de Confessione informi suprà in hoc *Tract. Exam.* 6. *num.* 3.

Dixi, *ex opere operato*; Quod enim non habeat effectum ex opere operantis, patet ex dictis suprà in hoc *Tract. E.* 2. *n.* 15. Et hoc vult S. Thom. *hic, q.* 14. *art.* 3. *in corp, docens*: Quod charitas adveniens non possit opera extra charitatem facta, facere grata, sive quoad esse meritorum præmij supernaturalis, sive quoad esse satisfactorium. Dixi, *præmij supernaturalis*; Nam de remuneratione temporali (quam merentur ex congruo, solùm, quia sic decet divinam Bonitatem, (vt loquitur S. Thom. *hic, q.* 14. *art.* 4. *in corp.*) iam admissum est suprà in hoc *Tract. num* 25.

* 8 *Sed nonne* opera bona extra charitatem, seu in statu peccati mortalis facta, quæ dicuntur mortua, saltem alleviant pœnam inferni, vel purgatorij?

Dico cum S. Thom. *hic, q* 14. *art.* 5. Licèt hæc opera neminem à pœna æterna liberare possint. 2. *Nec* etiam propriè diminuant pœnas inferni, fortificando subiectum, seu ei conferendo maiorem virtutem in resistendo, vt habeat minùs de passibilitate. 3. *Dici* tamen possunt eam diminuere in hoc sensu, quatenùs scilicèt per ea meritum maioris pœnæ inferni impeditur.

Ratio 1. & 2. *p.* Nullus liberatur à pœna, nisi sit liberatus à culpa, & effectus culpæ non diminuitur, vel tollitur, nisi & ipsa diminuta sit, vel sublata, quia effectus culpæ iuxta eam mensuratur: Sed dicta opera non tollunt, nec diminuunt culpam, & pœna inferni est effectus eius, vti & passibilitas maior, vel minor iuxta quantitatē eius. Ergo. *Ratio* 3. *p.* Tum quia homo per talia opera secundùm se bona evadit reatum omissionis. Tum etiam, quia aliquo modo disponunt ad bonum, ac ad gratiam saltem negativè, inquantum homo non ponit novum gratiæ impedimentum, sed à pluribus alijs peccatis (quæ fortè commisisset, eaque committendo maiorem inferni pœnam promeruisset) retrahitur, & non peccat ex tam gravi contemptu. *Ergo* 3. *pars* est vera. In hoc sensu intelligitur *S. August.* in Enchirid. *dicens*: Quòd opera bona ad hoc prosint, vt plena sit remissio, vel tolerabilior fiat damnatio. Item in eodem sensu merentur diminutionem, vel dilationem pœnæ temporalis, aut patet ex *S. Thom. art. cit, in corp.*

* 9 QUÆRO III. Teneturne Confessor pœnitenti satisfactionem, seu pœnitentiam injungere, & hic eam acceptare, statimque implere? Vel licène eam remittere ad Purgatorium? *Resp.* 1. Confessarius per se loquendo sub mortali tenetur confitenti iniungere pœnitentiam. Patet ex Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 18. *Ratio*: Tum quia non iniungendo Sacerdos in re gravi agit contra Sacramentū, quod relinquit imperfectum, & mutilum, nimirum parte integrali destitutum: Tum etiam contra suum officium, vt Iudicis, cuius est lata sententia infligere pœnam: & vt Medici, cuius est præscribere medicinam. Ergo.

Dixi, *per se loquendo*; Excipitur enim casus moribundi post data doloris signa absoluti, sensibus destituti, cui pœnitentia iniungi nequit. *Nota* hic, quod si infirmus vtatur ratione, iniungenda est brevis, & discreta, viribus infirmi proportionata pœnitentia, *v. g.* vt pectus tundat, Crucem osculetur, dicat, Jesus, & Maria. Vel, Deus propitius esto mihi peccatori. Vel iniungat pœnitentiam sub conditione, si convalescat, aut vt morbi molestias in satisfactionem de manu Domini patienter suscipiat.

Resp. 2.

Resp. 2. Probabilius est, quod pœnitens antè acceptam absolutionem (dummodo non sit error ex parte Sacerdotis pœnitentiam iniungentis) sub mortali teneatur eam acceptare, & velle implere; 2. *Licet* solùm sit de venialibus, aut mortalibus iam confessis; 3. *Nec* possit eam remittere ad Purgatorium.

Ratio 1. *p.* Reus instam pœnam tenetur subire, & in ea Judici parere. *Ratio* 2. *p.* Etsi talis pœnitentia secundùm se sit res levis, attamen in quantum est pars integralis Sacramenti, sine qua est totaliter mancum, & mutilum, est res gravis. Ergo. Dixi, *totaliter mancum*; si enim maiorem pœnitentiæ partem persolvat, omittat verò levem partem eius, peccat solùm venialiter.

Oppono: Pars illa potest esse maior, quam aliqua pœnitentia totalis. Ergo si hanc omittere, sit semper mortale, etiam ibi erit. *Ad hoc dist. antec.* Potest esse maior materialiter, *conced.* formaliter, *neg.* Quia in præsenti gravitas materiæ non pensatur ex quantitate rei, sed formaliter desumitur ex maiori necessitate nimirum propter integritatem Sacramenti.

Ratio 3. *p.* Qui pœnitentiam remittit ad alteram vitam, peccat, tum contra Sacramentum, quod mutilat; tum contra Judicem, cui non paret; tum contra charitatem propriam relicto faciliori medio satisfaciendi, vt sunt pœnæ huius vitæ, assumendo difficillimum. Ergo. Fateor tamen, quòd absolutè loquendo, & spectata præcisè natura rei id quidem posset; defacto tamen, & suppositâ institutione huius Sacramenti, id non possit.

* 10 *Resp.* 3. Pœnitentia debet impleri prima commoditate, aut tempore, quod Confessor designavit, paulò vlteriùs eam differre, nō est mortale, sed veniale. *Ratio* 1. *p.* Quia hæc censetur iusta Confessarij præcipientis intentio, cui reus parere tenetur. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Præceptum Confessarij communiter magis cadit super rem præceptā, quàm super tempus. Ergo. Ex quo sequitur, quod si Confessor pœnitentiam limitavit per hebdomadam, vel mensem, *v. g.* vt semel in hebdomada, vel mense communicet, potest eam per aliquot dies differre, *v. g.* quia instat festum, vel indulgentia lucranda. Quia Confessarius non censetur tam immobiliter præfixisse terminos.

Resp. 4. Licèt pœnitens non teneatur, etiam dum potest, pœnitentiam implere ante sacrā Communionem, tenetur tamen antequam de novo confiteatur. *Ratio*: Ante novam Sacramenti Pœnitentiæ receptionem, tenetur præcedens perficere, in quo pœnitentes à Confessarijs sunt instruendi.

* 11 *Resp.* 5. Quando Confessarius determinat diem, seu opus alligat diei, peccat pœnitens mortaliter differendo, & tempore elapso deobligatur, & peccatum omissionis nova confessione est expiandum, *Ratio* patet à pari de alijs præceptis diei alligatis, *v.g.* Jeiunij, Missæ, Breviarij. Ex quo colligitur, si opus sit iniunctum absolutè, & non alligatum certo tempori, eo elapso adhuc sub peccato esse persolvendum.

Difficultas est, quomodo sciatur, an opus alligetur diei; interdum enim videtur esse alligatum, vt si Confessarius dicat, Die Veneris in honorem Passionis Domini ieiunabis, in Sabbatho in honorem B. V. cum tamen aliquando non sit alligatum, eò quòd præsumatur subinde Sacerdos magis intendere ad substantiam operis, quam ad determinationem temporis, & tunc dilatio brevis saltèm non est mortalis. Pro documento sit hæc Regula, dicendo, In honorem diei Veneris, quo Christus est passus, aut diei Sabbathi, qui B. Virgini est consecratus, ieiunabis, hac expressione videtur sacerdos opus alligare diei. Consultiùs faciet pœnitens, si Confessorem de intentione interroget, & Sacerdos mentem suam clarè explicèt.

Resp. 6. Differre impletionem pœnitentiæ per annum, sicut potest differri confessio, est peccatum mortale. *Ratio* patet ex dictis: Quia Sacramentum tanto tempore relinquere mutilum, est res, & irreverentia gravis. *Resp.* 7. Quantum dilationis tempus in præsenti requiratur ad mortale, standum est arbitrio viri docti, & prudentis. *Ratio*: Quia possunt occurrere circumstantiæ rem immutantes.

* 12 QUÆRO IV. Quantam, & qualem Pœnitentiam teneatur Confessor Pœnitenti iniungere? & qualia opera? *Resp.* 1. ex Concil. Trid. cuius verba, Credo digna, cuiusvis Confessarij animo altissimè imprimenda, *Sess.* 14. c. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & Prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis connivent, & indulgentiur cum pœnitentibus agant, leviſsima quædam opera pro graviſsimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum tantum datæ sunt, sed & ad liigandum conceſſas, antiqui Patres, & credunt, & docent.* Notent hoc Confessarij, qui pro graviſsimis flagitijs, nonnisi pauca *Pater*, & *Ave* imponunt. Qui reddent rationem villicationis suæ in illa die. Vide in *E. 5. n. 56.*

Resp. 2. Duæ illæ benigniorum Confessariorum Maximæ, *Tutius est animam cum parva pœnitentia impleta mittere ad purgatorium, quam cum magna non impleta mittere ad infernum. Facilius est reddere Deo rationem de nimiâ misericordia, quam de nimia iustitia*, non sunt tolliter abijciendæ, sed in sano sensu intelligendæ, & ample tendæ, etiam in praxi. Pro quo vide, *numero seq.*

Hic sanus sensus indicatur ab ipso *Concil. Trid. cit.* quod statuit, vt pœnitentia iniungatur non solum pro *qualitate criminum*, sed & pro *facultate pœnitentium*; vt pauperi non iniungatur eleemosyna, sed diviti; Operario non iniungantur ieiunia, sed orationes, cum suo labore compatibiles: Superbo imponat actus humilitatis, attamen conditioni proportionatos; diviti avaro eleemosynas plebtioso, luxurioso, ieiunia, &c. singulis enim morbis convenientia sunt adhibenda remedia. Juxta dicenda R. 3. Pro quo etiam vide in Tract. primo præmiali ad *Q. 5.*

Qua in re Confessario magna opus est prudentia. Potest namque minorem pœnitentiam iniungere intuitu indulgentiarum hic, & nunc lucrādarum, ac intuitu impedimentorum, & laborum quibus pœnitens, quasi quotidiè distrahitur, aut si pœnitens det extraordinaria signa excellentis Contritionis. Hinc optimè facit Confessarius interrogando pœnitentem (præsertim, si sit timoratæ conscientiæ) an fidat sibi pœnitentiā hanc persolvere; illumque hortando, vt agnoscat, hanc pœnitentiam respectu peccatorum esse parvam, & vt id, quod deest, sup-

suppleat per sua bona opera ad eum scopum applicanda. Item ei in memoriam revocet, olim pro uno maiori peccato mortali 7. annorum pœnitentiam fuisse iniunctam, immò decem annorum pro apostasia à fide, etiam metu persecutionis facta. Qui tamen Canones pœnitentiales non sunt amplius in usu. Hinc benè facit Confessor addendo post absolutionem illa verba: *Quidquid boni feceris, aut intendis facere, &c.* quæ non esse merè deprecatoria, sed sacramentalia, varij AA. colligunt ex S. Thom. *quodlib.* 3 *art* 28.

Item S. D. in eodē *quodlib. art.* 29. docet, quod si quis pœnitens ad horas obligatus omittat vno die totum Officium divinum, pro pœnitentia ei esse injungendum, vt oret 7. *Psalm.* Pœnitentiales; aut plus secundum qualitatem Officij Divini.

* 13 *Resp.* 3. Quanta, & qualis sit pro peccatis imponenda satisfactio, scire Confessor, si curet, vt sit commensurata his tribus, nimirum peccatori, peccato, & fini; sicut medicina debet esse proportionata infirmo, infirmitati, & intentæ sanitati. *Declaratur* ex Caietano: Oportet videre, an pœnitens sit animo debilis, vel fortis, ac promptus ad satisfaciendum. Sicut enim homini corporaliter infirmo, si fortis sit, & vires habeat, potest dari fortis medicina, non tamen debili, ita pœnitenti robusti animi imponenda est satisfactio, quam meretur: ille verò, qui est debilis animi, parva, iuxtà animi debilitatem, vt parvulus ignis foveatur appositâ palea, nec suffocetur magnis lignis desuper appositis. Pro quo vide *R.* 2 *ante posita.*

Considerandum vlteriùs, quo morbo pœnitens laboret: luxuria enim ieiunio; avaritia, curatur eleemosyna; blasphemia, divinis laudibus. Vt plurimum etiam observet Confessor, vt pœnitenti præscribat remedia, quibus obtentam animæ sanitatem conservet, quæ remedia sunt præcindere peccatorum causas, seu occasiones, talem conversationem, cohabitationem, huius, vel illius domus ingressum, &c. Cavendum etiam est, ne imponatur pœnitentia, cuius impietio pœnitentem possit manifestare; aut scandalum parere, *v.g.* imponere ieiunia puellis, diebus extraordinarijs servanda, per quæ veniant in suspicionem.

Resp. 4. Potest ex præfatis causis Sacerdos interdum vni pœnitenti pro culpa minori, vel pari maiorem pœnitentiam imponere, quam alteri, *v.g.* Juveni pro fornicatione maiorem, quam Seni, quamvis Juvenis minùs peccet. *Ratio*: Quia hoc peccatum in juvene habet maius incentivum, quam in sene, ait Lublino. De quo vide supra de causa involuntarij *T.* 3. *E.* 1. *n.* 25.

* 14 *Resp.* 5. Satisfactio sacramentalis non solùm debet esse medicinalis, sed & pœnalis. Opera satisfactoria pœnalia sunt potissimum tria, scilicet: eleemosyna, ieiunium, & oratio. Ita patet ex S. Thom. hic, q. 15. art. 1. & 3.

Prima, & 2. pars patent ex Trident. *cit.* & alijs, iam dictis, ac probantur à S. Thom. *art.* 1. in Sed contra, hoc syllogismo: Per satisfactionem oportet peccati vulnus sanari perfectè: Sed peccatorum medicinæ sunt pœnæ, vt Philosophus dicit in 2. *Ethic.* Ergo.

Ratio alia à S. D. datur in c. satisfactio respicit offensam præteritam, vt compensandam; & futuram, vt ab eo præservet: Sed ad vtrumque requiritur pœnalitas. Ergo. *Min. prob.* Compensatio offensæ illatæ fit per hoc, quòd compensans aliquid subtrahatur, & detur alteri: Sed per opus bonum præcisè vt tale, operanti nihil subtrahitur, sed is per illud magis perficitur; subtrahitur autem per illud, vt est pœnale, vt patebit ex dicendis pro 3. *p.* Deindè pœna etiam præservat à culpâ futura, vt patet tum ex Philosopho antè citato, tum ex dictis suprà in hoc *Exam. n.* 73. Ergo. In R. *ad* 1. *ibidem S. D. docet*, quòd quamvis Deus non delectetur in pœnis, vt sunt pœnæ; delectatur tamen in eis, vt sunt iustæ, & sic satisfactoriæ esse possunt.

3. *pars* declaratur à S. Thom. *art.* 3. *in corp.* Satisfactio, vt dictum est, debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei; nos autem non habemus, nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam, sed ex bonis corporis per ieiunium: ex bonis autem animæ non oportet, quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc, quòd ea submittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem. Ergo.

Nota *ex S. Thom. ibid. ad* 3. ad ieiunium referri quidquid corpus affligit, vt sunt vigiliæ, peregrinationes, cilicia, flagellationes, &c. Deindè quidquid expenditur in vtilitatem proximi, habet rationem eleemosynæ, vt sunt opera *Misericordiæ*, sive corporalia, sive spiritualia. Similiter quæcumque latria Deo exhibetur, vt votum, Sacrificium, genuflexio, &c. reducitur ad orationem. Et ideò etiam vnum opus potest habere plures rationes satisfaciendi. An flagella huius vitæ sint satisfactoria, vide suprà in hoc Exam. num. 3.

Declaratur vlteriùs cum S. Thom. *ibidem*. Latet in his tribus operibus medicina peccatorum: Nam extirpant in nobis tres peccatorum radices: Oratio, qua nos, & omnia nostra Deo submittimus, comprimit superbiam: Jeiunium concupiscentiam carnis; eleemosyna concupiscentiam oculorum, seu avaritiam. Ergo.

* 15 *Oppono*: Homini aliunde temperato, & valdè modicum comedenti potest injungi actus temperantiæ: sed hic actus non erit illi pœnalis, nec medicinalis, vt patet. Ergo *Ad hoc dist. min.* Per accidens, *conc.* per se *neg.* Vel sic: Non erit ex parte subiecti, *conc.* ex parte obiecti, & quantum est ex natura actus; *neg.* Hoc secundo modo aliqua pœnalitas reperitur in omni actu virtutis, etiam in comestione ciborum delicatorum: hæc enim non est actus virtutis; nisi sit moderata, quæ moderatio, & à pluribus cibis abstinentia iam est aliqua pœnalitas, & medicina. Nefas autem foret, immo mortale peccatum, pro mortalibus peccatis iniungere expressè comestionem ciborum delicatorum etiam moderatam, attamen ad saturitatem. Veniale verò esset si fieret pro venialibus. Quia est opus simpliciter delectabile, & solum secundum quid pœnale.

Dixi, *Ad saturitatem*; si enim Confessor, sciens pœnitentem delicatè comedere, de eo tamen nihil exprimens, ei iniungat, vt comedat infrà saturitatem, aliquam, vel aliquas portiones sibi subtrahendo, hoc non est improbandum: Cæteris tamen paribus, quæ de qualitate pœnitentiæ dicta sunt.

* 16 QUÆRO V. Opera iniungenda debeane esse externa, ac supererogatoria, seu consi-

lij.

lij, sive aliunde non debitâ? Item possuntne impleri eodem tempore, quo alius actus cadit sub præcepto, *v. g.* Rosarium iniunctum orando sub Missa præcepta? aut iniungi Defunctis applicanda? *Resp.* 1. Satisfactio sacramentalis regulariter, & per se debet esse opus externum. 2. *& consilij*, seu supererogationis, sive aliunde non debitum, sed solum obligans ex præcepto Confessarij. 3. *potest* tamen aliquando ex speciali ratione iniungi opus iam debitum, 4. *ac internum. Ratio* 1. *& 2.p.* Quia communiter ita habet praxis Ecclesiæ, & Confessariorum iniungentium opera alias non præcepta, & sensibilia, seu externa: eò quod illis maximè competat pœnalitas. Et hoc in praxi servandum est. *Ratio* 3. *partis est*: Tum quia potest quis eodem actu satisfacere duobus præceptis, *v. g.* voto, quod quis fecit de ieiunando omni die Veneris toto anno, ac præcepto Ecclesiæ de ieiunio Quadragesimæ eodem die. *Tum* etiam, quia tale opus potest adhuc habere omnes conditiones suprà in hoc Exa. 3. R. 4. ad satisfactionem requisitas, ad quas accedit nova obedientia, tanquam pœna ex præcepto Confessarij, quæ non potuisset ab homine exigi, nisi peccasset. Ergo.

Notanda hic est disparitas, cur non possimus satisfacere homini eodem actu pro duobus debitis, vt si Petrus debeat Paulo 100. *Imperialet* ratione agri ab eo empti, & 100. *ratione* mutui non satisfacit vtrique debito, numerando centum priores. *Disparitas est*: Quid Deus bonorum nostrorum non teget, nec vllum ex eis habet interesse, eorumque valor provenit ex gratia, & acceptatione Dei, opera nostra infinitis aliunde titulis ei debita sic acceptando; secus est de homine.

Ratio 4.*p.* Quia actus ille internus, *v.g.* meditatio pro pœnitentia iniuncta fit sufficienter sensibilis per Sacerdotis impositionem, ac pœnitentis acceptationem, voce, vel signo sensibili factam, sicut contritio fit sensibilis per confessionem: & tamen est pars essentialis Sacramenti. Ergo.

Resp. 2. Probabilius est, quòd si opus aliunde præceptum, & pœnitentia se non excludant, possint eodem tempore persolvi, vt Rosarium pro pœnitentia iniunctum sub Missa præcepta; De consilio tamen est, persolvere alio tempore. *Ratio* patet suprà *T.* 10. *E.* 5. *n.* 6. si proportionatè applicetur. *Resp.* 3. Probabilius est posse iniungi pœnitentiam defunctis applicandam.

Ratio: Tum quia tale opus habet omnes conditiones suprà ad satisfactionem requisitas, & est eleemosyna spiritualis. *Tum* quia satisfactio sacramentalis habet suum effectum ex opere operato, & hic manet proprius pœnitenti, ficque Sacramentum non frustratur sua parte, vel effectu integrali: & etiam ex opere operantis, & potest applicari defunctis. Ergo.

* 17 QUÆRO VI. Potestne Confessarius imponere pœnitentiam per alium peragendam? Vel liberam, seu arbitrariam, seu indeterminatam à pœnitente determinandam, dicendo, Facias hoc, si potes? Vel si non potes, fac illud? *Resp.* 1. Pœnitens non potest pœnitentiam sibi iniunctam sine Confessarij consensu implere per alium. *Ratio*: Quia intentio Confessarij censetur esse (nisi eam aliter explicet) vt pœnitens iniunctam pœnitentiam peragat per se ipsum. *Nota*, huic non obstare, si eleemosynam det per famulum, quia sic pœnitens tamen manet causa principalis, cum famulus solum sit instrumentum: vel si alius det eleemosynam loco ipsius, dum ipse non potest, quia hoc idem est, ac si alter ei daret pecunias, vt ex eis eleemosynam faciat, &, qui dat, etiam se solum habet, vt minister: si verò alius pro pœnitente sine Confessarij licentia pœnitentiam peragat, orando, ieiunando, &c. id faceret, vt causa principalis, & vt dominus actionum suarum.

Resp. 2. Probabilius est, quod Confessor possit pœnitenti iniungere pœnitentiam per alium exequendam ad ipsius pœnitentis petitionem. *Ratio* declaratur ex Conet: In eo casu illud opus satisfactorium, si consideretur præcisè, vt sit ab alio, non est pars Sacramenti, sed solum, vt fit ex petitione ipsius pœnitentis: quare talis petitio esset formale in tali satisfactione, opus autem satisfactorium alterius esset materiale illius, ordinatum ab ipso pœnitente. Vnde formale illius satisfactionis sacramentalis adhuc est actus pœnitentis.

Resp. 3. Probabilius est, quod Confessor possit pœnitenti iniungere talem pœnitentiam indeterminatam, quæ in Quæsito describitur. Ita *Angel. Bost. quodl.* 3. *art.* 28. *Ratio*: Confessor talem pœnitentem adhuc sufficienter ligat, & solvit; ligat, inquantum imponit necessitatem, seu obligationem alicuius pœnitentiæ, non quidem determinatæ, sed indeterminatè huius, vel illius: solvit verò, in quantum pœnam Purgatorij (quæ per se, & non adhibita virtute clavium esset subeunda) commutat in faciliorem. Ergo.

* 18 QUÆRO VII. Quomodo pœnitens tenetur ad circumstantias pœnitentiæ, vt si Sacerdos iniungat Rosarium coram tali imagine, vel flexis genibus persolvendum? Et quid agendum pœnitenti, cui pœnitentia est facta impossibilis? vel qui pœnitentiæ est oblitus? *Resp.* 1. Probabilius est sententia, quæ distinguit, dicendo, circumstantiam interdum transire in substantiam, interdum verò manere meram circumstantiam. In primo casu, circumstantia omissa, non satisfit præcepto Confessarij, & Sacramentum manet mutilum, & est peccatum mortale, in secundo veniale.

Quomodo potest sciri, quod circumstantia transeat in substantiam operis? *Dico*, id colligi posse ex eo, quia Confessor eam appposuit, ideò quia advertit eam huic pœnitenti non minus esse pœnalem, quam ipsum opus. Nonnulli enim libentius multa Rosaria orant ambulando, vel sedendo, quam vnú flectendo: Manet verò mera circumstantia, si parum sit pœnalis.

Resp. 2. Distinguunt etiam bene alij sicut solet distingui de voto: si res iniuncta, sit gravis, & circumstantia levis, *v.g.* in casu Rosarij dicendi ante talem imaginem; obligatio ad circumstantiam solum est venialis; si verò circumstantia sit gravis, vt si in tali imagine esset aliquod particulare obsequium propter concursum, aut aliquid simile (quod idem posset occurrere de genuflexione sub Rosario) obligatio ad circumstantiã esset sub mortali. *Resp.* 3. Si circumstantia fiat pœnitenti impossibilis, tenetur ad substantiam. *Ratio*: Quia rationabiliter censetur hæc esse intentio Confessarij.

* 19 *Resp.* 4. Pœnitens, qui sivè culpabiliter, sive inculpabiliter per oblivionem, aut aliam causam factus est impotens impleri pœnitentiam, non tenetur loco illius pœnitentiæ per se ipsum facere alia opera satisfactoria: quæ etsi faceret, & postea fieret potens ad priorem pœnitentiam, tenetur

ad

ad illam. *Ratio*: Quia illa satisfactio sponte assumpta non esset sacramentalis, nec causaret remissionem pœnæ ex opere operato, sed operantis.

Resp. 5. Si dicta impotentia, seu oblivio est omnino inculpabilis, non tenetur pœnitens priorem confessionem repetere. Si verò sit culpabilis, tenetur hoc peccatum confiteri, & si possit, & credat priorem Confessarium adhuc esse memorem peccatorum, eam accedere; secus, apud alium iterare confessionem: vti & apud priorem, si peccatorum memor non sit. *Ratio* 1. *p.* Quia pœnitens ab illis peccatis est absolutus; & pœnæ remissionem alia via tùm in hac vita, tum in Purgatorio obtinere potest. Et ratio in voluntarij excusat ipsum. *Ratio* 2. *p.* Quia ille pœnitens sua culpa facit Sacramentum mutilum. Ergò tenetur ad illud integrandum, non verò potest integrare, nisi præfato modo. Nemo enim potest iniungare pœnitentiam, nisi cognita causa. Ex quo patet, quod non teneatur confessionem iterare, vt peccata ritè confessa dimittantur, sed vt Sacramentum fiat perfectum.

* 10 QUÆRO VIII. Et vltimo: Quis Pœnitentiam potest commutare? An ratione commutationis sit repetenda confessio? *Resp.* 1. Probabilius est, quod ipse pœnitens pœnitentiam suam non possit commutare in melius. *Ratio*: Commutatio pœnitentiæ est actus sacramentalis, & Confessarij tanquam Superioris, & Iudicis iurisdictioni proprius: sed pœnitens non est Iudex, vel superior in se ipsum, nec erga seipsum potest exercere actionem sacramentalem. Ergo. Ex quo patet differentia à voto, quod vovens propria auctoritate potest commutare in melius, & hoc ideò, quia voti obligatio oritur ex propria voluntate vouentis in alterius gratiam, pœnitentia verò sacramentalis includit exercitium obedientiæ. *Nec verum est*, quod ille pœnitens abundantius impleat Legem, ac abundantiorem afferat solutionem: Tum quia habet effectum solum ex opere operantis, tum etiam, quia præcipiens vult rem præceptam, & non aliam, etiã meliorem, præsertim in Sacramento, nisi id exprimat.

Resp. 2. Probabilius est, quod vnus Confessarius ex iusta causa intra confessionem, & recensitis de novo peccatis, possit commutare pœnitentiam sacramentalem ab alio Confessurio impositam. *Ratio* 1. *p.* Quia ille Confessarius exercet tunc iurisdictionem in pœnitentem, hic & nunc ei subiectum, non verò in alium Confessarium ei æqualem, vel superiorem. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Illa commutatio debet fieri per actum iudicialem in tribunali pœnitentiali. Ergo necesse est de novo recensere peccata.

Resp. 3. Si pœnitens accedat eundem Confessarium, vt pœnitentiam mutet, tenetur iterum cõfiteri, nisi accedat eodem die, vel sequenti. *Ratio* 1. *p.* Quia non potest imponi nova Pœnitentia sacramentalis, nisi peccata de novo clavibus Ecclesiæ subijciantur. *Ratio* 2. *p.* Si commutatio petatur eodem die, vel sequenti, tunc iuxta *S. T. in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 5. primum iudicium moraliter censetur adhuc durare.

Nota tamen, hæc omnia intra Confessionem quibusdam saltem peccatis denuò confessis (si Confessarius aliorum adhuc memor sit) esse facienda, quia aliàs non erit pœnitentia sacramentalis. Et idẽ est, si pœnitentia fuit imprudenter impositа; vt moraliter sit impossibilis, *v. g.* si pauperi sit iniuncta eleemosyna, infirmo ieiunium, Nobili longa peregrinatio pedestris, &c. Vel si ab initio fuit possibilis, sed postea mutatis circunstantijs impossibilis, aut non exequibilis sine gravi incommodo.

In *q.* 17. *S. D. agit per* 3. *art.* de potestate clavium: De qua actum est supra in T. 1. proemiali. In *q.* 18. *per* 4. *art* de effectu clavium, nimirum remissione culpæ, & pœnæ. In *q.* 19. *per* 6. *art.* de Ministro clavium, seu Confessionis. In *q.* 20. *per* 3. *art.* de vsu clavium, nimirum in quos potestas Confessarij exerceri possit. De quibus omnibus actum est in præcedentibus. *Hæc de* Sacramento Pœnitentiæ *sufficiant; nunc agendum est de his, quæ ei annectuntur.*

TRACTATUS XIV.
DE CENSVRIS, CASIBVS reservatis, Indulgentijs, & Extrema-Vnctione.

De quibus Ang. Doct. agit in Supplem. à quæst. 21. vsque ad 34. exclusivè.

EXAMEN I.

De Censuris in genere, & in specie:

S. Doctor, Quæst. 21. vsque ad 25. exclusivè.

* 1 QUÆRO I. Quis potest ferre Censuras? quid, & quotuplex est Censura? Et quæ materia eius? quæ forma servanda aut modus? *Ante R. Nota*, quod etymologia huius nominis *Censura* deriuetur à verbo censeo, aut à nomine *Censor*; erat enim apud Priscos specialis *dignitas Censoris*. Cuius officium erat inquirere, ac censere, seu iudicare de fortunis, vita, & moribus civium, ac indignos officijs, & dignitatibus privare. Exindè hæc vox est translata ad significandam severitatem, correctionem, ac potestatis Ecclesiasticæ coercitivæ, sive punitivæ actum, immò & ipsam pœnam; nam hæc vocatur *Censura*. Hoc notato.

Resp. 1. In Ecclesia est potestas ferendi Censuras. Probabitur infrà de Excommunicatione. Vide *num.* 8. *in hoc Exam. Resp.* 2. Mulier jure divino est incapax ad ferendas Censuras. Ita S. Thom hic, *q.* 19. *art.* 3. *ad* 4. *dicens*: Mulier secundùm Apostolum est in statu subiectionis, & ideò non potest habere aliquam spiritualem jurisdictionem: vndè neque habet clavem Ordinis, neque jurisdictionis. Sed committitur mulieri aliquis vsus clavium, sicut habere correctionem in subditas mulieres, propter periculum, quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent. *Hæc ibi.* Vide etiam *T.* 6. *E.* 5. *n.* 6. Ex quibus patet. *Ratio*: Quia mulier est incapax jurisdictionis spiritualis (etiam ex commissione) nisi rarum propriè dictæ.

* 2 *Resp.* 3. Soli, sive ex iure, sive privilegio, sive consuetudine, habentes jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam in foro externo, possunt propria auctoritate, & ex officio Censuras ferre, *v. g.* Episcopi, eorum Vicarij Generales, & alij habentes jurisdictionem, quasi Episcopalem, vt Prælati Regulares. Hi suam censuras ferendi auctoritatem possunt delegare alijs, de iure capacibus, putà, prima Tonsura initiatis, non vxoratis. De hoc plura de Excomm &c.

Resp. 4. Censura vt sic definitur, quòd sit pœna Ecclesiastica medicinalis, ac temporalis, quæ Judex Ecclesiasticus hominem baptizatum inobedientem punit, privando eum bonis Ecclesiæ communibus. Quamobrem Censura in iure vocatur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ. Sicut enim vires hominis consistunt in nervis, ita vires Ecclesiæ in Censuris.

Declaratur: Dicitur, *medicinalis*; quia hæc pœna est instituta ad peccatoris emendationem. Dicitur, *temporalis*; quia peccatore emendato censura debet tolli. Dicitur *baptizatum*, quia pœna non potest infligi, nisi subdito, subditur autem homo Ecclesiæ per Baptismum. Dicitur tandem, *bonis Ecclesiæ communibus*, nimirum vsu Sacramentorum, participatione suffragiorum Fidelium, functione Officiorum Ecclesiasticorum, &c.

* 3 *Resp.* 5. Tres propriè sunt species censuræ, scilicet *Excommunicatio*, *Suspensio*, & *Interdictum*. Quibus addi solent quatuor species impropriæ ad priores reductæ, scilicet Degradatio, Depositio, & Irregularitas saltem ex delicto proveniens, ac Cessatio à divinis. De quibus omnibus agetur in sequentibus. Tres priores reducuneur ad suspensionem, quia per illas homo est quasi suspensus à receptione, & vsu Ordinum; vltima verò ad Interdictum. *Ratio* numeri ternarij censurarum propriè dictarum est: Tum quia illis solis propriè competit definitio Censuræ, vt patet. Tum quia Innocent. III. *c. quærenti de verb. signif.* interrogatus, quid intelligatur nomine Censuræ, Respondit, eo nomine intelligi debere Interdictum, Suspensionem, & Excomunicationem, nullam faciens mentionem alterius Censuræ.

* 4 *Resp.* 6. Censura est duplex: alia à iure, alia ab homine. *Prima est*, quæ per stabilem, & permanentem legem, ipso facto obligantem, est lata, & tamdiù, ac non diutiùs durat quàm ipsa Lex, etiam mortuo Legislatore. Et vt incurratur, sufficit sola declaratio criminis facta ab habente potestatem. Quod idem est sentiendum de alijs pœnis, quæ ipso iure incurruntur. Censura ab homine est, quæ ab habente potestatem, seu à Judice in singulari quodam casu infligitur, & extinguitur cum morte eam ferentis.

Resp. 7. Censura alia est lata, seu latæ sententiæ, alia ferendæ, seu comminatoria; prima incurritur ipso facto, non secunda. Pro quo *Nota*, quòd hæ clausulæ, *ipso iure*, *ipso facto*, *eo ipso*, *ex tunc excommunicatus sit*, significent censuram ipso iure latam. Vti, & hæ formulæ: excommunicationis sententia duximus innodandum; sententiam excommunicationis incurrat; Ecclesiastico subiaceat interdicto; sententiæ excommunicationis se noverit subiacere; excommunicatum se esse cognoscat; Anathema sit. Cæterùm hæ formulæ: *Excommunicationem se noverit incursurum*; *Excommunicetur*; *Volumus excommunicari*; *Sub pœna talis censuræ*; *sub interminatione anathematis*, significant solùm censuram ferendam, nisi aliunde colligatur.

* 5 *Resp.* 8. Ecclesia non potest censuris punire peccata venialia, nec purè interna. *Ratio* 1. *p.* quæ est S. Thom. hic, *q.* 21. *art.* 3. Pœna debet esse proportionata culpæ: sed censura est gravissima pœna. Ergo requirit culpam mortalem. Sermo autem hic est de censura maiori. Vide *n.* 13. Ex quo sequitur, quòd si quis propter ignorantiam, aliamve rationem excusetur à culpa mortali, non incurretur censura ei annexa. *Ratio* 2. *p.* Quia peccata purè interna non cadunt sub cognitione hominis, nec spectant ad forum externum, ad quod tamen censuræ pertinent. Plura, quæ hic dici possent, vide *T.* 6. *E.* 5. *n.* 13. an Ecclesia possit præcipere actus purè internos.

* 6 *Resp.* 9. Peccatum non potest puniri censura, nisi reus sit contumax. *Ratio*: Quia censura tanquam pœna gravissima non fertur nisi contra rebelles: sed rebellio non est sine contumacia. Ergo, Dicitur *contumax*, qui perdurat in peccato mortali præterito, vel citatus renuit comparere in judicio, aut sine licentia recedit, vel justo Judicis, ac Superioris præcepto non vult parere, vt explicat S. T. hic. *q.* 21. *art.* 3. *in corp.* Ex quo sequitur, quòd, quando sub Excommunicatione prohibetur aliquid futurum, prohibeatur etiam sub peccato mortali, licèt fortè illa materia secundum se non sit gravis, seu mortalis, sed fiat talis ex mente præcipientis ob iustas, & graves causas, vt patet in censura annexa ingressui Clausuræ Monialium. In quo casu eodem transgressionis actu incurritur peccatum mortale, & excommunicatio.

* 7 *Resp.* 10. Materia censuræ, seu peccata per eam punibilia sunt sola externa, & licèt sint secreta, possunt tamen puniri censuris latis per modum legis. *Ratio*: Quia hæc per se subsunt jurisdictioni Ecclesiæ, licèt defacto defectu testium eam effugiant, vt dictum est loco mox. cit. Idem patet in excommunicatione percussoris Clerici, vti, & hæretici occulti. De quo suprà de hæres. *T.* 7. *E.* 3. *ad q.* 10. Dixi, *latis per modum legis*, quia Ecclesia, vtpote, quæ non judicat de occultis, nominatim non potest censura punire peccatorem occultum, licèt sit externus, nec censuris potest eum obligare, vt se ipsum prodat, hoc enim iuri naturæ repugnat.

Resp. 11. Ad valorem censuræ de iure ordinario sufficiunt verba talia, quæ sufficienter exprimunt speciem censuræ, immò absolutè sufficiunt nutus, vel signa talia, ex quibus sufficienter possit colligi, quam censuram Judex infligere intendat. *Ratio*: Quia hæc æquivalent verbis, ordinariè adhiberi solitis.

Resp.

* 8 *Resp.* 12. Ante inflictionem censuræ debet præmitti admonitio. *Ratio*: Quia nemo inauditus est condemnandus. Nota, hoc intelligi de censuris ab homine latis, in ijs enim, quæ feruntur à iure, id vix fieri potest: quia aliunde ipsa lex (si non ignoretur) ex se sufficienter admonet. Excepto est, nisi ipsum ius expressè mandet, vt admonitio fiat. Porrò admonitio debet esse trina, iuxta formam à Christo præscriptam in præcepto correctionis fraternę, & inter quamlibet monitionem est expectandum per duos saltem dies. Potest etiam Judex ex rationabili causa vti vna monitione pro trina.

* 9 *Resp.* 13. Censura sine admonitione est quidem valida, sed iniquè lata. *Ratio*: Quia ille modus à lege non præscribitur tanquam essentialis, nisi in quibusdam casibus, vt de excommunicatione maiori lata à Judice contra participantes cum excommunicatis ab eodem Judice, cap. *Statuimus, de sentent. excommun. in sexto*. Idem est de interdicto, & suspensione ibidem, vbi dicitur, quòd prædicti participantes debeant nominatim exprimi. *Nota*, quòd hæc admonitio (si censura feratur in bonum publicum) debeat fieri auctoritate Judicis; si verò feratur in favorem personæ privatæ, debet præterea fieri ad instantiam eius, & quidem ipsi reo personaliter, *v.g.* in eius domicilio, vel taliter (si non possit fieri aliter) vt certò deveniat in notitiam eius: vel in Ecclesia Matrice, ne reus dolo, aut fraude se possit tueri, aut conqueri de non facta monitione. Potest etiam hęc monitio plerumque fieri sub interminatione censuræ.

* 10 *Resp.* 14. Ad lationem censuræ requiritur quædam solemnitas, cuius tamen defectus eam non invalidat. 1. *Vt feratur* in scripto à Judice subscripto. 2. *Vt* ab eo ex illo legatur. 3. *Vt* scriptura contineat causam censuræ. 4. *Vt* Judex (si intra mensem fuerit requisitus) transumptum authenticè de verbo ad verbum reo communicet: de qua requisitione conficiendum est publicum instrumentum. Judex in censuris ferendis hunc modum non servans incurrit suspensionem per mensem, & Censura à Superiore relaxatur.

EXCOMMVNICATIO.

* 11 QUÆRO II. Quid, & quotuplex est? quis effectus eius? ob quam causam potest ferri? quis eam potest ferre? *Resp.* 1. Excommunicatio, vt sic definitur, quòd sit Censura Ecclesiastica privans hominem communione fidelium. Hæc definitio, cùm sit generica, convenit excommunicationi maiori, & minori, de qua posteà. Vocatur excommunicatio, quia ponit hominem extra communionem.

Resp. 2. Excommunicatio dividitur in maiorem, & minorem. *Declaratur* ex Angel. Doct. hic, *q.* 21. *art.* 1. *in corp. dicente*: Ille, qui per Baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur, scilicèt ad cœtum fidelium, & ad participationem Sacramentorum; & hoc secundum præsupponit primum; quia in Sacramentis participandis etiam Fideles communicant. Et ideò potest aliquis extra Ecclesiam fieri per Excommunicationem dupliciter: Vno modo, ita quòd separetur tantùm à participatione Sacramentorum; & hæc est Excommunicatio minor: Alio modo, ita, quod excludatur ab vtroque; & sic erit excommunicatio maior. *Hæc ibi.*

* 13 *Resp.* 3. Effectus binæ huius excommunicationis sunt, quod minor sub mortali privet participatione passiva Sacramentorum, & nominatione, seu electione passiva ad beneficia, vel dignitatem Ecclesiasticam. Ex quo patet definitio eius, nimirum est *Censura Ecclesiastica privans*, &c. Verum administratione activa solum privat sub veniali. Si ergo talis celebret, licèt non fiat irregularis, peccat mortaliter, quia Sacramentum recipit, vti & si scienter acceptet talem electionem, præsentationem, potest tamen Missam audire, à peccatis, & Excommunicatione absolvere, pacem sumere, &c. *Idem* est de scienter eligentibus illum, quod nimirum, & illi mortaliter peccent. Excommunicatio maior (indè dicta maior, quia maiores, & graviores habet effectus) privat hominem receptione, & simul administratione Sacramentorum, & pluribus bonis mox nominandis: ita vt Laicus percipiendo aliquod Sacramentum, & Sacerdos recipiendo, vel administrando peccent mortaliter, iuxta *S. Thom. 1. 2. quæ. 54. a. 1.* Ex quo patet eius definitio, nimirum, Est Censura Ecclesiastica privans receptione, & simul, &c.

* 14 Assignantur omnes effectus Excommunicationis maioris: *Primus* mox est assignatus. 1. *Privat* omnibus Ecclesiæ orationibus, ita vt excommunicato, quamvis occulto, non liceat assistere Missæ, nec officio divino, nec pro illo potest offerri Sacrificium, bene tamen orari in Memento, & privatim pro illius conversione; vt patet ex *S. Thom. hic q. 21. a. 1. ad 2.* Si est denuntiatus, non potest ipso præsente Missa, nec Officium divinum celebrari, quia tunc vitandus est. 3. *Privat* exercitio Ordinum, *v.g.* Celebratione Missæ, solemni lectione Evangelij, &c. sub pœna irregularitatis. 4. *Facultate* præsentandi ad beneficia, vt hęc præsentari, nec præsentare possit: & facta in eo statu præsentatio, & collatio est nulla. 5. *Sepultura* in loco sacro, vt tam in vita quam in morte nulla sit conversatio cum excommunicatis. 6. *Conversatione civili*, puta, si sint nominatim excommunicati, & publicè denuntiati, vt declaravit Concilium Constantiense. 7. *Privat* communicatione forensi, *v.g.* Officio Iudicis, Advocati, Procuratoris, Tabellionis, seu Notarij, Testis, Tutoris, Curatoris, Testamenti Executoris, ita vt contra excommunicatum etiam toleratum semper possit reus excipere. Quod si non faciat, & Judex eum non repellat, acta eius valent, si sit toleratus, secus tamen est de Judice non tolerato, is enim jurisdictione privatus est. Sed attendatur praxis.

* 15 *Resp.* 5. Excommunicatio minor incurritur solùm ob vnicam causam; nimirum propter communicationem indebitam cum excommunicato excommunicatione maiori, non tolerato, seu vitando. De quo posteà n. 12. R. 6. Vbi etiam in R. 7. patebit ex S. Thom. quòd Excommunicatio minor possit incurri propter peccatum veniale.

Resp. 4. Excommunicatio maior non potest alicui infligi nisi ob peccatum mortale, non qualecunque, sed vt habens adiunctam contumaciam. Patet ex *R. 9. ad q. 1.* Ex quo fit, quòd si quis excommunicetur propter damnum alicui illatum, hoc solùm sit causa censuræ mediata, immediata verò est inobedientia contra Ecclesiam, quæ sub censura præcipit restitui alienum; vt patet ex *S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 3. in c.*

* 16 *Resp.* 5. Excommunicatio maior varię

dividitur: *Prima* in eam, quæ est à jure, & eam, quæ est ab homine, vt patet ex dictis n. 2. q. 6. 2. *In lata, & ferendæ sententiæ*, vt patet ibidem R. 7. 3. *In generalem, & specialem. Prima* fertur generaliter contra aliquos malefactores indeterminatos: altera contra determinatas personas nominatim. 4. *Alia* est iusta, alia iniusta. Iusta est, quæ fertur ab habente potestatem, & ob causam rationabilem cum debitis circumstantijs, seu servato juris ordine. Iniusta dicitur dupliciter iuxta S. T. q. 21. art. 4. dicentem: *Uno modo ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio, vel ex ira aliquis excommunicat, & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamvis ille, qui excommunicat, peccet. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia fertur sententia iuris ordine prætermisso, & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam esse faciat, non habet effectum, quia non est excommunicatio. Si autem talis error non annullet sententiam, habet effectum, & debet excommunicatus humiliter obedire. Et erit ei ad meritum.* Et post pauca ait: *Contingit autem quandoque, quòd sit debita causa ex parte excommunicantis, quæ non est debita ex parte excommunicati, sicut cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur, & tunc, si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.*

3. Excommunicatio iniusta alia est valida, alia invalida. Prima regulariter valet quoad forum externum. Vndè S. Thom. art. cit. in Sed contra ex S. Gregorio ait: *Præcepta Pastoris, sive iusta, sive iniusta timenda sunt, non autem essent timenda, nisi aliquid nocerent.* Secunda est nulla, & irrita. Ex hac S. Thomæ doctrina colligitur, quòd excommunicatio valida, sed iniusta, sit talis, vel defectu rectæ intentionis Judicis, aut formæ non essentialis, vel ex defectu iustæ causæ excommunicandi, licet alioquin sufficientis pro foro externo. Verum si iniusta, simulque invalida sit, est nulla in vtroque foro, obligat tamen excommunicatum ad ei parendum, vitandi scandali causa, vsquedum populo sufficienter innotescant causæ nullitatis censuræ. 6. *Alia* est excommunicatio reservata, alia non reservata. De quibus infrà de casibus reservatis.

Anathema ab Excommunicatione non differt natura, sed forma: quæ in hoc consistit, vt proferatur ab Episcopo coram 12. Sacerdotibus Episcopum circumstantibus, & manibus lucernas ardentes tenentibus, quas dum anathema concluditur, in terram projiciunt, ac pedibus conculcant, vt candelæ humi projectæ ad nullum sint amplius vsum sicut sal infatuatum, vt loquitur noster Lublino.

* 17 *Resp.* 6. In Ecclesia est potestas Excommunicandi. Quæ potestas cui Iudici, vel Superiori competat, vide n. 1. R. 2. & 3. Colligitur ex Script. Matth. 16. & 18. *Quæcumque ligaveritis*, vbi est sermo etiam de externo Ecclesiæ gubernio. Vnde additur ibidem: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Quibus verbis subsumit *S. D.* n. 2. Sed Ethnici sunt extra Ecclesiam. Ergo & illi, qui Ecclesiam audire contemnunt, per excommunicationem extra Ecclesiam sunt ponendi. Et 1. *ad Cor.* 5. Apostolus mandat quendam excommunicari (*vt S. Thom. ibidem ait*) & Diabolo tradi. *Ratio*: Quia hic spiritualis gladius est omninò necessarius *ad Ecclesiæ* regimen, & coercendam contumaciam, ac rebellionem, &c. Ex quo sequitur, quòd licèt ipse vsus censurarum sit ex institutione humanâ, & Ecclesiastica, potestas tamen eas ferendi sit de iure divino.

* 18 *Oppono*; excommunicatio est quædam maledictio: Sed *Rom.* 12. prohibemur maledicere. Ergo & excommunicare. 2. *Nullus* est tradendus in manus hostium, nisi omnino desperatus: Sed per excommunicationem homo traditur in manus hostis, nimirum Diaboli, & in hac vita de nemine est desperandum. Ergo. Vtrumque solvit *Angel. D. q.* 21. *a.* 2. *Ad* 1. *ait*: Maledictio potest esse dupliciter, *Vno modo*, ita quod in malo, quod irrogat, vel dicit per intentionem, fistat, & sic maledictio omnibus modis est prohibita. *Alio modo*, ita quod malum, quod quis maledicendo imprecatur, ad bonum illius ordinet, qui maledicitur: & sic maledictio, quandoque est licita, & salutifera. Sicut etiam Medicus aliquod nocumentum infert infirmo, vt sectionem, per quam ab infirmitate liberetur. Hæc ibid. *Ad* 2. ait in fine art. *Nec est inconveniens: si ille, qui non est desperatus, hosti detur, quia non datur quasi damnandus, sed quasi corrigendus, cum in potestate Ecclesiæ sit, ex eius manu ipsum, cùm voluerit, eripere.*

Resp. 7. Excommunicatus non potest alium excommunicare. *Ratio S. D. q.* 21. *a.* 3. *in c.* Excommunicatio est actus iurisdictionis: Sed omnis excommunicatus est privatus vsu Iurisdictionis, vtpote à communione Fidelium, separatus. *Subdit S. D.* Eadem ratio est de suspenso à iurisdictione; si enim sit suspensus ab Ordine tantum, tunc non potest ea, quæ sunt Ordinis, sed potest ea, quæ sunt iurisdictionis; & econtra si sit suspensus à jurisdictione, & non ab Ordine: si autem ab vtroque, tunc neutrum potest. In solut. *ad* 1. *S. D. ibidem ait*, Quod quamvis talis non amittat jurisdictionem, amittit tamen jurisdictionis vsum. In R. *ad.* 2. dat disparitatem, cur talis adhuc possit validè (etsi illicitè) consecrare Eucharistiam, quia hoc consequitur potestatem characteris, qui indelebilis est; excommunicatio autem sequitur jurisdictionem, quæ potest auferri, & ligari.

* 19 QUÆRO III. Quis potest excommunicari? & qua forma facienda est excommunicatio? *Resp.* 1. Excommunicari non potest nisi subditus, vnde non potest quis se ipsum, vel Superiorem, aut æqualem excommunicare. *q.* 22. *a.* 4. *Ratio S. D. est*: excommunicatio est actus jurisdictionis: Sed nemo habet jurisdictionem in se ipsum (quia in eadem causa non potest quis esse judex, & reus) nec in superiorem, nec in æqualem: quia par in parem non habet imperium (*vt ait ad* 2. *ibid.*) Ergo. Aliud est de foro Confessionis sacramentalis, in eo enim aliquis, cæteroquin alio superior, *v. g.* Episcopus, redditur inferior per peccatum, *ait S. D. ibidem ad* 3. & Confessor agit vt Vicarius Dei: excommunicatio verò est de foro exteriori.

* 20 *Resp.* 2. Vniversitas, seu Communitas excommunicari non potest *a.* 5. *Declarat*, & probat hoc S. D. dicens: excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali; peccatum autem in actu consistit; actus autem non est Communitatis, sed singularium personarum, vt frequenter; & ideo singuli de Communitate excommunicari possunt, non autem ipsa Communitas. Etsi etiam quandoque actus sit alicuius totius multitudinis, vt quando multi navem trahunt, quam vnus per se trahere posset;

tamen

tamen non est probabile, quod aliqua Communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes. Et quia non est Dei, qui judicat omnem terram, vt condemnet justum cum impio, vt dicitur *Gen.* 18. Ideò Ecclesia, quæ Dei judicium imitatur, satis provide statuit, vt Communitas non excommunicetur, ne cum lolijs, & zizanijs simul eradicetur, & triticum. *Hæc ibi.*

Ad idem probandum in Sed Contra adducit Glossam S Augustl. *super cap.* 13. *Matth.* quæ dicit, quòd Princeps, & multitudo non sit excommunicanda. In solut: ad 2. dat disparitatem de suspensione, & interdicto, dicens suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragijs sicut excommunicati. Vndè etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, & totum Regnum ponitur sub Interdicto pro peccato Regis.

* 21 *Resp.* 3. Qui excommunicatus est vna excommunicatione, potest iterum excommunicari, vel per eiusdem excommunicationis iterationem, ad maiorem sui confusionem, vt sic à peccato resiliat: vel propter alias causas. Et tunc tot sunt principales excommunicationes, quot sunt causæ, pro quibus aliquis excommunicatur. Ita S.T. *q.* 22. *a.* 6. *Ratio ibidem in Sed Contra*: excommunicatio quædam pœna est, & medicinale remedium: Sed pœnæ omnes; & medicinæ iterantur, cùm causa exigit. Ergo & excommunicatio iterari potest.

* 22 *Opponò*: Qui semel privatus est aliquo bono, *v. g.* communione Fidelium, & non restitutus, non potest eo iterùm privari. *Ad hæc S. D. ibid. ad* 2. *ait*: Privatio quamvis non recipiat magis, & minus secundum se, recipit tamen magis, & minùs secundùm causam suam. Et secundùm hoc excommunicatio potest iterari, & magis est elongatus à suffragijs Ecclesiæ, qui pluries est excommunicatus, quàm qui semel tantùm. Hæc ibi.

Resp. 4. Mortui propriè non excommunicantur, sed aliquando solùm declarantur tales, eo quòd ante mortem fuerint in occulta excommunicatione; ac privantur suffragijs Fidelium, & sepultura Ecclesiastica, &c. *Resp.* 5. Ad ferendam excommunicationem non est præscripta certa forma, quamvis ordinariè fiat his terminis: *Excommunicamus, Sit excommunicatus ipso facto*, &c.

* 23 QUÆRO IV. Quæ causæ excusant ab incursu Excomunicationis, sic vt is, super quem censura est lata, à quovis Confessore possit absolvi? Vndecim præcipuè numerantur.

Prima est bona fides, qua quis omnino, & rationabiliter credit, se nonnisi veniale commisisse. De quo vide dicta *n.* 3. R. 8. 2. *Depositio* contumaciæ, & emendatio ante excommunicationem facta cum proposito satisfaciendi, si quod damnum illatum sit. Nam Excommunicatio est pœna medicinalis. Ergo si peccator sit correctus, Ecclesia est contenta. 3. *Ignorancia* invincibilis sive juris, sive facti. De qua vide *T.* 3. *E.* 1. *n.* 29. Quia vt incurratur excommunicatio, requiritur contumacia, id est, inobedientia contra legem, quæ contumacia non datur, vbi est ignorantia invencibilis. Ita docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 75. *art.* 3. & alij communiter.

Præterea Censura fertur propter culpam, estque pœna eius. Ergo quidquid excusat à culpa, excusat etiam à censura: Sed ignorantia invincibilis excusat à culpa, cùm tollat rationem voluntarij; nihil enim volitum, quin præcognitum. Ergo & à censura. Quære dicta ignorantia non excuset à reservatione peccati, dicetur infrà E. 2. n. 98. & 54. ante R. 2.

Dixi, *ignorantia invincibilis*; quia vincibilis (quam aliqui crassam vocant) sive sit juris, sive sit facti; sicut non excusat à peccato, ita nec ab Excommunicatione. Est enim in illis, qui nolunt intelligere, vt bene agant, cum tamen possint, & teneantur.

4. *Ætas*, *v. g.* in pueris, si sit talis, in qua eos ignorantia excusare potest. 5. *Impotentia*, quæ impedit Implétionem præcepti Ecclesiæ, quia tunc non adest contumacia; Ecclesia enim non obligat ad graves difficultates, quæ faciunt moralem impossibilitatem, nam iugum Christi suave est. Hinc qui sub censura jubetur restituere, & hic & nunc absque gravi incommoditate non potest, excusatur. 6. *Occulta* compensatio. Hinc qui circumstantijs ad occultam compensationem suprà *T.* 8. *E.* 6. *n.* 38. requisitis adhibitis, tantum dumtaxat de alieno abstulit, quantum alter de suo iniustè detinebat; si Ecclesia præcipiat restituere, excusatur: Quia non est detentor alieni, sed sui, quod recuperavit. 7. *Intentio* imperantis, certas personas, etiam culpabiles, censura comprehendi nolentis. 8. *Si non* possit quis parere absque fractione sygilli confessionis. De quo suprà in proprio loco.

9. *Si Superior* præcipiat aliquid revelare, quod cedit in grave damnum ipsiusmet revelantis (quia iure naturæ nemo tenetur dicere contra se) vel parentum, aut consanguineorum, quia horum infamia, & damnum redundat in ipsum testem, nisi simul cedat in damnum boni comm. De quo suprà ibid. *T.* 3. *E.* 7. *n.* 2. 10. *Metus* rationabilis, seu gravis, diffusque, cadens in virum constantem (explicatus suprà *T.* 3. *E.* 1. *n.* 13.) incurrendi in bona corporis, famæ, honoris, &c. notabile damnum per observantiam mandati Ecclesiæ, cuius benignitas non vult suos filios cū tanto rigore regere. 11. *Violentia* simpliciter talis, seu coactio ad committendum, vel omittendum opus Excommunicationi subiectum (explicata suprà loco mox citato n. 11. (quę excusat, non quidem à lege naturali, vel divina (cui voluntas cogi non possit ad peccandum, & oporteat malle millies mori) sed à lege hominis, vel Ecclesiæ, non intendentis obligare cum tanto rigore.

* 24 QUÆRO V. Quomodo, vel quando licèt communicare, seu participare cum excommunicato? *Ante R. notā*, quòd excommunicati alij sint tolerati, alij non tolerati ab Ecclesia, sic vt priores non necessariò sint vitandi, benè tamen posteriores, *nisi in casibus exceptis*. Hoc notato. *Resp.* 1. Sunt certi casus, in quibus licèt communicare, seu agere cum excommunicato excommunicatione maiori, etiam non tolerato, indicati hoc versu, quem ponit S. Thom. *quæst.* 23. *art.* 1. *in corp.*

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Declaratur ex S. Thom. *ibidem*, vbi, postquam præmisit, quòd excommunicatio minor separet tantùm à participatione Sacramentorum, & non à Communione Fidelium; maior verò ab vtroque, subdit: Et ideò tali excommunicato (nimirum excommunicationi maiori) communicare non licet. Sed quia Ecclesia Excommunicationem ad medelam, & non ad interitum induxit, ideò excipiuntur in hac gen[era]

neralitate quædam, In quibus communicare licèt, scilicèt in his, quæ pertinent ad salutem, quia de talibus homo licitè potest cum excommunicato loqui; potest etiam alia verba interserere, vt facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. Excipiuntur etiam quædam personæ, ad quas specialiter pertinet prouisio excommunicati, scilicèt vxor, filius, seruus, rusticus, & seruiens, sed hoc intelligendum est de filijs non emancipatis, aliàs tenerentur vitare patrem. De alijs autem intelligitur, quod liceat excommunicato, communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderint; non autem si post. Quidam autem intelligunt è converso, scilicèt, quod Superiores possunt licitè communicare inferioribus, alij verò contrarium dicunt. Sed ad minus in his cómunicare eis debent, in quibus sunt eis obligati, quia sicut inferiores obligantur ad obsequium Superiorum, ita Superiores ad prouidentiam inferiorum. Sunt etiam quidem casus excepti, sicut quãdo ignoratur excommunicatio. Et quando aliqui sunt peregrini, & viatores in terra excommunicatorum, qui licitè possunt ab eis emere, vel etiam accipere eleemosynam. Et similiter si aliquis videat excommunicatum in necessitate, & tunc ex præcepto charitatis tenetur ei prouidere. Et hæc continentur versu: sic vt *Utile* referatur ad verba salutis; *Lex* ad matrimonium; *Humile* ad subiectionem. Cætera patent. Hæc S. Thom.

* 25 *Resp.* 2. Casus, in quibus non licèt communicare, seu agere cum excommunicato maiori, indicantur hoc versu:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Per ly *Os* intelliguntur oscula, colloquia, amicitia, munera, litteræ, &c. per ly *Orare* communia Ecclesiæ Sacramenta, ac rationes, tàm intra, quàm extra Ecclesiam, & omnia spiritualia, iuxta sensum suprà explicatum. Per ly *Vale* prohibentur mutuæ salutationes scripto, signo, verbo. Per ly *Communio* interdicitur habitatio in eadem domo, conversatio, mutuum exercitium, &c. Per ly *Mensa*, ne quis cum excommunicato in eadem mensa commedat, vel bibat, vel in eodem lecto dormiat.

* 26 *Respond.* 1. Licitum est audire Missam Sacerdotis excommunicati, dummodo non sit denuntiatus, vt patebit ex dicendis: ipse tamen Sacerdos peccat mortaliter, & fit irregularis. *Resp.* 4. Excommunicatus maiori excommunicatione, dum orat Horas Canonicas, non debet dicere *Dominus vobiscum*, sed *Domine, exaudi orationem meam*. *Ratio*: Quia primum dicitur nomine Ecclesiæ: Sed talis ab Ecclesia est præcisus. Ergo. *Resp.* 5. Excommunicati tolerati non sunt necessariò vitandi, benè tamen non tolerati, qui post Concil. Constantiense non sunt nisi duo, nimirum notorius *Clerici* percussor: & ille, qui specialiter nominatim, & expressè fuit excommunicatus, seu talis denuntiatus. Ita clarè patet ex dicto Concilio. Nec obstat, quod in Concil. Basilien. si quicumque notorij excommunicati dicantur vitandi. Nam illud Concilium quoad hoc non est approbatum, & oppositum consuetudine Ecclesiæ receptum.

Sed quid si tale crimen solùm sit notorium in hac Prouincia, teneorne eum vitare in alia, vbi est occultum? *Dico*, tenori in occulto, non tamen in publico.

Oppono contra 1. partem R. 5. Ex ea sequitur, quod excommunicatis tolerantis, si non sint vitandi, præsertur favor. *Sed negatur sequela*; Quia ipsi excommunicati tenentur, quantum est de se, ab aliorum communione abstinere, nisi ab alijs ad id rogentur.

* 27 *Resp.* 6. Qui participat excommunicato, est excommunicatus. *q.* 23. *art.* 2. *Ratio* S. D. *est*: Excommunicatus est positus extra Communionem. Ergo, qui ei communicat, à Communione Ecclesiæ recedit. Ergo est excommunicatus. *Declarat hoc* vlterius *S. Thom.* Excommunicatio potest in aliquem ferri dupliciter: Aut ita quod ipse sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus, & tunc non est dubium, quod quicunque participat ei, est excommunicatus maiori excommunicatione; aut est excomunicatus simpliciter, & tunc aut participat aliquis ei in crimine, præbendo ei consilium, auxilium, aut fauorem: & sic iterum est excomunicatus maiori excomunicatione; aut participat in alijs sicut in verbo, vel in osculo, vel in mensa: & sic est excommunicatus minori excommunicatione. Hæc ibi. In *solut. ad* 2. *ait S. D.* quod excomunicato minori excommunicatione liceat cõmunicare, & sic excommunicatio non transit in tertiam personam.

* 29 *Resp.* 7. Probabilius videtur, quod qui excommunicato participat verbo, vel osculo, vel in mensa, non semper peccet mortaliter, sed solum quando in crimine illi participat, vel in Diuinis, vel in contemptum Ecclesiæ. Ita S. *Thom. quæst.* 23. *art.* 3. *Ratio* ibidem: Quia hoc videtur valde graue, quod homo pro vno verbo leui, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet, & certè aliàs excommunicantes multis insideret laqueum damnationis. Ergo. *Nota* quod licèt pœnitens peccatum veniale per se possit omittere in confessione, non tamen si hæc censura sit annexa, ne in ea recipiat Sacramentum. Et ideò Confessor semper præmittit absolutionem à censuris, antequam absolvat à peccatis.

* 30 *Quid ergo faciet* Sacerdos actu celebrans, si videat intrare aliquem excommunicatum? *Dico* cum communi Sententia. Si intret, non ex professo, vt Sacrum audiat, sed vt solùm obiter pertranseat, aut in templo obambulet, potest Sacerdos Sacrum prosequi: Quia hoc non est verè interesse Diuinis. Si verò propriè vult Missam audire adinstar aliorum, debet Sacerdos curare, vt exeat (modo sine scandalo fieri possit) vel cessare à Sacro. Si verò probabiliter subsit scandalum, & Canon incæptus non sit, recedat ab altari; si Canon iam sit cæptus, prosequatur Missam vsque ad Communionem inclusive, qua sumpta recedat, & Missam finiat in Sacristia.

* 31 QUÆRO VI. *Quis* absolvere potest ab Excommunicatione? Et quomodo? *Resp.* 1. Ab Excommunicatione minori quilibet Sacerdos potest absolvere, qui à peccato participationis (*siue communicationis*) absolvere potest, ait S. Thom. hic. *q.* 24. *art.* 1. *in corp.* *Ratio* patet tum ex levitate censuræ; tum etiam, quia non est reservata. *Resp.* 2. Si sit excommunicatio maior, & lata ab homine, absolvere ab ea potest, qui eam tulit (*vt habet S. Thom. ibid.*) aut eius Superior, aut Successor in officio, vel dignitate, vel delegatus. Si verò sit excommunicatio iuris, aut Canonis, & non sit reservata, absolvit ab ea, qui à peccato mortali absolvere potest: si sit reservata, absolvit ab ea is, qui eam ibi reservavit, nisi alteri det potestatem. Hinc Confessarij scire debent

debent casus Papæ, vel Episcopo, vel nulli reservatos. De quibus infrà E. 2. n. 54. & seqq.

* 32 *Resp.* 3. Sacerdos non potest absolvere excommunicatum à culpa, nisi priùs sit absolutus ab excommunicatione. *S. Thom. ibid. ad* 2. *Rationem dat*: Quia excommunicati non sunt participes, seu capaces Sacramentorum Ecclesiæ, cùm sint ab ea præcisi. *Notanda hic* est differentia, cur non omnis, qui potest absolvere à vinculo peccati (quod tamen est maius) etiam possit à vinculo censuræ, quam differentiam dat *S. Thom. ibid. ad* 1. *dicens*: Quamvis vinculum peccati sit maius simpliciter, quã excommunicationis, tamen quoad aliquid, vinculum excommunicationis est maius, inquantum non solùm obligat quoad Deum, sed etiam in facie Ecclesiæ. Et in absolvendo ab excommunicatione requiritur iurisdictio in exteriori foro, non autem in absolutione à peccato. *Hæc ibi.*

* 33 *Resp* 4. Excommunicatio etiam iustè lata, potest tolli ab invito, etiam manente contumacia, si videatur expedire saluti illius, in cuius medicina est lata. Ita S.D. *q.* 24. *a.* 2. *in Sed Contra, & ad* 2. *Declarat hoc in c.* Malum culpæ, & pœnę in hoc differunt, quod culpæ principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est; pœnæ autem principium quandoque extra nos est, non enim requiritur ad pœnam, quod sit voluntaria, immò magis est de ratione pœnæ, quòd sit contra voluntatem. Et ideò sicut peccata non committuntur nisi in voluntate, ita non remittuntur alicui invito: sed excommunicatio sicut in aliquem invitum potest ferri, ita etiam invitus absolvi poterit. Hæc ibi.

Resp. 5. Absolutio à censuris potest ex rationabili causa dari absenti, ignoranti, immò existenti in mortali. *Ratio*: Quia non est sacramentalis. Vide infrà de reservatis, E. 2. n. 78. *Resp.* 6. Potest quis absolvi ab vna excommunicatione remanente alia. Ita S.T. *ibid. art.* 3. *Rationem dat*: Quia excommunicatio est quædam pœna: Sed potest quis absolvi ab vna pœna remanente alia, cum non habeant necessariam connexionem.

* 34 *Resp.* 7. Verba absolutionis censuræ non sunt determinata, sed sufficiunt quæcumque verba, immò signa (cum non sit absolutio Sacramentalis) absolutionem significantia: dummodò adsit intentio absolvendi. Potest tamen, & solet absolutio dari his verbis: *Auctoritate, qua fungor, ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter tale factum, vel talem causam* (eam exprimendo) *& restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni Fidelium*, &c. si causæ, & excommunicationes sint plures omnes debent exprimi, aliàs tantum erit absolutus ab expressis.

Quatuor adhuc servanda sunt in absolutione tali. 1. *Excommunicatus* debet jurare de parendo mandatis Ecclesiæ, præsertim si propter graviora peccata excommunicatus sit. 2. *Ante* absolutionem debet absolvendus parti læsæ satisfacere, quod si non possit, dare debet cautionem, vel fideiussionem, aut pignus. Et hoc requiritur ex iustitia 3. *Sub absolutione* debet dici *Psam. Miserere*, vel alius Pœnitentialis cum Orationibus, & sub eo absolvendus nudatis humeris cædi, quæ tamen flagellatio honestatis causa omittitur, non solùm in fœminis, sed etiam (quando absolutio datur secretè in confessionali) in viris. 4. *Absolvendus* debet salutaribus verbis ferè moneri, & ad meliora, ac laniora stimulari.

* 35 *Resp.* 8. Mortui (de quibus constat, quod pœnituerint) sunt absolvendi ab excommunicatione, vt pro eis fiant suffragia: ad quod hæredes sunt cogendi. *Vide supra n.* 19. R. 4.

Resp. 9. Excommunicatus non potest absolvi ad reincidentiam de consensu solius partis, nisi adsit consensus saltem tacitus excommunicantis. *Ratio*: Quia absolutio ad reincidentiam requirit iurisdictionem, vt arguit La Cruz. *An Excommunicatio* liget extra territorium excommunicantis: Item qui sint casus Papales, Episcopales, &c. & similia plura dicentur infrà de Casibus reservatis in E. 2.

* 36 QUÆRO VII. Potestne Superior maiori excommunicatione ligatus absolvi à suo subdito, & quidem etiam excommunicato, *v. g.* in casu mutuæ percussionis? *Resp.* Cum nostro Donato, *tom.* 3. *tract.* 5. *q.* 17. *sic discurrente*: Dico, quod sic, quia Confessarius huiusmodi sumit auctoritatem non ab eligente, sed à Canone committente, quandequidem Priores in suis Conventibus, & in eorum absentia Superiores, & eorum Vicarij, omnes Fratres nostri Ordinis ad eorum Conventus declinantes ab omnibus peccatis, & censuris tam à iure quam ab homine generaliter prolatis, & Sedi Apostolicæ specialiter non reservatis, possunt absolvere, ac etiam eis Sacramentum Eucharistiæ, & Vnctionis ministrare, vt constat ex *Mari magno* Clemet. IV. nobis indulto, & habetur expresè in Prologo nostrarum Constitutionum. Sed totum id, quod hi Priores possunt in suos subditos, valent, & hi in illos, si in ipsorum Confessores eligantur. Ergo, Si Superior aliquis percusserit suum subditum, potest ipse percutiens absolvi ab alio subdito suo electo ab ipso in Confessorem. *Rodrg. tom.* 1. *q.* 20. *art.* 12. *in fine verb. Advertit.*

Amplia, vt ob casum necessitatis extremæ, si subditus, & Prælatus ad invicem se percussissent, & in Conventu non sit aliquis, qui eos possit absolvere, possunt ad invicem se absolvere, prout docent plures DD. quos allegant, & sequuntur *Rodrig. loc. tit.* & Passarell. Quia licet excommunicatus per *cap. audivimus* 24. *q.* 1. non possit alium excommunicatum à maiori excommunicatione absolvere, in casu tamen necessitatis potest, nam necessitas legem non habet; vt dicitur in *c. discipulos* 26. *de consecrat. dist.* 5. Hæc Donatus. Qui tamen in eodem *tom. Tract.* 12. *q.* 84. resolutionem de hoc casu mutuæ percussionis Superioris, & Subditi vult solum tenere, si percussio sit occulta, seu non notaria, & quod tunc Prælatus debeat prius absolvere subditum, & subditus absolutus, postea Prælatum.

Si autem casus sit notorius, & clarius, Prælatus ex privilegio eligendi sibi Confessarium (quo per percussionem non privatur) eligat Confessarium etiã extraneum sæcularem (dum alium non habet) qui electus habet facultatem absolvendi, non à Prælato eligente, sed à Papa committente. Si verò nullius alterius Confessarij copia esset, nec etiam subditus percussus esset Confessarius, Prælatus gerat se, ac si solus esset, & ad vitandũ scandalũ, infamiam, &c. potest celebrare, nec celebrandõ fit irregularis.

SUSPENSIO.

* 37 QUÆRO VIII. Quid, & quotplex est? quis eam potest ferre, vel ab ea absolvere? *Resp.* 1. Hæc censura propriè tantùm afficit Clericos, & Ecclesiasticos; privans eos, non quidem communione fidelium, nec Sacramentorũ receptione, sed tantùm

fun-

functionibus, & juribus Ecclesiasticis. Vnde definitur sic: Est *Censura, qua alicui Ecclesiastico ob suam culpam à Judice, vel a Lege prohibetur exercitium sui officij, vel beneficij in totum, vel in partem, in certum tempus; vel in perpetuum quoad partem.* Brevius sic: *Suspensio est censura Ecclesiastica privans Clericum exercitio sui Officij, vel Beneficij.*

Explicatur prima definitio: ly *Censura* ponitur loco generis; quomodo ab alijs censuris differat, constat ex proprijs earum descriptionibus. Dicitur *Ecclesiastica*, ad differentiam aliarum prohibitionũ, quæ fiunt à Judice Sæculari, vel fiunt subdito sæculari, vti est, *v.g.* suspensio Advocati ab officio. Dicitur, *ob culpam*; Quia censura strictè talis non potest infligi sine culpa, saltem veniali; propter quam etiam potest quis suspendi, sicut suprà dictũ est de excommunicatione minori. *Item* si suspensio fiat ob lepram, senectutem, aut similem causam, non est propriè suspensio. Dicitur, vel *in perpetuum quoad partem.* Nam perpetua prohibitio totius exercitij, officij, vel beneficij potiùs est privatio, ac depositio, & non suspensio.

Ex his colligitur, quòd depositio verbalis, ac degradatio realis, posteà magis explicanda, vti & irregularitas, non sit propriè dicta suspensio, quia non sunt strictæ censuræ, sed potiùs privationes, vel inhabilitationes ad Ordinem exercendum, vel suscipiendum: suspensio verò solùm importat impedimentum exercitij.

* 38 *Resp.* 2. Suspensio dividitur 1. *in eam*, quæ est *ab officio*, & eam, quæ est à *beneficio*. Prima Clerico prohibet Ordinum, vel aliarum functionũ ratione Ordinis, aut muneris Ecclesiastici ei competentium, executionem. Secunda perceptionẽ fructuum beneficij. Vtraque subdividitur in *totalem*, & *partialem*. Prima est, qua quis suspenditur ad tempus ab omni officio, & perceptione omniũ fructuũ. Partialis est, quia alicui, vel ad tempus, vel in perpetuum subtrahitur solùm pars fructuum, vel suspenditur tantùm ab vno spirituali actu sui Officij, *v.g.* Episcopus à collatione Ordinum; & beneficiorum, Sacerdos ab audientia confessionum.

Dividitur 2. suspensio in eam, quæ est *à iure*, & eam, quæ est *ab homine*. 3. *In* perpetuam, & temporalem. 4. *In* reservatam, & non reservatam: Quorum intelligentia patet ex dictis. *Nota*, quod esse suspensum ab officijs divinis idem sit, ac esse privatum facultate, *v. g.* celebrandi Missam, aut Missæ, alijsque divinis officijs assistendi, aut in Choro cantandi, nimirum ex officio, ac more Clericorum; Vnde id agere more Laicorum licet.

* 39 *Resp.* 3. Suspendere communiter potest omnis, & solus ille, qui potest excommunicare. Suspensio gravis solum potest infligi ob culpam mortalem, levis ob levem. *Ratio est*: Vt sit proportio inter pœnam, & culpam *Resp.* 4. Ad suspensionem ab homine requiritur prævia monitio, nisi sit infligenda ad puniendum delictum, non tamen requiritur ad suspensionem à iure. *Ratio* patet suprà in hoc *E.* n. 8.

* 40 *Resp.* 5. Si suspensio est à iure, & reservata, ille solus ab ea absolvere potest, cui ius eam reservavit. Si non est reservata, absolvit quivis legitimus Confessarius; si est ab homine, absolvit is, qui eam tulit, aut Successor, aut Superior. *Ratio*: Quia eiusdem est ligare, & solvere. *Resp.* 6. Pro absolutione à suspensione nulla est forma certis verbis præscripta, mos tamen Ecclesiæ (cui se conformare oportet) est, vt dicatur: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi propter, &c. restituo te ad executionem sui muneris, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium, &c.*

Resp. 7. Suspensio lata ad tempus determinatum, eo lapso, aufertur ipso iure, nec est necessaria nova declaratio, vel restitutio ad officium, vel beneficium. *Ratio* 1. *p.* Suspensio non agit vltra intentionem suspendentis; ab ea enim accipit totam suam vim. Eadem pars patet ex Gloss. in cap. *Sacra. Desent. Excommunic. Ratio* 2. *p.* Sublata causa impediente redit effectus, quem impedit. *Resp.* 8. Suspensus fungens Ordinibus sibi prohibitis, seu exercens aliquem actum proprium sui Ordinis, sive sacri, sive non sacri, peccat mortaliter, & pro pœna incurrit irregularitatem Papæ reservatam: in qua tamen, si sit occulta potest dispensare Episcopus virtute *Conc. Trid. Sess. 24. c. 26.* Vbi super omnes occultas irregularitates dispensandi facultas ei est data, excepta ea, quæ provenit ex homicidio voluntario, & illis, quæ iam sunt deductæ ad forum contentiosum. Dixi, *actum proprium sui Ordinis*, secus enim est de alijs actibus, etsi Ecclesiasticis, vt sunt, in Choro cum alijs psaliere, canere Responsoria defunctorum, aut Litanias, baptizare more Laici sine solemnitate, & similia; quæ non sunt specialiter Ordini annexa.

* 41 *Resp.* 9. Suspensi non carent immunitate Ecclesiæ. *Ratio est*: Quia nullo iure eo beneficio, seu asylo sunt privati. *Resp.* 10. Sicut excommunicatum non tollerandum tenemur vitare in cũctis, de quibus suprà dictum; ita & suspensum in eo, in quo est suspensus. Hinc qui in officijs divinis, & actibus Ordini suo proprijs cum non vitat, mortaliter peccat, si est denuntiatus; secus, non. Patet ex se iuxta suprà dicta.

* 42 QUÆRO IX. Quænam sunt communiores suspensiones à iure? *Resp.* Sunt sequentes. 1. *Suspensus est*, ordinatus extra tempora, quæ Ecclesia præscripsit, vel sine legitima ætate, aut sine titulo, vel sine dimissorijs, interstitijs, absque dispensatione non servatis, vel per saltum, vel in censura, vel post Matrimonium ratum. *Item qui* Ordinem sacrum suscepit ab Episcopo alieno, vel à proprio in aliena Diœcesi. Hi omnes ab executione Ordinum sunt suspensi, nisi id fecissent absque dolo, & si Ordine suscepto vtantur, fiunt irregulares. 2. *Ordinatus* scienter à Simoniaco, excõmunicato, suspenso, aut interdicto, denuntiatis. 3. *Ordinatus* in irregularitate, cum quo solus Papa dispensat. 4. *Suscipiens* duos Ordines sacros eodem die. 5. *Ordinans* aliquem invitum est suspensus per annum à celebratione Missæ. 6. *Ordinans* aliquem sine beneficio, aut patrimonio sufficiente, vel titulo, per annum est suspensus à talium Ordinum collatione, teneturque talem alere, si scienter ordinavit eum. 7. *Ordinans* nõ subditum (etiam solùm ad 1. Tonsuram) sine licentia proprij Episcopi per annum est suspensus à Pontificalibus: ordinatus verò est suspensus ab Ordine, quamdiù Prælato placuerit. 8. *Excommunicans*, suspendens, vel interdicens sine scriptura, & causæ expressione, per mensem est suspensus ab ingressu Ecclesiæ. Excipitur Prælatus Regularis quoad suos. 9. *Sacerdos* sine licentia jungens, aut benedicens Sponsos alterius Parochiæ. 10. *Religiosi* admittentes fœminas ad sua Monasteria sunt suspensi à Divinis, & inhabiles ad officia. 11. *Religiosi* apostatæ recipientes Ordines in apostasia. 12. *Religiosi* admittentes

tentes ad Profeſsionem ante completum annum probationis. 13. *Religioſi* non vtentes habitu,& veſtitu modo ſibi præſcripto. 14. *Qui in* Concione populari,vel cœtu virorum, ac mulierum diſputant in alterutram partem de Conceptione B. V. ſuam ſententiam argumentis firmando, oppoſitam refellendo. 15. *Clerici* in ſacris conſtituti notorij fornicarij ſunt ſuſpenſi,donec pœniteant Qui ſi ante actam pœnitentiam in Officio ſuo miniſtrent, ſiunt irregulares, per ſolum Papam diſpenſandi.

Hæ ſunt communiores ſuſpenſiones, plures partim vſitatæ, partim iam abrogatæ videantur in alijs Auctoribus, præſertim in Binsfeldio. *Vide Tract. de Bulla, Exam.* 2. §. 8.

* 43 QUÆRO X. Quid,& quotuplex eſt, & quomodo fit depoſitio, vel degradatio,quam ante dixiſti reduci ad ſuſpenſionem? *Reſp.* 1. Depoſitio eſt *privatio Ordinum Clericalium* in ſenſu explicando. Et eſt duplex: Vna *verbalis*, altera *realis*. Prima eſt, qua per Epiſcopi,vel eius Vicarij,ſpeciale ad id mandatum habentis, ſententiam,Clerico in perpetuum prohibetur Ordinum ſuorum executio, & ad altiores promotio, quod idem eſt,ac eſſe perpetuò ſuſpenſum, niſi ab Epiſcopo diſpenſetur poſt actam pœnitentiam: ante quam tamen,adhuc gaudet privilegijs Clericalibus. *Realis* depoſitio eſt idem, quod degradatio, ac privat non ſolùm executione Ordinum, ſed & Clericatu, ac privilegijs eius, vt degradatus impoſterùm habeatur velut Laicus; etſi character maneat.

* 44 *Reſp.* 2. Degradatio fit cum certa ſolemnitate. Imprimis fit degradatio verbalis, id eſt, fertur *ſententia degradationis* coram certo Epiſcoporum numero, nimirum coram ſex, ſi degradandus ſit Præsbyter: coram tribus, ſi ſit Diaconus, vel Subdiaconus. Sic habent iura antiqua, ſed nunc iuxta *Trid. Seſſ.* 13. *de reform.* c. 4. ſufficit, vt interſint totidem Abbates, vel (ſi illi haberi non poſſint) alij Clerici indignate conſtituti. Si degradandus ſit Clericus minorum Ordinum, ſolus Epiſcopus, alijs non aſsiſtentibus, cum degradare poteſt.

Poſt latam ſententiam, degradandus veſtibus ſuis indutus, manibus tenens librum, vas, ſeu inſtrumentum, vel ordinamentum ad Ordinem ſuum ſpectans, quaſi deberet publicè ſuum Officium peragere, aut celebrare, adducitur ad Epiſcopum, qui ſingulatim ei aufert omnia ornamenta, & veſtimenta incipiendo ab illo, quod ei in vltima Ordinatione fuit traditum, & gradatim deſcendendo vſque ad primam veſtem in prima tonſura ei datam, deinde raditur caput eius, ne appareat ſignum Clericatus eius. Quæ ſint verba,quibus Epiſcopus vtitur dum inſignia Clericalia detrahit, videri poteſt in Rituli. Tandem Epiſcopus ita loquitur: *Auctoritate Dei omnipotentis, ac noſtra, tibi auferimus habitum Clericalem, deponimus, degradamus, & exuimus omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali, &c.*

Facta degradatione degradatus traditur Iudici ſæculari, qui debet eſſe præſens in actu degradationis. Eccleſia tamen pro eo intercedit, ne plectatur morte. Dictus Judex ſæcularis non poteſt reo facere novum proceſſum, ſi crimen ſit merè fori Eccleſiaſtici, vt ſimonia, hæreſis, &c. ſed præcisè poteſt exequi ſententiam Judicij Eccleſiæ. Si verò ſit crimen fori mixti, vt homicidium, magia, &c. poteſt à Judice Eccleſiaſtico petere proceſſum, vel etiam novum facere, ac ſtatuere pœnam ſecundum iura.

Interdictum, ſeu Ceſſatio à Divinis.

* 45 QUÆRO XI. Quid de his ſentis? *Reſ.* 1. Interdictum ab *interdicendo*, ſeu prohibendo dictum, definitur, quod ſit *Cenſura Eccleſiaſtica, prohibens aliquorum Sacramentorum miniſtrationem, & receptionem, ac divina Officia etiam audiendo: & ſepulturam Eccleſiaſticam, ac ingreſſum Eccleſiæ.* Differt ab Excommunicatione, quæ privat communicatione: & à ſuſpenſione, quæ directè privat vſu poteſtatis Eccleſiaſticæ: Interdictum verò directè privat Sacramentis, & divinis Officijs, licèt etiam indirectè privet illis, quæ conſequuntur ad directè prohibita. Excommunicatio, & ſuſpenſio tantum feruntur ob culpam propriam, interdictum verò etiam ob alienam. Excommunicatio nequid ferri in Vniverſitatem, ſeu Communitatem,vt dictum eſt ſuprà, bene tamen interdictum. *Nota tamen*, quod interdictum non ſemper privet omnibus illis, quæ definitio data exprimit, ſed aliquando vno ſolum,interdum pluribus; prout in iure exprimitur.

Reſp. 2. Interdictum dividitur *Primò* in *Locale*, quod prohibet in certo loco divinis Officijs aſsiſtere: Et in *Perſonale*, quod hanc intereſſentiam prohibet certæ perſonæ in quocumque loco. *Secundò* dividitur in *generale*, & in *ſpeciale*. Primum eſt, quo generalis, ſeu totus locus aliquis, *v. g.* totum Regnum, Provincia, vel Diœceſis, Civitas, ſeu tota Communitas interdicitur Alterum eſt, quo aliquis particularis locus, aut certæ particulares perſonæ alicuius Communitatis, *v. g.* Parochia,vel Cœnobium alicuius Civitatis interdicitur. Eſt & aliud Locale, & Perſonale ſimul, quando nimirum interdicitur locus cum perſonis. Item aliud reſervatum,aliud non reſervatum.

* 46 *Reſ.* 3. Interdicere poteſt Papa, Epiſcopus, & Capitulum Sede vacante: immò regulariter omnes illi, qui poſſunt excommunicare, & ſuſpendere, vt conſtat ex iure. *Reſp.* 4. Ad ferendum grave interdictum, *v. g.* totius Provintiæ, vel Civitatis, requiritur peccatum mortale; ad leve, *v. g.* ad modicum tempus, vel quod privat aliqua re exigui momenti, ſufficit veniale. *Ratio*: Quia debet eſſe proportio inter pœnam,& culpam. *Reſ.* 5. Effectus Interdicti ſunt 1. privare activè, & paſsivè (id eſt, quoad adminiſtrationem, & receptionem) aliquibus Sacramentis, *v. g.* Euchariſtia, niſi detur per modum Viatici, Sacramento pœnitentiæ, ſed ſolus culpabiles, perſonaliter interdictos, niſi ſatisfaciant, vel cautionem præſtent; aut Extrema-Vnctione, quę non poteſt conferri in loco interdicto, aut ſpecialiter interdictis.

2. *Privat activè*, & paſsivè officijs divinis, *v. g.* celebratione Miſſæ,audientia eius,facultate cantandi,aut aſsiſtendi divino Officio, Horis, Matutinis, Veſperis, Proceſsionibus, Aqua benedicta, &c. Vel etiam ſolùm privat ingreſſu Eccleſiæ,id eſt,functione Ordinis ſacri in Eccleſia, non tamen privat facultate ingrediendi Eccleſiã, & recipiendi Sacramenta tunc,quando Officium divinum non celebratur. 3. *Privat* ſepultura Eccleſiaſtica, attamen illi, qui interdicti non ſunt, poſſunt ſepeliri in loco,qui non ſubiacet interdicto.

Reſp. 6. In Interdicto locali generali illi,qui ſunt innocentes,ideſt,qui auxilio,conſilio,favore,&c. Interdicto cauſam non dederunt, poſſunt divina audire extra locum interdictum. *Ratio*: Quia Interdictum *locale* continet in ſe *perſonale* ſolùm circa eos, qui directè, vel indirectè ſunt cauſa, vt poſſimus ſit

interdictum. Ex quo sequitur, quòd qui subiacent interdicto personali, quamvis generali, cui causam dederunt, non possint etiam extra locum interdictum licitè divinis interesse.

* 47 *Resp.* 7. Interdicto populo, non est eo ipso interdictus Clerus, vel è contra: & Clero interdicto, non eo ipso censentur interdicti Religiosi. *Ratio*: Tum quia Clerus non venit intelligendus nomine Populi, nec Religiosi (etsi per sacros Ordines verè fiant Clerici) communiter nō intelliguntur nomine Clericorum, & maximè in materia odiosa, & pœnali, in qua communiter termini sunt accipiendi secundùm communem significationem. *Tum* etiam, quia non facilè oportet recurrere ad talem interpretationem, ex qua totus locus, *v.g.* civitas, destituatur Officio divino tam apud Clericos Sæculares, quàm apud Regulares. Ergo.

Resp. 8. Innocentes non comprehenduntur, nec puniuntur interdicto generali per se, & directe, sed solùm per accidens, & quamdiù sunt in eo loco, sentiuntque damnum quidem sine culpa, sed non sine causa: quo damno se possunt liberare exeundo ex loco interdicto. *Patet hoc* exemplo belli iusti, in quo pereunt multi Innocentes, qui nullam bello dederunt causam; pereunt, inquam per accidens, & sine culpa quidem, sed *non* sine causa, *quia* nimirū sine eorum damno non potest obtineri finis iusti belli.

* 48 *Resp.* 9. Tempore interdicti localis standum est de facto determinationi cap. *alma mater*. Vbi Bonifacius VIII. rem hanc ita limitavit, nimirum, vt tempore interdicti localis (secus est de speciali alicuius Ecclesiæ, hoc enim aliàs esset absque omni effectu, & frustraneum) quotidiè in Ecclesijs, & Monasterijs Missæ, aliaque officia celebrari possunt sicut priùs, ast submissa voce, ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, ac non pulsatis campanis; in festis verò Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis, Omnium Sanctorum, etiam pulsatis campanis, ianuis apertis, ac alta voce, modò excommunicati excludantur, & illi, propter quos interdictum est positum non appropinquent altari, ideſt, non faciant Offertorium.

Potest etiam tempore interdicti ministrari Baptismus, tàm adultis, quàm parvulis, potest fieri confectio Chrismatis in die Jovis Sancto, dari Sacramentum Pœnitentiæ, tàm sanis, quàm infirmis, exceptis excommunicatis, & illis, quorum culpa interdictū est positum, nisi priùs sint absoluti à censura, & satisfecerint, vel saltem cautionem dederint. Item potest contrahi Matrimonium absque tamen solemni copulatione, & benedictione in Ecclesia. De quo plura videantur in Canonistis.

* 49 *Resp.* 10. Qui violat interdictum, mortaliter peccat. *Ratio*: Quia in re gravi agit contra prohibitionem Ecclesiæ. *Resp.* 11. Clericus personaliter interdictus in sacris constitutus, aut in loco interdicto exercens actum Ordinis incurrit irregularitatem, in qua solus Papa dispensat. Patet cap. *Is qui, de sentent. Excommunic. in 6. Resp.* 12. Absolvere ab interdicto potest is, qui illud tulit, aut eius Superior, si sit ab homine; si sit à Canone, seu à iure ad certum terminum, eo elapso finitur; si est positum absolutè, & conditori Juris non reservatum, relaxari potest ab Episcopo; si sit interdictum personale, & non reservatum, absolvit ab eo, sicut, & ab alijs censuris non reservatis legitimus Confessarius.

* 50 *Resp.* 13 Interdicta à iure sunt varia, vix vsitata, quæ videri possunt in Summistis, vel Canonistis. Plura adducit Binsfeldius, ex quibus frequentiora sunt hæc, quod interdicti sint Clerici, ac Religiosi inducentes aliquem ad vovendum, vel promittendum de sepultura, si in Ecclesia eum sepeliant; si non restituant omnia intra decem dies. *Item locus* specialiter à iure est interdictus, nimirum Ecclesia aliqua si sit pollura per homicidium, vel iniustam sanguinis effusionem, aut humani seminis, studiosè procuratam. Item Ecclesia consecrata per simoniam, vel principaliter pro quæstu, vel sine licentia Diœcesani, vel sine Reliquijs, &c.

Resp. 14. Ad interdictum reducitur, eique similis est cessatio à Divinis, quæ tamen non est propriè censura, sed est ipsa desistentia à Divinis, seu ipsum factum, quo, propter aliquam gravem iniuriā Ecclesiæ illatam, divina suspenduntur, sive ab eis cessatur, vt iniuriantes resipiscant. Differt ab interdicto per hoc, quòd cessatio non afficiat personas, sed solùm locum, adeòque extra locum (in quo est cessatum à Divinis) quilibet licitè potest audire Divina: & licèt Clericus in tali loco celebrando peccet mortaliter, non tamen fit irregularis.

IRREGULARITAS.

* 51 QUÆRO XII. Quid de ea? *Resp.* 1. Irregularitas definitur, quòd sit *impedimentum canonicum directè impediens à susceptione Ordinum, & vsu susceptorum, vt Ordines sunt*: ob reverentiam, quæ requiritur ad Divina, quibus repugnat causa, nimirū defectus, vel delictum, ex quo oritur. *Explicatur*: Dicitur *Irregularitas*, quasi privatio regulæ, & irregularis, quasi regula privatus. Dicitur *impedimentum*, ex quo patet, quòd non sit propriè censura, cùm non sit propriè pœna; sed inhabilitas quædam moralis, & potest esse absque peccato, vt patet ex *S.T. 2.2.q 64 a.6.ad 3.* in Judice iustè aliquā condemnante ad mortem. Dicitur *Canonicum*, ideſt, Jure Canonico introductum, cùm nulla detur irregularitas, quæ in sacris Canonibus non sit expressa. Cæterę particulæ volunt, quod irregularitas, Ordinum susceptionem præcedens, facit inhabilem ad suscipiendum, & sub hac ratione etiam cadit in Laicos: subsequens verò facit ineptum ad exequendum. Dicitur autem, *directè*, & *vt Ordines sunt*, ad differentiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliorumque impedimentorum Canonicorum, quæ licèt impediant Ordines, & vsum eorum, inquantum sunt communicatio, Sacramenta, Officia, aut Beneficia Ecclesiastica; non tamen inquantum sunt Ordines saltem directè, vt advertit noster Labat. Differt vlteriùs irregularitas à præfatis censuris, quòd hæ ferantur, tum à iure, tum ab homine. Illa verò à solo Jure, & quidem Ecclesiastico: quia nulla datur de Jure Divino, quo tamen jure, Ordinis incapax est fœmina, & mas non baptizatus, qui tamen non sunt irregulares.

Præterea irregularis, eo ipso, quod est talis, non privatur jurisdictione ad absolvendum à peccatis sicut excommunicatus, nisi sit denuntiatus: peccat tamen mortaliter absolvendo: ipse etiam potest absolvi à peccatis, ac Eucharistiam suscipere ad instar Laici. Quia irregularitas non est censura, vt dictum est. Item si Missam celebret, peccat mortaliter, non tamen incurrit novam irregularitatem.

* 52 *Resp.* 2. Irregularitas facit hominem incapacem collationis beneficij, sic vt collatio ei in illo

illo statu facta non solùm sit illicita, seu contra Canones, ac infirmanda, sed etiam ipso iure nulla; ita vt provisus in conscientia teneatur resignare beneficium, ac obtenta dispensatione de novo ad illud habilitari. Hanc sententiam esse tutiorem, & practicè probabiliorem testantur ipsi adversarij, fatentes suam solùm esse probabilem. *Ratio*: Tum quia hæc sententia est valdè conformis naturæ irregularitatis, vipotè, quæ videtur hominem omninò inhabilem reddere ad iura Clericalia. *Tum* quia secundùm iura beneficium datur propter Officium: Ergo inhabilis ad officium, est etiam talis ad beneficium. Nota tamen ignorantiam irregularitatis posse excusare; Qui dubitat se esse irregularem, tenetur in foro animæ se, vt talem gerere; vt dictum est supra *T. 2. E. 1. nu. 15*.

* 53 *Resp.* 3. Irregularitas dividitur in totalem, & partialem. *Prima* eaque propriè dicta est, quæ privat omni Ordini suscipiendo, & suscepti exercitio, vti est, quæ oritur ex homicidio, bigamia, &c. *Altera est*, quæ solum privat aliquo Ordinis ministerio, vel solum ascensu ad ordinem superiorem, *v. g.* Sacerdos, cui abscissus est pollex, vel medietas palmæ, non audet sacrificare, bene tamen Confessiones audire; & Diaconus, qui perdidit sinistrum oculum, nequid fieri Sacerdos, potest tamen fungi officio Diaconi. Pro quo sit hæc Regula: Deformitas, vel debilitas superveniens Clerico, facit eum inhabilem respectu illius officij, quod propter eam ritè exercere non potest. Posset etiam partialis irregularitas, impropriè tamen, dici ea, quæ solum est temporalis, *v. g.* quæ est durante infantia, morbo, infamia facti, &c.

Resp. 4. Irregularitas magis propriè, & communiter dividitur in eam, quæ est ex delicto, quod debet esse mortale, & in eam, quæ est ex defectu: ad denatandas duas causas materiales irregularitatis, quarum vna est actio peccaminosa, nimirum delictum, de quo postea: Altera ordinariè sine peccato, & est defectus. Irregularitas ex defectu iterum variè dividitur. Nimirum in eam, quæ est ex defectu corporis, & in eam, quæ est ex defectu animæ, & in eam, quæ est ex defectu lenitatis, & in eam, quæ est ex defectu Sacramenti nimirum Matrimonij, seu significationis.

Explicantur singula species.

Irregularitates ex delicto sunt 1. quæ contrahitur ex infamia, à sacris Canonibus, vel à iure Civili, vel ab hominum æstimatione certis criminibus notorijs, & publicis, *v. g.* apostasiæ, simoniæ, sodomiæ, perjurio in iudicio, hæresi, &c. imposita. Vnde omnes Hæretici, (nimirum externi) Apostatæ, eorum fautores, defensores, credentes, sunt irregulares. *Item* irregulares sunt, qui officium infame exercuerunt, vt histriones, satellites, carnifices, & similis farinæ homines. 2. *Ex iteratione* Baptismi ferio, & scienter, vel ex ignorantia culpabili facta, ac suscepta, comprehenditque rebaptizantem, & rebaptizatum. 3. *Ex violatione* censuræ, *v. g.* excommunicationis, aut suspensionis, vt si in ea actum aliquem Ordinis solemniter exerceat, nisi invincibilis ignorantia excuset. 4. *Ob peccatum*, quo Clericus serio, & scienter exercet actum Ordinis sacri, quem non habet, vt si Diaconus conficeret Eucharistiam, vel conferat Extremam-Vnctionem. 5. *Aliqui* inter irregularitates numerant illas suspensiones, quæ suprà num. 42. de male ordinatis relatæ sunt. 6. *Ex homicidio*, & mutilatione, quæ sexta irregularitas est non solùm ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis. Et *Ratio* eius est: quia plane indecens videtur, vt, qui alienum sanguinem fudit, mitissimi Christi (proprium sanguinem pro nobis effundentis) personam in Altari repræsentet, immaculatam, & incruentam Deo Patri Hostiam offerens. Sed de hoc plura postea *num. 45. Anpossint absolvi per Bullã? Vide Trèt. de Bulla Exam. 2. §. 8. de Censuris, &c.*

* 55. Irregularitas ex defectu Sacramenti, seu significationis contrahitur ex bigamia, in qua deficit repræsentatio, seu significatio vnitatis Sponsæ, seu Christi spiritualiter Matrimonio iuncti cum vnica Sponsa Virgine, nimirum Ecclesia, bigamus verò corpus suum divisit duabus, vt pulchre explicat *Angel. Doct. in Supplem. q. 66. a. 1. in c.* quamvis enim transire ad secundas nuptias non sit peccatum, deest tamen dicta significatio, ad quam requiritur, *dix S. Thom. ibid.* vt Vir tantum sit vnius Vir, & Vxor sit tantum vnius Vxor. Vnde bigamia, quæ aliàs nihil aliud est, quam reiteratio Matrimonij, quoad præsens definitur, quod sit *defectus proveniens ex secundis nuptijs*. Vel sic: Est *irregularitas proveniẽs ex defectu Sacramenti, nimirum Matrimonij*.

Quatuor sunt modi bigamiæ, subdit S. D. ibidem: *Primus est*, cum quis plures habet Vxores, de iure successivè. *Secundus*, cum simul habet plures, vnam de iure, aliam de facto. *Tertius*, cum plures habet successivè, vnam de iure, aliam de facto. *Quartus*, quando viduam ducit in Vxorem. Et omnibus his est irregularitas adjuncta. Hæc ibi. Et impedit omnem Ordinem, *vt docet 2. 2. q. 108. art. 4. ad 2. Si quis* in vxorem ducat eam, quam Ipsemet defloravit, docet *S. D. in Supplem. q. 66. cit. art. 3. ad 2.* probabilius esse, quod non sit irregularis, quia carnem suam non divisit in plures. Si mulier fornicetur post matrimonium contractum, non efficitur ex hoc vir irregularis, vt docet *S. D. ibid. ad 4.* nisi post corruptionem adulterij eam iterato cognoscat, etsi per ius compellatur ei reddere debitum: & hoc dicit esse probabilius: quia hic non requiritur quod sit peccatum, sed significatio tantum. Et *ibid. art. 3. in corp. docet*, & probat, quòd vir fiat irregularis, si ducat non Virginem, seu ab alio corruptam, purã, nunquam maritatam: si autem ipse corruptus contrahat, ex hoc non fiat irregularis. Ex quibus omnibus colligitur, quod per matrimonium ratum non consummatum, non incurratur bigamia, quia caro non dividitur in plures, nisi per actualem copulam. Ex his.

* 56 *Triplex est Bigamia*, nimirum vera, Interpretativa, similitudinaria. *Vera, est* in eo, qui successivè habuit, & cognovit duas legitimas vxores. *Interpretativa*, est in triplici casu. 1. *Si* in vxorem quis ducat, & cognoscat eam, quæ iam est corrupta, sive sit vidua, sive fornicaria. 2. *Quando* maritus reddit debitum vxori adulteræ, quia in vtroque casu non est vnica vnici, & ius interpretatur talem esse bigamum, quia duxit, & cognovit eam, quæ bis contraxit, vel carnem suam divisit, licèt ipse vir duas nuptias non fecerit. 3. *Dum quis* in figura, & specie Matrimonij viduam, vel plures mulieres cognovit, tanquam vxores; sed Matrimonium ob impedimentum quoddam dirimens fuit nullum. Vbi fuit saltè species Matrimonij, & quantum est ex parte affectus, sed interpretativè matri-

monialiter contraxit. *Tandem* bigamia similitudinaria est, dum Religiosus professus, vel Clericus sacris initiatus, adeoque post contractum spirituale matrimonium cum Deo, & Ecclesia, in vxorem ducit, & cognoscit viduam, vel aliàs corruptam, vel etiam virginem. Hæc irregularitas non oritur quidem ex defectu significationis Matrimonij (cùm hoc sit nullum) sed ex delicto. Vocatur verò *similitudinaria* à similitudine, quam inter se habent conjugium spirituale, & carnale.

Bigamia ante Baptismum contracta, per eum non tollitur, sicut enim per illum non recuperatur virginitas, ita nec carnis indivisio, vt docet S. T. *dicta q. 66. art. 4. in corp. & ad 3.* Pariter per Baptismum non tollitur irregularitas, quæ est ex defectu natalium.

* 57 *Irregularitas ex defectu corporis* contrahitur à corpore vitatis, quorum alij sunt *debiliciati*, vt qui vel laborant gravi continuo morbo; vel in aliquo membro, aut parte eius talem habent defectum, qui ministerium Ordinis impedit: Alij *mutilati*, qui membro aliquo carent; alij *notabiliter deformes*, qui in membris exterioribus tali sunt affecti vitio, defectu, vel macula, vt sine scandalo, irrisione, vel gravi horrore non possint conspici. Cuius inhabilitatis, deformitatis, & scandali irregularitatem, inducentis iudicium spectat ad Episcopum.

* 58 *Quid sentii* de gibboso, aut claudo? *Dico*: Licet videatur esse deformitas, si tamen Missam sine baculo celebrare possit, non est irregularis. *c. si quis 10. dist. 55. Quid de defectu* oculi? *Dico*: Qui ob erutum oculum, sive dextrum, sive sinistrum, non solum caret visu, sed simul præfert deformitatem, est irregularis, licet invito erutus sit. *c. sit dist. 55.* si tamen oculus sinister (qui dicitur *Canonis*, quia illo legitur Canon Missæ) manfit, salvus, & integer, Papa facilius cum tali dispensat. Qui habet oculum Canonis bene valentem, dextrum vero integrum quidem, sed virtutem visivâ carentem, non est irregularis. Id est, si habeat oculum dextrum bene valentem, canonicum verò integrum quidem, sed nihil videntem, si absque indecora, ac deformi faciei conversione possit Canonem legere: cui rei ipsa libri accomodatio servire potest. Ita docet La Cruz citans Navarrum, & Ludov. Lopez. Pro eadem sententia citantur Barbosa, Layman, Suarez, & alij.

Habens oculum fictitium, seu artificialem, vt vitreum, est irregularis, cum oculus naturalis vetè sit erutus, & deformitas facile apparere possit. *Luscus*, id est, habens oculos obliquos, si defectus sit tantus, vt ad legendum se valdè inclinando populo risum, seu illusionem pariat, est irregularis, qua tamen in re stetur iudicio Episcopi. Idem est de eo, qui habet lippos, seu continuo lachymantes oculos. Cæcitas absque culpa superveniens facit irregularem, seu inhabilem ad ea, ad quæ peragenda requiritur visus; vndè etsi talis non possit celebrare Missam, potest tamen audire Confessiones, psallere in Choro, beneficium (si coadiutorem habeat) retinere, &c.

* 59 *Quid de habente* impedimentum linguæ? *Dico*: Si sit tantum, vt verba, quæ profert, non possit explicare, est irregularis, adeoque non potest ordinari; est enim incapax ad baptizandum, absolvendum, consecrandum, &c.

* 60 *Quid de Hermaphrodito*, seu in quo sunt membra genitalia vtriusque sexus? *Dico*: Si vterque sexus in eo est æqualis est irregularis, quia est mostrum. Immò etiam est irregularis, etsi sexus virilis prævaleat, quia adhuc est magna moralis indecentia, & monstruositas: licet enim sit vir, non tamen simpliciter, sed habet simul naturam fœminæ.

Quid si quis habeat alia membra superflua? *Dico*: Si ex eis proveniat inhabilitas, vel nimia deformitas, est irregularis: Cæteroquin non est, licet superflua abscindat, deformitate non remanente.

* 61 *Quid de Castrato*? *Dico*: Probabilius est, quod qui sciens, & volens à se, vel ab alio, sive ob servandam castitatem, sive ob servandam pro musica vocem est castratus (de qua re actum est suprà *T. 9. E. 2. n. 20.* & 21. vbi etiam dictum est, an debeat talem partem abscissam pulverizatam portare ad collum) sit irregularis. *Ratio*: Quia est voluntaria mutilatio sui, & quidem, vt loco citato probatum est, probabiliùs illicita. Dixi, *sciens, & volens*: Quia Eunuchus natus, vel in cunis ante septennium, & vsum rationis, vel per violentiam invitus (etiam potu somnifero adhibito) aut à Medicis ob ægritudinem castratus, non est irregularis.

* 62 *Quid* de mutilato? *Dico* 1. Qui seipsum absque causa mutilat, etiam in parvo membro, v. g. in parte cuiuslibet digiti, est irregularis; non ita propter defectum, quàm propter seviriam, qua sibi ipsi audet ferrum injicere, cap. *qui partem* in 6. dist. 55. *Dico* 2. Qui ex iusta causa, vel non volens ab alio est mutilatus in membro ad Ordinis exercitiũ necessariò requisito, vel secuta notabili deformitate, vt si amputetur manus, vel nasus, &c. est irregularis, & non est ordinandus, cap. *exposuisti*, tit. *de corp. vitiatis*, si verò illi exercitio non obstet, non est irregularis.

* 63 *Quid de epileptico*, seu laborante morbo caduco, seu, vt alij vocant, comitiali? *Dico*: Non potest ordinari, etsi sanetur, vt La Cruz probat ex argumento, *cap. fin. 15. q. 1.* & dicit ita communiter doceri. Si iam est ordinatus, & non sanatus, non permittitur ministrare propter periculum. Si omninò est sanatus, & ab vltimo malo per annum probatus, potest permitti.

* 64 *Quid de Dæmoniaco*, seu arreptitio, seu energumeno, id est, qui à Dæmone obsidetur, seu corporaliter arripitur, &c. *Dico*: Si non est ordinatus, nunquam potest ordinari, tanquam irregularis: Si iam est ordinatus, est ab officio suspensus, vsque dum vnius anni spatio probatus iudicio Episcopi censeatur esse liberatus, cap. *communiter 3. dist. 33. cap. 1. Can. 7. q. 2.* Hi posteriores defectus etiam ad defectum animæ spectant, vt patebit posteà.

Quid de eo, qui se Dæmoniacum simulat? *Dico*: Tractandus est in causa irregularitatis, ac si revera Dæmoniacus esset, vti *ex 6. Synodo Generali* Constantinopolitana, *in Trullo cap. 80.* probat noster Lublino, verbo *Irregularitas*, num. 35.

* 65 *Quid de abstemio*? *Dico*: Est irregularis respectu Sacerdotij, vt ad illud admitti non possit, potest tamen admitti ad Subdiaconatum, vel Diaconatum. Nec novum quid est, aliquem Diaconum non fieri Sacerdotem, vt patet in variis Titulis Cardinalium, ac Præbendis Canonicorum Cathedralium.

* 66 *Ad irregularitatem* ex defectu corporis reducitur illegitimitas, & servitus, ac defectus ætatis, & casus prolis expositæ, ac in platea, vel ante

januam

januam Ecclesiæ, aut Hospitalis inventæ, cuius parentes ignorantur.

Quid de his censes? Dico 1. Illegitimitas est defectus natalium inducens irregularitatem. Vndè omnes illegitimè nati ex fornicatione, stupro, adulterio, sacrilegio, aliovè illicito concubitu, sive notorij, sive occulti, sunt irregulares, tum ob dignitatem Ordinis, tum ob scandalum, tum ob periculum incontinentiæ, exemplo parentum.

Notanda sunt hic verba *S. Thom. in Supplem. q.* 39. *art.* 5. *in c.* vbi explicat, cur illigitimi repellantur ab Ordinibus dicens: Ordinati in quacumque dignitate præ alijs constituuntur, ideò ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam nó de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti, vt scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publicè pœnitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex viciosâ origine, ideò etiam ex illegitimo thoro nati à susceptione Ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: & tanto est difficilior eorum dispensatio, quantò eorum origo est turpior. Hæc ibid. De filijs illegitimis, eorum speciebus, ac legitimatione dicetur infrà E. 7. in fine Tract. de Matrimonio.

* 67 *Dico* 2. Mancipium, seu servus est irregularis, sic vt absque licentia Domini ordinari non debeat, nec licitè possit. Si cum licentia eius ordinetur, manet liber, & ingenuus; si sine, etsi characterem accipiat, & se redimere possit, si tamen se non redimat, satisfacit domino, exhibendo ei servitia, quæ non dedecent personam Ecclesiasticam.

* 68 *Dico* 3. Irregularitas ex defectu ætatis contrahitur, quando Ordines suspiciuntur ante ætatem à iure, & in *Trid. sess.* 23. *c.* 12. statutam, nimirum prima tonsura ante septennium. Subdiaconatus ante 22. annum, Diaconatus ante 23. Sacerdotium ante 25. inchoatum. Episcopatum ante trigesimum completum. Pœna ordinati ante legitimam ætatem, est suspensio vsque ad illam, vt suprà dicitur de suspensionibus. Dum legitima ætas adest, non statim eo ipso cessat suspensio scienter incursa, sed necessaria est absolutio, ac dispensatio: quam dispensationem, si delictum sit occultum, Episcopus dare potest.

* 69 *Dico* 4. Probabilius est, quod dictæ proles inventæ, quarum parentes ignorantur, sint habendæ pro illegitimis, nec sine dispensatione admittendæ ad Ordines. *Ratio*: Quia in dubio debet præsumptio desumi ex his, quæ communiter, & quasi certò accidunt: Sed communiter, & ordinariè (teste experientia) exponuntur proles illegitimæ. Ergò. *Nec obstat* opponere: Indubio præsumendum est pro legitimitate prolis tanquam parte favorabiliori; non, inquam, obstat: Quia vna præsumptio eliditur per aliam fortiorem: Sed nostra est fortior. Ergo. Aliud est, si sint expositi à parentibus propter inopiam, & postea ab eis agnoscantur; tunc enim ad Ordines possunt admitti.

* 70 *Irregularitas ex defectu animæ* proveniens incurritur ab amentibus, phreneticis, dæmoniacis, seu arreptitijs, de quibus antea dictum. *Item* ab insanis, & furiosis, qui flava, vel atrabile, ita abundant, vt ea adusta, & caput petente, eos faciat insanire, hominum consortia fugere, ac in locis desertis morari. *Item* à Lunaticis, id est, in interlunio natis, & cum Luna, ac instar Lunæ mutabilibus, ac inconstantibus, insanientibus, mente alienatis. *Item* à Neophytis, id est, recentur baptizatis, vel ad fidem conversis, vsquedum iudicio Episcopi sufficienter sint instructi. Et hoc ideò, ne quis fiat Magister, ant equam fuerit discipulus, & ne exinde, vt S. Paulus loquitur *in superbiam elatus in iudicium*, ac laqueum *incidat Diaboli*. Tandem ab illiteratis, seu ignaris, id est, carentibus scientia pro suscipiendis Ordinibus necessaria. De qua *Trid sess.* 23. *c.* 4. 11. & 14.

* 71 *Irregularitas ex defectu lenitis* incurritur ex licita, ac illicita mutilatione, homicidio, in bello, in iudicio: Ratio huius statuti Ecclesiæ est: Quia vult vt Sacerdos vtpotè gerens personam Christi, qui nullum vnquam læsit, ei conformetur in lenitate. Vt autem incurratur, necesse est, vt occisio, vel mutilatio actu sequatur, nec sufficit propositum, nec sola vulneratio etiam gravis. Porrò tripliciter potest contingere homicidium, vel mutilatio. 1. *Voluntariè*, & iustè, vt dum minister Justitiæ reum morti adiudicatum occidit. 2. *Voluntariè*, & iniustè, vt si privatus homo suum proximum occidat deliberatè, vel ex ira, odio, &c. 3. *Casualiter*, & præter intentionem, vt si Venator in sylvis volens sclopeto interficere feram, occidat hominem casu prætereuntem, à se non visum.

* 72 *Quid sentis* de homicidio voluntario, & iusto. *Dico* 1. Quantum ad irregularitatem ex homicidio contrahendam, non est in iure, vel communi Doctrina Canonistarum invenire differentiam inter Laicum, & Clericum, sed vbicumque irregularis est Clericus, etiam est & Laicus, & econtra, vt ait noster Sylvester, excipiens homicidium casuale, vbi est aliquando irregularis Clericus, & non Laicus, & econtra; quia aliquid est illicitum Clerico, & non Laico, vt mercari, & ludere ludo Clericis interdicto, vel mederi; & econtra, vt celebrare Divina. Vndè si ex mercatione Clerici sequatur occisio, adhibita diligentia, est irregularis; non autem Laicus.

Dico 2. Qui sive Clericus, sive Laicus ob necessariam vitæ suæ, seu corporis defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ factam, alium occidit, vel *mutilat*; non est irregularis. Ita clarè habetur in Clement. vn. de hom. *Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Huius oppositum de Clerico tenebatur tempore S. Thomæ, etiam ab ipso S. D. claris verbis 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *ad* 3. & *in Supplem. q.* 39. *art.* 4. *ad* 3. Et hoc ideò quia, vt ait Sylvester, tunc ista Clementina nondum emanaverat.

Notandâ hic sunt verba *S. Thom. in Supplem. q.* 39. *art.* 4. *in c.* vbi explicat, cur homicidæ repellantur ab Ordinibus, dicens: Omnes Ordines referuntur ad Eucharistiæ Sacramentum, quod est Sacramentum pacis nobis factæ per effusionem Sanguinis Christi, & quia homicidium maximè contrariatur paci, & homicidæ magis conformatur occidentibus Christum, quam ipsi Christo occiso, cui omnes ministri prædicti Sacramenti debent conformari: ideò de necessitate præcepti est, quod non sit homicida, qui ad Ordines promovetur; quamvis non sit de necessitate Sacramenti. *Hæc ibi.* Et ibidem *ad* 2. *ait*. Irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum Eucharistiæ minis-

ministrandum. Et ideò Iudex, & omnes, qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares propter hoc, quod effusio sanguinis non decet ministros dicti Sacramenti. *Hæc S. Doct.*

* 73 *Dico* 3. Qui iniustum Reipublicæ, vel hominis innocentis invasorem mutilat, vel occidit, cùm ad hanc defensionem naturali, & divina Lege tenetur, sive Laicus, sive Clericus, non ideò fit irregularis. *Ratio*: Tum quia non est credibile, quòd mens Ecclesiæ sit aliquem afficere macula irregularitatis propter hoc, quòd servet Legem naturæ in succurrendo bono communi, & Innocentis. Tum etiam, quia irregularitas ex homicidio licito incurritur ob defectum perfectæ lenitatis, seu mansuetudinis: sed ubi simpliciter, & per se obligant iustitia, pietas, & charitas, nequit dici esse defectus mansuetudinis; ne dicatur vna virtus alteri repugnare. Ergo. Dixi, *simpliciter, & per se*; Quia ministros iustitiæ lex iustitiæ ad occidendos malefactores solùm obligat ex suppositione officij voluntariè assumpti, & illi fiunt irregulares.

Ex adducta probatione facilè reijcitur scrupulus aliquorum, qui renuunt subvenire alicui ægro, vel vulnerato, eum levando, cibum ei porrigendo, timentes, ne eius mortem accelerent, & indè irregularitatem incurrant; si enim bona fide, & sine dolo procedant, licèt fortè in aliquo erraverint ob rationem datam, omnem scrupulum deponant, præsertim ad consilium boni viri.

* 74 *Dico* 4. Probabilius irregularitatem incurrit, quicumque occidit, vel mutilat aliquem pro defensione famæ, vel honoris, quia iudicat fugam sibi esse indecoram. Idem est, si fiat pro defensione bonorum fortunæ. Et hoc etiam in casibus suprà *T. 9. E. 2. n. 31. & seq.* tractatis, in quibus occidens non peccat. 1. *Pars* clarè patet ex dicta Clementin. illis verbis, *qui mortem aliter vitare non valens*: Sed in hoc casu non est periculum mortis, vt constat: Ergo. 2. *Pars* patet ex cap. *fusceptimus*, de homicidio, ibid. *Quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum fustinere iacturam, quàm pro conservandis vilibus, & transitorijs rebus tam acriter in alios exardescere.* Et Glos. in cap. 2. eod. tit. ait: *Irregularis factus est, quia potiùs debuit dimittere sua, quàm interficere.* Ratio vtriusque patet: Ad irregularitatem requiritur necessariò culpa, sed consequitur ad actum homicidij, etsi sit absque peccato, vt patebit ex statim dicendis. Excipiuntur soli casus ante in dico 2. & 3. descripti.

* 75 *Dico* 5. Exceptis dictis duobus casibus, omnis, qui iustè hominem occidit, vel mutilat, vel etiam licito modo dat causam propinquam mortis, vel accelerationis eius, fit irregularis, effectu secuto. Ita patet ex multis Canonibus, quos Auctores adducunt. *Ratio* huius statuti Ecclesiæ antea data est. *Ex his sequitur* 1. quòd qui in bello offensivo, sive iusto, sive iniusto propria manu mutilat, vel occidit, fiat irregularis ob rationem statuti Ecclesiæ, cuius ante mentio facta fuit. Qui in bello iusto merè defensivo, certè tali, pro defensione Patriæ, vel Ecclesiæ contra violentos aggressores ex obligatione charitatis, aut pietatis pugnant, mutilant, aut occidunt, ab irregularitate manent immunes, iuxta sensum in Dico 3. datum, & probationem eius; si sint Laici.

Dixi, *si sint Laici*; Nam in cap. *Petitio, de homicid.* Clericus iudicatur irregularis, si in bello contra hostes fidei Catholicæ aliquem interfecit. Communiter enim non decet Clericos, maximè sacris initiatos, propria manu pugnare, cùm per Laicos violentia depelli possit. Si tamen esset tanta necessitas, vt sine Clericorum pugna Patria, vel Ecclesia liberari non posset ab iniquorum hostium invasione, etiam ipsi ab irregularitate manerent liberi; ob rationem pro Dico 3. datam.

Cæterùm si bellum sit iniustum, modò vnicus homo occidatur, vel mutiletur, omnes, qui auxilium, vel consilium dederunt, sunt irregulares. Quia omnes per auxilium, vel consilium concurrendo ad damnum, vel crimen, censentur esse vna causa moralis. Vide suprà *T. 9. E. 2. n. 10. & 11.* quomodo Clericis præsertim iurisdictionem sæcularem habentibus liceat se immiscere causæ sanguinis, an possint iudices pro ea deputare, eos hortari, executioni interesse. Item vide *T. 7. E. 7. n. 27.* an Clericis, & Episcopis licitum sit bellare.

* 76 *Sequitur* 2. Quòd in iudicio etiam iusto omnes fiant irregulares, qui *activè*, & *efficaciter*, ac *proximè* per actionem ad id ex natura suâ ordinatam sunt causa mortis, vel mutilationis: vti sunt Iudex, qui sententiam fert; Notarius, qui eam scribit: Ministri, qui eam exequuntur, & testes, &c. Per ly *activè* excipitur is, qui se habet solùm passivè, *v.g.* Confessarius, qui reum monet, vt veritatem, fateatur, vt sententiæ iustæ acquiescat, &c. Per ly *efficaciter* excipiuntur, qui executioni sunt quidem præsentes, sed quorum præsentia in executionem non influit; vel qui, quando reus iam est suffocatus, portant ligna pro eius combustione. Per ly *proximè* excipiuntur, qui tantùm remotè cooperantur, vt qui faciunt, aut vendunt funes, vel gladios. Idem est de Legislatore ferente leges capitales; de Concionatore in genere dicente, malefactores esse plectendos; De Confessario interrogato, an reus sit dignus morte, ac Respondente Iudicem posse facere, quod est sui Officij. Verùm ab irregularitate immunis non esset is, qui in particulari quid faceret, aut diceret, ex quo mors sequeretur, vel acceleraretur, *v.g.* reum efficaciter vrgendo, vt scalam ascendat, vel ad hoc eum iuvet, vel si Iudici dicat, Hic est plectendus capite. Excusat etiam in hoc casu indeliberatio, *v.g.* si quis etiam Confessarius dicat, Properemus; Vel si iumentum, quo reus vehitur, stimulet. *Item*, quia parùm pro nihilo reputatur, excusat etiam parvitas materiæ, *v.g.* dicendo ad reum. Conscende adhuc vnum gradum.

Tandem per illas particulas *per actionem ex sua naturâ ad id ordinatam*, Intelligitur actio, quæ sit causa per se mortis, quia effectus per accidens secutus non imputatur agenti, præsertim danti operam rei licitæ. Hinc suprà dictum est, quod Iudex Ecclesiasticus non fiat irregularis degradatum tradendo brachio sæculari. Idem est de Clerico, qui aliquem in causa criminali accusat, præcisè petens reparationem damni sibi illati, modò expressè protestetur, quòd non intendat pœnam sanguinis. De eo, qui seipsum castrat, vel mutilat, vide suprà *T. 9. E. 2. n. 12. & seqq.*

* 77 *Quid judicas* de homicidio voluntario iusto, & de casuali? *Dico* 1. Omnis baptizatus, vsu rationis præditus voluntariè, ac iniustè occidens, vel mutilans alium, vel seipsum, est irregularis. Ita patet ex varijs Canonibus. *Declaratur*: Dixi 1. *baptizatus*, quia ante baptismum homo non est capax irregularitatis propriè dictæ, hæc enim

est

est ab Ecclesia, cui homo ante Baptismum non est subiectus. Dixi 2. *Usu rationis præditus*; quo si careat, patet ex cit. Clem. quid dicendum sit. Dixi *voluntariè*, quia de casuali statim dicetur. De occisione embrionis, ac fœtus humani animati, ac irregularitate per eam contracta, vide suprà loco mox citat. n. 25. 26. & 27.

Dico 2. Dum est sermo in præsenti de mutilatione, seu amputatione membri, probabilius est, quod sacri Canones intelligant ablcisionem alicuius partis organicæ, ob quam corpus humanum notabiliter sua integritate privetur, & imperfectum, seu mancum fiat, vti sunt auris, nasus, digitus, &c. secus est de dente. *Ratio*: quia odiosa, vti sunt pœnæ iuris, non sunt amplianda, sed restringenda.

* 78 *Dico* 3. Circa homicidium casuale (seu quod est præter intentionem) tres generales regulæ sunt notandæ ex *S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 8. in c. Prima est*: Dans operam rei licitæ, & adhibens diligentiam, quam debet, & non habens voluntatem occidendi, vel mutilandi, non incurrit homicidij reatum, nec irregularitatem. Exemplum patet suprà. *Secunda est*. Dans operam rei licitæ, & non adhibens diligentiam quam *debet*, vel existens in culpa etiam levi, non autem levissima, per mutilationem, vel homicidium sequens fit irregularis. Pro quo vide suprà *T. 8. E. 6 n. 25.* quid, & quotuplex sit culpa. *Tertia est*: Dans operam rei illicitæ, quantumcumque adhibeat diligentiam, per mutilationem, vel sequens homicidium fit irregularis.

Exemplum primæ regulæ est, si Venator in sylva volens occidere feram occidat hominem casu prætereuntem, à se non visum, & adhibita prius omni diligentia. *Exemplum* secundæ regulæ est, si dictus Venator non adhibeat debitam diligentiam. *Exemplum* tertiæ regulæ patet ex dictis, si ex mercatione Clerici sequatur occisio alterius. Idem est de casu, quo Monachus, vel quicumque Clericus in Sacris constitutus exercendo artem chirurgicam per incisionem, vel adustionem (adhibita etiam omni diligentia) hominem occidat, vel mutilet. Tale namque exercitium illis est prohibitum in iure. Quo facit illa Regula juris 19. in 6. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se miscet*. Excipitur casus necessitatis, in quo ipsum ius naturale id exigit, vt si nullus Chirurgus præter Clericum adesset, qui homini periclitanti subveniret.

Hæc doctrina patet ex S. Thom. *in Supplement. q. 39. art. 4. ad 3. dicente*: Nullus facit nisi illud, cuius causa est, quod est voluntarium in homine. Et ideò ille, qui ignorans hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi operâ dederit illicitæ rei, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia iam quodammodo efficitur voluntarium, non autem hoc est propter hoc quòd culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. Hæc ibi.

Dispensatio in irregularitatibus.

* 79 QUÆRO XIII. Quis eam dare potest? *Resp* 1. Solus Papa proprio, & ordinario iure potest dispensare in irregularitatibus. *Ratio*: Quia nemo Papa inferior potest dispensare in vniversali Jure Canonico, seu Ecclesiastico: Sed tali jure irregularitates sunt statutæ. Ergo.

Resp. 2. In quibusdam irregularitatibus Papa rarò dispensat. *Primò* in bigamia, præsertim vera, in qua, etiam ad tonsuram, & beneficium simplex, solus Papa dispensat, vt declaravit Cõgreg. *Card.* 30. *Januar.* 1587. In bigamia occulta, & simul ex delicto contracta, vti est illa, quæ oritur ex duplici matrimonio, vtroque vel saltem alterutro invalido, potest dispensare Episcopus iuxta Trident. vt patebit ex dicendis *Secundò*, Papa rarò dispensat in irregularitate homicidij voluntarij notorij illiciti. *Tertiò*, in irregularitate, quæ est ex corporis defectu, causante magnam, & populo Christiano scandalosam deformitatem.

* 80 *Resp* 3. Episcopi, & similes Prælati ex commissione ipso iure *Trid.* eorum dignitati facta, possunt in quibusdam irregularitatibus dispensare. Verba *Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. sunt*: Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptis ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare; Et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandũ, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem, & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs sit permissum. Hæc Concil.

Resp. 4. Ex vi huius facultatis Episcopus non potest dispensare super irregularitate militis, Judicis, accusatoris, & similibus sine delicto contractis ob defectum lenitatis, *Ratio*: Quia non provenit ex delicto.

Resp. 5. Superiores Religionum habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt cum suis subditis dispensare in ijs casibus, in quibus possunt Episcopi cum suis. Quòd illegitimi Religionem professi ipso iure dispensentur ad sacros Ordines, non verò ad dignitates, dicetur infrà in fine *Tract. de Matrim.* de filijs illegitimis, ad quæst. vlt. quid vltra Superiores Religionum circa similes casus possint, scire debent ex proprijs suis statutis.

Resp. 6 Forma dispensandi in irregularitate est hæc, vel similis: Ego dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxisti propter talem causam. Ex quo patet, quòd non tollatur per absolutionem, sed per dispensationem. Tollit autem Judex tot, & illas irregularitates, quas, & quot tollere intendit, ac potest. Ex dictis sequitur, quòd Confessarius (nisi habeat speciale privilegium à Papa) non possit in vlla irregularitate dispensare.

* 81 QUÆRO XIV. Nonne Episcopus saltem in aliquo occulto casu (in quo nimirum nisi Sacerdos irregularis celebret, incurrit vitæ periculum, vel grave dispendium famæ, *v. g.* ob occultum homicidium) potest in irregularitate dispensare, vel licentiam dare, vt talis celebret, vsque dum impetretur dispensatio à Papa.

Ante R. Supponitur, quòd talis irregularis teneatur, quamprimum potest à Sede Apostolica petere dispensationem super irregularitate. Hoc supposito.

Resp. 1. Talis peracta pœnitentia, quoties absoluta necessitas, seu grave periculum mortis, vel infamię exiget, poterit celebrare, modo homicidium sit occultum. *Ratio*: Jus naturale, ac divinum

num de defendenda propria vita, ac fama præponderat Legi humanæ de non celebrando in Irregularitate. Ergo. *Resp.* 2. Si in eo casu non si facilis recursus ad Papam, potest licentiam celebrandi in necessitate dare Episcopus, non quidem simpliciter tollendo ipsam irregularitatem, sed tantum effectum eius, suspensioni similem, vsquedum adveniat dispensatio Papalis. Dummodo casus maneat occultus. *Ratio*: Quia pro conservando dicto iure naturæ defendendi vitam, & famam censetur Ecclesia id indulgere, seu non velle sua lege tam stricte obligare.

EXAMEN II.

DE CASIBUS RESERVATIS.

* 1 QUÆRO I. Quid, & quotuplex est Casus? quid reservatio? quis potest reservare? & quos Casus? *Resp.* 1. Casus derivatur à cadendo, ac significat casum, seu ruinam, vel lapsum animæ è statu gratiæ: Vel generaliter significat aliquam quæstionem de materia concernente cõscientiam. Casus est duplex: *Vnus* cõmunis, seu non reservatus, à quo quivis Confessor absolvere potest. *Alius* reservatus, à quo non quilibet absolvere potest. Et hic iterum vel Papalis, vel Episcopalis. Etsi enim nullum peccatum, quantumvis grave, sit irremissibile (vt suprà de effectu Pœnitentiæ ostensum fuit) attamen Ecclesia per Traditionem ab Apostolis accepit, conducere, quod interdum graviora crimina reserventur Superioribus, vtpotè magis intelligentibus. De quo plura R. 3. *seq.*

* 2 *Resp.* 2. Reservatio est negatio, vel restrictio iurisdictionis ad absolvenda certa peccata, facta illi, qui alias habet ordinariam, vel delegatam iurisdictionem. Vnde eorum absolutio reservatur ipsi reservanti, nimirum Papæ, si sit casus Papalis; vel Episcopo, si sit Episcopalis: sine quorum prohinde licentia nemo ab ijs valide absolvere potest extra mortis articulum. *Resp.* 3. Causa reservationis est, tum quia graviores morbi peritiores requirunt Medicos; tum etiam, vt Superior vel per se ipsum efficacius corrigat subditum, vel vt subditus verecundia, timore, ac difficultate impetrandi absolutionem, peccati gravitatem agnoscat, & à peccandi licentia deterreatur.

* 3 *Resp.* 4. Reservare potest Papa in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi. Et Prælati Religionum habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. In Parochis consuetudo hanc potestatem abrogavit. In articulo mortis nulla est reservatio. *Audiatur Trid. sess.* 14. *cap.* 7. Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibusvis, sed à Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Vnde meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia vniversa tradita, causas aliquas criminũ graviores suo potuerunt peculiari iuditio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat. *Hæc Concil.* Et post pauca subdit: Verum tamen piè admodum, nec hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris, absolvere possunt. Et eadem *sess. de pœnit. can.* 11. Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.

* 4 *Resp.* 5. Vt aliquod peccatum reservetur, requiruntur hæ conditiones. 1. *Vt sit* peccatum externum, nam internorum, seu mentalium reservatio aperiret viam continuis scrupulis. 2. *Vt sit* mortale, quia reservatio venialium (in quæ etiam iustiores cadunt) esset nimis grave iugum. Verumtamen potestas reservandi venialia, ac peccata cordis Papæ non videtur deneganda. Porrò debet esse mortale, non solum ex sua specie, & objecto, sed etiam in exercitio, & cum tanta advertentia ad malitiam mortalem, quanta requiritur ad merendum sine vlla excusatione, infernum. 3. *Vt sit* mortale grave, vt patet ex verbis Trident. Nam reservare ea mortalia, quibus ex humana fragilitate sæpè homines succumbunt, vt sunt iuramenta, fornicationes simplices, esset contra charitatem; reservatio, vt *Trident. ait*, debet cedere in ædificationem, non indestructionem. Non solum debet esse peccatum inchoatum, sed omnino perfectum, & consummatum iuxta tenorem Constitutionis illud reservãtis. 4. *Probabilius* est, quod peccata semel rite confessa, sive mortalia, sive venialia reservari non possint cum non possin fieri materia necessaria cõfessionis, quia iam sun tremissa.

* 5 *Quid si sit dubium*, an peccatum sit reservatum? *Dico*: Probabilius, & tutius est, quod debeat censeri reservatum, vt patet in *T.* 2. *E.* 1. *n.* 15. vbi id probatum est. *Ratio vlterius est*: Tum quia favores sunt ampliandi: sed reservatio peccati enormis est favor, & speciale bonum Reipublicę Christianæ, & animarum, ac medicina magis, quam pœna. Ergo. *Tum* etiam, quia vt suprà ostensum est *T.* 13. *E.* 4. *n.* 52. peccatum mortale dubium cadit sub præcepto confessionis mortalium simpliciter. Ergo etiam sub reservatione. Conseq. patet: Quia non est maior ratio de vno, quam de altero.

Quid si Superior non habuerit legitimam causam reservandi casum? *Dico*: Probabilius est, reservationem esse validam, etsi illicitam. *Ratio* patet ex dictis suprà *T.* 6. *E.* 5. *n.* 3. de dispensatione legis ex causa illegitima, quæ est valida, sed non licita. Addo, etiam ipsos adversarios concedere, quod si dubitetur, an Superior habuerit rationabilem causam reservandi casum, concedendum sit, habuisse.

* 6 QUÆRO II. Ad incurrendam reservationem peccati, requiriturne scientia reservationis? Et quid de peregrinis, & vagis.

Ante R. *Not* Casum reservatum latiùs se extendere, quàm peccatum reservatum; casus enim sub se continet peccatum, & censuram, vndè omne peccatum reservatum est casus reservatus, sed non omnis casus reservatus est peccatum reservatum, cùm possit esse censura reservata, vt patet in casibus Papalibus. Quia nunquam, vel vix vnquam à Papa (aliud est de Episcopis) reservatur peccatum, nisi ratione annexæ censuræ, v.g. excommunicationis, vel suspensionis. Hinc causæ, quæ excusant ab incur-

cursu censuræ, etiam excusant ab incursu reservationis Papalis. Casus Papæ reservati, seu per se Papales, dicuntur per accidens Episcopales, eò quod in casu necessitatis Episcopus ab eis absolvere possit. Hinc studiosè in titulo dixi, *ad reservationem peccati*; quia an, & quæ ignorantia excuset ab incursu censuræ, dictum est suprà *E.* 1. *n.* 23. Item specialiter E. 2. ante n. 60. vbi etiam patet quoad præsens differentia inter peccatum, & censuram reservatam. Hoc notato.

Resp. 1. Probabilius, & tutius est, quòd ad incurrendam reservationem peccati, cui censura annexa non est, non requiratur, vt peccans habeat scientiam reservationis. *Ratio*: Quia hæc videtur esse mens Superiorum peccata reservantium, & ità fert praxis Confessariorum non absolventium tales sive rudes, sive litteratos, etiam si nó habuerint notitiam reservationis peccati. Ergò.

Resp. 2. Peregrini, & vagi judicandi sunt iuxta reservationem casuum illius Diœcesis, in quâ versantur. *Ratio*: Æquitas, & Reipublicæ bonum postulat, quòd peregrini, & vagi, vbi inveniuntur, quoad morum directionem, & correctionem subsint alicui capiti, quia aliàs essent exleges, ac darentur in aliqua Republica membra nulli capiti subiecta: sed tale caput pro peregrinis, & vagis convenientius assignari non potest, quam caput illius loci, vbi morantur. Ergo. Nota tamen, quòd ad reservationem à peregrinis, & vagis incurrendam requiratur, vt tanto saltem tempore morentur in eo loco, quantum requiritur ad observantiam illorum præceptorum, quorum transgressio est casus reservatus. Vide suprà *T.* 8. *E.* 5. *n.* 66. R. 8. vsque ad 7. Item *in seq. n.* 8. vbi dicetur, an, & quæ reservatio sit pœna pœnitentis, vel non.

* 8 QUÆRO III. Quid si quis habens casus reservatos in sua Diœcesi, studio iret ad aliam, vbi non sunt reservati? quid si sit Religiosus migrans de vno conventu ad alium? *Resp.* 1. Probabilius est, quòd si casus reservatus non habeat annexam censuram, possit in alia Diœcesi absolvi; secus si habeat, v.g. si sit excommunicatio reservata. *Ratio* 1. *p.* Tum quia Confessor non tenetur scire casus reservatos Episcopo alieno; sed tantùm suo. *Tum* etiam, quia pœnitens iudicandus, & absolvendus est iuxta consuetudinem illius Diœcesis, in qua judicio pœnitentiali se subjicit. *Tum* tandem, quia hæc est praxis, quæ est optima Legum interpres, quam Episcopi sciunt, & tolerant. *Ratio* 2. *p.* Excommunicatio habet rationem pœnæ afficientis ipsum pœnitentem: Sed pœna non potest tolli nisi ab eo, qui eam inflixit, vel ex commissione eius: quam censetur cuivis Confessario dare Episcopus excommunicationem non reservans. Ergo. *Min. pro* 1. *p.* patet, quia aliàs fieret magna perturbatio in jurisdictionibus. Ergo.

Hinc iure communi prohibetur, excommunicationem ab vno Episcopo latam, nimirum si sit reservata, ab alio posse absolvi, vt constat ex cap. *Pastoralis.* §. *præterea.* Et ex Can. 47. Conc. Nicæni Arabici, vbi dicitur: *Nullus Episcopus solvat, quem alius Episcopus ligavit.* Et ex cap. *verbum*, dist. 1. *de panit.* vbi legitur; *Par est ius solvendi, & ligandi.* Et fieret Episcopo censuram reservanti præiudicium.

Ex his patet differentia de casuum non censuratorum reservatione, hæc enim non est pœna nisi impropriè, seu indirectè, sive occasionaliter tantum sumpta, ex parte scilicèt pœnitentium, ob difficultatem inveniendi Confessarium, qui habeat facultatem absolvendi à reservatis, immò est solùm quædam prohibitio facta tantùm Confessarijs Episcopo reservanti subiectis, ne ab illis absolvant; non verò pœnitentibus, ne alibi absolutionem recipiant. Nec fit præiudicium Episcopo reservati. Nec adest prohibitio in iure, sicut adest de censuris, paulò ante relata. Dum ergo Clemens VIII. *per Decretum* 1601. 9. *Januarij* prohibuit, ne Confessarij absolvant à casibus reservatis Papæ, vel Ordinarijs, debet intelligi de Ordinarijs respectivè, nimirum illorum locorum, vbi illi Confessarij inveniuntur.

* 9 *Resp.* 2. Idem est de Religioso ob negotia migrante ad alium Conventum, vel Provinciam, eo fine, vt ibi à casibus non censuratis absolvatur à Confessario aliàs ritè exposito. *Ratio* ex dictis est: Quia Confessarius debet judicare, & absolvere pœnitentes iuxta leges, & consuetudines suæ Provinciæ, & Conventus.

* 10 *Oppono*; Fraus, & dolus nemini patrocinantur: sed in casu posito committitur fraus, & dolus. Ergo. *Ad hoc* neg. mln. quia *nullus videtur dolo facere, qui vtitur iure suo*; vt habet regula juris, 55. talis autem vtitur jure suo, & indulto Apostolico, vi cuius potest confiteri cuilibet Sacerdoti sui Ordinis legitimè approbato (exceptio de Fratribus nostris Clericis professis patet suprà *T.* 13. *Exam.* 5. *n.* 34.) si tamen talis veniret ad Conventum, vbi ijdem casus essent reservati, vel afferret peccata reservata, ibi, vbi confitetur, & non in sua Diœcesi, non posset absolvi, nisi ab habente auctoritatem.

Ex dictis sequitur, quòd si in certo loco, die quadam sit jejunium, & jejunij transgressio, sit casus ibidem reservatus; si quis eiusdem loci incola studio indè discedat ad alium locum, vbi illo die non est jejunium, vel vbi jejunij transgressio non est casus reservatus, non incurrit reservationem. *Ratio*: Tum quia illa obligatio jejunandi est affixa loco. *Tum* etiam, quia illud præceptum non prohibet exire à territorio suo ad aliud. *Tùm* tandem, quia talis vtitur iure suo.

* 11 QUÆRO IV. Excommunicatio in territorio lata contra eos, qui sunt extra, ligatne? *Explicatur Quæstium* per duos casus. *Primus est*, si Episcopus per statutum ferat excommunicationem reservatam contra Canonicos, & Parochos in suis Canonicatibus, seu Parochijs non residentes, sed extra se detinentes. *Secundus est*, si excommunicatio reservata de restitutione intra certos dies facienda, lata sit ab Episcopo contra fures in sua quidem Diœcesi furatos, sed exteros, & tunc, quando excommunicatio fertur, extra Diœcesim existentes, an, si præfixo tempore non restituant, & habeant censuræ, ac reservationis notitiam, incurrant illam.

Resp. ad 1. Casum affirm. *Ratio*: Quia iuxta legem, *qui non facit*, ibi talis delinquere censetur, vbi actus præceptus exercendus erat: sed Canonici, & Parochi tenentur residere in suis Ecclesijs, & Parochijs. Ergo si ibi non resideant, moraliter censentur ibi delinquere, consequenter incurrunt dictæ censuram.

Oppono: Licet excommunicatio lata per modum sen-

sententiæ liget extra territorium, cum respiciat personas præcipienti, seu prohibenti subiectas, attamen excommunicatio lata per modum statuti id non habet, & hoc ideò, quia respicit territorium, extra quod (iuxta Regulam Iuris) eius dicenti, impune non pareretur. Ergo. *Ad hoc* R. eam legem inter cæteras expositiones intelligi, ac verificari, si actus præceptus non sit exequendus intra territorium delinquentis.

Ad 2. Casum etiam Respondetur affirm. *Ratio est*: Quia illi fures propter delictum intra territorium talis Episcopi patratum, statim facti sunt ei subditi in omnibus, tale delictum concernentibus. Ergo, nisi præfixo tempore restituant, censuram, & reservationem incurrunt. Confirmatur ex eo, quod si causa in aliquo tribunali iam inchoata reus mutet domicilium, possit tamen in eodem tribunali conveniri, immò &, nisi compareat, excommunicari, c. *pro posuisti, de foro competenti*, & L. *si quis*, ff. *de iudicijs*. Et hoc ideò, quia talis iam fuit factus subditus tali tribunali: Sed etiam in casu posito reus ratione delicti fuit factus subditus Episcopi. Ergo.

* 12 QUÆRO V. Reservatio casuum, aut data ab ijs absolvendi licentia, cessatne per mortem Episcopi reservantis, vel eo excommunicato? *Resp.* 1. Reservatio Casuum Episcopalium extinguitur per mortem, vel amotionem Episcopi, nisi sint reservati per Synodum. *Ratio* 1. *p.* Quia vltra se non extendit intentio, vel potestas Episcopi. *Ratio* 2. *p.* Quia in eo casu reservatio habet rationem Legis, quæ durat, etiam mortuo Legislatore. De censura vidè suprà in hoc *T. E.* 1. *n.* 2. R. 6. an spiret spirante eo, qui eam tulit.

Resp. 2. Facultas absolvendi à reservtis (idem est de licentia eligendi Confessarium) per mortem Episcopi, vel amotionem eius ab officio, non spirat, re adhuc integra, id est, illa facultate à Confessario nondum in actum reducta. *Ratio*: Gratia facta non spirat per mortem concedentis, aut per motionem eius ab officio, re adhuc integra; c. *si nulla de præbendis, in* 6. Sed in vtroque casu illa concessio est gratia iam facta, non facienda. Ergo. Vide suprà *T.* 6. *E.* 5. *n.* 83. vbi hoc fusius explicatum est.

Resp. 3. Facultas absolvendi à reservatis data à Episcopo non spirat per excommunicationem, vel suspensionem Episcopi. *Ratio*: Licet talis Episcopus in eo statu actus suos validè exercere nequeat quos tamen semel cum omnibus suis requisitis antè exercuit illi subsistunt. Ergo. Ex quo sequitur, quod etiam Episcopus in illo statu non possit revocare facultatem absolvendi alteri concessam, quia per hanc revocationem exerceret actum suæ potestatis.

* 13 QUÆRO VI. Debetne Superior esse facilis in danda licentia absolvendi à reservatis? Vel potestne audire dimidiatam Confessionem, & absolvere? Et quid, si post obtentam licentiam ante absolutionem pœnitens labatur in nova reservata, potestne ex vi istius licentiæ etiam ab illis absolvi? *Ante* R. *Nota*, quòd licentiam illam pœnitens possit petere, vel per se, vel per alium; & maximè per Confessarium, qui debet eam petere non nominato pœnitente, nec indicato casu, ne persona extra confessionem prodatur. Hoc notato.

Resp. 1. Si licentia petatur per Confessarium, communiter expedit, vt Superior annuat petitioni, & fidat prudentiæ Confessarij. *Ratio*: Quia Confessor statum animæ pœnitentis melius novit, quam Superior. *Resp.* 2. Certum est, quòd Superior non teneatur semper dare licentiam. Hinc si habeat graves rationes, ob quas merito præsumere potest, facilitatem dandi dictam licentiam cedere in malum pœnitentis, vt si fors inde caperet occasionem liberiùs peccandi; aut in peccato persistendi, *v. g.* si idem Confessor pro eodem casu valdè frequenter licentiam petat; vel si sit tale peccatum, quod vergat in damnum Communitatis *Ratio* patet tum ex dictis suprà de recidivis *T.* 13. *E.* 5. *n.* 55. tum ex eo, quia reservatio debet cedere in ædificationem, non in destructionem. Tum tandem, quia aliàs reservatio nullius esset momenti, vel effectus.

* 14 *Resp.* 3. Si Superior ex denegatione licentiæ timeat maius malum subditi, vtpotè, qui ex eo timet odium Superiorum, vel fortè faciet dimidiatam confessionem, & vix adduci potest, vt ei confiteatur, debet esse facilis. Ita docet, & probat Angel. Doct. in Supplem. q. 8 art. 4. ad 6. dicens: *Peccaret Sacerdos* (putà proprius de quo agit) *si non esset facilis ad præbendum licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeò infirmi, quòd potius sine confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Undè illi, qui sunt nimis solliciti, vt conscientiæ subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis.*

Resp. 4. Superior non potest ob reservationem audire dimidiatam confessionem, & absolvere sacramentaliter à solis reservatis; ac pœnitentem cū non reservatis remittere ad inferiorem Confessarium. *Ratio*: Quia integritas confessionis est de iure divino, nec potest mutilari sine gravi necessitate. De hac confessionis dimidiatione vide suprà *T.* 13 *E.* 2. *n.* 7. R. *ad* 4.

* 15 *Resp.* 5. Superior concedens facultatem in sibi reservata, potest eam interdum limitare, vt petens non generaliter quemcunque Confessorem eligat, sed potest ei certum, vel aliquos deputare iuxta praxim variarum Religionū. Immò potest Superior, si casum extrà confessionem sciat, certam, & gravem, gravitati criminis proportionatam pœnitentiam iniungere, quam pœnitens acceptare tenetur. *Ratio*: Tum quia ea fert officium Superioris; tum etiam, quia hoc totum cedit in bonum, & correctionem subditi hoc remedio indigentis, ac disciplinæ religiosæ conservationem, qui finis in reservatione intenditur.

* 16 *Resp.* 6. *ad* 3. Quæsiti partem sub distinctione, quam dat Iacobus Mancinus. Facultas concessa pro absolutione à reservatis, vel conceditur per modum privilegij, vel per modum casus necessitatis. Si primum, facultas censetur esse concessa pro reservatis committendis. Si secundum, de quo in præsenti inquiritur, sicut, & in quibuscumque alijs casibus contingentibus, dicta facultas censetur tantùm concessa pro illis reservatis, quibus pœnitens est obnoxius, dum licentiam petit.

Ratio 1. *p.* Quia privilegium respicit tempus præsens, & futurum. *Ratio* 2. *p.* Quia hæc censetur esse mens Superiorum, & ita responderent, si desuper interrogarentur: *Verba autem non operantur vltra intentionem concedentis*, vt jura dicunt. Ergo.

* 17 *Potestne Superior* dictam facultatem concedere sub onere comparendi nihilominus coram se cum expressione casus? *Affirmo*: Ratio est ante data

ad

ad R. 5. Et ita, vt DD. scribunt, habet praxis Societatis Jesu, cuius Religiosi inter agentes, si contingat eos labi in peccatum reservatum, possunt absolvi, sed cum onere idem peccatum postea Superiori manifestandi. Qui animus si desit, absolutio est nulla. Hinc obligatio illa est sub mortali ob rationem datam.

* 17 QUÆRO VII. Quænam defacto in specie sunt reservata? *Resp.* 1. Casus, vel peccata reservata respectu Sæcularium, & Clericorum, ac Religiosorum sunt diversa. Quæ reservantur respectu Sæcularium, vti, & quæ respectu Clericorum, plerumque continentur in Rituali cuiusvis Diœcesis.

CASUS RESPECTU RELIGIOSORUM EX Decreto Clement. VIII.

* 18 *Resp.* 2. Clemens VIII. 1593. permisit posse à Superioribus reservari vndecim Casus, qui tamen non omnes in quavis Religione sunt reservati, sed in hac, vel illa plures, aut pauciores, prout constat ex proprijs Religionum Statutis.

Casus illi sunt: 1. *Veneficia*, incantationes, & sortilegia. 2. *Apostasia* à Religione, sive habitu dimisso, sive retento; modo extra septa Monasterij, vel Conventus egressio fiat. 3. *Nocturna*, ac furtiva egressio è Monasterio. 4. *Proprietas* contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. *Juramentum* falsum in judicio Regulari. 6. *Procuratio*, auxilium, seu consilium ad abortum faciendū post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. 7. *Falsificatio* mantis, vel sygilli Officialium Monasterij, aut Conventus. 8. *Furtum* de rebus Conventus in quantitate, quæ sufficiat ad peccatum mortale. 9. *Lapsus* carnis voluntarius opere consummatus. 10. *Occisio*, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personæ. 11. *Malitiosum* impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab his ad Superiores. De quo vide *Tract. de Bulla, Exam.* 2. §. 7.

Resp. 3. Possunt Superiores Regulares dictis vndecim Casibus addere excommunicationem reservatam, si bono Religionis expedire iudicaverint. *Ratio*: Quia hoc non est facere plures casuum reservationes suprà præfatum numerum, quod solum Pontifex in illo Decreto præcavere intendebat.

* 19 *Oppono*: Jura docent, quod in pœnalibus verba extra proprium verborum significatum extendi non debent: Sed iuxta nos extenduntur, quia nomine casuum reservatorum non statim veniunt etiam excommunicationes reservatæ. Ergo. *Ad hoc*: Maior est vera, si extensione non facta non eludatur mens Legislatoris, extendenda tamen esse, si illa eluderetur, vt patet c. *quam*, & *Regula*, *Certum, in fine, de Reg. iuris in* 6. *Subsumo*: Sed in nostro casu, si nomine casuum non intelligerentur etiam excommunicationes reservatæ, eluderetur mens Summi Pontificis. Ergo, *Min. prob.* Vt ex prœmio Decreti patet, mens Pontificis erat, præcavere, ne ex reservationum multiplicitate subditi ob verecundiam adeundi Superiorem pro impetranda absolutionis facultate inducantur in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationē; Sed hoc abeundū æquè sequitur ex multiplicitate casuum reservatorum, quàm excommunicationum reservatarum, &c. Ergo.

Resp. 4. Superiores Regulares præter dictos vndecim casus possunt sibi alios reservare non solùm absolutè, sed etiam cum annexâ excommunicatione, si id bono Religionis expediat, modò id fiat cum consensu Capituli Generalis, si fiat reservatio pro tota Religione; vel Provincialis, si pro Provincia; aliàs reservatio erit nulla, vt patet ex ipso Decreto Clementis. Et ita in Societate Jesu præter præfatos vndecim casus illi sunt reservati.

Casus Papales reservati.

* 20 QUÆRO VIII. Quinam sunt? *Resp.* 1. Aliqui casus, nimirum excommunicationes sunt reservatæ intrà Bullam Cœnæ Domini; sic dictam ex eo, quòd quotannis in die Cœnæ Domini promulgetur: alij extra illam in corpore Juris Canonici, & variis Pontificum Constitutionibus. *Excommunicationes Bullæ Cœnæ, & aliæ, explicatæ.* Vide *Tract. de Bulla*, §. 8.

Ref. 2. Excommunicationes Papæ reservatæ intrà Bullam Cœnæ *sunt* 21. quas in suo proprio loco adducit noster *Salaz.* n. 11. vbi in fine bene addit, omnes illas censuras vnà cum culpis, ratione quarum incurruntur, Papæ reservatas esse, & Confessarios, qui ab eis absolvere attentaverint, præterquàm quod nihil faciant; esse ipso facto excommunicatos, à qua tamen excommunicatione illi Confessarij poterunt absolvi per Ordinarium.

* 21 *Resp.* 3. Communiores excommunicationes intra Bullam Cœnæ sunt hæ sequentes. *Prima* Hæresis; quæ comprehendit Hæreticos, eorumque vt talium fautores, receptores, & defensores, & vltos, qui scienter legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros Hæreticorum. Cum eadem censura coincidit excommunicatio Schismaticorum. De hæresi, & hæreticis vide *T. 7. E. 3. n.* 27. *& seq.* de Schismatis vide ibidem n. 58. vbi de illis multa dicta sunt. *Secunda* est Excommunicatio lata in eos, qui personas Ecclesiasticas ad suum tribunal trahūt, faciuntque Decreta libertatem Ecclesiasticam violatia. *Tertia*: Quæ lata est in eos, qui Iurisdictionem, fructus, & redditus personarum Ecclesiasticarum invadunt, & alia onera ipsis, aut eorum bonis imponunt. *Quarta*, ea, quæ lata est in eos, qui conferunt, vel transmittunt quodcumque genus armorum, vel metallorum, aut victualium, &c. Mauris, vel Turcis, vel alijs quibuscumque Nominis Christi inimicis, comprehendendo eos, qui tales Christi inimicos certiores reddunt de statu Reipublicæ Christianæ in damnum eiusdem, vel ad hoc dantes consilium, & favorem. *Quinta*, ea, quæ lata est in occupantes, vel detinentes quascumque Romanæ Ecclesiæ terras, seu Regna. Cæteræ rariores sunt.

* 22 *Resp.* 4. Excommunicationes Papæ reservatas extra Bullam Cœnæ in iure aliisque Constitutionibus (exceptis pluribus alijs non reservatis) adducit loco citato noster Salazar tanquam communiores 83; ex quibus in præsenti sufficit adducere eas, quæ in his partibus sunt vsitatiores.

Prima est contra percussores Clericorum, si enormis sit percussio iuxta Can. *Si quis suadente Diabolo iniecerit manus violentas in Clericum, vel Monachum, subiaceat Excommunicationi, & à nullo præterquam à Papa, nisi in mortis articulo, absolvatur.*

Explico singulas huius Canonis particulas; *Si quis*, sive vir, sive fœmina, habens tamen sufficiens iudi-

iudicium ad peccandum mortaliter *suadente Diabolo*; Excipitur enim si percussio fiat ex charitate, vel correctionis causa, vel ex ludo, ioco, modo non fiat dolo, aut irato animo, vel in derisionem. Item si fiat indeliberatè, vel percussio sit ita levis, vt Sæculari facta esset solum venialis. Item si quis percutiat Clericum invadentem pro necessaria moderata sui defensione. Si fœmina pro defensione castitatis percutiat Clericum invadentem, si molestatio fiat vi, & actu corporali. Si quis percutiat Clericum inhonestè agente cum propria vxore, matre, sorore, filia. Si Clericus amiserit privilegium Clericale. Si ignoretur esse Clericus. *Manus violenta*, per quas intelligo omne membrum, pro quis alteri iniuriosè potest nocere, vt pes, brachium, &c. nec requiritur necessario percussio, sed sufficit iniectio sputi, aquæ, luti, pulveris, vel similis iniuria. Eandem Censurâ incurrunt iubentes, consulentes, auxiliantes, favorem præstantes.

In Clericum, quo nomine non solum intelligitur, qui habet maiores, sed, & qui solum habet minores Ordines immò tantum primam Tonsuram: modo gestet habitum, & tonsuram, vt cognosci possit esse Clericus. *Vel Monachum*, quo nomine intelligitur quivis Religiosus cuiusvis approbatæ Religionis, etiam Conversus, Novitius, Monialis, Conversa. Item vtriusque sexsus Tertiarij S. Dominici, & Francisci habitum gestantes, & in Communitate viventes, vti & Eremitæ subiecti alicui Regulæ, vel Superiori.

Secunda Excommunicatio est contra duelantes, & cooperantes, de qua sat fusè actum est suprà *T. 7. E. 7. n. 38. & seq.* vbi vide. *Tertia* est contra Clericos cum excommunicatis à Papa voluntariè communicãtes, & admittentes eos ad officia divina. Et generaliter in omnes, quicumque in crimine criminoso (ratione cuius excommunicatio posita est) cõmunicant; si enim talis excommunicatio Papæ est reservata, communicantes eandem censuram incurrunt.

Quarta est contra obtinentes absolutionem ab Excommunicatione Papæ reservata sub conditione de satisfaciendo parti læsæ solum perfunctoriè sine conditionis adimpletione; tales enim de novo incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, c, eos *de sentent. Excomm. in 6.*

Quinta est contra Clericos, sive Sæculares, sive Religiosos, inducentes quamcunque personam ad faciendum votum, iuramentum, ac promissionem, quatenus talis persona sibi in sua Ecclesia sepulturam eligat, vel iam electam alio transferat. *Clement. cupientes* §. *fanè*, *de pœnis*. *Sexta* est contra recipientes, vel dantes cum pacto quamcumque rem, ad hoc, vt Religionem quis ingrediatur. Excusatur, qui aliquid dant, vel recipiunt ratione substentationis, non autem ratione ingressus.

Septima est contra Medicantes transeuntes ad Ordinem non Mendicantium (exceptis Carthusianis) sine speciali Papæ licentia. *Extravag. 1. de Regularibus*. Transeuntes autem ex vno Medicantium ad alium: non incurrunt excommunicationem, vel ad minus non est reservata, Societate Jesu exceptâ, quæ in hoc particulari excommunicatione etiam respectu alterius Religionis Mendicantium, gaudet.

Octava est contra eos, qui temerariè præsumunt asserere, esse hæresim, vel peccatum mortale, sentire B. V. Mariam esse conceptam in peccato Originali, vel sentire oppositum. *Nona* est contra dantes, vel permittentes in Curia Romana aliqua donativa, vt ea, quæ prætendunt, facilius obtineant. *Extrax. 1. de sent. Excomm.* sicut & contra Curiæ Romanæ Officiales recipientes quodcumque genus munusculorum ab ijs, quorum officium exercent, excepto aliquorum comestibilium, vel potabilium talis quantitatis, vt duobus diebus consumi possent.

Decima est contra intrantes (cuiuscumque sint Religionis) quarumcuque Monialium Conventus sine Superiorum, licentiam dare valentium, consensu: de qua refusè tractant Auctores. Item iuxta Bullam Pij V. *Regularium* contra mulieres quascumque intrantes Monasteria virorum, non solum sub prætextu privilegiorum, sed & sine eo. Quia Navarrus de Regular. Comment. 4. n. 62. refert Pium V. suam Bullam declarasse vniversim procedere de mulieribus, virorum Monasteria ingredientibus: qui verò dicunt, hanc declarationem in Germania authenticè non esse promulgatam, vel non cum tanto rigore receptam, viderint ipsi. Idem est de eo Religioso, qui mulieres intra Conventum introduxerit, vel admiserit.

Vndecima est contra præsumptuosè componentes; retinentes, aut imprimentes libros infames detractorios contra Ordines SS. Dominici, & Franciscì. *Duodecima* contrà mulieres intrantes Monasteria Carthusianorum, aut aliorum Religiosorum. 13. *Contra* furantes libros, aut quaternos ex Bibliothecis Minorum, aut FF. Prædicatorum. 14. *Contra* Religiosos cuiuscumque Ordinis, administrantes Sacramentum Extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ, vel assistententes, aut solemnizantes Matrimonium sine speciali Parochi licentia. 15. *Est contra* Simoniacos reales circa Ordinem, vel beneficium. 16. *Est in* committentes Simoniam confidentialem. 17. *Est in incendiarios* publicè pro excommunicatis denuntiatos. 18. *Est in eos*, qui sepeliunt Hæreticos in loco sacro. 19. *Est in* sacrilegos, qui non solum infrigunt Ecclesias, Monasteris, Hospitalia, sed etiam bonis suis spoliant. 20. *In impedientes*, aut vexantes eos, qui volunt ingredi Religionem. 21. *In Moniales* professas sine gravi causa Monasteria exeuntes. 22. *In habentes* litteras Apostolicas falsas, & non destruentes. Item in falsarios literarum Apostolicarum. 23. *In impedientes* executionem literarum sacræ Pœnitentiariæ. 24. *Contra legentes*, aut retinentes libros prohibitos, vbi non est sermo de libris hæreticis, de ijs enim patet ex dictis de excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini, sed de libris, qui sunt prohibiti ex alia causa, *v. g.* quia sunt contra bonos mores. Hæc tamen excommunicatio non incurritur ipso facto, sed est obligatio sub peccato mortali illos non retinendi, vti Salazar probat ex determinatione Pij IV. in Brevi 1564. Vnde talis delinquens est puniendus secundum arbitrium Ordinarij. Adde ex Salazar. quod in Hispanijs, vti videtur in novo Indice Anno 1640. edito, etsi à principio contra tales videatur poni excommunicatio latæ sententiæ, postea tamen explicatur, quod incurratur ipso facto ab omnibus libros hæreticos de hæresi suspectos retinentibus, cæteri verò solum incurrunt excommunicationem ferendam, aut reservata manet Inquisitori Generali per Paulum V. & Vrbanum VIII. Anno 1627. Hæ sunt vsitatiores excommunicationes Papæ reservatæ, cæteræ videri possunt in citato Salazar, aliisque Auctoribus.

Ex-

Excommunicationes Papæ non reservatæ.

* 23 *Resp.* 5. Visitatiores non reservatæ sunt hæ: *Prima* est lata in Religiosos habitum suum tempore longo, & temerè dimittentes. 2. *In eos*, qui contrahunt Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus. 3. *In eos*, qui cogunt ad Matrimonium, aut fœminas ad Monasterium. 4. *In Dominos* Sæculares, qui prohibent suis subditis, ne Ecclesiasticis sua bona vendant, vel ab ijs emant, aut alia Officia præstent. 5. *In eos*, qui procurant abortum fœtus animati. 6. *In directores* Monialium, si foveant discordias in electione. Item in impedientes Visitatores Monialium. 7. *In Doctores*, & Professores non facientes Professionem Fidei, vbi recepta est Bullâ Pij IV. 8. *In negligentes* administrare iustitiam Ecclesiasticis. 9. *In Religiosos* instituentes novum Ordinem, audientes Leges, vel Medicinâ extra Claustra, tenentes arma sine licentia intra Claustra. 10. *Vbi Trid.* est receptum, in imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes, vulgantes libros de sacris rebus, sine nomine Auctoris, & approbatione Ordinarij. 11. *In raptores* mulierum, iuvantes, faventes. 12. *In Dominos* temporales in terris suis concedentes locum pro duello. 13. *In præsumentes* absolvere à casibus Bullæ Cœnæ. Plures vide in Busenbaum.

Catalogum Excommunicationum, quæ nostros Fratres ex Constitutionibus nostris afficere possunt, vide in ijsdem *dist.* 1. *c.* 18. *sext.* 5. *post lit. R.* vbi subnectitur Catalogus excommunicationum, quæ ex iure communi possunt afficere Regulares.

Casus Episcopales.

* 24 QUÆRO IX. Quinam sunt? *Resp.* Aliqui casus dicuntur Episcopis de iure reservari, & solent assignari quinque. 1. *Peccatum* de iure habès annexam publicam pœnitentiam. 2. *Cui annectitur* Excommunicatio maior. 3. *Quod* habet annexam irregularitatem. 4. *Peccatum* incendiarij. 5. *Publica* blasphemia. Verum practicè verius videtur, quod Lezana cum varijs docet, nimirum ex solo iure cõmuni nullum casum Episcopis reservari. *Casus* ergo Episcopales sunt soli illi, qui ex consuetudine, vel potius per Decretum, seu expressè ab ipsismet Episcopis reservãtur. *In Archiepiscopatu Valentino, & alibi, reservatos explicatos vide in Tract. de Bulla, E.* 2. §. 7.

Confessarius Reservatorum.

* 25 QUÆRO X. Quis potest absolvere à reservatis? *Ante R. Nota*, quod Sacerdos à reservatis possit absolvere duobus modis. 1. *Per se*, & directè, ad quod necesse est, vt habeat iurisdictionem super pœnitentem, etiam quoad reservata. 2. *Per accidens*, & indirectè, ad quod sufficit, vt Sacerdos absolvens habeat iurisdictionem super pœnitẽtem quoad peccata non reservata, à quibus dum absolvitur directè, à reservatis, absolvitur per accidens, seu indirectè, & concomitanter, eo quod impossibile sit vnum mortale remitti, sine alio. Quando autem hæc indirecta absolutio fieri possit, patebit infra n. 75. Hoc notato.

Resp. 1. Directè potest à reservatis absolvere non solum ille, qui ea sibi reservavit, sed & illius in officio absolutè Superior, aut Successor: vti patet ex subordinatione Superiorum, *v. g.* Prioris ad Provincialem, huius ad Generalem, sicut & ille, cui reservans, vel eius Superior suam potestatem delegavit. *Ratio*: Quia inferior non potest limitare potestatem Superioris.

Resp. 2. A casibus etiam in Bulla Cœnæ Papæ reservatis, non tantùm potest absolvere Papa, sed etiam si casus sint occulti, & nondum ad forum contentiosum deducti, Episcopus iuxta *Trid.* cuius verba vide suprà in *E. præt. n.* 79. R. 3. *Resp.* 3. Etiam ab *istis publicis* potest Episcopus absolvere, si adsint impedimenta, ob quæ pœnitens personaliter Sedem Apostolicam accedere non possit. *Ratio*: Quia Ecclesia, vt pia Mater, censetur id concedere.

Nota, quòd impedimenta illa sint. 1. *Periculum* mortis in itinere. 2. *Longa* infirmitas, etiã non periculosa. 3. *Paupertas*, vt si cogeretur mendicare, qui aliàs non solebat. 4. *Ætas* senilis, vel puerilis. 5. *Sexus* fragilitas, vt si pœnitens sit fœmina. 6. *Si pœnitens* non sit sui iuris, sed alteri adstrictus, cui eius absentia præiudicat, sicut est filius respectu patris, servus respectu domini. 7. *Cura animarum*, vel dominium temporale, vt si timeatur, ne per absentiam ovibus, aut vassallis obveniat detrimentum. 8. *Debilitas* in viris teneris, labores itineris sufferre non valentibus. 9. *Debilitas* membrorum, vt si sit cœcus, vel claudus. 10. *Quodvis* impedimentum, quod arbitrio prudentis iudicatur legitimum. Porrò solent defacto Episcopi à Papa pro certis annis petere, ijsque elapsis repetere, ac impetrare facultatem delegatam super varios casus Papales, adeòque sub diti ad eos confugere possunt.

* 26 *Resp.* 4. Regulares etiam Mendicantes non possunt etiam ex privilegio illo, quod dicitur *Mare magnum*, absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, nec defacto possunt à casibus, quos Ordinarij Locorum, seu Episcopi sibi reservant, sine speciali eorum licentia. Vndè ab Alexandro VII. 1665. 24. Septembris damnata est hæc Propositio: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum licentia.* Quid Superiores Regularium circa suos possint in casu hæresis, vide supià *T.* 7. *E.* 3 *n.* 47.

* 27 *Resp.* 5. Regulares defacto extra Italiam (secùs intrà) degentes possunt absolvere à casibus Papæ extra Bullam Cœnæ reservatis, quinque exceptis. Ita eis concessum est à varijs Pontificibus Sixto IV. Vrbano IV. Eugenio IV. Julio II. Nec hoc privilegium est revocatum per declarationes Cardinalium sub Vrbano VIII. vtpotè, quæ tantùm meminerunt casuum Bullæ Cœnæ, & Ordinarij.

Quinque casus in Decreto Clementis VIII. excepti sunt. 1. *Violatio* Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregor. XIV. quæ incipit: *Quia aliàs nonnulli.* 2. *Violatio* Clausuræ Monialium ad malum finem. 3. *Provocatio*, & pugna in duello. 4. *Iniectio* manuum violentarum in Clericos. 5. *Simonia* realis scienter contracta, atque etiam confidentia beneficialis.

Nota circa R. 5. Quando Regulares vi suorum privilegiorũ absolvunt à casibus Papalibus, id semper fieri debere satisfacta parte læsa, vel saltem præstita de hoc sufficienti cautione, non quæ sufficiat ad libitum læsi, sed ad iudicium prudentis Confessarij.

* 28 *Resp.* 6 Ipsimet Religiosi vi dictorum pri-

privilegiorum non possunt absolvi à casibus suis Superioribus reservatis, absque speciali eorum licentia, vt docet noster de La Cruz; si tamen Superior licentiam petitam denegaverit, potest Confessarius auctoritate Apostolica eum absolvere pro illa vice, vt habetur in fine Decreti Clementis VIII.

Resp. 7. Confessarius habens facultatem absolvendi à casu Papæ reservato, qui idem casus alia via est reservatus Episcopo, non indiget speciali licentia Episcopi. *Ratio*: Quia ablato maiore ligamine non remanet aliud minus, in eodem scilicèt casu.

Dixi, *in eodem casu*; nam in diversis non tenet consequentia: Hic potest absolvere à casibus Papalibus. Ergo eo ipso etiam ab Episcopalibus. Nec aliquid hic probat illud. Qui potest maius, potest etiam minus. Hoc enim non semper valet in moralibus, & ex libera alterius concessione pendentibus.

* 29 *Resp.* 8. Confessarijs Ordinis nostri à Leone X. amplissimum datum est privilegium, quo omnes *NB.* Confratres Rosarij, in Pascha Resurrectionis, & festis B.V. nimirum Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis, ac tribus diebus ea festa præcedentibus, ab omnibus censuris quavis occasione latis, & promulgatis, & criminibus quantumcumque enormibus in singulis, etiam Sedis Apostolicæ reservatis casibus, (contentis in Bulla Cœnæ dumtaxat exceptis) possint absolvere, ac iuramenta quæcumque sine alicuius præiudicio relaxare, & vota quæcumque, (exceptis quinque votis Papæ reservatis, suprà *T.* 10. *E.* 3. *n.* 42. adductis) in alia pietatis opera cõmutare, non requisita Ordinarij licentia.

Adverte ex Decret. Clem. VIII. *quæcumque à Sede ann.* 1604. *& aliis duobus ab ipso pro Regularibus dat. ann.* 1601. *&* 1602. *Non possunt dicti Confessarij vi huius, vel alterius privilegij absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, neque ab aliis quinque relatis num.* 72. *Neque à reservatis in specie Episcopis; benè verò ab omnibus aliis; & tales Confessarij debent esse approbati ab Ordinario, & à suis Superioribus ad hoc Privilegium. Vide Pelizar. T.* 8. *cap.* 3. *num.* 66. *& cap.* 5. *num.* 264. *&* 291. *& infrà Tract. de Bulla, Exam.* 2.

Nota tamen, Religiosos, & Moniales, licèt sint de hac Confraternitate, non posse sine Superiorum suorum licentia vi huius privilegij à reservatis absolvi, vt post alios Pontifices declaravit Clemens VIII. 1599. in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis*, idque meritò; Quia illa libertas eligendi Confessarium cederet in destructionem vitæ Regularis.

Simile privilegium Confratribus Rosarij est concessum pro festo Circumcisionis. Vtrumque videri potest in libellis, quæ de indulgentijs Rosarij passim circumferuntur, præsertim in libello, quem edidit noster Fr. Magister Thomas Leonardi. Quid post hoc privilegium circa casus ab Ordinarijs reservatos decreverit Alexander VII. patet ex R. 4. *De commutatione* votorum, vide suprà *T.* 10. *Exam.* 3. *num.* 44. *& seqq.*

* 30 QUÆRO XI. Potestne quis à reservatis absolvi per accidens, seu indirectè, & in quibus casibus? *Ante R. vide Not. ad quæst.* 10. *ante R.* 1. *Resp.* Affirmativè, licèt præter reservata pœnitens habeat sola venialia, modo Sacerdos sit tirè expositus, cum onere tamen postea confitendi alteri facultatem habenti. Et hoc in duplici casu. *Primus est*: Si quis bona fide putans Confessarium habere iurisdictionem, quam tamen non habet in reservata, ea cum non-reservatis confiteatur. *Ratio*: Tum quia adest debita materia, etiam proxima, nimirum sincerus dolor, & Confessor, & forma. Tum etiam, quia bona fides excusat. Ergo à reservatis indirectè absolvitur cum onere denuò confitendi habenti facultatem, vt ab eis absolvatur directè, nimirum habita notitia, quòd Confessarius careat facultate. Dixi, *bona fide*; si enim sciat, Confessarium carere illa facultate, committit sacrilegium, & Sacramentum est nullum.

Secundus casus est: Si subsit aliqua gravis causa, vel necessitas, cuiusmodi est, si Sacerdos necessario debeat sacrificare, vel Laicus communicare, ita vt sine gravi scandalo, vel infamia id omitti, ac Superiorem adiri non possit. *Ratio*: Cùm iure divino requiratur, vt conscius peccati mortalis ante Communionem confiteatur, melius est, vt confiteatur prædicto modo, quàm quòd omninò omittat.

* 31 QUÆRO XII. Qui in articulo, vel periculo mortis fuit absolutus à reservatis, teneturne cessante periculo adhuc recurrere ad Superiorem? Quale periculum imminet, v.g. illi, qui vadit ad prælium, domum pestiferam, periculosam navigationem, vel qui patitur continuam febrem?

Resp. Si casus reservatus sit, sine censura, nec sit facienda satisfactio parti lædæ, non tenetur in veriori sententia, benè tamen si habeat censuram, & requiratur satisfactio. *Ratio* 1. *p.* Quia tunc non est reservatio peccatorum, & si quæ aliàs reservata sint, sunt, ac si non essent talia. 2. *Pars* de censuris, & satisfactione patet ex multis textibus iuris. *Nota* tamen, quòd obligatio præsentandi se Superiori non sit ad accipiendam novam absolutionem, sed vt Superiori innotescat, quòd sit absolutus, & vt is videat de satisfactione, quid sit factu opus.

Quid si talis data opportunitate se non præsentet? *Dico*: Ille recidet in excommunicationem, non quidem eandem numero, à qua absolutus fuit, sed in alteram similem per inobedientiam, cap. *Eos qui, de sent. excom.* Recidet autem non statim neglecta prima commoditate, nisi negligentiam committetur malitia, & contemptus. Nam Canon, quò decreta est hæc Censura, habet: *Qui contempserint.*

* 32 QUÆRO XIII. Tolliturne reservatio per confessionem invalidam? Item potestne tolli elapso die, quo exspiravit facultas absolvendi, si reservata eo die fuerint oblita? *Resp.* 1. Reservatio tollitur per confessionem etiam invalidam, sive sit invalida defectu contritionis, aut propositi emendationis, sive culpabilis integritatis, modo non sit defectus culpabilis circa ipsa reservata, v.g. ea non plenè explicando, vel studio aliqua eorum omittendo, &c. & confessio fiat Confessori iurisdictionem in reservata habenti. *Ratio*: Quia adhuc salvatur finis reservationis, nimirum, vt peccata reservata Superiori, vel iurisdictionem habenti manifestentur, vt ille ea judicet, pœnitentiam prò iis imponat, &c. Sed hoc totum fit. Ergo.

Nota, quòd, cùm talis Confessio, & Absolutio sit nulla, & nihil operetur, nisi quòd tollat reservationem, est integrè repetenda coram quocumque alio Sacerdote exposito, qui ab omnibus absolvere poterit. Cæterùm, si quis Superiori confiteretur, habens reservata, sed ex oblivione etiam inculpabili nullam

nullam de eis mentionem faceret, per hoc non tollitur reservatio, vti nec obligatio denuò ea confitendi, vt ab ijs absolvatur directè.

* 33 *Resp.* 2. Qui die quodam virtute Jubilæi, vel licentiæ Superioris absolvi potuit à reservatis, etiam censuram habentibus, sed eorum inculpabiliter fuit oblitus, confessio autem fuit valida, potest adhuc absolvi die elapso. Ita probabilius cum Sylvestro, Cano, La Cruz, &c. *Ratio*: Tum quia illud peccatum spectat ad præcedentem confessionem. Tum etiam, quia censura (si quæ fuit) die præcedente iam fuit sublata per illa generalia absolutionis censurarū verba: *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, &c.* vi quorum peccatum mansit sine censura, ac reservatione. Ergo.

Resp. 3. Qui intra tempus Jubilæi, v.g. vltimo die cœpit confiteri, confessionem autem (quia fuit nimis longa) non perfecit, sed ex consilio Confessarij partem distulit in proximum diem post Jubilæum, poterit post illud adhuc absolvi à reservatis ante finem Jubilæi commissis. *Ratio*: quia censetur moraliter eadem confessio.

Dixi autem, *à reservatis ante finem Jubilæi commissis*. Si enim sint commissa post finem Jubilæi, ab illis absolvi non potest in virtute Jubilæi, cuius facultas solùm est data pro contractis ante Jubilæum, vel eo durante. *Nota*, posse tempore Jubilei fieri commutationem votorum in eam materiam, quam Jubilæo elapso Confessarius, aut aliùs vir doctus judicaverit expedire.

* 34 QUÆRO XIV. Potestne Confessarius absentem absolvere à reservatis; si comperiat, quòd eum male ab eis absolverit? *Resp.* 1. Probabilius non potest; si sint peccata non censurata. *Ratio*: Quia, vt suprà traditum est, absolutio sacramentalis non potest conferri absenti. *Quod* absolutio à censuris possit dari absenti, vide suprà in *Exam.* 1. *num.* 33. *R.* 5. Quomodo ille Confessarius malè absolvens in eo casu se habere debeat, vide suprà *T.* 13. *E.* 5. *n.* 59.

Nonne saltem Superior, qui reservationem fecit potest eam extra confessionem tollere? *Affirmo*; sive peccatis censura sit annexa, sive non; immò & vna reservatio sine altera sic tolli potest. *Ratio*: Quia, qui legem facit, eam abrogare potest; & *res per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur*, vt habet Regula Juris; Reservatio autem nihil est aliud, quam prohibitio à Superiore facta Confessarijs. Hac ergo reservationis ablatione facta potest quilibet Confessarius legitimè expositus à peccatis reservatis commissis, & committendis, vti, & à censuris contractis absolvere. Hæc de Censuris dicta sint

EXAMEN III.

De Indulgentijs.

De quibus Angel. Doct. agit in Supplement. quæst. 25. 26. *&* 27.

* 1 QUÆRO I. Quid est Indulgentia, & Thesaurus Ecclesiæ? *Resp.* 1. Indulgentia, iuxta S. Thomam, & alios Theologos, est relaxatio pœnæ temporalis, debitę peccato actuali iam remisso, homini in gratia existenti concessa extra Sacramentum à Prælato Ecclesię illi applicante Thesaurum Ecclesiæ.

Explicatur definitio: Dicitur 1. *Relaxatio*, id est, remissio pœnæ, quia per Indulgentiam non remittitur culpa, seu peccatum, hoc enim remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ. Dicitur 2. *Pœna temporalis*; quia pœna æterna remittitur cum peccato mortali, & commutatur in temporalem in hac vita, vel in flamma purgante iucundum. Dicitur 3. *Debitæ peccato actuali*, quia pœnæ peccato originali debitæ, v.g. mors, morbus, fames, fatigio, &c. per Indulgentiam non remittuntur. Dicitur 4. *Homini in gratia existenti*: Si enim homo sit in mortali, est inimicus Dei, ac indignus remissione pœnæ. Dicitur 5. *Extra Sacramentum*; ad differentiam remissionis sacramentalis, quæ fit merè ex Dei liberalitate, quæ verò fit per Indulgentiam, fit simul cū aliqua compensatione, qua ex Thesauro Ecclesiæ tantum solvitur, quantum homini Indulgentiam lucranti, remittitur. Sicut si pro aliquo debitore mille imperialium tantumdem solvatur ex ærario publico. Vbi est misericordia, quia non solvit de suo; & iustitia, quia à debito non liberatur, nisi sit plenè solutum. Dicitur 6. *à Prælato applicante Thesaurum Ecclesiæ*. Pro quo.

* 2 *Resp.* 2. Thesaurus Ecclesiæ sunt bona opera, ac satisfactiones Christi, Deiparæ, Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & omnium Justorum à primo justo Abel, vsque ad vltimum, qui in fine mundi nasciturus est, quę semper manent in divina acceptatione, seu memoria, ac data sunt Ecclesiæ (cuius Christus est caput) vt ex ijs simul iunctis, velut ex quodam spirituali publico ærario membris indigentibus communicetur Pro quo.

Nota, quod in omni bono opere, quoad præsens, duplex sit valor. Primus est meritorius, puta, vitæ æternæ, quæ est præmium eius. Et hic est personalis, nec ab operante alteri applicabilis, si nimirum loquamur de merito finito puri hominis, ad excipiendum meritum infinitum Christi. Et de hoc primo valore intelligitur illud 1. Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem*. Secundus est valor satisfactorius pro pœna peccatis debita, provenitque à pœnalitate, & difficultate operis boni, eiusque præmium est remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis remissis. Et is ex vi vnionis charitatis (qua inter membra viva Ecclesiæ, seu inter Fideles alter alterius onera portat) est alteri applicabilis. Et de illo intelligitur illud Eccles. 3. *Elemosyna extinguit peccatum*, id est, pœnam peccati.

Quod dictus Thesaurus sit in Ecclesia, est de fide, & patet ex Extravag. Clem. VI. quæ incipit, *Vnigenitus*, & decernit, *Christum per effusionem Sanguinis sui infinitum Ecclesiæ militanti Thesaurum acquisiviſſe, & qui eo vti sunt, Dei amici facti sunt, & dispensandus est nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debita. Ad cuius quidem Thesauri cumulum B. Dei Genitricis, & omnium electorum à primo iusto vsque ad vltimum meritа administrantium præstare noscuntur*. Ex quibus verbis patet, ex quorum bonis operibus ac satisfactionibus ille Thesaurus constituatur.

Ratio: Eundem Thesaurum in Ecclesia dari conveniens est. Nam vti Deus nullum meritum relinquit sine præmio, nec peccatum sine pœna, ita nec vllas Sanctorum satisfactiones permittit perire sine fructu: Sed multi Sancti multa fuêre gessêre sine fructu: Sed multi Sancti multa fuêre gessêre, qui-

quibus non egebant ad ſolvendas ſuorum peccatorum pœnas, vt in primis de Chriſto per ſe patet, qui fuit abſolutè impeccabilis, & B. V. in paſſione Filij graviſsimos fuit paſſa dolores, & tamen peccatum nullum comiſsit: Multi Sancti Martyres, Eremitæ, Confeſſores, &c. vigilijs, ieiunijs, ac immenſis tormentis ſe afflixerunt, cum tamen nonnisi ſi venialia commiſerint, talis autem valor non eſt perditus. Ergo reſervatur in Eccleſia.

* 3 QUÆRO II. Eſtne in Eccleſia, & pœnes quem, poteſtas dictum Theſaurum diſpenſandi Fidelibus extra Sacramentum per Indulgentias? *Reſp.* 1. Chriſtus Eccleſiæ, & eius Capiti dedit illã facultatem. Ita patet Math. 16. vbi Chriſtus Petro dixit: *Quodcumquè ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Quibus verbis Chriſtus Petro promittit ſupremam poteſtatem ad regendam, & iudicandam Eccleſiam, quàm poſteà actu tradidit poſt Reſurrectionem Ioan. 21. dicens: *Paſce oves meas*. Quæ verba ſunt omninò generalia, nec reſtringuntur ad ſola peccata, ſicut illa Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*; ſed extendunt ſe ad cenſuras, pœnas, Leges, vota, iuramenta, &c. Ergo. Idem patet ex illis generalibus verbis Chriſti Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*, id eſt, in Iudicio Dei. *Chriſtus* ipſe pleniſsimam Indulgentiam dedit Latroni ijs verbis: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Et Magdalenæ, vti & Samaritanæ abſque vlla ſatisfactione, quæ alias fuiſſet neceſſaria.

* 4 *Reſp.* 2. De eo, qui poteſt Indulgentias largiri, *S. Thom. hic q.* 26. *art.* 3. *in c. ſic ait*: Papa habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, quaſi Rex in Regnò, ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſolicitudinis, quaſi Judices ſingulis civitatibus præpoſiti: propter quod eos ſolos in ſuis literis Papa Fratres vocat, reliquos autem omnes vocat Filios. Et ideo poteſtas faciendi Indulgentias plenè reſidet in Papa, quia poteſt facere prout vult, cauſa tamen exiſtente legitima; ſed in Epiſcopis eſt taxata ſecundum ordinationem Papæ: Et ideò poſſunt facere ſecundum quod eis eſt taxatum, & non amplius. *Hæc ibi*. Porrò eſt Epiſcopo taxatum, vt poſſit ſolum dare Indulgentiam 40. dierum auctoritate Summi Pontificis: Item in Dedicatione Eccleſiæ Indulgentiam vnius anni. Solet etiam Papa ſuis Legatis dare facultatem concedendi Indulgentias: Et ſummo Pœnitentiario.

Hinc Clemens VI. in Extrav. cit. alt: *Hunc Theſaurum Chriſtus non in Sudario repoſuit, non agrè abſconditum; ſed per D. Petrum Cœli Clavigerum, eiuſque Succeſſores commiſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum*. Hinc & Indulgentiarum vſus in Eccleſia eſt antiquiſsimus. Nam S. Gregor. Magn. Papa, creatus anno 619. inſtituit Romæ Indulgentias Stationum, vt ſcribit *S. T. hic q.* 25. *a.* 2. *in c.* & teſtantur alij ante illum. S. Leo III. circa annum 803. conceſsit Indulgentias teſte S. Ludgero in Epiſt. de *S.* Suiberto. Serguius II. qui ſedit circa annum 844. dedit Indulgentias trium annorum, & trium quadragenarum, viſitantibus Eccleſiam S. Martini in Montibus, in feſto eiuſdem Eccleſiæ: vt patet ex marmore in eadem Eccleſia antiquiſsimis litteris inciſo. Plura ſimilia videri poſſunt in Controverſiſtis. Hinc patet quam ſplendidè mentitus ſit *Kemnitius* aſſerendo, vſum Indulgentiarum, eſſe novum in Eccleſia, & cœpiſſe circa annum Domini 1200. eandem Indulgentiarum antiquitatem, & Divinam Traditionem ſtatuit *Trid. ſeſſ.* 25. *de Reform.* in decreto de Indulgentijs.

Ratio: In omni Republica benè ordinata debet penès Principem, vel Magiſtratum eſſe poteſtas membris indigentibus diſtribuendi theſaurum vſus, & bona communia: Sed Eccleſia eſt à Chriſto benè ordinata, & per Indulgentias aliud non intelligitur, quàm talis theſaurus, & commune ſpirituale ærarium. Ergo.

* 5 *Poteſtne Papa* lucrari Indulgentias alijs conceſsas? *Affirmo*, ſicut, & gaudere poteſt diſpenſationibus alijs, v. g. in ieiunio datis. *Ratio S. T. q.* 27. *art.* 4. *id Sed contra*: Quia tunc eſſet ipſe peioris conditionis quàm alij, ſi ipſe non poſſet vti Theſauro Eccleſiæ, quem alijs diſpenſat. Et *ibidem ad* 1. *dicit*: Actus iuriſdictionis non poteſt aliquis in ſeipſum exercere, ſed eis, quæ auctoritate iuriſdictionis dantur, poteſt etiam Prælatus vti, tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. Sicut etiam Sacerdos ſibi Euchariſtam accipit, quam alijs dat. Et ita etiam Epiſcopus poteſt accipere ſibi ſuffragia Eccleſiæ, quæ alijs diſpenſat: quorum effectus immediatus eſt remiſsio pœnæ per Indulgentias, & non actus iuriſdictionis. Hæc ibi.

* 6 QUÆRO III. Quotuplex eſt Indulgentia? *Reſp.* Indulgentia variè dividitur: Primò in totalem, & partialem. Totalis eſt plenaria, remittens lucranti totum pœnæ reatum: Partialis, quæ tantum partem. *Dividitur* 2. in realem, perſonalem, & localem. *Realis* eſt, quæ conceditur alicui rei, Roſario, v. g. vel Imagini, ſeu potius illi, qui rem talem geſtat. Perſonalis conceditur perſonæ, vt eam lucretur, vel in articulo mortis, vel quoties hoc, vel illud opus pium Iniunctum fecerit. *Localis* conceditur alicui loco, nimirum Eccleſiæ, vel altari, ſeu illis, qui locum devotè viſitant. *Dividitur* 3. vel potius ſubditur Indulgentia totalis in plenam, pleniorem, & pleniſsimam. *Plena*, vt ſolet explicari à quibuſdam, vocatur, quæ remittit totam pœnitentiam iniunctam. *Plenior*, quæ remittit totam pœnitentiam merito iniungendam ſecundum Canones antiquos, de quibus poſteà. *Pleniſsima*, quæ remittit totam pœnitentiam peccatis in iudicio Dei debitam. Quidquid de hoc ſit.

Indulgentia plenaria, & pleniſsima quoad ſubſtantiam, ſeu quoad effectum remiſsionis totius pœnæ ſunt idem cum Jubilæo, differunt verò ſolum ab illo, quantum ad iuriſdictionem, & maiorem facultatem, v. g. abſolvendi à caſibus reſervatis, diſpenſandi in votis, eligendi Confeſſarium, abſolvendi à cenſuris, quæ amplè ſolent concedi in Jubilæo. De quo poſteà plura.

Indulgentia partialis ſub varijs formulis conceditur. *Nam* 1. aliquando datur remiſsio tertiæ, vel quartæ partis peccatorum. 2. *Interdum* dantur aliquot anni Indulgentiarum, vel aliquot dies, vt quadragenæ dierum. Indulgentia tertiæ, vel quartæ partis peccatorum ſignificat remitti pœnitentiã pro tanta partæ pœnæ peccatis debitæ, iuxta taxationẽ Sacrorum Canonum. Idem eſt de Indulgentia tot dierum, vel annorum; vnde malè hoc intelligunt illi, qui dicunt, intelligi tot dies, vel annos Purgatorij. Pro quo.

* 7 Notandum, quòd antiqui Sacri Canones ſeveras aſſignaverint pœnitentias ſacramentales, ſeu à Confeſſarijs iniungendas, nimirum peccato alicui gravi ſeptem annos pœnitentiæ, cap. *Hoc ipſum* 33. q. 2.

4.2. Et huic pœnitentiæ correspondebat Indulgentia 7. annorum dicta *septena*. Pro alijs peccatis determinabant 40. dies ieiunij in pane, & aqua, & alijs laboriosis exercitijs. Et huic correspondet *Quadragena*, ideſt, Indulgentia remittens pœnitentiam 40. dierum iuxta illos Canones. Hæc pœnitentia ieiunij in ſolo pane, & aqua vocabatur etiam *Carena*, qui terminus ſignificat carentiam omnis alter eius cibi, & conſortij hominum. Pro crimine valdè atroci, & extraordinario, vt cui deberetur pœna capitis (de quo cap *Accuſaſti* 8. *de accuſationibus*) iniungebatur Quadragena jejunij, & ſeptena pœnitentiæ.

Qui peieraverat, vel alium ad id induxerat, debebat 40. dies in pane, & aqua tranſigire, & per 7. annos ſequentes pœnitere. Qui rapuerat, vel furatus fuerat Eccleſiæ, præter reddition em quadrupli, debebat tres annos pœnitere, & quidem in pane, & aqua. Per has pœnitentias putabant illorum Canonum Conditores frequentius integrè expiari totam pœnam peccatis debitam. Erat tamen in poteſtate Confeſſarij pœnitentias illas hic injungere, vt aliquæ ex ſeptennibus obirentur, v.g. ſemel in hebdomada. Ex his inferrur, peſsimè ſibi conſulere illos, qui indulgentias certorum dierum, aut annorum negligunt, & ſolas plenarias quærunt.

* 8 *Quomodo cum hac* explicatione ſalvas Indulgentiam mille, immò 20. mille annorum, cū tamen Sacri Canones non determinaverint tantam pœnitentiam, & ad ſummum pro graviſsimis delictis pœnitentiam totius vitæ, quæ raro excedit centum annos.

Ad hoc dico imprimis, eam indulgentiam etiam non poſſe intelligi de pœnis Purgatorij, quia nec hoc tamdiù durabit. Deinde dato, & non conceſſo (quia aliqui id negant, dicentes tales indulgentias fuiſſe olim à Quæſtuarijs confictas) dato, inquam, tales indulgentias fuiſſe datas, poteſt contingere, quòd tam atrocia peccata cōmittantur, v.g. in conſuetudine blaſphemandi, per ſingula ferè momenta peierandi, item furta, rapinas, adulteria, maximè peccata cordis in concupiſcentia, vel vxoris, vel rei alienæ, &c. vt merito tales peccatores tenerentur ad millium annorum pœnitentiam; ſi enim Sacri Canones ſingulis eorum peccatis injunxerint tres, vel ſeptem annos, facto calculo quantus erit numerus annorum pœnitentiæ pro innumeris illis, & tam enormibus delictis!

* 9 *Quomodo hoc* intelligitur, quando indulgentiæ plenariæ ſuperadditur indulgentia aliquot annorum, vel dierum, vel remiſsio tertiæ partis peccatorum? Si enim eſt plenaria, non indiget illa additione. *Dico*: Dato, & non conceſſo (quia aliqui Auctores id negant) dari autenticam talis indulgentiæ conceſsionem, inſpiciendus eſt tenor litterarum. Vel enim illa additio erit lucranda alio tempore, loco, & actione, vel additio erit applicanda per modum ſuffragij animabus in Purgatorio.

* 10 *Quid intelligis* per Indulgentias Stationum Romæ? *Dico*, eſſe eas, quæ conceduntur viſitantibus certas quaſdam Romanas Stationes, ideſt, Eccleſias Romæ, quæ ſunt inſtar Stationum, ſeu præſidiorum, & excubiarum ſpiritualium. Tales Stationum Indulgentiæ Romæ ſunt quotidiè, in quibuſdam Eccleſijs plenariæ, in alijs non plenariæ. *Sed de his vide Tract. de Bulla, §. 4. n. 2.*

* 11 QUÆRO IV. Quid ſentis de Jubileo, ſeu Anno Sancto? *Reſp.* 1. Sicut apud Hebræos annus quinquageſimus remiſsionis erat Sanctus, & Jubilæus (*Num. vlt. & Levit. 25. & 27.*) in quo dimittebantur omnes labores agriculturæ, nec arabatur, nec ſerebatur, nec metebatur, ſed commodè ſuſtentabantur ex frugibus anni ſuperioris, quas Deus triplo plures dabat. *Item* ſervi donabantur libertate, relaxabantur delicta, agri divenditi revertebantur ad antiquos poſſeſſores, &c. Ita & Jubileum Romanum eſt *Annus Sanctus plenariæ remiſsionis, ſeu plenariæ Indulgentia omnium pœnarum temporalium peccatis debitarum cum variis privilegijs, & facultatibus* antè nominatis, nimirum abſolvendi à reſervatis, vota commutandi, juramenta relaxandi, &c. Ex quo patet definitio Jubilei. Porrò hæc vox *Jubilæum* derivatur ab Hebræo *Jobel*, quod ſignificat cornu, buccinam, vel tubam, qua in Veteri Lege in ſeptimo menſe annum Jubilæum præcedente, annus quinquageſimus nuntiabatur clangore buccinæ. Levit. 25.

Reſp. 2. Bonifacius VIII. Jubilæum Romanum conceſsit quovis centeſimo anno. Clemens VI. reduxit ad quinquageſimum. Vrbanus VI. ad trigeſimum tertium. Paulus II. ad vigeſimum quintum, vt nunc ſervatur. Cauſa reductionis fuit brevitas vitæ humanæ, & vt homines plures, & pluries tanto theſauro gaudere poſsint.

* 12 *Reſp.* 3. Romæ adveniente Anno Sancto celebrantur certi ritus, & cæremoniæ, quas ſic refert noſter Lublino In Vigilia Nativitatis Domini hora Veſperarum Papa cum Cardinalibus, Prælatis, & Officialibus decēter ornatis proceſsionaliter, Cruce præcedente, vadit ad Capellam Palatij Apoſtolici, quam ingreſsi, Papa genuflexus ante Sacramentum, & reliqui omnes orant. Poſtea thurificata hoſtia, præcinit Summus Pontifex hymnū, *Veni Creator Spiritus*: Et ſic recedunt ad Eccleſiam S. Petri, cuius Porta ſancta cum alijs Eccleſiæ portis adhuc couſque eſt clauſa. Ibi Papa è ſella geſtatoria deſcendit, & ad portam ſanctam accidet præfericus manibus malleum, quo ter percutit murum portæ aperiendæ, terque præcinit hos verſus: *Aperite mihi portas juſtitiæ*. Interim Fabri murarij, & miniſtri demoliuntur murum Pontifice orante: Lapides autem, & cæmentum muri diſiecti devotè à Peregrinis, & à Romanis rapiuntur. Tandem Pœnitentiarij induti Presbyterialibus ornamētis ſumpta aqua benedicta lavant poſtes Portæ ſanctæ, quā aperta, & ſota datur Crux in manum Pontificis, qui genu flexo ante Portam ſanctam præcint *Te Deum Laudamus*. Et ſic intrat comitante Clero, & frequentia populi. Mox mittit tres Cardinales Legatos ad apariendas alias Portas ſanctas Eccleſiarum S. Pauli, S. Ioannis Lateranenſis, & S. Mariæ Maioris, qui ſingulis eaſdem ferè cæremonias, & præces adhibent in earum reſeratione. Quæ Portæ per totum annum Jubilæi manent apertæ, vt in huiuſmodi Eccleſijs omnes Chriſti Fideles aſsiduè conſequi valeant plenariam peccatorum remiſsionem. Hæc ille.

Ritus, & cæremoniæ, quæ in decurſu, & fine Anni ſancti adhibentur, videantur in *AA*. Quia eadem ſolemnitate, qua murus fuit apertus, iterum clauditur in redeunte Vigilia Natalis Domini, ipſo Papa prius, deinde ſummo Pœnitentiario in limine Portæ ſanctę iaciente calcem trulla, ſeu cochleari argenteo, & ternos lapides ponente: quo perac-

to Murarij murum perficiunt: qui manet integer vsquedum alius Annus sanctus redeat. *Nota*, Portam vocari sanctam ideò, quia illi, qui per eam, vt decet, intrant, obtinent, sanctitatem, & gratiam, & dum illa claudiur, lapides calx, &c. benedicuntur.

13 *Resp.* 4. Romæ durante Anno Iubilæi, omnes Indulgentiæ plenariæ concessæ vivis, etiam in carceribus detentis, suspenduntur, ne Iubilæo Romano sint impedimento, vt patet ex Extravag *Quemadmodum*. Et ex Bulla Grego. XIII. quæ incipit: *Quoniam sancti Iubilæi*. Item suspenduntur aliæ facultates, *v.g.* commutandi vota, dispensandi, à casibus Bullæ Cænę absolvendi, &c. quæ fuerunt concessæ ad lucrandas plenarias indulgentias. Indulgentiæ tamen concessæ per modum suffragij defunctis non suspenduntur, com Jubilæo Romano non obstent. Vti nec concessæ vivis pro articulo mortis, vt Bonacina docet ex Declaratione Vrbani VIII. facta Anno 1625. Ex qua eadem Declaratione constant, non suspendi facultates vi Privilegiorum Religioni datas, *v.g.* absolvendi à reservatis: Quia, vt dictum est, solum suspenduntur facultates concessæ ad lucrandas indulgentias plenarias.

Resp. 5. Solet etiam Papa post Jubileum Romanum, vti & post suam Coronationem, item in gravi necessitate, vel persecutione Ecclesiæ, omnibus Fidelibus concedere extraordinarium Jubilæum, ad illud lucrandum exigendo certa opera: quæ videnda sunt in ipsa Bulla, ac sedulò, & acuratè implenda.

* 14 QUÆRO V. Circa Jubileum quomodo resolvis hoc casus? *Primò* Peccat quis peccato reservato, & quidem ex confidentia Jubilæi obtinendi, potestne virtute illius absolvi, cum videatur agere in fraudem, & videri alias posset, Papam velle fovere iniquitatem? 2. *Titius* in prima hebdomada Jubilæum lucratus est, in secunda verò committit reservata, potestne absolvi, aut vota ei commutari? 3. *Quid* si ab ijs petat absolvi statim elapso Jubilæo? 4. *Titius* cum animo impiendi omnia opera Jubilæi, accipit absolutionem à reservatis, & votorum commutationem, sed postea opera non implet, adeòque nec Indulgentias lucratur, reviviscuntne vota, & censuræ. 5 *Opera* Jubilæi debentne omnia fieri in vna hebdomada.

Ad 1. Probabilius R. Affirm. *Ratio*: Quia vbi Bulla non distinguit, vel restringit, aut excipit, neque nos distinguere, aut restringere debemus: Sed Bulla Jubilæi non excipit illos, qui peccant spe veniæ. Ergo. Porrò, quod tales fraudem committant, ex eo conscientiam suam magis gravant. Nec tamè Papa eorum malitiæ patrocinium præbet; quia aliàs idem esset dicendum de Christo, qui instituit Sacramenta in peccatorum remedia, quibus multi abuntur. *Ad* 2. Probabilius affirmatur. *Ratio*: Tum quia homo habet ius ad tales gratias stante Jubileo obtinendas. *Tum* etiam, quia etiì in probabiliori sententia non possit denuo lucrari Iubilæum, qui in prima hebdomada illud verè est lucratus, cùm tamen nemo sine Dei revelatione omninò certus sit de eius consecutione, ad maiorem securitatem potest rursus perficere opera præscripta. Ergo & obtinere dictas gratias, nimirum absolvendi à reservatis, & commutandi in votis, in quæ incidit durante Jubileo. *Ad* 3. patet suprà in *E.2.n.*32. R. 2. & 3. *Ad* 4. R. probabilius negativè. *Ratio*: Quia vota absolutè, & sine conditione, vel restrictione sunt commutata, & censura ablata sine conditione reincidentiæ. Ergo. *Ad* 5. *Affirmo*. Pro quo inspiciatur tenor Bullæ.

* 15 QUÆRO VI. Requiriturne iusta, & rationabilis causa ad concessionem Indulgentiarum, vt sint validæ? *Ante* R. supponitur, concessionem Indulgentiarum sine rationabili causa factam, esse illicitam, proindè peccare eum, qui illas concedit, quia non agit, vt fidelis servus & prudens cum bonis Domini sui. *Item* esse saltem validam quoad aliqua privilegia, & facultates versantes circa ea, quæ à solo jure Ecclesiastico, pendent, vt facultas dispensandi in irregularitate, absolvendi à reservatis, &c. Cùm enim ius Ecclesiasticum à solo arbitrio Papæ pendeat, potest in eo validè dispensare, etiam sine iusta causa. Hoc notato.

Resp. 1. Ad valorem indulgentię, eiusque effectum, qui est remissio pœnæ in Purgatorio solvendæ, requiritur pia, & rationabilis causa eam concedendi, quæ nimirum causa concernat publicam Ecclesiæ vtilitatem, aut animarum salutem, vel Dei gloriam. Ita patet *ex S. T. hic q.* 25. *a.* 2. *in fine c. & a.* 3. *Ratio*: Tum quia dispensator in bonis Domini sui debet disponere ex iusta causa, aliàs enim non erit fidelis servus: Sed Papa solum est Dispensator Thesauri Ecclesiæ, non Dominus. *Ergo*. Tum etiam, quia Papa non potest sine iusta causa aliquem deobligare ab ijs, quæ sunt debita in foro Dei, aut de iure divino: Sed pœnæ peccatis sunt debitę iure divino, & in foro Dei. *Ergo*. Ex quo sequitur, quod sola Thesauri abundantia non sit sufficiens causa ad eum cuicumque distribuendum.

Resp. 2. Ang. Doctor *hic q.* 25. *art.* 3. *in sed contra* docet, quod pro Peregrinationibus, & Eleemosynis possint fieri indulgentiæ. Et id probat ex communi Ecclesiæ consuetudine.

Resp. 3. Quomodo pro temporalibus possint dari indulgentiæ, explicat ibidem *in c. dicens*: Temporalia ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia debemus vti temporalibus. Et ideò pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, sicut est represio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant: sicut & constructio Ecclesiarum, & pontium, & aliarum Eleemosynarum. Subdit *ibidem ad* 1. *S. D.* Et per hoc patet, quod non sit ibi Simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali. *In solut. ad* 2. *ait*: Etiam pro purè spiritualibus potest fieri indulgentia, & fit quando que sicut qui orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de indulgentia à Papa Innocentio IV. Hæc ibi.

* 16 *Resp.* 4. Probabilius est, quod ad concedendas indulgentias, præsertim magnas, non sufficiat, quecumque levissima causa pia, sed debeat iuxta prudentis arbitrium esse aliquo modo proportionata. Hinc si causa nimis sit levis, & Indulgentia excedens, hæc erit invalida, saltem quoad excessum. *Ratio* patet ex dictis pro R 1. Dixi, *iuxta prudentis arbitrium*: Nam si eo stante, causa adhuc reipsa foret insufficiens, valida erit Indulgentia. Quia Dominus Thesauri non est rationabiliter invitus, quamdiu à servo dispensatur iuxta Regulas prudentiæ.

Quomodo ergo salvas valorem plenariæ indulgentiæ, quam Papa dat omnibus ante fores Basili-

cæ

qz D. Petri ſtantibus, dum in die Paſchatis populo ſolemniter benedicit: vbi cauſa eſt omnino levis? *Dico*: ibi cauſam quidem eſſe levem ſecundùm ſe, at ſufficientem iuxta finem intentum per indulgentiam. Illa enim aſsiſtentia præ foribus, & aſsiſtentia populi ſub benedictione Papali eſt medium aptum, & vtile ad proteſtationem Fidei de Capite Eccleſiæ, & ad honorem ſedis Apoſtolicæ, qui eſt finis illius Indulgentiæ, vt explicat Bellarminus. Similiter pro eadem cauſa, diverſo tamen tempore, poteſt concedi maior, vel minor indulgentia, quia cauſa vno tempore levis, alio tempore poteſt eſſe maior, ſicut eadem eleemoſyna miſeriam pauperum magis ſublevat, dum eſt annonæ charitas, quam dum non eſt.

* 17 QUÆRO VII. Quæ conditiones requiruntur in lucrante Indulgentias? *Reſpond.* Eſſe quinque: *Prima eſt*, vt ſit baptizatus. Quia nemo poteſt eſſe particeps Theſauri Eccleſiæ, *niſi ſit mẽbrum* Eccleſiæ: Sed ſit membrum per Baptiſmum. Ergo. 2. *Vt* non ſit excommunicatus excommunicatione maiori iuxta dicta ſuperius. 3. *Vt* Indulgentia indigeat, non enim poteſt eam ſuſpendere, vel in futurum reſervare vſquedum indiguerit. 4. *Vt* non ſit in peccato mortali. Quia remiſsio pœnæ temporalis ſupponit remiſsionem culpæ, & pœnæ æternæ, quia inimicus Dei eſt indignus, immò incapax talis gratiæ. Debet ergo lucrans eſſe in gratia, ſaltem quando implet vltimum opus, *etſi* optimum ſit, ſi omnia impleat in gratia. Verùm probabiliùs.

Diſtinguendum hic eſt cum Bellarm. & noſtro Nugno: Si Indulgentiarum finis eſt pro peccatis ſatisfacere, vel Deum Chriſtiano populo placare, & ad huius finis conſecutionem iniunguntur preces eleemoſynæ, jejunia, templorum viſitationes, veriùs eſſe videtur, omnia hæc opera debere fieri in ſtatu gratiæ. *Ratio*: Quia ſine gratia ad illum finem non conducunt; *Nam cum dona iniquorum non* probet Altiſsimus, & odio ſint Deo impius, & impietas eius, vt ait Scriptura, per talia opera nõ placatur, nec per ea Deo ſatisfit. Ergo ſi quis ſit in mortali, debet operibus præmittere ſaltem contritionem, ſi non confeſsionem. Si verò finis ſit alius, *v.g.* ædificatio Templi, vel Hoſpitalis, ſublevatio pauperum, ſubſidium belli ſacri, &c. ſufficit eſſe in gratia, quando vltimum opus perficitur, ſeu quãdo indulgentia eſt percipienda, quia ille finis poteſt obtineri per *opera etiam à peccatore facta*.

5. *Conditio* eſt executio operis iniuncti modo præſcripto.

Quid ſi Pœnitens defacto omnibus operibus in mortali factis, adeòque propter fictionem, ſeu obicem indulgentiam non lucretur, lucraturne poſtea fictione ſublata per pœnitentiam? *Dico*: Non lucratur. *Ratio*: Indulgentia tantum valet, quantum ſonat, & non operatur vltra intentionem concedentis, ſed indubitatè, ſi concedens de hoc *interrogaretur*, diceret, hanc non eſſe mentem ſuam. Ergo.

* 18 *Quid ſi* opera præſcripta impleantur in peccato veniali? *Dico* 1. Remiſsionem pœnæ alijs peccatis, ſive mortalibus, ſive venialibus iam remiſsis debitę, non impediri. *Ratio*: Tum quia veniale non tollit ſtatum gratiæ, adeòque nec remiſsionem pœnæ. *Tum* etiam; quia licèt tunc opus operantis non ſit Deo gratum, cùm ſit malum; benè tamen opus operatum ſcilicèt ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ ſunt infiniti valoris, eorumque intuitu pœna per indulgentias remittitur. Hoc tamen ſolùm verum eſt ſub diſtinctione antè data ex Bellarmino.

Quid ſi quis ex operibus præſcriptis minimum quid omittat, *v.g.* ex Roſario vnum, & alterũ Ave Maria? *Dico*: Etſi varij DD. teneant hic parum pro nihilo reputari, attamen judico hic non laxè, ſed ſcrupulosè procedendum eſſe, quia iuxta alios DD. eſt res valdè dubia. Immò, vt ſcribit Gobat, Eugenius IV. in Bulla, qua Monachis Vallisoletanis pro articulo mortis dedit plenariam indulgentiam dependenter à jejunio ſingulis ſextis ferijs per totũ annum obeundo; in illa, inquam, Bulla omiſsionem quantumvis involuntariam vnici jejunij voluit ſuppleri alio anno promimo, alioquin nolens eos gaudere indulgentia.

* 19 *Teneturne* quis opera præſcripta implere per ſemetipſum? *Affirmo*: Quia communiter hæc eſt mens Pontificis. *Poteſtne vno* actu quis lucrari duplicem Indulgentiam? *Affirmo*, ſi ea ſit mens cõcedentis, quia ab eo hæc res dependet.

Quid ſi vtraque Indulgentia ſit plenaria? *Dico*: Non poſſe vnico actu lucrari; quia prima plenaria, ſi reverà obtineatur, remittit totam pœnam. Ergo nihil reſtat, quod tollatur per alteram. Vel certè vtraque concurret, vt duplex cauſa partialis ad eundem effectum.

Quid ſi ſint duo opera, pro eodem die tamen? *Dico*: Poſſe quem eodem die diverſis horis per diverſa opera plenariam obtinere indulgentiam, ſi tempore intermedio novam contraxerit pœnam temporalem per peccatum, de quo pœnitentiam egit. *Ratio*: Quia adſunt omnia ad lucrandam Indulgentiam requiſita.

Qui omni mortali, & veniali culpa immunis in eo inſtanti, quo Indulgentiam eſt lucratus, moritur, nonne continuò in cœlum evolat? *Affirmo. Ratio eſt*: Quia nulla obſtat remora; nimirum, nec culpa, nec pœna, vt caſus ſupponit.

* 20 *Requiritur* intentio per hæc opera lucrandi Indulgentiam? *Dico*: Actualis intentio non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ſufficit habitualis, aut interpretativa. *Ratio*: Tum quia Papa concedens indulgentiam non cenſetur aliam intentionem requirere, cùm Bullam aliam non exprimat, ſed ſolùm dicat, Indulgentiam concedi piè viſitantibus, *v.g.* Eccleſiam. Tum etiam, quia nec Indulgentiæ natura exigit aliam intentionem; ſi enim vnus juſtus alteri etiam ignoranti ſuas ſatisfactiones applicare poſsit, etiam Summus Eccleſię Paſtor poterit homini ignoranti à ſenſibus alieno, jamjam moriturо Theſaurum Eccleſiæ applicare.

* 21 QUÆRO VIII. Poſſuntne Indulgentiæ à lucrante alijs communicari, etiam defunctis? aut à Papa concedi pro Purgatorio? *Reſp.* 1. S. T. hic, quæſt. 27 art. 3 ad 2. ait: *Indulgentia non poteſt applicari ad aliquem niſi ex intentione eius, qui dat* Indulgentiam.

Reſp. 2. Si Pontifex non conceſsit facultatem indulgentias alteri ſive vivo, ſive defunctis applicandi, fruſtra eis applicantur. *Ratio*: Quia indulgentiæ non operantur vltrà intentionem cõcedentis, vt patet ex mox adductis verbis S. Tho. *Reſ.* 3. Vt indulgentiæ applicatę alteri proſint, debet vterque, nimirum applicans, & recipiens, eſſe in gratia, in Sententia probabiliori. *Ratio*: Nemo poteſt

alteri lucrari, vel applicare indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam: Sed non potest eam facere suam nisi sit in statu gratiæ, vt ante dictum. Ergo.

* 22 *Resp.* 4. Indulgentiam vivis, & defunctis concedi posse, definitum est à Leone X. contra Lutherum, & id probat Ecclesiæ praxis. Verum diversimodè vtriusque conceditur, nimirum vivis per modum sententiæ, seu iudicialis potestatis, eos à pœna absolvendo; defunctis verò solum deprecativè per modum suffragij, auxilij, vel solutionis Deo factæ per oblationem satisfactionum Christi, & Sanctorum ex Thesauro Ecclesiæ, quam Deus acceptat. *Ratio istius differentiæ est*: Quia absolutio iuditialis est actus iurisdictionis in subditos, & de illa intelligitur illud Christi. *Quodcumque solveris super terram*, non dixit sub terra: Sed defuncti, cum sint extra forum Ecclesiæ, non sunt amplius Subditi eius, bene tamen vivi. Ergo. Vbi.

Nota, quod animæ Purgatorij vivis sint vnitæ vinculo Fidei, & Charitatis, tamquam membra eiusdem corporis mystici. Vnde *S. Aug. l* 10. *de Civitate*; *c.* 9 *ait*: Neque etiam piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est Regnum Christi. Qua de causa nostris bonis operibus iuvari possunt. Et quamvis (vtpotè per fidem ambulantes) sint adhuc quodamodo Viatores, vltrà ad Patriam tendentes; non tamen omnes viatores sunt subditi Papæ, sed soli illi, qui sunt membra visibilia ovilis Christi, quod Papæ pascendum est commissum; dicta autem vnio per charitatem est invisibilis. Porrò vt Papa eis possit concedere indulgentiam per modum suffragij, Deo ex Thesauro Ecclesiæ offerendo sufficientem solutionem, prætiũ, seu satisfactionem, non requiritur quod habeat iurisdictionem in defunctos, sed sufficit quod habeat à Deo potestatem in dictum thesaurum, vti habet ob rationem *in hoc E. ante n.* 15. datam. Debet tamen concedi, quod concessio indulgentiarum pro defunctis, licèt non spectet ad potestatem iurisdictionis, spectat tamen ad potestatem iurisdictionis, spectat tamen ad potestatem quandem clavium, qua Papa membris Ecclesiæ Cœlum aperit.

* 23 *Resp.* 5. Licet positis omnibus requisitis indulgentia in vivis infallibiliter habeat suum effectum, non tamen ita in defunctis. *Ratio*: Quia Deo liberum est, dictum suffragium, vel solutionem admittere, vel non, cum ad hoc ex iustitia, seu virtute alicuius promissionis non sit obligatus. Pro quo.

Resp. 6. Probabilius est, quod indulgentiæ pro defunctis datæ suum effectum solum habeant ex misericordia Dei, & iuxta beneplacitum eius; attentis tamen meritis eorum (quibus applicantur) dum erant in via. *Ita S. Augustin. in lib. de cura pro mortuis, dicens*: Quod indulgentiæ, & suffragia illis solis defunctis prosunt, qui in hac vitâ meruerunt, vt in Purgatorio hæc illis prodessent.

Ratio est eadem, quæ pro R. 5. Quam confirmat communis æstimatio Fidelium, qui etsi alicui defuncto applicaverint indulgentiam, *v. g.* in Altari privilegiato, non tamen ideò cessant ab allis Missis, & suffragijs eidem applicandis. Nam potest Deus ob certas causas, infinitæ suæ Sapientiæ notas, prætium pro liberatione animæ oblatum recusare, licèt sit adæquatum, cum ex iustitia non teneatur acceptare. Ergo sicut magis probabile est, quod effectus indulgentiæ pro defunctis non sit infallibilis, ita magis pium est, pro ijs suffragia continuare. Confirm. Quia ex oppositâ sententia sequitur, quod Papa indulgentias multiplicando brevi tempore Purgatorium posit evacuare.

* 24 *Oppono* 1. Indulgentiæ tantum donant, quantum sonant: Sed sonant liberationem animæ. Ergo. 2. *Quia* alias Papa Fideles deciperet, promitens dare, quod non datur. *Ad utrumque R.* cum Conrado, quod indulgentiæ pro vivis tantum donant, quantum sonnat, quia super eos Papa habet auctoritatem, cum sint eius fori: pro defunctis verò facit indulgentias solum deprecativas. Nec Papa ideò decipit Fideles, quià concedit quantum potest. Sed fortè multæ animæ erunt de numero eorum, qui ita decefferunt, vt non meruerint illic relevari, eo quod in hac vita ex cordis sui duritia suffragiorum vix fuerint memores, & pro peccatis suis satisfacere neglexerint, vt proinde divina vlciscente Justitia, nec Deus acceptet suffragia pro eis oblata. Quod *NB*.

* 25 *Quid si talis anima*, pro qua fiunt indulgentiæ, & suffragia, non esset in Purgatorio? *Dico*: Quod Deus ea applicet alteri, nisi tamen is, qui suffragia applicavit, intenderit ea alteri determinatè animæ applicare, si prior non indigeat, vel nõ sit capax. Ex quo sequitur, quod indulgentiæ, & suffragia particularia pro determinatis animabus susceptà, accedente Dei acceptantis misericordia non prosint, nisi illis, quibus in particulari applicantur: Ideò enim à Summis Pontificibus constituuntur Alteria privilegiata: sicut communia Ecclesiæ suffragia prosunt Fidelibus defunctis in communi quoad refrigerium, & liberationem à pœna.

* 26 QUÆRO IX. Trasiato festo transferunturne indulgentiæ? *Resp* 1. Certum est, quod, si festa aliqua per auctoritatem Ecclesiæ fixè translata sint, vti plura sunt, de vno die in alium, sint simul translatæ indulgentiæ. *Ratio*: Quia hæc censetur esse mens Summi Pontificis.

Resp. 2. Festo fori non quoad forum, sed quoad solum Sacrum, & horas Canonicas translato, communiter non transfertur indulgentia ei annexa, sed hæc est lucranda die ordinaria. *Ratio*: Hæc censetur esse mens Pontificis, quam probat praxis Fidelium de tali translatione nihil scientium. Et ita patet in festo Annuntionis B. V. dum celebratur in Hobdomada Sancta, Sacro, & officio Canonico translato post Pascha.

Resp. 3. Festo etiam quoad forum translato in diem, quo totus populus à servilibus cessat, & in quem Rubricæ transferri volunt, transfertur etiam indulgentia. *Ratio*, & exemplum est idem quod ante *pro R.* 2. & tunc translatio est populo publicanda.

Resp. 4. Si festa primariorum Sanctorũ alicuius Religionis iuxta tenorem Rubricarum à Sede Apostolica approbatarum transferantur in diem, qui non à populo sed à solis Religiosis, eorumque familiaribus cessando à servilibus colitur, credo etiam trasnferri indulgentias. *Ratio*: Quia piè credendum est, hanc esse mentem Pontificis. Quod etiam colligitur ex Bulla Gregorij XIII. concessa Minimis, in qua sic legitur: Cum Festum S. Franciſci de Paula post Octavam Paschæ transferri soleat, & ideò in dubium verti posset, an indulgentia die, quo festum transferri contingerit, à Fidelibus adipisci possit: Volumus, & declaramus, vt translata esse censeatur, &c. Declaratio autem non facit novum ius, sed antiquum explicat. Ergo.

De

De alijs indulgentijs, & de Bulla Cruciatæ, vide Tract. 17.

EXAMEN IV.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis.

De quo S. D. agit in Supplem. à quæst. 29. vsque ad 33. inclusivè.

* 1 QUÆRO 1. Extrema-Vnctio estne verum Novæ Legis Sacramentũ, 2. *immediatè* à Christo institutum, 3. *& vnum* specie infima? *Resp.* Affirmativè ad omnes Quæsiti partes cum *S. T. hic q. 29. a 1. 2. & 3. 1. Part.* patet tum suprà *T. 11. E. 4. n. 40. ad Q. 9.* Tum ex Epistola S. Iacobi ab ipsis hæreticis recepta vt Canonica c. 5. vbi ait: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis exprimuntur omnia ad Sacramentum Novæ Legis ab ipsis etiam hæreticis requisita. 1. *Vt* sit signum externum, quod est *Vnctio, & Oratio.* 2. *Ritus* non ad veterem sed ad novam Legem spectans, & stabilis, ac perpetuus; non enim fuit in Veteri Lege, nec est restrictus ab Apostolo ad certum tempus. 3. *Promissio* gratiæ, quæ est alleviatio infirmi, & peccatorum remissio. 4. *Christi* institutio. De qua statim dicetur.

2. *Pars* de immediata institutione Christi, & quod S. Iacobus hoc Sacramentum solum promulgaverit, sufficienter constat ex dictis in citato *E. 4. n. 1. ad Q. 1. R. 1. & R. 3.* 3. *Pars* probatur: Illud Sacramentum est vnum specie infima, quod solum habet vnicam perfectam significationem: Sed sic est de hoc Sacramento, licet enim habeat plures significationes partiales propter plures Vnctiones, hæ tamen constituunt vnicam significationem totalem, ob quam rationem in Eucharistia duæ formæ partiales, & duæ species consecratæ solum sunt vnum specie infima Sacramentum. Ergo. Plura de his tractare spectat ad Controversistas.

* 2 *Quando* autem Christus hoc Sacramentum instituit? *Ad hoc DD.* variè respondent. Sentiunt aliqui, esse institutum *Marc. 6.* quando Apostoli sunt missi à Christo cum potestate sanandi infirmos per Sacram olei vnctionem; sed hæc sententia non subsistit, quia illa vnctio non ordinabatur immediatè ad salutem animæ, sed ad curationem corporis per gratiam miraculorum, adeòque non erat Sacramentum. Alij tenent esse institutum in nocte Cænæ, vt indicat Pontificale Romanum, docent, Christum Dominum ea nocte benedixisse Chrisma, & Oleum infirmorum. Verum probabilius est, quod sit à Christo institutum post Resurrectionem vna cum Sacramento Pœnitentiæ.

Ratio: Quia hoc Sacramentum est institutum contra reliquias peccatorum: Ergo est completivum & consummativum Sacramenti Pœnitentiæ, supponitque eius effectum, vti & potestatem remittendi peccata post Resurrectionem *Ioan. 20.* Apostolis datam. Ergo conveniens fuit, vt non institueretur ante illud, sed tum illo.

* 3 *Quomodo* definitur hoc Sacramentum? *Dico*: Definiri metaphysicè sic: Est signum sacrum, & efficax gratiæ in Vnctione infirmorum sub præscripta verborum forma ad sanitatem mentis, & corporis à Christo institutum. Vel, est Sacramentum à Christo institutum ad abstergendas peccatorum reliquias. Physicè verò est Vnctio Sacri Olei in quinque sensibus infirmi facta sub præscripta verborum forma.

* 4 QUÆRO II. Quæ est materia huius Sacramenti? *Resp.* 1. Materia remota huius Sacramenti, simpliciter ad illud necessaria, est oleum olivarum; 2. *Quod* necessariò debet esse consecratum, seu aliquo modo benedictum; 3 *Cuius* benedictionis minister ordinarius quidem est Episcopus; 4. *Potest* tamen simplex Sacerdos ex commissione Papæ esse eius minister extra ordinarius. Ita *S. Do T. q. 29. art. 4. 5. & 6.* 1. *Pars* patet ex cit. verbis *S. Iacobi. Vngentes cum oleo*; hoc enim est maximè lenitivum, adeòque significat effectum huius Sacramenti, vinum verò lenit mordendo. Ergo.

Dixi autem, *oleum olivarum*; quia liquor olivæ principaliter nominatur oleum, alij verò liquores nomen olei accipiunt ex similitudine ad ipsum, sicut à pari patet de pane triticeo, & vino vitis respectu Eucharistiæ. Et sicut vinum etsi vbique non crescat, potest tamen facilè deportari, ita etiam est dicendum de oleo olivarum.

Ratio 2. *partis* est ex S. Thom. *art. 5. cit.* Quia materia huius Sacramenti non fuit sanctificata per contactum Christi, sicut aqua in Baptismo, quæ nõ est necessariò benedicenda. *Ergo.*

Dixi, *aliquo modo benedictum*; Quia de valore huius Sacramenti non requiritur benedictio facta sub certa verborum forma, ait Gonet, sed sufficit quomodocumque fiat à debito ministro, servanda tamen est praxis, seu benedictio Ecclesiæ.

Ratio 3. *partis*: Quia conveniens est institutum à Christo, vt materia Sacramentorum, quibus Christus non fuit vsus, præparetur à summis Sacerdotibus, nimirum Episcopis. Ergo. 4. *Pars* patet ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ Orientalis, iuxta quam ipsi Presbyteri oleum infirmorum benedicunt, quod non faciunt ex commissione suorum Episcoporum, cùm illi reclament, & velint eos vti oleo ab Episcopis benedicto. Ergo ex tacita delegatione Papæ.

Notanda hic est differentia huius Sacramenti à Confirmatione, cùm enim hæc maiorem gratiæ plenitudinem tribuat, non confertur validè nisi in Chrismate per Episcopum benedicto: at Extrema-Vnctio (cùm non tribuat tantam gratiæ abundantiam) essentialiter non petit, materiam ab Episcopo benedictam immediatè, sed sufficit mediatè, seu esse benedictam per Sacerdotem ex commissione Episcopi saltem supremi.

Resp. 2. Materia proxima huius Sacramenti est vnctio ex dicto oleo facta in 5. sensibus. *Ratio*: Materia proxima Sacramenti est, per quam applicatur materia remota, vt patet in ablutione respectu Baptismi: Sed per Vnctionem infirmo applicatur oleum. Ergo.

* 5 *Quid si* Parochus solùm habeat parum de oleo benedicto, estne validum Sacramentum si admisceat de non benedicto? *Affirmo*, valere, & licere, si admixtio fiat in parva quantitate. *Ratio*: Quia modicum admixtum trahit ad se benedictionem maioris, vt patet in aqua benedicta.

Quid si Sacerdos non habeat oleum novum, seu hoc anno benedictum, sed solùm antiquum? *Dico*:

Dico: Licitè, & validè illo vritur in necessitate; extra quam eo vtendo peccat; quia agit contra Ritum Ecclesiæ. *Quæ corporis pars, ei* sunt inungendæ? *Dico*, Organa 5. sensuum, nimirum *oculi, aures, nares, os, & manus.*

Ratio est S. Thom. *hic, q.* 32. *art.* 6. *in c.* Quia quinque sensus sunt prima principia, & instrumenta peccandi, cùm enim nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, omnia nostra peccata actualia à sensibus externis originantur. Ergo inungi debent oculi propter visum; aures propter odoratum; os propter gustum; manus, propter tactum; qui in pulpis digitorum maximè viget.

Nota ex *S. D. ibid.* quòd renes, & pedes non sint prima radix, & prima principia peccati, sed tãtum secundaria, ideò eorum vnctio non est de necessitate: possunt tamen inungi, vbi est consuetudo, qualiter intelligitur *Concil. Florent.* Sunt, & alia membra peccati principia, maximè quoad exercitium, vt, genitalia, sed his *vnctio non debet adhiberi*, ait S. D. *ibid. ad* 4. propter irreverentiam illarum partium, & *honestatem Sacramenti.*

Quid si homo, v. g. mutilatus, vel etiam à nativitate careat aliquo tali membro, v. g. oculo, aure, potest, ac debetne ibidem vngi? *Affirmo* cum S. D. *q.* 32. *art* 7. *Ratio*: Fortè enim peccavit per voluntatem in ordine ad illud membrum, & saltem in radice habet potentias, quæ illis membris debentur. Est ergo inungendus, quantò propinquiùs fieri potest, ad partes illas, in quibus vnctio fieri debuisset.

Estne inungendus vterque oculus, vtraque auris? *Affirmo*, seclusa necessitate. *Tum* propter Ecclesiæ consuetudinem sub mortali obligantem; *Tum* etiam quia in vtraque parte viget virtus potentiæ. Non tamen est de essentia Sacramenti. *Ratio*: Quia ex vnius partis vnctione sensus dicitur optimè vnctus. Hinc licitũ est ita vngere in gravi necessitate.

* 6 *Suntne* etiam Episcopis, & Sacerdotibus infirmis inungendæ manus, cum jam sint vnctæ in Ordinatione? *Affirmo. Ratio*: Quia sunt vnctiones, & olea diversæ rationis: Nam in Ordinatione Sacerdotali vnctio fit oleo Cathecumenorũ; in Episcopali verò fit Chrismate.

Sed quid judicas de praxi, juxta quam in quibusdam Diœcesibus manus Sacerdotis, aut Episcopi infirmi ob reverentiam Sacri Ordinis solùm vnguntur exteriùs, seu in parte superiori? *Dico*: Servandum esse Ritum cuiusvis Diœcesis, quamdiù Papa illam diversitatem non improbat. Juxta Sylvium in Rituali jussu Pauli V. edito, præscribitur, vt *Sacerdotibus manus non inungantur interius, sed exterius.*

* 7 *Debetne* Vnctio fieri sub forma Crucis? *Dico*: Non esse de necessitate Sacramenti, cùm id nullibi sit statutum, benè tamen de necessitate præcepti graviter (saltem extra necessitatem) obligantis ex Ecclesiæ consuetudine.

Ordo Unctionum ab Ecclesia præfectiptus estne de necessitate Sacramenti? *Dico*: Non est. *Ratio*: Quia illius ordinis inversio non tollit perfectam huius Sacramenti significationem. *Nonne* saltem esset grave peccatum? *Affirmo*, esse; quia esset contra Ecclesiæ consuetudinem in re gravi.

Quid censes de quantitate Olei infundendi? *Dico*: Vna gutta non sufficit, sed debet perfundi saltem pars sensus. *Ratio*: Quælibet vnctio debet esse tanta, vt juxta communẽ modum loquendi sensus vere dicantur vnctus: Sed ad hoc non sufficit vnica gutta. Ergo.

Estne de necessitate Sacramenti, vt vnctio fiat immediato contactu ministri? *Dico*, non esse, sed ad fugiendam contagionem posse fieri virga oblonga verè Oleo tincta, sic vt verè possit fieri vnctio. *Ratio*: Quia in hoc Sacramento attenditur Vnctio, non instrumentum, quo fit.

Quid post vnctionem agendum cum illa virga? *Dico*: Si sit aurea, vel argentea, est purganda propter reverentiam Sacramenti, & in similem vsum asservanda. Si sit lignea, est comburenda, & cineres in sacrarium mittendi.

* 8 QUÆRO III. Quæ est forma huius Sacramenti? *Resp.* 1. Est hæc: Per istam Sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum. Ita habet Ecclesia ex Traditione Apostolorum. Nota, non esse de essentia, vt addatur Iy, in nomine Patris, & Filij, &c. Quia in hoc Sacramento non fit professio fidei vt in Baptismo: nec confertur spirituale robur ad pugnandum fortiter contra hostes SS. Trinitatis, & Fidei.

Resp. 2. Forma huius Sacramenti essentialiter est deprecativa. *Ratio ex S. T. q.* 29. *a.* 8. *in Sed contra*. Quia S. Iacobus efficatiam huius Sacramenti attribuit orationi, Oratio, inquit, fidei salvabit infirmum: Sed oratio est deprecatio. Ergo.

* 9 *Oppono* 1. contra R. 2. Sacramenta novæ Legis physicè efficiunt id, quod significant: Sed deprecatio non efficit, saltem physicè, quod significat. Ergo. 2. *Formæ* Sacramentorum novæ Legis producunt effectum ex opere operato: Sed hoc non convenit deprecationi, seu orationi. Ergo.

Ad vtrumque dist. min. Deprecatio secundum se sumpta, *C.* vt subest institutioni Christi, *N.* Vide in Tract. de Sacram. in communi de causalitate eorum *T.* 11. *E.* 2. *n.* 5. Nota, quod efficacia huius, vel alterius Sacramenti non sit mensuranda ex parte operis operantis, seu Ministri, sed ex parte operis operati, & secundum valorem, & efficatiam ex meritis Christi, cuius Personam Sacerdos gerit, Sacramenti formam proferendo. Hinc licèt de essentia orationis secundum se sit aliqua attentio ad Deum, non tamen est de essentia formæ huius Sacramenti, vt formaliter forma est.

* 10 QUÆRO IV. Quis est effectus huius Sacramenti, & quando conferrur? *Ante R. vide* suprà *T.* 11. *E.* 4. *n.* 46. quid in hoc Sacramento sit res tantum, Sacramentum tantum, & vtrumque simul. *Resp.* 1. Primarius, ac proprius huius Sacramenti effectus est, tollere reliquias peccatorum, id est, causare gratiam eas tollentem. Patet *ex Trid. sess.* 14. *c.* 2. Et *S. T. hic q.* 30. *a.* 1. in fine corp. ait: *Principalis effectus huius Sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.*

Declarat hoc ibidem: Sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & Pœnitentia quædam spiritualis suscitatio, ita Extrema-Vnctio quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autẽ corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis, spiritualem. Et ideò hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicèt contra peccatum mortale, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, vt non habeat perfectum vi-

vigorem ad actus vitę, gratiæ, vel gloriæ. Et hic defectus *nihil* aliud est, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali: & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideò ex consequenti, si invenit peccatũ aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. Sicut etiam de Eucharistia, & Confirmatione suprà dictum est. Et ideò etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens: Si in peccatis sit, dimittentur ei, scilicèt quoad culpam; non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit, sed semper remittit quoad debilitatem prædictam. *Hæc S. D.*

Ex his colligitur, quid intelligatur per reliquias peccatorum. Non enim per eas intelliguntur peccata mortalia, inadvertenter in confessione omissa, vel post eam, aut Viatici sumptionem commissa, quia aliàs hoc Sacramentum per se caularet gratiam primam, esserque Sacramentum mortuorum. Nec intelliguntur peccata venialia, quia & hęc, licèt non primaria, sunt tamen propria materia Pœnitentiæ. Nec obligatio ad pœnam temporalem dimissa culpa restantem, quia etiam hæc spectat ad pœnitentiam ratione partis integralis eius, quæ est satisfactio. Nec habitus vitiosi, quia hi non tolluntur nisi per actus oppositos sæpè repetitos. Nec fomes peccati, quia illa manet in homine etiã post convalescentiam. Intelligitur ergo torpor quidam, languor, seu debilitas ad operandum bonum, caulata partim ex præcedentibus peccatis, mediantibus pravis habitibus, ac dispositionibus indè relictis, partim ex ipsa infirmitate corporis, partim ex recordatione peccatorum antè commissorum, & tentationibus dœmonis.

Hinc effectus huius Sacramenti est augmentum gratiæ habitualis habentis speciale ius ad specialia Dei auxilia, quæ infirmum confirment, tum contra dictum languorem, tum contra diaboli tentationes, tum ad actuum supernaturalium elicientiam; & hoc est tollere reliquias peccatorum. Quæ auxilia exprimuntur per illud Jacobi: *Et alleviabit eum Dominus,*

* 11 *Resp.* 2. Effectus secundarius, & minùs principalis huius Sacramenti est alleviatio quædam ęgritudinis corporalis, immò interdum perfecta sanitatis corporalis recuperatio, *si secundum Dei providentiam* (vt loquitur Trid. citatus) *saluti animæ expedierit.* Ita colligitur ex illis verbis D. Jacobi cit. *& alleviabit eum Dominus*, non solùm in sensu antè explicato, sed & ab infirmitate corporali.

Resp. 3. Effectus huius Sacramenti non producitur nisi post vltimam Vnctionem. Ita S. Thom. hic, q. 30. art. 1. ad 3. dicens: *Quando sunt multæ actiones ordinatæ ad vnum effectum, vltima est formalis respectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum. Et ideò in vltima Vnctione gratia infunditur.* Ratio: Quia hoc Sacramentum ante vltimam Vnctionem non est completum, cùm omnes Vnctiones sint de essentia eius. Ergo,

* 12 QUÆRO V. Quodnam est subiectum capax Extremæ-Vnctionis? *Resp.* 1. Est solus homo baptizatus, adultus, & infirmus. Ratio 1. *part.* Quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorũ. Ratio 2. *p.* quam docet S. Thom. *q.* 32. *art.* 4. Quia cùm in infantibus vsu rationis carentibus non sint reliquiæ peccatorum, non enim peccarunt per visum, auditum, &c. non sunt capaces huius Sacramenti. Effectus autem secundarius, nimirum sanitas corporalis, cessat cessante primariò. Ergo. 3. *Pars* patet ex verbis Apostoli: *Infirmatur quis in vobis* Hinc licèt sanitas spiritualis sit principalis effectus huius Sacramensi, illa tamen non datur, nisi supposita infirmitate corporali, vt patet ex S. Tho. *q* 32. *art.* 1. *ad* 2.

Resp. 2. Probabilius est, quòd hoc Sacramentum sit dandum pueris graviter infirmis, quamprimum sunt doli, ac peccati, adeòque & Pœnitentiæ capaces, licèt nondum habeant sufficientem discretionem pro susceptione Eucharistiæ. Ratio: Quia hoc Sacramentum est consummativum Sacramenti Pœnitentiæ.

Resp. 3. Furiosis, & amentibus perpetuis non potest validè hoc Sacramentum administrari, minùs licitè. *S. Thom. q.* 32. *art.* 3. *Ratio*: Tum quia sunt sicut pueri, non quidem ætate, sed judicio. *Tum* etiam, quia hoc Sacramentum non datur nisi illis, qui illud aliquando agnoverunt, vt aliqualem reverentiam exhibeant. Et hoc ad differentiã Baptismi, qui est Sacramentum extremæ necessitatis, & datur contra peccatum originale, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio, vt ait S. D. *ibid. ad* 2. Extrema-Vnctio verò datur principaliter contra actualia peccata, & non contra reliquias peccati originalis, nisi secundùm quod sunt per actualia quodammodo contortatæ, inquit *ibid. art.* 4. *ad* 2. Dixi, *amentibus perpetuis*; Si enim haberent lucida intervalla, in quibus hoc Sacramentum recognoscerent, posset eis in illo statu conferri iuxta S. Thom. *cit. art.* 3. *in corp.*

Oppono: Sufficit, hominem fuisse in peccato originali; quod probatur: Nam si daretur homo adultus, vt B. Virgo, qui tota vita, sive ante, sive post Baptismum nullum peccatum actuale commisisset, illi hoc Sacramentum posset validè ministrari. Ergo. *Ad hoc* negatur totum. *Ratio* est adducta pro 2. *p.* R. 1. & pro R. 2.

* 13 *Resp.* 4. Hoc Sacramentum non est conferendum in quavis infirmitate, sed *gravi*, sic vt judicio peritorum ægritudo nata sit inducere mortem, & de periculo timeatur. Ita S. Thom. q. 32. art. 2. *Ratio*: Quia hoc Sacramentum est vltimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediatè disponens ad gloriam. Ergo debet solùm dari illis infirmis, qui sunt in statu exeuntium.

Nota, hoc esse verum de periculo mortis non qualicumque, vt dum quis est ducendus ad patibulum, sed de eo, quod est ex infirmitate naturali, vel ex accepto vulnere, non tamen est expectandum vsquedum infirmus jamjam velit exhalare animam; sed dandum quando adhuc est integris sensibus, vt cum maiori reverentia, & fructu recipiatur. Si tamen neglectum sit, vel infirmus repentè sensibus destitutus, non sit sui compos, non ideò omittendum, sed dandum est, si nimirum sit talis, de quo constat, quòd benè vixerit, & peteret, si vsum rationis haberet. Hinc graviter peccant Parochi (ait Cothecismus Romanus) qui huius Sacramenti exhibitionem differunt, vsque dum infirmus sensu, & ratione privetur.

* 14 *Resp.* 5. Probabilius est, quòd si quis verò sanus hoc Sacramentum susciperet, nihil susci-

ciperet, & graviter peccaret ipse, & conferens. *Ratio*: Quia iuxta dicta solus infirmus est subiectum capax huius Sacramenti, vt patet ex verbis S. Iacobi.

Resp. 6. In eodem morbo, & morbi statu hoc Sacramentum non est iterandum. Si verò status morbi mutetur, & mortis periculum esse desijt, potest iterari, quoties reddit particulum mortis, modo inter veramque Vnctionem notabile tempus intercedat *Ratio*: Quia hoc Sacramentum, in eodem morbi statu semel suscepturn, sufficit ad effectus suprà insinuatos infirmo necessarios: statu verò morbi mutato, & periculo redeunte nova medicina est necessaria. Ergo.

Resp. 7. Qui hoc Sacramentum ministraret infirmo laboranti communi, & ordinario, & minimè particuloso morbo, mortaliter peccaret, Sacramentum tamen esset validum. *Ratio*: Quia Apostolus per illa verba, *Infirmatur quis in vobis*, pro subiecto capaci agnoscit eum, qui est verè infirmus. Ergo Sacramentum esset validum. Verum quia esset contra communem sensum Ecclesiæ, esset illicita administratio.

Resp. 8. De dispositione suscipientis loquendo, debet esse in gratia. *Ratio*: Quia Extrema-Vnctio est Sacramentum vivorum. Vide suprà quod extet præceptum de suscipiendo in articulo mortis Sacramento Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Quæ duo Sacramenta possunt etiam iterato suscipi, si infirmus post Extrema Vnctionem aliquandiu supervivat. Vide suprà *T.* 11. *E.* 4. *n.* 43. an, & quomodo Eucharistia possit dari post hoc Sacramentum.

* 15 QUÆRO VI. Quis est Minister huius Sacramenti? *Resp.* 1. Hoc Sacramentum à solo Sacerdote validè administrari, potest, ita patet ex verbis cit. S. Iacobi, *Inducat Presbyteros*. Vide suprà in *E.* 1. *n.* 53. quod Diaconus, *v.g.* hoc Sacramentum administrans, præterquam quod nihil faciat, insuper fiat irregularis vtpotè exercens actum Ordinis non sui. Item in *E.* 2. *n.* 21. quod, Excommunicationem incurrant Religiosi, sine privilegio, aut speciali licentia Parochi Clericis, vel Laicis Sacramentum Eucharistiæ, vel Vnctionis ministrare, aut Matrimonia solemnizare præsumentes. Excipiuntur ab hac censura merito Religiosi pietatis zelo ducti, ex interpretativa Parochi licentia, infirmo in extrema necessitate constituto, per Sacramenti exhibitionem subvenientes.

Resp. 2. Si Sacerdos ante omnes Vnctiones peractas moreretur, potest alius pergere, vbi prior desijt, & perficere. *Ratio*: Tum à pari de Eucharistia, si Sacerdos moreretur post Consecrationem Panis: Tum etiam quia, vt ait *S. T. q.* 29. *a.* 2. *ad* 3. Ministrorum pluralitas non tollit vnitatem huius Sacramenti, quia Instrumentaliter tantum operantur: mutatio autem martellorum non tollit vnitatem operationis fabri.

Nota tamen hic verba, quæ *S. Thom. ibidem præmittit*: Quamvis in Eucharistia, si post consecrationem panis moriatur Sacerdos, alius possit procedere ad consecrationem vini, incipiens, vbi ille dimisit, vel etiam incipere à capite super aliam materiam: tamen in Extrema-Vnctione non potest à capite incipere, sed debet semper procedere: quia vnctio in eadem parte facta tantum valet, ac si consecraretur bis eadem hostia; quod nullo modo faciendum est. Hæc ibi.

* 16 *Resp.* 3. Hoc Sacramentum non confertur valide à pluribus Sacerdotibus, quorum vnus profert formam, & alter applicat materiam. Esset tamen validum, si vnus Sacerdos iungeret vnum sensum, proferendo etiam formam partialem, & alter alterum, sive simul, sive successivè. Quod tamen non est licitum nisi in extrema necessitate, in qua timeretur infirmus sine hoc Sacramento decessurus, nisi plures simul iungat diversos sensus. 1. *Pars* patet ex illis verbis S. Iacobi: Orent super eum vngentes, id est, qui vngit debet orare, seu verba formæ proferre. *Ratio* 2. *p.* est à pari de Eucharistia, quæ subsistit, si vna Species consecratur ab vno, altera ab alio Sacerdote. *Ratio* 3. *p.* Quia esset contrarium totius Ecclesiæ, quæ tamen censetur condescendere extremæ necessitati.

* 17 QUÆRO VII. Quanta est necessitas huius Sacramenti, & quanta obligatio ad illud (aliaque Sacramenta) ministrandum præsertim tempore pestis? *Resp.* 1. Hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem. 2. Nec necessitate præcepti à Christo, vel Ecclesia positi. 3. *Est* tamen valdè vtile. *Ratio* 1. *p.* Quia hoc Sacramentum non facit ex inimico Dei, amicum; supponit enim gratiam Dei, cum sit Sacramentum vivorum. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Quia tale præceptum nullibi extat. 3. *Pars* patet ex effectibus huius Sacramenti suprà assignatis.

Ex quo sequitur, nullum sub mortali teneri ad huius Sacramenti susceptionem seclusо contemptu: Sed contemptus est mortalis. Hinc *S. Thom.* 3 *p. q.* 65. *a.* 4. *ad* 3. *ait*: Licet omnium Sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus Sacramenti ex hoc, quod aliquid non curat accipere Sacramentum, quod non est de necessitate salutis: alioquin omnes, qui non accipiunt Ordinem, & qui non contrahunt Matrimonium, contemnerent huiusmodi Sacramenta. Hæc ibi. De necessitate Sacramentorum vide suprà *T.* 11 *E.* 4. *n.* 43.

* 18 *Resp.* 2. Probabilius est, quod quicunque animarum curam gerens sub mortali teneatur Extremam-Vnctionem suis subditis eam petentibus dare: peccet etiam graviter, si eam differat vsquedum infirmus moriatur, vel (vt anteà *n.* 12. R. 4. *in Notabili dictum*) sensibus distituatur. *Ratio*: Quia Fideles habent ius ad hoc Sacramentum, & curam gerentes vi officij sui ad eius ministrationem se obligarunt. Ergo.

Resp. 3. Ad Sacramenta ministranda strictius teneantur Parochi, quam Episcopi. *Ratio*: Quia Episcopi sunt sicut causæ vniversales, quæ operantur per causas particulares sibi subiectas, vti Parochi Episcopis subijciuntur. Ergo Episcopi non tenentur, nisi in casu valde raro, & magnæ necessitatis, ac in defectu Parochorum.

* 19 Certum est, quod Parochus teneatur suis Parochianis peste infectis, per se, vel per alium, etiam cum evidentissimo vitæ periculo exhibere Sacramentum Pœnitentiæ. Ita Christus Ioan. 10. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis*. *Ratio*: Quia Parocho, vt animarum Pastori ex officio incumbit curare, etiam cum periculo vitæ, ne vllus Parochianus defectu mediorum ad salutem necessariorum (inter quæ est Pœnitentia) pereat. Et ad hoc quasi per contractum (officium acceptando) censetur se obligasse. Ergo.

Ex quo sequitur, Parochum gravissimè peccare,

eare, si tempore pestis gregem suum deserat, aut aufugiat, nisi fortè cum expressa Episcopi licentia alium idoneum substituat: immò hoc substituto, debet tamen animo esse præsens, & attendere, vt substituendus rectè faciat officium. Si idoneum Vicarium habere non possit, nequit etiam gaudere privilegio bimestris absentiæ concesso à *Trident. sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* Nec potest resignare, si nequeat haberi idoneus successor. Quia sicut miles pro prælio, sic ille est conductus pro tali necessitate.

Resp. 5. Idem tutius, & probabilus assero de administratione Eucharistiæ per se, vel per alium, nisi tales sint circunstantiæ, quæ meritò excusent. *Ratio*: Parochus ex iustitia tenetur curare, vt Parochiani sui impleant præcepta divina, illisque non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate succurrere: sed iuxta dicta suprà *T.* 12. *E* 3. *n* 43. est præceptum divinum de Eucharistia, non solum aliquo ies in vita, sed etiam in articulo mortis per modum Viatici sumenda. Ergo.

Nota ex Sylvio, dari aliqua (licèt non omnia) ex iustitia solvenda, etiam cum evidenti vitæ corporalis periculo. Tale debitum habet miles de pugnando, vel excubias agendo cum periculo vitæ. Ita similiter in præsenti.

Dixi in R. 5. *nisi circunstantiæ excusent*: Vt 1. *in casu*, quo, si Parochus aliquibus daret Viaticum, esset periculum, ne alij morerentur sine confessione, vtpotè, quæ magis necessaria est, quam Eucharistia. 2. *Si periculum* vitæ in Parocho sit valdè magnum, necessitas verò communicandi in ægroto nulla, vel modica, eo quod paulo ante communicaverit, & Parochus sit moraliter certus de puritate conscientiæ eius, de qua scit eum esse valdè solicitum. 3. *Periculum* Parochi sit grave, & per eius mortem populus destitueretur omni Pastore, qui subveniat pestiferis, & tam citò, ac facile non possit haberi alius.

* 20 *Resp.* 6. Non obstante parvo quodam periculo, si illud non sit moraliter magnum, Parochus tenetur, vel per se, vel per alium suis subditis peste infectis, conferre Extremam-Vnctionem, licèt alia Sacramenta receperint. *Ratio*: Quia huius Sacramenti ministratio per se spectat ad officiũ Parochi, & licèt non sit Sacramentum necessitatis, est tamen magnæ vtilitatis, vt dictum est. Proindè Parochus ex consilio Medicorum sibi provideat de præservativis.

Resp. 7. Si omnibus medijs adhibitis Parochus sine notabili vitæ suæ periculo hoc Sacramentum ministrare nequeat, communiter ad id non tenetur. *Ratio*: Quia iuxta dicta huius Sacramenti susceptio non cadit sub præcepto. Dixi, *communiter non tenetur*; si enim contingat, quod infirmus nec Sacramentum Pœnitentiæ, nec Eucharistiam suscipere potuerit, tenetur Parochus cum certo vitæ periculo ei Extremam-Vnctionem impendere.

* 21 QUÆRO VIII. Dixisti anteà, gerentem curam animarum debere tempore pestis sibi providere de medijs præservatis, quæ sunt illa? *Resp.* Talia media sunt scilicèt. 1. *Sacerdos* pestiferis inserviens non vtatur longa veste, ne illa eos tangat; nam & hoc tactu aliquis infici potest. 2. *Non* nimium eis appropriet, sed odorem, nares occludendo, & maximè halitum pro possibili fugiat. 3. *Sub* confessione tanta distantia esse potest, quæ non impedit audientiam. 4. *Antequam* cubicalum intret, fenestras aperiri, aut ad purificandum aerem, & pellendos noxios odores fortem suffitum fieri curet. 5. *Si* possibile sit, faciat (ob rationem modo datam) poni ardentem faculam inter se, & infirmum. 6. *In perfectionem* sacræ Communionis, caveat ne infirmum manu, vel digitis tangat: ob quod ei iubeat, vt os sufficienter aperiat, labia distendendo. 7. *In administratione* Extremæ-Vnctionis potest vti virga oblonga Oleo tincta, quæ peste cessante est comburenda, si sit lignea: Vel ad similem vsum pro alia necessitate asservanda, si sit argentea, bene tamen semper est mundanda ex quacunque sit materia. 8. *Consulat* Medicos de medicinis præservativis, quas sedulò adhibeat, sic vt medicamenta spiritualia non negligat, sed prius seipsum per Pœnitentiam curet. 7 *Sacramentis* administratis non diu se detineat.

* 22 *Tenenturne* etiam Magistratus Civilis ad illa media concurrere? *Dico*: Tenetur Parochis providere de medicinis, seu antidotis, saltem prætioſioribus, ac difficilioribus. *Item* iuxta peritorum Medicorum consilium procurare remedia pro purgando pestilente aere, vt ex plateis auferantur sordes, pestiferi accomodentur in hospitalibus, eum in finem extructis, vt constituantur Medici, Chirugi, Pharmacopolæ, &c. Item ne pestiferorum mortuorum corpora iaceant diu inhumata, &c.

* 23 QUÆRO IX. Si pestis tempore, Parochi, alijque Prælati, sive iustè, sive iniustè absint, aut peste laborent, vel sint quidem præsentes, sed nolint servire, tenenturne quicumque alij Sacerdotes? *Resp.* Affirmativè, nimirum teneri Lege Charitatis, & Iustitiæ Legalis ministrare Sacramenta, etsi nulla animarum cura eis sit commissa.

Ratio: Quia ad casum tantæ necessitatis censetur omnes Sacerdotes in sua Ordinatione se obligasse, & pro eo obedientiam promisisse Episcopo tam Regulares, quam Sæculares, nimirum, vel expressè, vel (eo ipso, quod sint, aut fiant incolæ, seu Diœcesani) tacitè. Ergo Episcopus omnibus in eo casu potest mandare. *Nota tamen*, quod Religiosis maximè exemptis non debeat id mandare in individuo, huic, vel illi, sed Superiori, vt is exponat eos, quos sciverit magis aptos.

Quid si Prælatus alicuius Ordinis exempti nollet permittere, vt vllus suorum pareat Episcopo in eo casu mandanti, nec ipse velit quenquam exponere? *Dico*, In tanta necessitate eos potius debere parere Episcopo mandanti, quam Superiori suo. *Ratio*: Quia in casu posito (*in Q.* 9.) Superior iniustè contradicit.

Nota tamen, in eo casu Sacerdotes Sæculares magis esse obligatos ad parendum, quàm Religiosos, & ex his non exemptos magis, quam exemptos, vt patet si conlideretur, quid sit exemptio. Vide suprà *T.* 7. *E.* 5. *n.* 28. an, & quando quis teneatur exponere vitam pro salute animæ proximi.

TRACTATUS XV.

DE SACRAMENTO ORDINIS, SEU Tribunal Ordinandorum.

PROLOGUS.

DEUS ſua opera in ſui ſimilitudinem producere voluit, quantum poſsibile fuit, vt perfecta eſſent, & per ea cognoſci poſſet. Et ideò, vt in ſuis operibus repræſentaretur, non ſolùm ſecundùm quod in ſe eſt, ſed etiam ſecundùm quod alijs influit, hanc legem naturalem impoſuit omnibus, vt vltima per media reducerentur, & perficerentur, & media per prima, vt Dionyſius dicit cap. 5. Eccleſ. Hier. Et ideò, vt pulchritudo Eccleſiæ non deeſſet, poſuit Ordinem in ea, vt quidam, alijs Sacramenta tradderent, ſuo modo Deo in hoc aſsimilati; quaſi Deo cooperantes, ſicut & in corpore naturali quædam membra alijs influunt. Hæc ſunt verba Angelici Doctoris, hic, *quæſt. 34. art. 1. in corp.* Qui de Sacramento hoc agit à *Q. 24. Supplement. vſque ad 40. inclusivè.*

EXAMEN I.

De Examine Tonſurandorum, & Ordinandorum, ac de prima Tonſura, eius materia, forma, ſubiecto, miniſtro, officio, effectu, fine, obligatione, ac tempore collationis eius.

* 1 QUÆRO I. Examinatori quærenti, quid petis? quid reſpondendum? *Reſp.* Peto examinari pro prima Tonſura, vel quatuor Minoribus, pro Subdiaconatu, &c. *Teneriſne* te priùs ſiſtere Examini? *Affirmo* de omnibus, tàm Religioſis, quàm Clericis. Nam Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 7. mandat: *Epiſcopus Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris, peritis Divinæ Legis, ac in Eccleſiaſticis Sanctionibus exercitatis ſibi adſcitis, ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, moris, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget, & examinet*, id eſt, ſtrictè. Vndè Epiſcopus non ſatisfacit ſuæ conſcientiæ, faciendo ſolùm examen perfunctorium, &, vt ſolet dici, *pro forma*. Hinc Epiſcopus, & Examinatores graviter peccant approbando ad Ordines, præſertim ſacros, ignorantem.

Nonne cum quibuſdam poteſt mitiùs agi? *Affirmo* de Religioſis præcisè Choro deputatis, modò ſciant legere, & cantare, ac intelligant, quæ legunt, & ſimilia, quorum ſcientia eos facit ſufficientes Eccleſiæ, & ſuæ Religionis Miniſtros. Immò poteſt Epiſcopus illis, de quorum doctrina ſatis conſtat, examen omninò remittere; quia ceſſat eius finis.

Qualia Statuta Religio noſtra quoad hoc circa noſtros Fratres fecerit, videatur in noſtris Conſtitutionibus *diſt. 2. cap 14. litt. X.* vſque ad finem. Vide etiam dicta ſuprà *T. 1. Q. 1.*

Teneturne ipſe Epiſcopus intereſſe examini, & quis ille? *Dico*: Teneri per ſe, vel (vti fit in Germania) per ſuum Vicarium. Debet autem examen hoc inſtituere proprius Epiſcopus Ordinandi, vt ſtatim dicetur fuſius.

* 2 *Quis Epiſcopus* debet examinare Ordinandum ex ſua ad aliam Diœceſim dimiſſum? *Dico*: Juxta Trident. incumbit Epiſcopo dimittenti, hic enim ſcire debet, quid, & quis pro Eccleſiæ ſuæ vtilitate ſerviat. Poteſt tamen ille examen committere, vel ſuo Vicario, vel Superioribus dimittendi, vel alijs à ſe judicatis idoneis, immò, & Epiſcopo, ad quem dimittitur. Quod poſtremum non rarò fit in Germania, præſertim dum ordinandus multùm diſtat, v.g. ſtudiorum cauſa, à proprio Ordinario. *Nota* tamen, quòd Epiſcopus ordinans dimiſſum, & iam examinatum, ſi velit, poſsit denuò examinare, non tamen teneatur.

* 3 QUÆRO II. Quæ ſcientia eſt neceſſaria ordinando Tonſurando, & Minoriſtæ, & ex quibus materijs eſt examinandus? De Tonſurando *Concil. Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 14.* ſic ſtatuit: *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & Fidei rudimenta edoctè non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos, non ſæcularis Judicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.*

Reſp. 2. Ad Minores Ordines non ſunt recipiendi, niſi qui intelligunt ſaltem linguam latinam iuxta *Trident. ibidem, cap. 11.* ſimul tamen debent ſcire ea, quæ ad ſuum cuiuſvis Ordinis officium ſpectant; quia aliàs eo fungi non poſſunt, cùm tamen teneatur. Vide de Scientia *ſeq. E. 2. n. 15.*

Reſp. 3. Tonſurandi, & Minoribus initiandi ſolent examinari ex rudimentis Fidei, quæ videri poſſunt ex Caniſio, quis ſit dicendus Chriſtianus? quod ſignum Chriſtiani, nimirum Crux? quomodo hæc formanda? quę in ea lateant myſteria? explicata ſuprà de Baptiſmo, *T. 11. E. 5. n. 23. & 24. Item* de Symbolo Apoſtolorum. Quotuplex ſit Symbolum. De quo vide de fide, *T. 7. E. 1. n. 14.* De Oratione Dominica ejuſque partibus, & Auctore. De Salutatione Angelica, & Auctoribus eius. De præceptis Decalogi, & Eccleſiæ, & quomodo contra ea peccetur; de quo vide de Legibus in *Tract. 6, Exam. 3.* Item de Sacramentis in genere, & in ſpecie quoad communia ſcitu neceſſaria; De eorum effectu primariò, & ſecundariò ſcilicèt gratia prima, vel ſecunda, & charactere; de quibus ſuprà in proprijs locis actum eſt. De diviſione Sacramenti

in

in vivorum, & mortuorum, in iterabile, & non iterabile. De quibus vide *Tract. 11. Exam. 2. num. 16. & 17.* Item eodem *Tract. Exam. 3.*

Tandem examinandi sunt de ijs, quæ ad cuiusvis statum, & officium pertinent, quæ suggeret decursus huius operis.

* 4 QUÆRO III. Quid est prima Tonsura? quæ eius materia, & forma? quod subiectum? quis Minister? quod officium? quis effectus? quis finis, & obligatio? quod tempus collationis eius. *Resp. 1.* Prima Tonsura non est Ordo, nec Sacramentum, sed solùm dispositio ad Ordines, seu præambulum quoddam, habetque se Tonsuratus respectu ordinatorum eo ferè modo, quo in aqua Religione Novitius respectu Professorum. *Declaratur* ex S. Thom. *hic, q. 40. art. 1. in corp.* Quia prima Tonsura non est Sacramentum, nec gratiam causat, nec characterem imprimit, nec spiritualem aliquam potestatem agendi aliquid circa Eucharistiam tribuit, sed solùm à populo, seu sæculari statu separat, Ordinum propriè dictorum, Ecclesiasticæ iurisdictionis, privilegiorum, ac Beneficiorum capacem facit, ad Ecclesiæ servitium, & ad psallendum in ea deputat. Vocatur autem *prima Tonsura*, quia est prima habilitatio ad Tonsuram Clericalem deferendam: quæ posteà augebitur proportionabiliter iuxta maioritatem Ordinum.

* 5 Prima Tonsura non habet veram materiam, & formam, seu quasi. *Ratio 1. p.* Quia non est Ordo, nec Sacramentum. *Ratio 2. p.* Quia loco formæ habet illa verba, quæ profert Episcopus, *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Et is, qui tondetur, loco materiæ habet abscisionem capillorum.

Quid si Tonsurandus sit calvus? *Dico*, eam cæremoniam debere taliter, qualiter potest, fieri, & hoc sufficit. Ex his prima Tonsura sic potest definiri: *Est levis detonsio capillorum ab Episcopo Cæremonijs Ecclesiasticis facta, quâ masculus tyrocinio mysteriorum Dei initiatur.*

Cur Tonsura hæc fit ad modum coronæ? *Dico* cum S. D. q. 4. art. 1. in corp. Ideò; Quia corona est signum Regni, & perfectionis, cùm sit circularis, qui autem sacris mysterijs deputantur, specialiter debent tendere ad perfectionem, & accipiunt dignitatem Regiam. Ergo. Et hinc est, quòd prima Tonsura etiam vocatur Corona.

* 6 *Resp. 1.* Subiectum capax primæ Tonsuræ est Mas Christianus, seu baptizatus, & confirmatus. *Ratio*: Quia fœmina sicut non est capax Ordinis, vt patebit infrà in *E. 2. n. 12.* ita nec primæ Tonsuræ, quæ est dispositio ad Ordines. Et Baptismus facit Christianum, estque janua Sacramentorum, adeòque, & dispositionis ad Ordines. Ergo. Porrò Confirmatio est de necessitate præcepti, graviter obligantis. *Nota*, requiri certam ætatem, nimirum septennium saltem, quia requiritur vsus rationis, sine eo enim non potest scire rudimenta Fidei, ille autem solet adesse in septennio.

Qui Coronam, seu primam Tonsuram vult recipere, teneturne esse in gratia, & eo die communicare. *Dico*: Est de consilio, non de præcepto, *Ratio*: Quia iuxta dicta non est Ordo, nec Sacramentum, nec gratiam causat, & potest etiam post prandium conferri.

Qui vult tonsurari licitè teneturne esse immunis ab irregularitate? *Ratio* dubitandi est; Quia iuxta Sacros Canones Irregularitas solùm impedit susceptionem Ordinum: Sed Corona non est Ordo. Ergo. *Affirmo. Ratio est*: Licèt Corona non sit Ordo, facit tamen hominem habilem, & idoneum ad Ordines, & ad alia in declaratione R. 1. assignata, & quidem iuxta Ecclesiæ statutum; irregularitas verò facit inhabilem ad similia. Ergo talis peccat. Ex quo patet ad Rationem dubitandi, dist. min. Ita tamen vt sit dispositio, & janua ad Ordines, conc. secus, negatur.

Qui vult tonsurari, quam vestem debet secum portare, vt induatur? *Dico*: Debet super brachium sinistrum portare superpelliceum, & in manu dextra candelam. Quare vocetur superpelliceum, vide *n. 5. in R. 2.*

Resp. 4. Minister ordinarius, & per se primæ Tonsuræ est solus Episcopus, & quidem proprius ipsius Ordinandi, seu initiandi. *Ratio 1. p.* Quia deputatio ad cultum divinum per se debet fieri per summum Ministrum, vt arguit S. Thom. *q. 40. ar. 2. ad 2.* Dixi, *ordinarius*; Quia ex commissione Papæ potest esse simplex Sacerdos. *Ratio 2 p.* Actus iurisdictionis per se, & ordinariè, non fit nisi à Ministro ordinario, & proprio: Sed conferre primam Tonsuram est actus iurisdictionis. Ergo.

* 7 *Resp. 5.* Officium Tonsurati est servire Ecclesiæ, & canere in Ecclesia. Quam ob rem vocatur etiam à quibusdam Psalmista. De psalmistatu vide plura infrà in *E. 2.* ante num. 6. *Resp 6.* Effectus primæ Tonsuræ est, facere Clericum, ac capacem iurisdictionis Ecclesiasticæ, privilegiorum, & beneficiorum, prout in Declaratione R. 1. *n. 4.*

Resp. 7. Finis Coronæ, seu primæ Tonsuræ iuxta ante dicta ex Tridentino est, *Fidelem Deo cultum præstare.* Ex quo sequitur, graviter peccare eum, qui suscipit Coronam præcisè ideò, vt fugiat forum sæculare, vt patet ex *Trident. cit.* Quia agit contra mentem Ecclesiæ, & non præstat Deo fidelem cultum. Ergo gravius peccatum est, si simul alatur ex proventibus Ecclesiæ: sicut si quis ingrederetur Religionem animo non manendi, mortaliter peccaret, quia contra Religionis voluntatem alitur expensis eius.

Quid si quis prima Tonsura insigniatur sine intentione ascendendi vltrà? *Dico*: Non peccat cæteris paribus. *Ratio*: Tum quia id nullo iure divino, aut humano prohibetur. *Tum* quia illegitimus ex dispensatione Episcopi potest promoveri ad Minores, & ad simplex Beneficium, qui tamen non potest ascendere vltra, nisi altior dispensatio detur. *Quid si* Tonsuratus absque vlla speciali causa nubat, *Dico*, peccare venialiter. *Ratio*: Quia deserit statum, quem aliquo saltem modo implicitè promisit Ecclesiæ. Vide suprà *T. 7. E. 3. n. 54.* de eo, qui ab Ordinibus Minoribus retrocedit ad Laicatum.

Resp. 8. Pro Clerico præcisè tonsurato non est alia specialis obligatio, quam deferendi habitum, & tonsuram. *Ratio*: Quia nullibi in iure invenitur alia. Dixi, *præcisè tonsurato*: si enim habeat Beneficium, vel sit Religiosus Choro adlictus, tenetur ad horas. Ad castitatem tenetur ea ratione communi, qua quivis etiam Laicus. An, & quomodo Clericus habens, vel non habens Beneficium, in Minoribus, vel in sacris constitutus, teneatur portare Tonsuram, vel Clericam, vide suprà *T. 7. E. 3. n. 52. 54. & 56.*

Resp. 9. Pro conferenda Corona non est statutum certum tempus, sed potest conferri quotidie, sive dies festus sit, sive non: potest etiam conferri

simul cum Minoribus. **Qui Coronam** suscipit in aliqua censura finè ex hoc irregularis? *Dico*: Non fit: *Ratio*: Quia nullibi in iure statutum est.

* 8 QUÆRO IV. Dixisti ante, quod effectus Coronæ sit esse Clericum, dic mihi, quid est Clericus, vel Clericatus? quæ eius vestis? quæ Peivilegia? quæ eis prohibita? *Resp.* 1. Beatus Isidorus refatus *in c.* 1. *dist.* 21. *ait*: Clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. *Cleros* enim græcè, *Sors* latinè **vel hæreditas** dicitur. Propterea **ergo dicti sunt Clerici, quia** de sorte Domini sunt, **vel quia Domini partem habent.** Generaliter autem Clerici nuncupantur, qui in Ecclesia Dei deserviunt. *Hæc ille.* Hinc **Clericatus** est status, seu dignitas **eorum, qui ad cultum** Dei sunt deputati.

Resp. 2. Vestis Clerici præcisè tonsurati est superpelliceum, quo ab Episcopo tondente induitur. Vocatur superpelliceum ideò, quia olim solebat deferri super tunicas pelliceas de pellibus animalium factas. Amplitudo eius significat innocentiam vitæ, quæ relucere debet in Clericis.

Resp. 3. Duo specialia sunt privilegia Clericorum. Vnum dicitur *fori*, alterum *Canonis*. Primum est extractio à foro, seu iuditio Sæculari, ac civili ad Ecclesiasticum, ad quod reducitur immunitas, seu exemptio à tributis, sive gabelis, exactionibus, &c. auctoritate Laici impositis etiam quoad bona patrimonialia, nisi sint res negotiationi expositæ, & quidem non pro bono Ecclesiæ. De quo vide *T.* 6. *E.* 5. *n.* 54. *in Suppono* 2. Alterum, scilicèt Canonis, est: Quod *si quis suadente Diabolo* Clericum percutiens sit excommunicatus. De quo vide *T.* 14. *E.* 2. *n.* 21. vbi explicatur hæc excommunicatio, & quis intelligatur nomine Clerici.

Nota, quod iuxta Trident. *sess.* 2. *cap.* 6. nullus prima Tonsura initiatus, aut in Minoribus existens privilegio fori gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniversitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos, versetur.

* 9 *Resp* 4. Clericis in specie varia sunt prohibita. *Primò* crapula, & ebrietas, excessiva convivia, publicæ tabernæ, vt nimirum has non frequentent, nisi ex causa itineris Vide *T.* 5. *E.* 3. *n.* 52. *& seqq.* de Clerico beneficiato, qui ex crapula infirmatus est impotens ad horas dicendas.

Secundò Clericis prohibetur agere histriones, incedere larvatos, induere habitum personatum, immò & intendere nimium histrionibus, choreis, obscœnis comœdijs, & similibus.

Tertiò Clericis prohibetur, ne ludant ad aleas, vel taxillos, quo nomine intelligitur talis lusus, qui fortuna magis, quàm arte regitur. Immò & prohibetur eis generaliter ludus chartarum, si non fiat recreationis, sed lucri causa, & frequenter, ac cum periculo scandali, vel amissione temporis divino cultui, aut studijs impendendi. Vel pro pecunia respectu Ecclesiæ accepta, & pauperibus eroganda De ludo vide suprà *Tract.* 8. *Exam.* 4. *n.* 47. *& seqq.*

Quartò Gestatio armorum, putà, prodiitoriorum, & offensivorum, ac incessus instar laici, aut militis armati. Si tamen Clerici transeant, in itinere per loca periculosa, non est eis illicitum pro sua defensione, & ad hostium, vel latronum terrorem arma portare. Vide suprà *T.* 7. *E.* 7. *num.* 27. de Clericis bellantibus. Et ibidem *num.* 29. de assistentibus in bello.

Quintò Prohibetur Clericis sordida avaritia, ne nimium intendant corradendis divitijs. Vide suprà *T.* 7. *E.* 6. *n.* 8. quomodo Clerici teneantur ad eleemosynas. Item de dominio Clericorum, quæ bona teneantur erogare in pauperes. Ad extirpandam avaritiam Joann. XXII. in Extravag. *Spondent. De crimine falsi*, generaliter quidem omnibus, in specie verò Clericis sub pœna privationis beneficiorum, & inhabilitationis ad ea imposterum obtinenda prohibuit alchymiam, & aurum, vel argentum per eam factum, cùm sit sophisticum, & falsum.

Sextò Sordida mercatura, prout explicatum est suprà *T.* 9. *E.* 9. *n.* 3. *Septimò* Venatio, prout explicatum est *T.* 8. *E.* 3. *n.* 9. *Octavò* Pronunciare sententiam sanguinis, aut illi interesse. De quo actum est suprà *T.* 9. *E.* 2. *n.* 10. & 11. Plura alia Clericis prohibita videantur in DD.

EXAMEN II.

De Ordine in Genere. De eius existentia, essentia, institutione, divisione, materia, & forma, effectu, subiecto, requisitis, Ministro, tempore, & loco Ordinationis.

* 1 QUÆRO I. Datur ne in Ecclesia Ordo? Estne Sacramentum? Quid est, quando instituitus? & quotuplex? *Resp.* 1. Datur Ordo in Ecclesia. Est de fide, & S. Thom. *q.* 34. *art.* 1. *Ratio* S. D. est adducta in Prologo huius Tract. Et in sed contra *sic arguit*: Quæ sunt à Deo, ordinata sunt, *Rom.* 13. sed Ecclesia à Deo est, quia ipse eam ædificavit Sanguine suo. Ergo Ordo in Ecclesia esse debet.

* 2 *Resp.* 2. Ordo est Sacramentum. Est de fide contra hæreticos; & est S. Thom. *art.* 3. *q. cit. Ratio*: Sacramentum in communi suprà *T.* 11. *E.* 1. *n.* 2. definitum fuit, quòd sit signum sensibile rei sacræ sanctificantis homines, seu cæremonia sensibilis permanenter instituta, habens infallibilem promissionem gratiæ in eius vsu infalibiliter conferendæ; quæ definitio ibidem explicata fuit. *Subsumo*: Sed Ordo, seu Ordinatio habet hæc tria. Ergo. *Min. prob.* In primis est cæremonia, seu signum sensibile, vt patet, nimirum, vel impositio manus, vel externa traditio materiæ, seu instrumenti cuiusdam, v.g. Candelabri, vel Calicis, &c. 2. *Est signum* permanenter institutum; quia ritus ille initiandi ministros Ecclesiæ continua Ecclesiæ praxi ad nos est derivatus ab Apostolis; sicut enim Christus Ecclesiam suam voluit esse perpetuam, ita & Ordinum dignitates noluit in Apostolis finiri, sed in Successores transferri. 3. *Quòd* adsit infallibilis promissio, & collatio gratiæ, patet ex illo 1. *ad Tim.* 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quę data est tibi cum prophetia cum impositione manuum Presbyteri, id est, cœtus Presbyterorum cum Episcopo Ordinante super caput Ordinandi in Presbyterum manus imponentium. Ergo, &c. Sed

de

dehoc plura dicere ſpectat ad Controverſiſtas.

Nota, quòd, ſicut in quovis Sacramento tria diſtinguuntur, nimirum *Sacramentum* tantùm. 2. *Res* tantùm. 3. *Res*, & Sacramentum ſimul; ita, & in hoc primum eſt externus ritus, ſeu Ordinatio. 2. *Gratia*. 3. *Character*. De quo vide *T.* 11. *E.* 4. *num.* 46.

* 3 *Reſp.* 3. Ordo, vt eſt Sacramentum, phyſicè definitur ſic: Eſt externa ſacra cæremonia ſub præſcripta verborum forma, qua traditur poteſtas, ſpirituale aliquod miniſterium exercendi, ſimulque gratia ſanctificans ad illud ritè obeundum. Metaphyſicè verò cum *S. Thom. q. cit. art. 2 & Mag. Sent.* definitur ſic: *Ordo eſt ſignaculum quoddam*, ſeu Sacramentum à Chriſto inſtitutum, *quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato exercendi miniſterium Eccleſiaſticum, ſimulque gratia, &c.*

Reſp. 4. Ordo, de quo hìc agitur, poteſt dupliciter accipi. *Primò* pro ipſa externa ordinatione, quam Epiſcopus facit, ſeu pro actione, ſive porrectione alicuius rei, ſeu materiæ ſub certa verborum forma. *Secundo* pro ipſa poteſtate Ordinis, ſeu charactere impreſſo animæ. Hoc ſecundo modo non eſt ipſum Sacramentum, quia non eſt ſignum ſenſibile; benè tamen primo modo, quia ſic habet omnia ad rationem Sacramenti requiſita, eique convenit data Sacramenti definitio.

Hinc cum S. D. q. cit. a. 2. ad 1. ait: *Quod charactèr interior ſit eſſentialiter, & principaliter ipſum Sacramentum Ordinis.* Loquitur de Sacramento Ordinis in facto eſſe, ſumendo effectum pro eatua: nobis verò hic ſermo eſt de eo in fieri; eſt enim Sacramentum conſiſtens in vſu, non verò formaliter in re permanente.

* 4 *Reſp.* 5. Sacramentum Ordinis eſt à Chriſto inſtitutum in vltima Cœna. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem. Ratio* q. 37. a. 1. *primò* propter Dei Sapientiam commendandam, quæ in diſtinctione rerum ordinata maximè reluçet, tam in naturalibus, quam in ſpiritualibus: quod ſignificatur in hoc, quod Regina Saba videns ordinem miniſtrantium Salomoni, non habebat vltra ſpiritum, deficiens in admiratione ſapientiæ illius. 3. *Reg.* 10. *Secundo* ad ſubveniendum humanæ infirmitati, quia per vnum non poterant omnia, quæ ad divina myſteria pertinebant, expleri ſine magno gravamine. *Tertio* vt via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diverſis Officijs diſtribuuntur, vt omnes ſint Dei Cooperatores, quo nihil divinius, vt Dionyſius dicit. Hæc S. D.

* 5 *Reſp.* 7, Septem ſunt Ordines in Eccleſia, ſcilicet *Sacerdotium*, *Diaconatus*, *Subdiaconatus*. *Acolythatus*, *Oſtiariatus*, *Lectoratus*, *Exorciſtatus*. Ita S. D. q. cit. a. 2. *Declaratur* ibid. Sacramentum Ordinis ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt Sacramentum Sacramentorum. Sicut enim templũ, & altere, & veſtes, ita & miniſtri, qui ad Euchariſtiam ordinantur, conſecratione indigent, & hæc conſecratio eſt Sacramntum Ordinis. Ergo diſtinctio Ordinum eſt accipienda ſecundum relationem ad Euchariſtiam. *Subſumo*: Sed hæc relatio fit 7. modis. Ergo. *Min. prob.* Poteſtas Ordinis, aut eſt conſecratio Euchariſtiæ, aut aliquod miniſterium ordinatum ad eam: Si primò modo, eſt Ordo Sacerdotum. Et ideò, cum illi ordinantur, accipiunt Calicem cum vino, & patenam cum pane, accipientes poteſtatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Chriſti; ſi verò eſt ad aliquod miniſterium, hoc eſt vel in ordine ad ipſum Sacramentum, vel in ordine ad ſuſcipientes. Si primum, hoc fit tripliciter: Primo enim eſt miniſterium, quo miniſter cooperatur Sacerdoti in ipſo Sacramento, quantum ad diſpenſationem, & hoc pertinet ad Diaconum, cuius eſt miniſtrare Sacerdoti, in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti. Vnde & ipſe Chriſti Sanguinem diſpenſat. Secundo eſt miniſterium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in ſacris vaſis ipſius Sacramenti, & hoc pertinet ad Subdiaconum. Et ideò accipiunt Calicem de manu Epiſcopi, ſed vacuum, cum ordinantur. *Tertiò* eſt miniſterium ordinatum ad præſentandum materiam Sacramenti, & hoc competit Acolytho; ipſe enim vrceolũ cum vino eſt aqua præparat. Vnde & in ordinatione accipit vrceolum vacuum.

Miniſterium ad præparationem recipientium ordinatum non poteſt eſſe niſi ſuper immundos, quia qui mundi ſunt, iam ſunt ad Sacramenta idonei. Triplex autem eſt genus immundorum: Quidam ſunt omnino infideles, credere nolentes, & hi totaliter, etiam à viſione divinorum, & à cœtu Fidelium arcendi ſunt; & hi pertinent ad Oſtiarios. Quidam autem ſunt volentes credere, ſed nondum inſtructi, ſcilicèt Catechumini; & ad horum inſtructionem ordinatur Ordo Lectorum, qui debent tradere rudimenta fidei, & legere Prophetias Veteris Teſtamenti. Quidam verò ſunt Fideles, & inſtructi, ſed impedimentum habentes ex dæmonis poteſtate, ſcilicet energumeni. Et ad hoc miniſterium eſt Ordo Exorciſtarum. Ergo.

Nota ex *S. Thom. ibidem ad* 5. quod Pſalmiſtatus non ſit Ordo, ſed officium Ordini annexum. Quia enim Pſalmi cum cantu pronunciantur, ideò Pſalmiſta dicitur Cantor. Cantor autem non eſt nomen Ordinis ſpecialis; tum quia cantare pertinet ad totum Chorum, tum quia non habet aliquam ſpecialem relationem ad Euchariſtiæ Sacramentum: quia tamen officium quoddam eſt, inter Ordines largo modo acceptos quandoque computatur.

* 6 *Reſp.* 8. Ordines bene diſtinguntur per ſacros, & non ſacros. Ita *S. D. q. cit. art.* 3. *Declarat hoc* dicens: Ordo dupliciter dicitur ſacer, vno modo ſecundum ſe, & ſic quilibet Ordo eſt ſacer, cum ſit Sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum circa rem aliquam conſecratatam, & ſic ſunt tantùm tres Ordines ſacri, ſcilicet Sacerdotium, & Diaconatus, qui habent actum circa Corpus Chriſti, & Sanguinem conſecratum: & Subiaconatus, qui habet actum circa vaſa conſecrata. Et ideò etiam eis continentia indicitur, vt ſancti, & mundi ſint, qui ſancta tractant. Hæc ibi.

Et in *ſed contra ſic arguit* S. *Thom.* Ordines ſacri impediunt Matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum (prout infrà in loco proprio explicabitur in Tract. 15. *E.* 6. n. 69. Sed hoc non habent quatuor Ordines inferiores. Ergo non ſunt Ordines ſacri. Vide infrà in hoc Tract. Exam. 8. n. 128. de cælibatu Clericorum.

His adde, paulò aliter dici poſſe, quòd maiores Ordines ſint ſacri ex duplici titulo 1. *Quia* propinquiùs accedunt ad Euchariſtiam, ad quam omnes Ordines ſunt inſtituti. 2. *Quia* habent annexum votum ſolemne caſtitatis, quo ſpecialiùs, & firmiùs Deo conſecrantur, qui ijs inſigniuntur. Subdiaconatus in primitiva Eccleſia non erat ſacer ſecundo titulo, quia non erat ei annexa obligatio caſti

castitatis, vel nunc ex statuto Ecclesiæ ; erat tamen sacer primo titulo, quia ad Eucharistiam accesit proximiùs quam 4. Minores. Vide infrà Exam. 8.

Sunt ne omnes Ordines propriè Sacramenta? *Ratio dubitandi est*: Quia aliàs essent plura Sacramenta, quàm septem. *Dico*: Quilibet Ordo est Sacramentum. *Ratio*: Quia convenit eis definitio Sacramenti superiùs data, causant omnes gratiam, & imprimunt characterem.

Nec tamen ex hoc sequitur, quod sint plura Sacramenta quàm 7. Quia Ordines Sacerdotio inferiores non sunt Sacramenta totalia, sed solùm partialia, constituentia vnum totale, scilicèt Sacerdotium, ad quod omnes alij Ordines referuntur velut ad finem, vt ante explicatum est. Vndè sunt vnum Sacramentum vnitate finis.

* 7 QUÆRO II. Quæ & quotuplex est materia, ac forma Ordinis? qualis requiritur contactus? quis est effectus? estne iterabilis? *Resp.* 1. Materia cuiusvis Ordinis est duplex ; vna remota, altera proxima. Prima est illud instrumentum, quod ordinando ab ordinante traditur, per quod actus Ordinis designatur, & in eius traditione character imprimitur Secunda eius traditio. De quo vide suprà *T.* 11. *E.* 1. *n.* 3. *R.* 2. vbi cuivis Sacramento in particulari assignatur vtraque materia. Forma sunt verba Episcopi, significantia potestatem, quæ ordinato datur.

Resp. 2. Probabilior, & tutior sententia docet, quod non sufficiat moralis contactus materiæ, sed requiratur physicus. Ita S. Thom. hic q. 34. art. 5. ad 3. dicens: *Porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti, quam tactus : tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti ; quia dicitur, Accipe hoc, vel illud. Ratio est* : Quia aliàs (vt ait Gonet) materia non videtur sufficienter applicari ordinando, est enim res physica. Ergo videtur exigere contactum physicum. Et hoc confirmat solicitudo, quam omnes prudentes Ministri huius Sacramenti adhibent, vt ordinandus physicè materiam tangat. Ergo.

* 8 *Resp.* 3. Non est necessarius contactus physicus immediatus cuiusvis materiæ. *Ratio*: Vinum in calice contentum spectat ad materiam Sacerdotij necessariam, & tamen non tangitur physicè immediatè ab ordinando, sed sufficit tangere calicem. Quia iuxta communem hominum vsum, qui tangit continens, censetur etiam tangere contentum. Communiter tamen observatur, quod panis patenæ superpositus immediatè tangatur.

Ex quo sequitur, quod valori non obstet, licet sit contra reverentiam, si manus tangentis sit cooperta strophiolo, vel chirotheca. Quia verè est contactus. Nec est de essentia tactus vtraque manu factus, immò sufficit tactus vnius digiti ob eandem rationem. De hoc vide plura infrà de materia Presbyteratus, & Diaconatus.

* 9 *Resp.* 4. Effectus cuiusvis Ordinis ex duplex vnus primarius, seu principalis, scilicet gratia sanctificans. Alter secundarius, scilicet character, qui imprimitur in quovis Ordine, ita vt nullus Ordo sit iterabilis. Posset addi tertius effectus, scilicet collocatio in certo statu, vel gradu, sed de eo patet ex dictis de prima Tonsura. 1. *Pars* de gratia constat ex dictis, quia omne Sacramentum in subiecto ritè dispositio causat gratiam sanctificantem, & quidem secundam, si sit Sacramentum vivorum : Sed, vt probatum est, quilibet Ordo est Sacramentum, & quidem vivorum. Ergo. Aliam pulchram Rationem dat *S. D. hic q.* 35. *a.* 1. *in c. & ad* 2. *& ad* 3. Vbi eam inveniet, qui sciendi cupidus est.

2. & 3. *Pars* ab eodem *S. D. ibidem ad* 2. docetur, & probatur sic: Omne Sacramentum, in quo non imprimitur caracter, est iterabile : Sed nullus Ordo est iterabilis ; Ergo quilibet Ordo imprimit characterem. Multa hic dicenda essent de charactere, nimirum per quæ Sacramenta imprimatur, quid sit, in quo subiecto sit, an sit indelebilis, an maneat in Cœlo, & in Inferno? an fuerit in Christo? quæ omnia habes suprà *T.* 11. *E.* 3.

* 10 QUÆRO III. Quodnam est subiectum capax Ordinis? seu quæ sunt requisita ad validam, & licitam receptionem eius? *Resp.* 1. De necessitate est, vt sit mas, & baptizatus: De præcepto est, vt sit confirmatus. Vel vt *S. D. hic q.* 35. *a.* 4. loquitur, caracter baptismalis præsupponitur susceptioni Ordinis de necessitate Sacramenti, Confirmatio de congruitate.

Ratio 1. p. est ex *S. Thom. hic q.* 39. *art.* 1. *in c.* Clericatus est quædam dignitas, & præeminentia præ cæteris Fidelibus : Sed ea non convenit mulieribus: Ergo. *Min. prob.* 1. Iuxta Apost. 1. *Cor.* 14. mulieres debent esse subditæ viris, & tacere in Ecclesia. Ergo multo minus possunt viris ministrare Divina. 2. *Iura* varijs in locis mulieribus, etiam Sanctimonialibus, prohibent intra cancellos altaris consistere, aut Sacerdoti ministrare ad Missam, aut sacra vasa tangere. Ergo à fortiori divina ministraria paragere.

Hinc etsi Deipara quoad sanctitatem fuerit excelsior Apostolis, non tamen illi, sed istis Claves Ecclesiæ à Christo commissæ sunt. Nec Christus eam aut vllam mulierem admisit, quando in vltima Cœna discipulos ordinavit, nec quando post Resurrectionem Joannis 20. potestatem absolvendi à peccatis dedit.

In primitiva quidem Ecclesia quædam fœminæ fuerunt dictæ Diacommissæ, Presbyterissæ, Episcopissæ, &c. non quod fuerint ordinatæ, sed denominatione sumpta à viris, seu quia erant vxores Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ductæ ante Ordinationem, quæ postea quoad thorum à viris separatæ cælibem cum ijs vitam agebant: Item iuxta S. *Thom. q.* 39. *art.* 1. *in c.* fuerunt aliquę cum quadam benedictione (sine tamen Ordinatione) deputatæ ad recitandas homilias in officio Monialium, hinc dictæ Diacomissæ ab actu Diaconi, cuius est legere homilias. Abbatissa defacto ita vocatur à Prælatione, seu Præfectura. Virgines dicuntur sacræ à voto. *Quod Hæretici* obijciunt de Joanna Papissa, fabula est, & merum figmentum vt clarè demostrant Autores. Vide suprà *T.* 6. *E.* 5. *n.* 61. *& seqq.* an fœmina sit capax iurisdictionis spiritualis. *Ratio* 2. *p.* Quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum. 3. *Pars* de Confirmatione patet ex *Trident. sess.* 23. *de reform. c.* 4.

* 11 *Resp.* 2. Hermaphroditus, in quo prævalet sexus fœmineus, invalidè ordinatur. Si prævaleat sexus virilis, ordinatur quidem validè, sed illicitè, & est irregularis. 1. *Pars* constat, quia tunc simpliciter est fœmina. 2. & 3. *Pars* patent suprà *T.* 14. *E.* 1. *n.* 60.

Resp. 3. Quod in adulto Ordinem recipiente, & qualis requiratur intentio, patet suprà *T.* 11. *Ex.* 4.

Ex. 4. *n.* 19. Quod autem in infante ſufficiat intentio Eccleſiæ, ſicut in Baptiſmo, & confirmatione, ſtatim dicetur.

* 12 *Reſp.* 4. Parvuli ante vſum rationis illicitè quidem, validè tamen ſuſcipiunt quoſcumque Ordines, non tamen Epiſcopatum formaliter ſumptum *Declarat hoc Ang. Doct. hic q.* 39. *a.* 2. *in c. dicens*: Per puritiam, & alios defectus, quibus tollitur vſus rationis, præſtatur impedimentum actu: & ideò omnia illa Sacramenta quæ actu requirunt ſuſcipientis Sacramentum, talibus non competunt, ſicut Pœnitentia, Matrimonium, & huiuſmodi. Sed quia poteſtates infuſæ ſunt priores actibus, ſicut & naturales, quamvis acquiſitæ ſint poſteriores, remoto autem poſteriori non tollitur prius; ideò omnia Sacramenta, in quibus non requiritur actus ſuſcipientis de neceſsitate Sacramenti, ſed poteſtas aliqua ſpiritualis divinitus datur, poſſunt pueri ſuſcipere, & alij, qui vſu rationis carent: hac tamen diſtinctione habita, quod in minoribus Ordinibus requiritur diſcretionis tempus de honeſtate, propter dignitatem Sacramenti, ſed non de neceſsitate præcepti, neque de neceſsitate Sacramenti. Vnde aliqui, ſi neceſsitas adſit, & ipes profectus, ad minores Ordines poſſunt ante annos diſcretionis promoveri ſine peccato, & ſuſcipient Ordinem: quia quamvis tunc non ſint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen per aſſuetactionem idonei reddentur. Sed ad maiores Ordines requiritur vſus rationis, & de honeſtate, & de neceſsitate præcepti propter votum continentiæ, quod habent annexum, & quia etiam eis Sacramenta tractanda committuntur. Sed ad Epiſcopatum, vbi etiam in corpus myſticum accipitur poteſtas, requiritur actus ſuſcipientis curam animarum paſtoralem, & ideò eſt etiam de neceſsitate conſecrationis Epiſcopalis; quod vſum rationis habeat. Quidam autem dicunt, quod ad omnes Ordines requiritur vſus rationis de neceſsitate Sacramenti; ſed eorum dictum Ratione, vel Auctoritate non confirmatur, *Hæc ibi.*

Ratio ex his patet, quia materia huius Sacramenti, vt & Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ non pendet ex actibus ſuſcipientium, vti pendet in Pœnitentia, & Matrimonio. Ergo ſufficit intentio Eccleſiæ, & quòd ordinandus non repugnet. *Non* tamen, quòd infans ſic ordinatus, factus adultus non teneatur perſiſtere in ſtatu Clericali, aut continentiam ſervare, ſed poſſit nubere, quia nemo independenter à propria voluntate poteſt obligari ad votum continentiæ.

* 12 *Oppono*: Ordinandus debet poteſtatem ſibi datam liberè acceptare, Epiſcopus dicit: *Accipe poteſtatem*, &c. Sed infans nequit ſic acceptare, cùm careat libertate. Ergo. *Ad hoc diſt. mai.* Si ſit poteſtas data per modum contractus, pacti, vel donationis, *conc. mai.* ſi detur ſolùm per modum efficacis operationis, & per modum impreſſionis, vti in præſenti, *neg. mai.* Sic enim ſufficit merè paſsivè ſe habere, vt patet in Baptiſmo, & Confirmatione, in quibus tamen imprimitur character, vt poteſtas ad alia Sacramenta recipienda, & Fidem profitendam.

Reſp. 5. De amente, qui nunquam fuit compos rationis, idem eſt, ac de infante. Qui verò aliquando vſum rationis habuit, & in eo Ordinem petit, ordinari validè poteſt; ſecùs, ſi non petijt. Vide ſimilia ſuprà *T.* 11. *E.* 5. *n.* 36. *Ratio* 1. *p.* Quia talis ratione eſt perpetuò infans. *Ratio* 2. & 3. *p.* Sacramenta, quæ non ſunt neceſsitatis, ſed tantùm voluntatis, cenſentur repelli, ſi non fuerint petita tempore, quo poterant liberè peti; ſecùs, ſi petita fuerint. Ergo.

* 13 *Reſp.* 6. Ad Ordines debitè, ac licitè ſuſcipiendos adhuc varia ex parte ipſius Ordinandi requiruntur. *Declaratur*: Requiritur *primò* ſtatus gratiæ. Quia quilibet Ordo eſt Sacramentum vivorum, cauſans gratiam ſecundam. Ergo ſi ſuſcipiatur in peccato mortali, committitur novum mortale. *Secundò*. Prærequiritur prima Tonſura, hæc enim eſt diſpoſitio ad Ordines, vt patet ex dictis in Examine præcedenti. *Tertiò*. Requiritur certa ætas, quæ pro Minoribus ad minus debet eſſe ſeptennium, ob rationem de prima Tonſura datam in *E.* 1. *n.* 3. *in Not. poſt R.* 3. Ætas ad maiores Ordines requiſita ſtatuitur à Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 12 his verbis: *Nullus impoſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis annum promoveatur.* Sufficit tamen, quòd annus præcedens ſit inchoatus. Ad Epiſcopatum requiruntur triginta anni completi.

Computatur hæc ætas non à die conceptionis (is enim raro ſciri poteſt) ſed à die nativitatis iuxta communem vſum. Sufficit autem compleri etiam vnica hora ante Ordinationem, quia ætas eſt verè completa; ſed non ſufficit compleri hora poſt Ordinationem. Quando enim in iure pro forma, & de præſenti requiritur aliqua qualitas, ſeu attingentia, non valet illud axioma: *Parum pro nihilo reputatur. Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur.* Si de ætate dubites, ordinari licitè non potes, vt patet ex dictis in *T.* 2. *de conſcientia*, *E.* 1. *num.* 15. In hac ætate diſpenſat ſolus Papa, vel alius ex commiſſione eius.

Quartò. Requiritur probitas vitæ, & ſufficiens ſcientia. Vndè Trid. loc. cit. ait: *Sciant Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata ſenectus ſit.* De Bonitate vitæ ſic ait S. Thom. *q.* 36. *a.* 1. *in corp.* Cum in quolibet Ordine aliquis conſtituatur dux alijs in rebus divinis, quaſi præſumptuoſus mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis ad Ordines accedit. Et ideò ſanctitas vitæ requiritur ad Ordinem de neceſsitate præcepti, ſed non de neceſsitate Sacramenti. Vndè ſi malus ordinatur, Ordinem habet, ſed cum peccato. Hæc ibi.

De ſcientia, & eius qualitate *ſic loquitur art.* 2. *in corp.* In quolibet actu hominis, ſi debet eſſe ordinatus, oportet, quod adſit directio rationis. Vndè ad hoc, quod homo Ordinis officium exequatur, oportet, quod habeat tantum de ſcientia, quòd ſufficiat ad hoc, quod dirigatur in actu Ordinis illius. Et ideò etiam talis ſcientia requiritur in eo, qui debet ad Ordines promoveri, & non quòd vniverſaliter in tota Scriptura ſit inſtructus; ſed plus, vel minus, ſecundum quod ad plura, vel pauciora ſe eius officium extendit, vt ſcilicèt illi, qui alijs præponuntur, curam animarum ſuſcipientes, ſciant ea, quæ ad doctrinam Fidei, & morum pertinent, & alij ſciant ea, quæ ad executionem ſui Ordinis ſpectant. Hæc ibi. Vide in *E.* 1. *n.* 2. *R.* 2.

Quintò. Requiritur, vt Ordinandus ſit ingenuus, ſeu liber, ſeu non ſit ſervus, ſeu mancipium. De hoc S. Thom. *q.* 39. *art.* 3. ſic diſcurrit: In ſuſ-

ſcep-

ceptione Ordinis manciparur homo divinis officijs, & quia nullus potest alteri dare, quod suum non est, ideò servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad Ordines promoveri; si tamen promovetur, Ordinem suscipit; Quia libertas non est de necessitate Sacramenti, licèt sit de necessitate præcepti, cùm non impediat potestatem, sed actum tantùm. Et similis ratio est de omnibus, qui sunt alijs obligati, vt ratiocinijs detenti, & huiusmodi personæ. Hæc ibi.

Nota ex S. Thom. *ibid. ad 5.* Si servus est promotus sciente domino suo, & non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus; Si autem eo nesciente, tunc Episcopus, & ille, qui præsentavit, tenentur domino in duplum, quàm sit pretium servi, si sciverunt ipsum esse servum: aliàs si servus habeat peculium, debet seipsum redimere, alioquin reduceretur in servitutem domini sui, non obstante quòd Ordinem suum exequi non potest. Hæc S. D. Accedit quòd servus sit irregularis. De quo statim plura.

Sextò. Requiritur, vt ordinandus non habeat vllum impedimentum canonicum vti est, v.g. irregularitas, vt patet ex definitione eius data suprà *T. 14. E 1. n. 51. Hic revidenda* sunt omnia, quæ ibidem de irregularitate sunt dicta, & quinam sunt irregulares. 1. *Infames.* 2. *Bigami.* 3. *Corpore* vitiati, vt gibbosi, claudi, cœci, balbi, monstrosi, castrati, mutilati, epileptici, dæmoniaci, phrenetici, amentes. 4. *Illegitimè* nati. 5. *Servi*, seu mancipia. 6. *Homicidæ*, aut ad homicidium etiam justum cooperantes. Quæ omnia ibidem sunt explicata. Et hi omnes arcentur à susceptione Ordinum, priusquam cum eis dispensetur.

Septimò. Requiritur, vt non sit ligatus censura excommunicationis; si enim in ea quis Ordinem (etiam minorem) suscipiat, manet ab eo suspensus. Hanc suspensionem aliqui vocant irregularitatem. *Octavò.* Nemo potest licitè suscipere Ordinem superiorem nisi priùs acceperit inferiorem, quia non licèt; sed peccatum mortale est, ordinari per saltum, id est, prætermisso Ordine priore. Nam etsi non de necessitate Sacramenti (cum Ordo superior inferiorem virtualiter, vel eminenter contineat, & ob id ordinato sit valida) bene tamen de necessitate præcepti. Character vnius Ordinis præsupponit Characterem alterius.

Nonò. Non potest quis (absque dispensatione) licitè ordinari, nisi temporibus ab Ecclesia statutis. De quibus postea n. 24. & 25. *Decimò.* Vt servet certa temporum interstitia. De quibus dicetur posteà ibidem.

Vndecimo. Ad Ordines licitè suscipiendos requiritur animus clericandi, id est, à Minoribus non recedendi sine iusta causa; quia aliàs peccabis saltem venialiter ob rationem suprà in E. 1. n. 4. de prima Tonsura datam, non mortaliter; quia in statu perfecto non est, nisi initiativè tantum. Si verò iustam causam habeat, nec venialiter peccat, quia vtitur iure suo. Tandem de Maioribus loquendo, debet habere animum ab ijs non recedendi sine iusta dispensatione, quia alias peccat mortaliter, vt patet. Quia eum statum solemniter vovit. Qui Minores accipit cum animo retrocedendi, & hac tantum intentione, vt gaudeat privilegijs Clericorum, peccat mortaliter Quia decipit Ecclesiam in re gravi. Vide de prima Tonsura citato num. 4. Item vide in tract. de Fide, de Apostasia à Clericatu, vbi multa dicuntur, quæ hic serviunt. *T. 9. E. 3. n. 50. Duodecimò.* Vt sit subditus Episcopi ordinantis. De quo posteà ad Q. 4. n. 19. & 20.

* 14 *Decimotertiò* Requiritur pro maioribus Ordinibus sufficies titulus honestæ sustentationis, ne Clerici, cum sacri Ordinis dedecore, mendicare, aut sordidum quæstum exercere cogantur. Et ita statuit Concil. *Trident. sess. 21. de reformat. c. 2.* ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet, eum Beneficium Ecclesiasticum (quod sibi ad victum honestè sufficiat) pacificè possidere. Id verò Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commodè possit, & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticè sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, vnde vivere possint. Hæc Concil. Porrò Religiosi professio ordinantur titulo Pauperitatis, eo quod hanc vi vocationis suæ profiteantur.

Ex his colligitur, triplicem esse titulum ad quem quis ordinari potest, scilicet beneficij, patrimonij, aut pensionis, ac paupertatis. Patrimonium iuxta consuetudinem debet ad minus esse Capitale mille imperialium, eiusque nomine non solum intelligitur hæreditas paterna, sed quidquid ordinandus ex quocumque legitimo titulo, vt proprium possidet, vel ad dies vitæ in vsumfructum habet.

* 14 Addi potest quartus titulus, dictus *Titulus mensæ*, vt si ob defectum Beneficij, & Patrimonij, potens quidam Dominus, *v.g.* Episcopus, vel Nobilis, aut alius curet, quem ordinari titulo suæ mensæ, seu suorum bonorum, vt ex eis Clericus (cui alia media desunt) alimenterur, præsertim tempore infirmitatis, aut senectutis. Debet autem hic titulus fundari super obligatione reali, & hypotheca certorum bonorum ab Episcopo (ne sit ritulus sine vitulo) bene examinandorum, an non sint aliàs iam ære alieno gravata: & hoc ideò, ne (vt dictum) Clerici cum statu clericalis dedecore mendicare cogantur. Hic titulus est onus reale talium bonorum, & iure ordinario hypothecæ, ad quecumque possessorem transit.

Quid si titulus pereuntibus bonis pereat, *v. g.* in bello? *Dico*: Tum Clericus alendus est ab Episcopo, seu ex bonis Ecclesiæ, quæ cum in necessitate debeat alere pauperes sæculares, à fortiori Clericos. *Quid si* Ecclesia aliqua Collegiata, vel Monasterium det alicui Titulum mensæ? *Dico*: Etsi tunc non requiratur assignatio certorum bonorum, cum bona Ecclesiarum regulariter non totalitur pereant, nec possint alienari: requiritur tamen consensus Capituli, quia sine eo Superior in re tam gravi obligationem inducere non potest.

Quid censes de Civitatibus, & Oppidis? *Dico*: Si in eo loco sit praxis, & consuetudo, vt Magistratus sine consensu Domini loci, aut maioris partis civium

civium titulum dare posit, subsistit, secus non, ob rationem datam. *Quid iudicas* de Religiosis Societatis Jesu, cum illi possint ob certas causas ex Societate dimitti, licèt sint in Sacris? *Dico*: Quamdiu sunt in Societate, non indigent alio titulo, licèt solum habeant vota simplcia. Si verò dimittantur in Sacris existentes, ex Declaratione Sixti V. traddit Barbosa in Collect, *ad sess.* 21. *cap. Trid.* quod Societas teneatur dimisso providere de honesto victu, usquedum ei provideatur de Beneficio sufficiente.

* 16 QUURO IV. Quis est Minester Ordinum? *Resp.* 1. Solus Episcopus est ordinarius Minister Sacramenti Ordinis. Ita patet ex Trident. *sess.* 23. *Can.* 7. *Ratio*: Conferre officia, & ministeria spectat ad solum Principem, vel Præfectum: Sed solus Episcopus est Princeps, & Præfectus Christianæ Reipublicæ. Ergo.

Resp. 2. Probabilius est, quòd Papa possit simplici Sacerdoti dare facultatem conferendi Subdiaconatum, & reliquos Minores, non tamen Diaconatum, multò minùs Sacerdotium. Ita Ang. Doct. hic, *q.* 38. *art.* 1. *ad* 3. *dicens*: Papa qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo, ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodò illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi: & ideò ex eius commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores Ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos; nec iterùm Sacerdos maiores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi, suprà quòd consecrandum Papa non habet maiorem potestatem, quàm simplex Sacerdos. *Hæc S.D.*

Ratio patet ex his verbis S. Thom. Papa non potest simplici Sacerdoti dare potestatem conferendi Ordines, qui dicunt immediatam relationem ad Corpus Christi verum, quia super illud Papa nõ habet maiorem potestatem quàm simplex Sacerdos, quæ præcisè est potestas consecrandi. *Subsume*: Sed solùm duo Ordines maiores, nimirum Sacerdotalis, & Diaconatus dicunt immediatam relationem ad Corpus Christi verum, Sacerdotalis quidem, vt ad consecrandum; Diaconatus verò, ad distribuendum, vti fiebat in primitiva Ecclesia, non verò Subdiaconatus, nec minores Ordines, vt patet ex eorum Officijs. Ergo.

Confirmatur: Ideò Papa potest simplici Sacerdòti dare facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis, quia potestas illud conferendi est præstandi aliquid, quod habet immediatam relationem ad Corpus Christi mysticum, seu ad Fideles Confirmationis capaces, super quos Papa maiorem habet potestatem, quàm simplex Sacerdos. Ergo è contra cùm super Corpus Christi verum non habeat maiorem potestatem, non potest simplici Sacerdoti dare facultatem conferendi Ordines, qui illud vt tale immediatè respiciunt.

* 17 *Oppono*: Papa quibusdam Abbatibus Cistercienſibus dedit Privilegium conferendi suis Religiosis Diaconatum, & Subdiaconatum. Ergo. *Ad hoc* dico 1. de Diaconatu non certò constare, sed solùm de Subdiaconatu fuit datum, si tamen datum fuit. *Secundò* dico, Papam in eo passu fuisse visum sententia, quæ tunc ei videbatur probabiliori; Eo modo quo suprà *T.* 10. *E.* 3. *n.* 48. & 49. dictum fuit de dispensatione voti solemnis Monachalis.

Resp. 3. Episcopus nominatus, electus, aut etiam confirmatus, si non sit Sacerdos, non potest ordinare Sacerdotes, potest tamen suis subditis dare licentiam, vt ab alio Episcopo ordinentur. *Ratio* 1. *p.* Quia nemo dat, quod non habet. *Ratio* 2. *p.* Quia dare illam licentiam spectat ad potestatem Jurisdictionis exterioris; illam autem habet. Ergo.

Resp. 4. Episcopus excommunicatus, degradatus, hæreticus, aut in alio mortali peccato existens, potest validè conferre Ordines, non tamen licitè. Hoc probatum est suprà *T.* 11. *E.* 4. *n.* 24. *ad Q.* 7. *vbi vide. Et n.* 29 *ad Q.* 8. quę dispositio requiratur in Ministro Sacramenti, vt non peccet.

* 18 *Resp.* 5. Episcopus, qui renuntiavit Episcopatui, validè ordinat, quia retinet characterem, sed non semper licitè. *Declaratur*: Episcopus potest renuntiare, vel *locò, & dignitati simul*, vel *loco tantum*. Loco tantum renuntiat, si titulo, & auctoritate Episcopali retenta ex metu hostium, aut ob aeris intemperiem, locum, seu Diœcesim deserat, eique renuntiet. In quo casu, si ab alio Episcopo rogetur, potest validè, & licitè ordinare subditos Episcopi rogantis, & intra eius territorium, non verò proprios, quia nullos ampliùs habet: si verò propter aeris intemperiem, vel metum hostium tantùm extra suam Dioecesim moretur, jurisdictionem in suos non amittit, sed eos potest licitè ordinare in aliena Diœcesi cum licentia Episcopi Diœcesani. Dignitati verò simul renuntiat, si etiam à se deponat officium, nomen, & dignitatem Episcopalem, v.g. ingrediendo Religionem, vel prevenicndo prometitam depositionem, & in hoc casu licèt quoscumque validè ordinet ratione indelebilis characteris Episcopalis, Sacros tamen Ordines nemini licitè conferre potest, nisi ex dispensatione Papæ; Minores tamen conferre potest cum licentia propriorũ Prælatorum. Vide suprà *T.* 14. *E.* 1. *n.* 22. quod ordinati ab Episcopo non suo, sine dimissorijs, extra tempora, sine interstitijs, sine titulo, sine legitima ætate, per saltum, in censura, &c. sint suspensi ab executione Ordinum.

Resp. 6. Non potest quis licitè ordinari, nisi ab Episcopo proprio, aut alieno de licentia proprij. Ita Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 8. *Ratio*: Vt evitetur confusio in Ecclesia, quæ vult omnia ordinatè fieri.

* 19 *Resp.* 7. Quatnor modis potest quis dici ad conferendos Ordines proprius Episcopus, & alter eius Subditus ad eos recipiendos. 1. *Ratione* originis. 2. *Ratione* domicilij. 3. *Ratione* Beneficij. 4. *Ratione* triennalis familiaritatis. *Declaratur*: Ratione *Originis*, seu nativitatis potest quis (etiam alibi habens domicilium, vel beneficium) ordinari ibi, vbi est natus, si parentes ibi habeant fixum domicilium. Si verò in alio loco sit natus, quasi per transennam, v.g. in transitu, vel peregrinatione parentum, non est ordinandus ibi, sed in loco domicilij, vel beneficij, vel in loco originis paternæ: vel (si sit filius tantùm naturalis, aut illegitimus, ad Ordines tamen legitimatus) in loco originis maternæ; filius enim naturalis non sequitur originem paternam, sed maternam.

Ratione *Domicilij*, quod differt à simplici habitatione, hoc enim esse potest sine animo stabiliter, & perpetuo manendi, vt patet in studiosis Academiarum. Vndè domicilium propriè dicitur, vbi quis constanter, & perpetuò (perpetuitate saltem propositi, licèt postea per accidens mutetur) habita-

tionem fixit. Et potest quis tale domicilium habere in duplici loco, sicut quidam Officiales in dignitate constituti censentur fixisse domicilium, & in sua propria arce, & in civitate, vbi sunt Officiales: dummodò æqualiter in vtroque loco degant: non quidem mathematicè, sed proportionatè, & moraliter.

Ratione *Beneficij*; quia ratione eius aliquis fit Diœcesanus illius Episcopi, in cuius Diœcesi iam actu, & re ipsa habet titulum, & possessionem Beneficij: vndè non sufficit nuda præsentatio. Et hoc Beneficium debet esse perpetuum, adeòque non sufficit pensio temporalis: immò alioquin non est Beneficium Ecclesiasticum; hoc enim definitur, quòd sit *ius perpetuum recipiendi redditus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis Officij Ecclesiastica auctoritate constitutum.*

Tandem ratione *triennalis familiaritatis*, de qua Trid. sess. 23. cap. 9. sic statuit: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat.* Dicitur familiaris, qui in familia, seu servitio Episcopi eius sumptibus vixit. Porrò cùm Tridentinum dicat, Episcopum debere quamprimum tali ordinato conferre beneficium, clarè patet, quòd Episcopus *titularis*, seu actu nullam Diœcesim habens, non possit vllum prætextu triennalis familiaritatis ordinare. Ex dictis colligi potest, à quo sit ordinandus, qui est vagus, aut nullius Diœcesis.

* 20 *Resp.* 7. Solus Episcopus proprius vno ex quatuor prædictis titulis potest dare licentiam, seu litteras dimissorias, quas Reverendas vocant, vt quis ordinetur ab alieno Episcopo; potest, inquam, nisi sit excommunicatus; tunc enim subditi sine dimissorijs ab alio Episcopo possunt ordinari, vt patet in iure. Vicarius Generalis non potest dare dimissorias sine speciali mandato Episcopi, nisi in remotis agat, seu extra Provinciam, vel vltra duas diætas à loco residentiæ. Capitulum Sede vacante non potest, nisi in duobus casibus. 1. *Si* annus sit elapsus ab obitu Episcopi. 2 *Si* quis sit affectatus ratione Beneficij, id est, si habeat Beneficium, quod spatio illius temporis, quo Sedes vacat, certum requirit Ordinem. De quo vide Trid. *sess. 7. cap* 10.

Nota, quòd dimissoriæ semel datæ non exspirent morte concedentis, re adhuc integra, nisi expressè revocentur per Successorem. Quia sunt gratia facta, & privilegium, quod morte concedentis non exspirat. De quo vide de Leg. suprà *Tract. 6. E. 5. n. 83.* Porrò, quòd dimittendus, à dimittente priùs examinandus, & approbandus (nisi sit distans, quia aliàs potest committi Episcopo ordinanti) patet ex dictis suprà in princ. huius Tract.

Resp. 8. Regulares exempti (vti sunt Mendicantes) possunt accipere dimissorias à suis dumtaxat prælatis, & non ab Episcopis. Quia cùm sint exempti, non sunt illis subditi. Ita habetur ex privilegio Sixti V. & Clem. VIII. Hinc Religiosus sine licentia sui Superioris ordinatus, mortaliter peccaret, & incurreret suspensionem latam à Pio II. incideretque in plures pœnas à Sixto V. taxatas. Vide in nostris Constitutionibus *dist. 2. cap. 14. text. 21. litt. X.* cuius Superioris licentia pro nostris Fratribus requiratur, vt quis ad Sacros Ordines mittatur.

Nota 1. Esse aliquorum sententiam, quòd Prælati Regulares ex mandato Clementis VIII. debeant litteras dimissorias dirigere ad Episcopum Diœcesanum illius Monasterij, eo verè absente, vel impedito, causam impedimenti denuntiare alteri Episcopo sub pœna privationis à dignitate, & voce activa, ac passiva. Verùm hoc decretum non videtur esse vniversaliter vsu receptum, quia passim Prælati Regulares suo Diœcesano Ordines non celebrante dant dimissorias suis subditis, vt à quocumque Episcopo cum Ecclesia Romana communionem habente ordinari possint, absque eo quòd vllam mentionem faciant, an Episcopus proprius sit absens, impeditus, aut Ordines celebrare noluerit. Porrò hæc præcisè intelliguntur de Regularibus exemptis: alij enim sunt subiecti suo Ordinario.

Nota 2. Speciale quid esse de eo, qui à Papa est ordinatus, nam is sine Papæ licentia non potest ordinari ab alio, cap. *In distribuendis* 12. tit. *de qualit. ordinand.* & hoc ob singularem reverentiam Papæ Ordinantis. Maior, hac de causa debetur honor tali ordinato, cap. *Per tuas* 7. *de maiorit. & obedientia*: non tamen est exemptus à iurisdictione Episcopi.

Quæri hic posset, quotuplex sit, & quæ intentio requiratur in Ministro Ordinis. Sed hoc patet ex dictis de Sacramentis in communi, *Tr. 11. Ex. 4. n. 32. & 33. & n. 11.* Item, quæ dispositio requiratur in eo, nimirum, an status gratiæ. Sed hoc ibidem num. 29.

* 21 His addo, quòd Episcopus collaturus, & Clericus recepturus Ordines sacros (dico sacros, quia Minores conferuntur etiam aliquando post prandium) debeat esse jejunus, tum propter reverentiam Sacramenti, tum propter sacram Communionem sumendam. Quod autem ordinaturus, & ordinandus, si aliunde non sit jejunij, pridiè jejunent, optimè faciunt, & est de consilio, sed videtur benè dicere Gobat, quòd de hoc nullum textum in iure inveniat; adeòque durum videtur aliquem sub mortali ad id obligare. Quæri item potest, an Angeli, & Beati possint conferre Ordines? Huius decisio colligitur ex dictis suprà T. 11. E. 4. n. 6.

* 22 QUÆRO V. Quæ sunt tempora, interstitia, ac locus Ordinationum? *Respon.* 1. Potest Episcopus Ordines Minores conferre *Feria* 6. proxima Sabbatis, quibus Maiores conferuntur, vel in ipsis Sabbatis, vel in quavis Dominica, vel festo de præcepto totius anni, quo populus à laboribus cessat, si non fiat Ordinatio generalis pro omnibus, sed tantum pro quibusdam paucis. Ordines Maiores solum licitè conferri possunt sex Sabbatis, nimirum 4. *Temporum*, & ante Dominicam Passionis, & in Sabbato Sancto. Ita habet praxis Ecclesiæ.

Cur Ordinationes sunt præcipuè institutæ pro temporibus jejuniorum? *Ideò*, vt per solemnia illa jejunia, & Fidelium devotionem Ecclesia eo aptiores, & sanctiores accipiat Ministros. Et hoc ad exemplum Apostolorum, qui cum Spiritus S. præcepto ad prædicandum Gentibus mitterent Paulum, & Barnabam, priùs jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus.

* 23 *Resp.* 2. Juxta Statutum Trid. *sess. 23. de reform. cap.* 11. servanda sunt interstitia, seu temporum intervalla nimirum vnius anni inter inferioris, & superioris ordinis susceptionem, *nisi aliud Episcopo expedire magis videretur*, & nisi necessitas, au-

ant Ecclesiæ vtilitas judicio Episcopi aliud exposcat. *Vsus facto obtinuit*, vt Minores eodem die conferantur, & in quibusdam locis ex rationabili causa cum ijsdem eodem die Subdiaconatus. Quia hoc non repugnat Tridentino, hoc enim solùm loquitur de duobus Ordinibus Sacris. *Ratio* interstitiorum est, vt ordinati in quovis munere se priùs exerceant, & cum ætate, vitæ meritum, & doctrina maior accrescat, ne vitæ spiritualis Magistrum agere præsumat, qui vix discipulus esse cœpit. Hanc ob causam Prælati Ecclesiæ non deberent esse tam faciles ad dispensandum, præsertim sine personarum delectu.

Nota Constitutiones nostræ *dist. 2. c. 14. text. 11. lit. X. ita habent*: In Capitulo Bonienſi 1564. præceptum fuit, omnia decreta communia *Concil. Trid.* de ætate, vita, & moribus ordinandorum firmiter observari; & fuit additum, vt nemo post susceptionem Minorum Ordinum ante elapsum annum ad Maiores promoveatur. Nec Subdiaconus intra spatium alterius anni ad Diaconatum ascendat, nisi sit Ministrorum necessitas, quæ Patrum consilio iusdicetur sufficiens causa, vt aliter fiat, & ordinarus Episcopo etiam referatur, & renuncietur. *Hæc ibi.*

Nota, interstitia temporum non esse accipienda mathematicè, vt sit spatium 12. mensium completorũ, quasi de puncto ad punctum, sed potest, qui hoc anno in Sabbatho Paschatis suscepit Subdiaconatum, anno sequenti in eodem Sabbatho, licèt citius veniat, recipere Diaconatum.

* 24 *Resp.* 3. Quando Clericus Sæcularis cum dimissoriis vadit ad alienum Episcopum, non hic, sed proprius ipsius Ordinandi Episcopus potest dispensare in interstitijs. *Ratio*: Tum quia dispensatio est actus jurisdictionis, qui non rectè exercetur in subditos alienos. Tum etiam, quia ad proprium Episcopum spectat judicare, an dispensatio conducat suæ Ecclesiæ, vel saluti Ordinandi.

Resp. 4. De dispensatione interstitiorum pro Regularibus sacra Congregatio declaravit, quod & illa pertineat ad Episcopum ordinantem, qui quoad causas in Concilio expressas pro dispensando in hoc deferre debet iuditio, & attestationi Superioris Religiosi Ordinandi: Verum, vt docet noster La Cruz iuxta Bullam Gregor. XIII. pro Societate in Bullario Manuelis Rodriguez relata, Generales Ordinum, & ab istis delegati, possunt cum suis subditis dispensare interstitijs.

* 25 *Resp.* 5. Gregor. XIII. Societati Jesu in Bulla *Pium, & vtile*, &c. dedit privilegium, vt eiusdem Religiosi extra tempora, immò tribus diebus festis continuis sacros Ordines suscipere queant. Circa hoc privilegium disceptant DD an alij Religiosi in eo cõmunicent, necne? Negant Jesuitæ, dicentes, dictum Gregor. XIII. prohibuisse communicationem; affirmant è contra alli. Quæ controversia ex ipso Bullæ, vel prohibitionis textu dirimenda esse. Quidquid de hoc sit, probant alij AA. vt videre est in Gobat, & nostro de La Cruz, Gregor. XIV. apud Rodriguez expressè fecisse illam extensionem ad alios quoque Ordines. *Item* Alexandrum VI. & Eugenium IV. diu antè Gregor. XIII. fecisse alijs Regularibus idipsum ius, quod Societati specialiter dedit Gregor. XIII. Accedit, quod hoc privilegium non revocetur per *Trid. sess. 23. de reform. cap.* 1. vbi statuit, Ordines debere celebrari temporibus à iure statutis. Quia (vt arguit La Cruz) Lex generalis non revocat privilegium paucorum, quando de illo saltem in generali non fiat expressa revocatio. His non obstantibus pauci Episcopi possunt induci, vt hanc sententiam in praxi amplectantur.

* 26 *Resp.* 6. Episcopo non licet suos etiam subditos in aliena Diœcesi ordinare, aut alia Pontificalia exercere sine licentia expressa Ordinarij loci. Ita statuitur in *Trid. sess. de reform. cap.* 5. Si secus fiat, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi. *Ratio*: Vt conserventur Diœcesium limites, & cuiusvis Episcopi auctoritas, mutua pax, & tranquillitas.

Resp. 7. De loco Ordinationis intra Diœcesim Concil. Trident. sess. 23. de reform c. 8. ita statuit: *Ordinationes in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis publicè celebrentur. Si autem in alio Diœcesis loco præsente Clero loci, dignior, quantum fieri potest, Ecclesia semper adeatur.* Nota tamen, hoc Statutum non esse vsu receptum, vel contraria consuetudine abrogatum; quia notum est, quod nonnuli Episcopi Ordines conferant, vel in Sacello Curiæ suæ Episcopalis, vel in alio Sacello, sive Templo quocumque.

EXAMEN III.

De Ordinibus Minoribus, in genere, & in specie.

* 1 QUÆRO I. Suscepturi quatuor Minores ex quibus materijs solent examinari, & quam scientiam debent habere? *Resp.* De eorum scientia, seu literatura vide *E. 1. n. 4. R. 2.* Materiæ, ex quibus solent examinari, sunt, quæ hic sequuntur, & quæ specificatæ sunt ibidem R. 3. vsque ad Q. 3. immò præter Catechismum debent scire omnia, quæ hactenus in 1. & 2. Examine dicta sunt de essentia, effectu, subiecto, ætate, ministro, tempore, interstitijs Ordinationum.

* 2 QUÆRO II. Quot sunt Ordines Minores? cur dicuntur Minores? cur non sacri? quæ requisita ad susceptionem? quæ obligationes? *Resp.* 1. Quatuor sunt minores Ordines scilicet *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus.* Dicuntur *Minores*, quia Clericum ponunt in gradu, minori, & ab Eucharistia remotiori, quam Majores. Dicuntur *non sacri*: quia non versantur circa rem sacram, nec habent ad iunctam obligationem continentiæ, vt explicatum est in *E 2. n. 6. R. 8.* vbi etiam patet, an omnes sint Sacramenta. Et in eodem *E. 2. n. 14.* patet, quod ad eos non requiratur titulus Ordinationis, cum ordinati possint redire ad sæculum motu proprio.

* 3 *Resp.* 2. Quodnam sit subiectum capax Ordinum minorum, patet ex Examine præcedenti. Vltra hoc Ordinandus, dum comparet, debet esse tonsuratus, veste talari indutus, & superpelliceo, & habere candelam offerendam, & sufficienter dispositus ad sacram Communionem recipiendam. Ad quam tamen non est obligatio sub mortali; Quia non constat de præcepto. Item prævie debet exhibere testimonium de vita, & moribus, quod potest dari à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua

educantur iuxta *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 5. Et deinde examinari iuxta dicta ex *Trid. in E.* 1. *n.* 1. Et debet esse ab Examinatoribus approbatus.

Resp. 3. Ordines minores ex se non habent specialem obligationem, nisi 1. ad recitandos illos Psalmos, quos Episcopus ordinans iniungit. De quibus vide suprà de Horis Canonicis T. 10. *E.* 5 *n.* 14. 2. *Ad* portandam Clericam, seu habitum, & tonsuram De quo vide loco citato ex T. 7 *E.* 3. *n.* 52. 3. *Ad Horas* Canonicas, si sit Regularis choro addictus, vel habeat Beneficium. 4. *Iuxta Trid. sess.* 23. *c.* 11. tenentur Minoristæ in vno quoque munere iuxta præscriptum Episcopi se exercere, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia Quæri hic posset, an Minoristæ suum Officium exercentes in mortali, paccent mortaliter, sed ad hoc negative patet suprà T. 11. *E.* 4. *n.* 24. ante *R.* 5. Vide etiã in *E.* 1. *n.* 5. R. 5. quæ sint Clericorum privilegia, & *n.* 6. quæ sint eis prohibita? Nunc ad Minores Ordines in particulari suo ordine, quorum primus est

OSTIARIATUS.

* 4 QUÆRO III. Quid censes de eo? eius Officio? materia, & forma? institutione, &c. *Resp.* 1. Ostiariatus definitur sic: Est Ordinatio, vel Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas aperiendi, claudendi, & custodiendi Ecclesiam, nimirum dignos recipiendo, indignos, Apostatas, Hæricos, excommunicatos, &c. repellando. *Nota*, quod quãvis hoc etiam possint facere Laici, non tamen ex officio, sed solum ex commissione. Item canes expellere (puta veros, & physicos) non est officium Ostiarij, sed Sacristæ, vel alterius ad id deputati.

Resp. 2. Officium Ostiarij patet ex data definitione. *Resp.* 3. Materia remota Ostiariatus sunt Claves Ecclesiæ, proxima est traditio eorum; & in hoc imprimitur character. *Resp.* 4. Forma sunt verba Episcopi ordinantis, quæ ad traditionem materiæ profert, nimirum hæc: Sic age, quasi Deo rationẽ redditurus pro his rebus, quæ his clavibus clauduntur. *Resp.* 5. Hic Ordo est à Christo institutus, vel in vltima Cœna: Vel quando dixit: *Ego sum ostiũ*, Vel quando vendentes, & ementes eiecit ex Templo. Secundus Ordo Minor est

LECTORATUS.

* QUÆRO IV. Quid de illo, &c. *Resp.* 1. Definitur sic: Est Ordo Ecclesiasticus, vel Ordinatio, qua confertur potestas spiritualis, Prophetias, & sacras Scripturas, etiam (extra Missam tamen) Evangelium legendi. *Resp.* 2. Officium Lectoris patet ex hac definitione; ad quod etiam spectat, Cathecumenis, seu adultis baptizandis tradere rudimenta Fidei. *Resp.* 3. Materia remota Lectoratus est liber continens sacras Scripturas, nimirum Epistolas, & Prophetias Proxima est traditio libri, & in ea imprimitur character. Si pro materia porrigeretur Breviarium, esset valida Ordinatio, quia continet dictas Scripturas.

Resp. 4. Forma sunt illa verba Episcopi sub traditione prolata: *Accipe, & esto Verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & viriliter Officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt. Resp.* 5. Certum tempus institutionis huius Ordinis non scitur. Potest dici, quod sit à Christo institutus, quando in templo aperto libro legit Lectionem Isaiæ, & postèa tradidit ministro. Tertius Ordo minor est

EXORCISTATUS.

* 6 QUÆRO V. Quid de isto? *Resp.* 1. Definitur sic: Est Ordo Ecclesiasticus, vel ordinatio, qua confertur potestas manus imponendi super energumenos, idest, obsessos à dæmonibus, & super eos legendi exorcismos ad dæmones compescendos, & expellendos. Vnde hæc vox *Exòrcista* significat idem, quod *increpans. Resp.* 2. Officium Exorcistæ patet ex hac definitione. *Resp.* 3. Materia remota huius Ordinis est liber Exorcismorum; Proxima, traditio eius; & in hac imprimitur character. *Resp.* 4. Forma sunt illa verba Episcopi: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos.*

Resp. 5. Christus hunc Ordinem instituit quãdo obsessum à dæmone liberavit, ponens digitos in auriculam eius. *Nota*, dici in definitionibus, *Est Ordo*, vel *Ordinatio*. De quo vide *E.* 2. *n.* 1. R. 3. & 2. Sumitur enim interdum effectus pro causa: Ordo est effectus Ordinationis, quia Ordo est gradus, vel potestas per Ordinationem, seu externam cæremoniam, aut sensibile signum, collatus. Quartus Ordo minor est

ACOLYTHATUS.

* 7 QUÆRO VI. Quid de eo? *Resp.* 1. Sic definitur: Est Ordo Ecclesiasticus, vel Ordinatio, qua datur potestas cereos accedendi, eos ad altare transferendi, & vrceolos Subdiacono pro sacro ministerio porrigendi. *Resp.* 2. Officium Acolythi patet ex definitione; ad quod spectat, quod debeat Diacono, & Subdiacono inservire, vrceolos aqua, & vino plenos Subdiacono porrigendo: à quo servitio dicitur *Acolythus*, quæ vox idem significat, quod *pedissequus*.

* 8 *Resp.* 3. Materia remota huius Ordinis ex duplex; vna Candelabrum, altera Vrceoli vacui: proximæ pariter duplex, nimirum vtriusque traditio, Character imprimitur in traditione Vrceolorum, quia hæc est materia principalis, & circa eam Acolythus habet primarium actum. Cuius *Ratio est*: Quia Vrceoli continent vinum, quod est materia, ex qua conficitur Eucharistia, adeòque actus circa eos, proximius accedit ad Eucharistiam, quam actus circa Candelabrum, vtpotè actus secundarius circa materiam secundariam, & accessoriam, quæ tamen (nimirum Candelabrum) de cõgruitate in tali mynisterio adhibetur. Ex quo colligitur Ratio, cur in Ordinatione Acolythi Vrceoli traddantur ab Episcopo, & Candelabrum ab Archidiacono, nimirum, quia Vrceoli sunt materia primaria, à proprio Ordinis Ministro traddenda.

Estne de essentia, vt tangatur vterque Vrceolus? *Dico*: Valor salvatur, si tangatur vnus. *Estne* necessarium tangere etiam pelviculam, cui Vrceoli insistunt? *Non est*: Quia nullo modo est materia, nec semper adhibetur in Missa.

Resp. 4. Duplici Ordinis huius materiæ duplex correspondet forma. Vna est. *Accipe Ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria*

naris mancipari in nomine Domini. Altera: *Accipe Urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. Resp.* 1. Christus hunc Ordinem instituit, vel in vltima Cœna; Vel quando dixit: Ergo sum lux mundi. *Quæ est* vestis Acolythi? *Est Amictus*, seu humerale tegens humeros, & alba, & cingulum. Quid hæ, & aliæ aliorum ministrorum vestes significent, dicetur postea ad *Q.* 7. *n.* 10.

* 9 *Potestne* Acolythus agere vices Subdiaconi in eius defectu cantando, vel legendo Epistolam? *Potest quidem*, sed non solemniter, & ex officio, idest, non cum manipulo, sed sine eo, & ex commissione, necessitate vrgente.

Potestne Acolythus tangere sacra vasa? *Dico*: Probabilius est, quòd nemo, nisi saltem sit Subdiaconus, audeat contingere sacra vasa, v g. Calices, & Corporalia, &c nisi forte esset justa causa tangendi, qualis esse potest, vt, si in defectu Subdiaconi, Acolythus Sacerdoti privatim præparet Calicem, quod consideratis circunstantijs interdum licitè fieri potest; Cæteroquin non, & ita obtinuit consuetudo, & Ecclesiæ praxis. Idem patet ex stylo Curiæ Romanæ, quæ quibusdam Tonsuratis, & Minoristis interdum dat privilegium tangendi vasa sacra. Nota, quòd Ordines Mendicantium habeant à Sede Apostolica privilegium, vt omnes eorũ Religiosi, etiam Laici, dum in proprijs Ecclesijs ex Superiorum suorum mandato Sacristanos agunt, omnia paramenta, sacra vasa, (puta, in quibus non est Eucharistia) ac Corporalia, &c. reverenter possint tangere, & lavare.

* 10 QUÆRO VII. Quæ sunt, & quid significant vestes ministrorum Ecclesiæ, tàm inferiorum, quàm superiorum, etiam ipsius Episcopi? *Hæc* quæstio ideò hic ponitur, quia consistimus in medio inter Ordines Minores, & Maiores.

Resp. Huic quæstioni satisfacit Ang. Doctor, *hic, q.* 40. *art.* 7. *in corp. dicens*: Vestes ministrorum designant idoneitatem, quæ in eis requiritur ad tractandum divina: & quia quædam sunt, quæ in omnibus requiruntur, & quædam in superioribus, quæ non ita exiguntur in inferioribus: ideò sunt quædam vestes omnibus ministris communes, quædam autem superioribus tantùm. Et ideò omnibus ministris competit amictus humeros tegens, quo significatur fortitudo ad Divina Officia exequenda, quibus mancipantur: & similiter Alba, quę significat puritatem vitæ, & Cingulum, quod significat repressionem carnis: sed Subdiaconus vlteriùs habet manipulum in sinistra, quo significetur exterso minimarum macularum: quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum: ipsi enim primò ad sacra tractanda admittuntur. Habent etiã tunicam strictam, per quam Doctrina Christi significatur: Vnde & in Veteri Lege in ipsa tintinabula pendebant: Subdiaconi enim primò admittuntur ad doctrinam Novę Legis annuntiandam. Sed Diaconus habet amplius stolam in sinistro humero in signum, quod applicatur ad ministerium in ipsis Sacramentis. Et Dalmaticam (quæ est vestis larga, sic dicta, quia in Dalmaticis partibus primò vsus eius fuit) ad designandum, quòd ipse primò dispẽsator Sacramentorum ponitur, ipse enim Sanguinem dispensat, in dispensatione autem largitas requiritur. Sed Sacerdoti in vtroque humero ponitur Stola, vt ostendatur, quòd ei plena potestas dispensandi Sacramenta datur, non vt ministro alterius: & ideò Stola descendit vsque ad inferiora. Habet etiam Casulam, quæ significat charitatem: quia ipse, charitatis conficit Sacramentum, scilicèt Eucharistiam. Sed Episcopis adduntur novem ornamenta suprà Sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirothecæ, annulus, & baculus; Quia novem sunt, quæ ipsi suprà Sacerdotes possunt, scilicèt Clericos ordinare, Virgines benedicere, Basilicas dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, chrisma conficere, vestes, & vasa consecrare. Vel per caligas significatur rectitudo gressuum; Per sandalia, quæ pedes tegunt, contemptus terrenarum; Per succinctorium, quo Stola ligatur cum Alba, amor honestatis; Per tunicam perseverantia, quia Joseph tunicam talarem habuisse legitur, quasi descendentem vsque ad talos, per quos significatur extremitas vitæ; Per dalmaticam largitas in operibus misericordiæ; Per chirotecas cautela in opere; Per Mitram scientia vtriusque Testamenti: vnde, & duo cornua habet; Per baculum cura *Pastoralis*; qua debent colligere vagos, quod significat curvitas in capite baculi: sustentare infirmos, quod ipse stipes signat baculi, & pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi: vnde Versus:

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Per annulum Sacramenta Fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo: Episcopi enim sunt in Ecclesia loco Christi: Sed vlteriùs Archiepiscopi pallium habent in signum privilegiatæ potestatis: significat enim torquem aureum, quam solebant legitimè certantes accipere. *Hæc S. Thom.* Vide plura infrà in hoc *Tract. Exam.* 5. *num.* 46.

EXAMEN IV.

De Ordinibus Maioribus in genere, & in specie de Subdiaconatu, & Diaconatu.

* 1 QUÆRO I. Maioribus Ordinibus, in specie Subdiaconatu, & Diaconatu, intigniendi, quæ debent scire, & ex quibus solent examinari? *Resp.* 1. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 13. *ita statuit*: Subdiaconi, & Diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus probati, ac litteris, & is, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent Deo auctore se continere posse: Ecclesijs, quibus adscribuntur, inserviant, sciantque maximè decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cùm altari ministraverint, Sacram Communionem perceperint. *Hæc ibi.* Debet etiam scire orare Horas Canonicas, vt patebit ex dicendis.

* 2 *Resp.* 2. Materiæ, ex quibus solent examinari, sunt, quæ hic sequuntur, & omnia quæ antè dicta sunt de prima Tonsura, & de 4. *Minoribus.* Cùm enim Ordines hi (de quibus nunc agitur) sint, & dicantur Maiores, ac sacri, & minores in se eminenter contineant, sicut Diaconatus Subdiaconatum, ac Clericum in superiori dignitatis gradu constituant, non solùm Minoristarum scientia, sed & ampliore circa suum officium pollere debent.

Sed

Solent insuper nonnulli Examinatores Subdiaconando proponere quæstiones saltem communiores ex doctrina Fidei, v.g. de Ecclesia. Vide *T. 7. E. 1. n. 28. & seqq.* De Fide divina vide ibidem *n. 1. & seqq.* De Sacramentis, vide *T. 11. E. 1. & seqq.* De Sacramentalibus *T. 13. E. 2. n. 13.* De Censuris in genere, & in specie *T. 14. E. 1.* De irregularitate; De qua habes in eodem Exam. *num. 51. & seqq.*

Præterea Diacono solent vltra præfatas etiam proponi communiores quæstiones de vltimo fine hominis. De quo agitur suprà *T. 3. E. 1. n. 2. & seqq.* De actibus humanis, vide ibidem *n. 8.* De peccatis *T. 4. E. 2.* De Indulgentijs *T. 14. E. 3.* De Legibus *T. 6.* De Præceptis *ibid.* in *E. 2. n. 11.* De Virtutibus in communi *T. 4. E. 1.* De Virtutibus Theologicis *T. 7.* De Baptismo, eius essentia, diuisione, institutione, materia, forma, ministro, subiecto, iterabilitate. De quibus habes in *T. 11. E. 5.* De cognatione spirituali ex Baptismo vide in *T. 16. de Matrim.* Et ex Confirmatione vide ibidem de impedimentis Matrimonij *E. 6. n. 75.*

* 3 *Resp.* 3. Solent etiam Subdiaconando proponi quæstiones in specie ex præcedentibus in hoc *T.* quarum solutiones omnes ibidem in specie habes, vt, Cur dicantur Maiores, & sacri in *E. 2. n. 6.* de requisitis iuxta mox dicenda *n. 35.* De temporibus Ordinationum, suprà in *E. 1.* De interstitijs ibidem *n. 23.* De Titulo mensæ, in *E. 2. n. 14. & 15.* De obligatione ad castitatem, & ad horas Canonicas patebit magis in sequentibus. De horis Canonicis habes suprà in *T. 10. E. 5.* ex quo variæ quæstiones proponi, & solvi possunt. De obligatione deferendi Habitum, & Tonsuram *T. 7. E. 3. n. 52.*

SUBDIACONATUS.

* 4 QUÆRO II. Quid est? quod eius Officium? quæ materia, & forma? quæ obligatio? quod subiectum? quæ vestis? *Resp.* 1. Subdiaconatus sic definitur: Est *Ordo sacer Ecclesiasticus, vel Ordinatio, qua Ordinato datur potestas in altari assistendi Presbytero sacrificanti, ministrando ei Calicem cum vino, & patenam cum hostia, & solemniter legendi Epistolam in Missa.* Vel sic: Est sacer Ordo, vel Ordinatio, per quam traditione Calicis vacui cum patena vacua sub præscripta verborum forma datur potestas ad præfata officia peragenda.

Resp. 2. Officium Subdiaconi patet ex data definitione. Sensus autem est, quòd Calicem cum vino, & patenam cum hostia Sacerdoti ministret saltem mediatè, nimirum mediante Diacono, cui prius ea porrigit. Hinc illa vox *Subdiaconus* idem significat, quòd *Subminister*; proximus enim, & immediatus minister Sacerdotis est Diaconus, post eum est subdiaconus. Spectat etiam ad Subdiaconi officium pallas altaris, & corporalia abluere, panem pro populo consecrandum in altari ponere.

* 5 *Resp.* 3. Materia remota Ordinationis Subdiaconi est duplex. Vna primaria, & principalis, nimirum calix vacuus cum patena vacua superposita; altera minùs principalis, scilicèt liber Epistolarum. Proxima, est vtriusque materiæ traditio. Character imprimitur in traditione primæ materiæ. *Cuius Ratio est*: Quia circa eam habet actum primarium, cùm proximiùs accedat ad confectionem Eucharistiæ. Ex quo fit, quòd ob rationem oppositam, legere, vel cantare Epistolam sit actus minùs principalis Subdiaconi. Vide in *E. 2. n. 6.* cur in primitiva Ecclesia Subdiaconatus non fuerit numeratus inter Ordines sacros. *Colligitur* ex his differentia à materia Sacerdotis Ordinandi; quia illi dantur calix, & patena cum pane, & vino: Subdiacono verò calix vacuus.

Debetne calix cum patena esse consecratus? *Non est de necessitate.* Tum quia id nullo jure præcipitur. *Tum* etiam, quia in calice non consecrato validè (etsi non licitè) fit consecratio Eucharistiæ; Ergo etiam per eius traditionem validè potest ordinari Subdiaconus.

Debetne Ordinandus necessariò tangere calicem, & patenam? *Affirmo*, esse de præcepto graviter obligante iuxta Pontificalis Romani Rubricam, quæ mandat, vt ordinandi inferioribus digitis Calicem tangant, superioribus verò patenam. Si tamen immediatè tangeretur solus calix, & non patena, Ordinatio esset valida, quia patena tangeretur physicè mediatè.

* 6 *Resp.* 4. Duplici materiæ huius Ordinis correspondet duplex forma, nimirum verba Episcopi ordinantis. Primaria, & essentialis est hæc: *Videte, cuiusmodi ministerium vobis tradatur. Ideò vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere possitis.* Forma secundaria ad librum Epistolarum est hæc: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi in Ecclesia Sanctæ Dei, tàm pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Patris, &c.*

Resp. 5. Christus Subdiaconatum instituit in vltima Cœna, quando panem, & vinum consecrandum præparavit.

Resp. 6. Obligationes, quas Subdiaconatus addit super 4. *Minores*, sunt duæ ex institutione Ecclesiæ. Vna est ad perpetuam castitatem, altera ad dicendas horas Canonicas.

Quid si Subdiaconus Religiosus professus, aliunde iam ad horas obligatus, eas omittat, committitne duplex peccatum? *Resp.* Negativè. Est tamen peccatum gravius, & circumstantia in confessione necessario exprimenda. *Quid si* Subdiaconus in mortali ministret, peccatne de novo mortaliter. *Affirmo* probabiliùs iuxta dicta suprà *T. 11. E. 4. n. 24. R. 2.* nisi priùs eliceat cõtritionẽ: confiteri tamen prius, licet sit de consilio non tenetur, vt ibidem patet n. 38. Vnde S. *Thom. hic q. 36. a. 1. in c. ait*: Lex præcipit, vt homo iustè ea, quæ iusta sunt, exequatur. Et ideò quicumque hoc, quod sibi competit ex Ordine, facit indigne, quod iustum est iniustè exequitur, & contra præceptum Legis facit, ac per hæc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat, vnde patet, quod mortaliter peccat. Hæc ibi. Vbi S.D. loquitur de Ordinibus sacris, vt patet ex illis *sacrum officium*. Et ibidem ad 2. ait: *Est de iure naturali, vt homo sancta sanctè pertractet.* Idem habet ibid. ad 4.

Tenetur ne Subdiaconus suum officium exercere ieiunus? *Tenetur* ex congruentia propter reverentiam Sacramenti Eucharistiæ, hinc non peccat mortaliter, si non ieiunus ministret.

* 7 *Resp.* 7. Subiectum huius Ordinis capax, est masculus, baptizatus, confirmatus, non excommunicatus, legitimè natus, non mancipium, prima Tonsura & 4. Minoribus initiatus, annorum viginti, & vnus completè. Ex quibus aliqua sunt de necessitate medij, aliqua de necessitate præcepti, vt patet ex præcedentibus.

Resp.

Resp. 8. Præter vestes alijs ministris Subdiacono inferioribus communes; dantur ei aliæ duæ, scilicet Dalmatica, in qua convenit cum Diacono, & Manipulus in sinistra manu, qui est eius vestis propria, & essentialis. Vbi Nota, quod significatio manipuli pateat suprà *ex S. Thom. in E. 3. n. 21. ad Q. 7.* Vltra hoc dici potest, quod significat patientiam, vel fructum bonorum operum iuxta illud Psalm. 125. *Euntes ibant, & flentes portantes manipulos suos.* Portatur autem in sinistra, quia hæc significat vitam præsentem, in qua debemus patientiam exercere, vt bonorum operum fructus possimus percipere.

Quid si Subdiaconus suo officio fungatur sine vestibus? *Peccat mortaliter*, si id faciat ex contemptu, vel negligentia. *Subdiaconandus* cum qua dispositione, ac veste debet comparere apud Ordinationem? *Resp.* Debet comparere, vt antè examinatus, & approbatus, & vt dispositus ad sacram Communionem, patulam habens Tonsuram, indutus vestibus Acolythi suprà nominatis. Vltra eas debet secum ferre manipulum, eumque tenere sinistra manu: & Dalmaticam super sinistrum brachium gestans, & dextra cereum offerendum.

DIACONATUS.

* 8 Quanta scientia requiratur in Diaconandis, & ex quibus soleant examinari, sufficienter dictum est in hoc E. ad Q. 1. Tenentur etiam scire omnia, quæ Subdiaconi ob rationem ibidem in *R.* 2. datam.

* 9 QUÆRO III. Quid est Diaconatus? quod eius Officium? quæ materia, & forma? quæ obligatio, quod subiectum? quæ vestis? *Resp.* 1. Diaconatus definitur sic: Est Ordo sacer Ecclesiasticus, vel Ordinatio, qua confertur potestas proximè assistendi Presbytero in ministerio altaris, & legendi Evangelium in Missa. *Resp.* 2. Officium Diaconi patet ex data definitione, nimirum Presbytero immediatè ministrare (vnde & hæc vox, *Diaconus*, idem significat, quod minister) hostiam in patena, & vinum in calice ei traddere, Evangelium in Missa legere solemniter, id est, in vestibus Diacono ex vi officij competentibus. Præter hæc duo Diaconi officia sunt adhuc alia, nimirum rudimenta Fidei summatim populo proponere, pro quo tamen Catechismus Concilij Trident. monet, vt id non faciat ex loco superiori, seu ex suggestu, nisi id ei Episcopus permiserit, quia munus prædicandi non competit ei ex officio, sed solum per dispensationem: qua obtenta potest licite publicè prædicare. Item, quia in Ordinatione Diaconi dicitur, *Diaconum oportet baptizare, & prædicare*, Diaconus potest solemniter baptizare ex commissione Episcopi, vel Sacerdotis ei facta ex necessitate vrgente, sic vt fiat minister solemnis, non ordinarius, sed extraordinarius. Quod si faceret solemniter absque commissione, graviter peccaret. Porrò solemniter prædicare est id facere cum stola, & ex cathedra. Dum Diaconus solemniter ex commissione baptizat, debet esse superpelliceo indutus, & stola per transversum posita ad differentiam Sacerdotis. Iterum ex Ecclesiæ Statuto ad Diaconum spectat baptizandos instruere, disponere, vestibus exspoliare, bone Ecclesiæ dispensare, Eleemosynas distribuere, vbi adhuc est in vsu.

In primitiva Ecclesiæ, quando sub vtraque specie communicabatur, Diaconi officium erat Sanguinem Christi dispensare, immò, & in defectu Sacerdotis, & necessitate cogente, Corpus Christi ministrare. Quod etiam de facto adhuc posset in defectu Episcopi, aut Sacerdotis, aut iussu eius in extrema necessitate, vt periculosè infirmus communicet, dato etiam, quod non esset absolutus, nec confessus, dummodo exhibeat specialia contritionis signa, & desiderium sumendi Eucharistiam pro Viatico, & mors vrgeat. Quo tamen in casu cavendum est scandalum, deberque Diaconus ille adhibere testes huius ministrarij fidedignos. Si verò esset casus, quo communicandus esset infirmus Sacerdos, quid agendum patet suprà *T. 12. E. 4. n. 55.* ante *R. 4.*

Potestne Diaconus licite Eucharistiam, seu pixidem, in qua Eucharistia continetur, transferre de loco in locum? *Affirmo*: Quia habet potestatem super Christi Corpus in sacris vasis contentum. Idem probat quotidiana praxis, dum Diaconi pro communione, vel solemni Processione, aùt Venerabilis Sacramenti expositione Ciborium, Monstrantiam, vel lunulam educunt, & Sacerdoti tradunt.

Potestne Diaconus in necessitate, vel iussu Episcopi administrare Sacramentum Pœnitentiæ? *Non potest*: Quia ad id de necessitate requiritur character Sacerdotis. Quod autem possit ministrare Eucharistiam, est disparitas, quia eam non conficit, sed ab alio confectam dispensat: Sacramentum autem Pœnitentiæ deberet ipse conficere. *Potestne* assistere Matrimonio ex commissione Parochi? *Non potest*: Quia *Trid sess. 24. de reform. cap. 7.* committit hoc munus soli Parocho, vel alteri Sacerdoti de eius licentia. Vnde si Diaconus esset Parochus, posset *Potestne* ministrare Extremam-Vnctionem? *Non potest* de quo vide *T. 14. E. 4. n. 151.*

* 10 *Resp.* 3. Materia remota Ordinationis Diaconi est liber Evangeliorum: proxima, traditio eius. Vel dici potest, Materiam eius remotam esse duplicem: vnam essentialem, & de necessitate Sacramenti, nimirum librum Evangeliorum, alteram accidentalem, & integralem, ac de necessitate præcepti, nimirum impositionem manuum. *Debetne* necessario esse liber Evangeliorum? *Sufficit*, si sit alius liber, aliqua tamen Evangelia continens, vel tota Biblia, secus si solum Vetus Testamentum sit, quia in eo non sunt Evangelia: si verò traderetur liber omnino profanus, Ordinatio esset nulla defectu materiæ.

Quid est quod *Act. 6.* Diaconi fuerint ordinati per solam impositionem manuum? *Id contigit* forte ex speciali dispensatione Christi, quiâ enim in exordio nascentis Ecclesiæ nondum erat editus liber Evangeliorum, adhibebatur impositio manuũ. Vel fuit traddita aliqua charta continens doctrinã Evangeliorum.

Resp. 4. Duplici materiæ correspondet duplex forma, nimirum verba Episcopi. Prima, & essentialis est: *Accipe potestatem legendi Evangelium, in Ecclesia, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Altera integralis: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini.* Vide suprà *T. 11. E. 1. n. 6.* de diversitate Ordinationis Diaconi in Ecclesia Latina, & Græca. Item vide infrà in *E. 5. n. 43. R. 3.* de duplici materia presbyterij, & duplici gratia per illud causata, quod dictum etiam hic servit.

* 11 *Resp.* 5. Character Diacono imprimitur

i.

in traditione libri Evangeliorum, non verò in contactu alicuius rei sacræ, pertinentis ad principalem eius actum. *Rationem das* S. Thom. *hic q. 37. a. 5. dicens*: Potestas Diaconi est media inter potestatem Subdiaconi, & Sacerdotis, Sacerdos enim directè habet potestatem super Corpus Christi, Subdiaconus autem super vasa tantum: sed Diaconus super Corpus Christi in vase contentum. Vnde eius non est tangere Corpus Christi, sed portare Corpus in patena, & dispensare Sanguinem cum Calice. Et ideò eius potestas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per datione vasis tantum, nec per datione materiæ: sed exprimitur potestas eius ad actum secundarium tantum in hoc, quod datur ei liber Evangeliorum; & in hac potestate intelligitur alia. Et ideò in ipsa libri datione imprimitur character. *Hæc ibi.*

* 12 *Resp.* 6. Christus Diaconatum instituit in vltima Cœna. *Ratio*: Quia tunc instituit Sacerdotium, ad quod Diaconatus est vltima dispositio, seu proximus gradus. *Resp.* 7. Obligationes Diaconus non habet vltra eas, quæ assignatæ sunt pro Suddiacono; & quæ ex vi officij eius colliguntur. *Resp* 8. Subiectum huius Ordinis describitur, vti de Subdiacono dictum est suprà ad *Q.* 2 *R.* 7. *n.* 7. dummodo addatur, *Et Subdiaconatu initiatus*. Item, *annorum* 22. *completè*.

* 13 *Resp.* 9. Quamvis Diaconus portet omnes vestes Subdiacono communes, cum sit Subdianus, essentialis tamen, & propria eius vestis est Stola à sinistro humero per pectus, & dorsum ad latus dextrum sub brachio dextro ducta. *Quid si* Diaconus sine sua veste fungatur suo officio? *Dicendum* vti antè de Subdiacono, n. 7.

Diaconandus cum qua dispositione, & veste debet comparere apud Ordinationem? *Resp.* sicut de Subdiacono dictum est, hoc solo variato, quod debeat comparere indutus vestibus Subdiaconi, portans Dalmaticam super brachium sinistrum, & Stolam tenes manu sinistra: dextra verò cereum offerendum Episcopo. Quid significent Stola, vide suprà in *E.* 3. *n.* 10. *ad Q.* 7.

* 14 *Quid si* Diaconus actum sui Ordinis exerceat in mortali, peccatne de novo mortaliter? *Affirmo* probabilius iuxta dicta, & probata de Subdiacono in hoc *E. n.* 41. *post R.* 6. & loco ibidem cit. Accedit specialis ratio: Quia si Sacerdos facta iam consecratione Missam non posset perficere, vt si infirmaretur, vel moreretur, Diaconus (si alius Sacerdos non adesset) sumendo propria manu Sanctissimum, deberet absolvere Missam. Vide similia infrà *E.* 7. *n.* 33.

Tenetur ne Diaconus suum Officium exercere? *Tenetur* indubie si alicui Ecclesiæ adscribatur, vt inserviat, quia frustrà est potentia, quæ non reducitur ad actum: sed à mortali communiter quis excusatur, si contemptus, & scandalum desit. *Tenetur ne* officio suo fungi ieiunus? *Dicendum* sicut de Subdiacono dictum est. Si tamen Diaconus iuxta casum ante positum quasi præviderer, vel dubitaret, Missam a se perficiendam esse (quod tamen rarum est) peccaret mortaliter frangendo ieiunium, committendo in peccatum mortale, vel saltem in periculum proximum eius. *Potestne* Diaconus in recitatione Breviarij ante Collectas dicere *Dominus vobiscum*. *Potest*, modo non sit præsens Sacerdos quo præsente non potest, nisi de eius licentia, vt habent Rubricæ.

EXAMEN V.

De Ordine Presbyteratus, sive Sacerdotij.

* 1 QVÆRO I. Presbyterandus quæ debet scire, & ex quibus materijs solet examinari? *Resp.* 1. *Concil. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 14. *ita statuit*: Qui piè, & fideliter in ministerijs ante actis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; atque ita pierate, ac castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Hæc ibi.

* 2 *Resp.* 2. Circa Scientiam Sacerdotis distinguendum est: Habet enim duas functiones. Prima, & præcipua est super Corpus Christi verum, nimirum consecrandi Eucharistiam, seu legendi Missam, sine cura animarum: vnde dicitur *simplex Sacerdos*; id est, non curatus, quales non pauci dantur in Clero tam Sæculari quam Regulari, nec ad prædicandum, nec ad confessionem audientiam applicati, & his sufficit scire ea, quæ spectant ad Sacramentum ritè peragendum, nimirum materiã, formam, intentionem, ac dispositionem requisitam, & defectus, qui occurrere possunt, quæ necessaria sint altari, & similia.

Altera est functio super Corpus Christi mysticum, seu super Fideles, quæ incumbit animarum Curatoribus, Pastoribus, Parochis, Confessarijs, Concionatoribus, qui divina Mysteria, & ea, quæ sunt Fidei, populum docere debent; vnde & (quia nemo dat, quod non habet) ipsimet ea scire tenentur; pro diversitate tamen gregis commissi, tenentur habere scientiam maiorem, vel minorem. Si enim quis simplici populo præsit, sufficit, si possit, vti tenetur, eum in articulis Fidei informare, Decalogum exponere, peccatorum gravitatem explicare, salutaria remedia præscribere, & similia, quæ suum Officium concernunt. Pro quo vide in *T.* 1. proœmiali, *quæst.* 5. vbi plura de hoc dicta sunt.

Requiriturne maior scientia in Sacerdote Regulari quàm Sæculari? *Affirmo*, cæteris paribus; tum quia communiter populus magis, & cum maiori fiducia recurrit ad Religiosos quàm ad suos Parochos, vnde videtur plus de scientia in eis supponere: tum etiam, quia sæpè à Superioribus deputantur non tantùm ad plebeiorum, sed & altioris conditionis hominum confessiones audiendas.

* 3 *Resp.* 3. Materiæ, ex quibus Presbyterandi solent examinari, sunt, quæ hic sequuntur, & omnia, quæ in præcedentibus dicta sunt de Clericatu, & Ordinibus in communi, & in specie de 4. Minoribus, de Sub & Diaconatu. Cùm enim Presbyteratus omnes inferiores Ordines eminenter in se contineat, & eis supereminet dignitate, præ-

eminere etiam debet scientia. Hinc Presbyterandus debet se parare ad Examen ex omnibus materijs antè in *E.* 4. *R.* 2. *& 3. ad quæst.* 1. nominatis.

* 4 *Resp.* 4. Presbyterandus solet specialiter examinari ex *T.* 12. de Eucharistia, vt Sacramentum est, & vt Sacrificium est. Tales quæstiones sunt.

1. *Quid sit* Eucharistia, vt Sacramentum? in quo essentialiter consistat, quod vide in eodem *Tr.* 12. *E.* 1. *n.* 1. *& seqq.* 2. *An sit vnum* Sacramentum, vel plura, vide ibidem *n.* 3. 3. *Quantum*, & quibus sit necessaria eius sumptio, ibidem *n.* 4. 4. *Vbi*, & à quo instituta? ibidem *n.* 5. 5. *Quę* sit materia consecrationis in Missa, qualis panis? an solus triticeus? an ex hordeo, siligine, spelta, farre, an solus azymus? in *E.* 2. *n.* 1. *& seqq.* quale vinum?? *n.* 5. 6. *Quanta* præsentia, & quantitas materiæ requiratur, & sufficiat ad consecrationem, vide *n.* 6. 7. *Quare* vino misceatur parùm aquæ, *n.* 6. 8. *An illa* aqua immediatè convertatur in Sanguinem Christi, *n* 8. 9. *An vna* species possit consecrari sine altera, *num.* 12. 10. *An* in Eucharistia nihil maneat de pane, & vino, in *E.* 3. *n.* 3. 11. *An*, & quando Christus sit præsens in Eucharistia, *E.* 3. *n.* 1. 12. *Quænam* illa sint in Eucharistia ex vi verborum? quæ per concomitantiam, ibid. *n.* 5. 13. *Quid* de casu, quo in Eucharistia miraculosè apparet puer, vel caro, *Ex.* 5. *n.* 57. 14. *Quæ* essentialis forma vtriusque speciei Consecrationis, *E.* 4. *n.* 1. 15. *An* verba formæ proferantur solùm historicè, & pro quo supponant, ibi. *n.* 1. 16. *An prima* forma habeat suum effectum ante alteram, ibid. *R.* 4. 17. *Quis* sit effectus Eucharistiæ Sacramenti, ibid. *n.* 9. 18. *Quotuplex* sit manducatio, vel modus manducandi Eucharistiam, ibid. *n.* 3. 20. *An Angeli* manducent Eucharistiam? ibid. *n.* 14. 21. *Quæ* dispositio requiratur ex parte animæ? an necessariò præmittenda confessio, si quis sit in mortali, præsertim Sacerdoti celebraturo? ibid. *n.* 15. 22. *Quid* si non sit copia Confessarij? ibid. 23. *Quantum* peccatum sit indigna sumptio, ibid. *n.* 19. 24. *Eucharistia* estne peccatori publico, vel occulto deneganda? *n.* 20. 25. *Esne* danda non habentibus vsum rationis? *n.* 24. 26. *Quæ* requiritur dispositio ex parte corporis? an cibus, aut pollutio prævia impediat sumptionem, ibid. *num.* 29. *& seqq.* 27. *An* sit casus, in quibus non jejuno liceat sumere Eucharistiam, *n.* 42. 28. *In qua* ætate obligentur pueri ad Eucharistiam, *n.* 31. 29. *Quid* de Communione Paschali? *n.* 38. *& seqq.* 30. *Quid* de Communione in articulo, vel periculo mortis? *n.* 43. *& seqq.* 31. *An liceat* quotidiè communicare, vel ob vinò à Communione cessare, *n.* 47. *& seqq.* 32. *An* Christus sumpserit suum corpus? an dederit Judæ? *n.* 51. 33. *Quid* si Eucharistia fuisset servata tempore mortis Christi? *n.* 54. 34. *Quis* sit minister Eucharistiæ? an solus Sacerdos? an non & Diaconus, *n.* 55. 35. *Quoties* teneatur Sacerdos celebrare, vide *n.* 58. 36. *An* Missa mali, & boni Sacerdotis sit eiusdem valoris, *n.* 62. 37. *Quomodo* Eucharistia servanda sit in Ecclesijs, etiam Monialium? & quid de lampade? *num.* 63.

De Eucharistia, vt Sacrificio.

38. *Esne* Missa verum Sacrificium? *Ex.* 5. *n.* 1. 39. *An* mors Christi in Cruce, &c. *n.* 2. 40. *Quomodo* differant Sacrificium Crucis, Cœnę, & Missę *in.* 3. 41. *Quis* sit principalis offerens in Missa, *num.* 4. 42. *In qua* actione essentialiter consistat Sacrificiũ Missæ, *n* 5. 43. *Esne* infiniti valoris, *n.* 75. *& 76.* 44. *An liceat* pro vna Missa accipere plura stipendia? *n.* 10. 45. *An* quis possit partem stipendij dare alteri? vt Missam legat, altera parte sibi retenta, ibid. 46. *An liceat* anticipatè dicere Missas pro stipendio futuro, ibid. 47. *An Missæ* pro pluribus oblata æquè prosit singulis, quàm si offerretur pro vno tantùm, *n.* 11. 48. *Quomodo*, & pro quibus Sacerdos debeat applicare Missam? ibid. 49. *Quisnam* ex Missa accipiat maiorem vtilitatem, *n.* 12. 50. *Cuius* auctoritate fiant reductiones Missarum? *n.* 13. 51. *Quos* effectus habeat Missa ex opere operato, *n.* 14. 52. *An sit* vtilius facere legi pro se Missas ante, vel post mortem, *n.* 15.

* 6 QUÆRO II. Quid est Presbyteratus? quod eius Officium? quæ materia, & forma? quæ obligatio? quod subiectum? quę vestis? *Respond.* 1. Presbyteratus sic definitur: *Est Ordo sacer Ecclesiasticus, vel Ordinatio, qua ordinato confertur potestas super Corpus Christi verum* (illud nimirum conficiendi, seu consecrandi) *& super Corpus Christi mysticum*, seu super Fideles remittendi illis peccata. Vide suprà in hoc *T.* *E.* 2. *n.* 1. *R.* 3. definitionem Ordinis in communi, quæ hic facilè, addendo differentiam, potest applicari. Vide ibidem R. 4. quòd Ordo possit dupliciter sumi. Adde quòd quamvis Sacerdotium, & Presbyteratus passim pro eodem sumãtur, in rigore tamen Sacerdotium significat gradũ, ac potestatem, Presbyteratus verò illam actionem, & externam sacram Cæremoniam, qua alicui potestas datur super Corpus Christi verum, & mysticum.

* 7 *Resp.* 2. Duplex potestas Prebyteri, & officium patet ex data definitione. Vna super Corpus Christi verum, altera super mysticum. *Primum* ergo, & principale eius officium est consecrare Corpus, & Sanguinem Domini. 2. *Ministrare* Sacramenta, exceptis Ordine, & Confirmatione, &c. 3. *Ministrare* Sacramentum Pœnitentiæ, solis enim Sacerdotibus data est potestas clavium. Quæ potestas quid sit, & quotuplex, vide suprà in *Tract.* 1. proœmiali, à *q.* 3. vsque ad *q.* 4. Item vide suprà *T.* 13. *E.* 5. *n.* 17. quòd Sacerdos, eo ipso quòd est ordinatus, non possit validè absolvere à peccatis, *Item* vide *T.* 11. *E.* 5. *n.* 9. quomodo officium Presbyteri sit baptizare. 4. *Officium* Sacerdotis est benedicere dona Dei. 5. *Prædicare*, puta, ex commissione, & non ex officio, nisi habeat curam animarum.

* 8 *Resp.* 3. Materia remota Ordinationis Presbyteri, est calix cum vino, & patena cum superposita hostia; *proxima*, est *traditio eius. Vel* dici potest, & debet, materiam remotam Presbyteri esse duplicem; vnam essentialem, quæ modò est assignata; alteram integralem, & hæc est impositio manuum, non quidem illa, quæ statim à principio Ordinationis sit ab Episcopo, & alijs duobus Sacerdotibus; tum quia tunc nulla profertur forma, tum quia aliàs etiam alij duo Sacerdotes cum Episcopo manum imponentes essent ministri huius Ordinis, sed illa Ordinatio, quæ fit in fine Missæ, quando Episcopus super caput Sacerdotis manus *imponit*, & profert verba, seu formam postea assignandam.

Quòd prima sola sit essentialis, est ideo, quia in ea iuxta S. Thom. *hic*, *quæst.* 37. *art.* 5. *in corp.*

imprimitur character, & causatur gratia primaria: quia datur ordinato aliquid, quod ad proprium, & principalem actum Sacerdotis spectat, qui est consecrare Corpus & Sanguinem Christi. Quòd altera saltem sit integralis, patet: quia per eam datur potestas remittendi peccata quæ pertinet ad integritatem Sacerdotij, & character ante impressus (in entitate vnus, & idem manens) ampliatur, & extenditur ad novum effectum, scilicet ad remissionem peccatorum, causaturque novum augmentum gratiæ, seu gratia integralis ad tale munus ritè obeundum. Hoc enim denotant verba illa Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Hinc Trident. Sess. 23. Can. 4. ait: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proindè frustrà Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum, anathema sit.* Idem docet loco ante citato. Ex quo sequitur, quod licet id, quod causat gratiam essentialem, sit Sacramentum, non tamen quod causat integralem. Item licèt vnum Sacramentum causet vnicam gratiam essentialem, benè tamen simul aliam integralem.

Nota, quòd Apostoli Ordinem Sacerdotalem contulerint per solam manuum impositionem, factum est ex Christi dispensatione, qui materiam, & formam huius Sacramenti in specie infima non determinavit. Vide suprà T. 11. E. 1. n. 6. Cur græci Episcopi adhuc validè ordinent suos Presbyteros per solam manuum impositionem absque eo, quòd hæc sit materia essentialiter diversa. Quod ibidem explicatur.

* 9 *Resp.* 4. Duplici materiæ Presbyteratus correspondet duplex forma. Vna est essentialis, nimirum illa verba Episcopi sub traditione Calicis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Dei, Missasque celebrandi, tàm pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* Altera integralis, nimirum illa verba Episcopi sub impositione manuum: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

Ex his sequitur, quòd si Presbytero ordinato non imponerentur manus, esset quidem verus Sacerdos, quia haberet potestatem consecrandi; non tamen esset perfectus Sacerdos, quia ei deesset complementum ad integritatem Sacerdotij requisitum, scilicèt potestas remittendi peccata. E contra si ei manus imponerentur, omissa prima materia, non posset validè absolvere à peccatis: quia potestas in Corpus Christi mysticum essentialiter præsupponit potestatem in Corpus Christi verum, quia per hanc propriè fit Sacerdos.

Esne ipsa hostia necessariò immediatè tangenda? *Sufficit*, immediatè tangere patenam, in qua jacet hostia. *Quid si* hostia immediatè daretur in manus Ordinandi sine contactu patenæ? *Esset quidem* valida ordinatio (quia patena solùm adhibetur ob congruitatem, & traderetur ei, quod per se, & essentialiter requiritur) esset tamen illicita, vpotè contra præceptum Ecclesiæ in re gravi. Idem est de casu, in quo hostia, & vinum alicui traderentur, vt commixta in calice ob eandem rationem.

Quid si immediatè tangeretur solus calix, & non patena? *Ad hoc* patet R. sicut de Subdiacono suprà E. 4. n. 4. *ante* R. 4. *Quid si* vino non esset admixta aqua? *Esset valida* ordinatio. Quia aqua solùm est de necessitate præcepti, non medij. *Quid si* in calice esset quidem vinum, sed non hostia, vel è contra? *Esset* Ordinatio dubia, & sub conditione iteranda. *Deberne* calix necessariò esse consecratus? Idem est de patena. *Ad hoc* patet R. sicut de Subdiacono suprà dictum est. *Quid si* vnus Episcopus traderet materiam, & alter pronunciaret formam? *Esset* invalida Ordinatio, vtramque enim idem Minister præstare debet.

* 10 *Resp.* 5. Christus Dominus Sacerdotium instituit in vltima Cœna. *Ratio*: Quia tunc Apostolos fecit Sacerdotes. *Resp.* 6. Obligationes vltra eas, quas diximus habere Minoristas, & Subdiaconum, ac præter obligationem ad castitatem, & ad horas Canonicas, colliguntur ex assignatis officijs Sacerdotis. Et plures habet Sacerdos curatus ratione officij curæ animarum, quam Sacerdos simplex. Vti ex se patet. *Resp.* 7. Subiectum huius Ordinis describitur vti de Subdiacono dictum est E. 4. n. 7. dummodo addatur, *& Diaconatu insignitus.* Item annorum 24. completè.

* 11 *Resp* 8. Vestes sex Sacerdoti assignantur, nimirum 4. inferioribus Ministris communis. 1. *Amictus*, seu humerale. 2. *Alba*. 3. *Cingulum*. 4. *Manipulus*. 5. *Stola* per crucem ante pectus accomodata, vel (pro diversitate Ministerij) vtrinque æqualiter deorsum pendens. 6. *Casula*, seu planeta. Quæ duæ posteriores sunt propriæ vestes Sacerdotis, nulli alteri ministro convenientes.

Nota: Sacerdos celebraturus aptans Stolam in modum Crucis, debet prius eam ducere à sinistro ad dextrum latus; prius enim fuit Diaconus quam Sacerdos. Albam induens debet primo vestire brachium dextrum, tam quia videtur id esse connaturalius; tum quia non sinistra sed dextra manus Christi creditur prius fuisse cruci affixa.

Presbyteratûs cum qua dispositione, & veste debet comparere apud Ordinationem *Eo modo* quo de Subdiacono dictum est, hoc variato, quod debeat esse indutus vt Diaconus, nimirum amictu, alba, cingulo, manipulo, & stola per transversum, insuper super sinistrum brachium portans casulam, seu planetam complicatam, gestans etiam candelam, & conferens albam mappulam pro ligandis manibus.

* 12 *Præfatas sex vestes*, habentne aliquam mysticam significationem? *Habent moralem*, seu quæ ad vitæ, ac morum reformationem refertur, vt explicatum est ex *S. Thom. in E. 3. n. 10. ad Q. 7.* Habent insuper Mysticam ex Passione Christi: Nam 1. amictus, seu humerale significat illud velamen, quo Judæi velabant faciem Christi, dicentes: *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit?* 2. Alba, quæ est vestis linea, & candida, significat illam vestem, qua Christum indutum illusit Herodes. 3. *Cingulum*, seu Zona significat vincula, quibus Christus in horto fuit ligatus. 4. *Manipulus* à lævo brachio dependés significant illud ligamen, quo Christus columnæ fuit alligatus. Porrò ponitur à parte sinistra, ideò, quia si poneretur in dextra, esset Sacerdoti impedimento, dum formar cruces. 5. *Stola*, quam Sacerdos circa collum coniungit, & illud ligat, significat illud ligamen, qua Christus in baiulatione Crucis erat collo adstrictus. 6. *Casula* significat vestem purpuream, qua Christus in domo Pilati fuit indutus. Vel, vt alij volunt, Tunicam Christi inconsutilem.

* 13 *Licetne Sacerdoti* in aliquo casu celebrare sine sacris vestibus? *In nullo casu licet*, immò ne quidem

dem ex metu mortis, ita vt Sacerdos celebret solum indutus suis communibus, & vsualibus vestibus, sed esset grave peccatum propter gravem irreverentiam divino Sacrificio irrogatam. In casu necessitatis omittere vnam, vel alteram ex minoribus vestibus, vt cingulum, vel manipulum, non esset mortale. Si fieret ex inadvertentia, esset mortale, vel veniale pro quantitate materiæ. Vide suprà *T.* 12. *E.* 7. *n.* 14. vbi ad 3. dictum fuit, quod ne quidem liceat ad dandum Viaticum moribundo.

* 14. *Licetne Sacerdoti* celebrare cum capitegio, seu pileolo, vel cum berruca, seu ficto capillitio? *Non licèt.* Nam dist. 1. de Consecr. sic habetur: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari assistere. Et qui temerè præsumpserit, Communione privetur.* Item sacra Congregatio sub Vrbano VIII. ita statuit: Nemo audeat vti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine.

Hinc, & vsus berrucæ, seu ficti capillitij sub Missa illicitus est, quia berruca substituta est loco pileoli. Excipitur, nisi adsit (specialis licentia, quam defacto dat solus Papa, vel manifesta necessitas (si ad Papam non sit accessus) judicio viri prudentis, & Episcopi sufficiens judicata, vt, calvities, senectus, capitis debilitas, aut deformitas, &c. Vel tandem consuetudo legitimè præscripta, quæ etiam alias Leges humanas abrogare potest. Hinc legitur, quòd in Regno Chinensi (vbi juxta morem gentis caput detegere, est signum irreverentiæ) tota Missa à Sacerdote celebretur velato capite. Verùmtamen Pius V. omnem tollere volens scrupulum dedit ad id facultatem. Extra hos tres casus vsus berrucæ sub Missa potest ratione contemptus, vel scandali esse peccatum mortale, etsi secundùm se præcisè solùm veniale esset. *Nota*, quod Clerici, præsertim Sacerdotes, vtentes berruca (quæ debet esse moderata, & modesta) debeant in ea portare tonsuram, seu coronulam; tanquam signum Status Clericalis: eo ferè modo, quo eam tenentur portare in cappillitio naturali, de quo suprà.

Quæri hic posset 1. An, & qualis in Sacerdote requiratur intentio ad celebrandem Missam, vel alia Sacramenta conficienda. Sed de hoc vide suprà in *T.* 11. *de Sacram.* in communi. *Item* an ante Missam teneatur prius dicere Matutinas. De quo vide suprà *Tract.* 10. *Exam.* 5. *num.* 6. *de Horis Canonicis.*

EXAMEN VI.

De Missa eius definitione, pro quibus possit legi, quo tempore, quo loco, cum quibus sacris vasis. Quæ & qualis legenda, quod stipendium pro ea?

* 1 QUÆRO I. Quid est Missa, vel Eucharistia, vt Sacrificium? Missa vnde sic dicta? Quid Missa sicca? *Resp.* 1. Missa, seu Sacrificium Missæ, vel Eucaristia, vt Sacrificium sic definitur: Est *Sacrificium Novæ Legis in quo incruente immolatur Christus.* Hæc definitio explicata est suprà *T.* 12. *E.* 5. *n.* 1. Definitionem Sacrificij, vt sic vide in *T.* 10. de Religione *E.* 2. *n.* 9.

Resp. 2. Hæc vox *Missa* derivatur, vel ab Hebræo *Missac*, quod significat idem ac spontanea oblatio, vel à latino, *mitto*, sicque sensus est quod Deus suamum donum, & reconciliationis hostiam, scilicèt Filium suum nobis mittat, & nos ei vicissim remittamus. De quo vide infrà in *Exam.* 7. *num.* 19. *Ite Missa est*, quid significet.

* 2 *Resp.* 3. Missa instituta est à Christo in vltima Cœna, cum dixit Discipulis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tunc enim Christus posuit totam Missæ essentiam, in consecratione consistentem, licèt alia ad solemnitatem, & cæremonias spectantia à Summis Pontificibus sint addita. *Nota*, tres esse principales Missæ partes. Prima est *Præparatio*, quæ se extendit vsque ad Offertorium exclusivè. 2. Est *Obiatio*, quæ est ab Offertorio vsque ad Communionem inclusivè. 3. Est *gratiarum actio* à Communione vsque ad finem.

* 3 *Resp.* 4. Missa sicca, quæ deficiente privilegio quondam consuevit fieri in longa navigatione) sic dicitur, quia fiebat sine Consecratione, attamen à Sacerdote sacris vestibus induto in altari legebantur reliqua totius Missæ: sed non est propriè Missa, nec Sacrificium, nec vllus, etsi commodè posset, tenebatur ei interesse. Solent etiam pueruli facere Missas siccas, quam pietatem si faciant sine sacris vasis, & vestibus, & absque pronunciatione formæ Consecrationis, & sine irreverentia, ac irrisione sacri cultus Eucharistici, potest eis permitti.

SUBIECTUM CAPAX FRUCTUS Missæ.

* 4 QUÆRO II. Pro quibus potest offerri Sacrificium Missæ? *Resp.* 1. Trid. *Sess.* 22. *de Sacrif. Missæ, cap.* 2. *definit*, quod non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur. Hinc offerri potest pro omnibus Fidelibus, etiam peccatoribus, quibus tamen aliter prodest quàm justis: his enim prodest per modum satisfactorij, illis verò per modum expiativi à culpa, impetrando gratiam contritionis. Vide suprà de effectibus Sacrificij Eucharistici, *T* 12. *E.* 5. *num.* 14.

Resp. 2. Sacrificium non potest propriè offerri pro Sanctis quasi pro eorum salute, sed in honorem eorum. Vnde Trident. *Sess.* 22. *cap.* 3. *ita decernit*: Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Vnde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victorijs gratias agens eorum patrocinia implorat: vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris. *Hæc ibi.* Hinc hoc Sacrificium Beatis prodest ad gloriam accidentalem.

* 5 *Resp.* 3. Sacrificium Missæ non potest offerri pro damnatis. *Ratio*: Quia in Inferno nulla est redemptio, nec pœnæ, vel culpæ remissio, nec pœnitentiæ impetratio, cum damnati in malo sint obstinati, & inflexibiles. Ergo. Hinc, si vera est histo-

historia, quòd Traxanus precibus S.Gregorij fuerit ex Inferno redemptus, dicendum est, quod non fuerit simpliciter ad infernum damnatus, sed ad tempus ibi punitus,& detentus, damnationis sententia ob prævisas S.Gregorij preces suspensa,quarum intuitu fuit resuscitatus, baptizatus, & egit pœnitentiam. Ita S.Thom. *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 2.

* 6 *Resp.* 4. Non licèt hoc Sacrificium directè offerre pro excommunicatis maiori excommunicatione, præsertim nomine Ecclesiæ,& Christi,si sint nominatim denuntiati, aut publici percussores Clericorum. *Ratio*: Tum quia Ecclesia ita statuit in cap. *à nobis* 38. *de sentent. excom.*Tum etiam,quia de ratione excommunicationis maioris est, quòd privet communibus Ecclesiæ suffragijs, inter quæ huius Sacrificij oblatio præcipuum tenet locum.

Dixi 1. *directè*. Cùm enim Ecclesia Missam directè offert pro Fidei propagatione, & Ecclesiæ augmento, indirectè eam offert pro illis excommunicatis, vti & pro Paganis, & Hæreticis,vt convertantur, quorum Conversio Ecclesiam auget. Dixi 2. *nomine Ecclesiæ,& Christi*; Quia validè, & licitè potest Sacerdos pro illis in Missa orare nomine proprio, meritaliter tamen, & non per orationes communes, quas dicit nomine Ecclesiæ. Quia excommunicatio maior non privat precibus privatis, sed orationibus,& suffragijs communibus, ac indulgentijs; quæ efferuntur nomine totius Ecclesiæ.

Nota, quòd Ecclesia in die Parasceves pro omnibus etiam infidelibus,& excommunicatis hoc Sacrificium offerat, sed Sacerdoti, vt personæ particulari, aliàs id non licèt, nisi in seculo explicato.

* 7 *Resp.* 5. Si sint excommunicati, non nominatim denuntiati, & cum quibus ex Concilij Constantiensis indulto licitè possumus communicare, potest Sacerdos licitè pro eis orare, ac sacrificare nomine Christi,& Ecclesiæ. *Ratio*:Tum quia Concilium Constantiense generaliter permisit cum illis communicare *in quibuscumque Divinis*. Tum etiam, quia cum alijs admittuntur ad audiendum Sacrum, in quo Sacerdos in *Memento* orat pro omnibus circumstantibus dicens: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium, &c*

Ex quo sequitur, quòd etiam directè liceat offerre hoc sacrificium pro conversione hæreticorum nostrorum, quia non sunt excommunicati nominatim denuntiati. Et quamvis non sint capaces fructus sacrificij quoad satisfactionem pœnæ debitæ, benè tamen quoad impetrationem auxiliorũ, quibus ad conversionem se disponant: suntque membra Christi per Baptismum, & Characterem, licèt non per fidem, & charitatem. Nec adest respectu eorum prohibitio Ecclesiæ, immò permissio, vt dictum est.

* 8 *Resp.*6. Pro infidelibus, seu pro non baptizatis licitum est hoc sacrificium offerre saltem indirectè, in sensu antè explicato. *Ratio*: Quia Sacrificium Crucis se non extendit latiùs, quàm Sacrificium Missæ, præsertim si nulla adsit prohibitio Ecclesiæ, quia ex parte rei oblatæ sunt idem,& hoc est commemorativum illius: sed Sacrificium Crucis fuit oblatum etiam pro infidelibus, & non adest prohibitio Ecclesiæ, quòd Missa pro eis nõ debeat offerri. Ergo saltem indirectè,&c. Confirmatur: Licèt Infideles non sint membra Christi actu per Baptismum saltem,& characterem (in quo differunt ab Hæreticis, de quibus antè) sunt tamen membra in potentia, in quo differunt à parvulis sine baptismo mortuis, & alijs damnatis: S. Thomas autem illa verba S.Augustini, lib. 1. de anim. & eius origin. *Quis offerat Sacrificium, nisi pro ijs, qui sunt membra Christi*, explicat de membris actu, vel potentia. Ergo.

Resp. 7. Pro Catechumenis, tàm vivis, quàm defunctis Sacrificium offerri potest, iisque prodest quoad fructum impetrationis. *Ratio*: Licèt non sint perfectè membra Christi, & Ecclesiæ per Baptismũ in re susceptum, pertinent tamen ad Ecclesiam, per fidem, & in voto saltem, ac desiderio sicut Novitij ad Religionem, & possunt per Baptismum flaminis in gratia decedere. Ergo.

* 9 QUÆRO II. Quid censes de more celebrandi *Requiem*, seu Officium funebre, vel Exequias pro vivis, valetne? *Ratio dubitandi est*: Quia legitur de Viris sanctis,vt B.Alberto Mag.&c.quòd talia in vivis pro se fieri curaverint; dicturque mos ille vigere in Lotharingia, sic tamen, vt Collecta, v.g. *Absolve*, vel *Inclina*, mortuum significans, vivo non applicetur.

Resp. Probabiliùs non licere, quidquid sit de illa consuetudine Lotharingiæ, abolenda merito, ac de illis Sanctis, qui indubiè aliam habuerunt intentionem, vel sententiam sibi visam probabilem secuti sunt. *Ratio* 1. Non est in facultate Sacerdotis, privata sua intentione mutare intentionem Ecclesiæ: sed intentio Ecclesiæ est, vt Officium funebre, ac Missa de *Requiem* dicatur pro mortuis: ad hunc enim finem illas Collectas, & preces facit. Ergo inutiliter applicantur vivis.

Ratio 2. Ex opposita sententia sequitur, effectum, seu fructum talis sacrificij debere suspendi vsque post mortem illius, pro quo offertur: quia ille effectus est liberatio à Purgatorio,quæ non potest fieri nisi post mortem. *Subsumo*: sed non potest suspendi. Ergo. *Min. prob.* Sermo hic esse debet de fructu sacrificij ex opere operato:Sed is, si subiectũ sit capax,causatur infallibiliter; si incapax, nullatenùscausatur.Ergo nõ suspenditur.Vel si sermo sit de effectibus ex opere operantis causatis ex precibus, & suffragijs Ecclesiæ, clarè patet, quòd illæ preces significent solos mortuos, adeòque ad eos solos debeant referri. Hinc qui sibi in vita vult benefacere per Missas, faciat eas, prout occurrunt, legi pro sua beata morte, & pro remissione pœnæ temporalis sibi luendæ; ea enim remissa in hac vita citiùs libera bitur è Purgatorio. Quòd etiam meliùs sit, facere sibi legi Missas in vita, quàm post mortem, vide suprà *T.* 11. *E.* 5. *n.* 15.

TEMPUS CELEBRATIONIS.

* 10 QUÆRO III. Quid de illo tenes? *Resp.* 1. Regulariter Missa debet celebrari de die,& non in nocte. Ita S.Thom. 3 *p.q.*83 *art.* 2. *ad* 4. *Ratio ibidem*: Quia ipse Christus est præsens in hoc Sacramento, qui dicit Joan.9 *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est.*

Resp. 2. Principium diei non debet hic accipi à media nocte, nec etiam ab ortu Solis,ideſt,quando substantia Solis apparet super terrãm, sed quando incipit apparere aurora. S. Thom. *ibidem. Rationem dat*: Tunc enim quodammodo dicitur Sol oriri

tus, in quantum claritas radiorum eius apparet. Vndè, & *Marc.* 16. dicitur, quod Mulieres venerunt ad monumentum orto iam Sole; cùm tamen venerint, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum, vt dicitur *Ioan.* 20. sic enim hanc contrarietatem solvit Sanct. Augustinus *in Lib. de consensu Evang.* Ergo.

* 11 *Resp.* 3. Ordinariè non licet incipere Missã ante initium auroræ, quod etiam vocatur diluculum, vel diei crepusculum, vel prima lucis irradiatio. *Ratio*: Quia ordinarie, seu regulariter ante hoc tempus in hominibus non est dispositio ad Missæ confectionem, vel auditionem requisita. *Nota* Initium diei non esse taxandum physici, vel mathematicè, sed moraliter; non enim consistit in indivisibili, nec omni tempore anni est æquale, salvaturque in præsenti illud: *Quod parum distat, nihil distare videtur.* Vnde non est illicitum media hora, immò amplius prævenire, etiam sine licentia Episcopi, præsertim ex causa, aut necessitate, *v. g.* ratione itineris, aut ob communicandum infirmum morti proximum, vel, vt laboraturi audiant Missam, vbi attendenda est consuetudo loci. Quorundam etiam Ordinum Religiosi ex speciali Privilegio, adhuc vigente possunt tempus illud ad duas horas anticipare.

* 12 *Resp.* 4. Interstitium temporis, intra quod Missa debet legi, taxatur à diluculo vsque ad meridiem; ita vt mortaliter peccaret Sacerdos ordinariè, seu communiter, & secluso privilegio celebrans post meridiem. *Ratio*: Tum quia homines scandalizarentur: Tum etiam, quia Episcopi graviter animadverunt in eos, qui contrarium præsumunt. Nota: Si Missa ante meridiem esset incepta, posset post eam terminari.

Dixi 1. in R. 3 *communiter, seu ordinariè celebrat*, ad excipiendum casum rationabilis causæ, *v. g.* si in festo solemni Missa solemnis, & Concio duraret post duas horas meridiei, potest finito Officio solemni adhuc dici Missa privata, ne aliqui Missã omittant. *Item* in festo ratione itineris, dummodo non excedatur tempus vnius horæ. Item in aliquo particulari casu ex licentia Episcopi. Dixi 2. *secluso privilegio*; Religiosi enim habent privilegium, vt possint ex rationabili causa celebrare vsque ad nonam inclusivè, id est, vsque ad 3. horas post meridiem. Hæc privilegia adducit noster de la Cruz *l.* 2. *c.* 5. *dub.* 6. Ex his colligitur, quod non amplius valeat consuetudo celebrandi Missam regulariter post meridiem, quæ vigebat tempore S. Thomæ, vt patet ex *cit. art.* 2. in fine corp.

* 13 *Resp.* 5. Regulariter, seu ordinariè in Ecclesia quotidie offertur hoc Sacramentum. Ita S. D. ibidem in corp. *Rationem dat*: Quia fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus. Vnde & Dominus nos petere docet *Luc.* 11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quod exponens Augustin. de Verbis Domini, dicit: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit. *Hæc ibi.* Pro horum intelligentia videantur, quæ dicta sunt suprà T. 12. *E.* 4. *n.* 47. de Communione quotidiana. Quoties quilibet Sacerdos teneatur saltem in anno sacrificare, vt peccatum mortale evadat, vide ibid. *n.* 58. Dixi in R. 5. *regulariter*, propter Parascevem, quæ excipitur, vt mox dicetur.

* 14 QUÆRO IV. Quid sentis de celebratione in Cœna Domini, Parasceve, & Sabbatho sancto? *Resp.* 1. In feria quinta Cœnæ Domini præter solemnem possunt licitè celebrari Missæ privatæ, secluso scandalo, quod forte in aliquo casu possint oriri, vbi non scitur id licere. *Ratio*: Quia nullibi extat Lex vetans, aut consuetudo vim Legis habẽs. Hinc multi prudentes, & timorati viri illo die sine scrupulo privatim celebrant; attendenda quoad hoc est consuetudo loci.

Resp. 2. Defacto ob specialem Ecclesiæ prohibitionem ab Innoc. 1. in Cant. *Sabbato, de Consecrat.* dist. 3. factam, mortaliter peccaret Sacerdos in die Parasceves celebrando Missam, sive privatam, sive solemnem. *Ratio congruentiæ*, cur eo die non celebretur Missa, est, quam dat *S. Thom. a.* 2. *cit.* ad 2. *dicens*: Veniente veritate cessat figura, hoc autem Sacramentum est figura quædam, & exemplum Dominicæ Passionis: & ideò in die, qua ipsa Passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius Sacramenti. *Subdit*: Ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, Corpus Christi consecratum in die præcedenti, reservatur sumendum in illo die; non autem Sanguis propter periculum, & quia Sanguis specialius est imago Dominic. Passionis. *Hæc S. D.*

Quid si quod festum de præcepto caderet in Parascevem, nonne tunc est celebranda Missa, vt audiatur à populo? Vel estne obligatio loco Missæ interessendi consuetæ cæremoniæ? *Ad hoc* patet R. suprà T. 12. *E.* 5. *n.* 6.

Licetne saltem Fidelibus eo die communicare? *Affirmo*: Non enim est lex Ecclesiæ id prohibens, quia in *cit. Can.* solum prohibetur, ne eo die Sacramenta celebrentur. Et quidem de sacra Communione infirmis danda, *non est difficultas*: Cum bene valentibus autem non deberet practicari sine iusta causa: quæ esse potest interdum in quibusdam Plebeis, & Rusticis, qui non habent occasionem quovis die sumendi eo tempore Communionem Paschalem.

* 15 *Resp.* 3. Olim ad expressiorem mortis, & sepulturæ Christi repræsentationem, *nec in* Sabbatho sancto dicebatur Missa, sed differebatur vsque ad mediam noctem, & initium Dominicæ diei Resurrectionis: nunc verò Ecclesiæ consuetudo est, vt in illo Sabbatho celebretur vna Missa solemnis, Resurrectionis Dominicæ solemnitatem, antemeridiano Sabbathi sancti tempore, inchoando. Missa privata eo die non debet legi, nisi fortè in casu aliquo particulari ex vrgente, & rationabili causa, & secluso scandalo.

Qualis autem Missa in eo particulari casu esset legenda? *Dico*, neutiquam esse legendam Missam festi Resurrectionis, sed vel Votivam de B. V. aut alio Sancto, vel Missam eiusdem Sabbathi (quæ aliàs est solemnis) præmittendo Introitum Missæ festi Resurrectionis, quia proprium Introitum non habet, nec alius in Missali est præscriptus, sicut cæteroquin præscribitur in Sabbatho Pentecostes pro Missis privatis.

* 16 QUÆRO V. Licetne eidem Sacerdoti sæpius celebrare in vno die? *Resp.* Secundum ius commune, & ordinarium citrà peccatum mortale non licet alicui in vno die celebrare pluries, quam semel. Ita *c. sufficit de Consecrat.* dist. 1. & S. Thom. cit. art. 2. ad 5. *Ratio Congruentiæ* S. D. est:

est: Quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit; & valde felix est, qui vnam Missam dignè celebrare potest.

Dixi, *secundum ius commune*: Quia ex singulari indulto Innocentij III. in Natali Domini tres Missæ celebrantur ad significandam triplicem Christi Nativitatem. Quarum vna (vt explicat *S. D. vbi subra* 3 *p. q.* 2. *ad* 2.) est æterna, quæ quantum ad nos est occulta. Et ideò vna Missa cantatur in Nocte, in cuius Introitu dicitur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, vt dicitur 2. *Petr.* 1. Et propter hoc cantatur Missa in *Aurora*: In cuius Introitu dicitur: Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Nativitas Christi temporalis, & corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex vtero Virginali carne indutus, & ob hoc cantatur Missa tertia in clara luce, in cuius Introitu dicitur: Puer natus est nobis. Hæc S. Thom. fusius ibidem explicat.

Licetne in Nocte Nativitatis Christi continuatim statim legere omnes 3. Missas? *Probabilius* R. non licere, & contrarium abusum omninò abrogandum esse. *Ratio* patet tum ex praxi Ecclesiæ obtinere vim Legis: Tum quia in sola prima Missa præscribitur esse legendum *Communicantes*, & *Noctem sacra ipsimam celebrantes*, in duabus reliquis verò, & *diem sacratissimum celebrantes*. Nec obstat, quod summus Pontifex in c. *Nocte sancta*, inquiat, Sacerdotes in nocte Nativitatis Christi posse Missas celebrare, loquens in plurali: loquitur enim de pluribus Sacerdotibus, quorum quilibet primam Missam de nocte celebrare possit. *Nota* tamen, quod prima Missa licitè possit inchoari statim à medio noctis, vt etiam patet ex praxi. *Item* quod circa initium auroræ eiusdem festi omnes tres Missæ licitè possint continuò, seu mox consequenter ab aliquo legi.

* 17 *Nonne plures sunt casus*, in quibus quis potest sæpius celebrare in vno die? Ante R. supponuntur duo. 1. *Quod* Sacerdos pluries celebraturus debeat manere ieiunus, & ablutionem non sumere nisi in vltima Missa. 2. *Quod*, vt liceat, debeat esse casus, in quo non possit alius Sacerdos haberi, qui velit celebrare. His suppositis.

Affirmo. Primus casus est qui ab omnibus admittitur, & de facto ex Sacerdotum defectu adhuc in vsu est, maximè in Missionibus, ac Missionarijs Angliæ, Sveciæ, &c. si nimirum vnus Sacerdos præsit pluribus Ecclesijs, seu Parochijs, potest in diebus festis celebrare tot Missas, quot habet Ecclesias; Quia necessitas Legem non habet. In diebus autem ferialibus debet in Parochijs alternare. Si tamen iam esset introducta consuetudo, etiam in illis diebus sæpius celebrandi, potest servari: secus, introduci non debet absque concessione Prælati. *Nota hic* de die Cœnæ Domini, & Paraskeves, quod in dicto casu hostia sit consecranda in Ecclesia principali, & ibi solemnitas perficienda, debeatque Fideles alterius Ecclesiæ ad istam accedere. Si verò ambæ Ecclesiæ sint æquales, Officium in ijs annuatim alternetur.

Secundus adduci potest casus, quando nimirum in aliquo festo solemni est tantus populi confluxus, vt Ecclesia eum non capiat: sed in eo casu probabilius videtur licere extra Ecclesiam celebrare in alteri portatili, vt totus populus Missam audiat. Si verò non sit commoditas celebrandi extra Ecclesiam, idem Sacerdos potest bis celebrare, ne populus tanto spirituali solatio privetur.

Solent adhuc plures adduci casus, vt 1. *casus* sepulturæ. 2. *adventus* personæ potentis, *v.g.* Episcopi, quem, vt dicitur c. *quoniam*, *de privileg.* in 6. decet quotidie audire Missam. 3. *ob* peregrinos in festo. 4. *si in* eodem die sint duæ Missæ, vna festi, altera Vigiliæ, Rogationum, vel Defunctorum, vt insinuat S. Thom. cit. a. 2. *Item* 5. si nuptiæ sint benedicendæ. 6. *si infirmus* sit communicandus, & non adsit hostia consecrata. Verum in his casibus non est vrgens sufficiens necessitas. Non enim inconveniens est, vt Episcopus defectu celebrantis omittat audire Missam, immò si dies festus sit, ipsemet in eo casu celebrare tenetur, si possit: Nec est inconveniens, quod defunctus sepeliatur sine Missa. Et sic de cæteris. *In vltimo* tamen casu si Sacerdos celebrans post consecrationem moneatur, potest particulam suæ hostiæ in eum vsum servare. Nullatenus autem sit tam simplex, vel malitiosus, vt solum panem incontinenti pro infirmo consecret: sufficit enim illi Eucharistiam sumere in voto, si aliter non possit.

LOCUS CELEBRATIONIS.

* 18 QUÆRO VI. Quid de illo? *Resp.* 1. Concil. Trident. postquam Sess. 22. in Decreto de Sacrificio Missæ sic statuerat: *Vt irreverentia vitetur; singuli* (Episcopi) *in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminique præterea, qui publicè, & notoriè criminosus sit, aut sancto Altari ministrare, aut sacris interesse permittant.* Subdit: *Neve patiantur privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* Hæc ibi.

Resp. 2. Angel. Doct. 3. *p. q.* 83. *a.* 3. *ad* 1. *sic ait*. Regulariter hoc Sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia, secundum illud 1. *Timoth.* 3. vt sciat, quomodo oporteat te in domo Dei conversari; quæ est Ecclesia Dei vivi. *Ratio* huius est maior reverentia huius Sacramenti, & devotio Fidelium. Vide infrà in hoc E. n. 62. in Notab. ante R. ad Q. 9. cur Ecclesia soleat consecrari.

Dixi, *regulariter*, seu ordinariè: Quia excipitur 1. casus licentiæ datæ ab Episcopo, qui etsi olim ante *Trid.* libere, & absque necessitate potuerit, nūc vero solum in casu necessitatis potest concedere, vt celebretur in loco extra Ecclesiam, honesto tamen, & decenti, etsi aliàs profano.

Excipitur 2. *casus* necessitatis, vtpotè Legem non habentis, ac tantæ, vt licentia ab Episcopo commodè peti non possit. Talis est casus: 1. *Si Catholicis* ex hæreticorum persecutione non permittatur in domo aliqua Divina celebrare, sed sub dio. 2. *Si* Ecclesia populum non capiat. 3. *In bello* celebrare in tentorio, vel sub dio in defectu Ecclesiæ. 4. *Pro* dando Viatico defectu Ecclesiæ licet celebrare in domo privata. Concurrunt enim hic duo præcepta, vnum de non celebrando in tali loco, alterum de Viatico, quod secundum videtur esse altioris Ordinis. Ergo primum debet ei cedere. 5. *In longo itinere*, vbi templa non occurrunt, vt itinerantes audiant Missam. 6. *Tempore* pestilentiæ ad evadendum periculum pestis, quæ facilius contrahi-

tur,

tur, dum populus in templo congregatur. Extra similes casus extra Ecclesiam celebrare, est peccatum mortale *Nota*, quod licèt iure communi antiquo non licuerit (excepto casu necessitatis) celebrare, nisi in Ecclesijs ab Episcopo consecratis, nunc tamen ordinariè licet in Ecclesijs, aut Oratorijs tantum benedictis, aut etiam non benedictis, deputatis tamen tantum cultui divino, vt patet ex *Trid. cit.*

* 19 *Licetne celebrare* in flumine, vel mari? *Dico*: Non licèt propter periculum effusionis sanguinis ex agitatione navis, præter quam quòd in flumine non sit tanta necessitas, quia non est tam amplum, vt non possit declinari ad ripam, in quo differt à mari. Legitur tamen quòd Lusitani in praxim deduxerint, quòd celebrent in mari cessante periculo, seu mari tranquillo, quod navigationis periti judicare debent. Et ita concessisse refertur Clemens VIII. vti & Paulus V.

Quid sentis de Privilegio Prædicatoribus, & Minoribus concesso, vi cuius eis licebat celebrare in altari portatili in loco deceati, & honesto extra Ecclesiam, & Monasterium in cameris Sæcularium? *Dico* 1. Certum esse, quod non sit revocatum quoad loca, infirmarias, grangias, (puta, *granaria, seu prædia*) & Oratoria ipsorum Monasteriorum, sed in ijs adhuc possunt sine licentia Episcopi ex rationabili causa erigere aram cum suis requisitis, & celebrare. *Ratio*: Quia Concilium prohibet, ne Missæ etiam à Regularibus celebrentur omnino extra Ecclesiam, & in domibus privatis; sed Oratoria, & altaria portatilia in grangijs, & infirmarijs Religiosorum erecta non censentur esse omnino extra Ecclesiam, quia iuxta DD. communiter nomine Ecclesiæ intelliguntur etiam monasteria. Ergo. Idem privilegium habent Religiosi à variis Pontificibus.

Dico 2. Probabilius videtur, quòd Tridentin. derogaverit dicto privilegio quoad privatas domos sæcularium, & extra Monasteria, ita vt sine Episcopi licentia eis non liceat ibi celebrare. *Ratio*: Quia Concil. (cuius verba in *R.* 1. *ad Q.* 6. sunt relata) expressè mandat Episcopis, vt non patiantur à Religiosis ibi celebrari. Ergo Religiosis id prohibet. Ergo eorum privilegio derogat. Et hæc sententia fervit ad conservandam pacem inter Episcopos, & Regulares, estque tutior, & practicè probabilior. Hinc magis subtilis, quàm vera est illa quorundam DD. explicatio, quòd nimirum Religiosis id adhuc liceat, vsquedum Episcopi id prohibeant, cùm Concilium dicat: *Non patiantur Episcopi*. Sed quid opus est expectare prohibitionem Episcopi, cum adsit prohibitio Tridentini? indubiè enim prohibet, quod pati non vult, vt fiat.

* 20 QUÆRO VII. Licetne celebrare in Ecclesia violata, seu polluta, & in quibus casibus illa violatur? *Ante* R. *nota*, Ecclesiam polliui, vel violari, nihil aliud esse, quàm in ea exerceri certas quasdam actiones turpes, indecentes, ac loco sacro injuriosas posteà nominandas: Etsi enim sacra à profanis, & turpibus physicè, & reipsa maculari nequeant, benè tamen in morali hominum æstimatione. Quo notato,

Resp. 1. Per se loquendo mortaliter peccat, qui in Ecclesia violata celebrat: Non tamen incurrit aliquam censuram, vel irregularitatem. *Ratio* 1. p. Morali Fidelium existimatione valdè indecens judicatur, immaculatam Hostiam, & divinum Officium offerre in loco sceleribus contaminato, antequam fiat aliqua expurgatio, quia *domum* Dei decet Sanctitudo. Ergo. 2. *Pars* ex eo constat, quia nihil tale in iure invenitur.

Dixi, *per se loquendo*; Quia licitum est 1. *ex* privilegio, si quod habeatur 2. *Cum* licentia Episcopi. 3. *Ex* necessitate, vt patet ex S. Thom. *cit. q* 83. *art.* 3. *in c.* Vbi tamen requiritur consensum Episcopi; quod intelligitur, si necessitas non sit evidens; si verò evidens sit, toties à fortiori licèt, quoties licèt celebrare extra locum sacrum, quia primum adhuc est decentius.

* 21 *Resp.* 2. Sex in jure casus sunt, in quibus Ecclesia polluitur: vti sequuntur: *Primus* est homicidium voluntarium, & injuriosum intra Ecclesiam perpetratum quocumque *modo*, sive per occisionem, sive per suffocationem, etiam sui ipsius, quod sit publicum, & notorium. Hinc 1. *Ecclesia* non violatur, si homicidium sit casuale, vel factum ab amente, ebrio, vel puero. 2. *Nec si* quis pro defensione sui occidat aggressorem, quia non est homicidium injuriosum. 3. *Nec si* quis extra Ecclesiam vulneratus, aut percussus, in ea moriatur. 4. *Ad Ecclesiæ* violationem non necessariò requiritur effusio sanguinis, sed sufficit, quòd ex percussione intra Ecclesiam facta sequatur mors in eadem. 5. *Si quis* existens in Ecclesia occidat, vel vulneret existentem extrà, non violatur, benè tamen si extra existens occidat eum, qui est in Ecclesia. 6. *Si Judex* reum suspendat in Ecclesia, violatur, quia est occisio injuriosa loco sacro. 7. *Si quis* pro Fide in Ecclesia occidatur, seu martyrizetur, verior opinio est, quòd polluatur; quamvis enim (vt discurrit noster Conradus) ipsa Ecclesia sanctificetur ex passiva effusione talis sanguinis, polluitur tamen ex effusione activa. Nam sceleratius est occidere virum sanctum, quàm pravum.

Dixi 1. *in Ecclesia, vel intra eam*, si enim occisus existebat in tecto, vel turri, vel in spelunca terræ, Ecclesia non violatur. Dixi 2. *publicum, & notorium*, sive juris, sive facti notitia, vt habet communis sententia.

* 22 *Secundus casus* est effusio humani sanguinis publica, seu notoria (vt dictum ante de homicidio, & mortaliter peccaminosa, ac in magna quantitate. Explicant hoc benè Ledesma, & La Cruz sic: Non violatur Ecclesia per effusionem sanguinis in propriam defensionem, aut purè casualem, aut naturalem, vt cùm è naribus effluit; aut medicinalem, vt cùm quis in Ecclesia minuitur. Et idem est de effusione proprij sanguinis, nam si culpabiliter, & mortaliter effundis tuum sanguinem in Ecclesia, violatur: secùs si te flagellãdo pro peccatis, aut casualiter, aut aliter licitè. Et vt Ecclesia violetur, non est necesse, vt sanguis cadat in solo Ecclesiæ. Nam etsi recipiatur in vase, aut accepto vulnere statim exeas ab Ecclesia, violatur. Nec est necesse, quòd percussor sit in Ecclesia: nam si extra Ecclesiam existens percutis existentem in Ecclesia, violatur: secus si existens in Ecclesia percutis existentem extra Ecclesiam.

* 23 *Tertius casus* est voluntaria, ac notoria pollutio, seu effusio humani seminis, sive cum, sive sine complice. Idem est de coitu. Si verò conjuges ex causa diutiùs in Ecclesia morentur, & coniugio debitè vtantur, Ecclesia non polluitur, vti nec, si sit parva distillatio seminis, licèt sit mortalis; vel si eius effusio sit involuntaria, vel fiat in tecto, campani-

panilli, crypta, &c. Vt Ecclesia violetur, non est opus, quòd à semine effuso, contingatur, quia violatio sequitur ex injuria loco sacro facta.

Nota hic ex Engel in Collegio Juris Canonici, quæ fuerit Ratio Ecclesiæ statuentis, quòd Ecclesia potiùs violetur per humani sanguinis, & seminis effusionem, quàm per alia delicta, v.g. blasphemiam, furtum, sacrilegium, perjurium, &c. Est ergo hæc ratio; quia hæc duo crimina, scilicèt sanguinis, & seminis effusionem; præ cæteris vitijs semper sacræ paginæ à ministerio divino excluserunt: effusionem quidem sanguinis, quod contrarietur mansuetudini Christi, qui nullius sanguinem, sed suum innocentissimum pro nobis effudit: effusionem autem seminis, quia contrariatur immaculatæ Hostiæ, & Virgineæ Proli.

* 24 *Quartus casus* est sepultura alicuius excommunicati, puta (post Conc. Constantiense) non tolerati, seu vitandi, vt si publicè, ac non inatim sit denuntiatus, vel notorius Clerici percussor, per eam violatur Ecclesia, sive sit consecrata, sive solum benedicta. *Quintus* est sepultura hominis infidelis, seu non baptizati, etiam infantis, si tamen sit extra matris vterum; si enim adhuc sit in illo, tanquam pars matris reputatur, & cum ea licitè sepeliri potest in Ecclesia, absque eo, quod illa violetur. Porrò si quis infidelis, seu non baptizatus in Ecclesia sepeliretur, antequam sacra in ea fiant, & antequã Catholicus in ea sepeliatur, debet cadaver (si ab alijs discerni possit) prius exhumari, & Ecclesia, vel Cœmenterium reconciliari.

* 25 *Sextus casus* est, si Ecclesiæ partes comburantur, aut ita destruantur, vt necesse sit eam de novo reædificare, saltem quad maiorem partem. In quo tamen casu non est propriè violatio Ecclesiæ, sed consecrationis deperditio, quæ proinde Ecclesia reædificata non est reconciliandа, sed de novo consecrandа. Si ruat solum tectum, & parietes maneant integri, consecratio non amittitur, quia illa propriè sit, & versatur circa parietes. Si Ecclesia non sit consecrata, sed solum benedicta, non perditur benedictio per hoc, quod ruant parietes: quia benedictio versatur circa solum, seu terram, qua durante, durat, & illa. *Nota*, quod si cœmeterium sit Ecclesiæ contiguum, polluta illa, polluatur & illud: quia accessorium sequitur suum principale, non autem à converso. Si ei contiguum non sit, tunc Ecclesia polluta, cœmeterium non polluitur.

* 26 QUURO VIII. Quis Ecclesiam polluta potest reconciliare? *Resp.* Ex discursu nostri Conradi, qui sic habet: Loquendo de Ecclesia consecrata, potest eam reconciliare Episcopus, non tamen simplex Sacerdos, nisi excommissione Papæ, aqua prius per Episcopum benedicta, vt ait S. *Antonin. 3. p. tit. 12. cap. 6. §. 5.* ac Sylvester verb. *Consecratio Ecclesiæ*, §. 8. Si verò Ecclesia non erat consecrata, poterit reconciliari per simplicem Sacerdotem cum simplici aqua benedicta, non autem cũ aqua benedicta vino, & cinere mixta, cum qua Episcopus reconciliat Ecclesiam consecratam, vt præfati DD. inquiunt ibidem. Verum ex Privilegio Julij II. possunt Generales, & Provinciales, eorumque vices gerentes Ordinis Minorum libere Ecclesias, Cœmeteria, Oratoria, & Capitula eorum solemni benedictione benedicere, ac illas, seu illa, quomodocumque pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit, aqua tamen prius per aliquem Catholicum Episcopum, vt moris est, benedicta reconciliare, &c. Et idem concedit Leo X. quod quidem Privilegiorũ est etiam in nostro Privilegium libro; & quod possunt Fratres Minores, possunt etiam, qui sunt Ordinis nostri Prædicatorum.

* 27 *Quid si* reconciliatio Ecclesiæ tam citò commodè non possit fieri, possetne Episcopus dispensare, vt in ea liceat divina peragere? *Dico*: Si Divina ad interim possunt peragi in aliquo Oratorio cum altari portatili, non potest; sin minus, posset in casu necessitatis, sicut in alijs necessitatibus pro spirituali, vel temporali damno evitando in iure positivo dispensare potest. Dicta necessitas dispensandi facilius vrgere potest in casu sepulturæ.

Quid faciet Sacerdos, si Ecclesia violetur inter celebrandum? *Dico*: Si Canon iam sit inceptus, prosequatur Missam; secus, omittat reliqua: Quia Canone incepto Sacrificium censetur aliquo modo inchoatum, quia hostia iam est parata ad Consecrationem. Ergo non debet relinqui imperfectum.

Quid si Sacerdos bona fide celebraret in Ecclesia violata, nonne per hanc celebrationem censeretur reconciliata? *Dico*: Turius, & probabilius est, quod non, sed debet adhuc specialiter reconciliari. *Ratio*: Tum quia id ex nullo iure constat: *nam* 1. *de fabrica, de consecrat. dist.* 1. quod solet obijci, in quo dicitur, aliquando totius consecrationis sanctificationem per Missarum solemnitatem impleri: illud, in quam, non loquitur de hoc casu; sed de illo, quando parietes per partes reficiuntur, & innovantur. Tum etiam, quia alias etiam sufficeret Missa mala fide secta: sed hæc non sufficit. Ergo nec illa. *Prob. mai* Quia falsum est, quod ignorantia Sacerdotis, in Ecclesia violata celebrantis, vim aliquam tribuat reconciliationi eius. Ergo. *Confirm.* Si ex dispensatione Episcopi (de qua autè) Sacerdos celebraret in Ecclesia violata, per hoc non reconciliaretur. Ergo nec, &c.

* 28 *Quid si* Catholici electis Hæreticis recipiant aliquam Ecclesiam olim ritè consecratam, sed Hæretici hactenus in ea peregerunt sua exercitia, in ea sepulti sunt, vel ea vsi sunt adversus prophanos, vel ad reponenda ibi stramina, animalia, &c. instar diversorij, stetitque absque tecto ianuis, &c. debetne solemniter ab Episcopo reconciliari? *Dico*: non esse necessarium, quia ex nullo iure constat, Ecclesiam, vel altare violari per exercitium hæreticum, immò non violari colligitur ex c. *Ecclesia, de consecrat. dist.* 1. Hinc sufficit, quod Episcopus visitet, & inspiciat altaria an sint fracta, & ipsam Ecclesiam, & altaria aqua benedicta aspergendo simplici benedictione reconciliet, vel Sacerdoti committat reconciliandam. Si verò esset necessarium in tali Ecclesia celebrandi ante hanc Episcopi visitationem, debet adhiberi Altare portatile securitatis causa.

Quid verò si Catholici recipient aliquam Ecclesiam ab Infidelibus, v.g. Turcis? *Dico* debere fieri prout ante dictum est ad quintum casum n. 21.

Quid si Ecclesia fuisset ab ipsis Infidelibus edificata, v.g. Moschea à Turcis, Synagoga à Judæis? *Dico*, debere corpora Infidelium effici, cadi parietes, & lignea, & cum consecrata nunquam fuerit, consecrari.

* * * * * * * *

Vestes,

VESTES, SACRA VASA, ET ALIA AD Missam requisita.

* 29 QUÆRO IX. Quid de his censes? Ante R. nota, quod, cur in rebus (quæ in vsum huius Sacramenti veniunt) adhibeantur consecrationes, hæc sit ratio (*vt ait S. Thom. 3. p. q. 83 cit. a. 3.*) Ecclesia, & alia huiusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui, vt scilicet homines deuotionem quandam exinde percipiant, vt sint paratiores ad diuina, &c. Et inde est, quod huiusmodi ante consecrationem emundantur, & exorcizantur, vt exinde virtus inimici pellatur. Hæc S. Doctor. Hoc notato.

Resp. 1. Vestes, quibus Sacerdos celebraturus debet esse indutus, patent ex præcedentibus. Sunt namque amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, & planeta, seu casula. Omnes hæ vestes (idem est de Pluviali, & Dalmaticis) sunt benedicendæ, eo quod specialiter pro tam sacro ministerio sint deputatæ. Vnde & dicuntur vestes sacræ. *Quomodo* sacræ vestes suam benedictionem amittunt? *Amittunt eam*, si ita rumpantur, aut lacerentur, vt prior forma artificialis in eis non amplius appareat, nec seruire amplius possint illi functioni, ad quam sacræ sunt.

Licetne stola vti pro manipulo, vel è contra? *Licet in* casu necessitatis, si commodè possit adaptari. *Effetne* peccatum celebrare in vestibus non benedictis? *Effet* de se mortale ex cap. *vestimenta, de consecrat. dist.* 1. puta, si fieret absque grui necessitate. Hæc enim excusat in præsenti, quia Leges humanæ etiam Ecclesiasticę censentur in ea non obligare. Posset etiam celebrans extra casum necessitatis excusari à mortali ob parvitatem materiæ, vt si celebraret cum cingulo, aut manipulo non benedicto.

Peccaretne Sacerdos vtendo in Missa vestibus sordidis, seu immundis, ac laceris? *Affirmo*, si essent notabiliter tales: vt patet ex cit. cap. *Vestimenta*. *Effetne* peccatum ex genere suo mortale, sacris vestibus vti ad profanos vsus? *Affirmo*, propter irreverentiam, quæ fit consecrationi. Hinc in cit. cap. dicitur, quòd alijs vsibus seruire non debeant, quàm Ecclesiasticis. Hinc nec licèt eis vti in comœdijs, etiam sacris, & in loco sacro. Verumtamen ex vestibus profanis licere facere sacros, praxis quotidiana docet.

Peccatum? qui nudis pedibus celebrat? *Esset* aliqua indecentia, sed non mortalis. *Nota*, non licere Sacerdoti, vestes dum se induit, sumere de altari pro celebratione Missarum, cùm id competat tantùm Episcopis, sive solemniter, sive privatim celebrent; inferioribus verò habentibus vsum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant. Ita decrevit Sacra Congregatio, & hoc decretum roboravit Vrbanus VIII.

* 30 *Resp.* 2. Plura sunt requisita ad apparatum Ecclesiasticum pro facienda Missa. Et sunt vt sequuntur *Requiritur* 1. *Altare* consecratum ab Episcopo, vel Abbate, aut alio privilegiato: altare, inquam, vel firmum, seu stabile, vel portatile, seu viaticum. De hoc S. Thom. *art.* 3. sæpius citato dicit *ad* 2. Per altare significatur ipse Christus. Vndè & consecratio altaris significat sanctitatem Christi. *Et ad* 8. *ibidem* docet, quòd mortaliter peccaret Sacerdos consecrando absque altari, calice, & corporali consecratis, & cæteris huiusmodi per Ecclesiam institutis.

Nota, Altare censeri violatum: 1. *Quando* mensa ex ormiter frangitur. 2. *Quando* lapis superior separatur ab inferiori. 3. *Quando* frangitur ipsum sygillum sepulchri, id est, loculus, in quo sunt sacræ reliquiæ. 4. *Quando* ex quocumque capite altare amittit suam formam.

Requiritur 2. Ornatus altaris: hoc enim debet habere tres mappas lineas, quas etiam decet esse benedictas. Si vna sit duplicata, sufficit pro duobus. Item debet habere pallium, id est, antipēdium pro decentia: quod tamen si ob paupertatem Ecclesię non adhiberetur, non esset peccatum. Debet adesse Crux, etiam probabiliùs loquendo in tali altari, cuius imago repræsentat Crucem, vel Crucifixum. Quia Rubrica præscribit, quòd Crux debeat collocari inter candelabra. Crux ergo nō debet esse nimis alta, sed obseruari oculis Sacerdotis celebrantis. Debent adesse candelabra, & candelæ accensæ, quæ debent esse ceræ. In necessitate celebrare cum lucerna olei, aut cum vno lumine, non est mortale.

Quanta est obligatio adhibere lumen in Missa? *Est sub mortali*, vt patet ex vniversali consuetudine Ecclesiæ. *Quid judicas* de casu, quo quis non vult audire Missam nisi orto Sole, vel cum certo cereorum numero, ordine, & situ, vel à tali Sacerdote, qui vocatur Joannes, vel habet staturam Christi? *Est superstitio*, quia ex se est cultus inanis, & ad elevandam in Deum mentem inutilis. Hac in re simplicitas, & ignorantia petentis potest à mortali excusare.

* 30 *Requiritur* 3. Minister saltem vnus in Missis privatis (in solemnibus duo) qui vinum, & aquam celebraturo porrigat, eique nomine totius populi respondeat. Debet autem esse mas, non fœmina, vt, vt patet ex cap. *inhibendum*. Et præstat in casu necessitatis Missam dicere sine ministro quàm fœmina ministrante. Legitur, quòd in quibusdam locis Moniales clausuram non habentes Sacerdotibus in earum Ecclesia celebrantibus ministrent, & in Belgio scientibus Episcopis apud Moniales puellæ 10. vel 12. annorum ad id instructę. Transeat hoc. Permitti saltem potest, vt fœmina, vel Monialis in defectu alterius Ministri à longè respondeat, non tamen, vt immediatè, & proximè Sacerdoti ministret.

Requiritur 4. Sub mortali calix cum patena ab Episcopo, vel à simplici Sacerdote, ex commissione Papæ consecratus. De hoc S. Thom. 3 p. q. 83. *cit. art.* 3 *ad* 6. *sic discurris*. Quondam Sacerdote nō aureis, sed ligneis calicibus vtebantur, Zepherinus autem Papa patenis vitreis Missam celebrari constituit: deindè Vrbanus omnia fecit argentea. Postmodum autem statutum est, vt Calix Domini cum patena, sive ex auro omnino, sive ex argento fiat, vel saltem stanneus calix habeatur. De ære autem, aut ex aurichalco non fiat, quia hoc vini virtute æruginem parit, pariterque vomitū provocat: nullus autem in ligneo, seu vitreo calice præsumat Missam cantare: quia scilicèt lignum porosum est, & Sanguis consecratus in eo remaneret: vitrum autem fragile est, & posset fractionis periculum imminere, & eadem ratio est de lapide. Ex ideò propter reverentiam Sacramenti statutum est, vt ex prædictis materijs calix fiat. Hæc ibi.

Requiritur 5. Corporale, de quo S. Thom. *ibid. ad* 7. *sic ait*: Corporale fit de panno lineo, quo Corpus Christi fuit involutum. Vnde in Epistola Sylvestri Papæ in eadem distinctione legitur: Consulto omnium statuimus, vt sacrificium altaris, non in serico panno, aut in tincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo cõsecrato, sicut Corpus Christi in sindone linea, & munda sepultum fuit. Competit etiam pannus lineus propter sui munditiam ad significandam conscientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur ad significandam Christi Passionem. Hæc ibi.

Requiritur 6. Palla etiam ex lineo, & purificatorium lineum, in cuius defectu posset adhiberi strophiolum, quod tamen posteà ex decentia non esset amplius adhibendum ad tergendas nares. Tandem requiritur Missale, &c.

QUALITAS MISSÆ LEGENDÆ.

* 31 QUÆRO X. Quid de ea sentis? *Ante R. nota*: Missam, seu sacrum aliud esse votivũ, aliud de tempore, vel de festo. *Missa* votiva est, quæcunque ex voto, vel desiderio petentis, vel arbitrio Sacerdotis legitur alio die, quàm Rubricæ præscribant. *Missa* de tempore, vel festo est, quæ legitur eo die, quo Rubricæ Missalis præscribunt. Et hæc iterùm, vel est privata, vel solemnis cum cantu, vel etiam cum ministris; & est aliquando conventualis, eo quod maior pars Conventus, vel Cleri, vel populi ad eam conveniat.

Resp. 1. Quæ, & qualis Missa quovis die sit legenda, debet quilibet Sacerdos scire ex Missali quo vtitur. Certum enim est, quòd *per se loquendo*, seu ordinariè legenda sit Missa, quæ eo die in Missali præscribitur. Vnde nostrum Missale ita statuit: *Missa quotidie celebrari debet secundum ordinem officij, de quo sit illo die.* Ratio: Quia Rubricæ frustrà non sunt factæ, sed vt serventur.

Resp. 2. Potest interdum graviter peccari, ordinem dierum, & Missarum in Missali præscriptarum non servando, præsertim si Missæ Conventuales à Missali discrepent, vt si quis in Paschate celebraret de *Requiem*, vel ex proprio capritio quotidie Missam votivam. Ratio: Tum quia potest oriri grave scandalum. Tum quia saltem consuetudo introduxit maiorem obligationem circa Missas Conventuales, quàm circa privatas. Immò in cap. *quidam*, *de celebr. Miss.* præcipitur, vt in Ecclesijs Cathedralibus, & Conventualibus in Communitate dicatur Missa diei, quæ proindè cadit sub gravi obligatione ex fine perfectę observationis Ritus Ecclesiæ, Nota, maximè incumbere Superioribus Ecclesiarum, Capitulorum, Conventuum, eorumque vices gerentibus, & Cantoribus, &c. curare, vt omnia ritè observentur.

* 32 *Resp.* 3. De Missis Votivis, & de *Requiem* nostrum Missale sic statuit: Pro Missis privatis non solum Missæ pro defunctis, sed etiam quæcumque Missæ votivæ approbatæ possunt indifferenter dici (præterquam in festo duplici, & suprà, & Dominica, vel Octava solemnissima, vel die octava solemnis Octavę, & infrà totam octavam Epiphaniæ, & in *Feria* 4. Cinerum) cum memoria tamen eius, de quo factum est officium, & alia memoria, vel memorijs, si quæ occurrerint: id autem passim non fiat, vt quoad fieri potest, Missa cum Officio concordet. Si Missa solemnis Votiva propter gravi, vel publica Ecclesiæ causa in suprà dictis diebus exceptis petatur, poterit etiam dici cum vna oratione tantum, modo altera etiam (nimirum solemnis Missa) dicatur de illis festis, vel diebus. Prærerquam tamen in Dominica prima Advertus, *Feria* 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominicis Resurrectionis, & Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini Epiphaniæ, & Ascensionis, & festo Corporis Christi, in quibus diebus sola propria Missa dici potest. *Hac ex Missali.*

Dicitur in hac Rubrica, quod possint dici *Missæ Votivæ approbatæ*, & sunt, quæ habentur in fine Missalis, quibus in nostro Missali præmittitur hæc Rubrica: *Missæ sequentes votivæ dici poterunt infra hebdomadam iuxta populi devotionem, quando festũ duplex, aut suprà non occurrit, secundum ritum tamen dici, de quo fit Officium.* Qui ritus describitur in prima Missa votiva, quæ est de SS. Trinitate, nimirum quando in ea debeat dici *Gloria*, *Credo*, *Alleluya*, *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*. Quod ibi videatur. Plures Missæ votivæ in nostro Missali sunt approbatæ, vt patet inspicienti; quia diversæ sunt Missæ, post quas notatur hæc Rubrica: *Quando per annum ex voto, vel devotione de hoc Sancto celebratur Officium, fiat sic*, &c. Vbi videre est in festo SS. Angelorum Custodum, Item Sanctorum canonizatorum Ordinis nostri, nimirum S. Raymudi de Pennafort, S. Thomæ Aquin S. Vincentij, B. Agnetis de monte Politiano, S. Petri Mart. S. Cathalinæ Senensis, S. Antonini, S. Hyacinthi, & S. Ludovici Bertrandi.

* 33 *Quid si petatur* Missa votiva de aliquo Sancto, de quo in Missali non est nisi Missa festi, nec alia Rubrica, v. g. de S. Josepho, S. Antonio Paduano, & alijs, &c. *Potest dici* Missa Festi sic tamen, vt si in ea occurrant hæc, vel similia verba, *Cuius Natalitia*, aut *Nativitas*, &c. loco eorum dicantur, *Cuius commemoratio*, *memoria*, *veneratio*, &c. Vel si infertum sit ly *hodie*, omittatur. *Nota*, si petatur Missa ex Festis B. V. extra illa eius festa, vel si petatur de Pentecoste, de Festo Corporis Christi, de Passione Domini, lengatur Votivæ suis locis notatæ, non verò Missa festi. *Potestne* dici Missa votiva de quovis Sancto Canonizato? *Affirmo*: Quia Ecclesia de eo concessit publicum cultum. *Nota*, si sit Beatus, seu non Canonizatus, eius Missa non potest dici extra Natalem eius.

* 34 *Valetne* Statutum, vt quotidiè fiat Sacrum de B. V. præsertim per vnicum Sacerdotem, vt quotidie eam Missam celebret? *Ad* 1 *Quæsiti partem* affirmo, posse Statuto, consuetudine, vel Fundatoris voluntate constitui, vt præter Missam principalem de festo occurrente celebretur altera Votiva in festo quantumvis solemni de B. V. etiam in certo altari ad cultum Deiparæ amplificandum, vel conservandum. Et ita practicatur in Cathedrali Ecclesia Constantiensi quotidie dictis Matutinis, ita vt nec in Paschate omittatur. Nec hanc praxim improbat Pius V. in Missali dicens: *Si fiat Officium duplex, vel semiduplex, Missam principalem oportere esse de die*, quia illis verbis satis indicat, quod altera minus principalis, etiam in festo duplici possit esse Votiva. *Ad* 2. Quæsiti partem R. quod statuto, vel consuetudine non possit induci obligatio vt vnus, idemque Sacerdos quotidie celebret etiam de B. V. Quia saltem vnus dies ob humanas infirmitates

tates debet Sacerdoti relinqui vacuus. Et ita patet ex C. *Significantum, de præbendis.*

* 35 *Teneturne* Sacerdos in die Animarum Missam offerre pro omnibus defunctis in genere? *Dico*, consultum esse, vt fiat ita, & practicetur: vnde & Ecclesia in ea Missa facit Collectam pro omnibus defunctis in communi: Præceptum tamen nō est, adeoque ad libitum applicari potest. *Ratio* Quia hoc præceptum nullibi extat. *Quid si Sacerdos* in Missa de *Requiem* omittat Sequentiam *Dies iræ*, &c. peccatne? *Peccat* solum venialiter, quia eam omittendo Missa propriè non mutilatur, quia simpliciter non est pars integralis Missæ. Immò nec venialiter peccat, dum Rubrica dicit, quod possit dici pro arbitrio Sacerdotis; præcipuè si eam omittat ex causa.

* 36 *Qui ex fundatione* tenetur certo die, vel quotidie legere *Requiem*, teneturne in conscientia etiam in festis solemnibus? *Non tenetur*, sed melius facit in festis solemnibus, *v. g.* Duplicibus, ac Dominicis, vti & in Feriis privilegiatis, id est, quibus festa duplicia cedunt, vti sunt feriæ Hebdomadæ sanctæ, Paschatis, Pentecostes, &c. si legat Missam de die. *Ratio*: Tum quia prudenter præsumere potest, quod Fundator noluerit tales dies includere. Tum etiam, quia Sacerdos melius facit conformādo se vniversali Ritui Ecclesiæ, quæ in Rubrica statuit, tunc potius non debere legi Missam de *Requiem*, quam non sat rationabili voluntati fundatoris, vel alterius petentis Missam votivam obsecundari, quia satisfit intentioni petentis rationabili, seu iuxta regulas prudentiæ.

Nota tamen, quod, vt refert Gavantus, sacra Congregatio bis declaraverit, posse tolerari Missas de *Requiem* in duplici, vt satisfiat voluntati Fundatorum. Hæc tamen consuetudo quantum ad festa solemnia, non est facilè introducenda, vbi introducta nō est. Qua in re minor difficultas est de festo quod est Chori tantum, in quo etiam potest legi ad instantiam petentis, vt satisfiat eius devotioni erga defunctos, si ex denegatione valde turbaretur. Dixi, *in duplici*: Quia de Semiduplici, vel Simplici nō est tanta difficultas, cum enim ex rationabili causa in eis possint dici Missæ votivæ, potest etiam fundator (cuius dispositio est habenda pro lege) facere fundationem, vt in illis legatur *Requiem*.

* 37 *Possuntne* in festo Duplici Chori, in qua potest celebrari solemne *Requiem*, *v. g.* in die Depositionis, Tertio, Septimo, Trigesimo, etiam legi Missæ privatæ de *Requiem*? *Possunt*: Quia Ecclesia videtur hos dies specialiter instituisse pro suffragio, & solatio defunctorum, adeoque Rubrica huic institutioni cedit. Et ita fert praxis.

Quid si alicubi sit consuetudo, vt etiam in festis de præcepto, vel in Dominica celebretur Missa solemnis de *Requiem* in Exequijs, possuntne etiam Missæ privatæ de *Requiem* dici? *Possunt* saltem sub ipsis Exequijs, non post, vel ante. Cur enim non concederetur Missa privata, si sit concessa solemnis de *Requiem* in, & sub Exequijs, cum reputentur pro vno actu, cui proinde cedit solēnitas festi? Dixi *in Exequijs*: Si enim sit dies Anniversarius, vel Tertius, Septimus, Trigesimus, debet (vti & facilius potest quam dies Depositionis) transferri, vel anticipari, nec eis cedit festivitas diei, ad quam populus ex præcepto confluit.

Nota, quòd quoad Missam de *Requiem* celebrandam in die obitus in festis, debeat attendi consuetudo loci, iuxta quam potest in eo loco, in quo viget, celebrari *Requiem* in diebus obitus in festo primæ classis, nisi sit vnum ex maioribus, vt primus dies Paschæ, Pentecostes, &c. Iuxta eandem consuetudinem potest celebrari *Requiem* in die Cœnæ Domini, & in Sabbatho Sancto, ita tamen, vt in Cœna Domini fiat ante Missam solemnem dicti, quia per eam tempus celebrandi pro hoc, & sequēte die quasi clauditur: In Sabbatho Sancto autem potest dici ante, vel post Missam solemnem. Nam iis diebus Missæ privatæ non sunt absolutè prohibitæ, vt patet in hoc *E. n. 4.* Sed *NB.* standum esse consuetudini loci.

* 38 *Nonne* Missa de Requiem plus prodest defunctis, quàm alia? *Dico*: Omnes Missæ ex opere operato sunt eiusdem valoris, attamen *per se* loquēdo Missa de Requiem plus defunctis prodest ex opere operantis, quia specialis fructus consurgit ex precibus Ecclesiæ specialiter ab ea institutis pro defunctorum suffragijs. Dixi, *per se loquendo*; quia exceptio est, si Sacerdos maiore cum devotione sit celebraturus de Sancto (cuius est festum) quàm de Requiem, & singulari fervore pro anima defuncti Sanctum roget. Ex hoc colligitur, quod in festis Sanctorum Capellanus habens Missam fundatam de *Requiem* possit legere de festo, supposita præfata devotione maiore, qua supplēre potest fructum ex dictis Ecclesiæ precibus consurgentem. Supposito etiam, quòd hæredes fundatoris, alijve de fundatione scientes non offendantur.

Ex his etiam resolvitur quæstio, an qui stipēdium accepit, vt legat Missam funebrem, eamque promisit, satisfaciat legendo eam de festo. Idem quæri potest de Missa votiva. Pro horum intelligentia vide *Rationem, n. 16.* datam. Hinc noster de La Cruz, ait: Optimè satisfacis dicendo Missam dici, quia sic conformaris Regulæ Missalis, & saluberrimum consilium est ita facere. Immò non excusatur à peccato, qui in festis solemnibus *omittit* Missam dici, nisi iuxta exceptiones iam insinuatas.

Quid si Sacerdos promisit Missam votivam certam pro die, quo eam iuxta Rubricas legere licet, & legit aliam? *Peccat* contra fidelitatem, sed non nisi venialiter, cùm petens non patiatur damnum grave saltem. Immò nec venialiter, si ex alio capite habeat rationabilem causam, vel si faceret, ideò vt Missam conformet officio diei, quæ conformitas valdè commendatur in Rubricis.

* 39 *Missa specialiter concessa* vni Religioni, v. g. Missa Rosarij concessa nostro Ordini, possetne legi ab alijs? *Negativè* declaravit Sacra Congregatio anno 1622. die 25. Junij. Vndè alij Sacerdotes legant Missam votivam de B.V.

Nonne saltem extranei licitè eam legunt in ipso festo in eorundem Religiosorum Ecclesijs. *Resp. Negativè*, nisi per consuetudinem facta sit interpretatio Legis. Quia prohibitio Congregationis facta est absolutè. Ergo pro quocumque loco.

Hinc sub Vrbano VIII. qui Decretum confirmavit, Sacra Rituum Congregatio prohibens omnino Missas à S. Congregatione non approbatas, & signanter Missas nuncupatas S. Gregorij pro vivis, & defunctis, *Missam 15. Auxiliatorum*, Missam de *Patre Æterno*, & quascumque alias, vt suprà, non approbatas, subdit, exceptis tamen Missis Rosarij, & de Monte Carmelo, quæ sunt permissæ Regularibus quibusdam, & ijs dumtaxat, nec possunt ab alijs celebrari, etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs.

Servandus est Ritus Missalis Romani iuxta Bullam Pij V. ei præfixam. Excipiuntur illę Religiones, & loca, quæ iam à 200. annis vtuntur Missali proprio. Capellani Monialium debent celebrare Missam, ipsarum Breviario, & Missali conformem, vel saltem (si alia non habeatur) ei valdè affinem. *Stipendi pro Missum.* De hoc sufficienter actum est suprà *Tract.* 12. *Exam.* 5. *num.* 8. *in R. ad* 4. *Oppos. & num.* 10.

EXAMEN VII.

De Missæ abruptione, interpolatione, partium omissione. De Cæremonijs Missæ, & defectibus, qui in ea occurrere possunt.

* 1 QUÆRO I. Licetne Missam inceptam abrumpere, residuum omittendo, vel semel cœptum resumere? *Resp.* 1. Mortaliter peccat, qui absque vrgentissima causa Missam inceptam abrumpit, etiam ante Canonem. *Ratio*: Quia est maxima irreverentia, & sacrilegium.

Resp. 2. Talis abrumpens incurrit pœnam suspensionis, positam in cap. *nullus* 3. *de cons. d.* 1. non tamen excommunicationem latam, sed solùm ferendam. Quia in cap. nihil 7. quæst. 1. de hoc casu dicitur: *Si quis hæc temerè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Ergo est ferenda, non lata.

Resp. 3. Ex legitima causa licitum est Missam Inceptam abrumpere, & omittere. *Declarantur causę*: Prima est, si Sacerdoti celebranti superveniat infirmitas, propter quam commodè, & reverenter eam complere nequit. *Secunda causa*, si Sacerdoti ante consecrationem immineat periculum vitæ, non solùm licitè potest, sed & debet Missam abrumpere, & omittere, ne se, & Sacramentum temerè exponat periculo. Si verò vna species esset iam consecrata, deberet Sacerdos, si vllo modo esset possibile, statim consecrare etiam alteram, & mox sumere vtramque, & abire, omissis alijs cæremonijs, ad quas in tanto periculo non obligatur. Si ex periculo, & metu mortis non possit alteram speciem consecrare, dictum est suprà *Tract.* 12. *E.* 2. *n.* 14. *da* 2. Et ad 3. distinguendo inter metum ortum à causa naturali, vel à causa libera, ab intrinseco, vel ab extrinseco. Vbi vide.

Tertia causa est, si celebrans ante Consecrationem recordetur se non esse jejunum, vel se esse suspensum, interdictum, irregularem, quæ sunt impedimenta juris, & ex omissione Missæ non sequatur scandalum. *Quarta*, si excommunicatus non toleratus nolit recedere à Missa, & Canon inceptus non sit. De quo vide *T.* 14. *E.* 1. *num* 3. *Quinta*, si ante Canonem ponatur cessatio à Divinis, vel Ecclesia consecrata violetur, & consecrans non gaudeat privilegio celebrandi in Ecclesia violata. Porrò si inter celebrandum poneretur interdictum, Missa esset perficienda clausis januis.

Resp. 4. Missa semel cœpta, Canone iam inceptо resumerè, seu repetere à principio, vel Evangelio, &c. peccatum mortale est, quacumque ex causa fiat, etiam ob adventum Principis, vel Episcopi, vel aliorum ad Missam audiendam obligatorum: aut repetere tantùm Epistolam, vel Evangelium est solùm veniale, si scandalum desit. *Ratio*: Quia in primo casu est gravis, in secundo levis irreverentia.

* 2 QUÆRO II. Licètne Missam interpolare, seu interrumpere? *Resp.* 1. Non licèt absque justa causa, benè tamen ex illa. *Ratio* 1. *p.* Quia esset gravis irreverentia. 2. *Pari* patet ex praxi, qua interponitur Concio, fiunt Ordinationes, &c. Talis justa causa etiam est infirmitas superveniens, quę Missam sine interpolatione facit moraliter impossibilem.

Resp. 2. Iusta quoque causa interpolandi Missam etiam post Consecrationem est spiritualis necessitas proximi, vt ei prouideatur etiam extra Ecclesiam de remedio salutis necessario necessitate medij, si præter celebrantem nullus alius adsit, qui prouideat, v.g. de Baptismo, vel Pœnitentia. *Ratio*: Quia est casus extremæ necessitatis proximi existentis in periculo damni animæ irreparabilis, cui indubiè subveniri vult Deus, qui neminem vult perire. *Ergo.*

Nota 1. quod, si in tali casu Missa post Consecrationem interpoletur, debeat interea aliquis constitui, qui Species consecratas custodiat, vel in defectu eius reponi debent in Sacrarium. *Nota* 2. quod in eodem casu, si moribundo ministrandum sit Sacramentum Pœnitentiæ, ministrari etiam possit Extrema Vnctio. Quia vtilitas proximi excusat moram paulo longiorem, si Missa semel rationabiliter sit interpolata.

Dixi in R. 2. *etiam extra Ecclesiam*: Si enim moribundus sit intra eam, minor difficultas est, potestque celebrans, Missa etiam post Consecrationem interpolata, Viaticum, & Extremam Vnctionem dare, quia tunc non est notabilis interruptio Sacrificij, nec opus est vestes sacras exuere. Dixi 2. *post consecrationem*, ad insinuandum, quod à fortiori liceat antè eam, etiam Viatici dandi gratia.

* 3 QUÆRO III Licetne in Missa aliquid omittere, vel addere? *Resp.* 1. Celebrans in conscientia tenetur servare ritum Missæ præscriptum in Missali, nihil omittendo, nec addendo. Nam *Trid. sess.* 22. *in decret.* de observandis, & evitandis in Missa, statuit: *Neve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerunt. Quarundam verò Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quam à vera Religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant*, &c. Et Pius V. in sua Bulla: *Neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumat.*

Resp. 1. Peccatum ex genere suo mortale est, omittere aliquam gravem, seu maioris momenti cæremoniam, quales sunt, v.g. mixtio aquæ cum vino, vtriusque Speciei elevatio, fractio Hostiæ mixtio eius cum Sanguine, &c. Peccatum verò ex genere suo veniale est, omittere cæremoniam minoris momenti, quales sunt inclinationes, genuflexiones, cruces, benedictiones, deosculationes, oratio post Communionem, Evangelium S. Ioannis, &c. *Ratio*: Quia in primo casu graviter, in secundo leviter violatur præceptum Tridentini, & Pij V.

* 4 *Resp.* 3. Peccatum ex genere suo mortale est, omittere etiam ante Canonem partem notabilem, seu principalem, quales sunt: 1. Psalm.

Iudi-

Judica, vel *Confitemini*, Confessio, & preces, quæ ante gradus altaris dicuntur. 2. *Epistola*. 3. *Evangelium* 4. *Offertorium*, id est, Oblatio vtriusque Speciei. 5. *Præfatio*. Peccatum verò ex genere suo est veniale, omittere partem minus principalem, vt *v.g.* sunt *Tractus*, Kyrie eleison, Orationes, & similia: vel etiã partem movilem, id est, quæ aliquando adhibetur, aliquando non; *v.g. Gloria*, &c. *Credo*, plures Collectæ, plures Lectiones, certa verba in Communicantes. *Ratio est*, quæ ante ad R. 1.

Nota, quod Sacerdos celebrans cum Subdiacono, & Diacono non tenetur sub peccato ipsemet legere Epistolam, & Evangelium, sed satisfacit si ea audiat à Ministris. *Nota* 2. Si Sacerdos omnisit aliquam partem, quæ non est de substantia Sacrificij, *v.g. Credo*, vel *Gloria*, non debet eam posteà repetere. Quia communiter non fit sine nota.

* 5 *Resp.* 4. Peccatum mortale est, omittere in Missa plures partes minus principales ex ijs, quę ordinariè adhibentur. *Ratio*: Quia simul sumptæ faciunt notabilem deformitatẽ in Missa. *Resp.* 5. Peccatum mortale est omittere notabilem partem Canonis, qualis pars est quælibet oratio Canonis, vel etiam paucula eiusdem orationis verba, quorum omissio tollit, vel notabiliter mutat, aut minuit significationem; aut repræsentationem Misterij. Item *Oratio Dominica*, *Libera nos*, *Hæc commixtio*, *Agnus Dei*, *Domine, non sum dignus*. *Ratio*: Tum quæ suprà ad R. 2. est data. Tum etiam, quia Canon est sacratior Missæ pars: qui vbi incipiat, ac desinat, dicetur infrà *E.* n. 87.

Nota tamen, probabilius esse, quod in omissione partium etiam Canonis detur parvitas materiæ excusans à mortali, non minus, ac in materia Religionis, Voti, &c. quæ parvitas in præsenti est, si solum omittantur aliqua verba pauca, *v.g.* quatuor, aut 5. ad summum, quorum omissio non mutat sensum Orationis. De mutatione materiæ, & formæ in Sacramẽtis, quod sit illicita, vide supra *T.* 11. *E.* 1. n. 7. Quod in forma Consecrationis omittere ly *enim* sit mortale, vide suprà *T.* 12. *E.* 4. n. 1.

Resp. 6. Missæ novas addere preces, vel cæremonias, etiam sine intentione inducendi novum ritum in Ecclesiam, est mortale, vel veniale iuxta materiæ graviratem, vel levitatem. Ita patet ex *Trid.* & Bulla *Pij* V. citat. pro R. 1. *Ratio*: Quia causat gravem, vel levem deformitatem Sacrificij.

Nota, quòd in hoc casu gravitas non possit aliundè desumi, quam ex quantitate novarum precum, vel Cæremoniarum concurrente prudente iudicio. Nec tamen hinc sequitur, peccare eum, qui ex causa, vt iudicat, rationabili, in Missa dicit plures Collectas ex Missali desumptas, quam illud præscribit: quia saltem sunt iuxta ritum Missalis, licet non sint præscriptæ pro hac Missa. *Nota* 2. Nec veniale peccarum esse, sumptioni præmittere aliquam brevem orationem mentalem ad excitandam devotionem, quia actum hanc intentum non prohibent Rubricæ, vti prohibent orationem vocalem.

* 7 *Resp.* 7. Ea, quæ in Missa debent dici secretè, dicere alta voce est peccatum ex genere suo mortale. Ea, quæ sunt dicenda alta voce, dicere depressa voce, ita tamen, vt audiatur saltem à ministro, peccatum non est. *Ratio* 1. *p.* Quia inter alios etiam hic est ritus principalis ab Ecclesia institutus ob reverentiam sacrosanctorum verborum. *Ratio* 2. *p.* Quia quę sic dicuntur, vt à ministro audiantur, censentur dici voce non secreta, sed alta.

Resp. 8. Si celebrans legeret tam submisse, vt ipsemet (cùm tamen surdaster non sit) ea non possit audire, licèt sint talia, quæ iuxta Rubricas secretè sunt dicenda, peccat mortaliter ex genere suo. *Ratio*: Quia est notabilis deformitas Missæ. *Resp.* 9. Loquendo de mora, qua debet Missa durare, judico non debere esse vltra dimidium horæ. Si celebrans ita properet, vt notabilem partem omittat, vel gravem indecentiam causet, peccat mortaliter. *Ratio* 1. *p.* est, ne nimia morositas tædium pariat distantibus. 2. & 3. *pars* patet ex dictis. Vide suprà *T.* 12. *E.* 4. n. 8. an forma Consecrationis in eadem Missa possit repeti. Quæ repetitio esset quædam additio.

* 8 QUÆRO IV. Ordinaturne convenienter ea, quæ circa hoc Sacramentum dicuntur? & quid significant Cæremoniæ eius? *De hoc* Quæsito agit S. Doct. 3. *p.* q. 83. *art.* 4. & 5. *Resp.* Quæ in Missa fiunt, omnia convenienter fiunt. Hoc S. Doct. *in Sed contra probat sic*: Dicitur *de Consecr. dist.* 1. Jacobus Frater Domini secundùm carnem, cui primùm credita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus ediderunt nobis Missæ celebrationem; Ex quorum auctoritate patet, convenienter singula hoc dici. *Et in c. ait*: Quia in hoc Sacramento totum Mysterium nostræ salutis comprehenditur, ideò præ cæteris Sacramentis cum maiori solemnitate agitur. Nunc explicabuntur Cæremoniæ, quæ in Missa fiunt.

PRÆPARATIO, ET INTROITUS.

* 9 Quia scriptum est *Ecclesiast.* 4. Custodi pedem tuum ingrediens domũ Domini. Et *Eccles.* 18. Ante orationem præpara animam tuam, vt adducit S. Doct. *art.* 4. Ideò ante celebrationem huius Mysterij, vt Sacerdos illud dignè conficiat, primò se præparat invocando divinam gratiam illam orationem, Actiones nostras, &c. 2 *Per* Confessionem, iuxta illud Proverb. 18. *Justus in principio accusator est sui*, cuius vsus, nimirum præmittendæ confessionis, antiquitas constat ex Liturgia S. Jacobi, quæ à confessione incipit. 3. *Præparat* se per Laudem divinam, quę *fit* in Introitu secundùm illud *Psal.* 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Et sumitur hoc (ait S. Thom. ibid.) vt pluries de psalmis, vel saltem cum psalmis cantatur; quia, vt Dionysius dicit *cap.* 3. *Ecclesiast.* Hierarch. psalmi comprehendunt per modum laudis, quidquid in Sacra Scriptura continetur. Additur Gloria Patri, &c. qui versiculus est compositus à Concilio Nicæno.

KYRIE ELEISON.

* 10 Idem significat quod, *Domine miserere*, &, vt loquitur *S. Thom. ibidem*, continent commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur, dicendo *Kyrie eleison*, ter quidem pro persona Patris, ter pro persona Filij, cum dicitur Christe eleison: & ter pro Persona Spiritus Sancti, cùm subditur, *Kyrie eleison*, contra triplicem miseriam, ignorantiæ, culpæ, & pœnæ: vel ad significandum, quòd omnes personæ sunt in se invicem.

GLORIA IN EXCELSIS.

* 11 Commemorat cœlestem gloriam, ad quam

tendimus post præsentem vitam, & miseriam, dicendo, Gloria in excelsis Deo, quod cantatur in festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria, intermittitur autem in officijs luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent. Ita Ang. Doct. *art. 4. cit.* Paulò aliter cum alijs dici potest, quod *Gloria*, &c. canterur ad imitationem Angelorum, qui nato Salvatore illud cecinerunt Pastoribus Intonatur autem à Sacerdote in Altari, quia ille repræsentat Angelum magni Consilij, & quidem à stante in medio, quia dum medium silentium tenerent omnia, Verbum Dei à Regalibus Sedibus venit. Prosequitur illud Chorus, quia subitò facta est cum Angelo multitudo cœlestis Militiæ.

DOMINUS VOBISCUM.

* 12 Est salutatio, & religiosa excitatio populi ad attendendum, vel orandum, desumpta ex more Hebræorum. *Jud. 6. Ruth 2 Luc. 1.* invicem se salurantium, *Dominus tecum*, vel vobiscum. Sensus Responsi, quod dat populus dicens: *Et cum spiritu tuo*, est: Præcantur vicissim; vt etiam Dominus sit cum tuo spiritu, tibique in tanto mysterio assistat. Fit autem allocutio in plurali, quia vel Missa solemnis est, & tunc iam adsunt plures: Vel est Missa privata, & tunc licet nullus adsit, nisi vnicus minister, hic tamen gerit personam totius populi Catholici, ex cuius persona, Sacerdoti pluraliter respondet, vt explicat S.D *a. 5. ad 12.*

Nota ex S. Thom. *art. 5. cit. ad 6. dicente*: Quinquies se Sacerdos vertit ad populum, ad significandum, quòd Dominus die Resurrectionis quinquies se manifestavit, vt dicitur in tractatu de Resurrectione Christi. Salutat autem septies populum, scilicet 5. vicibus, quibus se convertit ad populum; & bis, quando se non convertit (scilicet cùm ante Præfationem dicit, *Dominus vobiscum*; & cùm dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*), addes signandam septiformem gratiam Spiritus Sancti. Episcopus autem celebrans in festis, in prima salutatione dicit, *Pax vobis*, quod post Resurrectionem discipulis dixit Dominus: cuius personam repræsentat præcipuè Episcopus. *Hæc ibi Sanct. Doct.*

COLLECTA.

* 13 Est oratio, quam Sacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis mysterijs, ait S. D. *art. 4. in corp.* Vocatur autem *Collecta*, quia Sacerdos fungens legatione ad Deum pro populo, totius fidelis populi in vnum collecti, vota in ea colligit. Concludit vt plurimum dicens: *per Dominum nostrum Jesum, &c.* quia Salvator dixit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Manus elevat, & extendit; Nam & Moyses *Exod.* 17. cùm levaret manus ad Dominum, vincebat Israel, cùm autè eas dem paululùm remisisset, superabat Amalec. Per Israel intelligi potest Ecclesia, quæ vincit orando. Populus respondet *Amen*, ideſt, fiat, prout petis.

EPISTOLA.

* 14 Est instructio fidelis populi, quia hoc Sacramentum est Mysterium Fidei, quę instructio dispositivè fit per doctrinam Propherarum, & Apostolorum: quæ in Ecclesia legitur per Lectores, & Subdiaconos, ait S. Doct. *art. 4. cit.* Noster Lublino ita discurrit: Epistola apud Græcos, supermissio; vel supererogatio nuncupatur apud Latinos. Præmittitur Evangelio, designans officium D. Joannis Baptistæ, qui etiam prævenit ante faciem Domini, sicut vox in deserto clamantis, & fuit quasi Subdiaconus, ideſt, Subminister illius, qui de se ait: Non veni ministrari, sed ministrare. Subdiaconum legentem vnus comitatur Acolythus, Diaconum verò, tàm Subdiaconus, quàm Acolythus, quia prædicationem Joannis pauci secuti sunt, sed veritatem Evangelij plurimi susceperunt. Et quia Joannes fuit limes precedentium Prophetarum, & sequentium Apostolorum, medius inter vtrosque, ideò Epistola, neque semper legitur de Prophetis, nec semper de Apostolis, sed interdum sumitur de Veteri Testamento, interdum de Novo. Nam Joannes cum antiquis Patribus Christum prædixit venturum, & cum modernis ostendit præsentem. Quòd autem Subdiaconus cum Acolytho ad Sacerdotem post lectam Epistolam accedit, illud insinuat, quòd Joannes in vinculis audiens opera Christi misit discipulos, & ait: Tu es, qui venturus es? Quærenti autem, cur Subdiaconus post finem suę Lectionis, & Diaconus ante principium ad Sacerdotem accedit, eique reverentiam exhibet, dicito: Quia lex accepit finem in Christo, sed Evangelium sumpsit originem ab eo. Lex ergo, & Prophetæ ad Joannem, sed Evangelium, & Apostoli post ipsum. *Hæc ille.*

GRADUALE, ALLELUYA, Tractus.

* 15 Post Lectionem cantatur à Choro *Graduale*, quod significat profectum vitæ: & *Alleluya*, quod significat spiritualem exultationem: vel *Tractus* in Officijs luctuosis, qui significat spiritualem gemitum: hæc enim consequi debent in populo ex prædicta doctrina. Ita S. Doct. *art. cit.* Graduale vocatur etiam Responsorium, quia vnus incipit, alter respondet. Vocatur autem Graduale, quia olim cantabatur Diacono ascendente gradus ad cantandum Evangelium. *Alleluya* est vox gaudij & significat idem, quod *Laudate Dominum*. Hoc nō cantatur à Septuagesima vsque ad Pascha, quia illud est, tempus tristitiæ, & Babylonicæ servitutis de quo intelligi optimè potest illud: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? in salicibus suspendimus Organa nostra. Tractus cantatur in diebus jejuniorum. Vocatur autem *Tractus*, quia in signum mæstitiæ tractim, seu graviter cantari solet.

Nota quod in Missa concurrant tres diversæ linguæ, nimirum *Hebraica*, per ly Alleluya: *Græca*, per ly Kyrie eleison: & *Latina*. Et hoc ideo, vt omnis lingua confiteatur, quia Christus est in Gloria Patris.

EVANGELIUM.

* 16 Sicut S. D. dixit, quod populus dispositivè instruatur per doctrinam Propherarum, & Apostolorum, quæ legitur per Lectores, & Subdiaconos, ita, ait, perfectè populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quæ à summis legitur ministris, scilicet à Diaconibus. Curiosum de hoc denuò format discursum dictus Lublino paucis omissis hic ponendum: Diaconus pronunciat Evangelium accepta prius benedictione, *Jube Domne*, non verò, *Domine*, vt quidam imperi-

rici faciunt; nam loquitur ad hominem, cuius quia imperfecta sunt opera, appellatio quoque tuncata. Origo istius vocis antiquissima est, teste Baronio ad annum 416. Acolithi antecedunt accensis luminaribus, in signum spiritualis lætitiæ, quia ipsius Evangelij auctor erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Postulat autem benedictionem, ad denotandum, quod in Ecclesia Fidelium nullus debet prædicare, nisi mittatur: Lectio namque Evangelij prædicationem significat. Et ideò olim in loco eminentiori, quam Epistola, canebatur, iuxta illud: Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Syon. Dum Evangelium legitur, stare debent, qui audiunt, in signum obedientiæ, nudatis capitibus præ reverentia. Quod etiam ad *Magnificat, Nunc dimittis, & Benedictus* in matutinis Laudibus, Vesperis, & Completorio est faciendum.

Cantatur Evangelium ad Aquilonem, relicta parte dextra Altaris, ad denotandum, quod à Judæis propter eorum duritiam doctrina veritatis debuit auferri, & Gentilibus tradi. Vel quia ordinatur ad expellendum Dæmonem iuxta illud: Ab Aquilone pandetur omne malum. *Signat se* Diaconus in pectore, quia corde creditur ad iustitiam: in ore confessio fit ad salutem: in fronte, quia nullo timore, aut verecundia (quarum affectionum signa potissimum in fronte solent apparere) debent Fideles à libera Christi, & ipsius Evangelij professione deterreri.

Nec sine causa Diaconus suæ Lectioni præmittit thuris incensum, quia Prædicator debet ex se odorem bonæ opinionis emittere iuxta illud Apostoli: *Christi bonus odor sumus*. Vnde dicitur: Cuius vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur. Lecto Evangelio liber fertur ad Sacerdotem, quia omnia bona sunt referenda ad eum, à quo bona cuncta procedunt, qui est Christus, *Alpha, & Omega*: cuius personam in Missa gerit Sacerdos.

SYMBOLUM, SEU CREDO.

* 17 De hoc *S. Thom. in eodem art 4. sic ait*: Et quia Christo credimus tanquam divinæ Veritati (secundum illud Joann. 8. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?) Lecto Evangelio Symbolum Fidei cantatur, in quo populus ostendit, se per Fidem Christi doctrinæ assentire. Cantatur autem hoc Symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo, sicut in festis Christi, & B. Virginis, & Apostolorum (qui hanc Fidem fundaverũt) & alijs huiusmodi. Hæc ibi. Cantatur ergo *Credo* statim post Evangelium, vt populus ostendat, quod corde verbum Evangelij receperit, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sacerdoti *Credo* intonanti Chorus solemni tripudio respondet, ne Musicus ille cælestis obijciat: Cantavimus vobis, & non saltastis.

Hæc omnia, vsque huc olim vocabatur Missa Catechumenorum, qui vsque huc permittebantur esse præsentes Sacro: ijs autem peractis dimittebantur à Diacono illis verbis: *Ite Missa est*; quasi diceus, *Ite abite*, nunc incipit propriè Missa, Nimirum Oblatio, seu Sacrificium, cui interesse vobis non licet, vsquedum sacro Fonte renati sitis.

*** *** ***

OFFERTORIUM.

* 18 De hoc S. Thom. ait: Sic igitur populo præparato, & instructo consequenter acceditur ad celebrationem Mysterij, quod quidem, & offertur vt Sacramentum. Vnde *primo* peragitur oblatio. *Secundo* consecratio materiæ. *Tertio* eiusdem perceptio. Circa oblationẽ verò duo aguntur, scilicet laus populi in cantu Offertorij (per quod significatur lætitia offerentium) & oratio Sacerdotis, qui petit, vt oblatio populi sit Deo accepta. Vnde & 1. *Paralip.* 29. dixit David: Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniversa hæc, & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Et posteà orans dicit: Domine Deus, custodi hanc voluntatem. *Hæc ibi.* Offertorium ergo est oblatio Sacrificij mox futuri. Porrò Sacerdos ait: Calicem Salutaris accipiam, id est, Christi Salvatoris, qui eum instituit, non verò ait, salutarem, quia in eo nondum est nisi purum vinum, possemus cum tamen vocare salutarem, puta futurum.

Dum hæc fiunt, solent Fideles in quibusdam festis, præsertim in Ecclesijs Parochialibus offerre munera temporalia, quia hilarem datorem diligit Deus. Vnde Dominus per Moysen mandavit. *Exod. 23.* Non apparebis in conspectu meo vacuus.

THURIFICATIO.

* 19 Circa hanc posse dubitari, an sit adhibenda in Sacrificio Novæ Legis; videmur enim per eam iudaizare, cum spectaverit ad Cæremonias Veteris Legis: sed dubium hoc solvit *Angelicus Doctor hic art. 5. ad 2. sic dicens*: Thurificatione non vtimur quasi cæremoniali præcepto Legis, sed sicut Ecclesiæ Statuto: vnde non eodem modo vtimur, sicut in Veteri Lege erat statum: Pertinet autem ad duo; primò quidem ad reverentiam huius Sacramenti, vt scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem. Secundo pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit (secundum illud *Genes. 27. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni,*) & à Christo derivatur ad Fideles officio ministrorum secundum illud 2. *Cor. 2.* Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. Et ideò vndique Thurificato altari, per quod Christus designatur, Thurificantur omnes per ordinem. Hæc ibi.

Fit hæc incensatio odoriferi Thuris ad exemplum Magdalenæ, de qua Evangelista dicit: Maria ergo accepit libram vnguenti pretiosi, & effudit. Celebrans incensum ter circumducit, quia etiam Magdalena Christo ter vnguentum exhibuit. Incensat totum altare, quia & factum Magdalenæ exivit in omnem terram, vbicunque prædicatur Evangelium. Incensato altari, incensantur & alij, quia domus impleta est ex odore vnguenti mulieris, & plenitudine Christi, omnes gratiam accipiunt currentes in odorem vnguentorum ipsius.

ABLUTIO DIGITORUM.

* 20 Circa hanc etiam dubitari potest, vti antè, quia etiam in Veteri Lege Aaron, & filij eius Sacrificio præmittebant ablutionem manuum, & pedum. Dubium hoc resolvit, & cæremoniam ex-

Plicat

plicat *S. Thom. hic a. 3. ad 1. dicens*: Ablutio manuũ fit in Celebratione Missæ propter reverentiam huius Sacramenti. Et hoc dupliciter: Primò quidem, quia aliqua præciosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis: vnde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiã corporaliter inquinatis. Secundò propter significationem, quia, vt Dionysius dicit 3. *Eccles. Hierarch.* extremitatum ablutio significat emundationem etiã à minimis peccatis secundum illud *Ioann.* 13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lavet. Et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum. Quod etiam significatur per Confessionem, quæ fit ante Introitum Missæ. Et hoc idem significabat ablutio Sacerdotum in Veteri Lege, vt ibidem Dionys. dicit. Nec tamen Ecclesia hoc servat tanquam cæremonialem Vet. Leg. præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conveniens. Et ideò non eodem modo observatur sicut tunc: prætermittitur enim pedum ablutio, & servatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem. Cum enim manus sit organum organorũ, vt dicitur 3. de anima, omnia opera attribuuntur manibus. Vnde in *Psal.* 25. dicitur: Lavabo inter innocentes manus meas. *Hæc ibi. S.D.*

ORATE FRATRES.

* 21 Ablutis digitis Sacerdos inclinans primùm pro se orat *in spiritu humilitatis*, &c. qua Christus exinanivit semetipsum factus obediens Patri, vsque ad mortem. Deindè monet populum, vt pro celebrante oret, dicens, *Orate Fratres, vt meum*, &c. iuxta illud: Oremus pro invicem, vt salvemur. Quia & ipse populus est circumdatus infirmitate.

PRÆFATIO.

* 22 Excitatur populus ad devotionem in Præfatione, vnde, & monemur, corda nostra sursum habere ad Dominum, ait S. Thom. *art. 4. cit.* Vt ibi sit cor, vbi est thesaurus, nimirum in Cœlo, populusque attendat ad actionem, in qua propriè Sacrificium consistit. Hinc Sacerdos altiori voce dicit: *Per omnia sæcula*, &c. vt populus possit respondere *Amen*. Hinc Præfatio propriè incipit à sequente *Dominus vobiscum*. Quia illa verba, *Per omnia sæcula sæculorum*, &c. adhuc spectant ad Orationes præcedentes secretè dictas. Coniungit celebrans altiori voce finem prioris Orationis cum initio sequentis, quia Christus est lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, coniungens Judæos, & Gentiles, vt sit eorum vnum ovile, & vnus Pastor.

SANCTUS.

* 23 Finita Præfatione populus devotè laudat Divinitatem Christi cum Angelis dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Et Humanitatem cum Pueris dicens: Benedictus, qui venit, &c. *Osanna*. Ita S.D. cit.

CANON.

* 24 Licèt aliqui sentiant, quòd Canon incipiat ab illis verbis: *Qui pridiè, quàm paterentur*, vti, & olim desijt ad *Pater noster* exclusivè; probabilius tamen est, quòd incipiat ab illis verbis: *Te igitur, Clementissime*, &c. Quia his verbis in omnibus Missalibus præfigitur titulus Canonis. Desinit autem nunc ad consumptionem Sacramenti. Porrò Canon in præsenti idem est, ac significat, quòd Liturgia, estque sacratior Missæ pars; & quamvis pro varietate temporum variæ fuerint Liturgiæ, scilicèt alia Basilij, alia Chrysostomi, alia Ambrosij, Gelasij, Gregorij, hi tamen DD. non composuerunt integram de novo Liturgiam, sed substantiales Liturgiæ ab Apostolis institutæ permanserunt integræ.

CRUCESIGNATIONES.

* 24 Circa harum congruentiam dubitari potest primò, quòd toties iterentur. Secundò ex eo, quòd fiant post consecrationem super Hostiam, adeòque super ipsum Christum, qui non potest benedici à minore, quia minùs à maiore benedicitur, vt patet *ad Hebr.* 7. non è contra.

Hæc dubia, & vtramque cæremoniam explicat S. Thom. *cit. art.* 5. Nam ibid. *ad* 3. *ait*: Sacerdos in celebratione Missæ vtitur crucisignatione ad exprimendam Passionem Christi, quæ ad Crucem est terminata. Est autem Passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam *Primò* fuit Christi traditio, quæ facta est à Deo, Juda, & Judæis, quam significat trina crucisignatio super illa verba, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata. *Secundò* fuit Christi venditio: est autem venditus Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis, ad quod significandum fit iterùm trina crucisignatio super illa verba, Benedictam, adscriptam, ratam. Vel ad ostenddendum pretium venditionis, scilicèt triginta denarios. Additur autem, & duplex crux super illa verba, Vt nobis Corpus, & Sanguis, &c. ad designandam personam Judæ venditoris, & Christi venditi. *Tertiò* autem fuit præsignatio Passionis Christi facta in Cœna, ad quod designandum fiunt tertiò duæ cruces, vna in consecratione Corporis, alia in consecratione Sanguinis: vbi vtrobique dicitur, Benedixit, &c. *Quartò* autem fuit ipsa Passio Christi. Vndè ad repræsentandum 5. plagas Christi fit quartò quintuplex crucisignatio super illa verba: Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. *Quintò* repræsentatur extensio Corporis, & effusio Sanguinis, & fructus Passionis per trinam crucesignationem, quæ fit super illis verbis, Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione, &c. *Sextò*, repræsentatur triplex oratio, quam fecit in Cruce; vnam pro persecutoribus, cùm dixit, Pater ignosce illis, &c. Secundam pro liberatione à morte, cùm dixit, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ, cùm dixit, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et ad hoc significandum fit trina crucisignatio super illa verba, Sanctificas, vivificas, benedicis, &c. *Septimò* repræsentantur tres horæ, quibus pependit in Cruce, scilicèt à sexta vsque ad horam nonam. Et ad hoc significandum fit iterùm trina crucesignatio ad illa verba, Per ipsum, & cum ipso, & in ipso. *Octavò* autem repræsentatur separatio animæ à corpore per duas cruces subsequentes extra calicem factas. *Nonò* autem repræsentatur Resurrectio tertia die facta per tres cruces, quæ fiunt ad illa verba, Pax Domini sit semper vobiscum. Potest autem brevius dici, quòd consecratio huius Sacra-

crameti, & acceptatio huius Sacrificij, & fructus ipsius procedit ex virtute Crucis Christi. Et ideò vbicunque fit mentio de aliquo horum, Sacerdos crucesignatione vtitur. *Hæc ibi.*

Et ad 4. ibid. *S.D. ait*: Sacerdos post consecrationem non vtitur crucesignatione ad benedicendum, & consecrandum, sed solùm ad commemorandam virtutem Crucis, & modum Passionis Christi, vt ex dictis patet. *Hic ibi.*

EXTENSIO BRACHIORUM, ET iunctio manuum, ac digitorum.

* 26 De harum Cæremoniarum conuenientia dubitari potest ex eo, quòd videantur esse ridiculosæ gesticulationes, quæ dedecent tanti Sacrificij maiestatem. Sed dubium, & cæremonias illas explicat Angelicus Doctor, *ibid. ad 5. dicens*: Ea quæ Sacerdos in Missa facit, non sunt ridiculosę gesticulationes, fiunt enim ad aliquid repræsentandum; Quod enim Sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in Cruce. Levat etiam manus orando, ad designandum, quòd oratio eius dirigitur pro populo ad Deum, secundùm illud *Thren.* 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. *Exod.* 17. dicitur, quòd, cùm levaret Moyses manus, vincebat Israel. Quòd autem manus interdum iungit, & se inclinat, est suppliciter, & humiliter orantis, & designat humilitatem, & obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autem iungit post consecrationem, scilicèt pollicem cum indice, quibus Corpus Christi consecratum tetigerat, vt si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur, quod pertinet ad reverentiam Sacramenti. *Hæc ibi.*

MEMENTO COMMUNICANTES, &c.

* 27 Hæc, & alia, quę sequuntur explicat Aug. Doct. *art. 4. in corp. dicens*: Deindè Sacerdos Secretò commemorat, primò quidem pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicèt pro vniversali Ecclesia, & pro his, qui in sublimitate sunt constituti 1. *Tim.* 2. & specialiter quosdam, qui offerunt, vel pro quibus offertur. 2. Commemorat Sanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cùm dicit: Communicantes, & memoriam venerantes, &c. 3. Petitionem concludit, cùm dicit: Vt hæc oblatio sit illis, pro quibus offertur, saluatris. Deindè accedit ad ipsam consecrationem, in qua *primò* petit consecrationis effectum, cùm dicit: Quam oblationem tu Deus, &c. *Secundò* consecrationē peragit per verba Salvatoris, cùm dicit: Qui pridie, &c. *Tertio* excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cùm dicit: Vnde, & memores, &c. *Quartò* petit hoc Sacrificium peractū esse Deo acceptum, cùm dicit: Supra quæ propitio, &c. *Quintò* petit huius Sacrificij, & Sacramenti effectum. *Primò* quidem quantùm ad ipsos sumentes, cùm dicit: Supplices te rogamus, &c. *Secundò* quātùm ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cùm dicit: Memento etiam Domine, &c. *Tertiò* specialiter quantùm ad ipsos Sacerdotes offerentes, cum dicit id, quod sequitur nimirum.

NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS.

* 28 In qua oratione, Sacerdos pro seipso orat, deque suis meritis diffisus, sibi ex divina misericordia precatur partem, & societatem cum SS. Apostolis, & Martyribus, ait Bellarm.

Circa hanc Orationem dubitari potest primò, quid sit, quòd in ea repetatur Joannes, cùm is iam fuerit nominatus ante consecrationem. Secundò Stephanus, qui solùm fuit Diaconus præponatur Mathiæ, qui tamen fuit Apostolus. Tertiò Mathias non fuerit nominatus ante Consecrationem.

Ad hæc R. cum Bellarm. *Ad* 1. non nominari hic Joannem Evang. sed Baptistam, qui fuit etiam Martyr Domini, & aliquo modo Apostolus iuxta illud Joan. 1. Fuit homo Missus à Deo. *Ad* 2. R. quòd Stephanum præponendo Mathię Ecclesia servet ordinem Passionis, non dignitatis: Joannes autem est passus ante Stephanum, & Stephanus ante Mathiam. *Ad* 3. Ratio est, tum vt etiam aliquis Apostolus ex 12. nominaretur, posserque verè dici, *cum tuis Apostolis, & Martyribus.* Tum etiam, quia Mathias non fuit Apostolus ante Passionem Domini, nec in Evangelijs legitur in ordine Apostolorum. Nec obstat, quòd etiam Paulus non fuerit Apostolus ante Passionem Domini, & tamen in priori ordine recenseatur. Nam est hoc Pauli Privilegium, vt semper jungatur cum Petro.

PATER NOSTER. FRACTIO HOSTIÆ, *Pax*, Agnus Dei. Commixtio vtriusque Speciei.

* 29 Sanct. Thom. *cit. art. 4. sic ait*: Deindè agitur de perceptione Sacramenti, & præparatur populus ad percipiendum. *Primò* quidem per Orationem communem totius populi (quæ est Oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari) & etiam per privatam, quam specialiter Sacerdos pro populo offert, cùm dicit: Libera nos, quæsumus, Domine, &c. *Secundò* præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo, *Agnus Dei*, &c. Est enim hoc Sacramentum vnitatis, & pacis. In Missis tamen Defunctorum (in quibus Sacrificium offertur, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum) pax intermittitur. *Hæc ibi.*

De fractione Hostiæ S. Thom. *art. 5. ad 7. sic ait*: Fractio Hostiæ tria significat. Primò quidem ipsam divisionem Corporis Christi, quæ facta est in Passione. Secundò distinctionem corporis mystici secundùm diversos status. Tertiò distributionem gratiarum procedentium ex Passione Christi, vt Dionys. dicit 3. cap. Eccles. Hier. Vndè talis fractio non inducit divisionem Christi. Hæc ibi. Et ad 8. ait: Triforme est Corpus Domini: Pars oblata in calicem missa Corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat, scilicèt ipsum Christum, & B. Virginem, vel si qui alij Sancti cum corporibus iam sunt in gloria. Pars comesta, ambulans adhuc super terram, quia scilicèt viventes in terra Sactamento vtuntur, & passionibus conteruntur, sicut & panis comestus conteritur dentibus. Pars in altari, vsque ad finem Missę remanens est Corpus in sepulchro: quia vsque in finem sæculi corpora Sanctorum in sepulchris erunt, quorum tamen animæ sunt, vel in Purgatorio, vel in Cœlo. Hic tamen ritus non ser-

vatur modò, vt scilicèt vna pars servetur, vsque in finem Missæ propter periculum: manet tamen eadem significatio Partium. Quam quidam metricè expressèrunt, dicentes:

Hostia divisa in partes tres, vincta Beatos,
Plenè, ficta notat vivos, servata sepultos.

Quidam autem dicunt, quòd pars in calicem missa significat eos, qui vivunt in hoc mundo: pars autem extra calicè servata significat plenè beatos, scilicèt quantum ad animam, & corpus: pars autem comesta significat cæteros. *Hæc ibi.*

Commixtio Corporis, & Sanguinis Christi non fit in propria specie, hæc enim fieri non posset sine nova vulneratione; sed fit in specie panis, & vini, sicut etiam ratione specierum dicitur, videri, tangi, manducari, &c. Dum autem in Missa dicitur, quòd illa commixtio (quæ tamen est opus nostrum) habeat vim conferendæ salutis æternæ, hoc intelligitur de commixtione passiva, seu de ipsis speciebus commixtis.

COMMUNIO, ET COLLECTA.

* 30. Sanct. Thom. *art. 4. in fine corp. inquit:* Deindè sequitur perceptio Sacramenti, primò per cipiente Sacerdote, & postmodùm alijs dante. Quia vt Dionys. dicit cap. 3. Eccles. Hierarch. Ille, qui alijs divina tradit, primò debet ipse particeps esse. Vltimò autem tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterij (quod significat cantus post communionem,) & Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus celebrata Cœna cum Discipulis Hymnum dixit Matth. 26. Hæc ibi.

ITE MISSA EST. BENEDICTIO.

Ex suprà dictis constat, quòd significet idem, ac *ite, abite*, vel, discedere licèt, hostia ad Deum iam est missa. Cur autem aliquando loco eius dicatur *Benedicamus Domino*, rationem dat Bellarminus, quia in Missis festivis copiosior populus ad Missam confluere solet, & ideò in fine publicè denuntiatur dimissio: ast in diebus fetialibus, vt plurimùm solùm conveniunt Clerici, & Monachi, & vt hi potiùs excitentur ad perseverandum in Dei laudibus dicitur *Benedicamus Domino*, non verò *Ite Missa est*. Et hoc fit ad significandam mœstitiam illius temporis; videtur enim nescio quid lugubre præseferre, quando non denuntiatur publica dimissio, sed vnusquisque per se discedit, ait Belarm. Qua etiam de causa dici potest in officijs luctuosis defunctorum omitti in fine Missæ benedictionem, quæ in alijs datur: in quibus significat illam benedictionem, quam Salvator ascensurus in Cœlum legitur dedisse Discipulis, Lucæ vltimo.

CONTRA ALIQUA CANONI inserta.

* 32. *Oppono* 1. Verba, & facta Christi nobis per Evangelium innotescunt: Sed non legitur in Evangelijs, quod Christus in Consecratione huius Sacramenti oculos ad Cœlum levaverit. Similiter in Evangelio illis verbis, *Accipite, & comedite*, non additur Iy *omnes*, & tamen similia inserta sunt Canoni. Ergo inconvenienter hæc aguntur. 2. *Sacrificium* Novæ Legis multò excellentius est Sacrificio Vet. Leg. Ergo inconvenienter Sacerdos petit, vt hoc Sacrificium habeatur sicut Sacrificium Abel, Abrahæ, & Melchisedech. 3. *Absurdum est*, quod Sacerdos petat deferri per Angelos in Cœlum, vbi nullum est altare, quod ipse paulò post consumpturus est: hoc autem petit post consecrationem illis verbis, *Iube hæc præferri per manus S. Angeli tui in sublime Altare tuum*, quæ verba vellicat Lutherus. Ergo.

4. Illa Canonis verba, *Quæ tibi offerimus, vel, qui tibi offerunt pro redèptione animarum suarum*, sunt inconvenientia, quia si sunt fideles, iam sunt redempti à Christo. Ita Lutherus. 5. Contra illa verba, *Memento, Domine, famulorum*, &c. calumniatur Zuvinglius, arguens nos, quod videamur metuere, ne Deus sit oblivioſus. 6. *Contra* illa verba, *Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris*, sic calumniator Lutherus: Portenta illa verborum, neque ego intelligo, neque stolidus ille, qui scripsit. 7. *Frustra* oratur pro ijs, qui iam dormiunt in somno pacis: Sed pro ijs Sacerdos orat in Memento defunctorum. Ergo. 8. *Ex Inferno* nulla est redemptio. Sed Sacerdos in Canone orat pro ijs, qui sunt in Inferno, dicens: *Libera eas de pœnis Inferni, ne absorbeat eas Tartarus, nec cadant in obscurum, libera à profundo lacu.* Ergo.

Ad 1. Respondet *S. Thom. a. 4. cit. ad 2. dicens:* Sicut dicitur Joann. vlt. Multa sunt à Domino facta, vel dicta, quæ Evangelistæ non scripserunt, Inter quæ fuit hoc, quod Dominus in Cœna oculos levavit in Cœlum. quod tamen Ecclesia ex Traditione Apostolorum habuit. Rationabile enim videtur, vt qui in suscitatione Lazari (vt habetur Joan. 11.) & in Oratione, quam pro Discipulis fecit Joan. 17. oculos levavit ad Patrem, in huius Sacramenti institutione multò magis hoc fecerit, tanquam in re potiori. Quod autem dicitur, Manducate, & comedite, non differt quantum ad sensum, nec multum refert, quid dicatur, præsertim cum verba illa non sint de forma, vt suprà dictum est. Quod autem additur, *omnes*, intelligitur in verbis Evangelij, licèt non exprimatur, quia ipse dixerat *Ioan. 6.* Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis. *Hæc ibi.*

Ad 2. ibidem ad 8. ait. Licèt hoc Sacrificium ex se ipso præferatur omnibus antiquis Sacrificijs, tamen Sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo Sacerdos, vt sic hoc Sacrificium acceptetur à Deo ex devotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo. *Hæc ibi.*

Ad 3. ibidem ad 9. S. Thom. inquit: Sacerdos non petit, neque quod Species sacramentales deferantur in Cœlum, neque Corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro corpore mystico (quod scilicet in hoc Sacramento significatur) vt scilicet orationes Sacerdotis, & populi Angelus assistens divinis mysterijs Deo repræsentet secundum illud *Apoc. 8.* Ascendit fumus incensorum de oblationibus Sanctorum de manu Angeli. Sublime autem Altare Dei dicitur, vel ipsa Ecclesia triumphans, inquam transferri petimus, vel ipse Deus, cuius participationem petimus: De hoc enim Altari dicitur *Exod. 20.* Non ascendes ad altare meum per gradus, id est, in Trinitate gradus non facies. Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni Consilij Angelus, qui Corpus suum mysticum Deo Patri coniungit, & Ecclesiæ triumphanti: hæc

prop-

propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem: vel quia Christus est Hostia novis Missa à Deo. Vnde & in fine Missæ Diaconus in festivis diebus populum licentiat, dicens: Ite, missa est, scilicet Hostia, ad Deum per Angelum, vt scilicet sit Deo accepta. *Hæc ibi.*

Ad 4. patet responsio suprà in *T.* 12. *E.* 5. *n.* 1, *in Notab.* 2. *ante R.* 1. *Ad* 5. *R.* Quod ipse Zuvinglius provet se esse valdè oblivioſum sacræ Scripturæ, in qua tam frequenter dicitur: *Memento, Domine*, &c. *Recordare, Domine*, &c. Porrò Deus dicitur oblivisci per metaphoram, quando in necessitate non succurrit; dicitur verò recordari, quando succurrit.

Ad 6. Verba illa explicat Bellarm. dicens: Petimus à Deo, vt ipse oblationem nostram consecrando efficiat benedictam ex prophana; eandem approbando faciat adscriptam, id est, adscribat, & numeret inter dona, quæ ipsi probantur; confirmando, ratam efficiat, id est, stabilem, & firmam, vt fructum certum, & perpetuum ad nos referat: rationabilem quoque faciat, vt non solum bona, sed etiam bene, & rationabiliter, & prudèter oferamus, ac sic fiat rationabile obsequium nostrum. Tandem acceptabilem, id est, vndique bene se habentem, non solum ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis, vt digna sit, quæ à Deo accepretur.

Ad 7. *dist. mai.* Si pax illa sit quies non solum à bello tentationum, sed etiam à tormentis, *conc. mai.* si solum à primo, *neg. mai.* Et sic *dist. min.* negatur consequentia. Bene ergo sic orat Sacerdos pro animabus in Purgatorio, etsi enim hæ de felicitate æterna iam sint certæ, & habeant quietem à bellis tentationum, & concupiscentiæ, non tamen à tormentis, & Visionis divinæ desiderio.

Ad 8. R. cum nostro Gonet explicante, id dici de animabus illis consideratis, vt mox è corpore egressuris, & coram tremendo Dei Iudicio sistendis, similique prosopopeia, qua etiam Ecclesia Christum interdum considerat, vt ante Adventum, v. g. dicendo: *Veni, Domine, & noli tardare, Rorate Cæli*, &c. Vsurpatur autem similis Prosopopeia ab Ecclesia, vt fideles magis excitentur ad commiseratione. Vel, vt explicat Gobat, nomine Inferni, Tartari, & Laci intelligitur Purgatorium, cuius pœnæ dicuntur similes pœnis Inferni propter atrocitatem: sicut etiam, dum Christus dicitur descendisse ad Inferos, intelligitur Purgatorium, & Limbus Patrum. Ne absorveat eas, Ne cadant, sensus est, ne oblato hoc Sacrificio permittas eas diutius in illis profundis, (vtpotè sub terra) & obscuris carceribus cruciari. Vocantur autem pœnæ hæ æternæ, id est, duraturæ vsque ad finem mundi, qualiter ly *æternum* sæpè accipitur etiam in Scriptura.

* 33 QUÆRO V. Potestne sufficienter occurri defectibus, qui in Sacrificio Missæ occurrere possunt? *Hæc de re agit S. D.* 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *Resp.* Affirmativè. *Ratio est*, quam dat S. *D. in Sed contra, dicens:* Sicut Deus; ita Ecclesia, non præcipit aliquid impossibile. *In corp. art.* notat S. D. quod periculis, seu defectibus circa hoc Sacramentum contingentibus dupliciter potest occurri. Vno modo præveniendo, ne scilicet periculum accidat; alio modo subsequendo, vt scilicet id, quod accidit, emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc Sacramentum.

Varij, & præcipuè septem sunt defectus, qui contingere possunt. *Primus* est naturalis, & sine culpa, vt si Sacerdos ante, vel post Consecrationem moriatur, vel à sensibus alienetur, vel gravi infirmitate impediatur, ne Sacramentum possit perficere, vel sumere. In hoc casu, & defectu procedendum est, vt tradit S. *T. a.* 2. *cit. dicens ad* 1. Si Sacerdos morte, aut infirmitate gravi occupetur ad Consecrationem Corporis, & Sanguinis Domini, non oportet, vt per alium suppleatur. Si verò incepta consecratione hoc acciderit, (puta, consecrato Corpore ante Cõsecrationem Sanguinis, vel etiã consecrato vtroque) debet Missæ celebritas per alium expleri. *Ita S. D.* probans hoc ibidem ex Cõcil. Toletan. Porrò ille substitutus debet incipere ab eo puncto, vbi alter cessavit, & ille si fieri potest, debet esse ieiunus: Quod si ieiunus haberi non possit, perficiatur per non ieiunum: quia præceptum de compledo Sacrificio maius est, quam præceptum de accedendo ieiunè. Vide etiam suprà *E.* 4. *num.* 14.

Quid si non possit haberi Sacerdos, sed tantum Laicus? *Dico*: Species cum reverentia esse servandas, vt Sacerdos sequente die Sacramentum perficiat. Si sequente, vel tertio die non possit haberi Sacerdos, & sit periculum, ne species vini acescant, licèt aliqui sentiant, nefas esse, eas sumi à Laico, eo quod illius non sit perficere Sacramentum, adeòque potius subeundum sit periculum corruptionis specierum, & species corruptas mittendas esse in Sacrarium. Verum probabilior videtur Sententia Ledesmę, & La Cruz, species illas consecratas etiam vini posse devotè sumi à Laico, non vt perficiat Sacrificium, cum hoc sit solius Sacerdotis, vtpotè habentis characterem ad consecrandum, & sacrificandum, sed ob reverentiam Sacramenti, cui per corruptionem maior fit irreverentia.

Quid si non constet, vbi Sacerdos mortuus, vel sensibus destitutus desierit, sed solum sciatur, eum obisse in Celebratione? *Dico*: Tunc alius Sacerdos (si haberi possit) debet à principio inchoare Missam, & aliam accipere hostiam cum Calice, & vtramque hostiam consecrare simul, vnam absolutè, alteram (quæ nimirum iam erat in alteri) sub conditione. Idem faciendum est circa Calicem.

Opponis: Hoc non erit perficere Sacrificium iam inceptum, sed instituere novum. *Nego hoc*, sed erit vtrumque simul saltem moraliter: præsens enim novum Sacrificium ad hoc ordinatur, vt præcedens imperfectum compleatur.

* 34 *Secundus defectus* est, si Sacerdos ante, vel post Consecrationem recordetur, se aliquid comedisse, vel bibisse, vel etiam alicui peccato mortali subiacere, vel etiam excommunicationi. *Quid in hoc casu* agendum, declarat *Angel. Doct. ibid. ad* 1. *dicens*: Vbi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maximè autem periculosum circa hoc Sacramentũ est, quod est contra perfectionem huius Sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud, quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideò si Sacerdos post Consecrationem inceptam recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, & sumere Sacramentum. Similiter si recorderetur se peccatum aliquod comisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi: & sic non indignè, sed fructuosè sumet Sacramentum. *Et eadem Ratio est*, si meminerit,

se excommunicationi cuicumque subiacere, debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi, & sic per invisibilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum, quod peragat divina mysteria. Si verò ante Consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutius reputarem, maximè in casu manducationis, quod Missam, incepram desereret, nisi grave scandalum timeretur. *Hæc ibi.*

Tertius defectus. Si contingat, quod in Calicem musca, vel aranea, vel aliquod animal venenosum cadat post Consecrationem: vel etiam cognoscat Sacerdos Calici venenum esse immissum ab aliquo malevolo, causa occidendi ipsum. *Ad hunc casum* Respondet *S. D. ibidem ad 3. dicens*: Si musca, vel aranea ante Consecrationem cecideri, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, & abluto Calice denuò aliud vinum poni consecrandum. Si verò aliquid horum post Consecrationem acciderit debet animal cautè capi, & diligenter lavari, & cumburi, & ablutio cum cineribus in Sacrarium mitti. Si verò venenum ibi esse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere, nec alij dare, ne Calix vitæ vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum Reliquijs conservari: Et ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in Calice, & denuò resumere à Consecratione Sanguinis, & sacrificium perficere. *Hæc ibi.*

* 35 *Quartus*: Si contingat, quòd per negligentiam ministri, aut aqua non ponatur in calice, aut etiam, nec vinum, & hoc Sacerdos advertat. *In hoc casu* quomodo procedendum, declarat S. Doct. *ibid. ad 4. dicens*: Quòd si Sacerdos ante consecrationem Sanguinis, & post consecrationem Corporis percipiat, aut vinum, aut aquam non esse in calice, debet statim apponere, & consecrare. Si verò post cõsecrationis verba perceperit, quòd aqua desit, debet nihilominus procedere: quia impositio aquę (vt suprà dictum est) non est de necessitate Sacramenti. Debet tamen puniri ille ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet vino iam consecrato misceri: quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte, vt suprà dictũ est. Si verò percipiat post verba consecrationis, quòd vinum non fuerit positum in calicem, siquidẽ hoc percipiat ante sumptionem Corporis, debet deposita aqua, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & resumere à verbis consecrationis Sanguinis. Si verò hoc perceperit post sumptionem Corporis; aliam hostiam apponere debet iterùm consecrandam simul cum Sanguine. Quòd ideò dico, quia si diceret sola verba consecrationis Sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi, & sicut dicitur in prædicto cap. Toletani Concilij, perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur: si verò inciperet à consecratione Sanguinis, & repeteret omnia verba consequentia, non competeret, nisi adesset Hostia consecrata, cùm in illis verbis occurrant quędam dicenda, & sienda nõ solùm circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus. Et debet in fine iterùm sumere Hostiam consecratam, & Sanguinem, non obstante etiamsi priùs sumpserit aquam, quæ erat in calice: quia præceptum de perfectione, vel de perceptione huius Sacramenti maioris est ponderis, quàm præceptum, quò hoc Sacramentum à jejunis sumatur, vt suprà dictum est. *Hæc ibi.*

Nota ex Soto, Navarro, La Cruz, quòd dicta S. Thom. doctrina de consecranda etiam nova hostia debeat intelligi, si Sacerdos consecret in secreto, id est, solum cotam vno, vel altero, ita vt non possit adverti, nec indè scandalum sumi: si enim timeatur scandalum, seu turbatio populi, accipiat Sacerdos vinum, offerat, consecret, sumat (prout etiam in Missali dicitur) faciendo hoc omni cautiori modo, vt non notetur à populo. Quòd autem Sacerdos iam sumpserit aquam, adeòque non sit jejunus, non obstat, vt patet ex dictis. Si in eo casu Sacerdos velit consecrare novam hostiam cum vino, debet resumere totum Canonem: si defectum advertat ante sumptionem hostiæ, accepto vino, & admixta aqua, debet reincipere ab illis verbis: *Simili modo*, &c. quia ambæ species tunc sunt simul.

* 36 *Quintus*: Si Sacerdos non recolat, se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia, quæ in celebratione huius Sacramenti dicuntur.

In hoc casu quid agendum, exponit *S. Thom. ibid. ad 5. dicens*: Licèt Sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum, quę dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari; non enim, qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit, nisi fortè aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione iam dicti: sic enim aliquid efficitur memorabile. Vnde si aliquis attentè cogitet illud, quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum posteà recolit se dixisse. Sic enim fit aliquid obiectum memoriæ, in quantum accipitur sub ratione præteriti: sicut dicitur in lib. de memoria. Si tamen Sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, siquidem non sunt de necessitate Sacramenti, non existimo, quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem Sacrificij, sed debet viterius procedere. Si verò certificetur se omisisse aliquid eorum, quę sunt de necessitate Sacramenti, scilicèt formas consecrationis, cùm forma consecrationis sit de necessitate Sacramenti, sicut & materia, idem videtur faciendum, quod dictum est in defectu materiæ: vt scilicèt resumatur à forma consecrationis, & cętera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo sacrificij. *Hæc ibi.*

Nota, quòd ex his verbis *S. Thom.* patet, ad resumendum in Missa non sufficere quemlibet scrupulum, sed, ne scrupulis locus detur, requiri certitudinem: multi enim Sacerdotes vexantur talibus retrogradis cogitationibus, dubitantes, vel se angẽtes, an dixerint, quæ erant dicenda. Quæ cogitationes, & anxietates sunt spernendæ. Vide suprà de forma Eucharistæ, *T. 12. E. 4. n. 8.*

Sextus defectus est, si contingat propter frigus, quòd Sacerdoti dilabatur hostia in calicem, sive ante fractionem, sive post eam. *Resp. S. Thom. ibidem ad 6. dicens*: Fractio Hostiæ consecratæ, & quòd vna sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideò horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificij, vt propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius Sacramenti.

* 36 *Septimus*: Si contingat, quòd per negligentiam Sacerdotis sanguis Christi effundatur, vel quòd Sacerdos Sacramentum sumptum evomat, aut etiam, quòd hostiæ consecratæ tamdiù conservetur, vt putrefiant, vel etiam à muribus corrodantur, vel etiam qualitercumque perdantur.

Quomodo in his casibus procedendum, & quæ

prop-

propter negligentiam pœnitentia meritò sit infligẽda, fusè, ex jure elucidat *Angelicus Doctor, ibid. ad 7. dicens*: Sicut legitur, *de consecratione*, dist. 2. ex Decreto Pij Papæ, si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur; si verò non fuerit tabula, terra radetur, & igni consumetur, & cinis intra altare condetur, & Sacerdos 40. diebus pœniteat. Si autem supra altare stillaverit Calix, forbeat Minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit, 4. diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, 9. diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, 20. diebus pœniteat: & linteamina, quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lavet Minister, Calice subtus posito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur; posset etiam sumi in potum à Ministro, nisi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem vlteriùs partem illam linteaminum incidunt, & comburunt, & cinerem in altari, vel sacrario reponunt. Subditur autẽ ibidem ex pœnitentiali Bedæ Presbyteri: Si quis per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, 40. diebus pœniteat si Laicus est: Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, & Presbyteri, 70. diebus pœniteant: Episcopus, 90. Si autem infirmitatis causa evomuerint, 7. diebus pœniteant. Et in eadem dist. legitur ex Concil. Arelatensi: Qui non benè custodierit Sacramentũ, & mus, vel aliquod aliud animal illud comederet, 40. diebus pœniteat; Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inventa fuerit, 30. diebus pœniteat. Et eadem pœnitentia videtur dignus Sacerdos, per cuius negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt. Prædictis autem diebus debet pœnitens jejunare, & à Communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotij, & personæ potest minui, vel addi ad pœnitentiam prædictam. Hoc tamen observandum est, quòd vbicumque species integræ inveniuntur, sunt reverenter conservandæ, vel etiam sumendæ; quia manentibus speciebus manet ibi Corpus Christi, vt suprà dictum est. Ea verò, in quibus inveniuntur, si commodè fieri potest, sunt comburenda, cinere in Sacrario recondito, sicut de rasura tabulæ dictum est. Hæc ibi.

Plura de defectibus ad longum traduntur in Missali à principio, vbi videantur, nimirum de defectibus materiæ, puta, panis, & vini: de defectibus formæ ipsius Ministri, intentionis, dispositionis animæ, vel corporis. De defectibus circumstantiarum loci, & temporis, vel requisitorum, v.g. Vestium, Altaris, Calicis, Missalis, &c. de defectu servitoris; De defectu infirmitatis Sacerdotis; De defectu admixtionis alicuius nocivi in Calice, vel Hostia; De defectibus fractionis Hostiæ, aut congelationis sanguinis; De defectu effusionis sanguinis, aut casus Hostiæ. Quæ omnia videantur in Missali.

Videatur in eodem ritus, & modus dicendi Missam. Item quæ, & quot debeant dici Collectæ, quo vtendum colore in Paramentis. Quando dicendum Gloria, & Credo. Quæ sint omittenda in Missis Defunctorum.

* * * * * * * * * *

EXAMEN VIII.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

De Episcopatu.

De quo Aug. Doctor agit in Supplem. 3. part. quæst. 40. vti de Statu Episcoporum agit 2.2. q. 185. Item de Celibatu Clericorum.

* 1 QUÆRO I. Estne in Ecclesia Christi vera Hierarchia, ad quam spectent etiam Episcopi? *Resp. Affirmativè.* Est de Fide. *Ratio est*: Hierarchia iuxta *S. Thom. 1. part. quæst.* 108. *artic.* 1. *in corp.* nihil est aliud, quàm sacer principatus, vel multitudo ordinata sub vno Principe. Et Ordo Hierarchiæ iuxta *S. T.* ibidem, *in fine corpor* est, aliquos quidem purgari, & illuminari, & perfici: alios autem purgare, & illuminare, & perficere, qui sunt actus Hierarchici. *Subsumo*: Sed Ecclesia Christi est sacer principatus, & multitudo ordinata sub vno Principe, visibili in terris, scilicèt Papa; invisibili in Cœlis; estque in ea optimus ordo, & subordinatio, iuxta quam alij purgant, illuminant, perficiunt, nimirum Episcopi: alij purgantur, illuminantur, perficiuntur, vt etiam patet ex Prologo huius Tractatus, ante Examen primum. Ergo.

Dixi, esse de fide. Ita clarè patet ex Trid. sess. 23. cap. 4. *de Eccles. Hierarch. & ordinatione* sic decernente: quoniam in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, merito Sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos, iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscuè Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiã, quæ est vt Castrorũ acies ordinata, confundere: perinde ac si cõtra Beati Pauli doctrinã omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatẽ reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta Synodus, in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cuiusvis sæcularis potestatis, & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem, ita requiri, vt sine ea irrita sit Ordinatio, quin potius decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut sæculari potestate, ac magistratu vocati, & instituti ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures, & latrones,

per

per ostium non ingressos, habendos esse. *Hæc ibi.*

* 2 QUÆRO II. Promovendus ad Episcopatum, quas debet habere qualitates? quantam scientiam? *Resp.* Concil. *Trid. sess. 24. de reform. c. 1. sic statuit*: Omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quocumque ius, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, horratur, & monet (nimirum sancta Synodus) vt in primis meminerint, nihil se ad Dei Gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeãt, eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus, vel humano respectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint: & quos ex legitimo Matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque alijs omnibus qualitatibus prædisos sciant, quæ iuxta sacros Canones, & Tridentinæ huius Synodi Decreta requirantur. Hæc ibi. Vbi plura statuuntur, quæ sunt servanda in creatione Episcoporum, & Cardinalium; quæ videantur, vti & sess. 7 *de reform. cap. 1.*

Idem Concilium sess. 22. *de reform. cap. 2.* decernit, *Quicumque post hac in Ecclesias Cathedrales erit assumendus, ante ad in Vniversitate Studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus, vel in sacra Theologia, vel in iure Canonico merito sit promotus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.*

Item in cap *Omnes*, 6. *dist.* 38. quod est desumptum ex Synodo septima, statuitur, vt Metropolitanus diligenter inquirat, an is, qui ad Episcopatus provehendus est gradum, in promptu habeat legere scrutabiliter tam sacros Canones, & S. Evangelium, quam omnem divinam scripturam. Et mox subditur: Substantia enim summi Sacerdotij nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est, vera divinarum scripturarum disciplina.

Ex his sequitur, quod Episcopus non solum scire debeat, quæ in præcedentibus sunt assignata pro alijs Sacerdotibus, sed maior ei scientia sit necessaria ex Theologia, & sacris Canonibus, vt merito saltem dignus sit Laurea doctorali Theologiæ, & iuris Canonici. Porrò cum defacto Episcopi eligantur de gremio Canonicorum talis Ecclesiæ, & defacto etiam multæ causæ forenses ad Episcoporum Tribunalia devolvantur, ad quas iuris vtriusque scientia requiritur; hinc si contingat eligi aliquem, qui ex se his omnibus non sufficiat, is exemplo Moysis *Exod.* 18. sacratiora, seu quæ sunt ad Deum, & proprius concernunt salutem animarum, tractet ipsemet: reliqua verò per ministros, & Consiliarios, sed idoneos, eruditos, timoratos, incorruptos.

* 3 Nec mirum, quod singularis scientia requiratur in Episcopis, quia Trid. sess. 6. *de reform. cap. 1. ex Act.* 10. eos monitos esse vult, vt attendentes sibi, & vniverso Gregi in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo: vigilent sicut Apostolus præcipit, & in omnibus laborem, & ministerium suum impleant. Item debetur eis in Choro, Capitulo, Processionibus, & alijs publicis actibus prima Sedes, & locus: est, in eis præcipua omnium rerum agendarum auctoritas vt loquitur *Trid. sess. 25. de reform. cap. 6.* Sunt Patres, & Pastores à Principibus, & cæteris honorandi, vt patet ex *Trid. cit. sess. 25. cap.* 17. Successerunt in locum Apostolorum, & præcipuè spectant ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ, vt patet ex *Trid. sess. 23. cap.* 4. Episcoporum Officium est angelicis humeris formidandum ex *Trid. sess. 6. cit. cap. 1.* statuente, vt ad illud nonnisi, qui magis digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordijs vsque ad perfectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia laudabiliter acta testimonium præbeat, secundum venerabiles beatorum Patrum Sanctiones assumantur. Item Episcopi in iure vocantur summi Sacerdotes, Sacerdotum Principes, Legati Christi, à S. Gregorio Astra Cœli; à S. Clemente terrestres Dij. Ergo necesse est, vt singularis sanctitas, prudentia, & scientia in ijs effulgeat.

* 4 QUÆRO III. Quid est Episcopatus? estne Ordo distinctus à Presbyteratu? *Resp.* 1. Considerando ipsam huius nominis etymologiam, ly *Episcopus est* nomen Græcum (vt explicat S. Thom. loco citando *infrà quæst. 7. in fin.*) dictum ab *Epi*, quod est *supra*, & *σκοπος*, vel *scopi*, quod est intendere, quasi *superintendens*, quia superintendit Laicis, & Clericis sibi commissis. Vel est idem, quòd speculator, quia speculatur subditorum mores, & vitam, & si in hoc sit negligens, est in peccato mortali. Definiri potest Episcopus sic: est Sacerdos habens potestatem administrandi Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, conficiendi Basilicas, seu Ecclesias, altaria, sacra vasa, Chrisma, Virgines, approbandi ad Confessiones, & Conciones, delegandi iurisdictionem ad Sacramenta ministranda, &c. Ex quo patet, quid sit Episcopatus, nimirum Sacerdotium cum dicta potestate, &c. Hæc diffinitio patebit ex mox dicendis, nimirum quòd Episcopatus non sit Ordo distinctus à Sacerdotio, sed sit ipse Ordo Sacerdotis cum maiori extensione, & potestate ad præfacta Officia. Vndè data definitio habet genus, & differentiam: per ly *Sacerdot* Episcopus convenit cum omnibus Sacerdotibus: per potestatem ad nominatos actus, ab eis differt.

* 37 *Resp.* 2. Episcopatus est quidem gradus aliquis, & dignitas, ac potestas in Ecclesiastica Hierarchia Sacerdotio sublimior, & quidem iure divino; probabilius tamen est, quòd non sit Ordo, vel Sacramentum à Sacerdotio distinctum, nec imprimat novum characterem, sed tantùm sit extensio, & excellentissimum complementum Sacerdotij, & characteris eius; Vnde est ipsum Sacerdotium, vt extensum, seu ampliatum, vel auctum maiore potestate ad plura munera.

1. *Pars* est de Fide, definita id Trident. *sess. 23. Can. 7. his verbis*: Si quis dixerit, Episcopos nõ esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema sit. Et *cap. 4. ibid. docet*: Quòd Episcopi in Apostolorum locum successerint, & à Spiritu Sancto positi sint regere Ecclesiam Dei: è contra, vt habet Concilium Neocæsariense *Can.* 13. Presbyteri successerunt 72. Discipulis, qui fuerunt inferiores Apostolis. Ergo Episcopatus est iure divino institutus, & eodem iure superior Presbyteratu.

Quòd Episcopatus à Christo sit institutus, patet ex eo, quia Christus ipse Petrum ordinavit Episcopum, Petrus ordinavit Jacobum, & Joannem; hi

tres

cres consecrarunt cæteros Apostolos in Presbyteros. Et dato, quòd Christus per se nullum ordinasset Episcopum, non probat, quòd non instituerit Episcopatum, sicut non legitur, quòd aliquem confirmaverit, ex quo non sequitur, quòd non instituerit Confirmationem.

Ratio 1. *p.* est, quam dat *S. Thom.* 3. *p. q.* 40. *art.* 4. *in sed contra, dicens*: Divina mysteria debent esse magis ordinata, quàm humana: Sed humanorum officiorum ordo exigit, vt in quolibet officio præponatur vnus, qui sit Princeps illius officij, sicut præponitur militibus Dux. Ergo, & Sacerdotibus debet aliquis præponi, qui sit Sacramentum Princeps; Et hic est Episcopus. Ergo Episcopalis potestas debet esse suprà Sacerdotalem. Hæc ibi. Alia ratio dabitur in R. ad mox sequentem Oppositionem.

Huic doctrinæ opponitur difficilis locus ex S. Hieron. in Comment. primi cap. Ep. ad Titum dicente: *Idem est Presbyter, qui Episcopus.* Et infrà: *Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere. Ergo non iure divino, &c.* Omissis variis solutionibus R. cum Gibbon dicendo, immediatè iure divino institutum esse, quòd Episcopi sint superiores Presbyteris, imprimis quoad potestatem Ordinis, quia solis illis competit potestas ordinandi Sacerdotes, & sic generandi Patres Ecclesiæ. Item per modum Ministri ordinarij conferendi Sacramentum Confirmationis, consecrandi templa, altaria, &c. ast Presbyteris non convenit potestas ordinandi, sed tantùm baptizandi, à peccatis absolvendi, & ita generādi filios Ecclesiæ: Deindè etiam quoad potestatem iurisdictionis, quia, vt dictum est, Spiritus S. eos posuit regere Ecclesiam Dei, potestas autem regendi est iurisdictio.

Hæc autem potestas iurisdictionis competens Episcopis de iure divino suprà simplices Sacerdotes est vniversalis, & quasi in actu signato; vt autem sedigatur ad actum exercitum, dependet à Summo Pontifice, cuius est illis assignare determinatas Ecclesias, & tales subditos Sacerdotes. Et ideò superioritas iurisdictionis Episcoporum suprà Presbyteros quoad hanc partem, & de iure Ecclesiastico, vtpotè proveniens, & dependens à Summo Pontifice, & de hac vltima superioritate iurisdictionis intelligi debent verba S. Hieronymi. Simile est in Episcopis titularibus, habent enim & illi de iure divino iurisdictionem quasi activam, impeditam tamen, ob defectum materiæ, & subditorum; si autem admitterentur ad civitatem, vel Diœcesim pro qua ordinati sunt, absque nova concessione possunt exercere suam iurisdictionem, subditos puniendo, excommunicando, &c. Nota hic, quòd tempore Apostolorum, vt patet ex S. Paulo Philipp. 1. Hoc vocabulum *Presbyter* fuerit commune Presbyteris, & Episcopis, & Episcopi fuerint vocati Presbyteri: ex quo non sequitur, quòd iure divino fuerint eiusdem gradus, & dignitatis.

2. *Pars. Resp.* 2. est contra varios *DD.* colligitur tamen ex Trident. *Sess.* 23. *cap.* 1. & 2. Vbi non recensentur nisi 7. Ordines, incipiendo à Sacerdotio veluti à supremo, nulla facta mentione Episcopatus. Est etiam *Sanct. Thom. art.* 5. *cit. q.* 40. ❡

Ratio 1. *ex S. Thom. ibidem*: Distinctio Ordinum sumitur penes habitudinem, quam dicunt ad Eucharistiam, ad quam velut ad finem ordinantur, vt dictum est suprà in hoc *T. E.* 2. *n.* 5. *R.* 7. Sed Episcopatus non dicit aliam habitudinem ad Eucharistiam, quàm Sacerdotium, quia Episcopus non potest magis consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, quàm simplex Sacerdos. Ergo Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio.

Ratio 2. Si Episcopatus esset Ordo realiter distinctus à Sacerdotio, virtualiter eminenter contineret illud, vtpotè Ordo superior, sicut ob eandem rationem Sacerdotium continet Ordines inferiores: sed Episcopatus non continet virtualiter eminenter Sacerdotium. Ergo. *Min. patet*: Si contineret, &c. Episcopatus validè susciperetur non suscepto Sacerdotio, sicut Sacerdotium validè suscipitur non susceptis ordinibus inferioribus, vt suprà dictum est de Ordinatione per saltum: sed Episcopatus non est validus non suscepto prævio Sacerdotio. *Ergo.*

✱ 6 *Oppono* huic Rationi: Dantur Episcopi, qui non sunt Sacerdotes, nec sunt consecrati, vt patet in quibusdam Principibus Germaniæ. Ergo.

Ad hoc fateor dari tales, eosque absolutè etiam ab ipso Summo Pontifice sic vocari, ac titulum talem eis deberi, immò & in re esse tales, non tamen ob potestatem adæquatam Episcopalem scilicèt Ordinis, & Iurisdictionis simul, sed inædequatā tantùm, scilicèt iurisdictionis. Quod etiam patet ex derivatione huius nominis *Episcopus* ex Græco ante exqlicata. Et ob dictam potestatem Iurisdictionis tales Episcopi electi, & confirmati, sed non consecrati, nec Sacerdotio insigniti, etsi quæ sunt Ordinis, per seipsos exercere nequeant, possunt tamen alteri Episcopo delegare, & licentiam dare, vt loco sui faciat, quę sunt Episcopi, v. g. vt ordinet, Ecclesias consecret, &c. Quia delegatio est actus Iurisdictionis: sed Episcopus vi Canonicę electionis, institutionis, & confirmationis (tiam nondum secura consecratione) obtinet Iurisdictionem. Ergo.

Huic solutioni *Oppono* illa Iuristarum axiomata: Quod quis per se nō potest, id etiā nō potest per aliū. Nemo potest plus iuris in aliū transferre, quam ipse habeat. *Horum* Juris axiomatum sensum dico esse, quòd sint vera, si delegatus de cætero omni iurisdictione careat, in præsenti autem Episcopus alienus iam est præditus propria iurisdictione, eique tantùm deest licentia respectu loci, quæ ipsi datur.

Ratio 3. *Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora.* Et entia non sunt multiplicanda sine necessitate. Et Deus, & natura abhorrent à superfluo, quæ sunt omnia Philosophorum axiomata, quæ vera sunt etiam in supernaturalibus, quia à fortiori gratia à superfluo abhorret. *Subsumo*: Sed vnus character sacerdotalis idem manens sufficit ad peragenda munia Episcopalia, & sacerdotalia, modo accedat consecratio Episcopi velut connoratum de lege ordinariā necessarium, quo character Sacerdotalis extendatur ad confirmandum, ordinandū &c. Ergo. *Min. prob.* 1. Sacerdos licèt per impositionem manuum Episcopi accipiat potestatem absolvendi à peccatis, non tamen accipit novum ordinem, & characterem, sed quandam perfectionē, & extensionem characteris præsuppositi. Ergo similiter. *Secundò*. Quia aliàs tot essent admittendi characteres in Episcopo, vel Sacerdote, quot ab ipso

ipso exerceri possunt actiones supernaturales, & hierarchicæ, puta, vnus character ad consecrandū Corpus Christi, alius ad baptizandum, alius ad ordinandum, alius ad confirmandum, alius ad absolvendum, &c. Sed hoc est falsum. Ergo, &c.

* 7 *Oppone* 1. contra 2. *p.* R. 3. Sancti Patres consecrationem Episcopi vocant Sacramentum. Ergo, &c. 2. *Quod* confert gratiam, & imprimit characterē est Sacramentum: sed consecratio Episcopi confert gratiam, & imprimit characterem. Ergo. 3. *Quod* in anima causat spirituale indelebile signum, causat characterem: sed tale signum causat consecratio Episcopi. Ergo. 4. *Quod* ordinatur ad physicè in alijs causandum characterem, debet esse entitas, & non modus tantùm extensionis: sed potestas data Episcopo in consecratione, ordinatur ad causandum physicè characterem, nimirum Ordinis, & Confirmationis in alijs. Ergo.

Ad 1. *R.* Vocari Sacramentum non formaliter, sed completivè, seu esse complementum Sacramenti, scilicèt Sacerdotij. *Ad* 2. In primis, *neg. min. pro* 2. *p.* Quia consecratio Episcopi non imprimit characterem, sed sacerdotalem complet, extendit, & reddit potentem ad conficienda duo Sacramenta, scilicèt Ordinis, & Confirmationis, quæ simplex Sacerdos vi suæ Ordinationis conficere nequit. Deindè *neg. mai. pro* 1. *p.* Ad hoc enim, vt aliquid causet gratiam, non requiritur, quòd in se formaliter sit Sacramentum, sed sufficit esse complementum eius: sicut patet de illa Cæremonia, qua Sacerdotij iam ordinato datur potestas absolvendi à peccatis, quæ causat gratiam secundam, & tamen non est Sacramentum distinctum ab illo, quod fit in contactu Calicis. *Ad* 3. *dist. mai.* Si signum illud causetur de novo quoad entitatem, *cont. mai.* si solùm quoad modum realis extensionis, vti in præsenti, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conseq.* Itaque per consecrationem Episcopi characteri sacerdotali additur novus modus extensionis, indelebilis tamen, & initerabilis, quia non est sola deputatio moralis, & extrinseca, sed realis, & intrinseca habitudo ad effectus Episcopatui specialiter correspondentes. Ex quo solùm sequitur, quòd differant realiter non intensivè, ita vt dicam, seu secundùm entitatem, sed extensivè, & secundùm modum, statum, vel extensionem, seu perfectionem realē modalem. Vel, vt alij loquuntur, differunt per modū includentis, & inclusi, non per modum excludentis. Vel differunt realiter inadæquatè tantùm, & non adequatè. *Ad* 4. *neg. mai.* Quia sufficit ille novus realis modus, vt à Deo assumatur tanquam instrumentum ad producendos characteres in alijs. Quia in instrumentis virtutis divinæ, vtpotè infinitæ, non requiritur proportio inter ea, & effectum, sed sufficit, quòd sint in genere causæ efficientis, (vt Thomistæ docent in Physica) vti etiam est in præsenti, quia character Ordinis est potentia activa, eiusque naturam induit modus intrinsecus eius.

* 8 QUÆRO IV. Quod est officium Episcopi, & quæ specialiter ei sunt obseruanda virtute Concilij Tridentini? *Resp.* 1. Officium Episcopi patet ex definitione eius data in R. 1. *ad* Q. 3. *in hoc Examine.*

Resp. 2. Virtute *Concil. Tridentini*, Episcopis multæ competunt, & obseruanda sunt, quæ ad longum hic referre superfluum videtur, videri enim possunt in ipso Sacri Concilij textu.

1. *De* Prædicatione Episcopi, si non per ipsum, saltem per viros idoneos facienda. Vide *sess.* 5. *cap.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4.

2. *De* Episcopi deuotione, ac Missæ celebratione, ac obligatione promouendi pietatem. *Sess.* 2. *in* Decreto de modo bene viuendi. 3. *De* exercitio pietatis in Ecclesia Cathedrali promouendo, ibid. *De ieiunio* Episcopi ibid. *De sobrietate* eius, delectione ad mensam, de *institutione familiarium* eius ibid. 4. *De residentia* Episcoporum sess. 6. de reform. cap. 1. Verba Concilij vide infrà in hoc Exa. n. 116. 5. *De exemplari* Episcoporum vita vide *sess.* 24. *de reform. cap.* 1. De supellectille Episcopi ibid. De *Nepotismo* non fouendo *ibid.* Episcopi non seruiant *in Curijs Principum*, cum sint Principum Patres. *Sess.* 23. *cap.* 17. 6. *Episcoporum* cura circa Studia in sua Diœcesi. *Sess.* 5. *de reform. cap.* 1. Circa *Seminarium* sess. 23. cap. 18.

* 9 7. *Circa Beneficia*, *ac Parochias* statuta Concilij fusius referenda sunt. Nam sess. 7. *de reform. cap.* 2. qui tenent plures Cathedrales Ecclesias, iubentur omnes excepta vna, certo modo, & tempore dimittere, Cum valde felix sit ille censendus, cui vnam Ecclesiam bene, ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Hæc, & alia verba *Trid.* adducta sunt *T.* 8. *E*, 2. *n.* 35. vbi plura sunt dicta de pluralitate Beneficiorum. Eadem *sess.* 7. *cap.* 3. mandat, vt Beneficia inferiora, præsertim curam animarum habentia, conferantur personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, & per se ipsas curam ipsam exercere valeant: aliter facta collatio, siue prouisio omnino irritetur.

Ibidem *cap.* 4. Plurium Beneficiorum retentor contra Canones ijs priuatur. Et *cap.* 5. statuit, quod illi, qui plura beneficia curata, vel incompatibilia obtinent, teneantur suas dispensationes exhibere Ordinarijs, qui (ne cura animarum negligatur, & beneficia debitis obsequijs minimè defraudentur) prouideant Ecclesiæ de Vicario, congrua fructuum portione ei assignata, etiam super re certa. Et quod talia Beneficia Ecclesiastica vnita debeant ab Ordinarijs locorum singulis annis visitari, decernitur ibidem *cap.* 7. Quæ verò beneficiorum vniones censeantur validæ, declaratur ibidem *cap.* 7. Videatur textus citatus, vti, *& sess.* 21. *cap.* 5. vbi decernitur, quomodo Episcopi possint facere perpetuas vniones Ecclesiarum, aut Beneficiorum curatorum, vel etiam non curatorum cum curatis propter earum paupertatem, & in cæteris casibus à iure permissis.

Sess. 21. *de reform. cap.* 3. traditur, cur Beneficia sint constituta, nimirum ad diuinum cultum, & Ecclesiastica munia obeunda, & explicatur ratio, ex sequestrata tertia parte prouentuum omnium Canonicatuum, Dignitatum, Officiorum Ecclesiæ augendi distributiones quotidianas. Laudatur consuetudo qua non residentes, seu non seruientes, nihil percipiunt, vel minus tertia parte fructuum; & absentium contumatia punitur. De hoc etiam Concilium agit *sess.* 22. *cap.* 3. vbi decernit, quod si qui suum seruicium non præstent, eorum distributiones fabricæ Ecclesiæ (quatenus indiget) aut alteri pio loco arbitrio Ordinarij, applicentur. Excipit etiam, quod si cui, qui dignitatem obtinet extra ciuitatem in Diœcesi, cura animarum immineat, cui incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit ac ministraverit, tanquam præsens

sit, ac divinis intersit, in Ecclesijs Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur. Videatur textus. *Sess. 25. cap. 5.* Quando ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in Beneficiorum collatione, seu quacumque alia dispositione eis non derogetur.

* 9 Ibidem *cap. 7.* Sacris Constitutionibus odiosa, & Patrum Decretis contraria sunt, quæ in Beneficijs Ecclesiasticis, & Coadiutorijs hæreditariæ successionis imaginem referunt. Coadiutor Prælato Ecclesiæ Cathedralis, vel Monasterij cum futura successione non detur, nisi vrgens necessitas, aut evidens vtilitas postulet, causa per Romanum Pontificem diligenter cognita, & concurrant qualitates in Episcopo, vel Prælato de iure requisitæ.

* 10 8. *Circa Ius Patronatus sess. 4. cap. 12.* Nemo obtineat Ius Patronatus; nisi Ecclesiam, aut Capellam de novo fundaverit, & construexerit, seu iam erectam, quæ tamen sine sufficiente dote verit de suis proprijs, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit. In casu autem fundationis, aut dotationis, institutio reservetur Episcopo. Cui (vt statuitur ibidem cap. 13.) debet fieri præsentatio, aliàs præsentatio, & institutio forsam secutæ nullę sint.

De Iure Patronatus agit etiá Cõcilium *sess. 25. c. 9.* & statuit, quod, & quomodo ex authentico documento & alijs iure requisitis sit probandum, sive etiá ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem. Ad hæc liceat Episcopo (decernit Concilium) præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit, & inanis. Patroni Beneficiorum perceptioni proventuum nullatenus se ingerant, sed eos Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendo dimittant. Nec dictum Ius Patronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra Canonicas Sanctiones transferre præsumant: *Si secus facerint*, excommunicationis, & interdicti pœnis subijciantur, & dicto iure Patronatus ipso iure priuati existant.

9. *Circa Pœnitentiarium* in Cathedrali instituendum *sess. 24.* de reform. cap. 8. 10. *Circa Hospitalia*, & alia pia loca sess. 7. cap. 15. *Et sess. 22.* de reform. cap. 8. & 9. *Et sess. 25.* cap. 8. 11. *Circa* Missarum celebrationes, & ceremonias *sess. 22.* in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ. 12. *Circa Monialium Clausuram sess. 25. cap. 5.* Circa earum Confessarium extraordinarium, eadem *sess. cap. 10.* 13. *Circa* Prædicatores etiam Regulares. *Sess. 5. cap. 11.* 14. *Circa* Præcedentijs controversias etiam inter Regulares exceptos. *Sess. 25. c. 13.* 15. Circa *Nuptias* sess. 24. de reform. *Matrim. c. 10.* 16. *Circa* Collationem Ordinum sufficienter patet ex dictis suprà de Ordinibus. 17. *Circa Sanctorum Reliquias*, sacras imagines, & nova miracula *sess. 25.* à principio in decreto de eadem materia, &c. Plura alia videri possunt in Concilio, quæ etiam in pluribus locis huius operis sunt insinuata.

* QVARTO V. Quæ est *materia*, & forma Ordinationis, seu Consecrationis Episcopi? quod tempus ab electione, & quo die est consecrandus? Quæ vestis? quæ obligatio? quod subiectum? *Resp. 1.* Vt sciatur materia, & forma, referenda est ex ipso Pontificali cæremonia Ordinationis Episcopalis. Dum ergo Episcopus consecratur, adsunt tres Episcopi, quorum vnus vocatur *Consecrator*, alij duo vocantur *Assistentes*, qui à Consecratore petunt, vt electum ad onus Episcopale sublebet. Vnde 1. *Consecrator* accepto libro Evangeliorum, eum apertum, Episcopis Assistentibus adiuuentibus, nihil dicens, imponit super cervicem, & scapulas electi. 2. *Consecrator*, & assistentes Episcopi ambabus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctũ.* 3. *Consecrator* pollicem dextrum intingit in sacrum Chrisma, & caput electi inungit, formans signum crucis, & dicens: Vnguatur, & consecretur caput tuum cælesti benedictione in ordine Pontificali. 4. *Consecrator* Chrismate inungit ambas manus simul iunctas electi, dicens: Vngantur manus istæ, &c. 5. *Consecrator* benedicit Baculum pastoralem, & benedictum tradit electo in manus, dicens: *Accipe Baculum Pastoralis Officij, vt sis in corrigendis vitijs pisservicus*, &c. 6. *Idem* Consecrator benedicit Annulum, & aqua lustrali aspersum imponit digito annulari manus dextræ, dicens: Accipe annulum Fidei, scilicet signaculum, quatenus Sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata Fide ornatus, illibatè custodias. 7 *Consecrator* accipit librum Evangeliorum de scapulis consecrati, & adiuvantibus assistentibus Episcopis eum clausum tradit consecrato tangendi illum sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica Evangelium populo tibi commisso*, &c. Tandem 8. *Consecrator* consecratum recipit ad osculum pacis, similiter & Episcopi Assistentes, dicentes ipsi consecrato: Pax tibi: Qui singulis respondet. *Et cum spiritu tu.* Ex his.

Resp. 2. Materia proxima Ordinationis Episcopalis est dicta vnctio, vti & manuum impositio, in eo proportionabiliter sensu, quo suprà in *E. 5. n. 6. R. 3.* Ordinationi Sacerdotis assignata est duplex materia. Et loco ibi ex *Tract.* de Sacram. *in Cõcil.* patet, cur Græci adhuc valide ordinent suos Presbyteros (similiter & Episcopos) per solam manuum impositionem, absque hoc, quod sit materia essentialiter diversa. Forma dictæ Ordinationis sunt verba suprà adducta.

Resp. 3. De tempore consecrationis ita statuit *Conc. Trid. sess. 7.* de reform. *cap. 9.* Ad maiores Ecclesias promoti munus Consecrationis infrà tempus à iure statum suscipient: & prorogationes vltra sex menses concessæ nulli suffragentur. *Et sess. 23.* de reform. *cap. 2.* Ecclesijs Cathedralibus, seu superioribus quoquomque nomine, ac titulo præfecti, etiãsi sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales sint, si munus Consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses posteà id facere neglexerint, Ecclesijs ipso iure sint priuati. Consecratio verò si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Prouincia, si commodè fieri poterit, celebretur. *Hæc ibi.* Dies Consecrationis Episcopalis debet esse dies Dominica, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Papa indulgeat. Ita patet ex Pontificali Romano. Si quis ex legitima causa, vel dispensatione die Dominica ordinaretur in Sacerdotem, posset eodem die vngi in Episcopum, quia, vt ante probatum est Epis-

copatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio.

* 12 *Resp.* 4. Ætas ad Episcopatum requisita est annus ætatis tringesimus comptus, vt patet in *lib.* 1. *Decret. tit.* de electione, & electi potestate. Et hoc ideò, quia etiam Christus post exactum trigesimum annũ prædicare cœpit. Quæ sint vestes Episcopi; & quid moraliter significent, vide ex *S. Thom. sup. E.* 3. *n.* 10. *ad Q.* 7. Quæ sit obligatio Episcopi, patet ex Officijs eius suprà adductis. Vide dicenda ad *Q.* 13. *R.* 4. *n.* quomodo Episcopi an te hæc fuerint electi.

Resp. 5. Subiectum Ordinationis Episcopalis debet habere omnes illas conditiones partim necessitate medij, partim necessitate præcepti requisitas, assignatas suprà pro Subdiaconatu, Diaconatu, Presbyteratu, addendo tamen, vt sit Sacerdotio insignitus, & ætatis annorum tringinta, habeatque qualitatis ex *Concil. Trid.* traditas suprà in hoc *E. n.* 2.

Quæri hic potest 1. *an* ad Episcopatum oporteat semper assumere meliorem, de quo agit *S. D. 2. 2. q.* 185. *a.* 3. Sed de hoc actum est suprà *T.* 9. *E.* 1. *n.* 2. *& seqq.* Secundò. An in assumptione ad Episcoparum Theologus sit præfendus Jurisperito, seu Canonistæ vel è contra. Quia in re trahit suus quemque affectus. Videri potest decisio pro Theologis apud Gobat in T. Quinario, seu in Vindicijs Theologicis *sect.* 16.

* 13 QUÆRO VI. Quis est Minister, vel qui sunt Ministri Ordinationis Episcopalis de jure divino? Suntne necessariò, & essentialiter tres Episcopi?

Resp. 1. Probabilius est, quòd ad veram Episcopi consecrationem de jure divino sint necessarij tres Episcopi, tanquam Ministri Ordinarij. Patet ex Epistola Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ, c. 1. vbi referens verba Anacleti de Ordinatione Apostoli Jacobi facta à tribus Apostolis, subdit dicens: *Si autem non minus, quam à tribus Apostolis tantus fuit ordinatus Episcopus, patet profectò, eos formam instituente Domino tradidisse, non minus, quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere.* Vbi ex illis *instituente Domino* clarè patet, quòd non sit institutio Ecclesiastica, sed Divina, seu Christi, vt Episcopus ordinetur à tribus Episcopis.

Resp. 2. Probabilius est, quòd ex commissione supremi Ecclesiæ Capitis vnus Episcopus alium possit consecrare, ita vt ex institutione Christi tres Episcopi sint quidem Ministri ordinarij Episcopatus: vnus tamen ex eadem Christi institutione sufficiat, vt Minister extraordinarius. *Ratio à pari*: Ex institutione Christi solus Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis, & tamen ex eadem Christi institutione simplex Sacerdos per commissionem Papæ, vt supremi Pastoris Ecclesiæ esse eius Minister extraordinarius; & ita factum est in Sardinia ex commissione S. Gregorij. Ergo similiter.

Confirmat hoc praxis Ecclesiæ. Nam Innoc. X. Fabio Chisio Nuntio Colonienſi simul, & Episcopo (qui postea fuit Alexander VII. Papa) Anno 1647. 8. Febr. concessit, vt Jacobum de la Torre posset ordinare in Archiepiscopum Ephesinum assistentibus duabus personis in Ecclesiastica dignitate constitutis: quod & fecit. Item Innocentius XI. concessit Duci Franciæ Orientalis, ac Principi Herbipolensi Domino, Domino Joanni Godefrido ex familia Baronum de Gutemberg, vt per vnicum Episcopum assistentibus duobus infulatis Abbatibus consecrari posset in Episcopum, prout & consecratus est 1686. 29. Decemb. Idem moderno Celsissimo Principi, ac Duci, & Episcopo Joanni Philippo ex Familia Baronum de GreiffenKlan Anno 1699. indulsit Innocentius XII.

* 14 QUÆRO VII. Licetne Episcopatum desiderare, recusare, abdicare, & eo abdicato ad Religionem transire? *Resp.* 1. Secundum se est laudabile, & virtuosum desiderare Episcopatum, per accidens verò illicitum, & vituperabile. Ita S. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 1. *in corp. Declarat hoc S. D.* dicens: In Episcopatu tria possunt considerari. Quorum vnũ est principale, & finale, scilicèt Episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur secundùm illud Joan. vlt. Pasce oves meas. Aliud autem est altitudo gradus; Quia Episcopus super alios constituitur secundùm illud *Matth.* 25. Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Tertium autem est, quod consequenter se habet ad ista, scilicèt reverentia, & honor, & sufficientia temporalium, secundùm illud 1. ad *Timoth.* 5. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Appetere ergo Episcopatum ratione huiusmodi circumstantium bonarum, manifestum est, quòd est illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem. Vndè contra Pharisæos Dominus dicit *Matth.* 23. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Quantùm autem ad secundùm, scilicèt ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum. Vndè Dominus Matth. 20. arguit Discipulos primatum quærentes dicens: Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum; Vbi Chrysostomus dicit, quòd per hoc ostendit, quod gentile est, primatus cupere, & sic Gentium comparatione eorum animam æstuantem convertit: sed appetere proximis prodesse, est secundùm se laudabile, & virtuosum. Verùm quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quòd aliquis præesse appetat ad hoc, quòd subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente: sicut Gregorius dicit in *Pastorali*, quòd tunc laudabile erat Episcopatum quærere, quando per hunc quemquã dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Vndè non de facili inveniebatur, qui hoc onus assumeret, præsertim cùm aliquis charitatis Zelo divinitùs ad hoc incitatur: sicut Gregorius dicit in Pastorali, quòd Isaias prodesse proximis cupiens, laudabiliter officium prædicationis appetit. Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contigeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda, ita quòd opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Vndè Chrysost. dicit super Matth. Opus quidem desiderare bonum, bonum est; primatum autem honoris concupiscere vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem, se odit. *Hæc S. Doct.*

Oppone: Apostolus 1. ad Timoth. 3. ait: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Sed licèt desiderare bonũ opus. Ergo. *Ad hoc* R. S. Doct. *ibidem ad* 1. *dicens*: Sicut Gregor. dicit in Pastorali, illo tempore hoc dixit Apostolus, quo ille, qui plebibus præerat, primus ad Martyrij tormenta ducebatur: & sic nihil aliud erat, quod in Episcopa-

su appeti posset, nisi bonum opus. Vndè Augustin. *dicit 19. de Civit. Dei*, quòd Apostolus dicens: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomé operis est, non honoris. Græcum est enim: *Epi* quippè *super*, *scopus* verò, *intentio* est. Ergo *Episcopi* græcè, si velimus latinè *superintendere* possumus dicere: vt intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. *Hæc ibi.* Vbi S.Thom. plura argumenta solvit, quæ videantur.

* 15 *Resp.* 2. Licitum est modestè recusare Episcopatum, Superiori tamen absolutè injungenti parendum est. *S.Thom. ibid. art.* 2. *Probat* hoc S.D. *in sed contra*, ex S. August. dicente: *Si* quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis. Posteà subdit: Neque otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti, si nulli boni ministrare vellent, qeomodo nasceremini, non inveniretis.

Declarat in c. dicens: In assumptione Episcopatus duo sunt consideranda. Primò quidem, quid deceat hominem apperere secundum propriam voluntatem. Secundò, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantùm ergo ad propriã voluntatem convenit homini principaliter insistere propriæ saluti: sed quòd aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alteriùs potestatem habentis, vt ex suprà dictis patet. Vndè sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc, quòd aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis omnino contra Superioris injunctionem prædictum Gubernationis officium finaliter recuset propter duo: Primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum vtilitati se aliquis debet exponere pro loco, & tempore. Vndè Aug. *19. de Civit. Dei* dicit, quòd negotium justum suscipit necessitas charitatis. 2. Quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis se subjicit. Vndè Gregor. dicit in Pastorali: Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cùm ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est. *Hæc ibi.*

Oppono: De B.Marco Hieronymus dicit in prologo super Marcum, quòd amputasse sibi post Fidem pollicem dicitur, vt Sacerdotio reprobus haberetur. Similiter aliqui votum emittunt, vt nunquam Episcopatum accipiant. *Subsumo*: Sed eiusdó rationis est, ponere impedimentum ad aliquid, & omnino recusare illud. Ergo videtur, quod absque peccato possit aliquis absolutè recusare Episcopatum.

Vtrumque solvit S.Thom. *ibid. ad* 3. *dicens*: Accipere Episcopatum non est de se necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex Superioris præcepto. His autem, quæ sic sunt necessaria ad salutem, potest aliquis impedimentum licitè apponere, antequam fiat præceptum: alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, ne per hoc impediretur à susceptione Episcopatus, vel sacri Ordinis: nõ autem hoc liceret in his, quæ per se sunt de necessitate salutis. Vnde B.Marcus non contra præceptum egit sibi digitum amputando, quamvis eum credibile sit hoc ex instinctu Spiritus Sancti fecisse, sine quo non licèt alicui sibi manum injicere. Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatum, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quòd nec per obedientiam Superioris Prælati accipiat illicitè vovet. Si autem intendit ad hoc se obligare, vt, quantùm est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum: quia vovet se facturum id, quod homini facere decet. *Hæc ibi.* Videantur, & alia argumenta S.Thomæ.

* 16 *Resp.* 3. Episcopus tamdiu tenetur Episcopatum retinere, & curæ pastorali insistere, quamdiù potest subditis sibi commissis proficere ad salutem. 2. *Nec potest* curam pastoralem deponere, eligendo quietem divinæ contemplationis. 3. *Neque* propter quæcumque adversa vitanda, vel lucra acquirenda. Ita *S.D. ibid. a.* 4. *in c.* Vbi *Primam partem* probat ex eo, quod perfectio Status Episcopalis consistat in hoc, quod aliquis ex divina dilectione se obligat ad hoc, quod saluti proximorum insistat. Ergo vera est prima pars. 2. *Partem* probat exemplo Apostoli, qui propter necessitatem subditorum etiam à contemplatione futuræ vitæ se differi patienter toleraret secundùm illud ad Philip. 1. Ecce quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cũ Christo, multò magis meliùs: permanere autem in carne, necessarium est propter vos: & hoc confidens scio quia manebo. 3. *Partem* probat ex illo Joann. 10. Bonus Pastor ponit animam suam pro ovibus suis.

Resp. 4. Contingit quandoque, quod Episcopus impediatur multipliciter procurare salutẽ subditorum, quandoque quidem propter defectũ proprium, vel conscientiæ, sicut si sit homicida, vel simoniacus: vel etiam corporis, puta, si sit senex, vel infirmus: vel etiam scientiæ, quæ sufficiat ad curã Regiminis: vel etiam irregularitatis, puta, si sit bigamus. Quandoque autem propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere, vt omnino desit fructus de bonis, & labor sit supervacuus de malis. In his casibus potest Episcopus ad Religionem transire. Ita S.Thom. *ibid. in c. & ad* 2. *Ratio*: Quia deficit finis muneris Episcopalis, vt patet ex 1. *p. R.* 3. eiusque probatione.

Notanda hic sunt verba S.Thom. *in fine corp.* Oportet, quòd sicut curam Regiminis assumit aliquis per providentiam superioris Prælati, ita etiam per eius auctoritatem ex causis prædictis deserat suscepram. Vnde *extra, de renuntiatione* dicit Innoc. III. Si pennas habeas, quibus faragas in solicitudine avolare, ita tamen strictę sunt nexibus præceptorũ, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum: soli enim Papæ licèt dispensare in voto perpetuo; quo quis se ad curam subditorum adstrinxit, Episcopatum suscipiens. *Hæc ibi.*

Oppono 1. Nulli licèt de statu perfectiori transire ad imperfectiorem, hoc enim esset retrospicere, quod est damnabile, iuxta illud Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est Regno Dei*: Sed Status Episcopi est perfectior Religioso. Ergo: 2. *In* operibus gratiæ nihil debet esse otiosum, seu sine actu: Sed in eo, qui ab Episcopatu transiret ad Religionem, potestas conferendi Ordines, confirmandi, & similia Episcopalia faciendi, esset otiosa. *Ergo*:

Ad 1. negat S.Thom. quod talis retrocedat. Quod explicat *ad* 1. *dicens*: Perfectio Religiosorum, & Episcoporum secundùm diversa attenditur. Nam ad perfectionem Religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriam salutem. Ad perfectionem autem Episcopalis Status pertinet adhibere studiũ

ad proximorum salutem. Et ideò, quamdiù potest esse aliquis utilis proximorum saluti, retrocederet si ad statum Religionis vellet transire, vt solùm suæ saluti insisteret, qui se obligavit ad hoc, quòd non solùm suam salutem, sed etiam aliorum procuraret. Vnde Innoc. III. dicit in Decretali prædicta, quòd faciliùs indulgetur, vt Monachus ad Præsulatum ascendat, quam Præsul ad Monachatum descendat. Sed, si salutem aliorum procurare nō possit, conveniens est, vt suæ saluti intendat. Hæc ibi. *Ad 2. dist. mai.* Non debet esse sine actu per se, *conc.* per accidens, *neg.* Vnde S. Thom. *ibid. ad 3. ait*: Etiam in rebus naturalibus propter impedimentum superveniens potentia remanet absque actu, sicut propter infirmitatem oculi cessat actus visionis, & ita etiam non est inconveniens, si propter exterius impedimentum superveniens, potestas Episcopalis remaneat absque actu. Hæc ibi.

* 17 *Resp. 5.* Impedimento cessante potest Episcopus iterato ad Episcopatum assumi, pura, per correctionem subditorum, vel per sedationem scandali, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorantia per instructionem sufficientem, vel etiam si simoniacè sit promotus eo ignorante, si se ad regularem, viram Episcopatu dimisso transtulerit, poterit iterato ad alium Episcopatum promoveri. Ita *Sanct. Doct. ibidem ad 2.*

Resp. 6. Si aliquis propter culpam sit ab Episcopatu depositus, & in Monasterium detrusus ad pœnitentiam peragendam, non potest iterato ad Episcopatum revocari. Vnde 7. q. 1. cap. *Hoc nequaquam*, dicitur: Præcipit S. Synodus, vt, quicumque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ descenderit locum, nequaquam ad Pontificatum resurgat. Ita S. D. ibidem.

* 18 QUÆRO VIII. Teneanturne Episcopi ad Residentiam? *Resp.* 1. Concilium Trident. sess. 6. *de reform. cap. 1. sic statuit*: Præcipitur Episcopis, vt in Ecclesijs suis resideant, ne greges sibi comissos Mercenariorum more deserant, sed ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo iudice requirendus, custodiæ incumbant: cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. In eodem cap. statuitur pœna contra Patriarchas, Ptimates, Episcopos, &c. absque iusta causa extra Diœcesim morantes. Quæ sit pœna, & eius quantitas, ibi videatur. Idem Statutum renovat *sess. 23. de reform. cap. 1.* & declarat intelligi etiam de Episcopis, qui sunt Cardinales. Decernit etiam legitimas absentiæ causas à Papa, aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiore residente (qui idem Metropolitani absentiam probare debebit) in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ Officium, Episcopatibus adiunctum, cuius causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, quo tamen in casu ovibus providendum, ne damnum patiantur.

Ibidem sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, vt id æqua ex causa fiat, & absque vllo gregis detrimento. Sed hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes. Item Corporis Christi diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali vllo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent.

Eum, qui oppositum facit, declarat ibidem peccati mortalis reum, ac pro rata temporis absentiæ fructus non facere suos, nec tuta conscientia eos sibi detinere posse, alia etiam declaratione non secuta, renovatque simul alias pœnas. Vide ibidem. Vbi etiam decernit, Curatos inferiores non posse ab esse à sua Ecclesia, nisi causa per Episcopum probata, & relicto idoneo Vicario approbato, ab ipso Ordinario, cum debita mercedis assignatione.

* 19 *Resp. 2.* Angelicus *Doct. 2. 2. q. 185. a. 5.* quærens, an Episcopo liceat, propter aliquam persecutionem corporalem deserere gregem suum; Resolvit, quod non, nisi ei sufficienter per alium providere possit. Vbi subditorum salus (ait) exigit Personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si verò subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum corporaliter gregem deserere. *Ita S. D.* ex quo in *Sed Contra* id probatur sic: Episcopi sunt Successores Apostolorum: Sed Apostolis mandavit Dominus Matth. 10. Si vos persecuti fuerint in vna civitate, fugite in aliam. Ergo.

Oppono: Talis Episcopus fugiens dicetur Mercenarius, & non verè Pastor (*Ioann.* 10.) quia videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. *Ad hoc S. Thom. ibid. ad 1. ait*: Ille tanquam Mercenarius fugit, qui commodum tempotale, vel etiam salutem corporalem spirituali saluti proximorum præponit. Vnde *Gregor. hom. 14. in Evang. dicit*: Stare in periculo ovium non potest, qui in eo, quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit: Et ideò opponere se contra periculum trepidat, ne hoc, quod diligit, amittat. Ille autem, qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam Mercenarius fugit. *Hæc ibi.* Vnde negatur *ant.* Idem Angelicus Doctor ibid. *q. 184. art. 7. ad 1. inquit*: Apostolus dicit: Scio, & abundare, & penuriam pati, ad hoc autem maximè tenentur Episcopi, quod omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo. *Hæc ibi.*

* 20 QUÆRO IX. Licetne Episcopo possidere proprium? teneturne sub mortali bona Ecclesiastica erogare pauperibus? *Resp.* 1. Episcopi non tenentur vivere sine proprio. *Ita S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 6. Ratio* eius in corp. Ad ea, quæ sunt supererogationis, nullus tenetur, nisi se specialiter voto adstringat. Vndè *Aug. in Epist. ad Paulinam, & Armentarium dicit*: Quia iam vovisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. *Subsumo*: Sed vivere absque proprio est supererogationis, non enim cadit sub præcepto, sed sub consilio: Vnde *Matth. 19.* cum Dominus dixisset Adolescenti, Si vis ad viram ingredi, serva mandata, posteà super addendo subdidit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: Episcopi autem in sua ordinatione se non obligant ad hoc, vt absque proprio vivant, nec ex necessitate

ad

ad pastorale officium requiritur *sine* proprio vivere *Ergo*.

Oppono 1. Episcopi assumuntur ad statum perfectionis: Sed ad perfectionem requiritur voluntaria paupertas, vt patet ex adductis Christi verbis. *Ergo*. 2. *Episcopi* tenent locum Apostolorum; Sed his Dominus *Matth*. 10. Præcipit: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris. Vnde & Petrus pro se, & pro allijs Apostolis dixit: *Ecce* nos requisimus omnia, &c. *Ergo*.

Ad 1. *dist min*. Requiritur essentialiter, *neg*. Instrumentaliter, *conc*. Vnde S. Thom. *cit. art*. 6. *ad* 1. *ait*: Perfectio Christianæ vitæ non consistit essentialiter in voluntaria paupertate, sed voluntaria paupertas instrumentaliter operatur ad perfectionem vitæ. Vnde non oportet, quod, vbi maior paupertas est, ibi sit maior perfectio; quinimo potest esse summa perfectio cum magna opulentia. Nã Abraham, cui dictum est *Genes*. 17. Ambula coram me, & esto perfectus, legitur fuisse dives. Hæc ibi.

Ad 2. S. D. ibid. dat tres explicationes. 1. *Ex S. Hieron*. verba Christi intelligi mysticè, vt non possideamus, &c. id est, vt Prædicatores non innitantur principaliter sapientiæ, & eloquentiæ temporali. 2. *Ex S. August*. hoc Dominum non præcipiendo, sed magis permittendo dixisse Discipulis, accepturis sumptus vitæ ab his, quibus prædicabunt. Vnde subdit: Dignus est enim operarius cibo suo. 3. *ex S. Chrysost*. vt intelligatur, illa Dominum præcepisse Discipulis quantùm ad illam missionem, qua mittebantur ad prædicandum Judæis, vt per hoc excitarentur ad confitendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus provideret. Ex quo tamen non obligabantur ipsi, vel Successores eorum, vt absq; ue proprijs sumptibus *Evangelium* prædicarent. Nam & de Paulo legitur 2. *Cor*. 11. quod ab allijs Ecclesijs stipendium accipiebat ad prædicandum Corinthijs: & sic patet, quod aliquid possidebat ab alijs sibi missum. *Hæc ibi ad* 2.

Resp. 2. Ad secundam Quæsiti partem sat fusè data est resolutio suprà de dominio Clericorũ *T*. 8. *E*. 2. *n*. 33. Vide etiam suprà de *Eleemosyna T*. 7. *E*. 6. *n*. 8.

* 21 QUÆRO X. Religiosi ad *Episcopatus* assumpti tenẽturne ad observantias Regulares? *Resp*. Ille, qui de Monacho fit *Episcopus*, absolvitur à iugo monasticæ professionis, non quantum ad omnia, sed quantum ad illa, quæ Officio Pontificali repugnant. *Ita S. D*. 2. 2. *q*. 185. *a*. 8. *ad* 1. non verò quoad illa, quæ non impediunt, sed magis valent ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi, vnde etiam manet obligatus ad portandum habitum suæ Religionis, qui est huius obligationis signum, vt explicat. S. *D. in c. subdens*, quod quæ Officio Pontificali repugnant, sint solitudo, silentium, & aliquę abstinentiæ, vel graves vigiliæ, ex quibus impotens copore redderetur ad exequendum Pontificale Officium.

Ratio S. Thom. ibidem: Status Religionis ad perfectionem pertinet, quasi quædam via ad perfectionem tendendi: Satus autem *Episcopalis* ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis magisterium: Vnde Satus Religionis comparatur ad Statum *Episcopalem*, sicut disciplina ad Magisterium, & dispositio ad perfectionem. *Subsumo*: Sed dispositio non tollitur perfectione adveniente, nisi fortè quantum ad id, in quo perfectioni repugnant: quantum autem ad id, qnod perfectioni congruit, magis confirmatur. Sicut discipulo, cum ad magisterium pervenerit, non congruit, quod sit auditor, congruit tamen sibi, quod legat, & meditetur, etiam magis quam antè. *Ergo*.

* 22 *Quid sentis* de voto Obedientię *Episcopi* Monachi? 2. *Quid* de Paupertate? Quia iura dicunt, quem sacra ordinatio de Monacho *Episcopum* facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem vindicandi potestatem habet. 3. *Quid* de testamento?

Ad hoc S. Thom. ibidem ait: *Ad* 1. quidem, per accidens est, quod *Episcopi* Religiosi obedire Prælatis suorum Religionum non tenentur, quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi Prælati Religionum: manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet, quod si eis legitimè aliquis præficeretur, obedire tenerentur, inquantum tenentur obedire Satatis Regulæ per modum prædictum, & suis Superioribus, si quos habent. De quo vide suprà de voto solemni *T*. 10. *E*. 3. *n*. 48. ex S. Thom. *Ad* 2. *ait*: Proprium autem nullo modo habere possunt, non enim paternam hæreditatem vindicant quasi propriam, sed qnasi Ecclesiæ debitam. *Ad* 3. *inquit*: Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum *Ecclesiasticarum*, quæ morte finitur, ex qua incipit Testamentum valere: vt Apostolus dicit ad *Heb*. 9. Si tamen ex concessione Papæ Testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere Testamentum, sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, vt ejus dispensatio possit valere post mortem. Hæc ibi.

* 23 QUÆRO XI. Peccantne *Episcopi*, & quam graviter, si ordinent, confirment, consecrent Chrisma, aut Oleum infirmorum in mortali? Quæ dispositio requiritur, vt sine mortali ministrent? Ad hæc omnia R. suprà in Tract. de Sacramentis in Communi, nimirum *T*. 11. *E*. 4. *n*. 24. R. 4. Et Chrismate, & oleo *ibid*. post. *R*. 7. De dispositione vide ibidem *n*. 29. *ad* 2. 8.

* 24 QUÆRO XII. Quomodo intelligitur illud axioma Canonistarum, Quod potest Papa in tota Ecclesia, id etiam potest Episcopus in sua Diœcesi? *Resp*. Habet varias explicationes. 1. *Intelligitur* de potestate Ordinis, non iurisdictionis. Vnde S. Thom. in *Supplem*. *q*. 40. *a*. 6 *ad* 3. *ait*. Omnem actum hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione Sacramentorum, potest, facere Episcopus. 2. *Cum* dependentia, & subordinatione ad Papam velut ad Superiorem 3. *De ordinaria*, & cõmuni gubernatione, exclusis illis causis maioribus, quæ insignum specialis Privilegij, ac supremæ potestatis sunt reservatæ Papę, & Ecclesię Romanæ. Hæc enim prima est, & Diœceses, ac Episcopatus inferiores divisit, ijsque vices suas largita est, eorumque Prælatos vocavit in partem sue sollicitudinis, non implenitudinem potestatis.

Causæ maiores reservatæ soli Papæ sunt, *v. g.* dispensatio in impedimentis Matrimonij, depositio, vel translatio Episcopi, Diœcesium divisio, vel mutatio: Statutum contra vniversales Leges, aut consuetudines Ecclesiæ, vel etiam in præiudicium iuris Ecclesiarum inferiorum causa maxima non argente. Quia, vt ait Glossa in cap. *constitutus*, verb. *à quocumque*, *de Relig. domibus*. *Solius supremi Principis est* per plenitudinem potestatis postulante causa publica *vni auferre, & alteri dare*.

QUÆ-

* 25. QUÆRO XIII. Potestne, & debetne in Ecclesia esse aliquis Superior suprà Episcopos, nimirum Papa? & quomodo Episcopi, & Papa eligantur? *Resp.* 1. affirm. *ad* 1. *part.* cum Ang. Doctore *in Supplem. q.* 40. *a.* 6. *Ratio* S. Thom. *ibidem.* Vbicumque sunt multa Regimina particularia ordinata ad vnum, oportet esse vnum vniversale super illa, quia aliàs non posset esse colligatio ad vnum: Sed Ecclesia est vnum corpus, suntque in ea plura particularia Regimina particularium Ecclesiarum Episcopalium. Ergo, vt illa vnitas conservetur, debet esse aliqua potestas vniversalis super potestatem Episcopalem, & illa est potestas Papæ. Et qui hanc potestatem negant, dicuntur Schismatici, quasi divisores vnitatis Ecclesiæ.

Resp. 2. Quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & solvendi, tamen, vt in hac potestate ordo aliquis significaretur, primò soli Petro data est, vt ostendatur, quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere: propter quod etiam ei dixit singulariter: *Confirma Fratres tuos.* Et, *Pasce oves meas*, idest, loco mei (vti dicit Chrysost.) Præpositus, & Caput esto Fratrum, vt ipsi te in loco meo assumentes, vbique terrarum te in Throno suo sedentem prædicent, & confirment. Ita Sanct. Doct. *art.* 6. *cit. ad* 1.

Resp. 3. Papatus, seu Primatus totius Ecclesiæ jure divino nimirum à Christo fuit translatus in Petrum, & Successores eius. Vnde Papa dicitur Pater Patrum à Græco *Papas* Ordinarius Ordinariorum, Caput omnium Dignitatum, & Ordinum Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Ita de Petro patet ex Christi verbis ad ipsum, adductis ex S. Thom. in R. 2. quibus addenda sunt illa Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt*, &c. Quæ idem probant de Successoribus Petri, cùm enim Ecclesia sit visibilis (vt probatum est suprà de Fide, *T.* 7. *E.* 1. *n.* 30.) debet habere visibile Caput, à quo visibiliter regatur, ac custodiatur, vt portæ inferi non prævaleant adversus eam, à quo oves errantes doceantur, & ad Ovile reducantur. Hoc visibile caput Ecclesiæ ante suam Ascensionem erat ipse Christus, post eam Petrus, & Successores eius. Immò Synagoga habuit visibile Caput, nimirum Summum Sacerdotem, cur ergo non etiam Ecclesia, vtpotè per Synagogam præfigurata?

De Papa varia dicta sunt suprà de Fide, *cit. E.* 1. *n.* 32. *& seqq.* quòd nimirùm sit Regula Fidei, quòd, vt talis non possit errare, quòd sit supra Concilium, quòd eius sit Concilia convocare. Quæ ibi videantur. Item quòd à nemine possit judicari, nisi à solo Deo. Ibidem. Quòd sit solutus à Legibus humanis quoad vim coercitivâ *T.* 6. *E.* 5 *n.* 60. De eius potestate condendi, sive Ecclesiasticas, sive civiles Leges. Ibidem num. 1. An possit civiliter disponere circa Regna, & Provincias aliorum Principum, etiam sæcularium; ibidem R. 3.

* 26 *Resp.* 4. Pro diversitate temporum Episcopi, & Papæ diversimodè fuerunt electi. *Declaratur* 1. *de Episcopis*: Singuli Apostoli habuerunt ius constituendi Episcopos: Apostolis defunctis hoc jus mansit in Successoribus S. Petri, quorum partim tacito, partim expresso consensu contigit, vt posteà pro locorum, & temporum diversitate fuerint à plebe nominati, à Clero electi, vel è contra à Clero nominati, à Plebe electi: interdum à Plebe, & Clero simul, vt patet in electione S. Ambrosij. Tempore Caroli Magni (*qui vixit Anno* 800.) ius Cleri, & Populi fuit translatum in Imperatorem, ab Imperatoribus denuo in Plebem, & Clerum; Tandem sub Clemente V. qui sedit *Anno* 1305. *& seqq.* translatum est in Collegium solius Cleri: Post Clementem aliqui Reges à Sede Apostolica iterum impetrarunt Privilegium, Episcopos nominandi, eligendi, Papæ instituendos offerendi, vel dato annulo, ac porrecto baculo investiendi. Hoc privilegio adhuc vtuntur Reges Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, &c. sine tamen dicta investitura. Verum Cæsares Romani post Concordata Germaniæ liberam electionem relinquunt Collegijs Canonicorum.

Declaratur 2. *de Papa*: Similiter ad electionem Papæ olim concurrebat solus Clerus populusque Romanus. Sed posteà Carolo Magno ob magna eius in Ecclesiam merita datum fuit Privilegium eligendi Papam, vt patet in cap. *Adrianus* 22. dist. 63. Quod autem persona sæcularis per privilegium sit capax juris spiritualis, patet in jure Patronatus sæcularibus concesso. Verum quia experientia teste imprimis eligentium multitudo, posteà verò nimia Imperatorum potentia electionem Papæ sæpè valdè turbabat, revocato privilegio (vti propter abusum, & ob publicam vtilitatem revocari potest, vt constat ex tit. *de Privilegijs*) Papa, & Concilia Generalia hoc jus dederunt solis Cardinalibus tempore Alexand. III. qui sedit *Anno* 1160. *& seqq.*

Nota, quòd quamvis in alijs electionibus sufficiat (vt quis legitimè electus sit) maior, & sanior eligentium pars, electio tamen Pappæ, vt subsistat, debet habere duas tertias, seu duas partes, Collegio in tres partes diviso. Quomodo ante electionem Cardinales includantur Conclavi, singuli per Cubicula, & Cellas, & quæ solemnitas Romæ fiat cum Papa noviter electo, videatur in alijs AA.

* 27 QUÆRO XIV. Quid censes de alijs Ecclesiasticis Dignitatibus, vel Officijs, v. g. Cardinalatu, Patriarchatu, Primatu, Archiepiscopatu? *Ante R. Nota*, differentiam esse inter Dignitatem, Personatum, & Officium. *Dignitas* est rerum Ecclesiasticarum administratio habens adjunctam jurisdictionem, vt Præpositura, Decanatus, Prioratus, apud Dominicanos, & Augustinianos, Guardianatus apus Franciscanos, Rectoratus apud Jesuitas. *Personatus* est prærogativa quædam in Ecclesia sine jurisdictione, vt dum quis præ alijs habet digniorem locum, vel sedem in Choro, Confessu, Collegio, in precedentia, in ferendo suffragio, &c. *Officium* est administratio rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione: sic in Ecclesijs Cathedralibus Sacristæ, Custodes, seu Thesaurarij, vt vocant; si in Sub Custodes, aut alios eis subordinatos non habeant veram jurisdictionem, Officium habent, sed non Dignitatem. Verum tamen est, quòd hæc duo vulgariter pro eodem sumantur. Hoc prænotato.

CARDINALATUS.

* 28 *Resp.* Ad singula: Cardinales (considerando etymologiam nominis) sunt quasi *Cardines* Ecclesiæ Romanæ, in quibus illa volvitur, & regitur. De quibus Concil. Tridentin. Sess. 25. de reform. cap. 1. in fine ait: *Quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest non ijs etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos convertant.* Et

Sess

Sess. 24. cap. 1. decernit, vt *Romanus Pontifex ex omnibus Christi unitatis nationibus lectissimos sibi Cardinales adsciscat.*

Cardinalatus non est Ordo, sed *secundum se* est tantum nomen Officij, sunt enim Consiliarij Papæ. Et licèt non omnes Cardinales sint Episcopi, sed *in suis Titulis* tantum Cardinales Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi, attamen ratione Officij, vi cuius sunt præfecti vtilitati totius populi Christiani, præcedunt omnes Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas, cùm hi solùm vnius privatæ Patriæ curam gerant. Creantur Cardinales à solo Papa, qui eorum numerum potest augere, vel minuere. Habent tamen Imperator, & alij Reges ius nominandi Papæ quædam qualificata subiecta pro Cardinalatu. Vtuntur rubeo colore ad contestandum se pro Romana Ecclesia sanguinem (vbi necesse fuerit) profundere paratos esse. Inter cætera eorum privilegia (quæ in alijs AA. videantur) dicitur esse, & hoc consuetudine introductum, vt si quem ad supplicia ductum, pileo, vel veste tegant, is liberetur.

PATRIARCHATUS.

* 29 Patriarcha est nomen græcum, latinè significat idem, quod *Summus*, seu *Princeps Patrum*. In Jure Canonico quidem non differt à Primate, vsus tamen obtinuit, vt quatuor nominentur Patriarchæ principales, nimirum Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, Constantinopolitanus. Et per Papę indulgentiam, vel inveteratam consuetudinem adhuc quatuor minus principales, nimirum Aquilejensis, Venetus, Æthypiæ, & Indiarum. Patriarcha est maior Archiepiscopo, hic enim præest solùm vni Vrbi; Vel, quia hæc Vrbs est Caput aliarum Episcopos habentium, dicitur præesse vni Provinciæ, puta, ex pluribus Diœcesibus constitutæ. Patriarcha verò præest pluribus Provincijs, & Archiepiscopi, eius potestati sunt subiecti.

PRIMATUS.

* 30 Primates, à quibusdam Patriarchę dicti, sunt aliqui Archiepiscopi potentiores, qui Metropoles regunt, vt in Hispania Toletanus, in Vngria Strigoniensis, in Germania nunc Salisburgensis, olim Magdemburgensis. Primas, & Patriarcha minùs principalis in effectu nihil differunt, sed solo differunt titulo.

ARCHIEPISCOPATUS.

* 31 *Archos* est nomen græcum, latinè significat idem, ac *Primus*, vel *Princeps*. Vnde Archiepiscopus est Princeps Episcoporum, qui communiter habet sub se alios Episcopos, qui dicuntur eius Suffraganei, attamen valdè differunt ab illis Suffraganeis quos nonnulli Germaniæ Episcopi habent in pontificalibus Vicarios, qui sunt titulares solùm Episcopi, titulo desumpto ab aliquo Episcopatu sito in terris Infidelium, seu quas Infideles, *v. g.* Turcæ, occuparunt. Vocatur etiam Metropolitanus, denominatione desumpta à sua Residentia, seu Metropoli, quę est principalis Civitas totius Provinciæ, sumendo partem pro toto. Archiepiscopus est ordinarius, & immediatus Judex suorum Suffraganeorum: attamen populi Suffraganeis subiecti Judex communiter non est, nisi per appellationem.

Archiepiscopis (vti & Patriarchis, immò ex speciali gratia, & privilegio etiam quibusdã Episcopis, vti Bambergensi, &c.) convenit etiam vsus Pallij à Papa dati, quod significat plenitudinem Pastoralis, & Archiepiscopalis Officij, quo Archiepiscopus certis solùm diebus, & intra Ecclesiã, (ideſt, intra suam Provinciam) vti potest. Extra Provinciam eo vti potest per Privilegium Apostolicum accedente licentia Episcopi, cuius est Diœcesis aliena, ad exercenda Pontificalia; & consensu Archiepiscopi, (cuius est Provincia) ad vsum Pallij. Plura hic dici possent de Archidiacono, Archipresbytero, Diacono, Plebano, Parocho, sed hæc vide in Canonistis.

* 32 QUÆRO XV. & vltimo. Cœlibatus estne jure Divino, vel Ecclesiastico sacris Ordinibus annexus? *Resp.* Cœlibatus sacris Ordinibus non est annexus jure Divino. 2. *Sed* tantùm Ecclesiastico. 3. *Et valdè* convenienter. 1. & 2. *Pars* docetur clarè S. T. 2. 2. q. 88. art. 11. in corp. dicente: *Non est essentialiter annexum debitum continentiæ Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ: est autem essentiale statui Religionis.* Ex quo S. D. probat ibi, Papam posse dispensare in voto continentiæ Ordinis sacri, non autem Religionis, vt dictum est suprà *Tract.* 10. *Exam.* 3. *num.* 48.

Ratio 1. *p.* Matrimonium non potest in Sacramentorum Ministris habere causam suæ prohibitionis, nisi propter vsum eius, quia nimirum ille Sacramentorum ministris repugnat: Sed Matrimonij vsus illis, qui sunt in sacris, non est prohibitus jure Divino. Ergo nec ipsum Matrimonium. Maior est clara. *Min. prob.* Ecclesia Sacerdotibus græcis ante suam Ordinationem conjugatis permittit vsum Matrimonij, vt licitum, vt nemo negat: Sed si ille vsus esset jure divino prohibitus, Ecclesia non posset eum permittere, vt licitum, quia nihil potest contra jus divinum.

Notanda hic est differentia inter Sacerdotes, ac Levitas Veteris, & Novæ Legis; Nam de primis habemus plura Scripturæ loca, quibus Deus jubet eos ab vsu Matrimonij abstinere tempore suæ vicis: De Sacerdotibus autem, & Levitis Novi Testamenti, nullum legitur in Scriptura testimonium, quo idem eis præcipiatur: immò plures in oppositum sunt Conciliorum, & Patrum authoritates, quas adducit Gonet, cuius est hæc doctrina. Nec refert, quòd Dei præceptum respectu Sacerdotum, & Levitarum Vet. Testam. sit morale, & fundatum in ipsa Virtute Religionis, & puritate, quam in Ministris sacrosancta mysteria requirunt. Nam hæc solùm congruentiam, non necessitatem indicant, cùm nullam ex natura sua indecentiam, cultui divino repugnantem vsus Matrimonij habeat, quamvis aliquam haberet, ex hoc solùm posset colligi, teneri jure divino sacros homines ab vsu conjugij abstinere eo tempore, quo sunt altari ministraturi: quo etiam tempore Græci (exemplo Sacerdotum, & Levitarum Veteris Testamenti) ab Vxoribus abtinẽt. Ita dictus Auct. Et sic quoad hoc est paritas.

2. *Pars* patet ex Trid. *Sess.* 24. *Can.* 8. *sic definiente*: Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit. *Ratio*: Quia Ecclesia non potest dispensare in jure divino: Sed pluries dispensat in voto continentiæ tię Ordinis sacri ad nubendum.

3. *Pars* probatur ex eo: Quia, cum Sacrificium Altaris augustissimum sit, & sanctissimum, simulque purissimum, & eius Hostia sit purissimæ Virginis, & Dei Filius, omnis puritatis fons, decens est, vt, qui illud tractant, eique inserviunt, insigni mentis, & corporis puritate accedant: eam autem minuit carnalitas, quam secum fert vsus Matrimonij. Ergo.

* 33 *Oppono* 1. S. Paulus 1. *Cor.* 9. *ait*: Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem (hæretici interpretantur vxorem) circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephas. Ergo similiter Clerici Vxores habere possunt exemplo Apostolorum. 2. 1. *ad Timoth.* 3. *ait*: Oportet Episcopum esse vnius Vxoris Virum. 3. *Præceptum* naturale est *Genes.* 1. *traditum*: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.

Ad 1. *R.* intelligi de pijs mulieribus, quæ erant in comitatu Apostolorum, ministrantes illis, sicut legitur de illis, quæ Christum sequebantur, eique de suis facultatibus ministrabant. Certum enim est, quod Apostoli (si plures præter Petrum, de quo solo id constat, vxorati fuerint) dereliquerint vxores saltem quoad thorum, & commercium coniugale, quod patet tum ex illis verbis Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, quomodo *omnia si* non vxores? Tum ex illo dicto Christi: Si quis non reliquerit Patrem, Matrem, aut Vxorem, non potest meus esse Discipulus.

Ad 2. Sensus est, non quasi Episcopus debeat habere vxorem, sed vt nemo fiat Episcopus, qui habuit plures vxores, seu vt non sit bigamus (de quo suprà *T.* 14. *E.* 1. *n.* 55.) quia bigamia est impedimentum susceptionis Ordinis.

Ad 3. Esse præceptum naturæ obligans totam Communitatem, non verò quemlibet in particulari. Simile est in præcepto naturali agriculturæ, de quo infrà *T.* 16. E. 1. *n.* 4. R. 2.

Colligitur ex dictis, quod Ecclesia nulli absolutè prohibeat nubere, nec præcipiat absolutè servare continentiam, sed solum ex suppositione, quod si quis velit, vel Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere. Quod vtrumque cum homini sit liberum, nemo habet iustam causam murmurandi, vel quærulandi contra Ecclesiam: quia non Ecclesia, sed ipse seipsum voluntariè obligavit.

* 34 *Esto nova*, vel antiqua lex, vt cõtinentia seruetur ab *Ecclesiæ* Ministris? *Dico* esse antiquissimã, & ab Apostolis introductã. Nam Apostolus ad Titum 1. ait: *Oportet Episcopum continentem esse*. Vbi NB. quod non dicat *castum esse*, quia datur etiam, & seruanda est castitas coniugalis, coniugio legitime, & in bonum finem vtendo: sed dicit *continentem*, id est, continentem se ab amplexu vxoris, vt explicat S. Hieronym. qui testatur, quod suo tempore Orientalis Ecclesia, aut Virgines Clericos accipiebat, aut continentes: Vel si vxores habuissent, desistebant esse mariti, puta, quoad actum coniugalem. Et ita in vniversali Ecclesia obseruatum fuisse patet ex Concil. Carthag. 2. vbi Can. 2. legitur: *Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab Vxoribus se abstineant, vt, quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Quod autem ibi non fiat mentio Subdiaconatus, non obstat, quia ille imprimitiva Ecclesia non numerabatur inter Ordines sacros, insensu nimirum suprà in E. 2. *n.* 6. *post* R. 8. explicato, quia non habebat annexum votum continentiæ, sed vniversaliter, hoc enim fuit ei annexum tempore Gregorij Magni, vt patet ex Can. *Ante triennium, dist.* 31. Lex ergo illa in Ecclesia Latina semper fuit seruata.

* 35 Cur *non* etiam in Ecclesia Græca? *Dico*: Ob melius bonum illius gentis, seu ad maiora eius mala cauenda, Græcis ab Ecclesia permittitur viuere in Matrimonio ante susceptos Ordines contracto: hinc à complexu vxorum non tenentur abstinere, nisi quando sacris altaribus sunt accessuri; Episcopis tamen non licet cohabitare vxoribus ante Ordinationem ductis? immò de facto Græci ordinariè non eligunt in Episcopum, nisi vel Religionem professum, vel qui perpetuam castitatem seruet, & vxorem non habeat, vti noster Gonet testatur se audiuisse à Patribus nostri Ordinis, qui diù in Græcia commorati fuerant, & Ecclesiæ Græcæ ritus, & consuetudines apprimè noverant. Quando autem lex illa in Ecclesia Græca fuerit abrogata, pro certo non constat, alijs sic, alijs sic sentientibus. Certum tamen est, quod vsus Matrimonij ante susceptos Ordines cõtracti, ministris altaris in Ecclesia Græca iam fuerit licitus Anno 683. vt clarè patet ex *Can.* 13. sextæ Synodi, eo anno absolutæ.

De Ordine sacro, in quantum est impedimentum dirimens matrimonium, agetur infrà *T.* vlt. E. 6. *ad* 2. 3. vbi videatur.

TRACTATUS XVI.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

SACRAMENTUM hoc magnum est, vt testatur Apostolus *Ephes.* 5. quo completur sacer septenarius Sacramentorum *Nouæ Legis* numerus à Saluatore institutus: vltimo autem statuitur loco, quia, vt *Angelicus Doctor* 3. *p.* q. 65. *a.* 2. *ad* 1. *ait*: Matrimonium, secundum quod ordinatur ad animalem vitam, est naturæ officium, secundum quod habet aliquid spiritualitatis, est Sacramentum. Et quia minimum habet de spiritualitate, vltimò ponitur inter Sacramenta. Cuius aliam rationem *ibid. in. c. dat S. D.* quam vide suprà *T.* 11. E. 4. De hoc ergo vltimo Sacramento, pro huius Operis complemento in vltimo eiusdem Tractatu agendum est cum Angelico Præceptore, qui de eo tractat in *Supplem.* 3. *partis. à Q.* 41. *vsque ad* 68. *inclusiue.*

EXA-

EXAMEN I.

De Matrimonio, inquantum est in officium naturæ, *de quo S. D. q. 41. per 4. art.* Et in quantum est Sacramentum, *de quo q. 42. per 4. art.*

* 1 QUÆRO I. Teneturne Confessarius scire doctrinam Theologorum de Matrimonio? *Resp. Affirm.* Ratio patet ex sæpè dictis. Quia Iure naturæ, & propriæ conscientiæ instinctu, ac remorsu quilibet in Officio constitutus obligatur scire, quæ sunt sui muneris, ne se, ac subditos periculo erroris, & peccati exponat: Sed Confessor ex vi Officij est Judex, Doctor, & Medicus pœnitentium, hi verò dum Matrimonio iungendi, vel iam tum iuncti sunt, non rarò se Tribunali pœnitentiæ sistunt, cum causis, casibus, seu dubijs matrimonialibus. Ergo Confessarij est, de ijs saltem in foro Poli iudicare, dubia resolvere, pœnitentem ignorantem docere, consulentem consilio solari, & ita sæpè contingit circa Matrimonij impedimenta sive dirimentia, sive impedientia, antecedentia contractum, vel supervenientia, vti & circa debiti petitionem, aut redditionem, & similia innumera. Ergo horum notitia Confessori est necessaria ex vi officij, & ex conscientia.

* 2 QUÆRO II. Quid est Matrimoniũ secundum se, seu secluſa ratione Sacramenti ſumptum? seu in quo essentia eius consistit? *Ante R. Not.* Matrimonium posse tripliciter considerari. 1. *Vt est* Sacramentum novæ Legis, & sub hac Ratione definitur n. 9. 2. *Sub* ratione contractus civilis, ac naturalis, & sic definitur, quod sit *pactio legitima inter virum, & mulierem ad mutuum commercium, & individuam vitæ societatem.* Et hic contractus mutuam obligationem habet vt proprietatem. 3. *Sumitur* vt vinculum, & definitur, quod sit *conjunctio maritalis inter legitimas personas, virum, & mulierem, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Sub hac ratione, eius proprietas est indissolubilitas, seu perpetuitas. Hæc definitio danda est, quoties absolutè de Matrimonio quæritur, quod sub hac, & secunda consideratione est præcisè in officium naturæ qualiter ab initio fuit inter Adamum, & Evam, & est de facto apud Gentes etiam barbaras, sine ratione Sacramenti hac definitione per ly *coniunctio* intelligitur vnio animorũ, non corporum. Per ly *maritalis* excluditur coniunctio cõcubinaria, fornicaria, sodomitica, bestialis, &c. Per ly *inter legitimas personas* intelligũtur personæ diversi sexsus omni impedimẽto, præsertim dirimente, carentes. *Hoc notate.*

Resp. Matrimonium secluſa ratione Sacramenti, seu secundum rationem propriam ſumptum, nimirum in tertio sensu antè in *Not.* explicato, essentialiter, seu formaliter, & quidditativè non consistit in consensu interno. 2. *Nec in* externo contractu interiorem consensum manifestante. 3. *Nec in* mutua corporum traditione. 4 *Nec in* iure super corpus alterius, seu mutua proxima obligatione reddendi debitum. 5. *Nec in* vsu huius iuris, qui fit per matrimonij consumationem, seu copulam carnalem. 6. *Sed* in mutuo illo ex mutuo contractu, ac corporum traditione orto vinculo, quo coniuges formaliter vniti sunt.

Ratio prima, & 2. & 3. p. Causa efficiens non potest esse constitutivum formale, & intrinsecum rei, quia est causa extrinseca, & realiter distinguitur ab effectu, causa autem formalis est idem cum suo effectu formali, immediato, & primario. *Subsume*: Sed consensus internus, & externus (idem est de contractu, & traditione) est causa efficiens Matrimonij secundum se sumpti, seu sub ratione vinculi. Dico, *sub ratione vinculi*: Quia certum est quod sub ratione contractus, & Sacramenti includat consensum vt formam, seu causam formalem. Ergo. Minorem *S. D. infrà q. 45. a. 1.* probat, tum ex Chrysostomo dicente: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* Tum ex hoc, quia vnus non accipit potestatem in eo, quod est libere alterius, nisi per eius consensum: Sed per Matrimonium accipit vterque coniungum potestatem in corpus alterius, vt pat. 1. *Cor.* 7. Ergo.

Ratio 4. Partis: Nulla res potest subsistere sine suo constitutivo essentiali: Sed Matrimonium vt vinculum subsistit sine iure, suo obligatione proxima reddendi debitum, vt patet tum in Matrimonio inter *B. V. & S. Iosephum*, tum in casu adulterij alterius coniungis, aut ingressus in Religionem ex mutuo consensu. Ergo. 5. *Pars* probabitur *infrà n. 7. R. 2.*

6. *Pars* patet tum illativè, tum ex eo, quia Matrimonium vt vinculum, cum ex natura sua sit indissolubile, & perpetuum, essentialiter consistit in aliquo permanente, quod ab eo tolli non potest: Sed solum vinculum est tale, quia, vt ostensum est, ius proximum exigendi, vel reddendi debitum potest tolli manente coniugio, & consensus sæpè retractatur ab ijs, quos cõtraxisse pœniter, ab isque dependet nõ solum in fieri, sed & incõservari, vt nec moraliter maneat: è contra vinculum etsi in fieri dependeat à coniugibus, attamen causa eius conservativa est solum ius naturale, & institutio Dei, per quod differt ab obligationibus aliorum contractuum civilium; prout magis patebit *infrà*, de indissolubilitate Matrimonij. *Ergo.*

Ex his sequitur, quòd Matrimonium secundùm suam naturam sumptum non consistat formaliter in eo, quod habet rationem Sacramenti, nec sit propriè Sacramentum, nec physicè causet gratiam; hoc enim convenit solùm vinculo causaliter sumpto, seu causæ eius, quæ est consensus, qui tamen potest, & debet dici virtualiter perpetuò manere in vinculo: velut causa in effectu, sic vt quoad virtuale retractari non possit. Hoc vinculum etiam non malè dicitur esse ipsum ius radicale ad vsum coniugij: vndè antè ab essentia tantùm est exclusum ius proximum. Solvitur ex his illud advertaciorum, quo posito ponitur res, & quo oblato tollitur, est de essentia eius: Sed matrimonium ponitur posito consensu. Ergo. Hic enim syllogismus imprimis retorquetur, minorem applicando ad vinculum. Secundò dicitur, mai. esse veram de eo, quo vt causa formali posito ponitur res, non vt causa efficiente, quæ in præsenti est consensus.

* 3 *Oppono* 1. S. Thom. illud vinculum vocat Sacramentum Matrimonij, quia hic q. 42. a. 3. ad 2. ait: *Actus exteriores, & verba exprimentia consensum directè faciunt nexum, quendam, qui est Sacramentum Matrimonij, & hic nexus ex virtute divinæ institutionis dispositivè operatur ad gratiam.* Ergo habent idem constitutivum formale.

2. *Illud* vinculum vel est, quid physicum, vel quid morale absolutum, vel relativum quid spirituale, vel corporale, residens in anima, vel in corpore; Vnum, vel plura. Si quid physicum, & spiri-

tuale, Ergo est sicut character: Si quid morale, Ergo potest à conjugibus tolli retractando. Si quid corporale, Ergo non est vinculum animorum. Si est vnum, Ergo idem accidens numero, est in duobus subiectis entitativè distinctis, saltem partialibus, nimirum in vtroque conjuge. Si verò sint duo vincula, quomodo erit vnum Matrimonium.

Ad 1. R. quòd *S. Thom.* interdum, non tangendo ipsam essentiam metaphysicam, promiscuè pro eodem sumat Matrimonium, & Sacramentum Matrimonij, vt patet ex titulo huius Quæstionis, qui est hic, vt ex textu patet, *De Sacramento Matrimonij inquantum est in officium naturæ.* Et hoc ideò, quia defacto connectuntur, & vnum in altero fundatur. Nos verò hic inquirimus de ipso conceptu metaphysico.

Ad 2. R. imprimis cum nostro Capreolo, vinculum hoc, sive sit quid absolutum, sive relativum, convenientiùs dici esse in anima, quàm in corpore subiectivè: licèt enim ordinetur ad reprimendum morbum concupiscentiæ, qui subiectivè est in corpore, non sequitur, quòd subiectivè sit in corpore, sed quòd disponat ad gratiam, à qua fluit aliquis effectus in corpus, vel in potentias appetitivas corpori affixas, vti est vis concupiscibilis, & irascibilis: in quas à gratia (subiectivè existente in essentia animæ) fluit virtus temperantiæ, & fortitudinis. Addit idem Capreolus: Fortè sunt duo nexus, quorum vnus sit materialis in corpore, vel toto composito subiectivè; alius spiritualis in anima.

Deindè dicitur, quòd non sit quid physicum, nec character, hic enim præcisè ordinatur ad actus spirituales, & est in specie potentiæ, vt patet *T. 11. E. 3. n. 2.* Matrimonium verò ad actus corporales, estque relatio, iuxta *S. Thom hic, q. 44. a. 1. in corp. dicentem*: Relatio est, secundùm quod aliqua adinvicem referuntur: Sed per Matrimonium aliqua adinvicem referuntur, dicitur enim maritus vir vxoris, & vxor mariti vxor. Ergo est relatio. Et licèt iuxta *S. Thom. q. 61. art. 3.* possit vocari relatio æquiparantiæ, cùm sit coniuncti ad coniunctum, potest tamen dici disquiparantiæ; quia est mariti ad vxorem: & è contra. Et hæc relatio est vna inter coniuges, & multiplex; vna, tum ex parte finis, cùm ordinentur ad eandem numero generationem, tum quia coniuges adinvicem vnit, & coniungit, puta, coniunctione formali, non effectiva, hanc enim facit consensus: multiplex verò ex parte subiecti, quia est relatio, & correlatio, adeòque & duo vincula partialia, quę moraliter sunt vnum, & faciunt vnum Matrimonium. Est ergo hoc vinculum (cùm sit in anima) quid spirituale, vti & morale, & relatio moralis, nec tamen hinc infertur, quòd à conjugibus retractando possit tolli. Cuius ratio patet ex probatione *sextæ Partis.*

Quomodo illud vinculum potest esse relatio, si, vt patet ex adductis verbis *S. Thomæ*, sit dispositio? hęc enim est in prima specie qualitatis. *Dico*, Sanct. Thomam, & nos hic loqui de eo quod quomodocumque disponit ad aliquam formam, non verò de dispositione in toto rigore logicę: ita vt necessario semper debeat esse qualitas facilè mobilis à subiecto. Nam & aliqua pura privatio potest esse dispositio ad formam, vt patet de remotione obstaculi inter Solem, & aerem. Et relatio propinquitatis potest esse dispositio ad lucem, & calorem. Et figura, quæ est de quarta specie qualitatis, potest esse dispositio ad agendum, vel patiendum. Ergo à fortiori id potest dici de eo, quod est dispositio, non ex natura rei, sed ex divina institutione.

* 4 QUÆRO III. Habetne homo naturalem inclinationem ad Matrimonium? Estne illud de præcepto? Quæstio autem est de Matrimonio secundum se, prout est in officium naturæ, quia vt Sacramentum est supernaturale. *Resp. 1.* Homo habet naturalem inclinationem in Matrimonium, seu, hoc est homini naturale, prout naturale est, idem ac ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur. *2. Non* verò prout naturale distinguitur contra liberarum. *Ita S. Thom. hic. 1. dictus ex Philosopho.* Homo naturaliter magis est animal coniugale quam politicum: Sed homo est naturaliter animal politicum, & gregale, vt Philosophus dicit. Ergo & naturaliter est animal coniugale. Simile est in naturali inclinatione hominis ad scientias, & virtutes. Quæ non sunt naturales prout naturale differt à libero, nec sunt proprietates: sed sunt terminus naturalis inclinationis, libere tamen obtinendus.

Ratio data est suprà *T. 5. E. 2. n. 15.* vbi probavimus, quòd fornicatio, & vagus concubitus sit contra naturam, & intrinsecè malus. Hinc ius naturæ, seu Lex naturalis de Matrimonio, licèt non sit vnum ex primis principijs practicis naturæ, tamen ex ijs efficaci, & evidenti consequentia infertur, ex fine prolis non solùm generandæ, sed & modo rationali naturæ conformi educandæ, & vsque ad perfectum statum nutriendæ. Quod etsi interdùm, seu per accidens fiat à parentibus fornicarijs, natura tamen vult de hoc habere medium per se. Sicut etiam per accidens est, vel eercè ex natura solum individuali, quòd aliqui homines non propendeant ad matrimonium, hic autem est sermo de inclinatione homini cõveniente secundũ naturã specificã.

Resp. 2. Matrimonium est de præcepto naturali, obligante totam Communitatem, non tamen quemlibet in particulari, nisi in casu quo paucitas hominum id exigit. *Ita S. Thom. art. 2.* exemplificans hoc in præcepto, quod natura fecit de agricultura, arte ædificatoria, &c. *Ratio*: Quia est præceptum naturale de specie humana conservanda modo consono naturæ rationali. Ex quo sequitur, quòd Deus per illa verba Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini* non posuerit hoc præceptum, sed vel juris naturæ obligationem declaraverit, vel dederit benedictionem, ac fecerit donationem fœcunditatis.

* 5 *Oppono*: Si matrimonium est ex inclinatione, & iure naturæ, sequitur, quòd Virginitas, cælibatus, ac Consilium Evangelicum sint contra naturam, adeòque mala. Sed. Ergo. *Ad hoc. dist. mai.* Si illa inclinatio, & præceptum obligaret quemlibet in particulari quoad executionem, *concedi.* secus, *neg.*

Not. quòd quidem Virginitas secundùm se considerata semper sit melior Matrimonio, vt docet S. D. 2. 2. *q. 152. art 4.* possit tamen ratione alicuius circunstantiæ fieri, quòd Matrimonium sit melius, v. g. vt filius vnicus Regis nubat propter necessitatẽ hęredis, ne Regnum devolvatur ad hæreticos, ne ob successionem oriantur bella, seditiones, &c. hæc autem obligatio magis oriretur ex præcepto Charitatis Proximi, ac vitandi scandali, quam ex præcepto Matrimonij, immò in eo casu posse fieri votum de Matrimonio, dictum est suprà *Tract. 10. E. 3. num. 13.*

Ad quod Decalogi præceptum reducitur illud de Matrimonio? *Dico*: Vel ad quintum, *Non occides*, quia

quia qui ſpeciem humanam non conſervat, occidit eam. Vel ad præceptum de dilectione Proximi, ad hanc enim ſpectat conſervatio ſpeciei.

Nonne hoc præceptum ſaltem à principio mundi obligabat ſingulos in particulari, etiam in ſtatu innocentiæ (ſi manſiſſet) in quo tamen homines erant immortales? *Affirmo*, vſque ad ſufficientem generis humani propagationem. *Ratio*: Quia hoc præceptum eſt affirmativum, obligans quidem ſemper, ſed non pro ſemper, nec ſingulos, ſed ſolùm tunc quando eſt neceſsitas. Cæterùm in ſtatu innocentiæ homines quidem fuiſſent incorruptibiles, nõ tamen per ſe, & ex natura ſua ſicut Angeli, ſed ratione ſtatus, & per gratiam, ac ſpecialem Dei providentiam: adeoque etiam eſſent generabiles, & per generationem multiplicarentur. Quia licèt nõ eſſent morituri, erant tamen transferendi ad Beatitudinẽ.

Quid ſi daretur caſus, quo omnes maſculi morerentur, exceptis ſolis Monachis, tenerenturne illi nũbere? *Affirmo* cum Soto, niſi adeſſet ſpecialis revelatio, quòd adſit finis mundi. *Ratio*: Vbi concurrunt duo præcepta, implendum eſt maius, ſi vtrumque impleri nequeat: Sed præceptum Matrimonij de conſervanda ſpecie humana eſt fortius, cùm ſit purè naturale, votum verò ſit ex libera hominis voluntate, ac involvat hanc conditionem, niſi obſtet ius naturæ de conſervanda ſpecie humana.

* 6 QUÆRO IV. Polygamia, ſeu ſimultanea pluralitas vxorum ſub vno, viro eſtne contra Legem Naturæ? *Ane R. vide ex T.* 6. de Leg. *E.* 2. *n.* 8. Quid ſit Lex Naturæ. Et *q.* 6. *n.* 17. quòd præcepta naturæ ad tres claſſes reducantur. Et *q.* 5. *n.* 12. An & quæ præceptà Legis Naturæ, & quomodo ſint mutabilia, vel diſpenſabilia, quod ſpecialiter *ibidem num.* 16. explicatum eſt de Polygamia. His reviſis.

Not. ex S. Thom. infrà q. 65. *art.* 1 *in corp.* Quòd homini iuxta rectam rationem Matrimonium contrahenti præfigatur triplex finis, & triplici fini correſpondeat triplex bonum Matrimonij. Verba *S. T.* ex quibus hæc patent, adducentur ſtatim pro *Reſp.* in quibus etiam explicat, quid ſit, actionem aliquam eſſe contra Legem Naturæ. Supponitur autem vt de fide certum, quòd in Lege Evangelica vxorum pluralitas, ſeu Polygamia ſit iure divino prohibita, vt definit Trident. *Seſſ.* 24. *Can.* 2. & patet *Matth.* 5. & 19. *Marc.* 10. & *Luc.* 16. Vbi Chriſtus declarat, quòd qui dimiſſa vxore etiam adultera, ducit aliã, mœchatur, id eſt, committit adulterium: ſicut & ille, qui ducit relictam. Immò, & ante Chriſti adventum vxorum pluralitas per Legem aliquam divinam poſitivam fuit prohibita. Quæ lex implicitè continetur in illis verbis Gen. 2. *Maſculum, & fœminam creavit eos, propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quibus verbis ſtatui à Deo Monogamiam, ſeu vxoris vnitatem, docent S. Hieronym. *in cap.* 19. *Matth.* & *Chryſoſt. Hom.* 63. *in Matth.* & alij, eò quod ſacer textus non in plurali, ſed in ſingulari loquatur, *fœminam, vxori, propter hanc*, non has, &c. His præmiſſis.

Reſp. Polygamia non eſt contra ius naturæ quoad primariũ Matrimonij finem; nec prohibita per prima Legis naturæ præcepta. Eſt tamen contra ius naturæ quoad ſecundarios fines à natura in Matrimonio intentos, qui ſunt, v. g. pacifica cohabitatio, remedium ſedandi concupiſcentiam, &c. & ideò prohibita per ſecundaria Legis naturæ præcepta. Ita *S. D. cit. q.* 65. *a.* 1.

Declarat, & probat hoc *ibid. in corp. dicens*: Lex naturalis nihil aliud eſt, quã conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendũ in actionibus proprijs, ſive competant ei ex natura generis generare, comedere, & ſimilia: ſive ex natura ſpeciei, vt ratiocinari, & huiuſmodi. Omnẽ verò illud quod actionẽ incõvenientem reddit fini, quẽ natura ex operatione aliqua intendit, contra Legem naturæ eſſe dicitur: poteſt autem actio non conveniens eſſe fini, vel principali, vel ſecundario, & ſive ſic, ſive ſic; hoc contingit dupliciter. *Uno modo* ex aliquo, quod omnino impedit finem, vt nimia ſuperfluitas, aut defectus comeſtionis, impedit ſalutem corporis, quaſi principalem finem comeſtionis; & bonam habitudinem in negotijs exercendis, qui eſt finis ſecundarius comeſtionis. *Alio modo* ex aliquo, quod facit difficilem, aut minus decentem perventionem ad finem principalem, vel ſecundarium, ſicut inordinata comeſtio quantum ad tempus indebitum. Si ergo actio ſit inconveniens fini, quaſi omnino prohibens finem principalem directè, per legem naturæ prohibetur primis præceptis *legis naturæ*, quæ ſunt in operabilibus, ſicut communes animi conceptiones in ſpeculativis. Si autem ſit incõpetens fini ſecundario quocumque modo, aut etiam principali, aut faciens difficilem, vel minus congruam perventionem ad ipſum, prohibetur nõ quidem primis præceptis Legis naturæ, ſed ſecundis, quæ ex primis derivantur, ſicut concluſiones in ſpeculativis ex principijs per ſe notis fidem habent: & ſic dicta actio contra Legem naturæ eſſe dicitur.

Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem, & educationem, qui quidem finis cõpetit homini ſecundum naturam ſui generis, vnde & alijs animalibus eſt communis, & ſic bonum Matrimonij aſsignatur proles: ſed pro fine ſecũdario habet in hominibus ſolis communicationem operum quæ ſunt neceſſaria in vita, & ſecundum hoc fidem ſibi invicem debent, quæ eſt vnum de bonis Matrimonij. Habet vlterius alium finem, inquantum eſt inter fideles, ſcilicet ſignificationem Chriſti, & Eccleſiæ, & ſic bonum Matrimonij dicitur Sacramentum. Vnde *primus finis* reſpondet Matrimonio hominis, inquantum eſt animal; *ſecundus*, inquantum eſt homo; *tertius*, inquantum eſt fidelis. Pluralitas ergo Vxorũ neq; totalliter tollit, neq; aliqualiter impedit Matrimonij *primũ finẽ*, cũ vnus vir ſufficiat pluribus Vxoribus fœcundãdis, & educandis filijs ex eis natis. *Sed ſecundarium* finem, etſi non totaliter tollat, remẽ multum impedit, eo quod non facilè poteſt eſſe pax in familia, vbi vni viro plures Vxores iunguntur, cum non poſsit vnus vir ſufficere ad ſatisfaciendum pluribus Vxoribus ad votum, & etiam, quia communicatio plurium in vno officio cauſat litem, ſicut ſiguli corrixantur adinvicem, & ſimiliter plures Vxores vnius Viri. *Tertium* autem finem totaliter tollit, eo quod ſicut Chriſtus eſt vnus, ita & Eccleſia vna. Et ideò patet ex dictis, quod pluralitas Vxorum quodammodo eſt contra legem naturæ, & quodammodo non. *Hæc ibi*. Vide infrà de Matrim. coacto, *Q.* 3. *ad* 2. *Oppoſ.*

* 7 *Oppoſo* 1. Cõſuetudo Legi naturali non præiudicat: Sed habere plures Vxores olim erat in conſuetudine, quia, vt S. Auguſt. ait, habere plures Vxores peccatum non erat, quando mos erat. Ergo non eſt contra Legem naturæ. 2. *Ius* naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: Sed natura nõ docuit omnia animalia, quod ſit vna vnius. Ergo.

3. *Specialiter contra 1. p.* Contra prima Legis naturæ præcepta est, quod homo se obligat ad impossibile, & vt quod vni datum est, detur alteri: Sed vir contrahens cum pluribus obligat se ad impossibile, quia non potest pluribus simul petentibus reddere debitum, cum tamen teneatur toties quoties; item suum corpus, quod iam dedit vni, dat alteri. Ergo. 4. *Contra idem*: Vna ex primis naturæ Legibus est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Sed vir nullo modo vellet, quod Vxor haberet alium Virum. Ergo & vir agit *contra primæ* Legis naturæ præcepta superducendo aliam Vxorem.

Ad 1. ait S. Thom. loco citato ad 1. dicens: Consuetudo non præiudicat Legi naturæ quantum ad prima præcepta ipsius, sed ea, quæ ex istis trahuntur vt conclusiones, consuetudo auget, & similiter etiam minuit. Et huiusmodi est præceptum Legis naturæ de vnitate vxoris. *Hæc ibi* Ex quibus patet distinctio in forma. *Secundo* aliter *dist. mai.* Non supposita diuina dispensatione, *conc.* ea supposita, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Non ergo consuetudo, sed Dei dispensatio licitam *fecit* polygamiam antiquis Patribus propter humani generis necessitatem, seu fidelium paucitatem. Pro quo audiatur *S. Thom. ibid. a. 2. in c. dicens*: Lex de vnitate vxoris non est humanitus, sed diuinitus instituta, nec vnquam verbo, aut literis tradita, sed cordi impressa, sicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent. Et ideò in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter Patribus sanctis facta est, & per eorũ exemplum ad alios derivata eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum intermitti, vt maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Semper enim principalior finis magis obseruandus est, quam secundarius. Vnde cum bonum prolis sit principalis matrimonij finis, vbi prolis multiplicatio necessaria erat, debebat negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundarijs finibus euenire, ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem vxorum ordinatur. *Hæc ibi*. Vide suprà *T. 5. E. 2. n. 49.* quomodo intelligatur Scriptura dicens, quod antiqui PP. habuerint concubinas.

Ad 2. dist. mai. ex verbis *S. Thom. adductis pro R.* Quod docuit, vel ratione generis, vel ratione speciei, *conc. mai.* præcisè ratione generis, *neg. mai.* Et concessa *min. dist. conf.* Vnde homo Polygamiam aversatur ratione speciei, species enim excedit genus, & ei superaddit.

Ad 3. ait S. D. citato a. 1. ad 6. dicens: Vir per Matrimonium non dat sui corporis potestatẽ vxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa, quę Matrimonium requirit: non autem requirit Matrimonium, vt quolibet tempore vxori petenti Vir debitum reddat, nisi quantum ad id, ad quod Matrimonium principaliter est institutum scilicet ad bonum prolis: & hoc est, quantum sufficit ad impręgnationem. Requirit autem hoc Matrimoniũ, inquantum est ad remediũ institutũ (quę est secundarius ipsius finis) vt quolibet tempore petenti debitum reddatur: & sic patet, quod accipiens plures vxores non se obligat ad impossibile, considerato principali fine Matrimonij. Et ideò pluralitas vxorum non est contra præcepta prima *Legis naturæ*. *Hæc ibi*. Ex quibus patet solutio in forma.

Ad 4. S. D. ibid. ad 7. inquit: Illud præceptum Legis naturæ, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, debet intelligi, eadem proportione seruata, non enim si Prælatus non vult sibi resisti à subdito, ipsi subdito resistere non debet. Et ideò non oportet ex vi illius præcepti, quòd sicut vir non vult, quòd vxor sua habeat alium virum, quòd ipse non habeat aliam vxorem; quia vnum virum habere plures vxores, non est contra prima præcepta Legis Naturæ, vt dictum est: Sed vnam vxorem habere plures viros est contra præcepta prima Legis Naturæ, eo quòd per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, & quantùm ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis Matrimonij finis: in bono enim prolis intelligitur non solũ procreatio, sed etiam educatio, ipsa enim procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impręgnationem primam iterùm mulierẽ impręgnari, vt dicitur *in 9.* de animalibus, tamen multum impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio accidat quantùm ad vtrumque fœtum, vel quãtum ad alterum: sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc quod vna mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu Patris: cuius cura necessaria est in educando. Et ideò nulla lege, vel consuetudine est permissum, vnam mulierem habere plures viros, sicut è converso. *Hæc ibi*. Quod fœtus corrumpatur, vel proles (vti fit in meretricibus) omnino impediatur, fecit heterogeneæ mixtio seminum diuersorum virorum. Quæ hic dici possent de libello repudij, dicentur infrà *E. 4 n. 47.*

* 8 QUÆRO V. Vsus Matrimonij per copulam carnalem estne licitus, meritorius, vel de essentia, aut perfectione Matrimonij? *Resp. 1.* Vsus Matrimonij, seu complexus maritalis, qui fit per copulam carnalem, seu corporum commixtionem, non solùm est actus bonus, & licitus, sed & meritorius, si ad ipsum homines ex amore virtutis, seu ex virtute Religionis (nimirum ad propagandum Dei cultum per Fidelium multiplicationem) & iustitiæ inducantur, & fiat ab ijs in statu gratiæ, & charitatis. Ita S.D. *art. 3. & 4. Ratio eius est*: Omnis actus, quo impletur præceptum, est bonus, ac licitus. immò & meritorius, si liberè fiat ab homine in gratia, & charitate constituto: Sed actus Matrimonij est actus virtutis, nimirum iustitiæ commutativæ, quo impletur præceptum illud 1. Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat*. Ergo.

Nota, quòd quamvis Rom. 8. *Deo placere non possint, qui in carne sunt*, si etiam secundùm carnem vivant, & contra rationis ordinem, benè tamen si carnalia faciant ex amore virtutis, & iuxta rationis ordinem, & hoc secundo modo debet fieri actus Matrimonij, vt sit honestus, & meritorius, & si ita fiat, est supernaturalis (non quidem quoad sui eliciemiam, sic enim fit per vires naturæ) sed quoad relationem ad Deum, seu honorem Dei, quam facit charitas, nec fit sine speciali dono gratiæ præfata autem relatio ad minùs debet esse virtualis, & meritò à conjugibus sæpè iteranda. *Item* hic actus sub præfatis conditionibus caret omni turpitudine culpæ, licèt maneat turpitudine pœnæ, quæ prouenit ex peccato primorum Parentum, ex eo (*vt ait S. D. art. 3. ad 3.*) quia vires inferiores, sensualitas, & membra corporis non obediunt perfectè rationi, eiusque iussui, sicut obedirent in statu naturæ integræ, in quo etiam fuisset generatio (si permansisset) sed sine omni sensualitatis rebellione cõtra rationem. Vel paulo aliter dici potest, quod actus Matrimonij sit turpis turpitudine culpæ, non

in

in se, sed solum quoad aparentiam, & similitudinem: qua de causa indiget excusari, & non potest etiam in publico fieri. Verum quidem est, quod ob magnam delectationem, qua rationem absorbet, & *quasi eclipsat*, dividat à Deo; hæc tamen divisio non est quoad habitum, sed solum quoad actum, quæ etiam aliquando fit per medicinam, vel esum delicatorum ciborum sine peccato. Vide infrà E. 4. Q. 2. n. 45.

Resp. 2. Copula carnalis actualis, seu commixtio corporum non est de essentia, sive integritate, aut perfectione essentiali, vel primaria Matrimonij, sive vt est in officium naturæ, sive vt Sacramentum est, bene tamen de perfectione accidentali, & secundaria. *Ita S. D. hic q. 42. a. Declarat hoc* dicens *in c.* Duplex est integritas: Vna, quæ attenditur secundum perfectionem primam, quæ consistit in ipso esse rei: alia, quæ attenditur secundum perfectionem secundam, quæ consistit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio est quædam operatio, sive vsus Matrimonij per quod facultas ad hoc datur: ideò carnalis commixtio erit de secunda integritate eius, non de prima. *Ratio* patet ex his: Nam iuxta commune axioma, *operari sequitur ad esse*, id est, supponit causam essentialiter constitutam, nec est essentiale prædicatum eius, est tamen eius perfectio accidentalis, & secundaria. Quæ significatur per illa verba Gen. 1. *Erunt duo in carne vna.*

* 9 *Oppono* 1. contra R. 2. Sine copula carnali non habetur proprietas Matrimonij. Ergo nec essentia. *Poub. antec.* Indissolubilitas est proprietas Matrimonij: Sed hæc non habetur ante consummationem. Ergo. *Prob. min.* Matrimonium non consummatum dissolvitur per votum solemne Religionis iuxta *Trid. sess. 24. Can. 6.* vt docebitur infrà. Ergo. 2. *Matrimonium* vt Sacramentum est in remedium concupiscentiæ: Sed hoc remedium fit per commixtionem carnis. *Ergo.*

Ad 1. *dist. vlt. ant.* Dissolvitur per se, & natura sua, *neg.* per accidens, & ex dispensatione, ac speciali privilegio Christi, dati in favorem status Religiosi, *conc.* De quo plura infrà; immò in sequentibus dicetur, quod Matrimonium inter Infideles etiam consummatum ex simili privilegio dissolvatur vno eorum ad Fidem converso, & altero nolente cohabitare sine contumelia Salvatoris.

Ad 2. ait S. D. citat. a. 4. ad 4. *Ante commixtionem carnalem Matrimonium est in remedium ex gratia, quæ in eo datur: quamvis non ex actu, qui pertinet ad integritatem secundam.* Vide plura infrà, dum agetur de Matrimonio contracto sub conditione copulæ carnali repugnante. *Item* de consensu in Matrimonium, an, & quomodo is debeat ferri in copulam carnalem. *Item* in hoc E. n. 12. ad 5. Vbi explicabitur, quomodo ante *Trid.* Sponsalia de futuro transierint in Matrimonium per copulam carnalem animo maritali factam. Nunc ad.

MATRIMONIUM, VT SACRAMENTUM.

* 10 QUÆRO VI. Estne Matrimonium verum *Nov. Leg.* Sacramentum, à Christo institutum, conferens gratiam ex opere operato? quomodo definitur? Quæ eius materia, forma, minister? Ante *Resp.* Supponitur, quòd Matrimonium saltem impropriè sit Sacramentum, id est, magnum misterium, vel signum alicuius rei sacræ significativum. Ita enim clarè patet ex illo celebri testimonio Apostoli Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, eo quòd sit repræsentativum coniunctionis Christi cum Ecclesia. *Hoc supposito.*

Resp. 1. Matrimonium Fidelium in Nova Lege est verum, & propriè dictum, ac cum alijs vnivocè Sacramentum, à Christo institutum, conferens gratiam ex opere operato, etiam physicè. 1. *Part* est de Fide definita contra hæreticos à Trid. *sess. 24. Can. 1.* & constat ex adducto *Ephes. 5. Ratio*: Quia Matrimonium est signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis, qua animi coniugum vniuntur Deo, sicut Christo vnitur Ecclesia. Hac enim gratia coniuges ad mutuum amorem, & ad portanda Matrimonij onera indigent, Deus autem non deest in necessarijs. Ergo eam per hoc Sacramentũ confert. Plura de his spectant ad Controversistas. Hæc prima, & reliquæ partes constant ex *Tract. de Sacram. in communi.* Videatur definitio Sacramenti *T. 11. E. 1. n. 2.* Item de numero Sacramentorum *ibid. E. 4. n. 40.* De causalitate physica *ibid. E. 2. n. 12* & ex opere operato *ibid. n. 5.* De ministri, ac suscipientis intentione, ac dispositione *ibid. E. 4. n. 11.* & 13.

Resp. 2. Quamvis indubitatum sit, quòd Matrimonium in officium naturæ sit institutum ante peccatum, quando Eva fuit educta ex costa Adæ, illique tradita, postquam è somno fuit excitatus (in somno enim non poterat facere contractum, nec corpus tradere Evæ,) & divini Spiritus instinctu indissolubilem Matrimonij nexum pronuntians, & dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suę, & erunt duo in carne vna. Veruntamen de tempore, quo Christus Matrimonium, vt est contractus, & in officium naturę, ad esse Sacramenti elevavit, sunt variæ DD. Sententię. Dum alij tenent, esse elevatum in primo Incarnationis instanti. *Tunc enim*, ait S. Gregor. Hom. 36. in Evang. *Deus Pater Filio suo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanæ naturæ conjunxit.* Alij sentiunt esse factum, quando Christus sua præsentia, & primo miraculo cohonestavit nuptias in Cana Galilææ. Alij, contigisse post Resurrectionem spatio 40. dierum, quibus Christus disposuit de statu militantis Ecclesiæ, & de eo Discipulos instruxit. Sed

Probabilius est, institutum, seu elevatum esse à Christo, quando Matth. 19. dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Ratio*: Christus ibi à Pharisæis interrogatus, an liceat vxorem ex quacumque causa dimittere, respondit: Non legistis, quia, qui hominem fecit ab initio, masculum, & fœminam creavit eos? & dixit, id est, Adamum instigavit, vt diceret: *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quę Christi institutio non fuit præcisè Juris naturalis declaratio, sed insuper confirmatio: vndè Christus subdidit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quasi dicat: Coniunctionem, quam Deus sanxit, ego novus Legislator, & Orbis Redemptor præcepto meo confirmo. Ergo Christus Sacramentum fecit esse id, quod antea solùm erat in officium naturæ, & remedium concupiscentiæ.

Ex his sequitur, quòd Matrimonium, vt formaliter est Sacramentum, sit nobilius virginitate, qua tamen ignobilius est sub ratione status, nimirum coniugalis, qui dicitur esse imperfectorum. & *ratione huius status melius est tenere vitam cælibem.*

bem, quàm suscipere hoc Sacramentum, non obstante, quòd ex opere operato causet gratiam. Vide suprà *T.* 10. *E.* 7. *n.* 3. an, & quomodo sit Simonia pro Matrimonio dare pecuniam.

* 11 *Resp.* 3. Matrimonium physicè, vel quasi physicè sumptum, inquantum est compositum ex materia, & forma, definitur, quod sit mutuus viri, & mulieris consensus externus ad perpetuam vitæ societatem. Sumptum metaphysicè, seu, vt constat genere, & differentia, definitur, *quòd sit signum sensibile gratiæ collatæ viro, & mulieri legitimo consensu copulatis ad perpetuam vitæ societatem.* Seu, est Sacramentum *Nov. Leg.* collativum gratiæ, &c. vt antè, De definitione physica, & metaphysica vide de alijs Sacramentis in proprio loco, vt de Baptismo, Pœnitentia, &c.

Nota, quòd sicut in quovis Sacramento, ita & in hoc distinguuntur hæc tria, *Sacramentum tantum*, quod sunt actus externi: *res tantum*, nimirum gratia: *res & Sacramentum simul*, nimirum vinculum, vt explicatum est suprà *T.* 11. *E.* 4. *q.* 9. *in fin.* Quamvis autem hoc vinculum non sit sensibile ratione sui, benè tamen ratione alterius, scilicèt consensus externi, eo modo, quo in Pœnitentia dolor internus manifestatur per externam confessionem.

Circa hoc difficultas se offert de casu, quo conjuges Infideles fiunt Fideles, suumque Matrimonium approbant secundùm Legem Ecclesiæ, ita vt incipiat esse Sacramentum, quomodo tunc vinculum possit esse res, & Sacramentum simul? Nam id, quod est res, & Sacramentum simul, sub ea ratione, sub qua est res, debet causari ab eo, quod est Sacramentum tantùm, quòd in hoc casu de vinculo non verificatur: quia iam est anteà causatum per contractum in infidelitate factum. *Ad quod* dicendum, verificari de vinculo etiam in hoc casu, etsi enim vinculum præcedat, vt est quid naturale, causatum per contractum naturalem, causatur tamen de novo postea quoad modum supernaturalitatis per contractum approbatum, vt ad esse Sacramenti elevatum, vt explicat Gonet: & sub hac ratione est res, & Sacramentum simul.

Resp. 4. Materia proxima Sacramenti Matrimonij est mutuus consensus vtriusque conjugis, sensibiliter, nimirum verbis, nutu, aut scripto, expressus, prout habet rationem traditionis: forma verò est idem mutuus consensus sensibiliter manifestatus, vt habent rationem acceptationis, v. g. dicendo: Accipio te in meam, accipio te in meum. Ita S. Thom. *q.* 42. *a.* 1. *ad* 1. *& ad* 2. vbi addit, quod benedictio Sacerdotis non sit forma huius Sacramenti, sed sit quoddam Sacramentale. Dixi, *materia proxima*; quia materia remota sunt corpora conjugum, quę ipsi sibi tradunt. Vide *T.* 11. *q.* 5. quomodo materiæ, & formæ Sacramentorum sint à Christo determinatæ.

Ratio: Eadem est materia, & forma huius Sacramenti, quæ est contractus matrimonialis, hunc enim Christus substantialiter non mutavit, sed elevavit: Sed materia, & forma huius contractus sunt consensus conjugum sub dicta formalitate. Ergo. *Prob. min.* Illud in aliquo contractu habet rationem materiæ, quod per formam determinatur; & illud est forma quod determinat: Sed consensus sensibilis, vt est traditio, determinatur per acceptationem, & ante eam non est completus, nec perfectus in actu secundo, sed incompletus, & adhuc in actu primo. Ergo. *Declaratur min.* Mulier posset respuere, seu non acceptare consensum viri, vel è contra, in quo casu non esset consensus conjugalis completè, sed solùm in potentia, ac inchoativè. Ergo. Vide suprà *T.* 13. *de Pœnit. E.* 1. *n.* 3. Quomodo verba, & actus hominis, licèt secundùm se sint naturales, attamen, vt à Christo elevati, sint supernaturales, significent rem sacram, & causent gratiã.

Ex his sequitur, quòd idem vtriusque contrahentis consensus sit virtualiter duplex, & sub vna virtualitate habeat rationem traditionis, ac materiæ; sub altera verò rationem acceptationis, & formæ, sintque contrahentium consensus sibi invicem causæ, seu causæ, & effectus in diverso genere causæ, nimirum materialis, & formalis. Immò suprà *ad q.* 2. dictum est, quòd consensus etiam sit causa efficiens Matrimonij, sed vt vinculum, non vt Sacramentum est: ad quæ omnia sufficit distinctio rationis, ac virtualis.

Opponi posset ex casu illo, quo ante Trident. & de facto, vbi illud non est receptum, Sponsalia transeunt in Matrimonium per copulam carnalem animo maritali factam, quæ supplet consensum, quomodo illa possit esse materia, & forma huius Sacramenti, cùm sit peccatum mortale. Sed ad hoc patebit Responsio hoc *Exam. n.* 12. *ad* 5. *Oppos.*

* 12 *Resp.* 5. Minister Matrimonij, etiam vt Sacramenti, sunt ipsi contrahentes baptizati, non verò Sacerdos assistens, & benedicens; cuius proindè benedictio non est de essentia, sed accidentalis cæremonia. Ita S. Thom. *loco pro R.* 4. *citato. Ratio*: Idem est minister huius Sacramenti, qui est contractus matrimonialis, ob rationem pro *R.* 4. *datam*: Sed soli contrahentes efficiunt contractum, quia illi soli se obligant. Ergo. Dixi, *contrahentes baptizati*; Qui enim non est baptizatus, non potest aliud Sacramentum recipere, nec conficere, cùm Baptismus sit janua Sacramentorum: qui tamen cùm sit extremæ necessitatis, à quovis validè conferri potest.

Quis ergo est sensus illorum verborum Sacerdotis, *Ego vos* conjungo in nomine Patris, &c? *Dico*: Sensus est, Ego vos conjunctos esse declaro. Vel, Conjunctionem vestram approbo. Vnde non sunt de essentia, & Matrimonij esset validum ijs on ilsis, modo adessent mutui expressi consensus, Parochus, & Testes. Hinc quando à quibusdã PP. dicitur, Matrimonium accedente sacerdotali benedictione sanctificari, Sacerdotes esse ministros eius, &c. non volunt, quòd Sacerdos sit causa gratiæ ab hoc Sacramento ex opere operato causatæ, sed sin conditio *sine quâ non* confertur. Quia Matrimonia clandestina, seu sine Parocho celebrata, etsi ante Trident. fuerint valida, erant tamen illicita, nec gratiam causabant, non quidem defectu alicuius essentialis requisiti, sed defectu cæremoniæ ab Ecclesia statutæ. Vocatur ergo Sacerdos Minister huius Sacramenti, non quoad substantiam, sed quoad ritum accidentalem: qui tamen post Tridentin. est conditio, sine qua non subsistit substantia huius Sacramenti.

Ex his explicatur S. Paulus 1. *Cor.* 4. *solos Sacerdotes vocans dispensatores divinorum mysteriorum.* Non enim omne Sacramentum (præsertim si non sit à Christo primitus quoad substantiam institutum, sed solum elevatum) petit pro ministro, ex officio tali, personam sacram, nam & Laicus in necessitate potest Baptismum administrare. Vide suprà *T.* 11. *E.* 4. *q.* 7. *R.* 4. an, & quomodo peccent con-

cõiuges in mortali cõtrahẽtes; vel Parochus assistẽs

* 13 QUÆRO VII Possuntne Fideles, seu baptizati contrahere verum Matrimonium præcisè in ratione contractus, separando rationem Sacramenti? *Ante R.* Supponitur, prout etiam ex dictis patet, quod Matrimonium in facto esse (nimirum vinculum eius) non sit propriè Sacramentum, sed solum in fieri. Quia solum Eucharistiæ Sacramentum consistit in re permanente. *Hoc supposito.*

Resp.. Probabilius negativè, si vterque contrahens sit baptizatus: sive intentio separandi procedat ex errore, sive ex certa scientia. Est contra Gonet, & plures alios. *Ratio*; In potestate Fidelium non est separare ea, quæ Christus sua institutione coniunxit: Sed Christus contractum matrimonialem elevando ad esse Sacramenti, vtrumque firmiter coniunxit, sic vt ratio Sacramenti, licet non sit essentialis contractui secundum se, sit tamen necessario annexa contractui, quatenus hic substat institutioni Christi. Ergo.

Dixi in 1.R. *Si vterque sit baptizatus.* Nam si solum vnus sit baptizatus, *v.g.* si ex Pontificia dispensatione Vir fidelis contrahat cum vxore infideli, etiam catechumena, aut è converso, probabilius non est verum, seu propriè Sacramentum *Nov. Leg.* nec ex parte vtriusque, nec ex parte solius fidelis, nec gratiam confert. *Ratio*: Quia Christus ad esse Sacramenti non elevavit dimidium, sed integrum contractum, qui pro adæquata materia, & forma includit mutuum vtriusque consensum. Ergo cum vna pars non sit capax Sacramenti defectu Baptismi, etiam in altera non est Sacramentum, sed solum legitimus contractus.

Dixi 2. *Sive procedat ex errore*; quia error non excludit saltem illam virtualem, & generalem intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, vel alij Fideles, aut quod Christus instituit, vt docet *S. D, hic q. 51. a. 2. ad 2.* & explicatum est suprà *T. 11. E. 4. n. 18.* Vide ibid. *Q. 4. n. 16.* quod ad valorem Sacramenti non sufficiat actus merè externus sine interna intentione. Ex his *Infertur*, quod valida Matrimonia Lutheranorum, & cæterorum hæreticorum, vtpotè baptizatorum, etiam sint Sacramenta, licet non credant dari Sacramentum Matrimonij; habent enim generalem intentionem faciendi, quod Christus instituit: quæ sufficit, nec est necessaria intentio particularis.

* 14 *Oppono* 1. Christus elevans Matrimonium ad esse Sacramenti non mutavit naturam cõtractus: Sed iuxta dicta mutasset. Ergo. 2. *Non* extat vllum ius, quo Christus hanc inseparabilem connexionem contractus, & Sacramenti constituit. Simile est in ablutione, cui etiam alligavit rationem Sacramenti Baptismi, & tamen possunt separari per intentionem. Ergo.

3. *Ad validitatem* Matrimonij in ratione contractus civilis nihil aliud requiritur, quam sensibiliter expressa inter personas habiles mutua corporum traditio, & acceptatio coram Parocho, & testibus. Ergo non requiritur ratio Sacramenti. 4. In *cap. finali de concid. apposit.*, habetur, quod conditiones impossibiles, & turpes non vitient contractum, sed habeantur pro non adiectis, id est, ac si non adijcerentur: Sed *intentio non* faciendi Sacramentum est conditio turpis. Ergo habetur pro non adiecta. Ergo cum ea intentione subsistit contractus. 5. *Ante Concil. Trid.* Sponsalia de futuro transibant in Matrimonium per copulam carnalem animo matrimali factam: Sed videtur absurdum, quod fiat Sacramentum rationè coitus carnalis *illiciti*, & peccaminosi. Ergo erat contractus sine Sacramento.

Ad 1. dist. mai. Non mutavit in substantialibus, vel essentialibus, *conc.* in conditionibus, vel solemnitate sine qua non subsistit de facto, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Simile est in Statuto Tridentini de præsentia Parochi, & Testium. *Ad 2.R.* sub *distinct.* quod licet Christus de intentione celebrandi Matrimonium simul in ratione Sacramẽti nullum tradiderit ius in Scriptura expressum, posuerit tamen hoc ius facto, & opere; eo ipso enim, quod contractum Matrimonij ad esse Sacramenti elevavit, solemnitatem hanc vt omnino necessariam adiunxit. Quod maximè expediebat fini Matrimoni, & intentioni Christi, volentis sanctificare coniugia Fidelium. *Hæc Resp.* fundatur in S. Gregorio hom. 17. in Luc. docente, quod Christus aliquando verbis, aliquando facto ipso, & opere constituerit ius, seu præceptum. *Ad id*, quod additur de ablutione Baptismi. *Resp.* imprimis in hoc esse paritatem, quod nec Sacramentum Matrimonij, nec Baptismi subsistat, si fiat ablutio sine omni prædicta intentione, nimirum tam particulari, quam generali. Deinde, quod illa ablutio exclusa vtraque hac intentione, tamen habeat effectum aliquem naturalem, & non contractus matrimonialis, est, quia ablutio secundum se versatur tantum circa corpus: quod, quomodocumque realiter abluatur, est ablutum: contractus verò matrimonialis, etiam secundum se sumptus, habet effectum circa animos (nimirum vinculum) qui de Lege saltem ordinaria debet esse liber: eique Christus rationem Sacramenti adiunxit per inseparabilem concomitantiam.

Ad 3. dist. ant. Nihil aliud requiritur tanquam materia, & forma contractus, *conced.* tanquam conditio, & solemnitas *sine qua non*, *neg. Ad 4.* concesso syllogismo *dist.* secundum illatum: Si excludatur intentio generalis faciendi, quod Christus instituit, *nego*, secùs, *conced.* Ea enim exclusa, nec contractus, nec Sacramentum erit; dum verò illa adest, dicta particularis intentio non faciendi Sacramentum, tanquam conditio impossibilis, & turpis habetur pro non adiecta, tàm respectu contractus, quàm Sacramenti, & subsistit vtrumque.

Ad 5. dist. mai. Per copulam secundùm se sumptam, *neg. mai* vt erat sensibile signum consensus, & effectus conjugalis, *conced. mai.* Et sic *dist. min. neg. conseq.* Nec obstat, ait Cornejo, quòd talis copula esset tunc peccaminosa, *immò intrinsecè* mala. Cujus rationem dat: Si vir, & fœmina faciant hoc pactum, quòd blasphemia, vel mendacium ab vtroque prolatum, sit signum mutui consensus, eo ipso, quòd mendacium, vel blasphemiam proferrent (si cætera requisita adsint) fieret verum Matrimonium. Porrò in eo casu ratione obicis mortalis esset Sacramentum informe, validum tamen. Si obex solùm esset peccatum veniale, gratiam ex opere operato non impediret.

* 15 QUÆRO VIII. Quid censes de Matrimonio inter absentes contracto? *Resp.* Matrimonium inter absentes baptizatos per Procuratorem, vel per litteras contractum coram Parocho, & testibus, est validum, non solùm in ratione contractus, sed & Sacramenti. *Ratio est*, tum quæ data est pro R. *ad q. 7.* Tum etiam quia Christus omnem legitimum contractum matrimonialem inter baptizatos elevavit ad esse Sacramenti: tum tandem,

quia

quia in præsenti adest debita materia, forma, minister, ac intentio, & conditiones per jura requisitæ. Et quod agit Procurator, censetur agere ipse mandans per ipsum, cùm agat per potestatem ab ipso acceptam. *Ergo.*

Notæ, requiri aliquas conditiones. 1. *Ut, si* contrahatur per litteras, vir scribat fœminæ, se non modò sui corporis dominium de præsenti ei tradere, (vt Gonet explicat) sed ex tunc simul corporis eius traditionem, cùm primùm coram Parocho, & testibus facta fuerit, acceptare: & mulier vicissim vito rescribat, se vicissim velle illum in maritum, & corporis eius traditionem acceptare, quo rescripto, vel potius vtriusque contrahentis scripto coram Parocho, &, & testibus lecto, perficitur matrimonium etiam in ratione Sacramenti. 2. *Si fiat* per Procuratorem, potest, immò debet in contrahendo vti hac, vel simili verborum forma: Titius te per me accipit in vxorem. Vel accipio te Titio in vxorem. Sponsa respondeat: Ego mediante te Titium accipio in Maritum. 3. *Ut Procurator* non agat ex mandato generali pro quibusvis casibus dato, sed ex speciali pro hoc casu, & quidem ad contrahendum cum hac determinata persona: agat sinquam, per seipsum, & non per substitutum, nisi id expressè contineatur in mandato. 4. *Ut consensus* principalium contrahentium non sit revocatus.

* 16 *Oppono* 1. Sacramentum Pœnitentiæ non potest administrari inter absentes. Ergo nec Matrimonij. *Ant.* patet *T.* 13. *E.* 4. *n.* 17. 2. *Tale* Matrimonium solet postea, dum coniuges conveniunt, coram Parocho, & Testibus ratihaberi. Ergo anteà non erat validum. 3. *Saltem* non videtur causare gratiam, præsertim physicè, vel maximè si principalis contrahens tempore contractus dormiret, vel esset in mortali.

Ad 1. patet disparitas loco in Oppositorato. *Ad* 2. *neg. conf.* Quia per hoc Matrimonium non dicitur iterari, vel de novo celebrari, sed solùm ratificatur id, quod anteà per alios factum est. Vel certè tantum supplentur omissæ solemnitates. *Ad* 3. *R.* quod causetur gratia, vnde principalis contrahens, pro eo tempore, quo probabiliter credit Matrimonium esse contrahendum, tenetur esse sine cõscientia peccati mortalis, saltem per contritionem. Quam gratiam etiam in summo recipere potest, si ante eum habuerit intentionem recipiendi Sacramentum. Si sit in mortali, gratia non causatur, per accidens, ob indispositionem subiecti. Porrò illa gratia non causatur physicè, si consensus principalium contrahentium (veluti essentiales partes Sacramenti) physicè non existant: quia Sacramenta causant gratiam physicè, vel moraliter iuxta suum modum existendi, vt explicatum est suprà *T.* 11. *E.* 2. *num.* 5.

EXAMEN II.

De Matrimonio quantum ad Sponsalia.

De quo S. Thom. q. 43. *per tres artic.*

* 2 QUÆRO 1. Quid sunt Sponsalia? obligantne, si sint purè mentalia, seu interna, vel ficta externa? *Secunde Parti* satisfactum est suprà *T.* 8. *E.* 4. *n.* 10. *vbi* probatum est, quod promissio, & donatio mere interna homini facta non obliget in conscientia. *Ad* 3. *Partem* Quæsiti sufficienter patet ibid. *E.* 5. *n.* 19. vbi ostensum est, quod qui sub spe Matrimonij, sive verè, sive fictè promissi, Virginem corrupit, ordinariè in conscientia teneatur eam ducere. Vnde ad primam Quæsiti partem.

Resp. 1. Sponsalia à spondendo dicta, bene definiuntur à *S. Thom. a.* 1. quod sint *futurarum nuptiarum*, seu Matrimonij *promissio*. Ex quo patet, quod hic definiantur Sponsalia de futuro, si enim fiant de præsenti, sunt idem, quod Matrimonium ratum, non consummatum: quale fuit inter B. Virginem, & S. Josephum, vnde illa huius Sponsa, & hic illius Sponsus vocatur.

Explicatur definitio: Dicitur 1. *Promissio*, nõ enim sufficit voluntas, vel propositum promittendi, vel nubendi, quia Sponsalia inducunt obligationem ex justitia ad contrahendum, secùs est de proposito. Debet autem esse promissio *mutua*, seu debet ei correspondere alterius com-seu repromissio. *Ratio*: Quia sponsalia non sunt promissio gratuita, seu simplex, sive gratis, ac merè liberaliter facta, sed sunt verum pactum, & contractus onerosus, qui parem vtrinque obligationem importat, iuxta contractus definitionem ab Ulpiano traditam, quòd sit *vltrò citròque*, seu reciproca *obligatio*. Vnde communiter dicitur: *Sponsalia claudicare non possunt*, puta, in contrahendo, seu dum fiunt; nam postquam contracta sunt, ea posse esse obligatoria ex parte vnius, & non alterius, ratione cuiusdam accidentis, vel circumstantiæ, patebit infrà n. 26. R. 3. vsque ad 4. Dicitur 2. *Futurarum nuptiarum*, quæ sunt huius promissionis obiectum specificativum, per quod Sponsalia essentialiter constituuntur, & distinguuntur ab omni alia mutua promissione, vel contractu.

Quare Sponsalia præmittuntur ante Matrimonium? *Dico*: Quamvis non sint de essentia Matrimonij, præmittuntur tamen conveniente ideò. 1. *Ut constet*, quòm Matrimonium liberè contrahatur, & quòd eo contracto conjuges sint iam obligati quasi vivere sub jugo: cuius probam, vel quasi Noviciatum ingrediuntur per Sponsalia. 2. *Ut homines* Matrimonium contrahant cum matura deliberatione, & sine præcipitantia. 3. *Ut constet*, quod nulla adsint impedimenta.

* 2 QUÆRO II. In qua ætate possunt contrahi Sponsalia, & quanta ad illa requiritur deliberatio? Idem quæro de ætate requisita ad Matrimonium, ac Religionem? *Resp.* 1. cum Ang. Doct. *art.* 2. Potest homo in fine primi septennij contrahere Sponsalia, sicut in fine secundi Matrimonium, aut Religionem ingredi; & in fine tertij, civiliter se obligare. *Declarat* hoc S. D. *ibid. dicens*: Cum Sponsalia sint quædam promissiones futurorum, oportet, quod illorum sint, qui aliquo modo promittere possunt, quod non est nisi illorum, qui habent aliquam prudentiam de futuris, quæ vsum rationis requirit: respectu cuius triplex gradus notatur in 1. Ethic. *Primus est*, cùm quis neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest. *Secundus* status est, quo homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad considerandum, & intelligendum. *Tertius est*, cùm homo & ab alio iam capere potest, & per se ipsum considerare. Et quia Ratio paulatim in homine convalescit, secundùm quod quietantur motus, & fluxibilitas humorum, ideò primum statum Rationis obtinet homo

ante

ante primum septennium: & ideò illo tempore nulli contractui aptus est, & ita nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine primi septennij: vndè etiam tunc temporis pueri ad Scholas ponuntur. Sed ad tertium statum incipit homo pervenire in fine secundi septennij, quantùm ad ea, quæ ad personam ipsius pertinent; in quo Ratio naturalis eius convalescit: sed quantùm ad ea, quæ extra ipsum sunt, in fine tertij septennij. Et ideò ante primum septennium nulli contractui homo apus est. Sed in fine primi septenij incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipuè de his, ad quæ Ratio naturalis inclinat magis: non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non firmam habet voluntatem: & ideò tali tempore possunt contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennij iam potest obligare se de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad Religionem, vel ad Conjugium. Sed post tertium septennium etiam potest de alijs se obligare, & secundùm Leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi post vigesimum secundum annum. *Hæc S.D.* Ubi tamen *NB.* quod defacto post Trident. non possit quis per professionem se obligare Religioni, nisi post completum 16. ætatis annum.

Resp. 2. Non est de necessitate, vel præcepto gravi; vt dictum septennium sit mathematicè completum: vnde non obstat, an octo, decem: *vel* 15. *dies* desint, quod est esse moraliter completum. *Ratio* detur à *S. Thom. a.* 2. *ad* 7. *dicente*: In Sponsalibus si appropinquant contrahentes ad tempus septennij, contractus Sponsalium habet robur: quia secundum *Philos. in* 2. *phys* Quod parum deest, quasi nihil deesse videtur. Hæc autem propinquitas à quibusdam determinatur tempus sex mensium: sed melius est, quod determinetur secundum cõditionem contrahentium: quia in quibusdam magis acceleratur vsus rationis, quam in alijs. *Hæc S. Thom.* loquens de septennio complendo, non inchoando.

Resp. 3. Sponsalia ante septennium inchoatum contracta sunt nulla, & mortalia ex genere suo: licet malitia suppleat ætatem. *Ita S.D. a.* 2. *ad* 3. dans quoad hoc disparitatem de Matrimonio, & Sponsalibus, *dicendo*: Tempore contractus Matrimonij non solum requiritur dispositio ex parte vsus Rationis, sed etiam ex parte corporis, vt sit generationi aptum; & quia puella in 12. anno ad hoc venit, vt possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennij, vt *Philos. ait in* 9. *animal.*, simul autem vsum discretionis accipiunt, qui tantum in Sponsalibus requiritur: ideò in Sponsalibus determinatur vnum tempus vtrique, non autem in Matrimonio. *Hæc ibi.* Quia in vsu Matrimonij mas se habet vt agens, fœmina vt patiens: nobilius autem est, & maiores vires requirit agere, quam pati. *Ratio*: Lex in materia gravi graviter obligat, & quidem secundum id, quod regulariter, & communiter fit, ac via ordinaria: Sed ordinariè vsus rationis non solet adesse nisi septennio completo, vel in fine eius, si verò citius adsit, sive miraculosè, sive naturaliter, est per accidens. Ergo.

Nota, quod malitiam supplere ætatem, nihil sit aliud, quam quod citius adsit discretio, seu vsus Rationis: malitia ergo in præsenti sumitur pro vsu Rationis. Supplet proinde respectu Matrimonij: mirum enim præsentiã potentiæ generativæ, non verò respectu Sponsalium ante inchoatum septennij. Et hoc ideò, quia iura, dum statuunt ætatem pro Matrimonio, excipiunt casum malitiæ ætatem supplentis, non autem respectu sponsalium. Disparitas patet ex adductis verbis S. Thomæ, & subiuncta probatione.

* 3 *Resp.* 4. Ad sponsalia requiritur illa plena deliberatio, quæ requiritur, & sufficit ad peccandum mortaliter: nec tamen hæc sufficit, sed maior requiritur. *Ratio* 1. *p.* Quia sponsalia obligant sub mortali. *Ratio* 2. *p.* Ad sponsalia non tantùm requiritur, quòd sint actus humanus, & voluntarius, quomodocumque, & cum consensu in præsens, sed etiam cum consensu in futurum: ad peccatum autem mortale sufficit consensus in præsens. Ergo.

Hanc rationem tradit S.D. *cit. art.* 2. vbi sibi objicit hoc argumentum: Sicut ad contractũ sponsalium requiritur aliquis Rationis vsus, ita ad consentiendum in peccatum mortale: Sed sicut Gregorius narrat *in* 4. *Dialog.* quidam puer quinque annorum propter blasphemiæ peccatum à diabolo extinctus est. Ergo & ante septennium possunt cõtrahi sponsalia. *Ad quod respondet*: Ad 2. dicendum, quòd quidam dicunt, quòd ille puer, de quo Gregorius narrat, non fuit damnatus, nec mortaliter peccavit, sed visio illa fuit ad Patrem contristandum, qui in puero illo peccaverat, non corrigens eum. Sed hoc est expresè contra intentionẽ Gregorij dicentis, quod Pater pueri, abimam parvuli sui negligens non parvum peccatorem Gehennæ ignibus nutrivit. Et ideò dicendum, quòd ad peccatum mortale sufficit etiam consensus in præsens, sed in sponsalibus est consensus in futurum: maior autem discretio Rationis requiritur ad providendũ in futurum, quàm ad consentiendum in vnum actũ præsentem: Et ideò ante potest homo peccare mortaliter, quàm possit se obligare ad aliquid in futurum. *Hæc ibi.*

* 4 *Quid sentis* de sponsalibus, quæ Parentes, vel Tutores contrahunt pro filijs ante septennium? *Ad hoc* S. Thom. *ibid. ad* 1. *ait*: Si ante annos pubertatis fiat cõtractus sponsalium per alium, ambo, vel alter reclamare possunt. Vndè nihil tunc actum est, adeò quòd nec aliqua affinitas ex hoc contrahatur: & ideò sponsalia, quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent, inquantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes, non reclamant: ex quo intelliguntur consentire de his, quæ per alios facta sunt. *Hæc ibi*, Unde ibidem *ad* 4. *docet*, quòd cõplacentia, quæ circa sponsalia est in pueris ante septennium, non procedat ex perfecto vsu Rationis, cùm nondum susceptibiles sint plenæ disciplinę: Sed magis ex motu naturæ, & ideò non sufficiat ad sponsalia.

Tenentur ne filij in similibus obedire parentibus, & ratificare postea talia sponsalia? *Affirmo* de debito honestatis, quia valdè honestum est, vt filij Parentibus obediant: *Nego* autem de debito necessitatis, & præcepti, quia filij in eligendo statu sunt sui juris. Hinc ob rationabiles causas possunt non ratificare. Vide de Matrimonio infrà *E.* 3. *n.* 30. *R.* 3.

* 5 QUÆRO III. Quam obligationem, vel quos effectus pariunt sponsalia? *Resp.* 1. Sponsalia de se, & ex genere suo obligant sub mortali, seu pariunt gravem obligationem Matrimonij re ipsa contrahendi. Ita S.D. *a.* 1. *ad* 2. *dicens*: Ex tali promissione obligatur vnus alteri ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interve-

niat: & secundùm hoc Ecclesia cogit injungendo pœnitentiam pro peccato: tamen in foro contentioso non compellitur, quia Matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere, nisi fortè juramentum intervenerit, quia tunc cogendus est, qui promisit, vt quidam dicunt: quamvis alijs non videatur propter causam prædictam, præcipuè si de uxoricidio timeretur. *Hæc ibi.* Quę intelliguntur de sponsalibus puberum. Ex quibus etiam patet, cur in R. 1. dicatur, *ex genere suo*, ad excipiendum, si adsit justa causa dissolvendi: quæ si non adsit, sponsus, vel sponsa resiliens nequit à Confessario absolvi, quia sciens persistit in peccato mortali. *Ratio.* Quia sponsalia obligant ex justitia, vtpotè ex contractu: & sunt in materia gravi ratione Matrimonij ad quod stringunt. Vide suprà *T.* 10. *E.* 3. *n.* 19. *R.* 4. *& n.* 23. quòd in potestate voventis non sit, in materia gravi se obligare sub peccato levi. Quod idem de sponsalibus verum est.

Resp. 2. Sponsi vtriusque sexus ex vi sponsalium tenentur se servare aptos ad generationem, & abstinere à fornicatione. Si cum alia persona carnaliter peccaverint, committunt speciale, seu alterius speciei peccatum, reductivè spectans ad adulterium, vt tenet probabilior, & tutior sententia. *Ratio* 1. Sponsi saltem mediatè obligantur ad obstinendum ab omnibus ijs, quæ à coniuge in Matrimonio facta essent contra fidem Matrimonij, & excipiuntur tantum illa, quæ iure conceduntur, vti est ingressus Religionis, &c. Ergo. *Prob. ant.* Sicut in Matrimonio corpora mutuò traduntur, ita in Sponsalibus promittuntur, & traditur ius remotum in ea. Ergo. Dixi, *saltem mediatè*: Quia immediata Sponsalium obligatio est solùm ad Matrimonium ineundum. *Ratio* 2. Licet per Sponsalia Sponsus non habeat ius in re ad corpus Sponsæ (hoc enim traditur per Matrimonium) habet tamen ius ad rem, vti in quavis promissione acceptata datur ad rem promissam: est enim in Sponsalibus promissio faciendi suum corpus alteri proprium, & non tradendi vni tertio. Ergo fornicando non solum peccat peccato fornicationis, sed & adulterij reductivè. Dixi, *reductivè*; quia adulterium propriè definitur, quod sit violatio thori alieni, quæ in præsenti non est, cum nondum habeant eundem thorum. Hanc ob causam *S. Thom.* 2. 2. *q.* 154. enumerans omnes species Luxuriæ, nullam facit mentionem peccati cõmissi à Sponso fornicante.

* 6 *Resp.* 3. Ex Sponsalibus validis, & certis oritur iure Ecclesiastico impedimentum publicæ honestatis dirimens Matrimonium cum Consanguineis alterius Sponsi: id quę in primo gradu tantum, vt cum matre, filia, vel sorore sponsi, vel sponsæ, ita patet ex Concil. *Trident. sess.* 24. *cap.* 3. vbi etiã hoc impedimentum sustulit à sponsalibus invalidis. *Ratio congruentiæ*: Quia sponsalia sunt initium, seu inchoatio Matrimonij. Ergo conveniens fuit, quod sicut per Matrimonium inducitur affinitas, vt impedimentum dirimens, sic per sponsalia inducatur aliud vinculum coniunctionis, minus tamen perfectum.

Nunc hoc impedimentum tollitur morte alterius, nimirum sponsæ, vel sponsi? *Dico*, quod non; vti videtur definitum à varijs Pontificibus. *Ratio à pari*: Quia soluto per alterius coniugis mortem Matrimonio non tollitur affinitas ex eo orta. Ergo nec in præsenti casu publica honestas. *Quid si* sponsalia valida mutuo sponsarum consensu sint soluta? *Dico* contra quosdam, non per hoc tolli illud impedimentũ. *Ratio*: Quia non apparet, cur potius vno, quam altero dissolutionis modo tollatur.

* 7 QUÆRO IV. In quibus casibus sponsalia sunt nulla, vel saltem solubilia? *De nullitate* sponsalium ex defectu ætatis, patet ex dictis. *Resp.* 1. Sponsalia contracta cum impedimento perpetuo, Matrimonium verè sub culpa impediente, *v. g.* cum voto simplici perpetuæ castitatis, sunt nulla. Vti & sponsalia clandestina de Matrimonio clandestinè contrahendo. *Ratio*: Quia promissio rei illicitæ, seu cuius impletio est illicita, non obligat, sed iure naturæ invalida est.

Dixi 1. in R. *cum impedimento perpetuo*. Si enim sit temporale, vt votum castitatis triennalis, vel defectus pubertatis, possunt contrahi sponsalia, etiã absoluta: obligantia pro tempore, quo impedimẽtum erit ablatum. Vel si hoc sit tale, quod per Papam sit dispensabile, licet sit dirimens possunt contrahi sponsalia sub conditione, si Papa dispensaverit: quæ verè obligant. De sponsalibus conditionatis *S. D. a.* 1. *ad* 4. *sic ait*: Conditio, quæ apponitur non tollit Matrimonij libertatem, quia si est inhonesta, debet abijci: si autem honesta, aut est de bonis simpliciter, vt si dicatur, Accipiam te, si placet Parentibus; & hæc conditio non tollit libertatem sponsalium, sed auget et honestatem; aut est, de vilibus, vt si dicatur, Contraham tecum, si dabis mihi centum, & tunc hoc non ponitur quasi ad vendendum consensum matrimonij, sed intelligitur vt promissio dotis, vnde Matrimonium libertatem non perdit. *Hæc ibi.* De conditione pœnali dicetur posteà num. 29.

Dixi 2. *De Matrimonio clandestinè contrahendo*: Quia sponsalia clandestina de Matrimonio in facie Ecclesiæ contrahendo, non solùm sunt valida, cùm non extet Lex Ecclesiastica irritans illa, sicut irritat Matrimonium clandestinum; sed etiam ex causa rationabili possunt esse licita: communiter tamen practicanda non sunt, eo quod in ijs accidere possit imprudentia, & incircumspectio.

* 8 *Resp.* 2. Notabilis disparitas inter contrahentes huius disparitatis conscios non irritat sponsalia, nisi magnum indè oriatur scandalum: licèt possit ea facere illicita. *Ratio* 1. *p.* Cùm contrahens sit sui Juris, ac sciens, seu notabilem disparitatem, & excessum videns nihilominus Matrimonium promittat, non decipitur, sed censetur liberè cedere iuri suo, & liberaliter donare excessum, vt arguit Perez. *Ergo*. Ex hoc solvitur, quod potest objici, nimirum notabilis inæqualitas pretij rescindit contractum, vt si quis 100. florenos promiteret pro vno ovo, vel meretrici pro vsu corporis: Solvitur, inquam, quia in nostro casu nihil datur per modum pretij, & excessus liberaliter donatur, vt supponitur: quod non est in casu objecto, vel si sit, est paritas, & subsistit promissio.

* 9 *Resp.* 3. Quoties sponsalibus tam contractis supervenit notabilis defectus, vel deformitas corporis, possunt, licèt sint jurata, ab altera parte dissolvi. Ita S. D. *a.* 3. *ad* 3. *dicens*: Si ante contractũ Matrimonium, aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum debiliter nimis, vt epilepsia, vel paralysis; aut cum deformet, vt abscisio nasi, vel orbitas oculorũ, vel aliquid huiusmodi, aut quę sit cõtra bonum prolis, vtpotè lepra, quæ solet prolem inficere, possunt sponsalia dirimi, ne sibi invicem displiceant,

ceant, & Matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur. Nec pro pœna punitur aliquis, sed ex pœna damnum reportat, quod non est inconveniens. *Ita S. D.* per vltima verba solvens hanc obiectionem: Pro pœna nullus debet puniri: Sed infirmitas, vel deformitas est pœna, & pro ea infligeretur dissolutio sponsalium. Ergo.

Ratio: Promittentes, & iurantes cēsentur promittere, & iurare iuxta communem aliorum intentionem, & rebus in eodem statu moraliter permanentibus. Ex quo patet, idem esse dicendum, si sponsus incidat in notabilem paupertatem: est enim notabilis mutatio. Si verò vterque notabiliter depauperetur, paupertas vnius compensatur paupertate alterius. Si verò vnus repente fiat ditior, ob hoc non potest iustè resilire, quia alter per hoc non est factus deterioris conditionis.

* 10 *Resp.* 4. Si sponsus inscia, seu non consentiente sponsa discedat in Patriam longinquam, sponsa potest resilire, licèt sponsalia sint iuramento firmata. *Ita S. Thom. a.* 3. *ad* 2. *dicens*: Si ex parte eius non defuit, quin Matrimonium compleret, potest licitè alteri nubere sine aliquo peccato. Si autem per eum stetit, quod Matrimonium non est completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promissionis, aut iuramenti, si iuramentum intervenerit: & contrahere potest cum alia, si vult, iuditio Ecclesiæ. *Hæc S. D.* movens ibi propositum casum. Et est vera hæc doctrina, non solum quando sponsus vult in alia terra figere domicilium, sed & si diu sit emansurus ex causa non necessaria: si verò causa sit necessaria, debet expectare, vsquedum causa cesset, saltem iuditio Ecclesiæ. *Ratio*: Quia sponsus ita discedens censetur renunciare sponsalibus.

* 11 *Resp.* 5. Si sponsalibus contractis superveniat affinitas, vt si sponsus fornicetur eum sorore sponsæ, sponsalia dissolvuntur ex parte eius, qui non fuit causa impedimenti; non tamen ex parte eius, qui illud causavit. *Ita S. Thom. a. cit. ad* 4. *dicens*: Si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel è contra, tunc dirimi debent sponsalia, & ad hoc probandum sola fama sufficit propter scandalum vitandum; causæ enim, quæ in futurum expectant effectus suos, impediuntur à suis effectibus, non solum ex eo quod est, sed ex eo quod futurum est. Vnde sicut affinitas si esset tempore contractus spōsalium, impediviſſet contractum illum: ita si interveniat ante Matrimonium, quod est effectus quidā sponsalium, prior contractus ab effectu suo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, immò ei confertur, quia absolvitur ab eo, qui per fornicationem se Deo odiosum reddidit. *Hæc ibi.*

Ratio 1. *p.* Innocens ex peccato nocentis accepit sufficientem causam, & ius resiliendi, ita quidem vt dispensationem oblatam non teneatur acceptare. Ergo. *Nota*: Si innocens velit, vt nocens dispensationem procuret, & hic eam sine gravi incommodo, & magnis sumptibus eam procurare possit, tenetur eam petere. *Ratio* 2. *p.* Quia æquum non est, vt nocens ex suo delicto commodum, nimirum immunitatem à præstita fide reportet. Vide infrà num. 26. ante R. 4. quomodo sponsalia possint claudicare.

* 12 *Resp.* 6. Sponsalia etiam possunt dissolvi propter simplicem fornicationem alterius sponsi, licèt sint iurata; sic vt innocens possit resilire si velit, non verò nocens. *Ita S. Thom. ibidem ad* 6. *dicens*: Quamvis non dederint sibi mutuò potestatem corporis sponsalia contrahentes, tamen efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda in futurum: & ideò potest sibi præcavere vnus contra alium, sponsalia dirimendo. Hæc ibi. *Ratio* patet ex his verbis *S. Thom.* & est adducta *pro R.* 5. Quibus additur: Quia & sponsalia, & iuramentum adiectam habent hanc tacitam conditionem, nisi alter peccaverit contra Leges sponsalium.

Nota, si vterque fornicetur, non convenire Doctores de iure resiliendi, dum aliqui tenent solum sponsum, & non sponsam posse resilire, eo quod sponsa per fornicationem (vt putant) notabiliter fiat vilior sponso, non è contra. Alij verò tenent, vtrumque licitè posse resilire, cum sibi mutuò dent sufficientem resiliendi causam. Pro decisione.

Resp. 7. Probabilius est, quod si vterque sponsus fornicetur, nullus licitè resilire possit. *Ratio*: Tum quia paria delicta mutua compensatione tolluntur; tum etiam, quia etsi fornicatio sponsæ sit ignominiosior sponso, quam è contra: tamen propter violatam fidem sponsus sit sponsæ rationabiliter suspectus de ea non servanda etiam imposterum. Ergo saltem est paritas, quoad sufficientiam causæ dissolvendi sponsalia. Ergo adhuc est mutua compensatio.

* 13 *Sed quid* si sponsa ab alio per vim sit defiorata? Pro hoc. *Resp.* 8. Probabilius est, quod possit resilere sponsus. *Ratio* Tum quia exponitur periculo alendi alienam prolem; tum etiam, quia sponsa in hoc casu, etsi sit sine culpa, sit tamen notabiliter vilior, quia vulgo satis infame est, ducere corruptam.

Quid si Sponsus, vel sponsa faciat solum osculā, vel impudicos tactus cum alijs? Pro hoc. *Resp.* 9. Probabilius est, quod sive hic, sive hæc faciat, innocens habeat sufficientem causam resiliendi. Licet hoc aliqui neg ent de sponsa, si id faciat sponsus. *Ratio*: Quia etiam sponsus violat fidem, & vehementem ingerit suspicionem, quod sponsam non sit sincere amaturus, nec fidem servaturus imposterum. *Nota*, hoc etiam verificari de hæresi spirituali, præsertim in locis vbi hæresis causat infamiam, vel si innocenti sit periculosa.

* 14 *Resp.* 10. Sponsalia puberum valide, & licite possunt dissolvi mutuo sponsorum consensu: licite, inquam, ex rationabili causa. *Ita S. Thom. citato a.* 3. *ad* 5. *dicens*: Quidam non recipiunt istum casum. Sed contra eos est decretalis, quæ expressè dicit: Adinstar eorum, qui societatem interponitis, ne fidei contrahunt, & posteà eandem sibi remittunt, potest in patientia tolerari, si mutuò se absolvunt, qui sponsalia contraxerunt. Sed ad hoc dicunt, quod Ecclesia magis hoc sustinet, ne peius eveniat, quam hoc sit de iure. Sed hoc non videtur exemplo convenire, quod Decretalis adducit. Et ideò dicendum, quod non semper est levitas, retractare, quæ prius firmata sunt, quia incertæ sunt providentiæ nostræ, vt dicitur in lib. Sap. *Hæc ibi.*

Ratio 1. *p.* est illa Regula Iuris *Res omnes, per quæcunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, si nimirum ex sua natura dissolubilis sit, vti sunt sponsalia; secus est de Matrimonio. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Si fiat sine rationabili causa, datur causa obloquiorum, incuritur nota inconstantiæ, & agitur contra rationem. Ergo.

* 15 *Sed quid* si sponsalia sint iurata? Pro de-

cissione. *Resp.* 11. Nihilominus posse mutuo consensu dissolvi. *Declaratur*, & *Ratio* datur: Quamvis, dū res promissa non cedit in alterius vtilitatem, licèt ad eum dirigatur juramentum, ast non res promissa, vt si quis ita juret, Juro tibi, me Missam auditurum tali die; quamvis, inquam, tunc non possit à particulari illo homine relaxari, benè tamen, si tota res promissa, licèt concernat causam piam, cedat in vtilitatem promissarij, vel juratarij, v.g. Juro tibi, me pro te auditurum esse Missam; juro, vel voveo, quòd huic pauperi velim dare vestem, quòd huic Ecclesiæ velim dare calicem, tunc enim ille pauper, vel Ecclesia hoc votum, aut juramentum potest relaxare, prout suprà *T.* 10. *E.* 4. *n.* 19. docuimus de juramento ex S. Thoma, cuius verba, & ratio ibi videantur. Et tunc parte condonante etiam Deus ipse condonare censetur. *Subsumo*: Sed in casu, quo quis juravit pauperi puellæ, se eam ducturū in vxorem, licèt jurumentum sit factum in favorem causæ piæ, tota tamen eius materia cecidit in favorem illius puellæ, & non aliter à Deo acceptatur. Ergo ab ea potest relaxari. Aliud esset, si ita juraret: Juro, quòd in honorem Dei velim ducere pauperem puellam.

* 16 *Resp.* 12. Sponsalia impuberum non possunt mutuo eorum consensu dissolvi, quamdiu tales sunt, seu ante annos Matrimonio aptos, vnde quoad reclamationem, & sponsalium dissolutionem debent expectare vsque ad pubertatem, quæ est *anno* 12. ætatis in fœmina, *anno* 14. in masculo. Ita expressè statuitur cap *de illis, de desponsat. impuberum*. Et hoc verum est, licèt vnus contrahentium iam sit pubes. *Ratio*: Quia privilegium reclamandi est concessum in favorem impuberum pro tempore pubertatis.

* 17 *Resp.* 13. Sponsalia priora non solvuntur per posteriora, etiam jurata. *Ratio* 1. *p.* Quod solvit, debet esse fortius eo, quod solvitur, vt patet: Sed hoc non est in præsenti, vt constat. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Juramentum non est vinculum iniquitatis: Sed secunda sponsalia sunt iniqua, & illicita. Ergo.

Sed quid si priora sponsalia ex aliqua causa fuerint legitimè soluta, nonne obligant posteriora? Pro hoc *Resp.* 14. negativè. *Ratio*: Vt habet Regula Juris, *Quod ab initio validum non fuit, tractu temporis non convalescit*, seu non firmatur, nisi ab eo, qui illud firmare potest, v.g. in præsenti per novū consensum. *Excipitur* tamen, si promittens promiserit absolutè pro quovis tempore absque vlla limitatione, vel promiserit pro tempore, quo ad contrahendum cum alia erit habilis.

* 18 *Resp.* 15. Matrimonium cum secunda initum dissolvit sponsalia cum priore: si tamen sit validum. *Ratio* 1. *p.* Vinculum minus forte solvitur per fortius: Sed Matrimonium est vinculum fortius sponsalibus. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Juxta Regulam Juris, *Non præstat impedimentum, quod de iure non foreitur effectum*.

Resp. 16. Dictum Matrimonium priora sponsalia non tantùm suspendit, sed & extinguit, ita vt mortua vxore non revivisicant, seu obligare non incipiant. *Ratio*: Vinculū minus forte per fortius nō solùm suspenditur, sed extinguitur, & obligatio semel extincta non revivisicit: Sed Matrimonium est vinculum fortius sponsalibus. Ergo. Vnde & S. T. *ait a.* 3. *ad* 7. *ait*: Quòd contractus Matrimonij solvat priorem contractum sponsalium. *Excipitur*, si intentio sponsi promittentis ad hunc casum se extendat, seu extenderit.

Resp. 17. Dantur plures causæ dissolventes sponsalia, vt ingressus, vel professio Religionis, votum castitatis, votum suscipiendi Ordinem sacrum. Sed de his ad Q. 5.

* 19 *Dic mihi*, an sponsus habens ius dissolvendi sponsalia, possit ea solvere propria, vel tantùm judicis authoritate? *Dico*: Potest authoritate propria attenta rei natura, sed ne detur occasio scandali, requirendus est Judex. *Ratio* 1. *p.* Tum quia id nullo iure cavetur; Tum quia sponsalibus ineſt hæc tacita conditio, seu facultas resiliendi ex iusta causa. 2. *Pars declaratur*: Occasio scandali esse potest, adeòque Judex est requirendus, quando sponsalia sunt publica, & causa occulta, secus quando tàm causa, quàm sponsalia sunt publica, vel quando vtraque sunt occulta.

Quid si Pars vitiosa nolit consentire in dissolutionem sponsalium, potestne innocens iustam occultam resiliendi causam, v.g. occultum alterius crimen Judici manifestare? *Dico*: Potest, si servato ordine fraternæ correctionis nolis acquiescere, id est, si partem vitiosam priùs de causa admonuerit per se ipsum, vel hoc non proficiente, per Parentes, vel alios viros honestos consensum persuaserit. *Ratio*: Si tunc infametur, sibi imputare debet.

* 20 QUÆRO V. Quid censes de causis anteà in R. 17. adductis? *Resp.* 1. Professio emissa in Religione approbata dissolvit sponsalia. *Ratio* est eadem, quæ est data pro 3. *p.* R. 15. ad Q. 4 quæ hic applicetur. *Resp.* 2. Solus Religionis ingressus ante Professionem non dissolvit sponsalia vtrinque. *Ratio*: Tum quia id nullo iure statuitur; Tum etiam quia nulla per ingressum affertur incompossibilitas, vt dicetur.

Resp. 3. Dum ex sponsis vnus altero nesciente, vel invito ingreditur Religionem, sponsalia ex natura rei solvuntur ex parte eius, qui manet in sæculo, non verò ex parte eius, qui Religionem ingreditur, sed hic si iterùm egrediatur, tenetur implere sponsalia, si alter velit. *Ratio* 1. *p.* pro R. 3. ad q. 4. Est enim notabilis mutatio, item grave onus per integrum annum expectare alterius nuptias: immò communiter vulgò dedecorosum, ducere talem, qui vel quæ fuit monachus, vel monacha, etiam novitia. Ergo. *Confirm.* Ingrediens Religionem, sive sincero, sive ficto animo eo ipso ostendit animum à nuptijs alienum. Ergo cedit iuri, quod habet in alterum.

Ratio 2. *p.* Sponsus in sæculo manens, non est spoliandus iure suo absque sufficiente causa: Sed hæc in præsenti non datur, non enim de hoc extat vllum ius positivum, nec Religionis ingressus ex natura est incompossibilis cū sponsalibus, tū quia talis potest egredi, tum etiam quia potest vxoratus Religionem ingredi manente Matrimonio, puta, tantùm rato, immò, & consummato manente post Professionem, vt dicetur infrà. Ergo.

Declaratur hoc vlteriùs: Jura quidem habent, quòd Professioni in favorem status Religiosi sit cōcessum privilegium dirimendi Matrimonium rati, id tamen de ingressu respectu sponsalium, nec ex jure, nec ex natura rei, vt probatum est, colligitur. Nec æquum erat, id concedere soli ingressui, quia æquum non est, vt favore Religionis gaudeat is, qui à Religione recedit, sed meritò suas antiquas obligationes ad sæculum reportat. Quamobrē

vota

vota quæcumque ante ingreſſum facta in Novitiatu ſolum manent ſuſpenſa, & reviviſcunt, ſi ad Sæculum regrediatur. *Ex his* ſequitur, quod licet in ſponſalibus vtriuſque tacitè ſubintelligatur hæc conditio, *Niſi perfectiorem ſtatum elegero*, non tamen hæc, niſi tranſiero ad Religionem per Novitiatum, quia hic ſtatus non eſt: ſtatus enim, à eſtando dictus, dicit permanentiam.

* 21 *Oppono*: Juxta ſponſalium definitionem ſponſalia claudicare non poſſunt, dicunt enim mutuam promiſsionem, & exinde mutuam, vltrò citroque obligationem. Ergo *Ad hoc diſt. ant.* Non poſſunt in fieri, ſeu in contrahendo, & hoc ob rationem datam, *conc. ant.* In facto eſſe, ſeu poſtquam contracta ſunt, & hoc ob certas cauſas ante adductas, & in certis caſibus, in quibus deobligatur vnus, & non alter, *neg.*

Reſp. 4. Si ambo ſponſi Religionem ingrediantur, & ambo egrediantur, manent ambo de obligati, niſi ſpontè velint Matrimonium contrahere. *Ratio* eſt dicta; notabilis mutatio, quæ ſe tenet ex parte vtriuſque

* 22 *Reſp.* 5. Qui ſponſalia juramento firmavit, ex vi iuramenti non tenetur prius contrahere Matrimonium, ſed poteſt non contracto prius Matrimonio, licitè ingredi Religionem, etiam invita ſponſa, niſi vrgens cauſa oppoſitum ſuadeat. *Ratio*: Sicut ipſo iure in ſponſalibus ſubintelligitur exceptio, niſi ad Religionem tranſire maluero, ita & in illo iuramento, tum quia iuramentum eſt acceſſorium ad promiſsionem, adeòque ſequitur naturam ſui principalis, tum etiam, quia iurare nemo debet id, nec præſumitur, quod eſt contra conſilium Evangelicum. Ergo: Dixi, *niſi vrgens cauſa oppoſitum ſuadeat*, qualis eſſe poteſt, vt prævidè contrahendo conſulatur famæ, & honori ſponſæ, ſi ſit in periculo infamiæ. 2. *Vt legitimetur* proles ſuſcepta ex ſponſa. 3. *Si* prævidè contrahendo poſſit evitari alterius occiſio, &c.

Declaratur vlterius, & tacitè ſolvitur quædam obiectio. Juramentum etiam in alterius vtilitatem præſtitum, poteſt favore Religionis commutari in melius. Quod ex eo patet, quia alioquin ille, qui poſt contractum Matrimonium iuravit, ſe illud conſummaturum, non poſſet ad Religionem tranſire. Si ergo ante Matrimonij conſummationem liceat convolare ad Religionem, à fortiori id licet poſt ſponſalia.

* 23 *Reſp.* 6. Votum ingrediendi Religionem non ſolvit quidem ſponſalia ex parte voventis, quæ ante illud ſunt contracta, bene tamen votum profitendi, ſaltem per ſe loquendo. *Ratio* 1. *p.* Votum ingrediendi non habet maiorem vim diſſolvēdi ſponſalia, quam ipſe ingreſſus: ſed hic non ſolvit illa, ex parte ingredientis. Ergo nec votum, ex parte voventis. *Ratio* 2. *p.* Per votum inducens ſtatum cum Matrimonio planè incompoſsibilem ſolvuntur ſponſalia ex parte vtriuſque: Sed per votum profitendi per ſe inducitur talis ſtatus. Ergo. Dixi in *R.* 6. *Saltem per ſe loquendo*; quia fortè per accidens ex parte alterius poſſet occurrere rationabilis cauſa contrahendi Matrimonium ante Religionis ingreſſum: iuxta exceptionem pro R. 5. factam.

* 24 *Reſp.* 7. Votum ſimplex cum animo manendi in Sæculo factum, ex parte vtriuſque diſſolvit ſponſalia prius contracta, licet ſint iurata. Ita *S. D. hic q.* 53. *a.* 1. *ad* 1; *Ratio* patet ex dictis: Nam vovēs hoc ipſo oſtendit animum à nuptijs alienum, ceditque iuri, quod habet in alterum, cui etiam per hoc votum datur iuſta cauſa reſiliendi ob notabilem mutationem ſponſalibus ſuperuenientem, in eo ſitam, quod onera Matrimonij, quæ quoad debitum coniugale debent eſſe paria, eſſent imparia, vterque enim coniux debet reddere, & petere, ille autem vovens ſolum poſſet reddere. Ergo. *Idem*, etiam de ſponſalibus iuratis probat Ratio data pro *R.* 3. *ad Q.* 4.

Reſp. 8. Licet minorum Ordinum ſuſceptio non diſſolvat ſponſalia contracta, bene tamen ſuſceptio alicuius Ordinis ſacri, vti & votum ſuſcipiendi Ordinem ſacrum. *Ratio* 1. *p.* Ordines minores cum coniugio non ſunt incompoſsibiles, ſive ex ſua natura, ſive ex ſtatuto Eccleſiæ. *Ratio* 2. *p.* Ordo ſacer facit hominem inhabilem ad Matrimonium, vt patebit infrà. Ergo à fortiori ſponſalia dirimit. *Ratio* 3. *p.* patet ex dictis *pro R.* 7. de voto ſimplici caſtitatis, quia votum in ſacro Ordine per ſe, & ex natura ſua eſt ſimplex, & dicitur ſolemne ſolum per accidens, nimirum ex ſtatuto Eccleſiæ. Ergo.

* 25 QUÆRO VI. Contrahentes ſponſalia poſſuntne apponere pœnam frangenti fidem? & frangentes iniuſtè fidem, poſſuntne à Iudice cōpelli ad eam ſervandam? *Reſp.* 1. Non poſſunt ſponſi ſponſalibus apponere pœnam, etiam modicam, quę liget iuſtè reſilientem: quam proinde in nullo foro tenetur ſolvere. Ita S. Thom. hic a. 1. ad 4. dicens: *Quandoque apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ, & tunc, quia Matrimonia debent eſſe libera, talis conditio non ſtat, nec poteſt exigi pœna illa ab eo, qui non vult Matrimonium contrahere.* Et 19 c. gemma, de ſponſalibus, vbi dicitur: *Cum itaque libera Matrimonia eſſe debeant, & ideò talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit merito improbanda, mandamus, quatenus, ſi ita eſt, eundem, vt ab extorſione prædictæ pœnæ deſiſtat, Eccleſiaſtica cenſura compellas.* Ex his.

Ratio patet, ne lædatur libertas Matrimonij. Quæ etſi, vt dum pœna eſt modica, aliquando non lædatur, *v. g.* in diuitibus modicam pecuniam non æſtimantibus, id per accidens eſt, & caſus particularis, qui non cadit ſub conſideratione Legis, Lex enim attendit ad ea, quæ per ſe, ſeu ordinariè fiunt. Nec obligatio Legis ceſſet, ex eo, quod in aliquo particulari caſu ceſſat eius finis, vt patet in Lege ieiunij, cuius finis eſt refrenatio paſsionum, à qua tamen non eſt liber, qui paſsionibus carer.

Reſp. 2. Pœna prudenter moderata, apposita injuſtè reſilienti, probabilius tenet, & obligat eum. *Ratio*: Tum quia non eſt prohibita vllo iure; non naturali, vt omnes admittunt, quia ſolum invitat ad id, quod eſt honeſtum, & ex iuſtitia debitum: non canonico, quia omnia iura, quæ ab Adverſarijs obijciuntur, nimirum ex cit. c. *gemma*. Ex Lege, *Titia*. Ex Lege, *Mulier*, loquuntur de pœna impoſita iuſtè reſilienti. *Tum etiam* quia per eam pœnam non minuitur libertas iniuſtè reſilienti, ſed conſervat, quia ſub mortali tenetur liberè contrahere, nec vllus habet libertatem ad reſiliendum iniuſtè, quia id non licet: in Iure autem illud dicitur impoſsibile, quod licitè fieri nequit. Ergo.

* 10 *Reſp.* 3. Judex à parte læſa requiſitus, Eccleſiaſticus apud Chriſtianos, Sæcularis apud Infideles, regulariter, & per ſe loquendo, tenetur in foro externo compellere injuſtè reſilientem, vt ſervet fidem præſtitam in ſponſalibus, ſive hæc iurata ſint, ſive non. *Ratio*: Judex ex officio tenetur ſuis ſubditis petentibus adminiſtrare juſtitiam, &

in-

injuriam eis inferentes cogere, vt ab ea desistant, & jus, seu debitum tribuant. Dixi, *regulariter*, & *per se*; quia per accidens, ob gravia incommoda, damna, scandala, perpetuas dissensiones, vxoris desertionem, &c. quæ prudenter prævidentur, vel timentur, non debet cogi resiliens, sed permitti debent mala minora, vt caveantur maiora.

* 27 *Oppono*: Qui contrahit ex metu in virum constantem cadente, non consentit, seu non agit liberè: Sed, cui imponitur gravis pœna, v.g. excommunicationis, agit ex metu cadente in virum constantem. Ergo. *Ad hoc dist. mai.* 1. *Si sit* metus iniustè incussus, *conced. mai.* si iustè, vt suppono fieri in præsenti. *neg.* Vide infrà de Matrimonio coacto. Et suprà *Tract.* 3. *Exam.* 1. *num.* 16. de metu. 2. *Aliter dist.* Non consentit liberè formaliter, & explicitè, *conced.* virtualiter, & in causa, *neg.* Quia liberè consentiens in sponsalia, liberè etiam consentit in Matrimonium, velut in effectum, & obiectum eorum. 3. *Dicitur*, quòd sponsus injustè resiliens compellatur, vt liberè consentiat, vel consensum in sponsalibus, fortè retractatum, renovet. Quem nisi renovet, & interius potiùs dissentiat, Matrimonium secutum in conscientia est nullum. Hinc, si publicè constet, quòd eum renovare nolit, cogendus non est.

EXAMEN III.

DE CONSENSU SECUNDUM SE, *Quæst.* 45. *per quinque artic.* De consensu coacto, & conditionato *q.* 47. *per sex art.*

* 1 QUÆRO 1. Consensus, & quidem verbis expressus, estne causa efficiens Matrimonij, sic vt sine eo illud nullatenus possit fieri per quamcunque superiorem potestatem, etiam divinam? *Resp.* 1. Consensus est causa efficiens Matrimonij. Ita S. Thom. *q.* 45 *art.* 1. loquens de Matrimonio, vt vinculum, non vt contractus, vel Sacramentum est: quia sic habet consensum pro causa materiali, & formali, vt in præcedentibus dictum est. *Ratio* data est in hoc Tract. *E.* 1. *q.* 2. *pro* 1. *p.* vbi quæcunque dicta sunt de vinculo, hic revideantur.

Resp. 2. Consensus debet esse sensibiliter expressus, sive verbis propriè dictis, sive nutibus. Ita S. Thom. *ibid. art.* 2. *in corp. ad* 2. *Ratio.* Matrimonium est contractus humanus, & obligans: Sed homines non possunt contrahere, nec se obligare nisi suam voluntatem sibi invicem manifestando. Ergo.

In R. ad 3. *S. Doctor* solvit casum de puella tacente præ verecundia, Parentibus eam viro tradentibus; & *ait*: Eos, qui conjunguntur, sic oportet consentire, vt invicem se spontaneè recipiant, quòd judicatur fieri, si in desponsatione non contradicant: vnde verba Parentum computantur in casu illo, ac si essent puellæ, est enim sufficiens signum, quòd sunt eius, ex quo non contradicit. *Hæc ibi.*

* 2 *Resp.* 3. Ad valorem Matrimonij non sufficit solus consensus Parentum, immò sine eo validè contrahitur; nec possunt Parentes filium cogere ad Matrimonium: benè tamen ex quadam rationabili causa inducere. Iuxta S. Tho. *q.* 47. *art.* 6. *Ratio* S. D. in Matrimonio est quasi quædam servitus perpetua. Ergo debet eligi sponte sua. *Item* filij in eligendo statu sunt sui juris. Vnde in cap. *cum virum, de Regularibus*, dicitur, filium in electione propositi Parentum non cogi sequi voluntatem. Hinc & S. Thom. *cit. a.* 1. *ad* 6. explicans illud Apost. Colos. 3. *Filij obedite Parentibus per omnia*, ait: Non intelligitur in illis, in quibus est liber sui, sicut Pater: & huiusmodi est Matrimonium, per quod etiam filius fit Pater. *Hæc ibi.*

Nota tamen, quòd filij absque rationabili causa inconsultis Parentibus contrahentes Matrimonium ordinariè peccent mortaliter. Quia Parentum munus est, non solùm proles educare, sed & ad perfectum statum deducere. Non tamen propter hoc possunt exhæredari, nec dos (conditioni saltem mariti, si non filiæ, proportionata, quia vxor sequitur conditionem mariti) multò minùs alimenta denegari. Quia *in Novell.* 115. recensentur causæ exhæredationis, nec inter eas refertur Matrimonium invitis Parentibus contractum, & in pœnalibus, ac odiosis extensio facienda non est, adeòque non debet fieri exhæredatio nisi ob causas ibi expressas. Causæ propter quas filij, vel filiæ Parentibus certum Matrimonium suadentibus parere tenentur, sunt v.g. si ex tali conjugio sequatur inimicitiarum compositio, Parentum in extrema necessitate existentium sustentatio, &c. Et hoc si proles præ alio statu ad matrimonialem se iam resolverit.

* 3 *Resp.* 4. Nulla potestas humana, Civilis, vel Ecclesiastica potest sine conjugum consensu in ijs efficere vinculum Matrimonij. *Ratio*: Quia est vinculum animorum: Sed nulla potestas humana habet dominium super animos subditorum, immo nec super corpora, vt patet ex dictis suprà *T.* 8. *de Jur. & Just. E.* 2. *n.* 38. *Ergo*. Hinc dum *Aristot.* dicit, quòd civis sit plus Reipublicæ, quàm sui ipsius intelligitur quantùm ad rem familiarem, & bona fortunæ pro commodo Reipubl. exponenda, immò & vitam ipsam profundendam, si necesse fuerit, captivitatem, servitutem subeundam, varios contractus ex natura tamen non indissolubiles faciendos: non verò loquitur de ijs, quæ ex natura sua libertatem petunt, & essentialiter, vel per se indissolubilia sunt, & perpetua: vti est Matrimonium. Quod proindè dependet à libero contrahentium consensu, pura, in fieri, non in conservari. De quo vide in Tract. hoc, *E.* 1. *q.* 2. *n.* 2. *pro* 6. *p.* Vnde non sequitur, quòd mutuo dissensa possit dissolvi. Ex quo solvitur illud: Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur: Sed Matrimonium nascitur per consensum. Ergo. Pro quo videatur *Ratio* 1. *p.* R. 10 *ad q.* 4. *E.* 2.

* 4 *Resp.* 5. Vinculum Matrimonij potest per absolutam Dei potentiam fieri inter virum, & mulierem absque proprio eorum consensu, seu inter insciOS, & reluctantes. Dixi, *vinculum*; quia non est hic sermo de contractu, vel Sacramento. *Ratio*: Deus habet absolutum, independens, & supremum dominium in hominum corpora, & animos, & vt S. Augustinus loquitur, magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas. Ergo potest pro libitu suo dominium corporis viri ad finem Matrimonij dare mulieri, & è contra, immò ab vno viro transfere in aliud, quod est causare vinculum. Et, ne quid desit de statu, & perfectione, potest suaviter, & fortiter eorum animos, salva liber-

tate,

tate, ad mutuum amorem coniugalem excitare. Sicut à pari, ratione dicti supremi dominij, potest in hominem inducere vinculum, seu obligationem Religionis, licet in eam non consenserit, vt sit obligatus sicut alius eam professus.

Confirm. Sicut alicui inscio, & invitio potest jus aliquod auferri, ita & acquiri, nam Lege 32. *ff. de acquir. rer. dom.* dicitur, *Etiam invitis nobis per servos nostros acquiritur dominium.* Si ergo jura humana, & Principes huius Sæculi in invitum possint transferre dominium, à fortiori id potest Deus. Notanda ergo bene est differentia inter dominium morale, quale est in præsenti, & physicum; quod primum acquiritur non solum voluntate propria, sed & Superioris, præsertim supremi: alterum verò solum per physicam vnionem cum forma.

Declaratur vltimum, & excluditur fundamentum Adversarium. Vinculum coniugale formaliter non est quid vitale, sicut est consensus, vel actus meritorius, qui per absolutam Dei potentiam sine actuali influxu proprij principij vitalis poni non potest, nec potest esse sine libertate; sed est quid morale, secundum legem ordinariam consecutum ad actum vitalem humanæ voluntatis velut ad fundamentum, adeòque liberum quidem, si proveniat ex propria contrahentium voluntate; secus, si ex voluntate aliena. Hinc etiam formaliter, seu essentialiter non est quid liberum, quia aliàs à conjugibus liberè posset dissolvi. Nec essentialiter consistit in vnione animorum per amorem, quia manet in dissentientibus, & divortiatis. Ergo.

Resp. 6. Matrimonium sic factum esset eiusdem rationis cum moderno. *Ratio* 1. De essentia, & ratione formali vinculi coniugalis nihil aliud est, quàm dominium radicale super corpora. Sed hoc coniungibus conferri potest tam voluntate propria, quam Dei, vt probatum est pro *R.* 5. Ergo. *Ratio* 2. Sola varietas causæ ab effectu non tollit identitatem, seu convenientiam in natura specifica, nam homo productus per creationem, & homo productus per generationem, sunt eiusdem speciei; idem est de calore causato à Sole, & causato ab igne. *Subsumo*: Sed in præsenti solum est divisitas causæ efficientis, Ergo.

* 5 *Opponi potest* 1. *contra R.* 5. Licet voluntas humana possit à Deo necessitari, vt patet in amore beatifico, non tamen potest ei à Deo inferri violentia: Sed in casu posito inferretur violentia, violentum enim est, quod est à principio extrinseco passo non conferente vim, seu resistente, sed coniuges inviti resistunt. Ergo. 2. *Per absolutam* Dei potentiam non potest dari relatio sine suo fundamento proximo, seu ratione fundandi: Sed hæc est consensus coniugum, & non potest esse voluntas Dei. *Tum quia* voluntas Dei est extrinseca, ratio verò fundandi extremis relatis debet esse intrinseca. *Tum etiam*, cum sit relatio, & correlatio, ratio fundandi debet esse multiplicata, seu duplex, voluntas autem Dei est vnica. Ergo.

Vtraque hæc Oppositio pluribus Instantijs, limites morales excedentibus, roborari posset. Sed solutio videatur tum in Philosophia in *Tract. de violento*; & de Prædicamento Relationis; tum in Theologia de relatione æqualitatis inter divinas Personas, & de relatione inter Humanitatem Christi, & Personam Verbi vnitam; Quò me remitto, ne in speculativis excedam, & Moralistas offendam.

* 6 QUÆRO II. Matrimonia coacta, seu ex metu contractu sintne valida? Dicitur in titulo, *seu ex metu*: quia per coactionem, seu violentiam in præsenti intelligimus metum, qui, vt ait *S. Thom. 2. 2. q. 1. in fine corp.* secundum Iurisperitos: *Est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Alia metus definitio data est supra *T. 3. E. 1. n. 11.* Vbi etiam metus fuit divisus in levem, & in gravem, seu cadentem in virum constantem: & explicatum, quid requiratur ad hoc, vt metus sit gravis, quæ ibi videantur. Sicut & illa, quæ *ibidem n. 12.* de violentia sunt dicta. *Hic adde*, quod metus gravis, seu cadens in virum constantem possit inferri à duplici causa, scilicet vel à causa naturali, id est, necessaria, seu rationis experte, *v. g.* à naufragio, gravi morbo, peste, & tunc dicitur metus ab intrinseco. Vel à causa libera, & extrinseca, *v. g.* ab alio homine, & tunc dicitur metus ab extrinseco. Qui posterior metus adhuc dupliciter incuti potest. 1. *Iustè*, vt, si Iudex homicidæ comminetur mortem, nisi in vxorem ducat filiam occisi. 2. *Iniustè*, vt si talis metus ad eam ducendam incutiatur à persona privata, seu à non Iudice. Iterum hic metus potest incuti, vel ad directè extorquendum consensum in Matrimonium, vel ad eum directè, & per se, seu ex intentione extorquendum in aliquid aliud & tunc solum per accidens ordinatur ad Matrimonium, vt si quis ex metu latronis in vxorem ducat filiam viri fortissimi, vt ab eo contra invasorem defendatur. Hoc præmisso.

Resp. 1. Matrimonium ex metu quantumvis gravi, ex causa naturali orto, contractum, est sat liberum, adeòque, & validum. *Idem est* de Matrimonio contracto ex gravi metu iustè incusso à causa libera; *v. g.* à Iudice ad exorquendum Matrimonium. *Ratio* 1. *p.* Quia tunc nulla vis, seu violentia infertur, vt si quis ex metu gehennæ, vel metu mortis naturalis imminentis in vxorem ducat suam concubinam. Simile est in voto ex metu naufragij facto. Ergo.

2. *Pars* declaratur per casus; *Primus est*, si sit posita Lex, quod violator Virginis metu mortis compellatur eam ducere, vel dotare. *Secundus*: Si Pater deprehendat aliquem cum sua filia peccantem, cui minatur accusationem, nisi eam ducat; quam & ducit ex hoc metu. *Tertius*: Si Iudex Iuveni iustè ad mortem damnato promittat perdonationem vitæ, si ducat Iudicis filiam, vel aliam, etiam meretricem. In omnibus his casibus Matrimonium subsistit, quia est sat liberum. *In primo* quidem, quia ibi metum patienti nulla irrogatur iniuria, eò quòd is sponte sua peccando se pœnæ statutæ subiecerit. *In secundo*, tum quia Pater iustè minatur ei accusationem. Dico, *accusationem*; si enim minaretur mortem, & ex huius metu Matrimonium contraheretur, esset nullum; quia esset metus mortis iniustè inconcussus, vtpotè à persona privata. *Tum etiam* quia ille metus non est tam incussus, quam potius assumptus ab ipso patiente: qui libere dedit occasionem huius metus. *In tertio*, quia malefactor non fuit ad mortem damnatus eo fine, vt contrahat Matrimonium, sed vt luat delicti pœnam; quam vt evadat, libere eligit hoc medium.

* 7 *Resp. 2.* Non irritatur Matrimonium gravi metu iniustè incusso à causa libera, si non ad consensum in Matrimonium, sed ad aliquid aliud, v. g. ad pecuniam extorquendam sit incussus, v. g. si Princeps ab alio Principe obsidione cinctus ad redimendam obsidionem contrahat Matrimonium; cum

cum eius filia, vel sororo. Vel si Latro metum incutiat Viatori ad extorquendam pecuniam, qui, vt hanc vexam redimat, promittit se ducturum eius filiam in vxorem. *Ratio*: Ille metus per accidens se habet respectu Matrimonij, nec involuntarium, quod adest, ex metu isto oritur per se. Simile est in voto in tali occasione facto.

* 8 *Resp.* 1. Matrimonium ex metu gravi, seu in virum constantem cadente, ad Matrimonij consensum extorquendum iniustè incusso contractum, est ipso iure invalidum, non solùm in foro externo, seu quoad præsumptionem, sed etiam in foro conscientiæ, & re ipsa. Ita S. Thom. *quæst.* 47. *artic.* 3.

Declarat hoc ibidem: Vinculum Matrimonij est perpetuum, vnde illud, quod perpetuitati repugnat, Matrimonium tollit: metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peri restitutio in integrum; & ideò talis coactio metus, quæ cadit in constantem virum, tollit Matrimonium, & non alia: constans autem vir judicatur virtuosus, qui est mensura in omnibus operibus humanis, vt *Philos. dicit in 3. Ethic.* Quidam autem dicunt, quòd si adsit consensus, quamvis coactus interiùs, est Matrimonium quantùm ad Deum, sed non quantùm ad statum Ecclesiæ, quia præsumit, ibi non fuisse consensum interiorem propter metum. Sed hoc nihil est, quia Ecclesia non debet præsumere de aliquo peccatum, quousque probetur: peccavit autem, si dixit [verbis] consentire, & non consensit. Vnde Ecclesia præsumit eum consensisse, sed judicat consensum illum extortum non esse sufficientem ad faciendum Matrimonium. Ita S. D. *Qui ibid. ad 2. ait*: Ad Matrimonium non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium completè, quia debet esse perpetuum; & ideò per violentum mixtum impeditur. *Quibus* verbis solvit hanc Object. Violentum mixtum juxta Philos. plus habet de voluntario, quàm de involuntario: Sed non potest aliter consensus esse coactus, nisi per violentum mixtum. Ergo non omnino excluditur involuntarium, & ita adhuc est Matrimonium.

Ex quibus patet, quòd in illo violento mixto, sit quidem voluntarium, & consensus liber simpliciter, sed libertas non est in ea perfectione, & gradu, quem Jura Ecclesiæ in Matrimonio requirunt. Cuius Ecclesiastici Statuti *Ratio est*: Quia coactiones solent difficiles frequenter habere exitus, *cap. requisivit*, de sponsal. & adversantur finibus Matrimonij, nimirum procreationi prolis, mutuæ cohabitationi, amori, coniugali, paci, &c. nam quod quis non diligit, facilè contemnit 20. quæst. 3. *cap. præsens*. Ergo.

* 9 *Oppono* 1. Consensus non potest esse coactus, quia juxta Thomistas *in 1. 2.* voluntas nostra, nec divinitus potest cogi, seu violentari in actu elicito: Talis autem est consensus. Ergo. 2. *Ad alia* Sacramenta, v. g. Baptismi, confirmationis, Extremæ-Unctionis, validè recipienda, sufficit voluntarium simpliciter, licèt suscipiantur ex metu, ratione cuius admiscetur involuntarium secundum quid. Ergo etiam ad Matrimonium.

Ad 1. dist. antec. Non potest esse coactus simpliciter, & absolutè, *conced.* conditionatè, & secundùm quid, *neg.* Et ita intelligitur doctrina Thomist. *in 1. 2.* & explicatur à S. Thom. hic, *quæst.* 47. *art.* 1. *in corp.* vbi videatur, vti ad id, quòd suprà de violentia dictum est *T. 3. E. 1. n. 12. Ad 2. neg. cons.* Disparitas est: Quia in Matrimonio actus contrahentium (qui sunt etiam ministri eius) sunt eius materia, & forma: quos Ecclesia vult esse completè, & perfectè liberos, & nec secundùm quid coactos. Quæ est *conditio sine qua non* ab Ecclesia statuta, sicut à pari est præsentia Parochi, & Testium.

* 10 *Nonne* saltem ex parte cogentis per consensum coactum sit validum Matrimonium? *Dico*, quòd non, cum S. Thom. *q. 47. a. 4. in corp. dicente*: Cùm Matrimonium sit quædam relatio, & non possit innasci relatio in vno extremorum sine hoc, quòd fiat in alio, ideò quidquid impedit Matrimonium in vno, impedit ipsum in altero: quia non potest esse, quòd aliquis sit vir, non vxoris, vel quòd aliqua sit vxor, non habens virum: sicut nec mater non habens filium, & ideò communiter dicitur, quòd Matrimonium non claudicat. *Hæc ibi*. Aliter in præcedentibus dictum, & dispatitas data est de sponsalibus.

Nunquid dictum Matrimonium convalescit, seu firmatur saltem per iuramentum sponte præstitum, vt valeat, si non in ratione Matrimonij, saltem in ratione sponsaliorum? *Dico*, quod non. *Ratio*: *Tum* quia licèt iuramentum de se, & ex natura sua sit obligatorium, de facto tamen non obligat, nec obligat ad contractum, quam Ecclesia annullat, dum enim illa directè annullat contractum, v. g. Matrimonium, ex consequenti etiam annullat iuramentum adiectum. *Tum etiam*, quia aliàs Ecclesia non sufficienter providisset incommodis antè dictis ex coacto Matrimonio sequi natis: quia æquè potest fieri coactio ad iuramentum, sicut ad Matrimonium.

Notanda tamen est differentia de casu, in quo hoc iuramentum est sponte, seu sine omni vi præstitum, licèt enim tunc non faciat Matrimonium validum, iurans tamen ex vi illius iuramenti titulo Religionis tenetur ad validè cum ea, cui iuravit, contrahendum novo consensu maritali, vt docent Gonet, ac alij. *Ratio*: Tum quia iuramentum sponte præstitum obligat, si sine salutis dispendio, & præiudicio tertij servari possit, vti potest in præsenti. *Tum etiam*, quia tale iuramentum non est contra bonos mores, vel bonum publicum, aut prohibitionem Ecclesiæ, hæc enim non prohibet, ne Matrimonijs ex metu initis, & irritis adjiciatur iuramentum, sed solum statuit ea esse invalida.

Quòd illum Matrimonium, nec in ratione Sponsaliorum fiat validum, ex parte eius, qui metum est passus *Ratio est*: Cùm tale Matrimonium ex parte illius sit validè odiosum, eius verba omnino strictissimè sunt interpretanda, vt significent solùm consensum in præsens Matrimonium. Quia cùm invitus se obliget, intendit se obligare, quàm minimum potest, nec plus quàm externa verba strictissimè sumpta significant. Sed illa nullatenùs significant Sponsalia. Ergo.

* 11 *Nonne* illud Matrimonium saltem convalescit per sequentem copulam carnalem, aut per diuturnam cohabitationem? *Dico*: Non firmatur per copulam carnalem, affectu etiam maritali habitam, sed vi extortam. 2. *Multò* minùs per factam animo fornicario. 3. *Ratificatur* tamen per copulam omninò liberam affectu maritali habitam ab eo, qui nullitatis Matrimonij fuit conscius. 4. *Sicut* & per diutinam (quæ diuturnitas mensuranda est arbitrio prudentum) spontaneam, seu omni metu caren-

carentem, mutuam cohabitationem, cum eiusdem nullitatis notitia, & data opportunitate recedendi, si recedere placuisset: ratificatur, inquam, non tantùm in foro externo, & quoad præsumptionem, sed etiam in interno, & quoad veritatem, seu in seipso.

Ratio 1. & 2. *p.* Illud Matrimonium non potest convalescere, seu ratificari, nisi per actum liberum, qui fertur in ipsum Matrimonium: Sed copula vi extorta non est actus liber: &, si fiat animo formicario, ne quidem implicitè fertur in ipsum Matrimonium. Ergo. *Ratio* 3. & 4. *p.* Quia adest sensibilis perfectè libera ratificatio dati prioris consensus, vel sufficiens signum liberi consensus denuò habiti. Ergo.

* 12 *Qui* ex dicto gravi metu contrahit, peccatne contrahendo, vel Matrimonium contractum consummando? *Dico* 1. Mortaliter peccat consummando, si sciat Matrimonij nullitatem. *Ratio*: Quia sciens accedit ad non suam. *Dico* 2. Si contrahens tantùm exteriùs fictè consentiat sine consensu interno, peccat peccato mendacij venialis, *Ratio*: Quia os cordi non concordat, mendacium tamen perniciosum non est, nec infert injuriam parti. Ergo.

Dico 3. Qui ex præfato metu profert verba in sensu formali, & vt significativa, adeòque præbet verum, & sincerum consensum, sciens Matrimonium, tàm in ratione contractus, quàm Sacramenti esse nullum, volens tamen ex parte suâ facere, quòd potest, non peccat peccato mendacij. 2. *Nec* Sacrilegij, vel alterius speciei. *Ratio* 1. *p.* Quia sensus verborum est verissimus, nimirum: Ego, quantum est ex parte mea, accipio te in vxorem. Nullitas enim Sacramenti non oritur ex defectu contrahentium, sed ex Statuto Ecclesiæ irritantis. *Ratio* 2. *p.* Si esset sacrilegium, esset ideò, quia talis verba profert super indebitam materiam: sed hoc non. *Quod prob.* Verba contrahentium solùm sunt materia, & forma huius Sacramenti, quando sunt materia, & forma contractus matrimonialis: Sed in hoc casu non sunt materia, & forma contractus, quia hic ab Ecclesia est irritatus, non à contrahentibus. Ergo. *Mai. constat*: Quia Christus in Matrimonio non mutavit naturam contractus, sed solùm elevavit. Ergo.

Ex quibus patet differentia huius ab alijs Sacramentis, in quibus quando, etiam ex metu mortis, v.g. in Eucharistia, vel Pœnitentia, forma profertur super indebitam materiam, committitur sacrilegium, quia illa præcisè habent rationem Sacramenti, & quidem à Christo etiam quoad substantiam instituti: ast Matrimonium est simul contractus, cuius naturam Christus non mutavit, vt dictum est.

* 13 QUÆRO III. Quo iure dictum Matrimonium ratione metus est invalidum? *Respond.* 1. Non Jure naturæ, sed Ecclesiastico, & Gentium. *Ratio* 1. *p.* Quia vel esset ob iniuriam, vel ob involuntarium, sumendo ea seorsim, vel simul. *Non primum*, quia in casu, quo alicui incutitur metus ex alterius iniuriosa actione, inditectè non ordinata ad extorquendum consensum, intercedit gravis injuria, quæ tamen non annullat Matrimonium hac occasione contractum, vt antea dictum est. Deindè adest libertas iure naturæ sufficiens, quia illud Matrimonium est simpliciter, & absolutè voluntarium, & involuntarium solùm secundùm quid, vt patet ex dictis. *Tandem* hæc duo per accidens coniunguntur, & voluntarium illud de se, & in suo ordine sufficit ad Matrimonium non existente iniuria, & hæc impertinens est ad valorem, aut invaliditatem Matrimonij ex natura rei. Ergo quòd illa duo concurrant simul, omninò impertinens est.

2. *Pars* de jure Ecclesiastico patet ex cap. *Significavit*, 2. *de eo, qui duxit in Matrim. &c. cum locum.* 14. *&c. veniens*, 15. *&c. consultationi tuæ*, 28. *de Sponsal.* Vbi expresè dicitur, quòd Matrimonia ex dicto metu contracta sint omnino nulla, & irrita. Et quamvis citati textus non habeant formam Statuti (prout habet Tridentinū de Matrimonio clandestino) cùm agant de Matrimonijs iam contractis, declarando, si metu inita sint, esse invalida ex vi alterius iuris, indubiè (vt obijci potest) naturalis: ideò pro certo supponendum est, aliud ius antiquius Ecclesiæ aliquando fuisse, scripto, vel vivæ vocis oraculo, aut vsu vel consuetudine introductum, vi cuius primò illa irritatio fuit facta, declaratio enim iuris supponit ius.

3. *Pars* de jure gentium declaratur, cuius sensus non est, quasi omnes gentes propter hoc in vnū locū, legis condendę gratia, convenerint, sed quòd omnes gentes illud ius lege scripta, vel consuetudine servent, vel tacitò, aut expresso consensu approbent. Et ex vi huius juris dicta Matrimonia sunt irrita apud Infideles Ecclesiam non audientes. Immò & apud Fideles. Sicut enim, quod iam est præceptum lege divina positiva, vel naturali, potest adhuc precipi lege Ecclesiastica. Ita & in præsenti. *Ratio* huius Partis. Licèt dictamen nullitatis dicti Matrimonij non sit ipsius Rationi naturalis, ob rationem antè datam, proximè tamen ex Lege naturali deducitur; quia Ratio dictat æquitati, & iuri materiali expèdite, vt Matrimonia coacta irritentur. Ergo.

* 14 *Oppono* 1. *contra* 1. *p.* verba S. Thom. anteà *pro* R. 3. *ad q.* 2. adducta *ex c. Art.* 5. *& ex* R. *ad* 2. Vbi videtur velle, quòd coactio repugnet naturæ Matrimonij, vtpotè perpetuitati eius, quæ est proprietas, quod autem est contra proprietatē, est etiam contra naturam. Ergo. *Confirm.* 1. Nullum violentum est perpetuum, vt habet axioma. 2. *Illud* non est perpetuum, ratione cuius potest peti restitutio in integrum: Sed S. Thom. in verbis allatis dicit, quòd ratione metus in virum constantem cadentis possit peti restitutio in integrum. Ergo.

Oppono 2. Coactio, vt antè diximus, est contra fines Matrimonij, & contrà animorum vnionem, & amorem conjugalem. Ergo irritat illud iure naturæ. Simile est in Polygamia. 3. *Non* minùs Matrimonio repugnat coactio, quàm conditio opposita fini, & bonis eius: Sed hęc illud irritat iure naturæ, vt dicetur posteà. Ergo & illa. 4. *Iuri* naturæ repugnat acquirere ius in alterum per injuriam: Sed hoc fieret. Ergo. 5. *Liberalis* datio exigit specialem libertatem: Sed in contractu Matrimonij est liberalis datio, nimirum proprij corporis. Ergo.

Ad 1. *Resp.* S. Thom. velle, quòd coactio repugnet solùm connaturalitati Matrimonij, & perpetuitati eius, non verò essentiæ, seu facit, quòd eius natura, & perpetuitas non habeatur tam connaturaliter, seu modo tam connaturali, vt petit, nimirum cum plena libertate, ratione cuius soler inter coniuges esse maior amor, & pax: ideòque ratio-

ne coactionis posit peti restitutio in integrum. *Ad* 1. *Confirm.* axioma est verum de violento simpliciter nali, in quo passum nullo modo activè concurrit, non verò de eo, quòd est secundùm quid tale, in quo passum activè, & si secundùm quid involuntariè, concurrit. Simile est in servitute perpetua. *Ad* 2. *Confirm.* mai. est vera, si restitutio in integrum posit peti iure naturæ: vti non potest in præsenti.

Ad 2. *Oppos. dist. anteced.* illos fines omnino tollendo, *neg.* difficultando, seu notabiliter impediendo, eorumque connaturalitati præiudicando, *conc.* Quòd autem Polygamia iure naturæ sit nulla, & invalida, non est præcisè ex hoc capite, sed ideò, quia ratio naturalis dictat, quòd res vni tradita, nimirum corpus traditum coniugi, non posit tradi alteri, nisi supremo humani corporis Domino, scilicèt Auctore naturæ, in iure naturali dispensante: non verò dictat, quòd ad Matrimonij valorem requiratur plenissima libertas. *Ad* 3. *neg. mai.* Quia illa conditio naturam, & bona Matrimonij omnino tollit, coactio verò, seu metus ea compatitur, licèt non tam connaturaliter. *Ad* 4. *neg. mai.* stando præcisè in iure naturæ, non attendendo ad invaliditatem, quam ius positivum induxit. *Ad* 5. *dist. mai.* libertatem simpliciter saltem, & absolutè talem (nimirum stando in iure naturæ) quæ etiam in præsenti casu adest, *conced. mai.* cum omni gradu perfectionis, *neg.* Simile est in voto, sive simplici, sive solemni, facto ex gravi metu, quod non est irritum iure naturæ, sed Ecclesiastico. *Ex quo* fit, quòd, sicut Deus offenditur per peccatum ex metu factum, ita de se acceptet promissionem iniuriosè extortam: ad injuriam, seu iniquitatem habendo se permissivè, non approbando eam.

* 15 QUÆRO IV. Potestne fieri Matrimonium per consensum conditionatum, præsertim adiecta conditione impossibili? *Ante Resp. Not.* quod conditio, solita explicari per particulam, *si* definiatur à Sylvestro, & alijs, quod sit *Oratio, in qua id omne, quod agitur, in futurum eventum suspenditur* Natura ergo conditionis est suspendere consensum, vel effectum. Hoc notato.

Resp 1. Verbis *S. Thom. q.* 47. *a.* 5. *dicentis*: Conditio apposita, aut est de præsenti, aut de futuro. Si de præsenti, & non est contraria Matrimonio, sive sit honesta, sive inhonesta, stat Matrimonium, stante conditione, & ea non stante non stat. Sed si sit contraria bonis Matrimonij, non efficitur Matrimonium; Si autem sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut Solem oriri cras, & tunc est Matrimonium; quia talia futura sunt præsentia in causis suis: aut est contingens, vt datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, & tunc idem est iuditium de tali consensu sicut de consensu, *qui fit* per verba de futuro, vnde non facit Matrimonium. *Hæc Sanct. Doct.*

Resp. 2. Certum est 1. quod conditio impossibilis ferè adiecta iure naturæ invadet Matrimonium in foro conscientiæ, *v. g.* Duco te, si digito Cœlum tetigeris. 2. *Etiam* esse nullum in forò externo, si contrahens expressè declaret, se nolle cõtrahere, nisi conditio verificetur. 3. *In vtroque* foro esse validum, si aliunde constet, contrahentes habuisse absolutum consensum. 4. *Esse* in vtroque foro nullum, si verè absolutè internè consentiant, sed consensum non manifestet. *Ratio*: In primo casu nullus datur consensus. *In secundo* Ecclesia non potest verum internum consensum præsumere, quia expressè constat de suspensione consensus, vsquedum conditio impleatur. *In tertio* nihil deest de requisitis. *In quarto* deest sensibilis expressio consensus. Maior immò potissima in præsenti difficultas est, si præter illam conditionem, non adsint alia signa dissensus. Pro quo.

Resp. 3. Matrimonium sub conditione impossibili, substantiæ, ac bonis Matrimonij non contraria, initum, in foro externo, seu iuditio Ecclesiæ præsumitur tale, ac si conditio adiecta non esset, adeòque validum, si contrahentes habeant notitiam Statuti Ecclesiæ eam conditionem reijcientis, seu habentis pro non adiecta. Ita patet ex Gregorio IX. c. finali. *de condit. appositis* statuente. *Si conditiones, appositæ Matrimonio, turpes, aut impossibiles fuerint, debent propter favorem eius pro non adiectis haberi*, puta, in forò externo, sicut iure civili similes conditiones in testamentorum legatis habentur pro non adiectis. Dixi, *in foro externo*; quia in foro conscientiæ esse nullum, si consensus desit, patet ex dictis.

Ratio 1. Nemo præsumitur velle peccare aut in re tam sancta, ac gravi velle nugari, suumque actum facere irritum. *Ratio* 2. Qui scit conditionem impossibilem ab Ecclesia reijci, & Matrimonium sic contractum ab Ecclesia validum iudicari, & tamen eam apponit, præsumitur velle contrahere eo modo, quo Ecclesia intendit, & præsumit; nisi aliter mentem suam explicet. Ergo conditio impossibilis, quæ relicta suæ naturæ est quidem signum dissensus, suppositia notitia Statuti Ecclesiæ eam à contractu reijcientis, in foro externo saltem, consensum supponit.

Ex his Sequitur, quod, cum Matrimonium ex vtriusque contrahentis consensu constet, in vtroque requiratur notitia, non solum impossibilitatis conditionis, sed & dicti Statuti Ecclesiastici, cuius ignorantia excusat; licèt enim non excuset ignorantia iuris omnino clari, & omnibus noti, bene tamen incogniti, vel obscuri, circa quod ipsi DD. in varias abeunt Sententias.

* 16 *Oppono*: Ecclesia non potest supplere consensum in Matrimonio. Ergo. *Negatur cons.* Non enim Ecclesia supplet consensum, nec facit, quod Matrimonium ante illam Ecclesiæ constitutionem sub dicta conditione contractum fiat nullum: sed facit quod imposterum post illam constitutionem consensus sub tali conditione præstitus debeat haberi vt purus, ac absolutus, & Matrimonium validum. Potest enim Ecclesia (vt patet de clandestinitate) ponere quasdam conditiones, quibus servatis contractus matrimonialis sit, vel non sit validus. Et hoc in favorem Matrimonij.

In quo, quoad præsens, consistit ille favor Matrimonij? *Dico*: Consistit in hoc, quod Ecclesia, & si posset, non tamen ita disposuit circa cæteros contractus, vt conditio impossibilis in eis haberetur pro non adiecta, disposuerit autem circa Matrimonium, pro conservatione eius. Dum enim est dubia contrahentium intentio, an animo vere contrahendi, vel potius illudendi eam conditionem apponant, favore Matrimonij præfertur pars conservatrix illius, præsumitque verba proferri in sensu absoluto, in dubio enim pro Matrimonio iudicandum est c. fin. *de sent. & re iud.* vt explicat Sanchez. Cum enim vertatur periculum animæ, si fortè separentur, qui legitimè sunt coniuncti, & nolint

bant aliis, Ecclesia in dubio eligit, quod animæ est utius.

* 17 *Estne Resp.* 3. vera de cõditionibus impossibilibus, sive sint de præsenti, sive de præterito, sive de futuro? *Affirm.* *Ratio*: Conditiones impossibiles non præcisè ideò à Matrimonio reijciuntur, quia obligant ad faciendum impossibile (quod respicit futurum) sed tantum quia impossibiles sunt: Sed impossibilitas reperitur in eis, licèt sint de præterito, vel præsenti. Ergo.

Notanda hic est differentia inter conditiones turpes, & impossibiles, de quibus utriusque, licet in Decreto Gregorij sit eadem decisio, est tamen diversa ratio, vt exponit Cornejo. Nam conditio turpis non reijcitur præcisè, quia turpis est, sed quia obligat, & incitat ad peccandum, & cum hoc solum conveniat conditioni de futuro, ideò illa duntaxat censetur reijci, puta, quæ non est contraria bonis Matrimonij; quia, vt antè dictum, nemo præsumitur velle peccare, vel nugari in re tam gravi, & sancta. Verum conditio impossibilis reijcitur præcisè, quia impossibilis est: quæ impossibilitas reperitur pro quavis differentia temporis.

* 18 *Estne* eadẽ *Resp.* 3. vera non solum de conditionibus per naturam impossibilibus, *v. g.* si digito Cœlum tetigisti, vel tanges: sed etiam de impossibilibus iure, *v. g.* si liceat contrahere cum cõsanguinea intra quartum gradum; vel si pater possit sine causa exhęredare filium?

Dico esse distinguendum cum præfatò Auctore: Si conditio apposita sit contra ius naturæ, debet reijci, inquacumque differentia temporis apponatur. *Ratio*: Quia semper est impossibilis, & ius naturæ semper idem, & invariabile. *Si* autem est contra ius humanum, reijcitur solum illa, quæ apponitur pro tempore, quo ius illud viget, *v. g.* contrahendo sic: Nubo tibi, si defacto liceat ducere consanguineam, est consensus purus, & matrimonium absolutum.

Ratio est, quæ suprà. Si autem adijcitur de præterito, vel futuro, *v. g.* Contraho tecum, si aliquando licitum fuit aut erit, conditio non est reijcienda, sed sortitur suum effectum. *Ratio*: Quia tollitur à conditione impossibilitas.

* 19 QUÆRO V. Estne validum Matrimonium contractum sub conditione turpi repugnante substantiæ, ac tribus bonis Matrimonij, *v. g.* *Ducete*, si procuraveris tibi sterilitatem per venena, si te obligaveris ad effundendum semen extra vas, vt nõ possit sequi generatio, vel ad te exponendam quęstui adulterino, vel, vt non maneam tibi obligatus, nisi ad 10. annos, vel, vsquedum inveniam pulchriorem. *Vel Cbontraho* tecum, sic tamen, vt dominium corporis mei non transferatur in te, vt non sim obligatus tibi servare fidem, vt non simus obligari ad petendum, & reddendum debitum? *Resp.* Esse iure naturæ irritum licèt conditio apponatur ab vno tantum contrahentium.

Ante prob. *Nota*, vt suprà dum agebatur de polygamia *E.* 1. *n.* 6. *&* 7. insinuatum fuit, tria esse bona Matrimonij. 1. *Bonum prolis*, vt scilicet hæc non vitetur positivè per media illicita, & non solum generetur, sed & secundum legem Christi educetur. 2. *Bonum fidei*, non prout hæc est virtus theologica, sed fidelitas ad non adulterandum. 3. *Bonum* Sacramenti, idest, perpetuitas, seu indissolubilitas, quia hæc ei convenit ex natura, & maior est post consummationem, quàm antè. Hæc tria bona sunt de essentia Matrimonij, non quidem executio eorum, sed radicalis obligatio servandi illa. Vnde omnis conditio illis repugnans, repugnat substantiæ Matrimonij, illudque irritat. Exempla patent ex ipso titulo Quæsiti. Hoc notato.

Ratio est: Qui non consentit in substantiam Matrimonij, non consentit in illud, adeòque nihil facit: Sed qui contrahit cum conditione turpi contraria substantiæ Matrimonij iuxta exempla antè data, non consentit in substantiam eius. Ergo. *Declaratur à simili*: Non est votum, si quis habeat animum non se obligandi, valet tamen votum, si adsit animus se obligandi, aut non implendi. Ergo etiam nullum est Matrimonium, si contrahentes habeant animum non se obligandi ad tria bona Matrimonij, vel si se ex pacto obligent ad oppositum eorum; subsistit tamen, si habeant animum ad illa se obligandi, cum intentione in executione non servandi.

Ex hoc solvitur, quod solet opponi *de B. V.* quod nimirum illa, cum antè emiserit votum Virginitatis, contraxerit cum conditione nunquam consentiendi in copulam. De quo redibit *sermo* 43. & 44. *in* E. 4.

* 20 *Declaratur ulterius* ostendendo cur ista conditio irritet Matrimonium, dum fit, non verò si superveniat ei iam contracto. Nam si addatur in ipso cõtractu Matrimonij, apponitur tanquam pars ipsius contractus. quo solo modo substantiæ Matrimonij est contraria: at si adijciatur post contractum Matrimonium, cum sit indissolubile, non apponitur, vt pars ipsius contractus: & ideò non repugnat substantiæ eius. Hinc est illud commune proloquium *DD.* quod aliquid possit nocere Matrimonio in initio, cum contrahitur, quod verè non nocet, si fiat posteà, & ita fit in præsenti, vti & in casu conditionis honestæ bonis Matrimonij contrariæ: de qua posteà. Sicut & videmus, quod impedimentum dirimens Matrimonium antecedens, illud annullet: non autem si Matrimonio contracto superveniat. Hinc illud, *Quod tollit rem in fieri, tollit & in facto esse*, non verificatur de eo, quod in facto esse ex natura sua indissolubile est, vti est Matrimonium, per hoc differens ab aliis contractibus, hi enim à contrahentium consensu non solum in fieri, sed & in conservari dependent.

* 20 *Quid indicat* de conditione impossibili substantiæ Matrimonij contraria, *v. g.* Contraho tecum si me sepeliveris. *Vel*, si non defeceris à Religione, in qua contrahimus. *Vel* si toto vitæ tempore non exiveris è domo? *Dico*, tales conditiones non haberi pro non adiectis, sed per eas annullari Matrimonium. *Ratio* est eadem antè pro *Resp.* adducta, quæ hic applicetur. Quia est consensus erga personas inhabiles, vtpote mortuas. Sensus enim illiatum conditionum est, Contraho tecum post mortem; sepeliri enim non potest nisi mortuus sit, & alterius binæ conditionis oppositum tota vita fieri potest, adeòque facit eundem sensum.

Oppone: Idcò, vt dictum est antè n. 15. reijcitur conditio impossibilis non contraria bonis Matrimonij, quia nemo præsumitur velle peccare, vel nugari in re tam gravi, & sancta: Sed idem probat in præsenti. Ergo. *Ad hoc dist. mai.* Ideò præcisè, *neg. mai.* ideò & propter aliam rationem ibidem secundò loco adductam, *conc. mai.* Cum ex natura rei hic nihil convincatur, standum est decreto Ecclesiæ, quæ nihil statuit circa hunc casum, bene tamẽ circa

priorem. Vnde aliqui DD. nimirum Abbas, Præpositus, Lacelotus, & alij citatum c. finale. *de condit. appos.* ita sumant: *Conditiones turpes, & impossibiles, quæ non sunt N.B. contra substantiam Matrimonij, reijciuntur.*

* 21 *Quid sentis* de conditione honesta, bonis Matrimonij contraria, *v. g.* Contraho tecum, sed hac conditione, vt viuamus in perpetua castitate: *Vel*, vt non consummato Matrimonio profiteamur Religionem? *Resp.* quod irritet Matrimonium. *Ratio*: Cum hac conditione non stat consensus in substantiam Matrimonij. Ergo hoc est nullum. Prob ant. Ius radicale, & potestas ad copulam est substantialis, & intrinseca Matrimonio: Sed opposita in ipso contractu hac conditione, vt vterque coniux maneat in perpetua castitate, non solum tollitur ipsa actualis copula carnalis, nec solum ius proximũ, sed etiam ius radicale, & potestas ad illam. Ergo. *Prob. min.* Obligatio nunquam petendi, ac reddendi debitum adiecta in ipso contractu, tollit dictum ius, etiam radicale: Sed tales contrahentes se obligant ad nunquam reddendum, & petendum debitum. Ergo. *Maj. prob.* Quodlibet tollitur per suum oppositum: Sed ius, seu obligatio nunquam petendi, & reddendi opponitur iuri, & potestati ad copulam, etiam radicali, si apponatur in ipso contractu. Ergo.

Dixi, *si apponatur in ipso contractu*, pro quo vide n. 20, circa finem. Si enim superueniat Matrimonio contracto, non dissolvit illud, immò contractui matrimoniali tacite ineſt hæc conditio, vt postea possint, si velint, vouere castitatem, quia sic non impeditur traslatio dominij corporum: non tamen ineſt, nec ineſſe potest hæc, vt teneatur abstinere ab vso coniugij: quia sic impeditur illa translatio, adeòque & Matrimonium. Impossibile enim est, simul, & semel suum corpus tradere coniugi ad vsum coniugij, & Deo promittere perpetuam castitatem. Dixi, *tradere*; aliud enim est de promissione, qualis est in voto simplici castitatis, quod, si factum sit ante Matrimonium, non tollit eius valorem sed facit solum illicitum.

Oppono: In Matrimonio dominium distinguitur ab vsu, & à iure ad vsum, sicut in pluribus alijs rebus dominium directum potest separari à dominio vtili. Ergo. *Ad hoc dist. ant.* à iure proximo, *conc.* à radicali, *neg.* Quia vtrumque in præsenti impeditur, vt probatum est, quod enim vni traditur, alteri non potest promitti: vel si promittitur, non fit verus consensus in traditionem. Vide quæ mox dicentur.

EXAMEN IV.

DE OBIECTO CONSENSUS, *q.* 48. *per duos art.* Et de Bonis Matrimonij, *q.* 49. *per sex articulos.*

* 1 QUÆRO I. Quodnam est obiectum essentiale consensus matrimonialis? estne ipsa copula carnalis? & quid quoad hoc sentis de Matrimonio B. Virginis? *Resp.* Obiectum essentiale consensus matrimonialis non est copula carnalis, sed dominium, seu ius in corpus alterius ad procreationem Prolis. 2. Vnde de essentia, & valore Matrimonij non est consensus explicatus in copulam carnalem, quo scilicèt contrahens formaliter intendat eam exercere. 3. Nec implicitus ex parte contrahentium. 4 *Benè* tacitus implicitus ex parte contractus. 5. *Qui etiam* fuit in B. Virgine contrahente cum S. Iosepho. 6. *Cum que* proindè contraxit verum Matrimonium.

Ratio 1. *p.* Illud non est obiectum essentiale consensus matrimonialis, quod non est de essentia Matrimonij: Sed copula carnalis non est de essentia Matrimonij, vt probatum est suprà. Ergo. *Idem est* de obligatione formali, & proxima ad copulam, cùm & illa possit separari, vt patet tum in diuortiatis, tum in illis coniugibus, qui ex voto, vel pacto seruant castitatem.

Secunda, tertia, & reliquæ Partes patent ex S. T. *hic, q.* 48. *art.* 1. *dicente*: Benè dixerunt illi, qui dixerunt, quòd consentire in Matrimonium, est consentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè, non enim debet intelligi, nisi sicut implicitè continetur effectus in sua causa. Quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas vtendi re sua est causa vsus. *Hæc ibi.* Et 3 *p. q.* 29. *a.* 2. *in corp. ait*: Matrimonium, siue coniugium dicitur verum ex hoc, quòd suam perfectionem attingit. Duplex autem est rei perfectio, prima, & secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur; Secunda verò perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqua suum finem attingit. Forma autem Matrimonij consistit in quadam inuisibili coniunctione animorum, per quam vnus coniugum indiuisibiliter alteri fidem seruare tenetur. Finis autem Matrimonij est proles generanda, & educanda. Ad quorum primum pervenitur per concubitum coniugalem, ad secundum per alia opera viri, & vxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Sic igitur dicendum est, quòd quantùm ad primam perfectionem omnino verum fuit Matrimonium Virginis Matris Dei, & Ioseph, quia vterque consentit in copulam coniugalem, non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, Si Deo placeret. Vnde & Angelus vocat Mariam conjugem Ioseph, dicens ad Ioseph *Matth.* 1. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod exponens August *in lib. de nuptijs, & concupisc. dicit*: Conjux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu, nec cognouerat, nec fuerat cogniturus. Quantùm verò ad secundam perfectionem, quæ est per actum Matrimonij, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud Matrimonium consummatum. Vnde dicit Ambros. super Lucam: Non te moueat, quòd frequenter Mariam Scriptura vocat conjugem, non enim Virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio, & nuptiarum celebratio declaratur. Habuit tamen illum Matrimonium etiam secundam perfectionem, quantum ad prolis educationem. Vnde Aug. dicit in lib. de nupt. & concup. Omne nuptiarum bonum impletum est in illis Parentibus Christi, Proles, fides, & Sacramentum. Prolem, cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum diuortium: solus ibi nuptialis concubitus non fuit. Hæc ibi. Ibidem ad 1. Sanctus Hieron. dicentem, *Joseph Mariæ Custos fuit potius, quàm maritus eius*, explicat, quòd accipiatur ibi maritus ab actu Matrimonij consummati. Et ad

eundem S. Patrem, dicentem: *Cum virum audieris, suspicio tibi non suheat nuptiarum*, exponit, quòd nuptias vocat nuptialem concubitum. Videatur ibidem ad 3.

Tandem idem Angelicus Doctor in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. q. 2. ad 3. ait: *Copulam carnalem cecidisse sub consensu B Mariæ*. Et post pauca subiungit: *Quæ quidem copula nunquam fuit in proposito eius, sed erat iam certificata, quòd actus nunquam sequi deberet*. Quæ duo dicta ne invicem sibi repugnent, opus est dicere (ait Cornejo) D. Thomam posuisse in B. Virgine consensum implicitum in copulam ex parte contractus, non verò ex parte contrahentis, sed potiùs oppositam intentionem. Ergo.

Ratio 2. p. Ad actus humanos, & negotia humana validè tractanda sufficit consensus virtualis, & implicitus, vt patet tum in Ministro Ecclesiæ habente solùm intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, tum in eo, qui intendit contractum facere iuxta Leges Patriæ, quas ignorat. Ergo.

Ratio 3. p Contrahens cum verò animo se obligandi, sed animo interno, non manifestato, ante Matrimonij consummationem, professi Religionem, validè contrahit Matrimonium, hæ enim duæ intentiones non pugnant inter se, quamvis vna sit affirmans, & altera negans, non enim sunt de eodem secundùm idem: sicut validè suscipitur Ordo cum animo eum nunquam exercendi. *Subsumo*: Sed talis in copulam carnalem non habet consensum implicitum ex parte contrahentis, hic enim habet intentionem oppositam. Ergo solùm ex parte contractus. *Simile est* in eo, qui profitetur Religionem cum animo eius statuta non servandi, vel emit equum cum intentione eo nunquam vtendi: quæ Professio, & emptio est valida, & obligatoria, & tamen non fuit intentio implicita, ex parte contrahentis: sed contractus est talis naturæ, vt ex parte Professionis includatur obligatio ad servanda statuta, & ex parte emptionis ius vtendi equo, adeòque & intentio implicita ex parte actus.

Nec hæc distinctio, nimirum ex parte actus, & ex parte agentis est noviter inventa, similes enim distinctiones inveniuntur in Theolog. & Philosophia, v.g. ex parte operis, & ex parte operantis: ex parte scientiæ, & ex parte scientis: ex fine intrinseco, vel extrinseco. Sicut si quis det eleemosynam cum intentione satisfaciendi pro peccatis, nihil ex parte sua cogitans de sublevatione miseriæ pauperum, tamen ex parte operis habet intentionem sublevandi illam.

Ratio quartæ, & aliarum partium simul: Ut ex adductis verbis S. Thomæ, aliisque Patribus, & Doctoribus constat B. Virgo verum contraxit Matrimonium; Sed illa ex parte sui, seu ex parte contrahentis, ne quidem implicitè consensit in copulam carnalem. Ergo solùm ex parte contractus, & quasi indirectè. *Conseq. patet*: Quia ad Matrimonij valorem aliquis saltem consensus in copulam est necessarius. Qui enim consentit in causam per se talem, aliquo modo consentit in effectum in ea cõtentum: Sed mutua corporum potestas est per se causa iuris vtendi corpore. Ergo. Prima *min. prob. Tum* quia iuxta S. Thom. postea adducendũ, aliosque DD. B. Virgo prius emisit votum Virginitatis; *Tum etiam*, dato quòd hoc non emiserit; videtur tamen talis (nimirum implicitus ex parte contrahentis) consensus præindicare eius Virginitati saltem mentali, seu perfectæ Virginitatis proposito, quod habuit, cui tamen non nocet consensus implicitus præcisè ex parte contractus. Ergo. *Nota*, totum hoc intelligi de copula carnali solùm potentiali, seu possibili, hæc enim sola est de essentia Matrimonij, in cuius tantùm essentialia B. V. consensit, non de futura, quæ est accidens eius.

* 2 *Oppono* 1. contra Matrimonium B. Virginis, Qui, vel quę corpus suum promisit Deo per votum ad perpetuam castitatem, non potest illud tradere alteri per contractum ad prolis procreationem: Sed iuxta S. Thom. 3. *p. q.* 28. *art* 4. B. Virgo ante desponsationem cum S. Joseph suum corpus Deo per votum promisit ad perpetuam castitatem. Ergo.

2. *Hoc* Matrimonium ratione consensus implicìti in copulam carnalem nocet Virginitati mentali. Ergo. *Prob. ant.* cum Genet. Nequit fieri, vt intentio, seu tendentia essentialiter necessaria ex parte actus non sit necessaria etiam ex parte agentis, prout illum exercentis: Sed iuxta dicta ad matrimonij valorem requiritur consensus in copulam carnalem implicitus ex parte contractus. Ergo, & ex parte contrahentis. Sed hic nocet Virginitati mentali. Ergo. *Prob. mai.* Tendentia actus vitalis non est alia, quam tendentia ipsiusmet agentis se exercentis circa tale obiectum. Ergo. *Confirm.* Qui præscindit à consensu implicito in copulam carnalem, non contrahit valide; & qui non præscindit, patitur iacturam Virginitatis mentalis. Vnde 1. Timoth. 5. *Iuventibus castitatem non solum nubere, sed & velle nubere damnabile est* in B. V. autem nihil fuit damnabile. Ergo.

3. *Si mulier* dicat Viro, *Consentio in te, sed sub hac conditione, vt non cognoscas me*, non est consensus matrimonialis, quia est contra substantiam Matrimonij: Sed talis erat consensus B Virginis. Ergo. 4. *Sequitur*, B. Virginem fuisse ad copulam carnalem simul obligatam, nimirum ratione Matrimonij; & de obligatam, scilicet ratione voti: Sed hęc videtur esse contradictio. Ergo.

Ad 1. præmisso, ex dictis patere, quod cum voto simplici stet verum Matrimonium, *dist. mai.* Si votum sit absolutum, *conc.* si conditionatum, *vti B. V. neg.* Vnde *S. Thom. in loco obiecto sic ait*: Perfectionis opera sunt magis laudabilia, si ex voto celebrentur: Virginitas autem in Matre Dei præcipuè debuit pollere, & ideò convenies fuit, vt Virginitas eius ex voto esset Deo consecrata. Verùm, quia tempore Legis oportebat generationi insistere, tàm mulieres, quàm viros (quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur) Mater Dei nõ creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolutè virginitatem vovisse: sed licèt eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodùm verò accepto responso, secundùm quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. Hęc ibi. *Et ad* 1. *ait*: Quia videbatur esse Lege prohibitum, non dare operam ad reliquendum semen super terram, ideò non simpliciter virginitatem vovit Dei Genitrix, sed sub conditione, Si Deo placeret. Postquam autem innotuit, hoc esse Deo acceptum, absolutè vovit, antequam ab Angelo annunciaretur. *Ita S. Doct.* Ergo B. V. nubendo nihil fecit contra suum votum, quia Deus B. V. revelavit, vt nuberet.

Ex hac doctrina S. Thom. benè penetrata facilè

cillè solvuntur hæ duæ instantiæ: 1. *Beata Virgo* omnes virtutum actus elicuit in gradu heroico, seu excellentissimo: Sed votum est actus virtutis Religionis, & votum absolutum est perfectius conditionato. Ergo statim fecit absolutum. 2. *Votum* B. Virginis erat perfectius voto cuiuscumque Professi Religiosi: Sed hoc est absolutum. Ergo & illud.

Ad 2. *neg. anteced.* Ad prob. *neg. mai.* Ad huius prob. *dist. anteced.* in hoc sensu, quòd tendentia actus non possit esse nisi simul aliqua sit tendentia agentis, *conced.* sic, vt pari modo secundùm omnem rationem se habeant, *neg.* Oppositum enim patet ex Ratione 3. partis. *Ad confirm.* detur distinctio illa, ex parte contractus, ex parte contrahentis: *Verbum Apostoli* (vt ait S. Thom. 3 p. q. 28. art. 4. ad 3.) *est intelligendum de illis, quæ absolutè castitatem vovent; Quod quidem Mater Dei non fecit, antequam Joseph desponsaretur: sed post desponsationem ex communi voluntate simul cum Sponso suo votum virginitatis emisit.* Eadem data, & benè applicata distinctione solvuntur hæ duæ instantiæ. 1. *Omnes* contractus totam suam vim habent ab intentione contrahentis. 2. *Actus* agentium moralium non operantur vltra intentionem illorum. Ergo eodem modo se habent intentiones ex parte contractus, & ex parte contrahentis.

Ad 3. ait S. Thom. hîc, q. 48. art. 1. ad 3. *Illa conditio explicata non solum actus, sed etiam potestati contrariatur copulæ carnali: & ideò est contraria Matrimonio.* Immò nec ibi ex parte contractus datur cõsensus in copulam carnalem, cùm exprimatur in ipso contractu, iuxta superiùs dicta, & fiat pars eius, adeòque totaliter tollat potestatem in ordine ad finem intrinsecum matrimonij, quia potestas coarctatur iuxta conditionem appositam; quæ facit hunc esse verborum contrahentium sensum: *Primò quidem contrabo tecum, secundò non contrabo tecum*, vt explicat noster Labat. Verùm intentio interior debitum non reddendi non coarctat potestatem, sed eam dat absolutè, licèt cum animo non exequendi iuxta dicta *in Ratione* 3. *Partis* Nota, quòd salvo valore matrimonij non possit (solùm intendendo secundarios matrimonij fines) bonum prolis excludi positivè; (vti fieret in casibus prædictis) licèt possit negativè, vt fit in senibus, & sterilibus nubentibus.

Ad 4. *dist. sequelam mai.* Fuisse obligatam obligatione radicali, *conced.* proxima, *neg.* Benè ergo stat, quòd quis habeat obligationem radicalem ad copulam carnalem, ratione voti autem habeat obligationem formalem, & proximam abstinendi ab illa, vbi nulla est oppositio, vel contradictio, habent enim se sicut potentia, & vinculum, quo ligatur, ne exeat in actum. Sicut cui pedes sunt ligati, habet potentiam ambulandi, sed ligatam. Addi potest, quòd aliud sit, duo vincula obligare ad actus inter se repugnantes, aliud verò, vincula ipsa inter se repugnare, sæpè enim principia contrariorum actuum possunt esse simul, licèt ipsi actus simul esse non possint; sicut qui sedet, habet potentiam ambulandi, & tamen non potest simul sedere, & ambulare.

* 3 QUÆRO II. Danturne quædam bona matrimonij, quibus eius actus excusetur, & vt quorum illud, etiam vt est in officium naturæ, iure naturali sit indissolubile quoad vinculum? *Resp.* 1. Dantur bona matrimonij, quæ illud, eiusque vsum excusant, & honestum ac sanctum reddunt. Suntque tria, scilicèt, Proles, fides, & Sacramentum, explicata suprà E. 3. ad Q. 5. n. 20.

Declaratur 1. *Pars* ex S. Thom. q. 49. artic. 1. in corp. Nullus sapiens debet iacturam sustinere, nisi pro recompensatione alicuius boni æqualis, vel melioris: vnde electio alicuius quod aliquam iacturam habet annexam, indiget adiunctione alicuius boni, per cuius recompensationem ordinetur, & honestetur: in coniunctione autem viri, & mulieris, rationis iactura accidit; *Tum* quia propter vehemētiam delectationis absorbetur ratio, vt non possit aliquid intelligere in ipsa, vt Philosophus dicit; *Tum etiam* propter tribulationem carnis, quā oportet tales sustinere ex solicitudine temporalium, vt patet 1. *Cor.* 7. Et ideò talis coniunctionis electio non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum, ex quibus ista coniunctio honestetur: & hæc sunt bona, quæ matrimonium excusant, & sanctum reddunt. *Ita* S. *Thom.*

Declaratur 2. *Pars ex a.* 1. *in c. ibid.* Matrimonium est in officium naturæ, & est Sacramentum Ecclesiæ: Primo modo sumptum duobus ordinatur, sicut & quilibet alius virtutis actus, quorum vnum exigitur ex parte ipsius agentis, & hoc est intentio finis debiti, & sic bonum Matrimonij ponitur proles, non solum vt procreanda, sed etiam vt educanda, ad quàm (*vt S. D. explicat ad* 1.) sicut, ad finem ordinatur tota communicatio operum, quæ est inter Virum, & vxorem, quia Patres naturaliter thesaurizant filijs, vt patet 2. *Cor.* 12. Aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere, ex hoc quod cadit suprà debitam materiam, & sic est fides, per quam homo ad suam accedit, & non ad aliam. Vbi fides non accipitur prout est virtus theologica (*ait S. Thom. ad* 2.) sed vt est pars iustitiæ; quia in Matrimonio, cum sit quidam contractus, est quædam promissio, per quam talis vir tali mulieri determinatur, vt (iuxta *Resp. ad* 3.) neuter ad alium thorum accedat: & sibi invicem debitum reddant. Sed vlterius habet aliquam bonitatem, inquantum est Sacramentum, non solum vt est signum rei sacræ sanctificantis coniuges, sed etiam (vt patet ex *Resp. S. Thom. ad* 4.) vt est signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ dicit vnitatem, & indivisionem: est enim vnius ad vnam inseparabiliter. Vide circa hæc, quæ dicta sunt suprà de actu Matrimonij *E.* 1. *Q.* 5.

* 4 *Resp.* 2. Certum est, quòd Matrimonium ex ratione Sacramenti (quam Christus ei superinduxit) maiorem habeat indissolubilitatem. *Ratio:* Quia in ratione Sacramenti Christus illud simul evexit ad significandam duplicem insolubilem coniunctionem, nimirum vnam, Verbi cum Humanitate; alteram, Christi cum Ecclesia. *Pro quo nota*, quod, quia hæc duplex coniuctio significatur per Matrimonium consummatum (in quo solo Coniuges fiunt vna caro) ideò illud inter baptizatos, ad differentiam à rato, in nullo casu, vivente consorte, dissolubile est, vt patebit ex dicendis, vbi & constabit de Matrimonio Infidelium, propter quod dixi, *inter baptizatos.*

Resp. 3. Matrimonium ratum, etiam secundum se suprum, seu vt est in officium naturæ, est ex sua natura, ac iure naturali, & non solo præcepto positivo divino indissolubile quoad vinculum; iuxta veriorem sententiam. Quæ indissolubilitas bene probatur ex bono prolis. *Explicatur:* Dixi 1. *ratum*, id est celebratum servatis omnibus debitis condi-

tio-

xionibus. ita vt nullo laboret defectu ſubſtantiali, ſed tantum careat perfectione integrali, ſeu accidentali, quæ eſt copula carnalis, quæ facit Matrimonium conſummatum, quod iuxta antè dicta *in Not.* maiorem habet indiſſolubilitatem, etiam ex iure naturę, quia per eius diſſolutionem (in quo differt à rato) duplex inferretur injuria, vna vxori, quæ defiorata dimittitur; altera Proli, quæ vel ratione copulæ carnalis in ipſo ſemine accepit ius ad ſui procreationem; vel ſi fœtus iam eſt in vtero efformatus, aut ex eo natus, ad ſui educationem. Si fors coniuges ſint ſteriles, id per accidens eſt. Dixi 2. *vt eſt in officium naturæ*, id eſt, ſeclusa ratione Sacramenti; de qua antè. Dixi 3. *non ſolo præcepto proſitivo* Chriſti, per Paulum promulgato 1. Cor. 7. *Præcipio, non ego, ſed Dominus, Vxorem à Viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut Viro ſuo reconciliari.* Vbi Chriſtus ſublato libello repudij, Matrimonium reduxit ad primævum ſuæ inſtitutionis vigorem. Dixi 4. *quoad vinculum*, quia poſſe fieri ſeparationem quoad cohabitationem, probat quotidiana experientia. Hoc præmiſſo.

Ratio 1. *eſt*: Matrimonium ex eſſentia, & natura ſua pro fine primario reſpicit hoc, vt genus humanum modo rationi rectę, & rationali naturæ conſentaneo propagetur, & educetur, corpore, & animo. Ergo ex ſua natura petit medium per ſe, huic fini proportionatum. Sed hoc medium per ſe eſt indiſſolubilitas, coniugibus enim ſeparatis proles facile negliguntur, & quod proles interdum in caſu ſeparationis bene educarentur, eſſet per accidens, vt etiam ſuprà diximus de prolibus fornicarijs: ſicut & per accidens eſt, quod Matrimonium non conſummetur. Ergo ex bono prolis bene probatur indiſſolubilitas matrimonij. Vide ſuprà de fornicatione, *T. 5. E. 2. n. 18.*

Ratio 2. Propria rei definitio explicat eam ſecundùm ſe, & naturam ſuam, & non ſecundùm ea, quæ illi conveniunt ex inſtitutione extrinſeca: Sed definitio matrimonij etiam ſecundùm ſe ſumpti, ac rati, ſuprà *E. 1. ad q. 2.* tradita explicat indiſſolubilitatem. Ergo. *Confirm.* Conditio repugnans perpetuitati matrimonij, vt ſuprà probatum eſt ex Gregor. IX. in cap. final. *de condit. appoſ.* annullat illud. Ergo perpetuitas eſt de ſubſtantia matrimonij.

Ratio 3. Juxta communem DD. ſententiam Deus in Paradyſo terreſtri Adamo nullum dedit præceptum merè poſitivum excepto, de eſu pomi: Sed propoſuit ei præceptum de indiſſolubilitate matrimonij, dicens: *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, vbi *NB.* quòd Adam tunc matrimonium nondum conſummaverat. Ergo explicavit Deus Adam præceptum naturale.

* 5 *Oppono* 1. *contra R. 3.* Deus non poteſt mutare ea, nec diſpenſare in illis, quæ ſunt de iure naturæ: multò minùs id poteſt Papa: Sed authoritate Dei matrimonium ratum diſſolvitur per Profeſſionem, & conſummatum inter infideles per converſionem alterius ad Fidem, iuxta dicenda in ſequentibus. Item diverſi Papæ diſſolverunt matrimonia rata. *Ergo.*

Confirm. 1. exemplo libelli repudij, quo apud Judæos ex Dei diſpenſatione Matrimonium diſſolvebatur ob graves cauſas, nimirum, vel ob ſterilitatem, quæ in *Ver. Leg.* erat valdè ignominioſa: vel ob lepram, aliumve morbum contagioſum perpetuò copulæ coniugali obſtantem; ob veneficium, ebrioſitatem, moroſitatem, perpetuas rixas, &c.

Confirm. 2. Ad Eccleſiæ regimen videtur eſſe valdè neceſſaria poteſtas in certis caſibus diſſolvendi matrimonia rata: Sed Chriſtus Eccleſiæ non deeſt in neceſſarijs. Ergo Eccleſiæ dedit hanc facultatem. Ergo indiſſolubilitas matrimonij non eſt ex iure naturæ.

* 6 *Oppono* 2. Sacramenta non ſunt de iure naturæ, & inter illa, quæ habent effectum perpetuum, imprimunt Characterem: Sed Matrimonium eſt Sacramentum, & Characterem non imprimit. Ergo ex iure naturæ non habet perpetuitatem. 3. *Omnis res*, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur: Sed Matrim. naſcitur per conſenſum. Ergo. 4. *Quod* quis poteſt donare in perpetuum, poteſt etiam donare ad tempus: Sed. Ergo. *Confirm.* Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, & magis ad magis, ita minus ad minus, & ſecundum quid ad ſecundum quid: Sed conſenſus in Matrimonium ſimpliciter, cauſat vinculum ſimpliciter perpetuum. Ergo conſenſus ad tempus facit Matrimonium ad tempus. Sicut ſervitus ſimpliciter talis, obligatio perpetua, ſervitus verò ſecundum quid, eſt obligatio ad tempus.

Ad 1. de diſpenſatione Dei in iure naturæ patet ſuprà in *T. 6.* de Leg. *E. 2. n.* 10. quod Deus poſsit in eo diſpenſare impropriè, nimirum mutando materiam, quod & fieret in præſenti, quia Deus ſubtraheret materiam dominij, nimirum corpus coniugis. *Ibid. n. 12. & 16.* patet, quod Deus poſſit in quibuſdam nimirum ſecundarijs Decalogi, ſeu Legis naturæ præceptis impropriè diſpenſare, non in primarijs. Ex his ſolvitur illud argumentum Adverſariorũ: Si inſolubilitas ita eſſet intrinſeca Matrimonio eius diſſolutio eſſet per ſe, & intrinſecè mala, non ſecus ac odium Dei, & mendatium: Sed hoc non eſt dicendum, quia alias clarè ſequitur, quod ſicut odium Dei in nullo caſu poteſt eſſe licitum, ita nec diſſolutio Matrimonij. Ergo. Solvitur, inquam: Maior enim eſt vera, ſi diſſolutio fieret non mutata materia præcepti, ſecus ſi fiat ea mutata: de quo vide loco ex Tract. de Legibus *citato*. Ad illud de Papa diſpenſante in Matrimonio rato patet Reſponſio ex dictis ſuprà *T. 10. E. 3. n. 4.* de diſpenſatione pontificia in voto ſolemni Caſtitatis, dummodo bene applicentur ad præſens, & videantur dicta loco ibidem citato ex *Tract. de Conſcient.*

Addendum eſt, quod illi Pontifices non in quovis caſu ſe offerente diſpenſaverint, ſed interdum ſolùm declaraverint, tale matrimonium propter aliquas circumſtantias fuiſſe invalidè contractũ. Ex quo colligitur intelligentia cap. *octavi, lib. 4. Decretal. tit. 17. vbi ſic legitur*: Perlatum eſt ad audientiam noſtram, quòd cum H. ad partes Conſtantinop. tranſiſſet, & ibi moram per decennium, & amplius faciens, ad primam vxorem ſuam non rediens ipſa apud bonæ memoriæ Vinem nunc Epiſcopum adverſus eum querelam depoſuit, & quòd eum non poſſet diutiùs expectare, nihilominùs allegavit. Epiſcopus verò, ſicut vir providus, & diſcretus, Parentibus viri mandavit, vt pro eo mitterent, & ipſum ad propria revocarent. Cumque elapſo longi temporis ſpatio vir non remaneret ad propria, Epiſcopus in conſpectu Eccleſiæ, auditis rationibus mulieris, inter eos ſententiam divortij promulgavit, & mulieri, vt alium duceret, facultatem indulſit. Idcòque mandamus, quatenus, ſi conſiteris,

titerit, quòd Episcopus inter eos sententiam divortij tulerit, filios, quos sustulit de alio, ad cuius copulam authoritate prædicti Episcopi migravit, Legitimos iudiceris, eos hac occasione ab hæreditate non patientes excludi. *Hæc ibi*; estque hoc totum antè citatum capitulum.

Ex priore solutione circa dispensationem Papæ in Matrimonio rato datam, colligitur solutio huius instantiæ: Illa matrimonia fuerunt verè dissoluta, vel non? Si sic? habetur intentum. Si non? Ergo secundò nubentes vixerunt semper in adulterio. *Colligitur*, inquam, si fuerint valida, in re non fuisse dissoluta, sed solùm secundùm invincibilem existimationem, Vnde semper vixerunt in adulterio tantùm materiali, non formali; defectu scientiæ eius.

* 7 *Ad* 1. *confirm.* an per Libellum repudij vinculum matrimonij fuerit revera dissolutũ, mens Angelici Doctoris est valdè controversa. Nam hic in Supplem. (quod est desumptum *ex lib.* 4. *Sent. q.*67. *art.* 7.) vtramque opinionem, vt probabilem defendit, & vtriusque argumenta solvit: quia tamen sententia negans eo tempore, quo S. Thom. *libr. Sent. scripsit*, erat communior; magis inclinavit in illam. Vnde citatum articulum sic concludit: *Dicunt alij, quòd quamvis repudiare vxorem per se sit malum, tamen ex permissione divina licitum fiebat, & quamvis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communius sustinetur, ideò ad vtrasque rationes respondendum est.* Hæc ibi. Idem probabilius iudicat in Summa contra Gent. Verum in cap. 19. Matthæi magis inclinat in sententiam affirmativam, dicens, quòd licèt repudium *inordinatum quid sit, voluit tamen Deus, quòd Judæis imputaretur ad culpam*; idque probat ex Chrysostomo, dicente; quòd *si peccato, abstulit peccati culpam*, puta, dispensando in lege naturę. Item 1. 2. *q.* 102. *a.* 5. *ad* 3. expressè docet, quòd ideò in Veteri Lege Matrimonium non erat Sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia, *quia dabatur in ea libellus repudij*; *quod est contra rationem Sacramenti*. Quæ ratio non valeret (vt benè arguit Gonet) nisi per Libellum repudij matrimonium tunc fuisset dissolutum, non solùm quoad cohabitationem, & thorum, sed etiam quoad vinculum. Sola enim dissolutio quoad vinculum adversatur rationi Sacramenti, cùm in Lege Evangelica matrimonia dissolvantur quoad thorum, & cohabitationem; & tamen hoc non sit contra rationem Sacramenti; aliàs enim fieri non posset. Ergo per Dei dispensationem solvebatur vinculum, & licitè repudiabantur vxores. Quæ sententia cùm sit conformis vltimæ Angelici Doctoris voluntati, est probabilior.

Contra hanc Solut. Instari potest 1. Dispensatio debet fieri propter honestum finem: Sed facultas dimittendi vxores in Vet. Leg. non fuit concessa propter honestum finem. Ergo. *Prob. min.* ex illo Christi Matth. 19. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores.* Ergo. 2. Mulier repudiata, & alteri nupta, Deuter. 24. v. 4. dicitur, *polluta, & abominabilis facta coram Domino*, & ideò prohibetur ibidem ne prior maritus eam recipiat in vxorem, si secundus moriatur, vel eam pariter dimiserit. Sed non posset dici polluta, si vinculum coniugij fuisset solutum. Ergo. Verùm *ad* 1. *neg. min. ad prob.* R. quòd duritia Judęorum solùm fuerit occasio huius dispensationis, causa autem moriva fuit indulgentia Dei imperfectioni, ac fragilitati Judæorum condescendentis. Ergo *adest* causa honesta. *Ad* 2. mulier illa dicebatur polluta non pollutione culpæ, sed legaliter, seu per legem, vide ly *coram Domino* idem est, ac per legem Domini. De hoc vide *T.* 11. *E.* 1. *Q.* 2.

Ad 2. *Confirm. neg. mai.* quia nimium probat, idem enim probat de Matrimonio consummato, quia eius dissolutio etiam sæpè multùm conduceret ad bonum Ecclesię, *v. g.* in casu, quo Rex duxisset vxorem sterilem, eique sine hæredibus defuncto succederet Princeps hæreticus, vel infidelis, vel certè probat, quod Papa in eodem casu possit concedere polygamiam; hæc enim naturæ Matrimonij minus repugnat, quam dissolutio eius, quia relinquit vinculum. Quod ergo tunc Matrimonij indissolubilitas cedat in damnum boni communis, *v. g.* totius Regni, esset per accidens, & in casu particulari: Lex autem considerat ea, quæ sunt per se, seu quæ regulariter, & ordinariè fiunt. Periculis ergo rerum humanarum obiandum est per res humanas, de quo vide suprà *T.* 10. de Relig. *E.* 3. de voto, num. 48.

Ad 2. *Oppos. dist. mai. pro* 1. *p.* Sub ratione Sacramenti, *conc. mai.* sub alia, *neg.* Matrimonium autem præter rationem Sacramenti habet, quod sit in officium naturæ. Distinguitur etiam pro 2. p. Si ille effectus perpetuus sit in ordine ad actus spirituales, *conc.* ad corporales, *neg.* Hæc solutio est S. Thom. hic q. 49. a. 3. ad 5. *Ad* 3. patet *Resp.* suprà in *E.* 1. *n.* 2. *in prob.* 6. *partis. Ad* 4. *dist. mai.* Ita vt sint donationes eiusdem rationis; *neg. mai.* diversæ rationis, *conc. mai.* Qui ergo mulieri tradit corpus in perpetuum cum cæteris requisitis, facit verum Matrimonium; qui dat ad tempus, facit concubinatum. *Ad Confirm.* cum Cornejo *Resp. mai.* esse verè in his, quæ habent magis, & minus, simpliciter, & secundum quid; Matrimonium autem ex parte temporis non habet magis, & minus, sed ex natura sui propter finem, quem respicit, seu propter bonum Prolis petit durationem per totam Conjugum vitã, in quam nisi consensus feratur, Matrimonium est nullum. De seruitute disparitas est, hæc enim ex parte finis perpetuitatem non petit.

* 8 QUÆRO III. Solvitur ne Matrimonium per Professionem in Religione? & quo iure? *Resp.* 1. De Fide est, Matrimonium ratum ante consummationem etiam quoad vinculum solvi per Professionem solemnem in Religione approbata sine alterius consensu facta: ita vt alter licitè possit transire ad secunda vota, seu ad aliud Matrimoniũ. Ita clarè patet ex *Trid. sess.* 23. de Matrim. *Can.* 6. & docetur *à S. Thom. in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2. *in c. Ratio* à priori nequit assignari, nisi voluntas Dei, seu Christi, nobis per Sanctorum gesta, & communem Ecclesiæ Traditionem manifestata, iuxta illam *S. Augustini Regulam lib.* 4. contra Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica authoritate traditum censeri debet.* Sed quod Matrimonium ratum, non consumatum, dissolvatur per Professionem solemnem, semper est in Ecclesia Dei observatum, eiusque non scitur initium, nec potest assignari vllus Pontifex, aut ius, sive Decretum Ecclesiasticum, quo id primò statuatur. Ergo Apostolica authoritate traditum censeri debet. Si ab Apostolis solum traditum, Ergo à Christo priùs statutũ. Dixi, *traditum*; quia non est in Scripturis expressum. Declaratur minor *pro* 3. *p.* in qua est difficul-

tas. Si quis Pontifex posset assignari, esset Eusebius, qui primus inter Pontifices huius privilegij meminit, Can. *desponsatam*, 27. q. 2. ad Cathedram Petri evectus anno 309. vt ex eius vita *tom.* 1. *Concil. p.* 1. *constat* : Sed hic Pontifex hanc legem propria authoritate non tulit, sed antèà latam suppositit, ait enim : *Desponsatam puellam non licet Parentibus alij viro tradere, licet tamen illi monasterium sibi eligere.* Vbi cum non dicat, *non liceat*, sed *non liceat*, clarum est, quod non loquatur vt legem condens, sed vt supponens. Ergo.

Ex his Colligitur, quod quamvis non possit quis rem donatam vni, donare alteri, non acceptata ad hoc à Deo facultate, possit tamen ea acceptata, sicut probatum est, eam esse à Deo datam, respectu Matrimonij rati. Quod autem eam non dederit respectu Matrimonij consummati, est, tum quia huius dissolutio esset iniuriosa Proli, & vxori, vt suprà ostensum est : tum etiam, quia Matrimonium consummatum significat coniunctionem Verbi cum Humanitate, quæ omninò indissolubilis est : ratum verò solùm significat coniunctionem Christi cum anima vt Sponsa, mediante gratia, & charitate? quæ solubilis est.

* 9 *Resp.* 2. Matrimonium ratum non dissolvitur per Professionem solemnem iure naturæ, seu ex natura rei, sive ex efficacia voti solemnis. *Ratio*: Tum quia, quod ex natura sua est indissolubile, nõ potest ex natura rei alterius dissolvi licèt altera res sit perfectior: Sed matrimonium, vt probatum est, ex sua natura est indissolubile, & maior perfectio voti solemnis non obstat; quia aliàs deberet etiam dissolvere matrimonium consummatum, quia etiam est perfectius illo. Ergo. *Tum etiam*, quia quæ ex natura sua sunt composibilia, ex natura sua se invicem non destruunt: Sed vincula voti solemnis, & matrimonij ex natura sunt composibilia, vt constat in casu, quo mutuo consensu ambo coniuges, vel eorum vnus de consensu alterius, Religionem profitetur : in quibus manet vinculum coniugale. Ergo. Vide dicta in hoc Exam. immediatè antè quæst. 2.

Nota 1. hoc intelligi de matrimonio ante votum contracto, non de contrahendo : de eo enim dicetur infrà. 2. *Iure* naturæ licere quidem transitum à statu imperfectiori ad perfectiorem, ast non semper cum dissolutione prioris vinculi : etsi enim Ratio naturalis dictet, vinculum debilius solvi per fortius, si non sint in eodem subiecto composibilia, secus tamen est, si composibilia sint: quæ compositibilitas in præsenti antèà fuit probata. 3. *Per Matrimonium* præcisè rarum non fieri quidem traditionem dominij actualis super corpus consortis (hoc enim datur per actualem matrimonij vsum, in quo quasi accipitur possessio) benè tamen dominij habitualis.

Resp. 3. Matrimonium ratum per professionem Religionis non dissolvitur iure Ecclesiæ, seu Pontificio, sed iure divino, seu authoritate Christi in favorem Religionis dispensantis in Lege naturæ, & Lege Evangelica de Matrimonio indissolubilitate. *Ratio est* data *pro* R. 1. & patet ex præcedentibus, quod Matrimonium iure naturali, & positivo diuino sit indissolubile, in quo Ecclesia non potest dispensare, licèt in certis casibus possit declarare, quod ob circunstantiarum, & materiæ mutationem non obliget. Ergo.

* 10 *Oppone* 1. *contra* R. 3. Quod votum solemne dirimat Matrimonium, habet, quia est solemne : Sed iuxta Bonifacium VIII. solemnitas voti est inducta per solam institutionem Ecclesiæ. Ergo. 2. *Non* scitur vbi, vel quando hoc ius divinum vel privilegium inceperit, vel conditum sit. Ergo non datur, 3. *Ius* divinum à tempore Christi mansit omninò immutatum : Sed hoc novo privilegio fuisset mutatum. Ergo. 4. *Non est* credibile, quod Christus illam virtutem dederit solemnitati votorum Religionis nondum existentis : Sed modernæ Religiones tempore Christi nondum existebant. Ergo. 5. *Hæc* potestas videtur Ecclesiæ collata Mat. 16. illis verbis. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis.* Ergo.

Ad 1. *dist. mai.* Quod dirimat Matrimonium contrahendum, de quo infrà, *conc. mai.* contractum, subdist. Habet vt solemne, solemnitate accidentali, *neg. mai.* essentiali, *subdist.* Adiuncto tamen speciali privilegio Christi, *conc. mai.* eo secluso, *neg. mai.* Minor est vera de solemnitate tantum accidentali, explicata suprà de voto. *T.* 10. *E.* 3. *n.* 48. *in Not. Ad* 2. *dist. conc.* Ergo non datur, vt in S. Scripturis expressum, *conc.* vt traditum, *neg. conc. Ad* 3. *neg. min.* quæ non probatur.

Ad 4. *neg. mai.* Nam Christus est Auctor, & institutor status Religiosi, eiusque Apostoli fuerunt veri Religiosi, adeòque quidquid dedit votis solemnibus Religionis pro tùnc, etiam deditijs, quæ sunt pro nunc. Nam & antiquitus fiebat status Religiosus votis solemnibus. Vnde est in Ecclesiam noviter introductus status Religiosus per vota simplicia, vt ex *Vasquezio ait Perez*, qui est ex S. J. & pulchre probat, quod licèt vota simplicia Societatis dirimant matrimonium contrahendum, non tamen contractum.

Rationem dat 1. Absurdum esset, vt quis liberaretur à vinculo matrimonij per transitum ad Religionem, à qua Superioris authoritate propter frequentes, & ordinarias causas potest liber dimitti. Ergo dictus effectus dissolutionis matrimonij præcisè competit votis solemnibus. 2. *Quod* vota simplicia Societatis verè, ac propriè, non minùs ac vota solemnia, constituant hominem in statu perfectionis, nihil convincit. Quia status perfectionis vt sic non dissolvit matrimonium: status enim Episcopi perfectior est, & tamen non dissolvit illud: nullo enim iure id cautum est. 3. *Quod* Pius V. Bulla 3. 4571. concedat omnibus Religiosis Societat. Jesu, etiam Scholaribus, vt omnes dispositiones, in aliorum Religiosorum favorem factæ, etiam in eis locum habeant, pariter nihil probat. Nam Pius V. non loquitur de conditionibus, quæ annectuntur votis, sed de privilegijs, & gratijs, quæ concessæ sunt ipsis personis, & singulari Instituto Societatis non repugnant. 4 *Quod* vota simplicia Societatis dirimant matrimonium contrahendum, non probat, quòd etiam dissolvant contractum. Quia ab his, quæ non solùm dissimilia sunt, sed etiam separabilia, non rectè fit illatio : & potest intercedere ratio longè diversa, sicut in voto continentiæ Ordinis sacri videre est, ait ille.

Ad 5. *neg. anteced.* Quia ibi solùm est promissa potestas clavium, De quo vide *T.* 13. *E.* 1. *R.* 3. *ad q.* 2. Et dato quòd Christus Apostolis dederit potestatem in certis casibus, v.g. voto simplici, juramento, &c. dispensandi impropriè in iure naturali, & divino, non tamen in illis, quæ de hoc iure sunt absolutè, & simpliciter, aliàs enim Ecclesia ha-

beret facultatem mutandi formas Sacramentorum; concedendi consecrationem vnius Speciei sine altera, &c.

* 11 *Quantum tempus* conceditur neoconjugibus, vt matrimonio contracto, sed nondum consummato possint deliberare de ingressu Religionis? *Dico*: Jura concedunt bimestre, seu spatium duorum mensium, quo neuter alteri debitum reddere tenetur. Unde licèt in contractu fiat translatio dominij, putà, habitualis (vt suprà dictum) super corpus: tacitè tamen inest hæc conditio: Nisi alter velit ingredi Religionem. Quam dum professus, matrimonium dissolvitur.

Quid si bimestre iam effluxerit? *Dico*: Neutri licèt Religionem ingredi sine alterius consensu, & ingrediendo, vel professendo peccat. *Ratio*: Quia terminus à iure concessus est præterlapsus. *Sed quid* si defacto ingrediatur, & professetur post bimestre, dissolviturne matrimonium? *Affirmo. Ratio*: Quia Christus illam temporis restrictionem non fecit, sed illud privilegium Professioni simpliciter, & absolutè concessit.

Quid si Sponsa, seu Neo-vxor ante elapsum bimestre à sponso, seu marito suo fuerit vi oppressa, potestne adhuc ingredi, & professeri? *Affirmo. Ratio*: Quia dolus nemini debet patrocinari, & nemò privandus est proprio iure sine propria culpa. *Nota* tamen in hoc casu matrimonium non dissolvi, quia est verè consummatum, cùm fuerit copula coniugalis, vnde oppressor non potest aliam ducere.

Quid si ambo neo-conjuges Religionem professeantur? *Dico* cum S. Thom. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 3. ad 1.* non dissolvi quoad vinculum, hinc si vnus eorum postea fornicaretur, non solùm esset sacrilegus, sed & adulter. *Ratio*: Omnes textus Juris, qui hac in re solent adduci, expressè loquuntur de casu, quo solùm alter sponsorum Religionem ingreditur. *Ex quibus* sequitur, multò minùs dissolvi matrimonium, si sit consummatum, & vnus, vel ambo mutuo consensu Religionem professeantur. Cuius *Ratio* patet ex dictis *ad Q. 2. R. 2. & R. 3. n. 3.* in hoc Exam.

* 12 QUÆRO IV. Solviturne Matrimonium Infidelium, seu non baptizatorum, etiã quoad vinculum, vno eorum ad fidem converso? & quo Jure? & quid de matrimonio conjugum hæreticorum, vtpotè baptizatorum, si vnus convertatur ad Fidem Catholicam?

Resp. 1. verbis *S. Thom. hic q. 59. a. 5. in c.* Quando alter coniugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate manente, distinguendũ est: quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, id est, sine hoc, quod ad Infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, sed discedens non potest alteri nubere. Si autem Infidelis non velit cohabitere sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens, & nomen Christi audire nolens, tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per Matrimonium copulari. *Hæc ibi*; quæ procedunt de Matrimonio etiam consumato. Vnde in *c. finali 28. q. 2.* dicitur: *quod contumelia Salvatoris soleat ius Matrimonij*, non quidem ipso facto, sed tunc quando fidelis, sive vir, sive mulier se ipsa contrahit aliud Matrimonium. Dixi, *quando fidelis*: non enim solvitur per hoc, quod infidelis nubat alteri: Quia privilegium (de quo statim) est datum in favorem fidei. Debet etiam fidelis priùs infidelem monere, si velit convertì, vel pacifice cohabitare, & quomodo, &c. De quo plura videantur in *S. T. quæst. citata, a. 3. & 4.*

Resp. 2. Dicta dissolutio fit Jure divino, ex speciali privilegio Christi, concesso in favorem fidei: eo fere modo, quo antea de privilegio Professionis solemnis dictum est. Hoc privilegium videtur colligi ex illo 1. Cor. 7. *Si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est Frater, aut Soror in huiusmodi.* Ratio concessionis huius privilegij est: Quia bonum Fidei est maius, quam bonum Matrimonij. Ergo vbi per contumeliam Salvatoris Fides periclitatur, & ne coniunx fidelis adstringatur ad perpetuam vitam cælibem, & exinde Infideles deterreantur à conversione, conveniens fuit dare hoc privilegium.

Quid in eo casu agendum cum prolibus in infidelitate natis, explicat *S. D. q. cit. a. 4. ad 4. dicens*: Proles, aut pervenit ad perfectam ætatem, & tunc poterit liberè sequi Patrem fidelem, vel matrem infidelem: vel est in minori ætate constituta, & tunc debet dari fideli, non obstante, quod indiget matris obsequio ad educationem. *Hæc ibi.*

* 13 *Resp. 3.* Nullum crimen, etiam hæreseos, vel adulterij Matrimonio superveniens potest illud dissolvere quoad vinculum, sed solum quoad cohabitationem, & thorum. *Ita S. Thom. cit. q. 59. a. 6. Ratio* S. D. in *Sed Cont.* Si hoc esset, omni die fierent divortia, cum ratò inveniatur Matrimonium, in quo alter coniugum in peccatum non labatur. *Et in c.* Quia alias vir libere posset dare libellum repudij vxori adulteræ, & ea dimissa aliam ducere, quod falsum est. *Et ad 3. ait*: Quando mulier præstat magnam occasionem peccati viro suo, vt vir probaliter sibi de periculo timeat, tunc vir potest se subtrahere ab eius conversatione, ad eius castigationem subtrahendo ei præsentiæ suæ solatium, vt subdit in fine corp. Idem patet ex Marci 10. & Luc. 16. vbi clarè legitur: *Qui dimiserit Uxorem, & aliam duxerit, mœchatur.* Si mœchatur, ergo manet vinculum coniugale inter eos.

Oppono: Matth 19. dicit Christus: *Quicumque dimiserit Vxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ego ob alterius coniugis adulterium potest solvi vinculum coniugale. *Ad hæc* Christi verba *R.* ea esse distinguenda sic, vt in se contineant duas sententias: Quarum *prima est*: Quicumque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis, dimiserit, inquam, quoad thorum, *mœchatur*, id est, facit eam mœchari, seu dat ei occasionem mœchandi, & fit particeps peccati alieni, sciliter adulterij. *Secunda est*: Et qui aliam duxerit, mœchatur, id est, adulterium committit.

* 14 *Resp. 4.* In casu, quo vnus coniugum hæreticorum, *v.g.* Lutheranorum, &c. convertitur ad Fidem Catholicam, per hoc inter eos non solvitur Matrimonium: dummodo hoc anteà revera fuerit validum, seu nullo affectum impedimento dirimente, etiam quòd sit tantùm Juris Ecclesiastici. *Ratio*: Quia matrimonium Hæretici cum Catholica nulla Lege, sive naturali, sive divina positiva dissolvitur.

Ex quo sequitur, quòd si ex duobus coniugibus acatholicis baptizatis vnus convertatur ad Fidem Catholicam Romanam, altero nolente converti, nec ei cohabitare, immò de licentia Consistorij acatholici alium ducente, non potest hoc vivente, is, qui veram Fidem suscepit (nisi matrimonium ex

alio

alio capite inveniatur esse nullum) idem facere, non enim in materia matrimonij verificatur illud, *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Videatur Gobat in Theol. experiment. *T.10.casu 19 n.*708. vbi refert anno 1662. per Consilium Aulicum Principis, & Episcopi Frisingensis in similem, qui ex Zvvinglianismo in Orthodoxam Fidem conversus repudiata vxore ducta in ea Secta, duxit aliam, nimirum Catholicam, fuisse latam sententiam capitis. Vide etiá suprà *E.1.n.*134. & 14. vbi ostensum est, quòd baptizati non possint contrahere matrimonium In ratione contractus, nisi simul contrahant in ratione Sacramenti, adeòque etiam matrimonia hæreticorum sint vera Sacramenta. An matrimonium Catholici cum hæretica sit licitum, patebit de disparitate cultus infrà E.5.n.77. Videantur in Trident. *Sess.*24. *de Matrim. Can.*5. Ubi sic legitur: *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, &c.* dissolvi posse matrimonij vinculum, anathema sit. Idem de adulterio sub anathemate decernit *Can.*7. Et de separatione quoad thorum, & cohabitationem *Can.*8.

* 15 QUÆRO V. Solviturnæ vinculum matrimonij per mortem naturalem vnius Conjugis, ita vt, licèt miraculosè resuscitaretur à mortuis, non amplius sit obligatus vxori? Exemplum sit in Lazaro mortuo quatriduano iam fœtente per Christum suscitato, respectu vxoris superstitis.

Resp. Ita solvi, vt nulla sit amplius obligatio conjugalis, sed suscitatus possit, si velit, ducere aliam. *Ratio:* Quia per mortem vinculum matrimonij simpliciter solvitur, & extinguitur: obligatio autem semel simpliciter extincta non revivisc it, nisi accedat causa eam resuscitans, quæ in præsenti est novus consensus. Hinc 1. Cor. 7. Apostolus ait: *Mortuo viro liberata est à Lege viri vxor.*

Oppono 1. Hebr. 11. dicitur: *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* 2. *Religiosus* professus mortuus, & resuscitatus obligatur ad Professionem, & Vota sicut ante mortem. Ergo similiter. *Ad* 1. *R.* factum esse ex honestate, non ex necessitate, & debuisse intervenire novum consensum: adeòque fuisse novum matrimonium. *Ad* 2. *neg. conseq.* Disparitas est: Quia vinculum matrimonij est ad homines, Professionis verò est ad Deum, cùm sit spiritus creati ad increatum; quia ergo hæc extrema sunt indissolubilia, ideò & Professionis vinculum est tale: & nemo illud tollere potest nisi solus Deus.

Sed quid si conjugum contrahentium intentio feratur in vinculum etiam post mortem iuxta propositum resuscitationis casum? *Dico*, tunc revivisc ere vinculum: Quia in eo casu non esset simpliciter, & absolutè extinctum.

EXAMEN V.

De impedimetis Matrimonij in generali. *De quibus S. Doct. Quæst.* 50. *per vnicum Articulum.*

* 1 QUÆRO I. Quotuplex est impedimentum Matrimonij in genere? & quis habet potestatem ponendi illud? Vel dispensandi? *Resp.* 1. *ex S. Thom. in præsenti art. vnico*, est duplex: *Vnum* impediens tantum, sic vt in eo contrahens mortaliter quidem peccet, Matrimonium tamen sit validum. *Alterum* impediens, & simul dirimens, seu valorem contractus annullans. Est autem hic sermo de impedimento Matrimonium præcedente, quia superveniens non solvit, nisi in duobus casibus antè explicatis de voto solemni, & conversione alterius coniugis infidelis ad fidem.

Resp. 2. De fide est, in Ecclesia esse potestatem ponendi impedimenta Matrimonij, & impedientia, & dirimentia. Ita patet in *Trid. sess.* 24. de Matrimon. *Can.* 3. & 4. *Ratio:* Quia in Ecclesia est vera spiritualis Monarchia, & Principatus, habetque potestatem super subditos, quos impedimenta per Ecclesiam posita ligant, etsi ab Ecclesia per apostasiam deficiant.

Opponi hic potest illud *Matth.* 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Sed negatur suppositum, quod Deus coniugat eos, qui coniunguntur cum impedimento statuto per Ecclesiam, quæ quidquid agit, per Dei authoritatem agit.

Resp. 3. Princeps infidelis habet potestatem ex iusta causa statuendi suis subditis infidelibus impedimenta Matrimonium dirimentia. *Ita S. Tho. in* 4. *d.* 39. *q. vnic. a.* 1. *ad* 4. *Ratio* Matrimonium infidelium non est Sacramentum, sed solum contractus civilis, & naturalis. Ergo quoad præsens est eadem ratio de illo, ac de alio contractu. Quæ Ratio probat, idem posse Principem fidelem respectu suorum subditorum infidelium.

Resp. 4. Princeps Sæcularis fidelis, seu baptizatus, attenta natura rei, seu de se, & quantum est vi suæ potestatis sibi, vt Principi Sæculari competentis, potest suis subditis fidelibus ponere impedimenta Matrimonij. *Ita S. Thom. in* 4. *d.* 24. *q. vnic. a.* 1. *ad* 4. *dicens*: Matrimonium, inquantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ: inquantum est Sacramentum, lege divina: inquantum est in officium Communitatis, statuitur lege civili. Et concludit S. Doct. Et ideò ex qualibet dictarum Legum potest aliqua persona effici ad Matrimonium illegitima. Idem docet 4. contra Gent. cap. 78.

Ratio: Tum quia superinducta ratio Sacramenti à matrimonio non tollit rationem contractus, cuius quoque naturam Christus non mutavit. Ergo, vt talis per se, seu attenta natura rei manet potestati politicæ subiectus. *Tum etiam*, quia licèt potestas politica directè circa hoc Sacramentum nihil possit statuere, benè tamen indirectè, scilicèt impediendo valorem contractus in matrimonio essentialiter inclusi, apponendo certas conditiones *sine quibus non*. Quod etiam solùm, & non plus potest Ecclesia. Dixi, *per se, & ex natura rei*; Quia defacto Ecclesia hanc potestatem sibi reservavit, propter dignitatem Sacramenti. Quæ enim sunt coniuncta spiritualibus, & ad finem supernaturalem ordinantur, per potestatem sæcularem convenienter gubernari non possunt. Quam etiam ob causam si contingeret casus, quo Rex, & Papa circa matrimonium præciperent contraria, standum esset Legi Ecclesiasticæ, velut superiori.

Contra R. 4. varia opponi possunt, quæ soluta sunt suprà *T.6.E.5 n.*21. Ubi probatum est, quòd Princeps sæcularis possit ponere Leges sub peccato, seu in conscientia obligantes.

* 2 *Resp.* 1. Episcopus, quantum est ex vi suæ potestatis, potest suis subditis ponere impedimen-

à matrimonij. Eius tamen vsus est illi à Papa interdictus. *Ratio*: Episcopus potest in sua Diœcesi, quod Papa potest in tota Ecclesia, vt habet commune axioma, cùm sit Pastor ordinarius, nisi potestas à Papa limitetur.

Respond. 6. Rationabilis, & legitimè introducta consuetudo potest inducere novum impedimentum dirimens, & abrogare antiquum, quod est sola lege humana, sive Ecclesiastica, sive civili positum. *Ratio*: Quia potest iuxta S. Thom. 1. 2. q. 97. *art.* 3. inducere Legem in conscientia obligantem, vti & abrogare Legem pure humanam. Vti probatum, & fusè explicatum est supra *T. 6. E. 5. n. 72.* vbi videquæcumque ibi dicta sunt.

Resp. 7. In impedimentis iure naturali, aut positivo divino dirimentibus, Papa dispensare nequit. 2. *Item* tamen in ijs, quæ solo iure Ecclesiastico dirimunt. 3. In *quibus* præter Papam nullus alius potestate ordinaria dispensare potest, sed tantùm ex commissione Papæ. *Ratio* 1. & 3. *p.* Quia inferior per se non potest dispensare in Lege superioris. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Summa potestas, quæ est in terris, residet in Papa.

Resp. 8. Potest Episcopus, vel ordinaria, vel in Trident. *sess.* 24. *cap. 6.* pro casibus occultis expressè concessa, vel saltem ex tacita Pontificis commissione, pro foro conscientiæ tantum, dispensare in omnibus impedimentis iure Ecclesiastico dirimentibus: dummodo adsint omnes hęc 5. *conditiones*: 1. *Quòd* impedimentum sit occultum. 2. *Quòd* matrimonium sit publicum. 3. *Quod* fuerit bona fide contractum iuxta formam Decreti Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. 4. *Quod* separatio fieri non possit sine magno scandalo. 5. *Conditio* est disjunctiva, quòd scilicèt non sit aditus ad Pontificem ex inopia, aut alia causa; vel si sit talis aditus, esset tamen periculum in mora, puta, periculum incontinentiæ, infamiæ, aut alterius damni, si publicaretur: vt si impedimentum se teneret ex parte fœminæ, & esset affinitas ex copula illicita cum consanguineo mariti ante matrimonium.

Ratio est nobilis EpiKeja, nec credi debet, Papam sibi reservare dispensationem in tanto animarum periculo. Ergo eo casu potest dispensare Episcopus, non tamen eius Vicarius Generalis, nisi ex comissione speciali. Plura, quæ hic dici possent, vide suprà de dispensatione *T. 6. E. 5. n. 77.* & *seqq.* vbi etiam patet, quid statuerit *Trid.* cuius antè memini de casibus occultis. Vide infrà in Ex. 6. n. 71. & 72. an, & quando Papa dispenset in impedimento consanguinitatis, & affinitatis.

* 3 QUÆRO II. Quæ in specie sunt impedimenta Matrimonium impedientia, seu non dirimentia, quæ, vt Versus à S. Thom. relatus habet, *Impediunt fieri, permittunt facta teneri. Resp.* Continentur sequentibus Versibus. Quibus tamen adde omissionem proclamationum, de qua E. 6. Q. 13. num. 69.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum.

Explicantur suo ordine. *Ecclesiæ vetitum*, ideſt, Interdictum, seu prohibitio Ecclesiæ, sive generalis, sive particularis, ad tempus, vel in perpetuum. Huc etiam reducitur status peccati mortalis, & excommunicationis.

Tempus feriatum, nimirum iuxta *Trid.* ab Adventu Domini vsque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum vsque ad Octavam Paschæ inclusivè. Quibus temporibus non prohibetur ipse contractus Matrimonij, aut consummatio eius, sed sub peccato mortali (cum in re gravi sit contra præceptum Ecclesiæ) prohibetur nuptiarum solemnitas, ideſt, 1. *solemnis* Nuptiarum celebratio. 2. *Traductio* Sponsæ in domum sponsi. 3. *Celebratio* solemnis convivij, ac tripudij. Observanda est consuetudo, & praxis loci etiam circa ipsum præcisè contractum.

Catechismus, ideſt, cognatio spiritualis consecuta ex Catechismo, seu instructione Fidei, quæ antè ianuas Ecclesiæ, sit super eum, qui defertur ad Baptismum. Vel, vt alij explicant, contrahitur ab eo, qui respondet pro infante, quando post Baptismũ in necessitate collatum supplentur cæremoniæ. Hoc impedimentum post Trid. non censetur amplius esse in vsu.

Crimen. Solent assignari septem impedimenta ex crimine, impedientia Matrimonium cum quacumque. 1. *Incestus* cum consanguinea vxoris in primo, vel secundo gradu, scienter admissus, vel cum propria matre, aut filia. 2. *Raptus* alienæ sponsæ. 3. *Vxoricidium*. 4. *Presbytericidium*. 5. *Susceptio* propriæ Prolis ex Baptismo ad impediendam redditionem debiti. 6. *Publica* pœnitentia, quamdiu durat. 7. *Matrimonium* cum moniali. Hæc septem impedimenta iuxta communiorem Sententiam non amplius suns in vsu.

Sponsalia: Quia enim Matrimonium promissi vni, non potest licitè contrahere cum alia. Vide suprà de sponsal. *Votum*, nimirum simplex servandi castitatem, ingrediendi Religionem, non nubendi, suscipiendi Ordinem sacrum. Excipiuntur vota simplicia Soc. Jesu, quæ ex speciali Ecclesiæ Statuto, vel privilegio non solum impediunt, sed etiam dirimunt Matrimonium contrahendum.

Nota 1. differentiam inter eos, qui contrahunt cum voto simplici castitatis, & eos, qui cum voto Religionis. *Priores* enim non solum mortaliter peccant contrahendo, sed & debitum petere non possunt, licèt petenti debeant reddere. *Posteriores* verò, quamvis contrahendo peccent mortaliter, possunt tamen petere, ac reddere, cum castitatem non promiserint absolutè, sed solum sub conditione, si Religionem ingrediantur.

Nota 2. quod cum illo, qui Matrimonium cõtrahit cum voto simplici castitatis, possit Episcopus dispensare, vt possit petere debitum: qui tamen soluto per alterius coniugis mortem Matrimonij vinculo, tenetur ad castitatem, vel ad intrandam Religionem: vt patet ex S. T. 4, 5 2. a. 1. *ad* 4.

* 4 QUÆRO III. Quænam in specie sunt impedimenta matrimonij dirimentia indicata hoc versu S. Thomæ, *Quæ sociandæ vetant connubia, facta retractant.*

Resp. De jure antiquo sunt duodecim, indicata tribus sequentibus versibus à S. Tom. relatis, quibus jure novo Concilij Trid. addita sunt duo, nimirum *Clandestinitas*, & *Raptus*, quæ indicantur per duos versus subiunctos. Versus sunt hi:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia tollit.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuæ.

Numerum duodenarium impedimentorum dirimentium, nimirum vsque ad duo vltima, pulchrè explicat Ang. Doct. in præsenti *art.* vbi videatur.

De

De omnibus istis impedimentis in particulari agetur in sequenti Examine, priùs tamen nonnulli scitu valdè necessarij casus, sunt resolvendi:

* 5 QUÆRO IV. Ut matrimonium, quod defectu consensus, vpotè qui, vel fuit fictus, vel coactus, seu metu extortus (licèt personæ fuerint habiles) fuit invalidum, fiat validum, requiriturne novus consensus vtriusque? *Resp* Probabilius est, quòd ille, qui illegitimè consensit, de novo consensum sensibiliter exprimere debeat, si alter consensum non revocarit. Ita S. Thom. hic q. 47. a. 4. ad 2. dicens: *Ex consensu libero illius, qui primò coactus est, non fit matrimonium, nisi inquantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore: unde si dissentiret, non fieret matrimonium.*

Ratio: Cùm consensus vnius fuerit legitimus, & revocatus non sit, adeòque moraliter, vel virtualiter duret, nihil deest, nisi consensus alterius. Ergo si hic accedat, matrimonium est validum. Quomodo autem ille consensus possit, vel debeat sensibiliter exprimi, patebit ex dicendis n. 57.

Oppono 1. *In casu*, quo Matrimonium esset nullum ratione impedimenti dirimentis, personas ad contrahendum inhabiles facientis, vt validetur, requiritur novus externus consensus vtriusque. Ergo similiter in præsenti. 2. *Matrimonium* non potest claudicare: Sed iuxta vos claudicat, quia tenet ex parte vnius, & non alterius. Ergo.

Ad 1, *neg. conf.* Quia in illo casu consensus vtriusque est nullus, in nostro autem consensus vnius est validus, & virtualitet manet. Si ergo in casu obiecto detur dispensatio, licet non requirantur novæ proclamationes, nec præsentia Parochi, & Testium, vt posteà dicetur, debent tamen ambo de novo sensibiliter consentire: *Tum* quia dispensatio non dat valorem priori Matrimonio, cum fuerit nullum, sed solum facit personas habiles: *Tum etiam*, quia neutrius consensus virtualiter manet, permanentia enim supponit existentiam, consensus autem, quia non est verus, sed nullus, non habuit existentiam. Ergo. *Ad* 2. *neg. min.* non enim dicimus, quod propter consensum legitimum vnius Matrimonium sit validum ex parte vnius, sed quod Matrimonium anteà ex illo defectu nullum, fiat validum accedente legitimo consensu illius, qui anteà consenserat illegitimè, cum alterius consensus adhuc durat. *Referunt* aliqui, quod Clemens VIII. fuerit in contraria Sententia sed eam tenuit vt Doct. privatus.

* 6 QUÆRO V. Vt convalescat Matrimonium ratione impedimenti dirimentis, personas inhabiles facientis, deberne coniux impedimenti huius nescius, ab altero eius conscio de Matrimonij nullitate moneri, vel sufficitne revocare consensus, tacendo nullitatem?

Resp. 1. Debet moneri, licèt causa nullitatis non explicetur. 2. *Non* tamen sufficit in eo casu dicere: Suspicor, te non esse meum Virum, vel vxorem. 3. *Sufficit* tamen, si ille consensus procedat ex cognitione æquivalenti scientiæ nullitatis, v. g. si coniux nullitatem sciens petat ab alio sic: Diligis me ita, vt si non esset inter nos Matrimonium, denuò contraheres, ac ex nunc vix me in coniugem, ac si anteà non fuissemus coniuges, & ille respondeat, ita, volo, ita, accepto in coniugem: & interrogans eodem modo dicat, & consensum suum exprimat. 4. *Sufficit* etiam, si coniuges impedimentum cessasse scientes, affectu coniugali se carnaliter cognoscant, non præmisso alio consensu.

Ratio 1. *p.* Quòd nullum est, non potest ratificari. Sed illud Matrimonium est nullum, & consensus nullus. Ergo non ratificatur: Sed coniuges tunc solum intendunt ratificare, non verò de novo contrahere, cùm putent matrimonium esse validum, actus autem non operantur vltra intentionem agentium. Ergo nihil faciunt, nisi nullitatem sciat. Simile est in voto etiam solemni ratificato, cùm antè fuerit nullum, sed nullitas non erat nota.

Ratio 2. *p.* Talis est, sicut titubans, qui autem titubat, habetur pro ignorante, ignorans autè non consentit, quia ignoti nulla cupido. Ergo. *Ratio* 3. *p.* cum Sanchez: Vir, vel mulier tunc non tantùm intendit in matrimonio perseverare, sed etiam de novo contrahere, sub ea conditione, si prius matrimonium sit irritum: Sed conditio illa tunc existit. Ergo verè contrahitur matrimonium.

Nota 1. Quòd, licèt hic adsit aliquis error, vel ignorantia, hæc tamen solùm est ignorantia concomitans; quæ non tollit voluntarium. *Nota* 2. Hoc etiam posse fieri per Confessarium, vt, si inter coniuges sit discordia, horretur eos, vt se ira diligant, ac si denuò matrimonium contraherent, & vt ex nunc in coniuges se recipiant, etsi matrimonium non fuerit inter eos. Sed (vt benè monet dictus Auctor) hoc magna circumspectione fieri debet: posset enim vir suspicari, Confessorem aliquid nosse de matrimonij nullitate, & ideò velle denuò consensus præstari: quare hic modus per Confessorem ratissimè adhibendus.

Ratio 4. *p.* Matrimonium potest non solùm verbis contrahi, sed & signis: Sed nullum signum tàm expressè denotat voluntatem contrahendi, quàm congressus animo coniugali factus. Ergo. Dixi, *animo coniugali*; si enim fiat animo fornicario, coram Deo matrimonium non validatur.

* 7 *Esto* matrimonium, ratione impedimenti nullum anteà coram Parocho, & Testibus celebratum, ablato impedimento denuò coram ijs celebrandum? *Dico*: Sufficit, quod coniuges inter se solos modo insinuato renovent consensus, si impedimentum (sit illud qualecumque) occultum sit. 2. *Si verò* tempore primi contractus Parocho, aut vni ex testibus fuit notum, renovatio debet fieri coram eodem Parocho, & teste. 3. *Si resciverint* post primum contractum, sed taliter, vt in foro externo probari non possit, non est necesse, vt iterùm adhibeantur.

Ratio 1. *p.* Quia iam est satisfactum intentioni *Concil. Trident.* circa clandestinitatem, finis enim eius Statuti fuit, cavere incommoda, & peccata, quæ ex matrimonio clandestino pullulabant, eo quod non poterant probari esse contracta, vt sunt desertio vxoris, adulteria, &c. Sed hic finis in præsenti iam salvatur. Ergo. *Ratio* 2. *p.* Si testes in contractu scriverunt impedimentum, non fuerunt testes valoris, sed nullitatis. Ergo. *Ratio* 3. *p.* Quia in eo casu Parochus, & testes tunc, quando matrimonio assistebant, & Ecclesiam repræsentabant, erant testes valoris, & Ecclesia validum matrimonium iudicabat: cuius nullitas ignorabatur. Ergo.

* 8 QUÆRO VI. Si coniuges ratione alicuius impedimenti dirimentis de valore matrimonij dubitent, vel si eorum vnus nullitatem sciat, possitne peti, vel reddi debitum? *Resp.* 1. Si coniuges temerariè, & sine ratione dubitent, debent ad iudicium sui Pastoris, vel Confessoris dubium deponere, debitumque petere, ac reddere. 2. *Si talia* dif-

diligenti inquisitione de matrimonij valore adhuc maneant dubij, sine mortali petere non possunt. 3. *Si ambo* dubitent de valore matrimonij, præsertim mala fide contracti, posteà verò inveniant rationes, ex quibus probabile quidem apparet, matrimonium valere, probabilius tamen ipsis videtur non valere, nec reddere, nec petere possunt debitum, vt tener verior opinio.

Ratio 1. *p.* Licitum est agere contra scrupulum cognitum, vt patet *T.* 2. *de conscient. E.* 2. Sed in eo casu non est dubium; sed tantùm scrupulus cognitus. Ergo. *Ratio* 2. *p.* patet ex dicto *T. E.* 1. vbi probatum est, quòd non liceat operari cũ conscientia practicè dubia propter periculum peccati: sicut in præsenti coniuges se exponunt periculo adulterij, vel fornicationis, si congrediantur. Ergo. *Ratio* 3 *p.* constat in eodem Tract. Exam. 3. n. 16. vbi probatur, non licere in moralibus sequi Sententiam probabilem, relicta concurrente probabiliore, cognita vt tali.

Resp. 2. Probabilius est, quod coniux, qui cum dubio de impedimento dirimente, *v. g.* de morte alterius coniugis contraxit, non possit petere debitum, teneatur tamen alteri non dubitanti, sed bona fide possidenti reddere. Ita expressè decidit in c. *Dominus*, *de secundis nuptijs*, per hæc verba: Nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit coniux: si vero aliquis hoc non servavit, & de morte prioris coniugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti: quod à se tamen noverit nullatenus exigendum. *Hæc ibi.*

Ratio: Possessor bonæ fidei non est spoliandus iure suo propter malam fidem alterius, vt patet in præscriptione, in qua mala fides possessoris prioris non nocet bona fide possidenti nunc. Ergo.

* 9 *Oppono*: Juxta dicta non licèt operari cum conscientia practicè dubia: Sed talis reddendo operaretur cum conscientia practicè dubia. Ergo peccaret mortaliter. *Ad hoc neg. min.* Talis enim deberet se determinare, quod teneatur ad hic, & nunc reddendum, tum ex adducta Ratione, tum ex illo axiomate in dicto *T.* 2. *E.* 1. *Q.* 6. explicato. *In dubijs tutior pars est eligenda*, ille autem reddendo eligeret partem tutiorem, ne innocentem suo spoliet iure. In quo actu si fortè erret, est peccatum materiale, non formale. Sicut si quis dubiter, an Petro debeat 50, *imperiales*, non peccat, sed bene facit solvendo, licet fortè hæc pecunia deberetur hæredibus cum reliqua hæreditate, qui tamen privatur ea.

Resp. 3. In casu *Resp.* 2. alter, qui non dubitat, potest quidem, dubitanti petenti reddere, non tamen tenetur. *Ratio* 1. *p.* Est possessor pacificus, & bonæ fidei. Ergo potest plenè matrimonio vti. *Ratio* 2. *p.* Obligatio reddendi oritur vel ex possessione petentis, vel ex Jure Justiciæ, quod habet ad exigendum: Sed vtrumque hic deest, non enim suffragatur possessio, quæ dubia fide cœpta est, & dubia manet. Ergo. Ex quo patet disparitas de coniuge, qui habet votum simplex castitatis, cui petenti, tenetur alter reddere, quia habet possessionem, & ius iustitiæ ad exigendum, & petendo solum peccat frangendo votum, & abutendo re sua, scilicèt corpore consortis.

* 10 *Resp.* 4. Si vterque mala fide contraxit, dubitando nimirum de impedimento dirimente, neuter potest reddere, vel petere. 2. *Si vterque bona fide contraxit*, & postea ambo de valore Matrimonij dubitent, & adhibita circa inquirendam veritatem sufficiente diligentia adhuc dubij maneant, ex titulo possessionis possunt dubium, practicè deponere, & salva conscientia petere, ac reddere, licet speculativè maneant dubij.

Ratio 1. *p.* Tunc nulli suffragatur possessio, cœpta enim est mala fide. *Ratio* 2. *p.* patet ex illa Regula Juris: *In pari delicto, vel causa potior, seu melior est conditio possidentis*: Sed hic est par causa nullitatis, & valoris Matrimonij, cum non sint fortiora argumenta de vno, ac de altero, & possessio Matrimonij bona fide est cœpta. Ergo. Vide explicationem istius Regulæ *in T. de conscien. E.* 1. *q.* 6. *n.* 17. Et specialiter *q.* 7. *& 8.* vbi ostenditur, quòd solùm teneat in materia justitiæ, qualis est in præsenti.

Resp. 5. Si vnus tantùm coniux sciat nullitatem matrimonij, certum est, quòd saltem non possit petere. 2. *Immò* defacto probabilius est, quòd nec possit petenti nullitatem nescienti reddere, etiam ad vitanda gravia damna, ac pericula infamiæ, incontinentiæ. Huius secundæ partis oppositum olim graves DD. tenuerunt. *Ratio* 1. *p.* Tum quia ex matrimonio nullo, nullum ius petendi consurgit; Tum etiam, quia accedere ad non suam, est peccatum luxuriæ. Ergo.

2. *Pars*, quæ hoc tempore est communior, clarè colligitur ex cap. *Litteras*, *de restit. spol. &c. inquisitioni* 44. *de Sent. Excom.* vbi Summus Pontifex rescribit, quòd mulier conscia nullitatis, & impedimẽti matrimonij, ne quidem ad præceptum Judicis, sub censuris emanatum, possit absque peccato mortali *reddere* debitum. Tales enim censuræ nõ ligant animam, & conscientiam fœminę, quia sunt latæ ex falsa præsumptione (quæ locum non habent in conscientia) cùm Iudex fori externi, qui de occultis non iudicat, præsumpserit fœminam frivolè allegare impedimentum, cuius nullam probationem adferre potest.

Ratio: In nullo casu, & ex nullo metu licet committere peccatum, præsertim mortale, vt adulterium, fornicationem: Sed si in casu posito liceret ad vitanda gravia damna reddere debitum, licitum esset dictum peccatum, immò contra communem Sententiam fornicatio, & adulterium non essent intrinsecè mala, quia possent bono quodam fine honestari. *Ergo.* Ex his ruit fundamentum Adversar. quo tenent, non fore fornicationem, aut adulterium formale, sed solùm materiale, eo quòd tanta necessitas excuset.

* 11 *Oppono*: Quod alter iustè potest petere, hoc possum, immò aliquando teneor ei reddere (licèt iustitia petitionis sit tantùm putativa ex errore, & persuasione hominum causata) immò interdum iniquè petenti: sicut si quis à Parocho petat Eucharistiam sibi dari, quem Parochus privatim scit ea indignum, tenetur publicè petenti dare, vt dictum est in Tract. *de Euchar. Subsumo*: Sed alter coniux, in bona fide existens, iustè potest petere, quod nemo negat. Ergo & alter reddere. *Ad hoc* maior non est vniversaliter vera; nam existens in magna necessitate iustè, seu sine peccato potest ab vsurario, aliter dare nolente, petere mutuum sub vsura, quod tamen vsurarius sine peccato non potest dare. Et ita nec est vera in præsenti. Vel dici potest, *mai.* esse veram, si is, à quo petitur, possit reddere sine peccato, vti in præsenti non posse probatum est.

Quid ergo conflij? quod medium pro tali mulie-

se, vt vitet redditionem debiti, & evadat illa mala? *Dico*: Omissis diversis medijs, quæ hic suggeri solent, optimum est, vel statim clam, si haberi possit, procurare dispensationem in impedimento, vt si sit juris Ecclesiastici: vel omni *possibili* modo se absentare, ac se conferre ad locum, vbi scandalum cesset.

* 12 QUÆRO VII. Qualiter debet constare de morte coniugis, si superstes velit secundo nubere? *Resp.* 1. Vt coniux superstes, sive propria authoritate, sive iudicio Ecclesiæ possit transire ad secundas nuptias, non sufficit probabilitas moralis, ideſt, causa iuditio prudentum probabilis ad credendum, quod obierit, sed requiritur certitudo vel per numtium, vel per testes, ita vt iudicio prudentum non tantum probabile, sed & certum sit, quod obierit. Ita patet in c. *in præsentia*, *de Sponsal.* vbi sic statuitur: *Non possunt tales ad aliorum consortium convolare, nec permittas eas authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium accipiant de morte Virorum.* Quo Juris Canonici Statuto correctum est ius civile, quo statuebatur, quod superstes deberet expectare per quinquennium, posteà restrictum ad quadriennium, & similia, &c.

Ratio: In contrahendo Matrimonio debet evitari omne periculum peccati: Sed nisi in dicto casu adsit dicta certitudo, imminet periculum nullitatis Matrimonij, consequenter, & adulterij. Ergo.

Oppono: Adulterium non est sine dolo, l. *penul.* ff. *de adult.* Sed mulier, quæ nubit cum probabili credulitate de morte viri, non agit ex dolo. Ergo non exponit se periculo adulterij. *Sed neg. imin.* Ex dolo enim illa mulier agit ideò, quia non adhibet diligentiam iure requisitam ad se certificandam de morte viri.

* 13 *Resp.* 2. In casu posito non sufficit vnus testis referens mortem. 2. *Nec* sola fama, nisi alijs adminiculis, certam probationem facientibus, adiuvetur. *Ratio*: Vi allati textus Juris Canonici requiritur *certum nuntium*, vbi ly *nuntium* sumitur in genere neutrò *Subsumo* 1. Sed nuntium, quod habetur voce vnius, non potest dici certum, *quia*, vt Jura inquiunt. *Vox vnius vox nullius.* Et esto, sumeretur masculinè *nuntius certus*, subsistit tamen hæc Ratio: Quia nuntius certus est, qui nuntium certum affert: Sed vnicus solus testis non potest dici per se loquendo afferre nuntium certum. Ergo. *Subsumo* 2. Sed sola fama etiam non facit certum, cum oriatur ab incerto Auctore, & plerumque fallaci, sitque vana vulgi vox, adeòque non probat, nisi oriatur à fide dignis. Ergo.

Dixi, *nisi adiuvetur adminiculis*, quæ varia à varijs assignantur, v. g. longitudo absentiæ, vniversalis fama de morte ibi, vbi commorabatur; distantia loci, ob quam difficulter aliæ probationes haberi possunt; mors, quæ dudum contigit senectus, vel ægritudo illius, de cuius morte agitur; prælium cui interfuit, & non est reversus, fortè per annum expectatus; litteræ eorum, cum quibus militavit, obijsse referentes; captivitas, in quam incidit, &c. *Similiter* fama non probat, nisi plenè sit probata, nimirum ad minus duobus testibus, omni exceptione majoribus, qui deponant se audivisse publicè, non tantum ab vno, sed à maiori parte populi. *Item* debet fama esse orta ex rationabili motivo, quale potest esse 1. Prælium, cui interfuit, & posteà, dilligenter etiam quæsitus, non fuit inventus. 2. Navigatio maris, & suborta tempestas, postquam nec navis comparuit, nec ipse, etiam per loca verisimilia quæsitus. Plura de hoc vide in alijs AA.

* 14 QUÆRO VIII. Teneturne Confessarius admonere eos, quos scit contraxisse invalidum matrimonium? *Resp.* 1. Probabilius est, quòd Confessarius de impedimento dirimente teneatur admonere coniuges, laborantes eos ignorantia vincibili, & moraliter culpabili, sive facti, sive iuris, humani, vel divini. *Ratio*: Quia aliàs Confessarius scienter confert Sacramentum indigno, & non satisfacit suo officio, cùm sedeat in Confessionali, vt Doctor, & vt Vicarius Dei, est enim, vel proprius Pastor, vel gerens vices illius. Ergo. De quo vide *T. 2. n. 37. in E. 3.* Alia Ratio videatur suprà de correctione fraterna, *T. 7. E. 6. q. 14. n. 27.* pro R. 1. & 2. præsertim axiomata ibi adducta.

Resp. 2. Idem est, si illa ignorantia, sive facti, sive iuris, humani, vel divini, sit invincibilis, & sit probabilis spes monitionem profuturam, sine gravi scandalo, & detrimento, v.g. in casu, quo confessarius scit matrimonium esse nullum, & pœnitens facilè potest impetrare dispensationem, quem etiam Confessor credit pro ea impetranda diligentiam adhibiturum, nec est periculum, vt interim vxore (quam scit non esse suam) fruatur. *Ratio est, quæ antè*; Cui addenda, quæ loco de correctione fraterna citato dicta sunt *pro* R. 2.

Resp. 3. Si pœnitens laboret ignorantia invincibili facti, aut iuris humani, divini, aut naturalis, sine præjudicio tertij, ac Boni communis, sive ignorantia adsit post matrimonium iam contractum, sive dum est contrahendum: & ex monitione nulla, etiam in futurum speretur vtilitas (quod rarum videtur, & difficile est iudicare) non tenetur, nec debet confessarius, aut alius admonere de impedimento dirimente, v.g. in casu, quo sequeretur perplexitas, vel scandalum ex separatione, vel difficultas, nimirum si coniux impedimenti conscius velet cum scandalo alterius coniugis, impedimentum ignorantis, recedere: vel si obtenta dispensatione velet quidem in matrimonio persistere, alter autem nolet denuò consentire: vel certè manebunt simul in diuturno concubinatu. Hæc doctrina imprimis patet à pari de correctione fraterna, quam suprà *T. 7. E. 6. n. 20. R. 6.* ex verbis S. Thom. probavimus non obligare, vbi nulla speratur vtilitas.

Ratio: Tum quia Doctor, (vti est Confessarius) non tenetur docere, vbi ex doctrina nulla speratur vtilitas, cùm ordinetur ad vtilitatem eius, qui doceri debet. *Tum etiam*, quia nulla Lex obligat ad actus inutiles, & otiosos. Tum tandem, quia, vt ait Salustius, Frustrà niti, & nihil aliud, quàm laborando odium quærere, extremæ dementiæ est. Et cap. *de viduis* 27. q. 1. *Nulli laqueum debemus injicere*, puta, sine vllo fructu sperato, quod tamen fieret, quia, qui propter bonam fidem, & invincibilem ignorantiam erant in bono statu, eorumque peccatum erat solùm materiale, ponerentur in periculo peccandi formaliter. Hæc sanè argumenta sententiam istam reddunt probabiliorem. Quæ etiam est ad mentem S. Augustini relati, de pœnit. dist. 7. Can. *si quis*: *Si scirem, tibi non prodesse, non te adjuvarem, non te terrerem.*

Dixi in R. 3. *Sine præjudicio tertij, aut Boni communis*: Quia bonum commune præferendum est bono privato, v.g. Si Confessarius sciat esse scandalum, vel publicam infamiam, de nullitate talis matrimo-

trimonij tenetur Confessarius coniuges admonere. Dixi 2. *nec in futurum*: Si enim scandalum pœnitenti ex admonitione imminēs solum sit momentaneū, monendus est; quia proderit in futurum, licet non hic, & nunc.

Oppono 1. contra 3. R. Vtilius scandalum permittitur, quam veritas victa relinquatur, vt dicitur in Jure. Ergo. 2. *Ignorantia* Juris divini nunquā est invincibilis, nisi quando nemo est, qui veritatem docere possit: Sed in eo casu Sacerdos eam potest pœnitentem docere. Ergo. *Ad* 1. *Resp.* Esse verum, si ex manifestatione veritatis speretur aliqua vtilitas saltem in futurum. *Ad* 2. *dist. mai.* Si adsit obligatio inquirendi veritatem, *conc.* secus, *neg. mai.* Non enim tenetur veritatem, aut iuris divini notitiam quærere, qui eius invincibilem habet ignorantiam.

Quid si pœnitens dubiter, vel incipiat dubitare, vel de hoc scrupulum in confessione proponat? *Dico*: Tum tenetur Doctorem quærere, & Confessor id advertens tenetur eum instruere. *Ratio*: Tum quia tunc cōscientia eius iam videtur esse læsa. *Tum* etiam, quia aliàs pœnitens posset Sacerdotis taciturnitatem interpretari in suum favorem, esseteque eius taciturnitas approbatio erroris. *Ex quo*, vti & ex *Resp.* ad 1. Oppon. colligitur intelligentia illorum duorum axiomatum suprà de Correct. fratern. adductorum, *Potest alios ab errore revocare, & tacens, seipsum errare demonstrat*: *Error cui minimè resistitur, approbatur.*

Quid sit ignorantia iuris, & facti, vincibilis, invincibilis Vidè suprà *T.* 3. *D.* 1. *n.* 33. An possit dari ignorantia Juris naturalis, & divini. Vide *Tract.* 6. *Exam.* 2. *num.* 17.

EXAMEN VI.

De impedimentis Matrimonij in speciali.

De quibus agit S. Doct. à Quæst. 51. *vsque ad* 61. *inclusivè.*

* 1 QUÆRO I. Quid sentis de impedimento *erroris, & servitutis*? *De quibus S. D. agit q.* 51. & 52. Error personæ antecedens dirimit Matrimonium, non solo Jure positivo, sed & naturali, etiam apud Infideles. *Ratio S. Thom. q.* 51. *a.* 1. Quidquid impedit causam de sui natura, impedit similiter effectum: Sed error personę antecedens impedit, ac tollit causam Matrimonij. Ergo & Matrimonium. *Prob. min.* Causa Matrimonij est consensus: Sed error impedit, ac tollit consensum. Ergo *Prob. min.* Consensus in Matrimonium debet esse voluntarius: Sed error tollit voluntarium, quia tollit cognitionem, nihil autem volitum quin præcognitum. Ergo.

Ex quo Sequitur, quod licet Matrimonium Jacob cum Lia loco Rachelis substituta à principio fuerit nullum, fuerit tamen postea validitatum, & perfectum, non quidem ex ipso concubitu, qui ex errore contingit, sed, vt ait S. Doct. *cit. a.* 1. *ad* 4. ex consensu, qui postmodum accessit, tamen vterque à peccato excusatur ratione erroris invincibilis, & quia affectu maritali coierunt.

Dixi 1. in R. *error personæ*, putà, in individuo à Sponso electæ, & determinatæ, v.g. primogenitæ, seu huius Annę, qui si alia substituatur, matrimonium est nullum. Est autem alius error circa qualitatem, & conditionem, vti sunt divitiæ, nobilitas, pulchritudo, &c. quæ non sunt de substantia matrimonij. Et hic error (excepta conditione servitutis, de qua posteà) si præcisè sit circa qualitatē, non annullat matrimonium. Nam S. Doct. a. 2. in corp. ait: *Oportet, quod error, qui matrimonium impedit, sit alicuius eorum, quæ sunt de essentia matrimonij*, vti est persona, non qualitas. Potest tamen contingere, quod hic error redundet in personam, vel quod hæc qualitas iuxta intentionem contrahentis, eam per se (& non aliter cum persona intendentis, transeat in conditionem personæ: & tunc æquè annulat. Idem est, si contrahens illam qualitatem mente, vel verbo sibi reservaverit velut conditionem *sine qua non*, v.g. Contraho tecum, si es *virgo*, si es *primogenita*, &c. vt patet ex dictis supra de consensu conditionato, si enim hæc conditio non verificetur, Matrimonium est nullum.

Dixi 2. *error antecedens*, ideſt, qui dat causam contractui, vt sine illo non fieret. Est autem alius error *concomitans*, quando nimirum errans est in tali dispositione animi, vt æquè libenter, vel libentiùs contraheret cum tali, si sciret, seu si non erraret circa hanc personam. Et hic error etiam invalidat matrimonium. *Ratio*: Quia ad eius valorem requiritur, quòd sit positivè voluntarium, adeòque, vt contrahens defacto consentiat in hanc, nec sufficit, quòd consentiret, debet enim esse consensus de præsenti, *Duco te*, *Accipio te* in meam, sive *Annam* sit, sive *non*. Dixi 3. *etiam apud infideles*; nam & hos obligat ius naturæ.

* 2 *Resp.* 2. Conditio servitutis ignorata dirimit matrimonium, non quidem iure naturæ, sed positivo humano. Ita S. D. *q.* 52. *art.* 1. *in c.* & *ad* 3. *Ratio*: Tum quia stando in iure naturæ tales personæ ad contrehendum sunt habiles. *Tum etiam*, quia servitus non est absolutè contra essentialia matrimonij. Sed, vt ait S. D. a. 1. ad 1. *contrariatur matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest liberè exequi*, dum nimirum occupatur servitijs Domini sui, & *quantum ad bonum Prolis, quæ prioris conditionis efficitur ex servitute Parentis.* Ergo dirimit iure positivo. De quo S. D. a. 1. *ad* 3. *docet*: Jus naturale dictat, quòd pœna sit pro culpa infligenda, & quòd nullus sine culpa puniri debeat, sed determinare pœnam secundùm conditionem personæ, & culpæ, est iuris positivi, & ideò servitus, quæ est quædam pœna (habere enim virum servum est pœna vxoris, & è converso) si sit ignorata, eodem iure positivo impedit matrimonium. Dixi, *ignorata*, nimirum à contrahente libero; qui si eius notitiam habeat, non dirimit, quia scienti, & volenti non fit injuria, sicut nec dirimit, si vterque coniux sit servus; quod vtrumque explicatur à S. Thom. *ibid. in c.*

Resp. 3. Servus absque consensu Domini valide contrahit Matrimonium. *Ita S. D. a.* 2. *Ratio ibid.* Ius positivum non præiudicat Iuri naturali, & divino: Servitus est de iure positivo, Matrimonium verò de iure naturali, & divino. Ergo. *Hinc S. D. ibid. ad* 1. *ait*: Servus est res Domini quantum ad ea, quæ naturalibus superadduntur, sed quantum ad naturalia omnes sunt pares.

* 3 *Sequuntur* Proles conditionem Patris, vel Matris? *Dico* cum S. Thom. 2. 4. Secundum Leges civiles *partus sequitur ventrem*, id est, si mater sit serva, filij sunt servi, licet Pater sit liber, & è con-

contra, si Pater sit servus, Mater verò libera, filij sunt liberi. *Ratio S. D.* 1. *Si quis* seminat in terra aliena, fructus sunt eius, cuius est terra: Sed venter Mulieris respectu seminis Viri est sicut terra respectu seminis. Ergo. 2. *Etiam* in naturalibus videmus, quod receptum est *in* recipiente ad modum recipientis, & non per modum datis. Ergo & semen Viri recipitur in muliere iuxta conditionem eius. 3. *Servitus* est quædam conditio corporalis, cum servus sit instrumentum Domini in operando: Sed proles substantiam corporis habet à Matre, à Patre autem complementum formale. Ergo in libertate, & servitute sequitur matrem. Dixi, *in libertate, & servitute*; quia, vt ait S. D. in his, quæ pertinent ad dignitatem, secundum quod est ex forma rei, sequitur Patrem, sicut in honoribus, municipijs, & hæreditate, & alijs huiusmodi. In quibusdam tamen terris, quæ iure civili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem, vt si Pater sit servus, quamvis Mater sit libera, filij erunt servi.

Oppones potest. Denominatio fit à digniori: Sed in generatione Prolis Pater est dignior Matre: Ergo Proles sequitur conditionem Patris. Sed solvitur ex mox dictis.

IMPEDIMENTUM VOTI.

De quo S. D. Q. 53.

* 4. QUÆRO II. Quid de eo resolvis ad propositũ? *Resp.* 1. Per hoc impedimentum intelligo votum solemne castitatis, emissum iuxta formam à *Concil. Trident.* præscriptam, elapso integro Probationis anno, & post completum decimum sextum ætatis annum, in Religione approbata.

Resp. 2. Hoc votum iure naturæ dirimit Matrimonium posteà contractum in probabiliori sententia Angelici Doctoris, *hic q. 52. a. 2. in 2. dicentis*: Alij dicunt, quod hoc sit propter Statutum Ecclesiæ, sed hoc non sufficit, quia secundum hoc Ecclesia posset etiam contrarium statuere: quod non videretur verum. Et ideò dicendum est cum alijs, quod votum solemne ex sui natura habet, quod dirimat Matrimonium contractum, inquantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens. Et ideò non potest illud tradere in potestatem vxoris Matrimonium contrahendo. *Hæc ibi.*

Ratio duplex patet ex his verbis S. Thom. *Prima est*: Si votum solemne castitatis religiosæ Matrimonium subsequens dirimeret ex solo Statuto Ecclesiæ, posset Ecclesia (scilicet hoc Statutum tollere, vt tollere posset) facere, vt Religiosus manens Religiosus contrahat validum Matrimonium, & sit vxoratus: Sed hoc est expresse *contra* decretum Innocentij III. *c. cum ad monasterium* quod habes supra *T. 10. E. 3. n. 48.* vbi ostensum est, quòd Ecclesia, seu Papa non possit dispensare in voto Religiosi professi, vt vxorem ducat: Ergo. Dixi in *min. Matrimonium subsequens*; quod enim matrimonium precedens per votum solemne subsequens non dissolvatur iure naturæ, nec Ecclesiastico, sed divino, seu ex privilegio Christi, probatum est supra.

Secunda Ratio est: Ius naturæ dictat, quod quis sum alteri totaliter, & absolutè donavit, à quo donatio est acceptata, non possit eam donare alteri, præsertim in vsum oppositum, & incompossibilem: Sed homo per votum solemne castitatis potestatem sui corporis sibi totaliter abdicavit, illudque absolutè ad perpetuam continentiam donavit, ac tradidit Deo, à quo donatio per Prælatum est acceptata. Ergo ius naturæ dictat, quod illud non possit donare alteri in vsum oppositum. *Sed* vsus matrimonij absolutè est incompossibilis cum castitate religiosa, vti est luce clarius: In quo differt à traditione in servum, seu mancipium, servitus enim, & coniugium simpliciter se non excludunt, vt patet ex dictis antea. Ergo. *Confirm.* Ob rationem in *mai.* adductam nullum est matrimonium contractũ cum altera, vivente prima vxore. *Quid sit* votum? quid simplex? quid solemne, sive monachale, sive clericale, vide *T. 10. E. 3.*

* 5. *Oppono* 1. *contra* 2. R Matrimonium potest ex natura rei stare cum voto solemni Professionis, vti si post consummationem maritus, vel vxor, aut ambo ingrediantur, & profiteantur Religionem. Ergo non dirimitur per illud iure naturæ. 2. *Matrimonium* dirimitur per votum castitatis, inquantum est solemne: Sed, vt loquitur Bonifacius VIII. de voto, & voti redemptione in 6. *Solemnitas Voti ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa* Ergo *Confirm.* Acceptatio traditionis factæ per votum solemne spectat ad essentiam eius, cùm sit distinctivum illius à voto simplici: Sed hæc acceptatio fit ab Ecclesia. Ergo solemnitas voti etiam essentialis est ab Ecclesia.

3. *Vota Jesuitarum simplicia* faciunt æquè veros Religiosos, ac vota aliorum Religiosorum, vt patet ex Bulla Gregor. XIII. *Ascendente Domino*. Sed illa matrimonium subsequens dirimunt tantum ex Statuto Ecclesiæ, vt dictum *E. 5. q. 2. n. 54.* Ergo & alia. 4. *Votum* solemne, & simplex castitatis sunt eiusdem speciei, cùm vtrumque sit promissio Deo facta, & actus virtutis Religionis, quæ est virtus vna specie infima: Sed simplex non dirimit matrimonium iure naturæ: Ergo nec solemne. 5. *Quomodo* alias Summi Pontifices potuissent dispensare, vti dispensarunt cum quibusdam Monachis, & Monachabus, vt nuberent? Item non ita iure naturæ dirimit votum solemne clericale, cur ergo monachale?

Ad 1. *R. dist. ant.* Matrimonium antecedens stat cum voto subsequente, *conc.* Matrimonium subsequens cum voto præcedente, *neg.* Votum ergo solemne stat cum Matrimonio non opposito, vti non opponitur, si præcedat, quia vel vnus coniux ex culpa potest privari iure vtendi corpore alterius, vel sponte potest vnus, aut ambo illi cedere: & tunc potest fieri translatio dominij corporis ad perpetuã continentiam.

Ad 2. *dist. mai.* inquantum est solemne solemnitate essentiali, *conc.* accidentali, de qua loquitur Bonifacius, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Solutio patet supra *T. 10. E. 3. Q. 9. n. 48. in Not. Ad Confirm. dist. mai.* Acceptatio formaliter prout fit à Deo status Religiosi Auctore, cuius Ecclesia vices gerit, *conc. mai.* formaliter, vt est à sola Ecclesia, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. conf.* Deus ergo votum solemne acceptat per Ecclesiam, vt suam Vicariam, & hæc acceptat illud nomine Dei.

Contra R. ad 1. instari potest: Ex eo, quod solemnitas, de qua Bonifacius loquitur, sit inventa ex sola Constitutione Ecclesiæ, infert, solum dari duplex votum solemne, Matrimonium dirimens, scilicet monachale, & clericale: sed ex eo, quod voto solemni solum est accidentale, non potest Papa definire, quodnam votum accidentale sit solemne ad dirimendum Matrimonium. Ergo. *Dist. mai.* In-

fit ex eo, præcisè vt ex signo, *conc.* tanquam in quo substantiam voti consistat, *neg. mai.* Et sic *dist. min. neg. cons.* Sensus ergo, vt Gonet loquitur, Pontificiæ definitionis est hic: Nos igitur attendentes, quod signa extrinseca declarativa voti solēnis sunt ex Constitutione Ecclesiæ, cumque ex tali Constitutione signa illa in duobus solum votis reperiantur, scilicet in eo quòd Ordines sacri habent annexum, & in illo, quod emittitur in Professione Religionis: Statuimus, illa duo vota dumtaxat esse solemnia, & dirimire Matrimonium subsecutum.

Ad 3. patet R. in *T.* 10. *E.* 3. *Q.* 9. *n.* 50. *ad* 1. *Oppos. Ad.* 4. *dist. mai.* Sunt eiusdem speciei in quantum precisè vota sunt, & actus Virtutis Religionis, *conc. mai.* Vt vnum formaliter solemne est, quod habet ex actibus importatis, nimirum ex totali, & absoluta traditione, & acceptatione, *neg. mai.* Et concessa *mai. dist.* similiter *cons.* Quod ergo votum solemne dirimat Matrimonium, non habet ex specie virtutis Religionis, sed ex specie solemnitatis prædictæ essentialis. *Vbi Nota*, quod in voto solemni fit promissio, & traditio; sed diversimodè promittuntur actus ad voti observantiam necessarij, & traditur persona vovens. *Ad* 5. Vide *T.* 10 *E.* 3. *Q.* 9. *n.* 48. *Ad* 2. *p.* statim patebit Responsio ex dicendis ad *Q.* 3. *pro R.* 1.

Quid si quis solemniter professeretur in Religione quam falsò putat esse approbatam, vel, si approbata sit, Superior tamen Professionem recipiens non est legitimus? *Vel* si Ecclesia statueret vota in tali Religione, v. g. Prædicatoria, aut Franciscana, non debere amplius esse solemnia? *Dico*: In his casibus non fieret votum solemne, non defectu alicuius substantialis requisiti, sed defectu conditionis *sine qua non*. *Ratio*: Sicut Ecclesia ad valorem Matrimonij tanquam conditionem *sine qua non* statuit præsentiam Parochi, ita ad valorem Professionis vt conditiones *sine quibus non*, statuere, potuit quod Religio debeat esse approbata, Superior legitimus, vovens ætatis, &c.

Quid si in voto simplici quis haberet animum æquè se Deo tradendi, ac in solemni? *Dico*: Æquè se traderet affectivè non effectivè. Deus ergo in voto simplici acceptat promissionem, & hæc sola effectivè in eo datur. *Ratio*; Quod præcisè promittitur, non traditur, nec eius dominium transfertur: sed votum simplex ex sua specie solum est promissio. Ergo.

Nec obstat dicere: Juxta Thomistas eadem est bonitas, vel malitia essentialis affectu, & in executione, seu in actu externo. Non, inquam, obstat: hoc enim intelligitur de ratione meriti, ac demeriti. De quo vide suprà *T.* 3. *n.* 15. & 24. Videatur etiam *S. Thom. hic q.* 53. *a.* 1. vbi explicat quomodo votum simplex sit fortius vinculum quàm Matrimonium, & tamen illud non solvat. Et *a.* 2. *ad* 1. vbi declarat, quod & quomodo votum simplex, quantum ad eum, cui fit, æquè obliget, ac solemne: non tamen quoad modum obligandi. Quod idem ibid. *ad* 2. exponit de iuramento.

IMPEDIMENTUM ORDINIS. DE QUO S. D. eadem Quæst. 53. a. 3. & 4.

* 7 QUÆRO III. Quid de illo? *Resp.* 1. Per hoc impedimentum intelligo Ordinem sacrum, id est, *Subdiaconatum*, *Diaconatum*, *Presbyteratum*, qui impediunt Matrimonium, aliter tamen apud Græcos, aliter apud Latinos. Et quidem iure tantum Ecclesiastico. *Ita S. Thom. hic q.* 53. *a.* 3. *in c. dicens*: Ordo sacer de sui ratione habet ex quadā cōgruentia, quod Matrimonium impedire debeat, quia in sacris Ordinibus constituti sacra vasa, & Sacramenta tractant: & ideò decens est, vt mundiam corporalem per continentiam servent. Sed, quod impediat Matrimonium, ex constitutione Ecclesiæ habent, tamen aliter apud Latinos, quam apud Græcos, quia apud Græcos impedit Matrimonium cōtrahendum, solum ex vi Ordinis, sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & vlterius ex voto continentiæ, quod est Ordinibus sacris annexum; quod etsi quis verbotenus non emittat, ex hoc ipso tamen quod Ordinem suscipit, secundum ritum occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse. Et ideo apud Græcos, & alios Orientales sacer Ordo impedit Matrimonium contrahendum, non tamen Matrimonij prius contracti, vsum: possunt enim Matrimonio prius contracto vti, quamvis non possint Matrimonium denuò contrahere: sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit Matrimonium, & Matrimonij vsum, nisi fortè ignorante, aut contradicente Vxore, Vir Ordinem sacrum susceperit: quia ex hoc non potest ei aliquod præiudicium generari. *Hæc ibi.*

Idem *S. D.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. docet, quod ad differentiam voti solemnis monachalis debitum cōtinentiæ non sit essentialiter annexum Ordini sacro sed ex Statuto Ecclesiæ, & ideò Papa in eo dispensare possit: non autem in monachali.

Ex his colligitur, quòd sacer Ordo semper quidem matrimonium impediverit, non tamen semper irritaverit, nisi apud Latinos. Hinc & illi, qui ante alicuius sacri Ordinis susceptionem apud Græcos erant vxorati, non poterant post ordinationem matrimonio vti, vt patet ex multis Canonibus à Sylvio adductis, à quorum tamen observantia posteriores Græci defecerunt, vtpotè qui clericis ante vxoratis non tantùm vsum coniugij ante contracti permittunt, sed etiam mandat, vt ducant vxores ante sacrorum Ordinum susceptionē; quod illi sine schismatis specie non fecerunt, defacto tamen in eo non peccant, cùm Romani Pontifices ad vitandum maius malum id tolerent.

* 8 *Resp.* 2. cum *S. D. a.* 4. *in c.* Matrimonium non impedit sacri Ordinis susceptionem, quia si matrimonio iunctus, ad sacros Ordines accedat, etiam reclamante vxore, nihilominus characterem Ordinis suscipit, sed executione Ordinis caret; Si autem volente vxore, vel ipsa defuncta, recipit Ordinem, & executionem. *Ratio* ibid. in Sed contra. Religiosi tenentur ad continentiam, sicut illi, qui sunt in sacris Ordinibus: Sed post matrimonium potest aliquis Religionem intrare, defuncta, vel consentiente vxore. Ergo & Ordinem suscipere.

In R. *ad* 2. *ait S. D.* Si vxor sciat, & de eius consensu vir Ordinem sacrum susceperit, tenetur perpetuam continentiam vovere, non tamen tenetur Religionē intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quòd vir eius solemne votum emisit. Secus autem esset, si emisisset votum simplex. Si autem sine eius consensu susceperit, nō tenetur: quia ex hoc nullum ei præiudicium generatur. *Et ad* 3. Sicut probabilius videtur (quamvis quidam contrarium dixerint) etiam Græci non debent accedere ad sacros Ordines sine consensu vxorum; quia ad minùs tempore ministerij sui fraudarentur debiti redditione, quo fraudari nec possunt

secundùm Ordinem Juris, si eis contradicentibus, aut ignorantibus viri Ordines susceperint. Vide R. ad 4. specialiter de mulieribus Græcis in tali casu. Plura de hac materia dicta suprà de Cœlibatu Clesibani Clericorum *T. 15. E. 8. q. 15. n. 31.* vbi etiam adducta sunt verba Concil. Trid. ex quibus patet, de fide esse, quòd Religiosi solemniter Professi, & Clerici in sacris constituti non possint validè contrahere matrimonium. *Item* ibidem patet, quo Jure Cœlibatus sacris Ordinibus sit annexus.

IMPEDIMENTUM CONSANGUINITATIS.

De quo S. D q. 54. per 4. art.

* 9 QUÆRO IV. Quid de eo sentis? *Resp.* 1. Consanguinitas, dicta sanguinis vnitas, benè definitur à S. Thom. a. 1. quòd sit *vinculum* personarum *ab eodem Stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* Explicatur definitio: Dixi 1. *Vinculum*, ideſt, colligatio, seu coniunctio eorum, qui ab eodem sanguine oriuntur, dicti indè Consanguinei; ob quòd, maiori amoris nexu constringuntur. Dixi 2. *ab eodem stipite*, stipes autem vocatur illa persona, à qua reliquę oriuntur, nimirum nepotes, pronepotes, abnepotes, &c. *Hinc* cùm vir, & vxor sint vna caro, constituunt vnum stipitem. Intelligitur autem stipes proximus, non remotus, qui respectu omnium est Adam, & Eva, quia aliàs omnes homines essent consanguinei. Elegantem huius explicationem vide in S. Thom. a. 1. ad 1. Dixi 3. *Carnali propagatione contractum*; quia per eam solam, communicatio sanguinis consanguinitatem parit.

* 10 *Resp.* 2. ex S. Thom. *art.* 2. Consanguinitas in diversas partitur lineas, nimirum in rectam, & transversalem: recta subdividitur in lineam descendentium, & ascendentium; transversalis, seu collateralis est eorum, quorum vnus quidem non genuit alterum, sunt tamen geniti ab eodem. Linea dividitur in gradus. Est autem linea nihil aliud, quam ordinata collectio personarum consanguinitate iunctarum, seu in eodem sanguine communicantium. In qua, si est ascendentium, progredimur à genitis ad progenitores, quærendo eorum stipitē, vt à filio ad Patrem, Avum, Proavum, &c. & est principiati ad principium. Si est descendentium, progredimur à progenitoribus ad genitos, & est principij ad principiatum, vt Patris ad filium, nepotem, pronepotem. In linea transversa ponuntur, frater, & soror, duo fratres, duæ sorores. Patrueles, & Consobrini, & horum filij, ac nepotes. Hæc linea etiam est duplex, nimirum æqualis & inæqualis, prima est, in qua collocatę personæ æqualiter distant à stipite, vt patet in exemplis mox datis: altera, quando inæqualiter distant, vt Patruus, & filius fratris. In quavis linea diversi inveniuntur gradus. Est autem gradus nihil aliud, quàm distantia vnius personæ ab alia in eadem Linea. Hęc omnia pulchrè explicat S. D. *in eodem art.* 2.

* 11 *Resp.* 3. Tres sunt Regulę pro cognoscenda consanguinitate, communiter receptæ à Theologis ex eodem *art.* 2. *Prima est* pro linea recta, tàm descendentium, quàm ascendentium, nimirum, *Tot sunt gradus in linea descendente, vel ascendente, quot sunt personæ vna demptâ*, nimirum persona stipitis. Quia Pater (qui vnà cum Matre est stipes) secundùm se non constituit gradum, sed simul cum persona descendente, vt filius cum Patre. Vna ergo persona per se gradum non constituit, sed comparata ad alteram. Hinc ait S. D. *Persona quæ primò in progressione propagationis occurrit, vel ascendendo, vel descendendo, distat ab aliqua in primo gradu, vt Pater, & filius: quæ autē secundò virumque occurrit, distat in secundo gradu, vt avus, & nepos, & sic deinceps.*

Secunda Regula est pro linea transversali, æquali, nimirum, *In linea transversali æquali, quot gradibus personæ distant à communi stipite, totidem gradibus distant inter se.* Duo ergo fratres, vel duæ sorores distant inter se vnò gradu in linea transversa, quia à communi stipite, scilicèt Patre, & Matre, distant vno gradu in linea recta, vt exemplificat S. Doct. Patrueles verò, & consobrini sunt in secundò gradu lineæ transversæ, quia à communi eorum stipite, scilicèt avo, & avia, distant duobus gradibus in linea recta, & sic de cæteris.

Tertia Regula est pro linea transversali inæquali, nimirum in illa, *Quot gradibus Persona remotior à communi stipite distat, totidem gradibus ipsa Persona distant inter se*, vel, vt ait S. Thom. in fine corp. *Secundùm remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari.* Sicut *filius vnius duorum fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantùm distant à communi radice.* Filius Pauli, & nepos eiusdē sunt etiam in secundo gradu ob eandem rationem. Hæ Regulæ sunt conformes Juri Canonico, quibus proindè standum est, licèt Jus civile propter successionem in hæreditatibus, gradus in linea transversa duplicet, ponendo duos, vbi Canonistæ ponunt vnum; octo, vbi ponunt quatuor.

Quid ergo, si quis à communi stipite in quinto gradu distans vellet contrahere cum aliqua, quę ab eodem stipite distat quarto, tertio, secundo, immò solum primò gradu, valetne Matrimonium? *Affirm.* Id enim clarè sequitur ex Regula tertia.

Resp. 4. Antiquitus quidem nemini licebat contrahere, immò in validè contrahebatur intra septimum consanguinitatis gradum: attamen postea Innocentius III. in *Concil. Lateran.* restrinxit vsque ad quartum gradum inclusivè, tam consanguinitatis quàm affinitatis: ita vt inter hos gradus nec validè, nec licitè contrahatur.

* 12 QUÆRO V. Quo iure consanguinitas dirimit Matrimonium, ita vt possit, vel non possit in ea dispensari? *Resp.* 1. *ex S. Thom. hic a.* 3. *in fine corp. dicente*: Consanguinitas quantum ad aliquas personas impedit Matrimonium de iure naturali; quantum ad aliquas, de iure divino; & quantum ad aliquas, de iure per homines statuto.

Declarat hæc ibid. dicens: In Matrimonio aliquid contra legem naturæ esse dicitur, per quod Matrimonium redditur incompetens respectu finis, ad quem est ordinatum; finis autem Matrimonij per se, & primò est bonum prolis, quod quidem per aliquam consanguinitatem, scilicet inter Patrem, & filiam, vel filium, & matrem impeditur; non quidem vt totaliter tollatur, quia filia ex semine Patris potest prolem suscipere, & simul cum Patre nutrire, & instituere, in quibus bonum prolis consistit; sed vt non conveniēti modo fiat. Inordinatum enim est, quod filia Patri per Matrimonium fungatur in officium, causa generandæ prolis, & educandæ quam oportet per omnia Patri esse subiectam, velut ex eo procedentem: & ideò de lege naturali est, vt Pater, & Mater à Matrimonio repellantur, & magis etiam mater, quam pater; quia magis reverentiæ, quæ debetur parentibus, derogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducat in vxorem, cum vxor viro aliqualiter debeat esse subiecta. Sed suffi-

condatius Matrimonij per se est concupiscentiæ refrenatio, qui aliàs depereret, si quælibet consanguinea posset in Matrimonium duci, quia magnus concupiscentiæ aditus præberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta: & ideò Lex divina non solum Patrem, & Matrem excludit à matrimonio, sed etiam alias coniunctas personas, quas oportet simul conversari, & quæ debent invicem alteræ alterius pudicitiam custodire, & hanc causam assignat divina Lex dicens: Ne reveles turpitudinem talis, vel talis, quia turpitudo tua est. Sed per accidens finis matrimonij est confœderatio hominũ, & amicitiæ multiplicatio, dum homo ad consanguineos vxoris, sicut ad suos se habet: & ideò huic multiplicationi amicitiæ præiudicium fieret, si aliquis sanguine coniunctam vxorem duceret, quia per hoc nova amicitia nulla cresceret. Et ideò secundùm Leges humanas, & Statuta Ecclesiæ plures consanguinitatis gradus sunt à matrimonio separati. *Hæc ibi.*

Ex quibus patet, iuxta S. Thom. Matrimonium à consanguineis in primo gradu lineæ rectæ contractum, v.g. inter Patrem, & filiam, filium, & matrem esse iure naturæ nullum, nec in eo posse dispensari. Quod magis patebit ex verbis S. Thom. adducendis *ex 2. 2. pro R. 2.*

* 13 *Oppono*: Nulla mulier potest esse propinquior viro, quàm Eva Adamo, vtpote Os ex ossibus eius *Gen. 2.* & tamen Lex naturæ non prohibuit eam accipere in vxorem. Ergo. *Ad hoc* S. Thom. *hic a. 3. ad 1. ait*: Eva quamvis ex Adam prodijt, non tamen fuit filia Adæ, quia non prodijt ex eo per modum illum, quo vir natus est generare sibi simile in specie, sed operatione divina, qua ita potuisset ex costa Adæ fieri vnus equus, sicut facta est Eva. Et ideò non est tanta naturalis conuenientia Evæ ad Adam, sicut filiæ ad Patrem, nec Adam est naturale principium Evæ, sicut Pater filiæ. *Hæc ibi.*

* 14 *Resp. 2.* Probabilius est, quod attento solo iure naturæ, seu nisi obstaret alia Lex positiva divina, validum esset matrimonium in secundo, vel tertio gradu consanguinitatis lineæ rectæ, v.g. inter avum, & nepotem, Ita colligitur ex S. Thom. *2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. dicente*: In commixtione personarum coniunctarum aliquid est, quod est secundùm se *indecens*, & repugnans naturali Rationi, sicut quòd commixtio fiat inter Parentes, & filios, quorum est per se, & immediata cognatio. Nam filij naturaliter honorem debent Parentibus; vnde Philos. dicit in 9. de animal. quòd quidam equus, quia deceptus fuit, vt matri commisceretur, seipsum præcipitavit, quasi præ horrore, eo quod etiã animalibus aliquibus ineſt naturalis reverentia ad Parentes. Aliæ verò personæ, quæ non coniunguntur secundùm seipsos, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decentia, vel indecentia secundùm consuetudinem, & legem humanam, vel divinam: quia vsus venereorum, qui ordinatur ab bonum commune, subiacet Legi. Et ideò sicut Augustinus dicit, commistio sororum, & fratrum, quanto fuit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior Religione prohibente. Hæc S. Thom.

Ratio: Causa præcipua, propter quam natura annullat matrimonia in primo gradu, est naturalis reverentia à filijs debita Parentibus fundata in origine; Sed hæc ratio cessat in secundo gradu, v.g. in nepte respectu avi, quia principium filij, vel filiæ per se, & omnino necessarium est solus Pater, quod autem hic sit genitus ab alio, est per accidens, vt patet in Cain, & Abel, qui erant verè filij, & tamen non habebant Avum. Ergo.

Ex quo sequitur, quòd dictum matrimonium sit irritũ Jure divino positivo expresso *Lev. 18.* vt constat ex verbis S. T. adductis *pro R. 1.* vbi etiam Ratio data est, vti ex eiusdem verbis adductis *ex 2. 2. pro hac* R. 2. Porrò, quòd præcepta circa matrimonium in Levitico expressa, licet sint iudicialia, non tamen omnia sint abrogata cum Veteri Lege, constat ex eo, quod ipsum Concil. Trid. ad ea se remittat sess. 24. Can. 3. decernens: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant, anathema sit.* Ratio, cur aliqua non sint taliter abrogata, esse potest, quia includunt aliquid morale; est enim saltem naturalis indecentia (vt ex S. Thom. patet) in talibus gradibus contrahere Matrimonium, quod ea de causa saltem iure naturæ est prohibitum, vt illicitum. Hinc nec Papa in eo dispensare potest.

* 15 *Resp. 3.* Probabilius est, quòd Matrimonium inter consanguineos primi gradus lineæ transversæ, v. g. inter fratrem, & sororem contractum, sit iure naturæ nullum; excepto casu necessitatis. Ita *S. D.* clare videtur docere in verbis ex *2. 2. pro R. 2.* ex S. Augustino relatis. Vbi hic S. Pater per Religionem non intelligit Legem Religionis, seu Ecclesiæ, vt putant Adversarij, sed naturalem Rationem, vt patet ex verbis, quæ S. Augst. subdit: *Fieri ergo debuit, quando potuit, vt existente copia inde ducerentur vxores, quæ non erant iam sorores, & non solum, istud vt fieret, nulla necessitas esset, verum etiam si fieret, nefas esset, cum talem licentiam ita exhorreat, & aversetur humana consuetudo, quasi numquam licere potuerit.*

Ratio: Tum quia ob sanguinis coniunctionem inter fratres, & sorores est naturalis pudor, ac reverentia, qui actus coniugalis, alterius turpitudinem revelans, valde adversatur. *Tum etiam*, quia cum ab incunabulis cohabitent, & aliunde naturaliter se valde diligant, nisi coniugium inter eos ex natura esset irritum, daretur eis magna occasio inflamandæ concupiscentiæ, adeoque & incestuosi concubitus. *Tum tandem*, quia nec Ecclesia legit un vnquam in hoc gradu dispensasse, etsi enim Comes Armoniacus ex dispensatione sororem duxerit in vxorem, est tamen dispensatio conficta, nec eam vnquam impetrare potuit, & Protonotarius, qui eas literas falsò subscripsit, extremo supplicio fuit affectus, teste Æquilio. Similiter falsum est, quod refertur de Martino V. hic enim solum dispensavit in primo gradu affinitatis.

Dixi in R. 1. *Dempto casu necessitatis*, qualis erat in primordio mundi, ob quam Deus tunc dispensavit. Si verò de facto aliquæ gentes barbaræ vt licita admittant Matrimonia fratrum cum sororibus, in hoc crassè errant contra ius naturæ, sicut & errant in poligamia, & vxorem communitate, ac pluribus aliis.

* 16 *Resp. 4.* In secundo, & vltra ibus gradibus consanguinitatis lineæ transverse Matrimonium non est irritum iure naturæ, sed tantum Ecclesiasti-

co,

go, cap. *non debet, de consang.* Unde in cap. *gaudemus, de divort.* Innoc. III. decernit, quod in alijs gradibus vltra primum, Infideles Matrimonio iuncti, ad Fidem conversi, non sint separandi. Ergo, *Prob. conseq.* Quia infideles, licèt, non teneantur Legibus Ecclesiæ, benè tamen iure naturæ. Ex quo sequitur, quòd Papa possit dispensare cum aliquo, vt ducat filiam sororis suæ, sicut ex gravi causa solet dispensare cum Regibus, aliisque Magnatibus. Vide Conc. Trid. *sess. 24. cap. 5. de reform. matrim.*

Quid censes de fratribus, ac sororibus ex altero tantùm parente, quos medios, seu semi-fratres vocant? *Dico* cum communi sententia, Est de ijs eadem, quoad præsens, Ratio, quæ de fratribus germanis. Sunt enim verè fratres, & sorores, licèt aliquo modo à vinculo fraternitatis recedant. Hinc & de illis intelligitur R. 3.

IMPEDIMENTUM AFFINITATIS.

De quo S. D. q. 55. per 11. art.

* 17 QUÆRO VI. Quæ tua de hoc impedimento sententia? *Resp.* 1. Affinitas ex S. Thom. *art.* 1. & 3. benè definitur, quòd sit *coniunctio, seu propinquitas personarum* proveniens ex copula carnali, licita, vel illicita, cum commixtione seminum, vel ex potestate ad illam.

Explicatur definitio. Dixi 1. *Propinquitas*, quia per affinitatem duæ familiæ, sanguine distantes, sibi appropinquant, seu coniunguntur. Dixi 2. *Proveniens ex copula carnali*, quia affinitas completa, & perfecta pro causa requirit matrimonij consummationem. Dixi 3. *Licita, vel illicita.* Si provenit ex copula licita, dirimit defacto matrimonium vsque ad quartum gradum inclusivè, olim vsque ad septimum. Si ex illicita, nimirum extra matrimonium, seu fornicaria, dirimit vsque ad secundum gradum inclusivè, vt patet ex Trid. *sess. 24. cap. 2. de reform.* olim, vsq; ad quartũ. Dixi 4. *Cum commixtione seminis*, quia ad contrahendam affinitatem perfectã, & consummatam requiritur copula perfecta, seu generationi apta, quæ fit cum effusione, & receptione seminis virilis intra vas naturale mulieris, quomodocumque introponatur, sive per attractionem, sive per industriam etiam diabolicam: quia tunc sufficit ad generationem, fiuntque vir, & mulier vna caro: Hinc ex congressu spadonum, saltem vtroque testiculo carentium, & ob id semen generationi aptum non emittentium, non contrahitur affinitas, benè tamen ex commixtione cum fœmina invita, insana, dormiente, ebria, quia cum ea potest fieri actus generationi aptus. Dixi 5. *Vel ex potestate ad illam*, puta, ad copulam licitam, quæ potestas haberur ex matrimonio rato, non consummato, ex quo etiam oritur affinitas dirimens matrimonium vsque ad quartum gradum, cap. *Porrò* 35. *quæst.* 3. Est autem affinitas incompleta, seu non perfecta, ac initiata, quam aliqui DD. magis volunt appellare impedimentum publicæ honestatis; attamen cum prædicta vi dirimendi, ad differentiam illius impedimenti, quod oritur ex sponsalibus, de quo suprà) quam affinitatem, sed malè. Ita enim ad propositũ ait S. Tho. *hic art. 4. ad 2.* Vir, & mulier efficiuntur in carnali copula vna caro per commixtionem seminum. Vnde quantumcumque aliquis claustrum pudoris invadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas. Sed matrimonium affinitatem caulat, non solùm ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis cõiugalis; secundùm quam etiam matrimonium naturale est. Vnde, & affinitas oritur ex ipso contractu matrimonij per verba de præsenti ante carnalem copulam. Et similiter etiam ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio coniugalis societatis contrahitur aliquid affinitati simile, scilicèt publicæ honestatis iustitia. *Hæc ibi.* Quæ verba sunt satis clara.

* 18 *Resp.* 2. Affinitas est dupiex: Vna lineæ rectæ, & æqualis; Altera lineæ transversalis. *In linea recta* affinitatis collocantur ascendentes, & descendentes illius personę cum qua copula fuit habita. *In transversali* autem sunt eiusdem Consanguinei lineæ transversę, v. g. Paulus cognovit Annam Coniugem suam, quæ habet Patrem, & Matrem, fratres, & sorores: Pater, & Mater Annæ sunt affines Pauli in linea recta, frater verò, soror in linea transversali. Porrò Stipes in affinitati sunt duæ illæ personæ, quæ se invicem carnaliter cognoverunt: & illæ non dicuntur sibi affines, sed suæ principium affinitatis, ex eorum copula carnali consurgentis.

* 19 *Resp.* 3. Pro cognoscenda affinitate, eiusque gradu serviunt hæ quatuor Regulæ: *Primæ est*: Per Matrimonium omnes consanguinei Viri fiunt affines vxori, & è contra consanguinei vxoris fiunt affines Viro, ita vt vxor post mortem mariti non possit nubere alicui eius consanguineo, nec è contra vsque ad quartum gradum; non tamen propter hoc consanguinei vtriusque coniugis fiunt affines inter se: sed hi possunt inter se nubere, sive mortuis, sive adhuc viventibus illis coniugibus. Hinc duæ germanæ sorores vnius familiæ possunt contrahere Matrimonium, cum duobus germanis fratribus alterius familię, solet quidem hæc vocari affinitas, sed est per accidens talis. *Ratio*: Quia est inter personas, quarum neutra per copulam carnalem ei per se causam dedit, cum etiam possit esse inter Virgines, & Personas omnis copulæ carnalis expertes.

Ex his Sequitur 1. quod filius Mariti ex alia vxore possit contrahere cum filia vxoris ex alio Marito, seu privigna potest nubere filio vitrici, & è contra privignus filiæ novercæ. 2. *Potest* quis ducere matrem sui vitrici, vel novercæ. 3. *Potest* quis successivè nubere duabus fœminis, quarum viri fuerunt germani fratres, v. g. Petrus, & Paulus fratres ducunt, vnus Annam, alter Mariam; moriuntur Petrus, & Paulus, potest Joannes ex tertia quadam familia ortus ducere Annam, & ea defuncta Mariam. 4. *Patet* Sponsũ potest nubere filiæ, vel matri sponsæ.

Secunda Regula: Inter virum, & affines vxoris non oritur impedimentum affinitatis, nec è contra inter vxorem, & affines viri. *Ratio*: Quia affinitas non parit affinitatem, vt docet *S. Thom. hic a. 3.* Hinc vir mortua sua vxore potest contrahere cum quavis affine suæ vxoris, idem est è converso de Muliere.

Tertia Regula ex iam dictis colligitur, ad discernendam affinitatem, tam per se, quam per accidens talem: nimirum; Si nec vir carnaliter cognoverit consanguineam illius mulieris, cui nubere vult, nec mulier vllum consanguineum eiusdem viri, si quæ inter eos sit affinitas, ea solam est per accidens; nec impedit Matrimonium. *Ratio* est antè data.

Quarta Regula ad deprehendendos gradus affinitatis per se talis, est: In quo è consanguinita-

tis

iis gradu aliqua persona est iuncta Viro, in eodem etiam gradu affinitatis iungitur mulieri. Idem est de consanguineis mulieris in ordine ad Virum. Si quis ergo vult cognoscere suos affines, inspiciat arborem consanguinitatis mulieris, cui si quæ persona sit in secundo, vel tertio gradu consanguinea, in eodem gradu erit affinis marito, & è converso. Hæc omnia patent ex Schematæ Consanguinitatis, & Affinitatis.

* 20 QUÆRO VII. Quo iure affinitas dirimit matrimonium, vt possit, vel non possit in ea dispensari? *Resp.* 1. Probabilius est, quòd matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ (v.g. inter novercam, & privignum, vitricum, & privignam; socerum, & nurum, socrum, & generum) sit iure naturæ invalidum; adeòque nec Papa in hoc impedimento dispensare possit. Colligitur ex Apostolo 1. ad Cor. 5. dicente: *Auditur inter vos fornicatio, & talis, qualis neque inter Gentes: ita vt vxorem Patris sui aliquis habeat.* Vbi Apostolus non tantùm vt Adversarij putant) exaggerat iniuriam Patri illatam, si is fortè adhuc viveret, sed ipsam sceleris immanitatem. Cui, indubiè quia ipsi iuri naturæ adversatur. Levit. 20. statuitur hæc gravissima pœna: *Qui supra vxorem filium, duxerit matrem eius, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis: nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Vbi etiam, vt ex textu patet, mixtim connumeratur cum sodomia, & bestialitate, & plùs his exaggeratur.

Ratio: Non solùm civiles, & cultæ, sed & barbaræ gentes ex dictamine, & pudore naturali aversatæ sunt congressum coniugalem privigni cum noverca. Est enim contra naturalem reverentiam Patri debitam, commiscere cum eius, etsi mortui, vxore: vtpotè cum qua ipse factus est vna caro. *Nota*, quòd hæc Ratio etiam probet idem affinitatis impedimentum dirimens iure naturæ nasci ex copula fornicaria, sic, vt quis non possit validè ducere concubinam Patris sui, aut filiam eius.

Resp. 2. Probabilius est, quòd matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ transversæ, licèt naturali iure, & gentium sit valdè indecens, non tamen sit invalidum, ita vt ex gravi causa, præsertim accedente publica Superioris, nimirum Summi Pontificis auctoritate, licitè contrahi possit, v.g. inter vxorem, & fratrem defuncti mariti.

Ratio 1.*p.* Quia sic videtur dictare naturalis reverentia erga fratrem, etiam defunctum, qui fuit vna caro cum vxore relicta. *Ratio* 2.*p.* Etsi sit dicta naturalis reverentia erga frarrem, non tamè est tanta, quanta erga Patrem, vt matrimonium annullet: de quo anteà in R. 1. Hinc & *Deut.* 25. vniversim præceptum fuit Israelitis, si fratrum vnus sine liberis decessisset, vt alter relictam eius vxorem acciperet, ex eaque susciteret semen fratris sui. *Item* Innocent. III. *in cap. vlt. de divortijs*; illis, qui in infidelitate secundùm gentis suæ consuetudinem contraxerant cum vxore fratris sine liberis defuncti, permisit, vt ad fidem conversi matrimonio vti possent. Quod permittere non potuisset, si tale matrimonium esset iure naturæ nullum: quòd ius etiam Infideles obligat. Tanem non semel Sedes Apostolica, vt in hoc affinitatis lineæ transversæ gradu matrimonium contraheretur, dispensavit cum Principibus.

Quid dicendum, si affinitas Matrimonio supervenit, vt si vir committat adulterium, ac incestum cum consanguinea vxoris, vel è contra vxor cum consanguineo Viri? *Dico*: Impedit, ne nocens, nisi dispensationem obtineat, possit petere debitum: non tamen privatur facultate reddendi, ne Innocens lædatur ob delictum alterius. Dispensationem illam posse dari ab Episcopo, plerique docent. De hac re plura vide infrà E. 7. n. 100.

COGNATIO SPIRITUALIS, ET LEGIS.

S. Thom. Q. 56. & 57.

* 21 QUÆRO VIII. Quid de hoc bino impedimento? *Ante R. Not.* quod Cognatio habeat se vt genus, sub se continens tres species, scilicèt Cognationem carnalem, spiritualem, & legalem. Prima subdividitur in Consanguinitatem, & Affinitatem, de quibus iam actum est. Hic ergo inquiritur de secunda, & tertia. Hoc notato.

Resp. 1. Cognatio spiritualis est propinquitas quædam personarum, orta ex eo, quod quis Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis alteri conferat, aut ex eo, quod quis illum, cui tale Sacramentum confertur, teneat, seu suscipiat, vti est *Patrinus*, vel *Matrina*. Hoc impedimentum iure tantum Ecclesiastico oritur, & dirimit tantum inter baptizantem, seu confirmantem, & inter baptizatum, seu confirmatum: Item inter Patrinum baptizati, seu confirmati, & inter ipsum baptizatum, seu confirmatum, & parentes eius; non verò inter Patrium, & Matrinam, nec inter filiastrum (id est, baptizatum, vel confirmatum) & filios aut filias Patrini. Nam ius antiquum (conformiter ad quod loquitur *S. Thom hic a.* 4.) vi cuius illa cognatio ad prædictos transibat, sublatum est per *Trid. sess.* 24. *c.* 4. Videatur *S. Thom. a.* 1. & 2. Item de Patrinis vide suprà de Baptismo, & confirm.

Resp. 2. Hoc impedimentum, vel cognatio nascitur tantum ex duobus Sacramentis, scilicet Baptismo, & Confirmatione, vt patet *ex S. Thom. a.* 2. & non ex solis ceremonijs Baptismi, quæ interdum supplentur. Hinc etiam non oritur ex Sacramento Confessionis inter Confessarium, vel spiritualem Patrem, & filias confessionis; quamvis verum si, quod sit Confessor cum illis carnaliter peccet, teneatur hanc circumstantiam confiteri, vt dictum est suprà *T.* 3. *E.* 2. *Q.* 2.

Resp. 3. Quomodo cognatio spiritualis possit Matrimonio supervenire, & saltem eius actui præiudicare, explicat *S. D. a.* 1. *in c. dicens*: Distinguendum est de spirituali cognitione, quia aut præcessit Matrimonium, aut sequitur. Si præcessit, impedit contrahendum, & dirimit contractum: si sequitur, tunc non dirimit vinculum Matrimonij. Sed quantum ad actum Matrimonij est distinguendum, quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum Pater baptizat filium in articulo mortis; & tunc non impedit actum Matrimonij, ex neutra parte: aut inducitur extra casum necessitatis ex ignorantia, & tunc, si ille, ex cuius actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio, sicut de primo: aut ex industria extra casum necessitatis, & tunc ille, ex cuius actu inducitur, amittit ius petendi debitum, sed tamen debet reddere si petatur: quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare. Hæc ibi.

* 22 *Resp.* 4. Ad contrahendum hanc cognationem spiritualem sufficit, quod Patrinus baptizandum tangat, & teneat per Legatum, seu Procuratorem: vnde Legatus non contrahit illam, nec

Pa-

Patrinus efficitur. *Ratio*: Tum quia ita habet communis fidelium persuasio, quòd non Legatus, sed ipse mandans sit Patrinus, & quòd à solis Patrinis contrahatur hæc cognatio. *Tum etiam*, quia Legatus non tenet suo, sed alieno nomine, & alius tenet per illum; vt autem habet Regula Juris: *Qui facit per alium, perindè est, ac si faciat per se ipsum.* Ergo.

Resp. 5 Cognatio legalis est propinquitas personarum proveniens ex adoptione. Adoptio à S. Thom. q. 57. a. 1. benè definitur, quòd sit *extraneæ personæ in filium, seu filiam, vel nepotem legitima assumptio* Explicat hanc definitionem S Thom. *dicens*: Ars imitatur naturam, & supplet defectum naturæ in illis, in quibus natura deficit: vnde sicut per naturalem generationem aliquis filium producit, ita per positivum, quod est ars boni, & qui, potest aliquis alium sibi assumere in filium ad similitudinem filij naturalis, & ad supplendum filiorum deperditorum defectum, propter quod præcipuè adoptio est introducta: & quia assumptio importat terminum *à quo*, oportet, quòd ille, qui assumitur in filium, sit persona extranea. *Hæc ibi.*

Resp. 6. Adoptio est duplex, vt S. Thom. ibid. ad 1. explicat dicens: Filiatio adoptionis est quædam imitatio filiationis naturalis, & ideò duplex est adoptionis species. *Una*, quæ perfectè naturalem filiationem imitatur, & hæc vocatur arrogatio, per quam traducitur adoptatus in potestatem adoptantis, & sic adoptatus succedit Patri adoptanti ex testato: nec potest eum Pater sine culpa privare quarta parte hæreditatis; sic autem adoptari non potest nisi ille, qui est sui iuris, qui scilicèt non habet patrem, aut si habet, est emancipatus: & hæc adoptio non fit nisi authoritate Principis. *Alia est* adoptio, quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè, quæ vocatur simplex adoptio: per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis. Vnde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quàm adoptio perfecta: & secundùm hanc potest adoptari etiam ille, qui non est sui iuris, & sine auctoritate Principis, & auctoritate magistratus: & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit. *Hæc ibi.*

Resp. 7. Legibus humanis ab Ecclesia approbatis statutum est, quod cognatio legalis perfecta dirimat matrimonium. *S. Thom. a.* 2. *Ratio ibid.*. Lex divina illas præcipuè personas à matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne, vt Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret vti carnali copula, facilè pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum: Sed filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis. *Ergo.*

Resp. 8. Cognatio legalis perfecta contrahitur 1°. *inter* adoptatum, & filios adoptati, vsque ad quartum gradum. 2. *Inter* adoptante, & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis. 3°. *Inter* adoptatum, & filios legitimos adoptantis; Prout tradit, & explicat S. Doct. *art.* 3. Verùm tertia species non est perpetua, sicut aliæ duæ, sed solùm durat, dum alter eorum non emancipatur.

Resp. 9. Fœmina non potest adoptare nisi ex privilegio. Vnde adoptans debet esse masculus, & quidem sui iuris, & adminus ætatis annorum 25. naturaliter non impotens ad procreandos filios, licèt impotens factus sit ex accidente, vti sunt Spadones, & per modum Eunuchi facti. *Item* debet ad minus 18. annis excedere adoptatum, ita vt spectata ætate possit esse pater eius, cum filiorum adoptio sit introducta ad similitudinem filiorum carnalium. Tandem persona extranea, cum adopratur, debet esse præsens adoptanti, & consentire in adoptionem.

CRIMEN, CULTUS DISPARITAS, VIS, Ligamen, Honestas. *De quibus S. Thom. agit locis citandis.*

* 23 QUÆRO IX. Quid de his impedimentis? *Resp.* 1 Impedimentum criminis, (*de quo S. D. agit q.* 60. *per duos art.*) comprehendit duplex crimen, quo Matrimonium posteà contractum dirimitur. *Primum est* homicidium coniugis ab altero coniuge, & alio tertio factum eo fine, vt postea inter se Matrimonium contrahant. Et perinde est, sive factum sit physicè, v. g. gladio, vel veneno; sive moraliter, v. g. impetio. Vt autem dirimat, debet esse occasio non solum tentata, sed in effectu secuta ex animo contrahendi. Vnde non dirimit, si occisio sit quidem actu secura; sed sine ille animo, vel si hic animus adfuerit quidem, non tamen fuit externè manifestatus, nec communi vtriusque coniugio approbatus, sed ab vno tantum; nisi adulterium præcesserit; si enim hoc præcesserit, licet tantum vnus (altero nesciente) cum intentione matrimonij cædem perfecerit, Matrimonium dirimitur. *Secundum* crimen est adulterium, quo duo ad invicem carnaliter commiscentur vivente alterius coniuge, & vel de præsenti contrahunt; vel mutuo sibi compromittunt, se post mortem coniugis contracturos Matrimonium, hoc autem posteà iure Ecclesiastico est nullum: dummodo adsint hæc conditiones, scilicèt vt promissio sit acceptata, & vterque sciat alterum esse coniugatum: si enim vel alteruter ignoret, Matrimonium non dirimitur. Hoc impedimentum statutum est in pœnam vtriusque huius criminis, & vt tollatur ea occasio machinandi mortem coniugis.

* 24 *Resp.* 2. Cultus disparitas, seu diversitas Religionis, seu Fidei inter contrahentes, est impedimentum ab Ecclesia statutum, vi cuius Matrimonium est nullum inter baptizatum, & infidelem, seu non baptizatum, v. g. Judæam, Paganam, &c. etiam Cathecumenam. Cæterum loquendo de hæreticis, tanquam baptizatis, v. g. Lutheranis, Calvinistis, &c. licèt Matrimonia à Catholicis cum illis contracta sint valida, sunt tamèn per se scandalosa, & mortaliter illicita. Dixi, *per se*; excipitur enim 1. si sit spes certa conversionis 2. *In Germania*, & alijs locis finitimis, vbi Catholici mixti vivunt cum Hæreticis, si desit scandalum, & omne periculum perversionis coniugis Catholici, ac prolium suscipiendarum, de quibus proinde prius debet constitui, vt catholicè educentur. Hinc impium, scandalosum, & irritum est illud pactum in tali Matrimonio, vt masculi Fidem Patris, puellæ sequantur Fidem Matris. Quia Catholicus in hoc pactum consentiens est solo nomine, non re, Catholicus, quia credit (nisi proles fortè statim diabolo conflceret pro tempore adolescentiæ) extra Eidem Catholicam esse viam salutis. Si dubitetur, an talia mala ex tali matrimonio sequi possint, recurrendum est ad Papam, vel ad Ordinarium loci, vt re benè exami-

minata licentiam det, vel deneget. Vide suprà E. 4. n. 12. 2, 3 & 4.

* 25 *Resp.* 3. Vis, & violentia, seu coactio, sive metus gravis. De quo impedimento agit S.D. *quæst. 47. art. 1. 2. 3. & 4.* Nos de eo egimus suprà E. 3. n. 8. & seqq.

* 26 *Resp.* 4. Ligamen nihil aliud est, quàm vinculum viri cum vxore post contractum matrimonium, sive consummatum, sive ratum tantùm; ea enim vivente, nec validè, nec licitè cum alia contrahere potest. Id enim prohibet Lex divina, positiva, & naturalis. Vt patet ex dictis suprà de polygamia. Quomodo possit constare, ac debeat de morte coniugis, vt liceat secundò nubere, vide ill. E. 3. *in.* 12.

* 27 *Resp.* 5. Honestas, seu impedimentum publicæ honestatis est, vi cuius Sponsus (& è conversò) nec validè, nec licitè potest (Ecclesia sic statuente) contrahere cum consanguinea suæ Sponsæ, vigore matre, filia, vel sorore: non tamen extenditur vltra primum gradum. De hoc plura dicta sunt in Exam. 2. de Sponsal. quæst. 3. n. 20.

SI FORTE COIRE NEQUIBIS, ID EST impedimentum impotentiæ. *De quo S. Doct. agit q. 58. per quinque art.*

* 28 QUÆRO X. Quid de hoc? *Resp.* 1. Impotentia in præsenti nihil aliud est, quàm incapacitas exercendi actum coniugalem, seu seminandi intra vas. Et potest provenire 1. *Vel ex* natura, & tunc vel ex nimia frigiditate virgæ, vtpote quæ nec potest erigi, nec in vulvam intromitti: Vel ex nimia caliditate. 2. *Potest* provenire ex arte, vel maleficio. 3. *Ex* defectu ætatis, sive juvenilis, sive senilis. 4. *Ex* eo, quòd quis sit Hermaphroditus. Iterum hæc impotentia, vel est perpetua, vel temporalis. De quibus suo ordine.

Resp. 2. Frigiditas, seu impotentia coeundi, talis ex defectu naturæ simpliciter incurabilis, seu perpetua, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, ad minùs post triennium, ex Statuto Ecclesiæ. Ita S.D. *art. 1. in c.*

Declarat hoc ibidem dicens: Sicut in alijs contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc, quod non potest dare, vel facere, ita non est conveniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere nō possit: & hoc impedimentū vocatur impotentia coeundi nomine generali, quæ quidem potest esse, vel ex causa intrinseca, & accidentali, sicut per maleficium. De qua post dicetur. Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter: Quia vel est temporalis, cui potest subveniri remedio medicinæ, vel processu temporis; & nunc non solvit matrimonium. Vel est perpetua, & tunc solvit matrimonium, ita quod si ille, ex parte cuius allegatur impedimentum, perpetuò maneat absque spe coniugij, alius nubat, cui vult, in Domino. Ad hoc autem cognoscendum, vtrum sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit: in quo huius rei posset esse experimentum, scilicet triennium: ita quod, si post triennium, in quo fideliter ex vtraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium non esse consummatum, iudicio Ecclesiæ dissolvitur. Et tamen in hoc quandoque Ecclesia errat, quia per triennium quandoque nō sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiæ: vnde Ecclesia si se deceptam inveniat per hoc, quòd ille, in quo erat impedimentum, invenitur, carnalem copulam cum alia, vel cum eadem persolisse, frangit integrat matrimonium præcedens, & dirimit secundum. Quamvis de eius licentia sit factum. Hæc ibi. In R. ad 1. ait S.D. *Quòd, quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonij, tamen potentia ad actum est de essentia eius*, in posito autem casu, nec potentia ad hunc actum dari potest.

Notanda hic sunt verba *S. Thom. ibid. ad 5. dicentis*: Si vir non possit implere carnalem actum cum virgine, & tamen possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento possunt claustra pudoris frangi, & ei coniungi: nec esset hoc contra naturam, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum. Hæc ibi. Vid. n. 83.

Resp. 2. Dictum Matrimonium est nullum, licèt contrahentes sciverint illam impotentiam. *Ratio*: Quia coniuges in hoc non possunt cedere iuri suo, quia Matrimonium non solum ordinatur in bonum contrahentium, sed & bonum naturæ. Ergo.

Resp. 3. Dicta impotentia perpetua Matrimonium annullans debet esse, non solum respectiva, seu respectu huius, vel illius fœminæ, sed absoluta, seu respectu cuiuscumque, nimirum ex his, quæ dicta, & petitorum talis iudicata per oculatam inspectionem. Ita patet ex adductis verbis S. Thom. ex c. art. circa finem. Idem videtur colligi ex c. *inhabilem*, & c. *fraternitatis, de frig. & malef.* vbi dicitur: *Si quis separato priori Matrimonio inventus habilis ad aliam fœminam, redeat ad priora connubia.* Ergo.

* 29 *Resp.* 4. De nimia caliditate, quæ sanè etiam copulam impedit, vt, quia semen spargit ante ingressum, sic vt in vase mulieris seminari nequeat, ita loquitur S. *Thom. a.* 1. *ad* 2. Caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum, si tamen inveniretur, quod per triennium impediret carnalem copulam, iudicaretur perpetuum: tamen quia frigiditas magis, & frequentius impedit, tollit enim non solum commixtionem seminum, sed etiā vigorem membrorum (quo fit coniunctio corporum) ideò frigiditas magis hic ponitur impedimentum, quam caliditas, cum omnis defectus naturalis ad frigiditatem reducatur. *Hæc ibi.* Et *ad* 2. dat disparitatem inter frigiditatem viri, & mulieris dicens: Mas est agens in generatione, & fœmina est patiens, & ideò maior caliditas requiritur in mare, quam in fœmina ad opus generationis. Vnde frigiditas, quæ facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem: sed in muliere potest esse impedimentum naturale ex alia causa, scilicet arctatione. Et tunc idem est iudicium de arctatione mulieris, & de frigiditate viri. Ita S.D. Prout in explicatione.

* 30 *Resp.* 5. Si fœmina sit tam arcta, vt sine miraculo, arte magica, aut sine mortis periculo non possit aperiri, vel dilatari, est inhabilis ad Matrimonium, iuxta c. *ex literis, de frig. & malef.* Secus est, si (vt dicitur in c. *fraternitatis*) per artem medicam aperiri potest, ad quod ipsa tenetur, etiam cum gravi dolore, quamvis non cum gravissimo.

Resp. 6. Si fœmina possit semen debitè recipere, sed non retinere, quia mingitura ex quodam accidentali impedimento effundit, vt generatio sequi

quinoqueat, est habilis ad Matrimonium, nec hoc ideò dicitur. *Ratio*: Quia Matrimonium non dirimitur per impotentiam, nisi talem, quæ impedit seminationem in vase debito: si enim adsit seminatio, per accidens est, quod non sequatur generatio.

* 31 *Resp.* 7. Sterilitas, id est, impotentia generandi, supponens veram potentiam coeundi, & seminandi, non dirimit Matrimonium. *Ratio* est eadem, quæ ante, emittitur enim verum semen, quod per accidens non est prolificum, & licèt hic non salvetur finis vltimus matrimonij, ac primarius, qui est generatio prolis, benè tamen finis proximus, & secundarius, qui est concupiscentiæ sedatio. Vide de Senibus, *n.* 34. ex S. Thom.

Resp. 8. Loquendo de impotentia per arrem inducta, quæ est in Eunuchis, seu castratis, ac spadonibus, si illi vtroque testiculo careant, sunt inhabiles ad matrimonium, quod proindè iure naturæ est invalidum; Vt declaravit Sixtus V. *Ratio*: Illi non habent potentiam seminandi intra vas, cùm non emittant verum semen, sed solùm humorem semini similem. Et sedatio concupiscentiæ per coitum spadonis non est naturalis, sed violenta, iuxta illud Ecclesiast. 20. *Concupiscentia spadonis devirginavit iuvenculam, sic qui facit per vim iudicium iniquum.* In quo spadones differunt à sterilibus, & senibus, qui cùm emittant verum semen, & faciant veram copulam (per quam conjuges fiunt vna caro) naturaliter obtinent finem secundarium matrimonij.

* 32 *Resp.* 9. De impotentia, & maleficio S. Doct. *art.* 2. *in corp. ait*: Impotentia coeundi ex maleficio aut est perpetua, & tunc matrimonium dirimit; aut non est perpetua, & tunc non dirimit. & ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus trienni præfixit, sicut & de frigiditate dictum est. Tamen hæc differentia est inter maleficium, & frigiditatem, quia qui ex frigiditate est impotens, sicut est impotens ad vnam, ita ad aliam, & ideò quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, vt coniungatur alteri: sed ex maleficio homo potest esse impotens ad vnam, & non ad aliam, & ideò, quando iudicio Ecclesiæ matrimonium dirimitur, vtrique datur licentia, vt alteram copulam quærat. *Hæc ibi.* In R. ad 2. ait S. Doct. Opus Dei potest opere diaboli impediri divina permissione, non quod diabolus sit Deo fortior, vt per violentiam opera eius destruat. Et *ad* 4. *dicit*: Maleficium potest quandoque præstare impedimentum ad omnes, quandoque ad vnam tantùm; quia diabolus voluntaria causa est, non ex necessitate naturæ agens. Et præterea impedimentum maleficij potest esse ex impressione dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, & non ad aliam. Ita S. Doct.

* 33 *Resp.* 10. De impotentia ex ætate iuvenili *S. Thom. a.* 5. sic concludit: Matrimonium, cum fiat per modum cuiusdam contractus, ordinationi Legis positivæ subiacet, sicut alij contractus. Vnde secundum iura determinatum est, quod ante illud tempus discretionis, quo vterque possit de Matrimonio sufficienter deliberare, & debitum sibi invicem reddere, Matrimonia non contrahantur, & si non ita facta fuerint, dirimuntur; hoc autem tempus, vt in pluribus, est in masculis in quarto decimo anno, in fœmina autem in duodecimo: quia tamen præcepta iuris positivi sequuntur id, quod in pluribus est, si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perveniat, ita quod vigor naturæ, & rationis defectum gratis suppleat, Matrimonium non dissolvitur. Et ideò si contrahentes ante annos pubertatis ante tempus prædictum carnaliter fuerint copulati, nihilominus Matrimonium perpetuò stat indissolubile. Hæc ibi Plura de hoc vide de sponsal. *E.* 2. *Q.* 2. *pro R.* 1. *&* 3.

* 34 *Resp.* 11. De Senibus *S. D. a.* 1. *ad* 3. *ait*: Senes quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, habent tamè caliditatem sufficientem ad carnalem copulam: & ideò conceditur eis Matrimonium, secundum quod est in remedium, quamvis non comperat eis secundum, quod est in officium naturæ. Hæc ibi. Si ergo in aliquo, sive per senium, sive per morbum potentia generandi esset ita destructa, vt copulam carnalem facere, seu seminare non posset, nec vllo humana arte ad hoc restaurari, cum nec finem secundarium scilicet concupiscentiæ remedium in hoc Matrimonio assequi posset, esset iure naturæ nullũ. Subsistit autem, si intra vas seminare possint. *Ratio* est data pro R. 6. & 7.

Nota tamen, quod mulier contrahere possit in quacumque ætate, complexione, ac dispositione (vt loquitur Sylvester) modo possit pati ingressum viri ad claustra pudoris, quia solum habet se, vt patiens: secus est de mare, quia is habet se, vt agens, nobilius autem est, & maiores vires requirit agere, quam pati, vt iam suprà dictum est.

* 35 *Resp.* 12. Hermaphroditus, id est, vtriusque sexus genitalibus membris instructus, si in eo vnus sexus prævaleat (cum ob prævalentiam censeatur illius sexus esse) potest secundum illum inire Matrimonium. Vnde si contrahat secundum sexum inferiorem, Matrimonium iure naturæ est nullum. *Ratio*: Quia propter genitalium deficientiam non adest potentia generativa illi sexui proportionata. Si verò neuter prævaleat, sed vterque sit æqualis, contrahere potest secundum quem sexum voluerit.

Ratio: Quia adest potentia generativa vtriusque sexus. Porrò Medicorum, vel peritarum Matronarum est, ex partium secretarum inspectione ferre iudicium, quisnam sexus prævaleat. Indubio autem Medicus stare potest assertioni ipsius Hermaphroditi: cum is omnium optimè statum suum discernere possit. Electione sexus ab Hermaphrodito (in quo sexus est æqualis) semel facta, & Matrimonio secundum illum sexum contracto, non potest is absque gravi peccato electionem mutare, & mortuo coniuge secundum alium sexum contrahere: esset enim valdè indecens, modo hoc, modo isto sexu vti. Si tamen contraheret, Matrimonium teneret. *Ratio*: Quia per illam electionem, etiam iuramento firmatam, non auferetur potentia naturalis generativa. Ex hoc Sequitur, quòd Parochus non possit assistere Matrimonio talis Hermaphroditi, in quo sexus est æqualis, donec is coram Judice Ecclesiastico cum iuramento sit contestatus, quem sexum sequi velit.

* 36 *Quid si* Coniuges, quorum vterque, vel vnus laborat absoluta perpetua impotentia, petant non separari, sed cohabitare saltem vti frater, & soror? *Dico*: Hoc Judex de facili non debet permittere, præsertim si juvenes sint. *Ratio*: Ne exponantur continuæ occasioni peccandi, seminando extra

vas, dum actum tentarent fortè ad sedandam concupiscentiam. Posset tamen id cum maturo consilio permittere, si non sint iuvenes, & de eorum pietate constet, ac vterque votum castitatis faciat.

Nota, aliquos Doctores præter impedimenta dirimentia superiùs per versus assignata, speciatim ponere impedimentum amentiæ, & aliud ætatis. Vnde tertium Versum alij incipiunt sic, *Amens, affinis, si fortè*, &c. alij sic, *Stat, affinis, si*, &c. sed impedimentum ætatis S. D. reducit ad impotentiam. Impedimentum amentiæ reduci potest ad impedimentum erroris, de quo suprà. Quia *amens*, dum hoc morbo actu laborat, continuò errat, & sic nulli contractui aptus est, adeòque nec matrimonio. Si lucida intervalla habet, dum ratione vtitur, sicut alios contractus, ita & matrimonialem inire potest.

CLANDESTINITAS, NIMIRUM: SI PAROCHI, & duplicis desit præsentia Testis.

* 37 QUÆRO XI. Quid de hoc sentiendum? *Resp.* 1. Hoc impedimentum statutum est iure novo Concilij Tridentin. *sess.* 24. *de reform. matrimon. cap.* 1. Etsi enim ante hoc Concilium Matrimonia clandestina fuerint semper sub mortali prohibita, & illicita, fuerunt tamen valida; vti etiã adhuc sunt in illis locis, vbi hoc decretum non est receptum; vbi verò promulgatum, & receptum est, sunt irrita, & nulla.

Resp. 2. Hoc Statutum Ecclesia potuit facere, & est rationabile. Potuit, inquam, præsentiam Parochi, & Testium requirendo velut conditionem *sine qua non*.

Declaratur: Matrimonium, vt ex sæpè dictis constat, est contractus quidam, non solùm à iure naturali, sed etiam à civili, & Ecclesiastico dependens. Ergo pro temporum necessitate, & circumstantijs à quovis tali iure possunt ipsi apponi quædam conditiones, quibus servatis sit legitimus, ijs verò omissis, sit nullus. Nec per hoc huius Sacramenti materia mutatur formaliter, sed solùm materialiter. Sicut enim semper fuit verum, ita, & nunc est, quòd materia huius Sacramenti sit contractus legitimus; vt autem legitimus sit, requiritur, vt serventur Leges per Jura statutæ. Porrò rationabile est dictum Ecclesiæ Statutum, quia factũ est ex gravissima causa. Nam Ecclesia videbat, quòd matrimonia passim contraherentur clam sine testibus, & quòd sic contrahentes sæpè vxore relicta eaque vivente ad secundas transibant nuptias, quæ posteà in foro conscientiæ tenebatur manere inupta, quia viro negante matrimonium fuisse contractum, non poterat in iudicio probari: ex quo sequebantur prolium desertio, homicidia, continua adulteria, &c. His ergo malis Ecclesia mederi volens illud decretum edidit.

Quis intelligitur nomine Parochi? *Dico* 1. Papa in tota Ecclesia, *Episcopus* in sua Dioecesi, eiusque *Vicarius Generalis*, & Capitulum Sede vacante; Item illi, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, vti habent quædam *Capitulam*, & *Abbates* exempti, respectu suorum subditorum. Tandem quivis *Sacerdos à Parocho* delegatus, seu ab eo licentiam habens, vt patet ex Trid.

Dico 2. Non est de necessitate, quod Parochus sit Sacerdos, sed sufficit, quod habeat titulum, & officium Parochi, iuxta declar. Cardin. Si tamen velit alium delegare, ille delegatus debet esse Sacerdos, vt patet ex *Trid. cit.* aliàs Matrimonium erit nullum. Debet etiam de necessitate esse proprius Parochus. *Ratio huius est*: Quia, vt ex *Trid.* constat, ille Parochus debet adesse, qui potest alteri Sacerdoti dare licentiam: Sed hanc dare potest solus proprius Parochus, quia aliàs certè plurima sequerentur inconvenientia. Ergo.

* 38 *Quę* Parochi præsentia requiritur, & sufficit? *Dico*, Humana, non verò naturalis, quæ etiam in brutis est. Idem est de testibus. *Ratio*: Quia Parochus nomine Ecclesiæ, quam repræsentat debet advertere, & scire, quid agatur, & testes, vt de re gesta possint testari.

Potestne Parochus Parochianorum suorum Matrimonio assistere extra suam Parochiam sine licentia alterius? *Affirmo*, sed non potest solemniter benedicere. *Ratio*: Quia contractus potest fieri privatim, benedictio autem solemnis fit cum quodam strepitu, nimirum inter Missarum solemnia.

Debetne adesse Parochus sponsi, vel sponsę? *Dico*: Communiter solet adesse Parochus fœminæ, sufficit tamen quiscumque ex illis duobus, etiam in Parochia alterius contrahentis. *Ratio* 1. *p.* Quia cõmuniter in domo fœminæ celebrantur nuptiæ. *Ratio* 2. *p.* Quia assistere Matrimonio, vel non est actus iurisdictionis, quia hæc assistentia valide etiam potest fieri ab invito, vt patebit ex dicendis; nullus autem actus iurisdictionis valide potest fieri ab invito, & contrariam intentionem habente; quia actus agentium non operantur vltra intentionem ipsorum. Vel saltem non est actus iurisdictionis cõtentiosæ, contradictorem habentis, & in qua actor agit contra reum, ac etiam in invitos exercetur; sed tantùm iurisdictionis voluntariæ. Ergo. Observanda hic est praxis. Si enim contrahentes sint ex diversis Parochijs, & Matrimonium contrahitur in Parochia Sponsi, adest Parochus Sponsi; si in Parochia Sponsæ, adest Parochus eiusdem.

Quid si vnus contrahentium ratione duplicis domicilij habeat duos Parochos? *Dico*: Sufficit, quòd adsit is, in cuius Parochia Matrimonium celebratur.

* 39 *Quid* de vagabundis sedem certam nullibi habentibus? *Dico*: Sicut Sacramentum Communionis, & Confessionis solent participare ibi, vbi se detinent, ita & in præsentia illius Parochi contrahunt Matrimonium. Parochus autem tenetur de eorum conditione sollicitè indagare, vt monet Tridentin. an scilicèt alibi sint conjuncti, &c. & posteà petere ab Episcopo licentiam assistendi: sine qua etsi assistat validè, graviter tamen peccat.

Esne idem de peregrinis? *Dico*: Si ex causa modico tempore domo absint, non possunt contrahere coram Paroco loci: possunt, si habitationem figant pro maiori parte anni, aut eo venerunt animo manendi maiori parte anni, quamvis posteà casu contingat subitaneus discessus; tales sunt, Studiosi, famuli, ancillæ, &c. *Ratio*: Quia in primo casu ille non est verus illorum Parochus, benè tamen in secundo, quia contrahunt ibi domicilium Parochiale.

* 40 *Esne* validum Matrimonium si Parochus, & testes adsint vi, vel dolo adducti. *Affirmo*. *Ratio*: Quia tunc adhuc salvatur finis decreti Tridentini, scilicèt vt de tali matrimonio constet Ecclesiæ, possitque de eo testimonium dari, ne conjuges eo spreto aliud contrahant. Vnde authoritatis-

vi præsentia Parochi, vt Ecclesiam repræsentantis, est quidem iussu Tridentini necessaria necessitate præcepti, sed non necessitate medij. In hoc ergo casu Parochus adesset tanquam testis principalis, & qualificatus, & pollens dignitate Parochi, sub qua ratione eius præsentia est necessaria necessitate medij.

Nota tamen, mortaliter peccare eos, qui contrahunt coram Parocho vi detento, vel per dolum vocato, aut casu transeunte; & hoc tum propter injuriam, quæ ei fit, dum vi detinetur, tum propter contemptum Ecclesiæ, quia tunc non contrahitur authoritate Ecclesiæ: agitur enim contra præceptum eius. Cæterùm ratione testium, sic adductorum, vel detentorum, videtur solùm esse veniale, cùm non adsint nomine Ecclesiæ sicut Parochus, sed tantùm, vt possint ritè testificari. Potest tamen etiam intervenire mortale ratione injuriæ forsan per violentiam illatæ; quod ex injuriæ qualitate pensandum est.

* 41 *Sufficiuntne* ad Matrimonij valorem quicumque testes, licèt non sint omni exceptione maiores, sed potiùs vitiosi, id est, qui in iudicio aliàs non non admittuntur, vt infames, excommunicati, parentes, consanguinei, servi, familiares, fœminæ, immò & infideles? *Affirmo. Ratio*: Tum quia in causa favorabili admittuntur testes, alioquin inhabiles, sicut ob fidei favorem decernitur, cap. *in fidei favorem, de hæret. in 6.* causa autem matrimonij est favorabilis, *cap. fin. de sent. & re jud.* Tum etiam, quia admittuntur testes inhabiles concurrentes cum alio inhabili, & fide digno, per cuius habilitatem alterius inhabilitas suppletur: & ita fit in præsenti per præsentiam Parochi. Ergo.

* 42 QUÆRO XII. Suntne aliqui casus, in quibus validè contrahitur Matrimonium sine præsentia Parochi?

Resp. affirm. *Primus* est suprà adductus in *E. 5. 2. 5. Secundus*: Si omnino nullus Parochus, aut Episcopus, vel eorum vices gerens possit haberi, nimirum, vel quia Ecclesia est, & diù manet viduata, vel non scitur vbi Parochus sit inveniendus. cum lateat metu persecutionis: vel saltem non est securus ad eum accessus. In quo casu sufficit decretum Tridentini servare pro possibili, nimirum adhibendo testes. *Tertius*: Si contrahentes ex loco, vbi Tridentinum servatur, migrent ad locum vbi non servatur: vbi tamen sciendum, quod si qui de industria, & ex fine contrahendi sine Parocho, & testibus ex suo territorio, in quo Tridentinum servatur, vadant ad locum, vbi non servatur, Matrimonium etiam ibi contractum sit nullum. Nam & Congregatio Cardinalium, interpretationi Concilij Trid. præfecta, & Vrbanus VIII. in speciali rescripto, & Brevi Apostolico ad Archiepiscopum Colon. dato 14. August. 1627. talia Matrimonia, vt fraude contracta, invalida esse, declararunt, vt refert Lugo in Respons. lib. 1. dub. 37. *Quartus*: Christiani apud infideles captivi, vti & Mercatores in terris infidelium habitantes, validè contrahunt sine Parocho, & testibus. Quia decretum illud velut conditionem petit, vt obligare incipiat post publicationem in Parochia, in illis autem locis non est publicatum. *Quintus*: Matrimonia à Catholicis contracta in Hollandia, Zelandia, & similibus locis, vbi Parochi non sunt, sunt valida, vti Cardinalis Rupertus Bellarminus respondit Episcopo Tricatien. scilicet decretum Concilij de præsentia Parochi, non extendere se ad loca, vbi nulli sunt Parochi. *Si* autem Parochus ab hæreticis toleretur, sed gravi pœna, mortis, vel exilij, illi sit prohibitum, nec Sacramenta administret, si tunc Matrimonia celebrentur coram Magistratu, sunt valida, vti Episcopo Antuerpiensi respondit, allegando rescriptum Cardinalium in quo dicunt, tunc non obligari, vt fiat Matrimonium coram Parocho, quando ad eum non est tutus accessus, vti non est, quando subest periculum mortis, vel exilij: si verò in illis locis inveniantur occulti quidam Sacerdotes, à Papa, vel Episcopo facultatem habentes, si hi assistere velint, & possint, coram illis contrahendum est.

* 43 *Quid sentis* de Matrimonijs hæreticorum, vel celebratis coram ministro hæretico, Lutherano, Calvinista? *Dico*: Si celebrentur in locis, vbi decretum Tridentini non fuit promulgatum, nec receptum, est eadem ratio ac de terris Principum catholicorum, in quibus non fuit facta eius promulgatio, vel receptio. Si quis de industria, vel ex fraude ad ea loca, Matrimonij contrahendi causa se conferat, ex ante dictis circa casum tertium patet esse nullū. Si quæ sint loca hæretica, in quibus nec Catholicis licet sub gravi pœna aliter contrahere, quàm coram ministro hæretico, constat ex dictis valere. Si verò ante hæresim in ea loca invectam Concilium Trident. in illis fuit promulgatum, & receptum, fatentur quod secundum rigorem decreti deberent Matrimonia iudicari esse nulla, ob defectum veri, proprij Parochi: Sed de benignitate Ecclesiæ, Germaniæ, alijsque terris hæresi infectis condescendentis, practicè probabilius videtur, ea esse valida. Et hoc vel maximè ex eo colligitur, quòd si ambo coniuges hæretici fiant Catholici, non denuò contrahant coram vero, & proprio Catholico Parocho: quod tamen planè esset necessarium; quia sicut ante vixissent, sic & posteà semper viverent in fornicatione, aut concubinatu: nam illud Matrimonium (ad differentiam Matrimonij infidelium, seu non baptizatorum) nec in ratione contractus (à quo, vt probatum est suprà Exam. 1. quæst. 7. rationem Sacramenti separare non possunt) fuisset validum. Ergo. Idem ob eandem Rationem sentiendum est de Matrimonio ab hæreticis clam, seu sine Parocho Catholico, contracto in loco, vbi hæresis publicè non grassatur, nec toleratur, sed tamen quidam hæretici negotiorum, vel mercaturæ causa ibi se detinent, vbi & Tridentinum est receptum.

* 44 *Potestne* Sacerdos Catholicus licitè assistere Matrimonijs hæreticorum in sua Parochia habitantium? *Affirmo probabilius. Ratio*: Si non posset, vel esset, ne incurrat excommunicationem hæresi annexam, vel propter reverentiam Sacramenti, quod hæretici suscipiunt indignè: Sed ob neutrum prohibetur; nam post Concil. Constantiense, nec in sacris, nec in politicis hæretici sub censura sunt vitandi, nisi sint denunciati. Deindè Sacerdos non est minister huius Sacramenti, sed tantùm primarius testis, vt dictum est suprà.

* 45 QUÆRO XIII. Matrimonia contracta sine proclamationibus suntne dicenda clandestina? *Resp.* negativè; dummodo Parochus, & Testes adsint. *Ratio*: Illud Matrimonium iure censetur clandestinum, & subiacet pœnis, quod fit clam, & non coram Ecclesia, cui propterea de eo iuridicè constare non potest: Sed tale non est Matrimonium omissis proclamationibus coram Parocho, & testibus celebratum, vt patet. Ergo.

Nota tamen, quòd graviter peccent, qui sine dispensatione, vel legitima causa omissis denunciationibus contrahunt; cum sit res gravis, & Concilium Tridentin. strictissimè eas præcipiat. Hinc proclamationum omissio meritò potest annumerari impedimentis solùm impedientibus, de quibus suprà.

Quis dispensat in proclamationibus? vel quæ est rationabilis causa eas omittendi? *Dico*: Dispensat Episcopus, vel eius Vicarius Generalis. Causæ rationabiles omittendi sunt. 1. *Si* Matrimonium sit inter Magnates, quod nonnisi cum magna deliberatione contrahi solet. 2. *Si* non sit metus alicuius impedimenti, & gravis causa, ac necessitas vrgeat accelerationem Matrimonij ad consulendum famæ contrahentium 3. *Ob magnam* verecundiam eorum, vt si egregiè nobilis ducat ignobilem. 4. *Si non vanè*, sed fundatè timeatur periculum impedimenti ex aliorum malitia, dummodo nullum aliud impedimentum dirimens adsit. Quæ res à Parocho prius exactè est examinanda.

Quid observandum in proclamationibus? *Dico*: Juxta Tridentin. hæc sunt observanda. 1. *Ut fiant* in Ecclesia inter Missarum solemnia, si tamen ex causa fierent propè Ecclesiam, vel in loco publico, modo sit magnus confluxus populi, non esset peccatum 2. *Ut fiant* à proprio Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia. 3. *In propria* Parochia, & quidem vtriusque contrahentis, vti declaravit Congregatio. 4. *Tribus diebus* festivis, non immediatis, continuis tamen, id est, per nulla festa interpollatis, licèt dies feriales intercedât,

Licetne post proclamationes statim contrahere? *Affirmo*, licere etiam eadem die, si desit metus cuiusvis impedimenti, & adsit rationabilis causa. *Ratio*: Quia non extat Lex prohibens. *Quid si* Matrimonium diu differatur? *Dico*: Si non contrahatur intra quatuor menses, declaravit sacra Congregatio denuntiationes esse repetendas. Immò iuxta Rituale Romanum sunt repetendæ (nisi Episcopo aliter videatur) si differatur solum per duos menses.

Quare fiunt proclamationes Matrimonij? *Dico*: Vt manifestentur impedimenta, si quæ sint inter contrahentes; hinc qui aliquod eorum scit, tenetur post proclamationes illud illicò denunciare, etsi esset secretum, vt impediat gravia mala, v.g. adulterium, incestum, sacrilegium, &c. Si tamen ex hoc vnus contrahentium exponeretur magno periculo infamiæ, esset ex Charitate prius admonendus, vt à tali Matrimonio desisteret, si admonitio profutura esse credatur.

IMPEDIMENTUM RAPTUS.

De Raptu, in quantum est species Luxuriæ, agit *S. D.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. & nos de eo egimus *T.* 5. *E.* 2. *Q.* 4. In præsenti autem Raptus discutitur, in quantum dirimit Matrimonium. Vnde de illo.

* 46 QUÆRO XIV. Quid est, & quâdo dirimit? *Resp.* Raptus in præsenti est violenta abductio alicuius fœminæ, invita illa, atque etiam eius parentibus, aut in quorum tutela est, repugnantibus: ad explendam libidinem, aut ad contrahendum Matrimonium. Hinc ad raptum, prout est impedimentum dirimens, requiruntur hæ quatuor conditiones. 1. *Vt* adsit violentia. 2. *Vt* fiat libidinis, vel Matrimonij causa. 3. *Vt* fiat traductio de loco ad locum. 4. *Vt* persona abducta sit honestæ famæ. Quæ conditiones si adsint, Matrimonium inter raptorem, & raptum est nullum, nisi fœmina prius fuerint *parti reddita tuæ*, Seu in locum tuto collocata, libertati restituta. Ita enim expressè statuit Concil. *Trid. sess.* 24. *de reform. Matrim. c.* 6. Vbi etiam in raptores, & omnes ei consilium, vel favorem præbentes, statuuntur pœnæ, nimirum excommunicatio, & infamia, ac in Clericos depositio. *Ratio* id statuendi fuit, vt salvetur plena libertas in Matrimonio, & illud non sit contractum.

Quid si puella volens sit abducta, parentes verò sint inviti? *Dico*: Licet sit grave peccatum, nimirum illa iniuria parentibus illata, Matrimonium tamen tenet. *Ratio*: Quia puella est plenè libera, & consensus Parentum non est de valore Matrimonij, vt dictum est suprà.

EXAMEN VII. ET ULTIMUM.

De quibusdam Matrimonio supervenientibus, vel ei annexis, vti sunt, superveniens fornicatio, *de quo S. D. q.* 62. *per sex art.* Redditio debite, *q.* 64 *per* 7. *art.* Bigamia, *q.* 66. *per quinque articulos.* Illegitimitas filiorum, *q.* 86. *per* 3. *art.*

* 1 QUÆRO I. Licerne viro, vel teneturne propter fornicationem dimittere vxorem, & quidem proprio judicio? *Resp.* 1. ex S. Thom. *q* 62. *a.* 1. Viro conceditur iuxta Domini verba vxorem fornicationis causa repudiare, seu dimittere. 2. *Non* quòd dissolvatur vinculum. 3. *Sed* quoad thorum, & cohabitationem, seu vt non sit adstrictus ad reddendum ei debitum.

Ratio 1. *p.* Tum quia in tali casu non est obstrictus fidem servare ei, qui illam violavit. Tum quia hoc Dominus *Matth.* 5. concessit in pœnam illius, qui fidem fregit: & in favorem illius, qui fidem servavit, ait S. D. Vide in *E.* 4. *q.* 4. vbi explicatur ille textus: *Quicumque dimiserit, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ratio 2. *p.* Quia vinculum coniungij est ex sua natura insolubile, vt probatum est suprà. Ex his sequitur *tertia Pars.*

Resp. 2. *ex a.* 2. Si vxorem adulteram pœniteat adulterium commississe, non tenetur vir ex præcepto illam dimittere, sin minus, tenetur. *Ratio* 1. *p.* Dicta repudiatio est quædam pœna ad corrigendum crimen vxoris: sed pœna corrigens non requiritur, vbi emendatio iam præcisit. Ergo. *Ratio* 2. *p.* est, ne Vir videatur consentire peccato vxoris.

Resp. 3. *ex a.* 3 Quantum ad thorum potest Vir proprio iuditio vxorem fornicantem dimittere, quoad thorum verò, & cohabitationem simul, nonnisi iuditio Ecclesiæ. *Ratio*: Quia prima dimissio est pœna privata, adeòque privatim fieri potest, altera verò est publica, & cum strepitu. Ergo debet infligi à Iudice. In *R. ad* 2. docet S. D. quod quando dicitur de S. Joseph, quod voluit occultè dimittere Mariam, id non fecerit, quasi fuisset suspecta de crimine, sed ob reverentiam sanctitatis eius timens cohabitare ei.

Excipit *S. D. in a.* 1. *septem casus*, in quibus vir

vir non potest vxorem fornicantem dimittere, cum in ijs vel mulier sit inculpabilis, vel ambo sint æqualiter culpabiles. *Primus est*: Si ipse vir similiter fornicatus fuerit. 2. *Si* ipse vxorem prostituerit. 3. *Si* vxor virum suum probabiliter mortuum credens propter longam eius absentiam alteri nupserit. 4. *Si* latenter cognita est ab aliquo, sub specie viri lectum subintrante. 5. *Si* fuerit vi oppressa. 6. *Si* reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum carnaliter eam cognoscens. 7. *Si* Matrimonio in infidelitate vtriusque contracto vir dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim, si vterque convertatur, tenetur eam vir recipere. Hæc ibi.

* 2 *Quibus ex causis* potest fieri divortium? *Dico*: Variæ sunt causæ. 1. *Ex dictis*, adulterium culpabile, quo etiam bestialitas, Sodomia, incestus, seu quævis species Luxuriæ, in qua caro dividitur cum alia. Pollutio, oscula, impudici tactus dant causam separandi saltem ad tempus, vt mulier corrigatur. 2. *Sevitia* Mariti, vel vxoris ad iudicium Ecclesiæ, immò etiam ante potest dimittere, si adsit periculum mortis. 3. *Sollicitatio* ad peccatum v. g. ad hæresim, veneficium, &c. immò tunc vir tenetur ad separationem, si periculum sit grave. 4. *Morbus* contagiosus, v. g. Lepra, si sit periculum infectionis. 5. *Hæresis*, vel Apostasia. 6. *Mutuus* consensus.

Possuntne Vir, & vxor post divortium reconciliari? *Dico* cum *S. Thom. a. 6. in c.* Si vxor post divortium de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare: si autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam reassumere, eadem ratione, qua non licebat eam, nolentem à peccato desistere, retinere, ait Sanct. D.

Possuntne Vir, & vxor in causa divortij ad paria iudicari? *Dico* cum *S. D. a. 4. in c.* In causa divortij Vir, & vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum, & illicitum vni, quod alteri; non tamen pariter iudicantur ad illa, quia causa divortij est maior in vno, quam in alio, cum tamen in vtroque sit sufficiens causa ad divortium. Divortium enim pœna est adulterij, in quantum est contra Matrimonij bona. Quantum autem ad bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra Matrimonium adulterium vnius, sicut adulterium alterius: & hæc causa in vtroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium vxoris, quam viri, & ideò maior est causa divortij in vxore quam in Viro; & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, non tamen iniustè, quia in vtroque est causa sufficiens ad hanc pœnam: sicut est etiam de duobus, qui damnantur ad eiusdem mortis pœnam; quamvis alius altero gravius peccaverit. *Hæc ibi.*

* 3 QUÆRO II. Adulter, & incestuosus ratione sui sceleris perduntne ius petendi debitum? & quid & quis in hoc cum ipsis dispensare potest? *Resp.* 1. Si adulterium vnius coniugis sit alteri notum, & hic sit innocens, potest quidem reus alterum simpliciter, seu amicè rogare, non tamen potest exigere, id est, tanquam ex iustitia debitum. 2. *Nisi* fortè vxor in eodem genere peccasset. 3. *Si* autem vxori notum non sit, potest exigere. *Ratio* 1. *p.* Quia adulterium privat iure exigendi. *Ratio* 2. *p.* Duo adulteria mutua compensatione tolluntur. *Ratio* 3. *p.* Coniux nocens iure exigendi non privatur, nisi per voluntatem, & quasi sententiam innocentis: qui hic tenet quasi locum Judicis. Ergo.

* 4 *Resp.* 1. Omnes quidem, qui cum propriis cognatis, & affinibus vsque ad quartum gradum inclusivè perfectam copulam carnalem exercuerunt, vocantur, & sunt incestuosi. 2 *Iure* tamen petendi debitum solus ille incestuosus privatur, qui cum consanguinea suæ vxoris dictam copulam habuit. 3. *Et* quidem intra secundum gradum. 4. *Hinc* non privatur; qui rem habuit cum propria cognata. 5. *Nec* qui cum affine vxoris suæ. 6. *Nec* qui cum vxoris consanguinea fecit copulã imperfectam. 7. *Nec*, qui cum consanguinea in tertio, vel quarto gradu.

Ratio 1. *p.* patet ex definitione incestus *T. 5. E. 2. Q. 4. Secunda Pars* patet ex explicatione definitionis affinitatis suprà *E. 6 n. 17. Tertia Pars* patebit ex semotima. *Ratio* 4. *p* Quia per talem copulam non contrahitur affinitas, vt patet ex affinitatis deffinitione. *Ratio* 5. *p.* Quia est incestus impropriè talis, vti & impropriè est affinitas respecta adulteri. *Sexta Pars* de copula imperfecta, cum per eam non contrahatur affinitas, patet etiam ex dictis suprà circa definitionem affinitatis *Septima Pars* iuxta hodiernam praxim est omnino certa, quia ita declaravit Congregatio Cardinalium.

Nota tamen, quod incestuosus hanc penam (scilicet privationem iuris petendi debitum) incurrat, licet incestus sit occultus, & alteri coniugi non notus: in quo ob maiorem suam gravitatem differt ab adulterio. Non tamen eam incurrit ille, qui hoc delictum commisit cum ignorantia iuris, & facti: facti quidem, vt si nescivit suam complicem suæ vxori esse consanguineam in gradu tam propinquo; iuris autem, vt si nescivit, quod huic delicto ex Ecclesiæ Statuto tam gravis pœna sit annexa; tam grave enim pœnam non incurrit ignorans.

Resp. 3. Cum ijs, qui propter incestum, vel adulterium iuri petendi debitum sunt privati, dispensare potest Episcopus. Præter eum Religiosi mendicantes exposîti, sed ex commissione suorum Provincialium, & tantum in foro conscientiæ, vt docet noster de La Cruz citans Bullam Pij V. & ex eadem docens, quod idem Religiosi ex eorundem Provincialium commissione id pro eodem foro possint cum ijs, qui ante Matrimonium voverunt castitatem, qui tamen, vt suprà dictum, mortuo altero coniuge non possunt deinò contrahere Matrimonium: si contrahant, non possunt à novo coniuge petere debitum sine nova dispensatione. Quæ quoque nunquam danda est nisi ex rationabili causa, quæ sufficiens esse potest periculum incontinentiæ: seu si non possit continere.

Not. ex Gobat in Theol. experim. *T. 10. casu 5. n. 604.* quod cum Regulares hac facultate polleant, possint etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ dispensare etiam cum absentibus. Hinc si Parochus per litteras pro quodam id petat (tacito etiam nomine eius, pro quo petit) & Religiosus rescivat, *dispensio* res erit salva: dummodo subsit rationabilis causa, quæ vix deesse potest.

* 5 QUÆRO III. Quid sentis de obligatione reddendi debitum coniugale? *Resp.* 1. Obligatio hæc est sub peccato ex genere suo mortali. *Ratio*: Quia est obligatio iustitiæ commutativæ, vtpotè ex contractu, & per se in re gravi: cuius iustitiæ violatio, ex genere suo mortalis est. De

quo

quo vide suprà in hoc T. E. 1. Q. 5. n. 7. quod vsus Matrimonij per se sit actus licitus, honestus, & meritorius. Dixi, *ex gratiæ suo*; quia in individuo potest esse veniale, nimirum ex parvitate materiæ, vel ex alia causa. Vnde.

Resp. 2. Negare debitum coniugale potest esse veniale in quatuor præcipuè casibus. 1. *Ob* parvitatem materiæ, puta, si redditio parùm differatur, vel si negetur ratò, dum petitur frequenter. Exceptio est, si ex parte petentis adsit periculum incontinentiæ, pollutionis, &c. 2. *Si solum* simpliciter, seu amicè, ac benevolè, seu vt amoris, ac benevolentiæ signum petat, si verò exigeret strictè, seu velut debitum ex iustitia, mortale esset negare; nisi ex alio capite esset excusatio. Vbi, vt patet, distinguitur inter petere, & exigere. 3. *Si alter* sit nimius in petendo, seu petat nimis importunè, ac nimis frequenter, & sine necessitate, & absque periculo incontinentiæ: tunc enim non semper est obligatio reddendi. 4. *Si* non petat ardenter, & instanter, sed remissè; ita vt vel leviter ab altero rogatus petere desinat. Pro quo.

Resp. 3. Vel semel negare debitum est mortale, si simul concurrant hæ tres circumstantiæ, nimirum si petat *seriò*, *instanter*, & *rationabiliter*. Porrò irrationabiliter petitur, & rationabiliter negatur præcipuè in his sex casibus. *Primus est*: Si petatur in phreneſi, ebrietate, amentia, &c. quia tunc petit, vt bestia, non vt homo. Exceptio est, si in petente esset periculum pollutionis. Quia valdè egenti reddendum est debitum.

Secundus casus est: Si coniux reddendo exponatur periculo contagionis, quia nimirum petens laborat morbo contagioso, v. g. peste, lepra, cum quo periculo non tenetur vitare peccatum alterius (si quod fortè timeatur) cum non sit in necessitate simpliciter, eo quod per alia media spiritualia se iuvare possit. *Tertius*: Si fœmina sit tam debilis complexionis, vt ex copula sibi timeat periculum mortis, vel aliud grave incommodum. *Quartus*: Si ex redditione debiti timeat futura mors proli in vtero iam conceptæ. *Quintus*: Si absque iusta causa petatur tempore menstrui. Immò tunc petere per se non caret culpa, docet enim S. Bonaventura, ex coitu tali proles concipi miserimas. Dixi, *si absque iusta causa*; vti si ex negatione non timeatur maius malum, v.g odium vxoris, pollutio, &c. *Sextus*: Si petatur ex mera lascivia, & hoc nimis frequenter, vtpotè diu, noctuque. Item si petens in ipso actu nimiam petulantiam faciat; Si afferat oris fœtorem ex pridiana, vel ferè quotidiana crapula ortum, &c. in quibus circumstantijs vxor non peccat mortaliter, immò interdum nec venialiter: seclusso semper periculo maioris mali.

* 7 *Quid si* Vxor sciat, quod soleat edere proles mortuas, teneturne ob hoc abstinere ab vsu cõiugij? *Dico*, quod non. *Ratio*: Tum quia coniuges vtuntur iure suo, & defectus sequitur per accidens: *Tum etiam* quia melius videtur esse puero, quod habeat esse, etiam privatus Visione Dei ob culpam originalem, quam quod omninò non existat, vt colligitur *ex S. August. lib. 5. contra Julian. c. 8.* *Esne* licitum negare debitum ex metu nimiæ multiplicationis prolium? & ob difficultatem sustentationis? *Dico*: Ordinariè non est licitum seclusso mutuo coniugum iuri suo vtrinque cedentium consensu. *Ratio*: Tum quia multiplicatio prolis est primarius finis Matrimonij. *Tum* quia proli melius est, vt vivat inops, quàm vt omninò non habeat esse. *Tum tandem*, quia non oportet esse tam modicæ fidei, sed confidere in eum, qui etiam volatilia cœli pascit. Dixi, *Ordinariè*; Si enim esset casus in quo ob novæ prolis generationem extrema paupertas imminere parentibus, aut alijs filijs, liceret: sed hic casus inter Christianos est rarissimus, & maudictus.

* 8 QUÆRO IV. Quæ peccata in vsu coniugij possint committi à coniugibus? *Resp.* Pulchrè colliguntur ex his duobus Versibus:

Si modus, & finis, sine damno, solve, cohære,
Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

Explicantur suo ordine. *Sit modus*: Per hanc particulam insinuatur, servandum in coniugij vsu esse debitum situm, seu naturalem congrediendi modum, nimirum vt vir in & mulier succumbat. Qui situs, si non servatur, est peccatum. Congressus ille indebito modo fit. 1. *Si* masculus succumbat fœminæ. 2. *Si* masculus accedat præposterè, seu retrò, in vase tamen naturali. 3. *Si* fiat sedendo. 4. *Si stando*. In ordinatus ergo congressus semper est peccatum mortale, quoties inordinatio est tanta, vt sequi nequeat generatio. Quæ etsi sequi possit, attamen sine iusta fiat causa, graviter reprehendendi sunt coniuges, committunt enim saltem gravissimum veniale. Immò ratione pravæ intentionis vel cuiusdam gravis circumstantiæ potest esse mortale. Necessitas; vel iusta causa excusans est, si vir propter pinguedinem non possit aliter cum fœmina congredi in vase naturali, quàm à retrò. Vel si fœmina sit gravida, & ob id non possit aliter, quàm eo modo præposterè.

Finis: Circa hunc sciendum, quod inter Propositiones ab Innocentio XI. damnatas sit hæc n. 9. *Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Debent ergo Coniuges se cognoscere ex motivo Iustitiæ, & Religionis, vt dictum est suprà *E.* 1. *Q.* 5. intendendo hoc saltem virtualiter: quæ intentio, meritò sæpius renovanda, debet ferri in prolem procreandam, & honestè educandam ad Dei gloriam, qui est finis primarius: vel saltem debet intendi remedium cõcupiscentiæ, qui est finis secundarius. Si proinde finis sit sola delectatio sensualis, licèt sistat intra limites Matrimonij, seu non feratur ad aliam fœminam, etsi non sit peccatum mortale, est tamen veniale. Coniux alteri se solum delectanti reddens, non peccat; quia reddit, ad quod tenetur. Quomodo Coniuges sub actu sibi imaginantes aliam personam, sive solutam, sive ligatam, consanguineam, sacram, seu monialem, &c. peccent peccato eius speciei, cuius est qualitas præsens, aut si se delectent erga se absentes, patet ex dictis suprà *T.* 4. *E.* 2. *Q.* 19.

Sine damno: Si enim ex copula carnali, vel inordinato eius modo, timeatur damnum mulieri, vel proli iam conceptæ, est peccatum, vt patet ex dictis *ad Q.* 3 *R.* 3. *ad* 2. 3. 4. & 5. casum propositum num. 5. & 6.

Solve, puta, debitum, de cuius reddendi obligatione iam ante dictum est. Quibus adde, Quod saltem ad melius esse debeant coniuges cohari, vt simul semineni. Quam ob causam Vxor ad seminandum tardiòr potest se tactibus ad copulam præparare, vt simul cum viro possit seminare: vel post

viri retractionem se tactibus excitare vsque dum seminet: quia hi tactus ordinantur ad complendum actum coniugalem. Hoc tamen non licet viro, post retractionem fœminę, se polluenti: & hoc ob rationem oppositam. Immò hæc, & quæcumque inter conixges pollutio extra vas debitum habet speciem, & malitiam adulterij. *Ratio*: Quia conjux non servat fidem alteri datam de eius corpore castè custodiendo.

* 9 *Cohære*, intelligitur de cohærentia, quoad copulam carnalem perfectam, seu vsque ad seminationem inclusivè, & sic eius sensus patet ex mox dictis. Intelligi etiam potest de cohærentia, quoad cohabitationem, & thorum, & in hoc sensu aliqua de hoc dicta sunt in hoc *E. ad Q.* 1. de dimissione Uxoris. His adde 1. *quod* Vir non teneatur vbique cohærere Uxori, hinc si aliò proficiscatur statim rediturus, vel nullibi notabilem moram facturus, sed variorum negotiorum causa ad diversa pergat loca; non tenetur secum ducere Uxorem: esset enim hæc magna molestia, & impedimentum in itinere. Votum tamen longæ peregrinationis in præiudicium Uxoris facere non potest. Excipitur votum itinerandi in subsidium Terræ Sanctæ, qui casus de facto cessat. *Adde* 2. quòd conjuges teneantur sibi invicem alimenta præstare, id est, Vir tenetur alere Uxorem, ideò enim dotem accipit, vt onera Matrimonij sustineat: tenetur, inquam, si Uxor Viro cohabitet. Si enim discedat ex propria temeritate, seu absque culpa viri, vir non tenetur eam alere: tenetur tamen si discedat ob excessivam castigationem; secùs, si sit moderata.

Sit Locus, nimirum huic actui proportionatus, vt nimirum imprimis non sit publicus, vel talis, in quo hoc opus ab alijs videri possit, & hoc ad cavendum scandalum. Item non sit locus sacer, nisi fortè coniuges ex necessitate simul habitent, seu se detineant in Ecclesia. De quo plura vide suprà de Sacrilegio *T.* 10. *E.* 4. *Q.* 10. *R.* 3.

Tempus. Circa hoc est communis sententia, quòd coniugibus, qui nocte antecedente se carnaliter cognoverunt, die sequenti sit abstinendum ab Eucharistia sumenda; saltem ex consilio, devotione, ac reverentia: præsertim si relictus si aliquis affectus ad res venereas, & aliqua mentis divagatio. Limitandum tamen hoc est, nisi iusta causa suadeat eo die Communionem sumere, vt si sit festum valde solemne, dies Iubilæi, &c. aut si Communio commodè differri nequeat. De hoc plura vide suprà *T.* 12. *E.* 4. *Q.* 7. In die festo, vel in Quadragesima actum coniugij exercere, nullo iure prohibitum est,

* 10 *Tactus*. Hæc vox insinuat, quòd tactus inter coniuges sint mortales, si fiant cum periculo pollutionis extra vas: secluso autem hoc periculo, tactus, & oscula à mortali excusantur, non tamen à veniali, si solùm fiant ob delectationem, & sine intentione copulæ. Idem est de verbis obscœnis, & aspectibus. Si fiant ad præparandum se ad copulam, vel ad fovendum amorem coniugalem, nec venialia sunt; quia tunc adest debitus finis.

Nec permitto votum; intelligitur de casu, quo vnus coniugum est obstrictus voto simplici castitatis, qui propter hoc non potest adæquatè vti Matrimonio: quia petest quidem reddere, non tamen petere. Iure enim petendi se privavit per votum, quod quia alteri non debet nocere, nec ius ab eo tollere, reddere tenetur.

* 11 *Quomodo* se habere debet Confessarius erga puellam in omni pudicitia educatam, & noviter nuptam, quę (ne contra castitatem coniugalem peccet) consulit Confessarium, quomodo se debeat habere in actu coniugij? *Dico* cum Gobat præclarè hoc explicante: Si puella habeat matrem superstitem, bonis verbis iubeatur potius interrogare illam, quàm Confessarium, hoc enim decentius est. Si matre careat, dicatur ei, vt merito obediat, etiam in istis. Qui si fortè petat aliquid, de quo ipsa dubitat, an sit licitum, verecundè deprecetur: si deprecando nihil efficiat, idcirco, quòd maritus asserat, se iam nosse quid permittant leges connubiales, tunc obediat, certa se non offensuram Deum, dum in dubio paret marito, tanquam Superiori: proxima deinde occasione quærat ipsa ex Confessario, vtrùm illud, in quo obedivit, coniugi, licitum sit necne? Ad particularia Confessarius non descendat, nisi singulariter interrogetur de illis: interrogatus prudenter respondeat Poterit pro re nata (ait idem Auctor) suggeri tali, vt sequatur exemplum nonnullatum, quę, præsertim quando nubunt viduis, his prima vice debitum petentibus dicunt sic: Meum corpus est in tua potestate, quis vsus sit licitus, vel illicitus, planè ignoro, rogo te, sic vtaris, vt possis in die Iudicij reddere Deo rationem. *Titulus* huius Examinis comprehendit Quæstionem *de Bigamia*, de qua S. Thom. hic *Q. 66. agit*. Sed de ea sufficienter actum est suprà *T.* 14. *E.* 1. *Q.* 12.

* 12 QUÆRO V. *& vltimò*: Quid resolvis de filijs illegitimè natis? *Resp.* 1. Illegitimus est, quicunque extra legitimum Matrimonium procreatur. Unde S. *D. hic q.* 68. *a.* 1. *in c. ait*: Quadruplex status est filiorum; Quidam enim sunt naturales, & legitimi, sicut illi, qui nascuntur ex vero, & legitimo Matrimonio. *Quidam* naturales, & non legitimi, vt *filij*, *qui* nascuntur ex simplici fornicatione. *Quidam* legitimi, & non naturales, sicut filij adoptivi. *Quidam* nec legitimi, nec naturales, sicut spurij nati de adulterio, vel de stupro: tales enim nascuntur, & contra Legem positivam, & contra Legem naturæ espressè. *Hæc ibi. Et ad* 2. *ait*: Illi, qui conveniunt bonæ fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignorent, non peccant, nec filij sunt illigitimi.

Nota, circa hæc, quòd Iure Canonico filij naturales vocentur omnes illi, qui nati sunt ex talibus parentibus, qui tempore conceptionis, vel nativitatis eorum, nullum habebant impedimentum, quod intet eos irritum potuisset reddere Matrimonium, seu qui sunt nati ex soluto, & soluta ab omni impedimento Matrimonium dirimente. Illi verò, qui sunt nati ex vito coniugato, & fœmina soluta dicuntur *notbi*, à nota, scilicet ab infamia, quia esse natum ex adulterio hominem valde infamat. Qui sunt nati ex coitu aliqua lege specialiter damnato, v. g. ex stupro, raptu, sacrilegio, incestu, vel fœmina coniugata, vocantur *spurij*, quasi spurci, à spurcitie incontinentiæ. Qui sunt nati ex viro soluto, & scorto, seu meretrice, aliave fœmina fornicaria, vocantur manceres. Quòd omnes hi sunt irregulares, & arceantur à suscipiendis Ordinibus dictum est suprà *T.* 14. *E.* 1. *Q.* 12.

* 13 *Resp.* 2. De ablatione illegitimitatis S. *Thom. a.* 3. *in c. sic ait*: Filius illegitimus potest legitimari, non vt fiat de legitimo coitu natus, quia

coitus

coitus ille trauſivit, & nunquam poteſt fieri legitimus, ex quo ſemel fuit illegitimus: ſed dicitur legitimari, inquantum damna, quæ illegitimus filius incurrit, ſubtrahuntur per Legis authoritatem. Ita S. Thom. qui poſteà aſsignat ſex modos legitimandi, quatuor ſecun dum ius civile, qui videantur in fonte: duos ex jure Canonico. *Primus eſt*, cum quis in vxorem ducit illam, ex qua filium illegitimum generavit, ſi non fuit adulterium, &c. quia ſubſequens Matrimonium purgat omnes defectus præcedentes, omnem irregularitatem, hæreditatis incapacitatem, &c. *Secundus eſt* per ſpecialem indulgentiam, & diſpenſationem Domini Papæ, hic enim ſolus poteſt legitimare ad iura Eccleſiaſtica, Ordines, & Beneficia, ad quæ proinde illi, qui dicuntur Comites Palatini, legitimare non poſſunt, ſaltem ordinariè, ſed ſolum legitimant ad quædam civilia iura, officia, dignitates, vel hæreditatum ſucceſsiones, &c. ad quæ Papa non ſolet legitimare eos, qui ſubſunt temporali juriſdictioni alterius Principis, ſed ſolum eos, qui ſubſunt ſuo temporali imperio. Poteſt ergo ad ea legitimare pro ſuo arbitrio, quivis Princeps, aut Reſpublica libera ſuos ſubditos, etiam in ordine ad ſucceſsionem hæreditariam Parentum, ac Conſanguineorum, ac ſi eſſent legitimè nati. Verum.

Obſervanda hic bene eſt illa Regula Juris: *In generali conceſsione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Vnde legitimatus ad prædicta civilia, non eo ipſo cenſetur etiam legitimatus in paterna nobilitate, feudo, primogenitura, &c. niſi id ſpeciatim expreſſum fuerit. Hinc & Papa, dum quem legitimat ad ſacros Ordines, & Beneficia, etiam iurata, non eo ipſo legitimat ad Epiſcopatum. Eſt ergo accuratè inſpiciendus tenor diplomatis, an privilegium legitimandi ſit datum non ſolum ad legitimandos alienos, ſed etiam proprios filios, non ſolum ad naturales, ſed etiam ad progenitos ex concubitu damnato, & ad quæ Jura? Habent Religioſi privilegium, quod, ſi qui Religionem profiteantur, ipſo Jure ſint diſpenſati ad ſacros Ordines, non tamen ad dignitates, vel Prælaturas. Quid Juris ſit in noſtro Ordine Prædicatorio, videre eſt in noſtris Conſtitutionibus *diſt. 1. cap. 13. textu 4.*

* 14 *Tenenturne* Parentes dare alimenta ſuis prolibus illegitimis? *Dico*: Tenentur ea dare ſaltem moderata, & congrua ad honeſtam vitæ ſubſtentationem, quibuſcunque ſuis illigitimè natis, etiam ſpurijs; Ita vult Jus Canonicum c. *cum haberet, de eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.* Vnde ſub hoc intelliguntur, victus, veſtitus, habitatio, &c. *Ratio*: Quia ius naturæ dictat, vt qui dedit vitam, det etiam vitæ neceſsaria. *Idem docet S. D. a. 2. in c.*

Succeduntne etiam illegitimi in hæreditate? *Dico*: Angelicus Doct. *hic a. 2. in c. ait*: Filius illegitimus damnum incurrit duplex. Vnum, quia non admittitur ad actus legitimos, ſicut ad officia, vel dignitates, quæ requirunt aliquam honeſtatem in illis, qui hæc exercent. Aliud, quia non ſuccedit in hæreditate paterna, ſed tamen naturales filij ſuccedere poſſunt in ſexta parte tantum, ſpurij autem in nulla parte: quamvis ex iure naturali parentes eis in neceſsarijs providere teneantur. Vnde pertinet ad ſollicitudinem Epiſcopi, vt vtrumque Parentum cogat ad hoc, quod eis prouideant. *Hæc ibi.* Plura pro horum intelligentia colligi poſſunt ex dictis ſuprà in proprijs locis de donationibus, de hæredibus, ac ſucceſsionibus, &c.

Coronidem vltimo huic Tractatui, & toti huic Operi, ſeu Tribunali impono ex S. Auguſt. lib. 1. de adult. coniug. dicente: *Quæſtionem de coniugijs obſcuriſsimam, & implicatiſsimam eſſe, non neſcio: nec audeo profiteri, omnes ſinus eius, vel in hoc opere, vel in alio me adhuc explicaſſe, vel iam poſſe ſi vrgear, explicare.* Abſit ergo gloriari, me in hoc Confeſſariorum, ac Ordinandorum Tribunali omnes Theologiæ moralis ſinus penetraſſe, vel explicaſſe, vel id poſſe, ſi vrgear. Nihilhominus, quidquid pro modulo meo dixi, ad maiorem Dei gloriam dictum ſit. Si forſan quid præter Eccleſiæ Sanctæ, & Angelici Doctoris genuinum ſenſum irrepſit, vti illud revocavi in Prologo, ita revoco in Epilogo. Faxit Deus, vt, quando manifeſtari nos oportuerit ante Tribunal Jeſu-Chriſti, finalis Sententia Judicis nos inter, & ipſum faciat ſpirituale Matrimonium ſine fine.

FINIS OPERIS AUTHORIS.

TRAC-

TRACTATVS XVII.

APPENDIX I.

De Alexandri VII. & VIII. Innocent. XI. & XII. Decretis, quibus cum D. Thoma expositis, probabiliſmi abuſus condemnatur, hujuſque Tribunalis voſſus, notis clarior commendatur.

Per R. P. Lectorem Fr. Franciſcum Vidal, Regalis Conventus Prædicatorum Valentiæ Filium.

CErtiſſima *Chriſtianæ Regula Doctrinæ*, nempè *Angelici Doctoris vi & veritate Doctrinæ, qua Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis erroribus illuſtravit, & hæreſes confuſæ, convictæ, & diſſipatæ ſunt* (vt S. Pius V. ait) Propoſitiones noviſsimè Decretis Pontificijs damnatæ, modo expoſitæ, convictæ, & à fundamentis diſſipatæ apparent in hoc Tribunali; ipſa quoque Decreta illuſtrata manent cum eodem, *Divinæ voluntatis Angelico interprete*, eiuſque mira *perſpicuitate* vt dixit Clemens VIII. Sic tandem inter laxantes, & oprimentes; Cherubim paradiſi videtur, flameum gladium atque verſatilem ſuæ Doctrinæ vibrans, & coram eius *inconcuſſa, tutiſsimaque Dogmata, quæ ſi cauterio quodam* iuxta votum, & dictum Alex. VII. tam nimia probabiliſmi, & luxuriantium Angelorum laxitas, quam Janſeniſmi, & quorundam miſticorum ſeveritas profligata, & tamquam ad *lydium lapidem* à Tridentini Oratore declamatum, quid verum, quid falſum, bonum, vel malum vitium, & virtus apparet: Vt ſcias ſtudioſe Lector, quid tenendum, quid reprobandum ſit, & vere Iſraelita habeas vſque in finem *Angelum qui præcedat te, & cuſtodiat in via.* Obſerva ergo eum, & audi vocem ipſius, ſiquidem *bene ſcripſit*, vt dixit Dominus, igitur *Crede huic; quia eius Doctrina non deficiet in æternum* ait S. P. Franciſcus, vnà cum puriſsima Matre, cuius gratia ſit.

EXAMEN I.

De his, & ſimilibus Decretis in genere.

NOta, ſupradictos Pontifices ſuis Decretis plurimas propoſitiones variis cenſuris condemnaſſe, & ſub excomunicatione earum defenſionem, ſubpræcepto vero praxim prohibuiſſe. Inde.

* 1 QVÆRO I. Quomodo hæc, & ſimilia Decreta obſervanda? Intelligenda, & explicanda ſunt? *Reſp.* 1. Decreta hæc ſunt leges Pontificiæ doctrinæ morum declarativæ, & ab ipſa infallibili Petri cathedra immediatè procedentes. *Ratio*, quia ab ipſo Papa, eiuſque authoritate, Decreto, nomine, & approbatione (poſt diligens Examen Sac. Congregationis, ac maturam deliberationem) ſunt vniverſali Eccleſiæ pro ſalubri doctrina morum ordinata, & demandata, iuxta illud: *Paſce oves meas*, & more ſolito Romæ publicata, vt in ipſis patet, quod eſſe leges declarativas ex Cathedra conſtat iuxta dicta in Opere P. Uvigandt ſupra T. 6. E. 1 n. 2. & T. 7. E. 1. n. 32. & *D. Thom. ibi.* & 2. 2. q. 1. *art.* 10. & *op.* 1. contra errores Græcor. *cap.* 68. Unde infero

* 1 *Decreta* hæc non dimanare immediatè, ſed præſupoſitive, & quoad examen à Sacra Congregatione. 2. *Non* poſſe ſuſpendi ſupplicatione Regis, aut Regni, vel propter non acceptationem, aut aliam tergiverſationem; quia veritas, & falſitas illis oppoſita nec ab his, nec à loco pendet; & cum Religio Chriſtiana in ſede Petri ſit fundata, quidquid ab illa relegatur, & prohibetur, eo ipſo in tota Eccleſia relegatum eſt vt ait celebris Thomiſta Thomas Hurtado *lib. duplex antid. fol.* 36. 3. *Quod* omnes Chriſti fideles habentes eorum notitiam moraliter certam per teſtes, vel Authores fidedignos, aut per Bullaria, debent ea amplecti, & obſervare, ob datam rationem.

4. *Quamvis* in aliquorum ſententia non obligent quantum ad præceptum, & pœnam vbi non ſunt publicata, tamen probabiliora, & tutior Sententia ſupra Tract. 6. E. 5. n. 8. tradita, & apud Palaum, Suarem, Dianam, & pluſquam 36. *Authores* vbique obligant quoad omnia ſola publicatione Romæ facta ob rationem dictam. Ad maiorem tamen cautelam Decretum Innocentij XI. à Sancto Tribunali Inquiſitionis Hiſpaniæ fuit publicatum, vt dicemus E. 2. n. 45. 5. *Quicumque* propoſitiones in eis damnatas deffenderit, tractaverit (niſi ad Impugnandum) impreſerit, vel docuerit, publicè, vel privatim, incidit ipſo facto in Excomunicationem maiorem latæ ſententiæ Papæ reſervatam, vt

in ipsis Decretis patet. 6. *Qui sciens* esse Præceptum à Papa (vt est) ne ad praxim deducantur, aliquam earum in praxim deduceret, iudicans licitam eius praxim, peccaret mortaliter contra dictum præceptum etiam cum contra virtutem cui opponitur materia propositionis solum venialiter peccaret (v.g. si comederet, & biberet vsque ad satietatem ob solam voluptatem non officiens saluti) quia frangeret graviter Papæ præceptum, habens tunc diversum obiectum, & speciem; & cum gravi irreverentia & injuria sedis Apostolicæ. 7. *Tale* peccatum esset errori in Fide proximum: quia vt bene ait Ferre tom. 1. in 2. 2. T. 2. q. 16. *Doctrina non sana circa materiam fidei, non solùm est illa quæ sic veritatibus fidei opponitur, quod immediatè illam destruat, & corrumpat, sed etiam illa dicitur, per quam fides egrotat, male habet, quatitur, & quasi ad corruptionem disponitur*; vt in his damnatis.

8. *Si verò* ad praxim eam duxerit sua fragilitate, intelligens illicitè operari, & iuste esse damnatam, peccaret solùm graviter, vel leviter iuxta materiam, & speciem virtutis cui opponitur, non vero contra Papæ præceptum, quod ponitur, ne ad praxim tamquam licitè, aut practicè probabilis dictæ propositiones ducantur.

* 2. *Resp.* 2. Hæc Decreta non sunt articuli Fidei, sed diffinitiones dogmaticæ, & infalibiles in doctrina morum. *Ratio* 1. *p.* quia Papa in eis non declarat aliquid eorum esse articulum fidei; tum etiam, quia aliàs propositiones in eis damnatæ essent hereticæ, quod non esse patet in Decretis. *Ratio* 2. *p.* quia post maturam deliberationem in doctrina morum *damnare*, equivalet ad *diffinire*, diffinire enim idem est ac pro certo decidere, & decretare. Unde infero.

1. *Qui* dictas propositiones veras, aut practicè probabiles affirmaret, vel negaret esse scandalosas, temerarias. &c. vt Papa diffinit, licèt non esset hereticus, esset tamen errori in fide proximus, tum ob dicta *Mag. Ferre*, tum etiam quia contradiceret propositioni illatæ ex vna premissa de fide, & alia moraliter evidenti sic: *Papa ex Cathedra non potest errare; sed damnans, & diffiniens loquitur ex Cathedra: ergo non potest errare.* Maior est de fide. & qui eam negaret esset hereticus. Minor est evidens, conclusio est cui ille opponitur. 2. *Talis* incurreret etiam illam notam, qua propositiones sunt à Papa damnatæ v. g. scandalosi, si propositio vt *scandalosa*; temerarij, si vt *temeraria*; blasfemi, si vt *blasfema* damnatur, &c. quæ censuræ in terminis Decretorum semper attendendæ sunt.

Quid sit propositio erronea, temeraria, &c. Vide T. 7. E. 3. n. 34. cui addo cum Cano de locis *lib.* 12. *cap.* 5. quando damnantur propositiones vt scandalosæ: *Scandalum hic non more vulgi vsurpatur pro eo quod aures offendit, quod vt fidelis populus horret; sed pro eo quod infirmis causam ruinæ præbet, & quod ante fidelium pedes positum eos facit in illud incurrere, irruere, offendere*, ita sunt propositiones ab Alex. VII. & Innoc. XI. damnatæ.

3. *Omnis* propositio tenuiter probabilis si laxa sit, & partem minus tutam, & faventem libertati affirmet, est scandalosa, quia prebet occasionem ruinæ, ita patet ex decreto *Innoc. XI propositione* 3. Unde sic peccaret graviter eam docens in materia gravi ad mores pertinente.

* 3. *Resp.* 3. Decreta hæc non sunt strictè, vt odiosa interpretanda, sed ample vt amabilia amplectenda. *Ratio* quia lux, cibus, & medicina sunt ab Ecclesia matre: eiusque sole, Patre, Pastore, & animarum Medico salutem optante, & salutaria pasqua propinante, & venenosa prohibente. Ipse enim Christus Dei filius suam Ecclesiam consecrat, & sibi consignat Spiritu Sancto, quasi suo caractere & sigillo, & similiter Christi Vicarius suo primatu, & providentia vniversam Ecclesiam tanquam fidelis Minister Christo subiectam conservat, ait *Ang. D. op. 20. de Reg. Princip. lib. 3. cap.* 18. vide infra. in hoc T. E. 3. n. 45. Et S. Franciscus Salesius Introd. part. 2. cap. 15. ait *Genus est obedientiæ Deo valdè gratum non ea tantùm implere quæ Ecclesia mandat, sed ea quoque vltro amplecti, quæ commendat.* Vnde infero.

1. *Cavendæ* sunt propositiones, & sententiæ quæ cum damnatis coincidunt; quia licet non sint formaliter damnatæ, tamen non sunt à Papa approbatæ, vt in fine Decreti patet. 2. *Propositio* ex qua infertur damnata practicè est certo falsa; quia ex vero nequit sequi falsum. Quæ autè infertur ex damnata, non est certo falsa; quia ex falso potest sequi verum. Quæ vero infertur ex contradictoria damnatæ, est certo vera; quia ex vero non nisi verum, & contradictoria damnatæ certò vera est. 3. *Hæc* & similia decreta à solo Papa posse iuridice, & certo interpretari; *quia eiusdem est legem interpretare cuius est condere* à Theologis verò posse doctrinaliter explanari, sicut & aliæ Scripturæ Sacræ, modo dicendo de Bulla Cruciatæ.

* 4. *Oppono*: Condemnatio, & pœna vt odiosa sunt restringenda: ergo & Decreta hæc continentia. 2. *Opiniones* probabiles non sunt damnabiles, & ait Caramuel *non dari in mundo visibili authoritatem damnandi opiniones probabiles*: ergo non sunt reijciendæ, etiamsi cum damnatis virtualiter coincidant, & eas inferant. *Ad* 1. distingno *antecedens*, precisè quoad pœnam, *transeat*; quoad doctrinam, *neg. ant.* & similiter consequens. *Resp.* 2. Quod etiam hæc pœna est aliqualiter amabilis, quia medicina contra morum corruptelam. 3. *Dico* cum *S. Augst.* & Ecclesia: *Oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis, & palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis.*

Ad 2. nego *antecedens*, quia contra probabile, est certa, & infalibilis authoritas Ecclesiæ, & contra debile fundamentum, est forte, & infalibile in petra fidei fundatum, & hic videmus opiniones antea communes, & probabiles iam esse

esse damnatas; & practicæ improbabiles.

* 5 QVÆRO II. Quænam sunt hæc Decreta? & quomodo explicantur, & impugnantur damnatæ propositiones? *Resp.* In sequentibus Examinibus id breviter patebit, qui plura desiderat, adeat præter communes Expositores, Mag. Gonet tom. 3. Disert. vnica de opinionum probabilitate, vbi plures ex his, & alias laxas, eis similes, late impugnat.

EXAMEN II.

De Alexandri VII. Decretis, & propositionibus ab eo damnatis.

DECRETVM.

SAnctissimus D.N. audivit non sine magno animi sui mœrore complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim novitèr prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelicæ simplicitate, Sanctorumque Patruum doctrina, & quem si pro recta Regula fideles, in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela. Quare ne vllo vnquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent arctam esse diffinivit, in animarum perniciem dilatari, seu versus perverti contigerit. Idem Sanctiss. D.N. vt oves sibi creditas ab eiusmodi spacioſa, lataque per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali solicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendiss. D.D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit: qui tantum negotium strenue agressi eique sedulo incumbentes, & maturæ discussis, vsque ad hæc diem infra scriptis propositionibus supra vna quaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt: : Hic referuntur viginti octo propositiones, & concluditur Decretum, quod Romæ more solito fuit publicatum anno 1665. die 2. Octobris. Post, anno 1666. die 18. Martij prodijt aliud Decretum prosequens damnationem vsque ad 45. propositiones, & concludit sic Decretum: *Quibus mature pensatis* idem Sanctissimus statuit ac decrevit prædictas propositiones, & vnamquamque ipsarum vt nimirum tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet; ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputaverit, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsam impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districtè in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali, ac specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. Hoc Decretum fuit Romæ more solito publicatum anno 1666. die 23. Martij.

Propositiones vero damnatæ sunt sequentes.

* 1. Propositio 1. *Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Damnata. Quia ex vi præcepti Divini per se obligant dictæ virtutes, vt media ad salutem necessaria, & non solum per accidens, vt Machado, Enriquez Augustinianus, & alij dixerunt. De *Fide* constat Matth. 16. *Qui vero non crediderit condemnabitur.* Et Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, &c.* Et 1. Ioan. 3. *Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius.* De *Spe* Psalm. 4. *sperate in Domino, &c.* & Psalm. 61. *sperate in eo. &c.* De *Charitate.* Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Et de omnibus in Tridentino Sess. 6. cap. 6. & Canone 26. Et in D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 4 ad 1. Et 2. 2. q. 2. a. 3. & q. 16. a. 1 & q. 22. a. 1. & 2. Vide supra Tract. 7. Ex. 2. n. 19. & hic in propositionibus 5. 6. 7 16. & 17. Innocent XI. vbi cum communi Sententia dicemus obligare hæc præcepta ad minus semel in anno.

Nota à Gregorio XI. damnatum fuisse, vt hæreticam hanc propositionem: *Laicus non tenetur ad aliquem articulum fidei expressè credendum, sed sufficit sibi conclusio in genere: quod credat omne illud quod credit S. Mater Ecclesia Dei.* Vt refert Directorium Inquisit. p. 2. q. 10.

* 2 Propositio 2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Damnata. *Ob dicta* supra Tract. 7. Ex. 7. n. 38. & *D. Thom 2. 2. q 40. a. 1. ad 1. & q. 99. ar. 8. ad 3.* vnde opiniones Hurtadi de Mendoza, Petri Marcant, Layman, & aliorum dicentium pro honore tuendo, ad vires, & artem ostendendum; ad vindicandam Iniuriam; ad investigandam veritatem, vel iustitiam, licitum esse duellum; relinquende sunt; quia cum damnata coherentes.

* 3 Propositio 3. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & id non derogare facultati Trident. in qua de occultis criminibus sermo est anno 1629. 18. Iulij in Consistorio S. Congregationis E. Cardinalium visa,*

& tolerata est. Damnata. Probabilius est totam propositionem damnari, & non solum illam partem *visa, & tolerata est.* 1. *Quia* Pontificis mens est, non solùm damnare eam vt scandalosam, sed prohibere eius praxim, vt ex Decreto patet; sed praxis propositionis non stat in ly *visa, & tolerata*, sed in tota propositione, nempè in absolvendo de facto, ob illius probabilitatem: ergo &c. 2. *Quia* in re tam gravi leve esset illud solùm damnari. 3. *Quia* nunc iam matura deliberatione visa est illa Sententia: ergo cum hæc propositio damnatur, iam non toleratur. Vide propositionem sequentem.

Unde DD. Episcopi, nisi Inquisitores sunt præcipuè in Hispania, illa generali facultate Tridentini absolvendi ab occulti Papæ reservatis, non possunt ab hæreli (neque ab alijs casibus etiam occultis Bullæ Cœnę) absolvere, nisi vrgente necessitate, vel instante periculo in mora, & deficiente recursu ad Papam; quia quoad hoc derogatur eis illa facultas per Cœnę Bullam. Et nihil mirum; quia ex D. Thom. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. *Hæresis ex genere suo est maximum peccatorum; quia subvertit fundamentum omnium bonorum.* Et alia peccata Bullæ Cœnæ ita Sedes Apostolica, & petra Fidei aborret, vt in generali concessione absolvendi à reservatis Papæ semper vellit esse excepta, vt videre est in Bulla Clementis VIII. Tract. 4 n. 74. Vide Tract. 18. de Bulla Cruciatæ.

* 4 Propositio 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque Seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Damnata. *Quia hæc* Sententia fundabatur in eo quod Prælati possunt absolvere ea, quæ Episcopi ex facultate Tridentini. Unde damnata precedenti propositione, hæc infertur damnata; & hac damnata infertur illam esse totam damnatam, vt diximus, & vtriusque fundamentum esse falsum. *Nota Prælatos* Regulares in Hispania nec adhuc subditos suos posse ab hæresi externa occulta absolvere; quia Tribunal S. Inquisitionis habet privilegium revocans quoad hoc eorum Privilegia, vt refert *Leander t. 4 Tract. 2. de Excom. D. 17. q. 79.* Tum etiam quia in amplissimis Jubileis, & alijs privilegijs cum conceditur facultas absolvendi à reservatis in Bulla Cœnæ; non intelligitur ab hæresi, nisi pròprijs terminis exprimatur, vt statuerunt Innoc. X. & Alex VII. Bulla Romæ data 13. Martij 1656. Vide Tract. 18. de Bulla, & Notationem in Tract. VII. E. 3. n. 47.

* 5 Propositio 5. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Damnata. *Quia ex D. Tho. 2 2. q. 68. art. 2. ad 3.* denuntiator non obligat se ad probandum, sicut accusator. Unde quamvis non posset probare; cum tenetur, vt hic, debet denuntiare; ob bonum commune præponderans famæ vnius particularis, *ita D. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. art. 2. qq. 1. ad 2.* & ex ipso *2. 2. q. 33. art. 7.* conscientia preferenda est fame. Adde Alex. VII. anno 1660. Decreto suo 8. Julij declarasse hæreticos, vel ab hæresi suspectos (vt sunt pertinentes ad Tribunal Inquisitionis) esse denuntiandos, etiam si nulla admonitio, vel fraterna correctio præmissa fuerit.

* 6 Propositio 6. *Confessarius qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti cartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac pro inde non est denuntiandus.* Damnata. *Quia per se* illa actio inhonesta, scandalosa, & completa solicitatio est; quamvis per accidens (in quo fundebatur hæc opinio) pœnitens posset eam non legere. Unde pœnitens tenetur illum denuntiare statim ac cognoscit solicitationem. Vide Tract. 3. Ex. 2. n. 8. & D. Thom. propositione antecedenti.

* 7 Propositio 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.* Damnata. *Duo hic* damnantur. 1. *Quod* iste sit modus evadendi obligationem. 2. *Quod* possit eum Confessor absolvere. *Ratio* vtriusque est: quia ex præcepto Papæ, & S. Inquisitionis sub pœna excommunicationis pœnitentes tenentur denuntiare Confessarium solicitantem: ergo accedens ad confessionem sine animo illud implendi, nequit absolvi. Deinde; quia sic frustaretur intentio, tam Papæ, quam S. Inquisitionis, & magis illaquearentur animæ. *Adde* neque posse excusari titulo correctionis fraternæ; nam vt diximus *propositione* 5. ex Decreto Alex. VII. ex mandato S. Inquisitionis quotanis publicato nulla præcedente correctione, aut monitione, infra sex dies debet fieri denuntiatio.

Sed dic quid faciet Confessor si ad eum talis pœnitens accedit? Non enim tenetur se denuntiare, Iusta valdè probabilem sententiam; sicut nec tenetur denuntiare, qui prudenter timet amittere famam, vitam, honorem? *Dico* cum Filgniera, Lastra, & alijs, quod excusetur quantum possit à Confessione audienda, ne pœnitens de obligatus se existimet. Vel si non potest, & est certè emendatus, & sine periculo rejincidendi; pœnitens quæ ignorat obligationem denuntiandi; poterit eum absolvere, sicut etiam cum pœnitens sciens obligationem paratus est obedire: tunc tamen deberet illi dicere, se iam esse sufficienter emendatum, cessare que pro tunc obligationem denuntiandi, qua pœnitentes tenentur. Si vero pœnitens non erat paratus obedire, ortetur illum ad pœnitentiam de hoc, & confessionem, & obligationem extra hunc casum; & sic absolvat eum. Vide Tract. 2. citatum.

* 8 Propositio 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accitere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, itaque post Decretum Vrbani VIII.* Damnata. 1. *Quia incertum* est illam partem posse alteri applicari, & obligatio est certa, & ex Iustitia. 2 *Quia* quamvis possit applicari certum est tamen tunc non posse pro ea stipendium accipi; esset enim Simonia cum accipe-

acciperet temporale pro spirituali, & pro labore temporali iam illud acceperit. 3. *Quia* ex D.Tho. 2.2.q. 100 *art.2.in c. & ad 2.*cum S.August.solùm excusat à Simonia, accipere ad sustentationem secundùm ordinationem Ecclesiæ, & approbatas consuetudines. Vide Tract.12.Ex.5 n.9. & 10.

* 9 Propositio 9. *Post Decretum Vrbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendi sibi retenta.* Damnata. *Quia* Vrbanus VIII. Decreto suo Romæ more solito publicato anno 1625.die 22.Sept.hoc prohibuit,& declaravit,non posse fieri, *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens.* Tum etiam quia in hoc fieret iniustitia danti, volenti gaudere stipendio, cum qui Missam diceret, & etiam secundo accipiēti in illa parte defraudato. Si vero de voluntate dantis constaret hoc velle, cum nempe dedit pro fundatione,vel ob amicitiam, aut cognationem,& celebrans hoc sciens accipiat iustum stipendium, poterit illum fieri, semota omni specie lucri,contractus, aut violentiæ. Vide loco supra citato, & Decretum Vrbani latè *apud Pelizar.t.2.pag.*751. Ex his infero 1. *Leges* Pontificias non egere ad sui obligationem publicatione in singulis Provintijs, cùm hic declaret Alex.VII. quod Decretum Vrbani Romæ publicatum pro tota Ecclesia conscientias adstringit.2. *Decretum* Vrbani immediatè à Sede Apostolica,& mediatè à S. Congregatione procedere, sicut & de Alex Decreto diximus E.1.n.1.

* 10 Propositio 10. *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificijs stipendium accipere,& Sacrificium vnum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam promissione etiam iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Damnata. *Esset enim* contra iustitiam commutativam, cum obligatione restituendi, si acciperet stipendium iustum (etiamsi incongruum ad sustentationem,vt ait Vrbani Decretum) à quolibet eorum cum onere celebrandi pro eo solum; quia retineret alienum invito Domino, & dicente: *do vt facias.* Esset etiam contra fidelitatem non implendo promissum; & contra Religionem, si cum juramento; peccaretque mortaliter si animo non adimplendi juraret;venialiter autem si animo adimplēdi juraret, postea tamē non impleret, & stipendium materia gravis non esset.

Nec contra hoc valent antiqua privilegia: quia Decreto Urbani, & hoc Alex. confirmante illud, iam non sunt. Nec consuetudines valent,quia contra iustitiam, & non *approbatè, & secundùm ordinationem Ecclesiæ*, vt vult D.Thom. immò contra declarationem, & ordinationem Ecclesiæ in his Decretis. Neque possunt Ecclesiæ, pia, loca, aut earum administratores sibi retinere partem stipendij pro sumptibus, ceræ, panis, vini. & ornamentorum; nisi fortè alios reditus ad id non habeant; quia ita declaravit S. Cong.Resp.7.ad calcem Decreti Urbani,apud BullariumCherub.*tom.4.const.* 43.*Vrb.*8.

* 11 Propositio 11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Damnata. *Quia* præceptum Divinum de integritate cōfessionis non impletur nisi confiteantur peccata *specie*, & *numero*, *prout memoria post sufficiens examen occurrunt*, justa declarat. Tridentini *sess. 14.cap 5. & can.*8. Et licet talia peccata oblita,seu omissa essent indirectè absoluta, & remissa, hoc tamen est cum onere subijciendi illa clavibus Ecclesiæ, vt absolvantur si possunt, directè, & per se; sicut patet in eo qui de peccatis iam habuit perfectam cōtritionem ante confessionem,*ex D.Thom. in 4.dist.*21.*q.*2.*ar.*2. quia non solùm requiritur absolutio, sed iudicium Sacerdotis satisfactionem imponentis. Et *dist.* 17. *q.*3.*ar.*4.*qq.* 2.*in corp. dicente:* Oportet quod Medicus non scìam vnum morbum contra quem medicina dare debet cognoscat, sed etiam vniversaliter totam habitudinem ipsius infirmi. *ex S. Greg. &c.* Et ad 3.Sufficit quod hoc peccatum confitens dicat explicitè, & alia in generali dicendo, quòd cum alia multa confiteatur huiusmodi oblitus fuit. *Hæc S.D.* Vnde si oblitus sit circunstantiam necessariò confitendam sufficit eam explicare: v. g. votum fregi,&c.

* 12 Propositio 12. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Damnata. *Loquitur* Propositio, & declaratio Papæ, non de reservatis à Jure communi (si fortè sint) sed de reservatis ab homine, nempè *in casibus ab Episcopo sibi reservatis* in Synodalibus, vel particularibus Edictis, Iuxta Decretum Clementis X. supra Tract. 13. n. 88. Nec audiendus in hoc *Anton.à Spiritu S.tom.* 4.*conf.*47. *n.*13. dum docet contrarium, eo quod Decretum hoc non fir in Hispania publicatum;quia in quantum declaratio, & damnatio non eget tali publicatione, vt diximus Ex.1.n.1.& hic declarat Papa privilegia ad hoc fuisse revocata. Vide *Salm.* *t.*1.*Tract.* 6.*c.*10. *punct.*4.*n.*61.

* 13 Propositio 13.*Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Damnata. *Quia* Regulares nequeunt absolvere seculares absque aprobatione Episcopi *loci in quo audiunt Confessiones.* Iuxta Trident. *sess.* 23. *cap.*15. & declarationem Clement. X. & novissimè Innocent.XII. vt dicetur Tract. 18. Unde cum in hoc casu non habeat approbationem,& si iniustè negatam necessario tamen requisitam ad valorem absolutionis, non erit Confessio satisfaciens præcepto annuæ Confessionis.

* 14 Propositio 14.*Qui facit Confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ* Damnata. 1.*Quia* talis non est Confessio Sacramentalis præcepta;Confessio enim voluntariè mala est Confessio nulla. 2. *Quia* quando ex defectu interno est mala etiam non adimplet præceptum; vt enim ait *D.Thom.*1.2.*q.* 100.*art.*9. *in corpore*, & *ad* 1.

Modus

Modus faciendi actum iustitiæ qui cadit sub præcepto, est vt fiat aliquid secundùm ordinem Juris, vt patet Deut. 16. *Juste, quod iustum est exequeris.* 3. *Quia* licet Ecclesia non præcipiat actum purè internum (quamvis posse multoties affirmet, & probet hìc Cardenas cum D. Thom.) tamen præcipit mixtum ex interno, & externo, vt est Confessio. Et insuper præcipiendo directè externum præcipit indirectè internum sine quo substantia, & valor illius non est, sicut præcipiendo Missam, & Officium Canonicum præcipit indirectè attentionem; vnde sicut voluntariè distractus non satisfacit præcepto Missæ, nec Officio; ita confessio voluntariè mala (etiam ex defectu Interno) non satisfacit precepto Confessionis Sacramentalis; cum de Jure Divino, & substantia, ac valore eius, vt à Christo instituta, sint peccata interna, & dolor.

* 15 Propositio 15. *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Damnata. Quia licèt possit vnus pro alio satisfacere; non tamen propria authoritate, Pœnitentia integrante Sacramentum, ex *D Thom. in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *ar.* 2. *qq.* 3. *ad* 2. *&* 4. ad Anib. *q.* 9. *a.* 4. *ad* 2. quia in Sacramento gratia suscipienti datur non alij. *Tum* etiam, quia Pœnitentia quæ est pars integralis Sacramenti, est remedium suscipienti (precipuè quando est medicinalis) frenum peccatorum, & onus peccati pro pœna in alia vita ab ipso luenda impositum; esset que peccati laxare abenas, si pœnitens posset propria authoritate alium pro se substituere. Et quamvis ordine Confessarij, existens in charitate posset pro alio Pœnitentiam purè satisfactoriam facere: *Non est permittendum, nisi defectus aliquis in pœnitente, vel corporalis per quem sit impotens ad sustinendum; vel spiritualis per quem non sit promptus ad portandum pœnam,* ita &S.D. loco citato, *&* 3. *c. gentes cap.* 158. *&* *q.* 29. *de veritate ar.* 7. *in corp. &* 3. *part. q* 48. *art.* 2. *ad* 1.

* 16 Propositio 16. *Qui Beneficium Curatum habent possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Damnata *Quoniam* hoc solùm conceditur Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, C. vltimo *alias ne pro dilat. de pœn. & remiss.* & D. Tho. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3 *ar.* 3. *qq.* 4. *ad* 4. *dicente.* Concessum eis à Jure quod possint sibi eligere proprios Confessores, Parochi autem non veniunt nomine Prælatorum, cùm non habeant Jurisdictionem in foro exteriori ad imponenda præcepta in virt. Spirit. S. nec in foro contentioso ad causas iudicãdum. Deinde nec sunt *exempti*, imò hoc verbum in iure positum, pro illis est *exceptio* firmans regulam in contrarium. *Tandem* quia post Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 15. Nullus potest Confessiones Secularium (vt sunt Parochi) etiam Sacerdotum audire; nisi habeant Beneficium Parochiale aut approbationem Ordinarij. Vide T. 13. Ex 5. num. 24.

* 17 Propositio 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; vt suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Damnata. *Hic* damnatur assumptum & suppositum, hoc enim est falsum, nempè non esse alium modum se defendendi; cum dicat Apostolus P. *maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus*; & mille alij modi sunt se modestè defendendi mansuetè, & prudenter, verbis, & medijs personis spiritualibus gravibus, & superioribus. *Assumptum* damnatur ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *ar.* 4. quia sunt electi ad Altaris ministerium in quo repræsentatur Passio Christi occisi, qui cum percuteretur non repercutiebat, vt dicitur 1. Petri 2. Debent enim Ministri suum Dominum imitari secundum illud Eccles. 10. *Secundum Iudicem populi, sic & Ministri eius.* Hæc *D. Thom.* Et in hoc stat eorum verus honor. Vnde non possunt dicto modo se defendere, cum sit contra mansuetudinem status, & iustitiam. Præsertim cùm ille non sit actualis agressor, sed paratus ad hoc, vt ait *propositio.* Ob hoc enim nulli etiam laico etiam valde nobili licet calumniatorẽ talem occidere, & si hoc liceret, daretur ansa infinitis homicidijs. Vide T. 9. E. 2. n. 10.

* 18 Propositio 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem à quo iniqua certò imminet Sententia. si alia via non potest innocens damnũ evitare.* Damnata. *Et assẽptum, & suppositum,* sicut ante, ob datam Rationem damnatur. Et quia quamvis defendi moderatè sit de jure naturæ; potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniés illicitus reddi si non sit proportionatus fini, vt ait *D. Thom supr. citatus art.* 7. *& in* 4. *dist* 25. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. Et hoc declarat hìc Ecclesia. Non est enim medium proportionatum; sed quod via juridica, vel alia Christiana elicitur ad se defendendum. Vid. Tr. 9. Ex. 2. n. 31.

* 19 Propositio 19. *Non peccat Maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehensam.* Damnata. *Nam est* peccatum mortale ex jure Divino, & Canonico, & D. Thom. locis citatis, & in 4. *dist.* 37. *ar.* 1. *in corp. & ad* 2. Quia contrarius naturale, & charitatem occidens eam, quæ est in evidenti periculo damnationis, & quæ potest esse innocens, & violenter oppressa. *Tum etiam,* quia contra proprium honorem, & famam; cùm amplius se infamet. *Addit S.* Doctor solvendo argumentum contrariorum: Sed Lex Civilis quasi licitum computat, quod in ipso actu eam interficiat; non quasi præcipiens (quia sic non peccaret, sicut nec minister Judicis peccat) sed quasi pœnam homicidij non inferens (permisit) propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta Legibus humanis vt iudicet eum sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Iudicio

Eccle-

Ecclesiæ infligendæ: & ideò in nullo casu licèt viro interficere vxorem propria authoritate. *Hæc D. Thom.*

* 20 Propositio 20. *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.* Damnata. *Quia non* tam est pœna, quàm declaratio justitiæ, & inhabilitatio rei; ait enim S. Pius: vt quilibet habens Beneficium cum Cura, aut sine Cura, si post 6. menses, obtento Beneficio, Officium Divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante Beneficiorum suorum fructus non faciat suos; sed eos tanquam injustè retentos in fabricas huiusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. *Hæc S. Pius.* Unde ante Judicis Sententiam tenentur. Cùm enim Beneficium detur propter officium, hoc omisso invito domino, velut furto retinentur fructus. Primis autem 6. mensibus (quamvis peccet graviter non recitando) Ecclesia eum vt Domina à restitutione exonerat ob addiscendi onus, cum omnia principia sint difficilia. *Adde*, quod talis pœna cùm sit privativa, non indiget Judicis Sententia sed sola Juris dispositione incurritur, sicut censura ipso facto incurrenda. Sola enim pœna quæ rei actionem requirit Sententia Judicis eget. Vid. T. 10. Ex. 5. n. 19. & propositionem sequentem.

* 21 Propositio 21. *Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* Damnata. *Quia est* onus personale, vt constat ex Iure, & Ecclesiæ intentione, insupradictis cui oneri tenetur *etiam in Scholis existens* ait D. Tho *quodl. 6. a. 8 in c.* Unde studium non est causa sufficiens ad exonerádum (nisi fuerit tam præcisa occupatio lectionis, vel Sermonis, vt intra 24. horas deberet fieri) sicque talis non solùm peccat; sed tenetur ad restitutionem, iuxta dicta præcedenti propositione. Vide Tract. 10. prox. citat. *Adde* pro Dominicanis in Capitulo G. Bononiæ 1706. sic declarationem 11. *dici*: Cum intimo animi nostri sensu, ac dolore audivimus ab aliquibus etiam nunc dubitari an dum extra Chorum versantur teneantur privatim recitare Officium B. V. quando in Choro iuxta ritus præscriptum dicitur, cum id declaratum non semel fuerit, & specialim Capitulo Romano 1656. declarat. 4. Ut porrò evacuetur dubium istud ab Ordine nostro Beatissimi V. tot tantisque titulis devincto, iterum declaramus parem esse Officij Mariani obligationem quando ex ritus præscripto est dicendum, cum Officij diei obligatione; adeòque sub præcepto, & pœna peccati mortalis.

Sicuti pariter tenentur extra Chorum dicere Ps. Graduales quando fit de B. Matia in Sabbato. Cui huic nostræ Declarationi, ac resolutioni vt omnes fratres nostri se conformient præcipimus in virtute Spiritus S. Sanctæ Obedientiæ, & sub formali præcepto. Declaramus etiam Officij Defunctorum recitationem intra hebdomadam ita esse obligatoriam, vt ei nequaquam satisfaciat; si matutino tempore Dominicæ sequentis recitetur, prout satisfieri exoticam nonnullorum opinionem esse inaudivimus à qua vt omnes aborreant, & huic nostræ declarationi pareant, pariter præcipimus in virtute Spiritus S. Sanctę obedientiæ, & sub formali præcepto. Hæc Acta Capituli.

* 22 Propositio 22. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi cöferre non tenebatur.* Damnata. *Est enim* contra justitiã distributivam non conferre gratis, & contra commutativã accipere aliquid temporale, quia ex *D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6.* est contra voluntatem, & ordinationem Domini, cujus sunt dispensatores, secundum illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Hæc S. D. Est etiam cõtra voluntatem Vicarij C. *D.* Nec potest petere aliquid eo quod isti, dat, & non illi; quia hæc liberalitas in eo non est pretio æstimabilis; cùm non sit Dominus; sicut non est pretio æstimabilis, nec potest aliquid accipi pro illa, qua servus, aut testamentarius eleemosynas à Domino pauperibus demandatas isti dant, & non illi; neque illa qua Iudex Sententiam dat isti, & non illi. Ex suppositione enim quod liberè vellint dare, necessariò debent gratis dare. Vide *propositionem 26.*

* 23 Propositio 23. *Frangens ieiunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc facit, puta; quia non vult se subjicere præcepto.* Damnata. *Quia* ex D. Thom. *1. 2. q. 96. ar. 4. in c.* Leges humanitus positæ, si iustè sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ à Lege æterna, secundum illud Prov. 8. *Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt.* Et ad 1 ex illo Romanorum 13. *Omnis potestas humana à Deo est*, & ideo qui potestati resistit, in his quæ ad potestatis ordinem pertinent, Dei ordinationi resistit, & secundum hoc efficitur reus quantum ad conscientiam. *Hæc D. Thom.* Undè frangens ieiunium ab Ecclesia præceptum in materia gravi, graviter peccat, sicut qui frangit præceptum Divinum, etiamsi hoc non faciat ex contemptu. & sic non sit formalis in obedientia, sed inobedientia materialis, nempè fractio præcepti.

24 * Propositio 24. *Molities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ; idcoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.* Damnata. *Quia* ex S. Doctor *2. 2. q. 154. ar. 11.* (& cum eo omnes Theologi) sunt species infima distincta peccata eiusdem speciei subalternę peccati contra naturam. Vid. T. 5. E. 2. n. 31. Estque dicta opinio scandalosa valde, & lanans abenas ad spurcitias horribiles.

* 25 Propositio 25. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem;*

tem. Damnata. *Quia ex S.D.cit.* Copula est species peccati distincta ab alijs, & sic debet explicari in Confessione. Hæcque Sententia (quam Caramuel non improbat, & Dicastill. In Vniversitate Complutensi cum magna omnium admiratione se audivisse ait) nunc vt scandalosa ex mente Papæ aborret aures, & occasionem præbet vt Confessio fiat sacrilega non explicato, specie, neque individuo peccato.

* 26 Propositio 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda Sententia in favorem vnius præ alio.* Damnata. *Quia hæc opinio* (licet magnos patronos habuerit cum Lessio, Fagundez, & Trullench) est scandalosa, eo quod ex S. Doctore 2.2. q. 60. ar. 1. cum Aristot. 5. etichor. *homines ad Judicem confugiunt, sicut ad quandam iustitiam animatam*, & sic pro Justitia Iniustitiam invenirent. *Nec pro illa* gratia, vel arbitrio pretium accipere valet; cum non sit pretio æstimabile, sed debitum suo officio, pro quo iam habet salarium. Vide n. 22. Inde infero probabilius, & tutius cum Lumbier, contra Torrecillam, & alios, Iudicem non solùm peccare, sed ad restitutionem teneri; quia Iustitiam commutativam violavit. Immò principium vniversale est Iuris, vt ait Mach. *t. 1 lib. 2. p. 3. tract.* 12. deberi restitui *quod pro re alias* ex Iustitia debita accipitur. Iudex autem ex justitia debet facere Iustitiam, & dare alicui sententiam, vt patet *ex S.D. cit.* Illa autem liberalitas qua vni præ alio dat, est materialitas quædam, Jus non præstans.

* 27 Propositio 27. *Si liber sit alicuius Junioris, & Moderni debet opinio censeri probabilis dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Damnata. *Quia* ex Sancto D. *quodl 3. ar.* 10. in his quæ pertinent ad Fidem, & bonos mores nullus excusatur si sequatur opinionem erroneam alicuius Magistri, & hoc frequenter potest contingere licet à Papa non sit damnata. Quotidie enim oriuntur novæ opiniones laxissimæ, & ridiculæ quas moderni ad Ingenij acumen ostendendum imprimunt, & in his decretis sunt damnatæ, quæ in Authoribus apparent; & quæ non sunt damnatæ non ideò sunt approbatæ, vt probabiles. Vid T. 2. E. 3.

* 28 Propositio 28. *Populus non peccat etiam si absque vlla causa non recipiat Legem à Principe promulgatam.* Damnata. *Quia* ex D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *ar.* 4. licèt Lex in actu secundo non obliget nisi aliquo modo promulgata, & aceptata sit, cùm hoc sit conditio ad Id requisita; sicut regula, & mensura actu non regulat, & mensurat nisi applicetur mensurandis; tamen in actu primo ante acceptationem est verè regula, & mensura habens essentiam Legis cum virtute obligandi, vt populus teneatur eam acceptare. Vide T. 6. E. 1. n. 7. Deinde quia Princeps Ius, & authoritatem habet præcipiendi, & subditus obligationem obedendi. Vnde contra hos ius, obedientiam, & authoritatem peccat populus sine causa legem non acceptans, licèt contra illam legem in actu secundo non peccet, nec eam frangat. Vide Tract. 6. proxim. citat.

Circa hoc Nota S. D. *Verba* 1. 2. *q.* 96. *ar.* 4. Cum aliquis Præsidens Leges imponit onerosas Subditis non pertinentes ad vtilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam; vel legem fert vltra sibi commissam potestatem; vel cùm inequaliter onera multitudinis dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune: huiusmodi magis sunt violentiæ quam Leges; quia sicut Aug. dicit in libro de arbitrio: Lex esse non videtur quæ iusta non fuerit. Vnde tales Leges non obligant in foro conscientiæ, nisi fortè propter vitandum scandalum, vel turbationem propter quod etiam homo iuri suo debet cedere, secundum illud Matthæi 5. qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam da ei palium. *Hæc D. Thom.*

* 29 Propositio 29. *In die jejunij qui sæpius modicum quid comedit, & si notabilem quantitatē in fine comederit nō frangit jejunium.* Damnata. Hæc enim (quam tenuit Caramuel in Theologia regulari n. 916. & Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 26. sect 76. & alij) scandalosa est, & occasionem præbens vt homines liberentur à molestia jejunij contra finem Ecclesiæ; quia ex *D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 1. & 8. & alibi*: Jejunium ab Ecclesia est Institutum ad reprimendas concupiscentias carnis: Deinde quia illæ parvitates cū ad notabilem quantitatem perveniunt uniuntur in stomacho ad nutritionem, quæ est finis intrinsecus comestionis, & contra jejunium. *Tum etiam*; quia in furto quantitates leves cum ad magnam perveniunt, gravitèr præceptum frangunt, vt dicemus infrà.

* 30 Propositio 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione jejunij, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.* Damnata. *Quia ex S. Doct., cit. a. 4 ad* 3. solùm excusantur cùm imminet necessitas multum laborandi. Vide T. 5. E. 4. n. 11.

* 31 Propositio 31. *Excusantur absolutè à præcepto jejunij omnes illi qui iter agūt equitando, utcunque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter unius diei conficiāt.* Damnata. *Quia* contra D. Thom. *ibidem*; cujus verba vide Tract. 5. E. 4. n. 8. Unde opinio Dianæ, Leandri; Machado, & aliorum generaliter loquentium de equitantibus, & si non loquantur de eo qui solum vnius diei iter conficiat, rejicienda est, & ad verba *S.D. & propositionis*, restringenda; quia damnata hypothetica est, & de omnibus æquitantibus quomodo libet sit, loquitur.

* 32 Propositio 32. *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* Damnata. *Quia* evidens est à jure, ut dicemus Tract. sequenti. Et *Ratio congruentiæ* D. Thom. *cit. art. 8. est*: quia solemnius est qua-

quadrageſimale jejunium. *Tum* quia obſervatur ad immitationem Chriſti (qui ex S. Vincentio Ferrario Dominica 1. quadrageſimæ, poſt quadraginta dies, & victoriam diaboli, Angeli miniſtrarunt ei quod B. Virgo ſibi præparaverat prandium *vt caules, brodium, vel ſpinachia, & fortè ſardineta.*) Tum etiam, quia per ipſum diſponimur ad redemptionis noſtræ myſteria devotè celebranda. Unde ſub mortali cum ſit in re tam gravi, obligat.

33 Propoſitio 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit.* Damnata. *Tum* quia debitum, quod tunc non erat ſatisfactum, non erat. *Tum* etiam quia occaſionem ſic haberet facilius omittendi horas, vt diximus ſupra n. 20.

* 34 Prop. 34. *Indie Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.* Damnata. *Hæc* quam tenuit Caramuel in regula S. Benedicti, n. 106. damnatur, vt ſcandaloſa; quia ex D. Thom. quodl. 3. art 29. *Abſurdum eſſet eo quod rationabiliter Inſtitutũ eſt ut diverſimodè Deus laudetur ſecundum congruentiam temporum, & locorum;* vnde reijciendæ ſunt opiniones ſimilem improportionem, & diſonantiam afferentes, præſertim in Dominicis Adventus, Quadrageſimæ Hebdomada ſancta, & alijs myſterijs Chriſti Domini, & Deiparæ. Vide *T.* 10. E. 5. n. 57.

* 35 Propoſitio 35. *Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.* Damnata. *Hanc* Caramuel in Theologia fund. 21. & in Reg. n. 1420. diſputative, vt ſolet, probat; eo quod vno ieiunio poteſt ſatisfieri voto, & præcepto Eccleſiæ, vel Confeſſarij: Vnica Miſſa, pro die Dominica, & Sancto in ea incidente: Vnica Communione pro anno præcepto, & Viatico: ergo pariter vnico officio. *Sed damnatur,* vt ſcandaloſa contra D. Thom. *quodlib. 5. art. 28. ad 1.* & oſtenditur inſufficiens eſſe argumentum à paritate in materia morali; & contra ipſum inſtatur in eadem materia; quia vnico ieiunio, vel vnica Miſſa non poſſum ſatisfacere pro hodierno, & craſtino die. *Ratioque* omnium eſt; quia vno actu ſatisfit duplici præcepto, quando ſimul coincidunt, præcipiendo eandem actionem; vel quando conſtat, aut præſumitur de eadem intentione præcipientis, & ita ſe habent obiecta. Non tamen quando imponitur onus diebus diverſis alligatũ, vel diverſis actionibus, ex intentione expreſſa, vel præſumpta præcipientis. Et ita ſe habent Officium Divinum, ieiunium, diverſis diebus præceptum; votum, & preceptum confeſſarij, niſi de huius intentione conſtaret contrarium. Vide T. 2. E. 3. n. 1. & Tract. 10. & in iſto Tract. Ex. 3. num. 29.

* 36 Propoſitio 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti privilegijs ſuis, quæ ſint expreſsè revocata per Concilium Trid.* Damnata. *Graviſſima enim,* & ſufficientiſsima cauſa, ad vniverſalem, tam ſecularium, quam regularium reformationem, multa eorum privilegia fuerunt per Tridentinum revocata. Et quia aliqua privilegia erant Regularibus conceſſa ex pacto oneroſo, & tali formula, quod nulla eorum valeret revocatio: imo quæ etiam poſita mox revalidarentur, &c. ideo Pius IV. ex motu prop. certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis Bulla edita, & Romæ publicata anno 1565. ſufficientiſsimè omnes illas clauſulas revocavit, & Decreta Tridentini confirmavit, vt late probat Ilſung Tract. 1. diſp. 3. art. 10. contra Patrem Alviſet latè, ſed fruſtra propugnantem nullum privilegium Regularium eſſe ſufficienter revocatum. *Sed adverte* cum ipſo ex Rodrig. Suarez. Pelizar. Miranda, Portell, & cum Lumbier, & alijs hic, quod vbi in Concilio non ponitur clauſula revocatoria, *non obſtantibus, &c.* privilegia non revocantur, quamvis contrarium ibi à Concilio diſponatur: & per conſequens neque per Bullam Pij IV. cum hęc ſit confirmatio illius, quem non ſe extendit vltra id quod confirmat, ſed majus robur addit.

Unde adhuc extant ſequentia privilegia. 1. *vt poſſint* diſpenſari à ſuis Prælatis (conſentientibus Epiſcopis) in interſtitijs. 2. *Vt poſſint* diſpenſare (ex comiſsione ſuorum Prælatorum) cum inceſtuoſis in impedimento petitionis debiti. Vide infra num. 84. 3. *Celebrandi*, & admittendi ad Divina Officia tempore interdicti. 4. *Uſum altaris* portatilis, non obſtante Decreto Tridentini. Tum ob dictam rationem, tum quia ita de novo reſtituit Greg. XIII. per Bullam *Uſum Altaris* anno 1579. *Et* 5. *ad* ordines extra tempora, & Interſtitia recipiendos ab eodem Greg. anno 1582 vt pro Societate affert Ilſung, & pro Minoribus à Clemente VIII. refert Rodrig. tom. 3. qq. Regul. q. 25. art. 5. Tandem illa quę de novo conceduntur. *Privilegia* autem revocata illa clauſula *non obſtantibus, &c.* Videri poſſunt apud Ilſung. loc. cit. Rodrig. tom. 1. q. 8. art. 6. Pelizar tom. 2. Tract. 8. cap. 5. ſect. 4. & Tridentinum ſeſſ. 25. Decret. de Regular. & Monial. per. 22 cap.

* 37 Propoſitio 37. *Indulgentię conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.* Damnata. *Atlas,* & ſignifer huius opinionis (iuſta omnes Expoſitores) fuit Hieronymus Rodrigez in *comp. qq. Regul. reſol.* 77 *n.* 45. fundatus in eo quod Paulus V. anno 3. poſt revocationem, confirmavit privilegia, & Indulta Minorum, ſicut à Clemente VIII. fuerant eis conceſſa, & per Indulta vult intelligi Indulgentias; poſt multaſque rationes ſic concludit: Denique ne alicui nimis ſcrupuloſo de revalidatione harum Indulgentiarũ ſcrupulus adhęreat, idem Dominus Papa Paulus V. expreſsè confirmavit, & de novo conceſsit Indulgentiam magnam, ſeu ſtationem SS. Sacramenti de ſex Pater Noſter, & Ave Maria cum Gloria Patri ad finem, olim conceſſam à Leone X. vt ſupra dixlmus num. 12. In qua virtualiter includuntur cęterę antiquæ Indulgentiæ. *Numero autem* 12. *hæc ait*: Hæc Indulgentia confirmata eſt

per D. Paulum V. post suam revocationem generalem Indulgentiarum, vt audivi à quodam viro gravi Ordinis. Item, & per D. Gregor. XV. & Urbani VIII. qui illam restrinxit, vt tantum lucraretur à recitantibus ante Altare maius, seu principale Ecclesiæ Loci, quod ni fallor accepi à viris fidedignis Hoc fundamento nixi AA. damnanati, & summaria innumera prodierunt de illa magna indulgentia, qua omnes Indulgentiæ Urbis, & Orbis lucrantur; & ferè 500. animæ à Purgatorio liberantur, brevi vbique, & quomodolibet oratione. His addidit robur F. Ludovicus de S. Juan asserens, se accepisse ab ipso ore Pauli V. hanc declarationem suæ voluntatis, quamvis noluerit in Bulla hoc ponere, vt ait Martinus à S. Joseph, in Exposit. Reg. fol. 429.

Sed iam hæc omnia ruunt, & funditus eversa sunt hac damnatione, & declaratione Papæ, qua constat nec ita fuisse, nec esse. *Tum quia* Paulus V. Bulla edita anno 1606. die 23. Martij, in Bull. novis. tom. 3. fol. 201 ad auferenda dubia, & confussionem Indulgentiarum, revocavit omnes concessas Regularibus, ex certa scientia, ac de plenitudinitudine potestatis, & cum clausula derogatoria omnium derogatoriarum, & privilegiorum sub quacumque formula concessorum, & alias de novo concessit. Tum etiam quia fideles decepti ansam peccandi haberent, vt dixit S. Pius V. infra n. 103. & vera opera satisfactoria, pro falsis, & certa pro incertis reliquerunt. *Tum denique*, quia vt videbimus infra à n. 98. Sedes Apostolica declarans has, & alias similes indulgentias esse revocatas, & nullius roboris, & momenti, non permittit publicari, nisi de novo confirmatas authoritate Romani Pontificis, & à Sacra Congregatione recognitas.

Nec contra hoc valet, quod novissimè P. Arbiol in lib. Tertij Ordinis part. 2. cap. 21. affirmet illam Indulgentiam, magnam stationis SS. Sacramenti esse revalidatam; eo quod Illust. Fr. Ioannes à S. Maria ab ore Clementis X. & Innocentijs XI. acceperit confirmationem; qui tamen Pontifices noluerunt de hoc Bullam concedere. *Non valet inquam*; vt contra Papæ declarationem has credamus Indulgentias esse revalidatas, nisi per Bullam id pateat. *Tum* ob dicta, *tum* etiam quia idem refert de Paulo V. Fra. Ludovicus de S. Juan; & hoc non obstanti, ob dictam rationem, videmus damnatam propositionem, *Tum denique*, quia Indulgentiæ istæ, & præcipuè per communicationem (vt est hæc magna qua lucrantur omnes Indulgentiæ Orbis) declarantur ab Innocentio XI. nullæ, nisi authoritate Apostolica de novo confirmentur. Unde quę per Bullas de novo ita non constant, per Bullas constat esse nullas. Vide infrà n. 102. & Nostrum Mag. Fr. Francis. cum Sanchez in Examin. Indulg. tract. 4. cap. 14.

His adde in Clemen. 1. §. 1. *de privil.* prohiberi Religiosis (& similiter alijs prædicatoribus) sub præcepto Sanctæ Obedientiæ, & pœna maledictionis æternæ prædicare Indulgentias *indiscretas* quæ, vt ait Emmanuel Roderic. tom. 2. qq. Reg. q. 93. art. 2. cum glossa, sunt, *quæ non possunt probari litteris Papæ si ab eo concessæ sunt.* Idem ait S. Antoninus 3 p. tit. 18. cap. 4. & Fr. Laurent à S. Francis. part. 2. introduct.

QUÆRO I. Quænam sunt Indulgentiæ istæ revocatæ? *Resp.* Sunt omnes concessæ ipsis Religiosis directè, & immediatè, etiam ad instar, vel per communicationem, vsque ad dictam constitutionē Pauli V. non verò concessæ indifferenter ipsis cum omnibus fidelibus, in eorum Templis, Confraternitatibus aut Bulla Cruciatę. Ita communiter Interpretes, & declaravit Sacra Congreg. Episcop. 21. Augusti 1615. apud *Gavāt. in man. Epist.* verbo Indulgentia *n.* 25. Debent tamen Religiosi in eis Confraternitatibus, etiam si sint tamquam filiæ Religionum, inscribi; vt pro Dominicanis declaratum fuit ad lucrandas Indulgentias Rosarij in Cap. Gen. Neapolitano anno 1600. Unde infero.

1. *Potest* lucrari Indulgentia Portiunculæ in nostra Religione cùm celebratur Capitulum Provinciale, vt fuit cōcessum à Bonifacio IX. Bulla *licet is, &c.* Omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui quotiescumque, & vbicumque in perpetuum hujusmodi Capitulum celebrari contingerit, eādem Ecclesiam, tempore quo Capitulum Provinciale hujusmodi celebrabitis, à primis vesperis diei, quo Capitulum ipsum celebrari inchoabitur vsque ad octo dies inclusivè immediatè sequentes devotè visitaverint, & ad conservationem, & sustentationem hujusmodi, manus porrexerint adjutrices, ac etiam Prioribus, & Fratribus, qui hujusmodi Capitulo interfuerint, illam Indulgentiam, & peccatorum remissionem concedimus authoritate Apostolica, quam visitantes Ecclesiam B. Mariæ de Portiuncula, aliter dictam de Angelis extra muros Assisinat. primo & secundo diebus Augusti quomodo libet consecuntur. Vide Acta Capit. Gen. 1670. num. 14.

2. *Non fuisse* hac revocatione cōprensas Indulgentias concessas Tertiarijs, qui substantialia Religionis vota non emisunt, vt constat ex Decreto Innocentij XI. die 10. Octobris 1687. apud Arbiol cit. p. 2. c. 15. & concessas à Paulo V. posse per participationem ab eis lucrari, immò & omnes Indulgentias Ordinis, ac si ipsi essent Religiosi, patet ex alij. ejusdem Decreto die 15. Maij 1688. ibidem. 3. *Probabilius esse*, fuisse revocatas concessas pro articulo mortis, non verò pro defunctis; quia morientes verè sunt Religiosi; non verò Animæ Purgatorij. Illi enim adhuc sunt voti adstricti, non verò illæ; *quia mors omnia solvit, auth. de nupt. §. de incapa.* & ita Sanchez cit. tract. 7. cap. 7. cum Silv. (& communi) verbo divortium n. 5. & verbo resuscitat, Thomas Sanchez lib. 4. mor. cap. 14. num. 41. Pelizar. tract. 4. cap. 3. num. 24. *Unde si* resurgerent (nisi Sacerdotes fuerint, ratione caractheris) non tenerentur ad vota; quamvis contrarium dictum sit permissivè ad vbertatem doctrinæ, & ad

fol.

solvendum argumentum Tract. 16. n. 52. 4. *Revocate* pro Religiosis non possunt à Tertiarijs, vel alijs per communicationem, aut participationem lucrari; quia in rerum natura non sunt. Quod autem non est, communicabile non est. Ita cum Portell tom. 2. cas. 49. n. 3. Sanchez noster citat. tract. 1. cap. 6.

QUÆRO II. Quænam sunt indulgentiæ de novo eis concessæ? & quæ nunc extant? *Respondo* 1. Sunt sequentes in eadem Bulla Pauli V. contentæ. 1. *Indulgentia* plenaria in die susceptionis habitus, confessis, & communione refectis concessa. 2. *Eadem*, & eodem modo in die professionis. 3. *Eadem*, & eodem modo in festo principali Ordinis concessa intra claustra degentibus; & orantibus pro concordia, pace, &c. Videntur autem moraliter intra claustra degere, qui à suis Superioribus ex obedientia, propter functiones ordinis, Curam animarum, vel alios huiusmodi vtiles fines, ad tempus, etiam longum, extra illa mittuntur ad nutum revocabiles, iuxta communem ex cap. *consuet. de Clericis non residentibus in* 6. & Trident. sess. 22. cap. 2. de reform. 4. *Eadem* in articulo mortis confessis, & communione refectis, vel si (id non possint) contritis, nomen Iesu ore, vel si non possint) corde invocantibus, nempè in illo vltimo instanti Intrinseco, quo impletur hoc, & mors, seu non esse subiecti statim futura est.

5. *Quoties* per decem dies de superiorum licentia, à negotijs alieni in Cella (moraliter) commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati piorum librorum lectioni, & alijs exercijs devotionis operam dederint, saltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus se exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam indulgentiam cõcedimus. ait Bulla. Et Peliz. ly *quodlibet* intelligit de omnibus simul sumptis pro qualibet vice, non autem seorsim. Videtur tamen posse intelligi *toties quoties*, modo dicto, communicaverint, aut Missam celebraverint. 6. *Eadem* conceditur offerentibus primum Missæ Sacrificium, ac eidem assistentibus, confessis, & communione refectis. 7. *Eadem* conceditur ex obedientia ad terras Infidelium, vel hæreticorum missis, confessione, & communione refectis, pro die discessus, & ad eas accessus. 8. *Eadem* conceditur visitatione generali Superiorum, confessis, & Communione refectis, orationi quadraginta horarum, per duas horas assistentibus, & pro intentionibus supra dictis, ac felici successu visitationis orantibus.

9 *Indulgentia* stationum intra, & extra Vrbem concessæ (diebus in Missali Romano notatis, vt dicemus Tract. 18.) conceduntur Religiosis intra claustra viventibus, visitantibus devote (quam Ecclesiam, & orantibus pro intentionibus dictis, perinde hac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitaverint. Vbi nota cum *Suarez*, *Rodrig. Navarro*, *Peyrin. Pelizar.* & alijs, non exigi visitare quinque, aut plura altaria, sed sufficere modestè, ac devotè ingredi Ecclesiam, ibique precari, & egredi, esto reliquum itineris non modestè ac devotè conficiant, & cum Bordon, & Pelizar. has non lucrari à degentibus extra claustra (vt diximus antea) cum hic requiratur visitare *suã Ecclesiam*, quæ non est extra claustra.

10. *Singulis diebus* conceduntur eis quinque anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ recitantibus quinque Pater, & Ave, ante Altare propriæ Ecclesiæ, & de suorum superiorum licentia in itinere, aut extra claustra degentibus, ante quodlibet Altare. 11. *Per mensem* quotidie media hora meditantibus, & vltima Dominica sacra confessione, & communione refectis conceduntur sexaginta anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ. 12. *Contrito* corde de culpis, & defectibus in Capitulo se accusantibus, tres anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ conceduntur

* 40 *Resp.* 2. Extant pro eis Indulgentiæ post Pauli decretum concessæ vt sunt 1. Indulgentia plenaria per aliam Bullam ab eodem Paulo V. de novo concessam Minoribus recitantibus coronam B. Virginis 2. *Eadem* Indulgentia, & omnes, aliæ quæ lucrantur recitantes Rosarium integrum conceditur Dominicanis (& Confratibus Rosarij) dicentibus, vel audientibus Missam *Salve Radix*, *&c.* & orantibus pro concordia, & c. Et si id consueverint, etiam sunt eis concessæ, pro quolibet mense, omnes Indulgentiæ, quæ lucrantur in Processione Rosarij Dominica prima mensis; confessis, & communione refectis, & orationibus, &c.

Ita post hoc Decretum concessum fuit à Clemente X. die 16. Februarij 1671. his verbis: Omnibus, & singulis Sacerdotibus, Secularibus, vel regularibus, quibus Missam de SS. Rosario iuxta constitutiones, & Decreta Sedis celebrare licet Missã, huiusmodi de cetero celebraturis, necnon omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus etiam Tertij Ordinis Prædicatorum, seu Sancti Dominici, ac Confratribus, &c. qui devotè interfuerint, &c.

Ex quibus verbis infero 1. *Quòd* Religiosi, & Tertiarij, etiam si non sint Confratres possunt dictas Indulgentias lucrare. 2. *Quod* hæc Missa possit legi à Sacerdotibus Secularibus Tertij Nostri Ordinis, iuxta commune, & toto Orbe vsu receptam opinionem, dicentium: Tertiarios posse vti Brev. & Missali Ordinum, vt late ex Brev. Novis. Franciscano, & alijs, probat Arbiol citat. cap. 25. & 15. novis. Decreto Innocentij XI.

* 41 *Oppono*: Supra Tract. 15. Ex. 6. n. 39. est Decretum asserens dictam Missam posse à solis Religiosis Legi. *Deinde* plures sunt declarationes Sacræ Congregationis, & Decreta, quibus in Officio Divino non dari communicationẽ privilegiorum-

decernitur. *Resp.* Cum prædictis illud intelligi de communicatione in specialibus, id est de his, quæ ob specialem, & nota dignam circunstantiam conceduntur alicui Religioni, Provinciæ, vel Domui, ad alias Religiones, Provincias, vel Domos iuxta Reg. Iur. 72. *quod alicui gratiosè conceditur non debet aliis trahi in exemplum.* Non verò intelligi in his, quæ generaliter conceduntur Religioni; quia in his Tertiarij communicant, ac si essent Religiosi. *Vide Tract.* 8.

* 42 Propositio 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quam primum, est Consilium non præceptum.* Damnata. Propos. 39. *Illa particula, quam primum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Damnata. Vide dicta, ex D. Thom. Tract. 11. E. 4. n. 30. Propositio 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur secluso periculo, cõsensus ulterioris, & pollutionis.* Damnata. *Quia* hæc oscula mortalia sunt, eo quod libidinosa, ex D. Thom 2.2.q.154.ar.4. *Vide Tract.* 5. *E.* 2. *n.* 49. *Resp.* 2.

* 43 Propositio 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij*, vulgo regalo, *dum defficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tedio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Damnata. *Hanc in terminis* tradit Ioannes Sãchez in selec. (in Expurgatorio Romano prohibitis) impressionis Lugdunensis anni 1643. *disp.* 10. *n.* 20. Sed damnatur, vt scandalosa; tum quia causæ hic adductæ non sunt ex gravibus, quæ prudentum æstimatione faciunt occasionem involuntariam, & moralem impossibilitatem ejiciendi eam, sed ex illis quæ obscena passio ad excusandas excusationes in peccatis solet adducere. *Tum etiam* propter dicta ex D. Thom. Tract. 5. Ex. 2. n. 45. Resp. 3. & hic infra n. 72.

* 44 Propositio 42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere si se obliget ad non repetendam sortem, usque ad certum tempus.* Damnata. *Quia ex* D. Thom. 2.2.q.78.ar.2. *ad* 4. Pecunia non potest vendi pro pecunia ampliori, quã sit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ restituenda est. Nec ibi aliquid est exigendum, aut expectandum, *nisi benevolentiæ affectus, qui sub æstimatione pecuniæ non cadit.* Unde illa obligatio non est pretio manus, sed cordis æstimabilis, nec extrahit mutuũ à rationem mutui; Unde esset vsura. Vide tract. 9. & hic infrà.

* 45 Propositio 43. *Annuum legatum pro Anima relictum non durat plusquam perdecem annos.* Damnata *Quia* contra consuetudinem fidelium, & Ecclesiæ, & cõtra voluntatem legantis, cujus anima fortasse poterit indigere, esset, sicque contra justitiam non solvere: & licèt *Sotus in* 4 *dist* 19. *q.* 3. ple crediderit de Divina clementia non vltra decenium detineri animas in Purgatorio, in hoc tamen à Theologis relinquitur, & dato quod ita esset, tamen propositio damnata semper scandalosa est. Vide tract. 18. n. 103. §. 5.

* 46 Propositio 44. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumatia cessante, cessant censuræ.* Damnata. *Quia* finis adequatus Ecclesiæ, ejusque pœnę medecinalis (vt censura) non solùm est emendatio rei, & cessatio cõtumatiæ; sed quod pœnam luat, & timore pœnę præcaveatur iterum culpa: & quod obedientia, ac subjectione, ad Ecclesiam visibilem, ovis quæ erravit, segregata perijt; & in viam suam ligata declinavit, ad ovile redeat, & ab Ecclesiæ Pastoribus, & Ministris, quibus ligata fuerat, absolvatur. *Vid. Tract.* 14. *E.* 1. *à n.* 1.

* 47 Propositio 45. *Liberi prohibiti donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia, corrigantur.* Damnata. *Hæc* (quam tenuit Marcantius apud *Dianam p.* 11. *tract.* 11. *resol.* 62.) loquitur non de libris hæreticorum, & alijs (vt in Bulla Cœnæ) absolutè prohibitis, sed de his qui à Sancto Tribunali prohibentur ratione alicuius propositionis in fide, vel moribus erroneæ, temerariæ, &c. *donec expurgentur.* Sed damnatur, quia retinere illos est contra præceptum in re gravi. Vnde sensus illius clausulę *donec expurgentur* est: non retineantur, nisi post expurgationem. Vide Tract. 2. n. 44. & addo ex S. Leone Papa apud S. Thom. 2.2.q.11.ar.3. ad 2. *Inimici crucis Christi omnibus, & verbis, nostris insidiantur, & silabis, si veram illis, vel tenuem occasionem demus.*

EXAMEN III.

De Innocentij XI. Decreto, & propositionibus ab eo damnatis.

DECRETVM.

SAnctissimus D.N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi adeo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregrandis noxijs doctrinarum pascuis ab innoxijs, à fel. record. Alexandro VII. prædecessore suo Inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones, partim ex diversis, vel libris, vel thesibus seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & de inde Eminentiss. & Reverendiss. D.D. Cardinalibus contra hæretiam pravitatem, generali-

libus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulo, & acurate ſæpius eorundem Eminentiſſ. Cardinalium, & Theologorum votis per ſanctitatem ſuam auditis, idem SS. D. N. re poſtea matur. conſiderata ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, vnamquamque ipſarum, ſicut jacente vt nimirum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet ::: Non intendit tamen ſanctitas ſua hoc Decreto alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & ſanctitati ſuę quomodolibet, & ex quacumqne parte exhibitas, vel exhibendas, vllatenus approbare. *Hic referuntur 65. propoſitiones, & concluditur ſic Decretum.* Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel diviſim defenderit, vel de eis diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententię, à qua non poſsit (præterquam in articulo mortis) ab alio quocumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divinij Judicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſsima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem vt ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu ſcholaſtici, aut alij quicumque in poſterum ſe abſtineant, & vt paci, & charitati conſulatur, idem SS. in virtute Sanctæ Obedientiæ eis precipit, vt tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, nec non à quibuſcumque convitijs, contra eas propoſitiones quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ ſuper ijſdem propoſitionibus iudicium proferatur.

Hoc Decretum fuit Romæ more ſolito publicatum anno 1679. die 4. Martij, in Hiſpania autem edicto S. Inquiſit. ſub pœna excomunicationis majoris latæ ſententiæ non ipſo facto) ſed trina canonica præmiſſa obligante denuntiari eos qui aliquâ vel aliquas propoſitiones deffenderint, prædicaverint, aut ad praxim duxerint, &c. Publicarum fuit die 24. Julij eiuſdem anni.

* 2 Propoſitio 1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabilis tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.* Damnata. *Duæ in hoc* erant opiniones, vna ampliſsima, aliquorum, quæ in omni Sacramento hoc licere dicebat; alia minus ampla, multorum, illa tria Sacramenta excipientium. Sed omnes hic damnat Pontifex, & diffinit in quolibet Sacramento conficiendo, quamvis non ſit lex, conventio, aut periculum damni, illicitum eſſe ſequi opinionem probabilem *de valore Sacramenti* (nempè de his quæ ſunt de ſubſtantia, & eſſentia ejus, vt materia, forma, & de Jure Divino requiſitas) relicta tutiore, quę non exponit Sacramenrum fruſtrationi.

Quia illicitum eſt irreverentiam Sacramenti irrogare, & exponere ea fruſtrationi. Juxta regulam *D. Thom. 3. p. q. 64. ar. 6.* Aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non ſecundùm quod oportet. Vnde infero 1. *Illicitum eſſe*, & hic damnatum. 1. *Baptizare* in capillis, digito, aut alia parte minima corporis, aut cum aqua roſacea, vel ex ſale, aut aliquo liquore ex herbis expreſſo, aut iuſculo, lixivio, & huiſmodi. 2. *Baptizare* hac forma: *Baptizatur Petrus à Deo in nomine Patris, & c.* vel *in nomini Chriſti, & c.* vel *in nomine genitoris, & c.* 3. In *Sacramento* Confirmationis vti ſolo oleo ſine balſamo. 4. *In Sacramento* Euchariſtiæ vti accena, vel hiſpanice *centeno amiton*, vino congelato, vel alijs huiuſmodi opinionibus pertinentibus ad ſubſtantiam Sacramenti, & ſolummodo probabilibus, relictis tutioribus.

2. *Illicitum eſſe*, & indirectè damnatam ſequi in receptione Sacramenti probabilem opinionem minus tutam relicta tutiore de valore Sacramenti; quia hæc opinio infert damnum, & exponit Sacramentum fruſtrationi. 3. *Illitum* graviter eſſe in eodem numero Sacramento vti opinione admitente Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe (de qua tract. 13. n. 101.) quia mortale eſt ſcienter recipere Sacramentum informe.

Non tamen eſſet illicitum in diverſo numero Sacramento (nempè pro confeſsione ſubſequenti) ferri Iudicium de valore Sacramenti. *Tum* quia hoc poſſet prodeſſe ne pœnitens cogeretur iterum peccata confiteri. *Tum etiam* quia ſic de valore Sacramenti, quod conficitur non eſt opinio minus tuta nec damnata. *Tum denique* quia ſecunda confeſsio, qua infirmitas Sacramenti auferrur extendendo ad omnia valorem non exponit Sacramentum fruſtrationi, cum certum ſit validum eſſe eo quod tacere peccarum ex opinione certo practice probabili perinde eſt ac tacere ex ignorantia, aut oblivione invincibili.

* 3 4. Similiter non eſſe Illicitum non confiteri circunſtantias intra eandem ſpeciem agravantes (quando non adeſt ſpeciale de illis præceptum, reſervatio, cenſura, conſuetudo interrogata, vel ſpecies; aut ſpecialis injuria, quibus per accidens nequeat aliter peccatum cognoſci) in opinione dicente hanc ſententiam eſſe magis ad literam D. Thom. in 4. diſt. 16. q. 3. ar. 2. qq. 5. Vt cum S. Antonino, Bonaventura, & alijs tenent plurimi intra ſcholam D. Thom. & cum Thirſo, Cardenas hic; quia hæc opinio non eſt minus tuta de valore Sacramenti quod eſt certo validum ob bonam fidem, & datam ante rationem. Nec exponit Sacramentum fruſtrationi dato quod eſſet falſa coram Deo; cum confeſ-

fessio sit formaliter integra, & sufficienti materia, & ratione excusante illicitum autem hoc esset stando contrariæ opinioni, vt supra Tract. 3. n. 26. Idem dic de opinionibus asserentibus aliquas circunstantias non esse specie distinctas, & sic non deberi confiteri.

5 Non esse illicitum sequi opiniones omnio certas, quamvis minus tutas; quia damnata loquitur de opinione probabili. Unde sufficit in pœnitentia sola attritio, etsi tutius sit contritio; & intentio virtualis, quamvis tutior sit actualis. Inde etiam potest sequi opinio asserens sufficere confiteri speciem peccati venialis, quamvis non determinentur individua peccatorum, quia praxis communis fidelium, cum persuasione firma de licito, vt in hoc est, facit certitudinem moralem.

Nec obstat ex Tridentino requiri individuationem peccatorum; quia hoc intelligitur in materia necessaria; nempè in mortalibus, & quando moraliter fieri potest. Unde moribundus cui vox & loquella deficit, ostendens peccata in genere, vel in specie, nutibus, vel signis, debet absolvi, vt ait rituale Pauli V. & similiter rusticus, qui nequit aliter explicare peccata. Nec forma pœnitentiæ requirit determinatam in individuo materiam (sicut requirit forma consecrationis propter ly *hoc*, & *hic*) quia juxta communem ex D. Thom. 3. p. q. 84. art. 3. ad 5. facit hùc sensum: *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo.* Videatur Cardenas hic cap. 6. art. 3 q. 3.

6 Non esse illicitum confiteri peccata venialia dolore formali aliquorum, vel vnius, etsi non omnium, & idem dic de proposito. Vel cum dolore, & proposito virtuali contento in contritione vel attritione supernaturali habita ex motivo vniversali quo quis detestatur omnia peccata letalia propter offensam Dei sumè dilecti, vel ob metum gehennæ. Illicitum autè esset ea confiteri absque vllo dolore, & proposito; vel cum dolore solùm virtuali incluso in ipsa volùtate confitendi ea peccata.

Ratio 1. *p.* Quia datur materia sufficiens ad absolutionem, & dolor requisitus à Tridentino; & alias accedens bona fide propter opinionem practicè probabilem est certò validum & fructuosum Sacramentum. Nec est quæstio; aut oppinio minus tuta de valore Sacramenti. Idem dic cum quis confiteatur mortalia cum dolore eorum, & simul venialia de quibus non concipit dolorem. *Ratio* 2. *&* 3. *p.* Quia sunt oppiniones minus tutæ circa valorem, & materiam Sacramenti. Vide Cardenas art. 2. q. 4. & 5.

Nota tamen; sub Innocentio XI. publicatum fuisse Decretum Sacræ Congregationis anno 1679. die 12. Februarij, quo mandatur Episcopis ne permittant venialium confessionem fieri simplici Sacerdoti non approbato. Non autem prohiberi approbato vt absolvat à venialibus casu quo jurisdictio ad mortalia esset solùm, juxta opinionem practicè probabilem; quia tunc bona fide pœnitentis absolveretur directè à venialibus circa quæ certa est jurisdictio, & à mortalibus indirectè. Ita Cardenas art. 6.

* 4 7. Non esse illicitum sequi opiniones probabiles de valore Sacramenti quando vrget necessitas, & aliter fieri non potest; quia necessitas aufert Irreverentiam, quæ aliter fieret Sacramento; vel quia reverentia Sacramenti cedit favori periclitantis Animæ; & quia tunc non relinquitur sententiatutior. Vide Tr. 2. Ex. 3. Quid dicendum de opinionibus circa jurisdictionem? Vide in isto Tr. Ex. 3. n. 41.

Et Nota à Tridentino sess. 14. cap. 7. supponi jurisdictionem esse jure Divino necessario requisitam, ita vt sine illa nullus Sacerdos possit absolvere. Dum ait: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, &c.* Et licet verum sit juris Ecclesiastici esse eam conferre, eam ampliare, & restringere, & aliquando ab Ecclesia operantibus bona fide dari; non tamen posse supleri, vt sine illa, absolutio detur, cum sit essentialiter, & de Jure Divino requisita. Vnde caute in ea loquendum est, & non sunt opinionibus laxandæ abenæ. Vide loco cit.

* 5 Propositio 2. *Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Damnata. *Quia ex D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 1.* Iudicium propriè nominat actum iudicis in quantum Iudex est: Iudex autem dicitur quasi ius dicens: Ius autem dicitur obiectum iustitiæ: & ideo Iudicium importat secundum propriam nominis impositionem diffinitionem, vel determinationem iusti, vel iuris. *Et art. 2.* cum S. Ambrosio: Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges, & iura pronunciat. *Vnde non* secundum opinionem minus probabilem, lede quod probabilius, iustius, & legi, ac ratione conformius debet tam Iudex secularis, quam Ecclesiasticus, tam in quæstionibus iuris, quam facti iudicare secundum alegata, & probata. Et etiam omnes decisiones interlocutorias, in quibus agitur de præiudicio, & iure partis determinare; quamvis non præparatoriæ, quæ non sunt in præiudicium probabile partium.

Nota tamen 11. regulam de regul. Iur in 6. *Cum sunt partium Iura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Unde licèt opinio quæ stat pro reo secundum se sit minus probabilis tamen ex hoc principio communi Doctorum sententia, & possessione innocentiæ reflexe fit probabilior, & potest, immò debet iuxta illam, Iudex reo favere; similiter in civilibus cum possessio stat pro aliqua parte, pro illa opinionem probabiliorem facit.

* 6 Propositio 3. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Damnata. *Hanc* in terminis cum probabilistis tenet Tamburinus in Decal. *lib. 1. cap. 3. §. 3. n. 3.* vt deductam ex illo communi axiomate probabilistarum, *dum probabiliter agimus prudenter agi-*

agimus. Et eam adducit ad provandum hoc eſſe verum, etiam relicta propria probabili, probabiliori, tutiori, communi, & in articulo mortis. *Sed iam* damnata ea vt ſcandaloſa, & practicè falſa: omnes illæ opiniones reijciendæ, & axioma illud ita ample ſumptum reprobandum ſequitur; quia falſum, ex falſo ſequitur. Et ita reprobavit illud *S. Aug. lib. 3. contra Academicos, cap. 16.* Cum agit quique quod ei probabile videtur; nec peccat, nec errat. Contra hoc inſurgit. S. *D. ſic*: Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optime cuique metuendum; quod nefas omne, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committatur.

* 7 Sed hic labor, hic opus Expoſitorum in explicando quid intelligatur in damnata per ly *probabilitate quantumvis tenui*; dum aliqui cum Lumbier dicunt eſſe probabiliter probabilem, ſeu quam alij pro, alij improbabilem vocant. Cardenas vocat eam dubiè probabilem; alij per oppoſitam probabili explicant; ſed quia ſic à probabilitatis finibus exitur aliter debet explicari, Unde.

Dicendum: ly *probabilitate quantumvis tenui* intelligi per contrapoſitionem ad magis probabile. Ita patet ex addito: *quantumvis tenui*; & ex ipſo eius Authore ibi n. 1. 3 & 11. eam accipiente pro opinione quæ nititur ratione, vel authoritate alicuius momenti, quantumvis tenui, etiam ſi altera pars ſit probabilior modo maior probabilitas alterius partis non ſit tanta, vt deijciat à probabilitate circa partem illam oppoſitam, vel donec ab evidenti ratione in vnam ſolam partem impellatur intellectus.

Huiuſmodi ſunt opiniones quæ nituntur ratione, vel authoritate tenuis momenti, & quæ favent libertati contra legem, vel materiæ lubricæ, & quæ male audiunt apud probatos Authores, eius probabilitatem non aprobantes; & dum in earum conſpectu apparent aliæ fortioris probabilitatis, & inclinantes magis intellectum; ſicut ſunt multæ ab eo ibi, & à Cardenas hic adductæ v. g. In vigilijs Pentecoſtes S. Ioannis, S Laurentij non obligare ieiunium iure, neque conſuetudine: Uvas etiam in magna quantitate non frangere Ieiunij: In Ieiunio naturali dari materiæ parvitatem, &c. *Damnat* igitur Papa illam amplam licentiam ſequendi quodlibet probabile, & illud axioma ita ample ſumptum, & deſiderat ſequi quod probabilius apparet, & conformius rationi, & doctrinæ Evangelicæ, vt fuit ſemper praxis Sacrarum Congregationum & Curiæ Romanæ, & cum D. Thom. probatum eſt Tract. 3.

Quibus addo cum Thirſo fortiſſimum argumentum veritatis illius ſententiæ (quod & pro doctrina D. Tho. ſolet adduci) nempè: quod nullus eam deſeruit poſtquam ſemel illam amplexus eſt, & in oppoſitam abijt; & ex adverſo quotidie videmus ſententiam benignam probabiliſmi deſerentes, & hanc amplectentes, inter quos fuerunt nec celeberrimi omnigena eruditione viri. Primus ipſe Reverendiſſimus Thirſus tomum integrum, nempe *fundamentum Theologiæ*, pro hac ſententia ſcribens. Secundus Eminent. Cardinalis Sforcia Palavicinus propè ante mortem: & ita feciſſent omnes ſi hora ſcriberent mortis, vt aiebat Venerabilis Dominicus Sarriò. *Tertius*, Emin. Cardinalis Aguirre cuius verba in præfatione ad tomos Concilliorum Hiſpaniæ, poſtquam contexuit longum Cathalogum Authorum, & Epiſcoporum qui ſententiam benignam probabiliſtarum impugnarunt, hæc ſunt, & digna ponderatione verba, *pag. 6. num. 31.*

Ad his præſtantiſſimis Epiſcopis, & Scriptoribus variis inſtructus, paucis poſt annis cepi dubitare de ſeveritate illa, quam nobis plurimi alij policebantur in vſu opinionum quarumlibet probabilium, eo vſque enim communi ferè ſenſu aut præiudicio abductus in Probabiliſmo, veluti in pulvino molliter quieſcebam, & plerumque ſtudium meum (ita ingenue fateor) ſitum erat in examinando potius an aliquid eſſet probabile, quam in inveſtigando an eſſet verum. Cœpi rem maturius examinare ab anno circiter 1671. vſque modo, lectis, ac relectis, vltra prædictos, plurimis authoribus recentibus, qui hinc, & inde controverſiam hanc graviſſimam profligarunt ex inſtituto. Deprehendi verò ingens periculum ſalutis, in ſectando, aut conſulendo probabiliſſimum, ſive vſu cuiuslibet opinionis minus probabilis faventis libertati in concurſu alterius probabilioris adherentis præcepto. Idem mihi alte inſedit, vbi vtraque apparet probabilis æquè aut circiter... manet enim adhuc res verè dubia.. In dubijs autem, & expectantibus ad æternam ſalutem eligendam eſſe tutiorem partem iura clamant, & prudentia, ac lex charitatis Divinæ de propria, & aliorum ſalute palam dictat.

Certè nemo prudens vitam corporis ita *negligit*, vt audeat vti cibo, aut farmaco ſolum probabiliter ſano, quod tamen æquè, aut magis probabiliter cenſeatur noxium, & exitiale futurum. Idem ferè accidit circa rem familiarem ſervandam, & honores aſſequendos. Cur ergo vita animæ, & ſalus æterna longè prætioſior, paſſim exponetur probabili periculo opinionum liberiorum?

Nec reflexiones aliquæ, ſeu iudicia reflexa ad authoritatem alienam videntur prodeſſe, aut ſufficere ad formandum iudicium moraliter certum, & neceſſarium de vſu licito opinionis benignæ, quoad bona animæ, potius quam corporis, vel fortunæ; vbi opinio ſecurior, æquè, aut magis vrget. Non enim voluntas habet vim imperandi intellectui, vt iudicio reflexo cenſeat verum, aut certum moraliter, id quod directo iudicio æſtimat falſum, aut dubium, aut minus probabile.

Inde poſt multa concludit, quod noſtra ſententia videtur fuiſſe praxis aſſidua SS. PP. Pontificum, ac Theologorum Doctrina, & pietate Inſignium, à

tempore nascentis Ecclesiæ vsque ad finem sæculi præcedentis. Videatur Thirsus dissert. 13. §. 11.

Unde ordinatum in nostra Religione à principio Ordinis in Cap. Gen. apud montem Pesul. 1265. Ord. 7. Et novissimo Romæ 1696. pro Stud. Ord. 10. Ut Provintiales in visitatione diligenter inquirant an aliqui docuerint opiniones aliquas in moralibus laxiores, & in illos privatione munerum, & officiorum, cum omni rigore procedant. Simileque ordinatum fuit in Societate Iesu, & alijs Religionibus.

* 8 Propositio 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.* Damnata. *Pro hac* adducit Gonet n. 109. & impugnat, Thomam Sanchez, Ioannem Sanchez, Dianam, Escobar, & alios. Adde quod ex D. Tho. quod lib. 8. art. 5. Tunc datur error invencibilis excusans à peccato, *quando scilicet provenit ex ignorantia eius quod quis scire non potest, vel scire non tenetur*; sed talis Infidelis scire potest, & tenetur veritatem, eo quod videt de ea opinionem probabiliorem: Ergo non excusatur. Vide Bannez 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 5.

Et Nota hanc damnatam sic ex supradicto axiomate probabilistarum inferri à Ioanne Sanchez *in select. disp.* 11. *n.* 7. Sicut in alijs materijs vbi offensa mortalis intercedere posset, fatentur ipsi eam non committi ab operante ex opinione minus probabili, licèt res maximi momenti sit; sic quoque ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili. Ecce iterum axioma reprobandum; vt potè ex eo sequitur falsum, & damnatum, semel, & iterum.

Patet Cardenas in hoc disparitatem affert inter moralistam, & infidelem; quia Theologus vbi sunt opiniones probabiles non habet spem veniendi ad certitudinem, nec potest scire quænam pars sit vera, vnde habet ignorantiam invencibilem. Infidelis tamen, econtra, cum possit præstare maiorem diligentiam, & pervenire ad certitudinem. *Sed* ego non video tam claram disparitatem si Theologus videat probabiliorem in conspectu minus probabilis, quomodo prudenter in hoc possit permanere, & non adhibere maiorem diligentiam, vt à peccato liberetur.

Nota etiam, quod licèt in sententia multorum Theologorum; vt præcepto determinato, teneatur Infidelis credere, requiratur evidentia credibilitatis; non tamen excusatur ab infidelitate non credens, ductus opinione minus probabili; quia ignorantia talis obligationis vincibilis est, & culpabilis, quod commune est reliquis præceptis; nam vt obliget præceptum audiendi Missam, per se requiritur certitudo præcepti; & tamen cum ignorantia vincibili omittens auditionem Missæ peccaret.

* 9 Propositio 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei, semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* Damnata. Propositio 6. *Probabile est, ne singulis quidem ri-*

gorosè quinquenijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum. Damnata. Propositio 7. *Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.* Damnata.

Ait enim D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 1. *Finis autem spiritualis vitæ, est vt homo vniatur Deo, quod fit per charitatem, & ad hoc ordinantur sicut ad finem omnia quæ pertinent ad vitam spiritualem.* Vnde dicit Apostolus 1. ad Tim. 1. *finis præcepti est charitas, &c. In quolibet autem genere id quod est, per se potius est eo quod est propter aliud, & ideo maximum præceptum est de charitate, vt dicitur Matth. 22.* & ex S. Anselmo ibi: *Ad charitatem refertur omne præceptum.* Idem probat S. Aug. ex illo Psal. 118. *Omnis consumationis (perfectionis nempè) vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Vnde debemus non solum semel in vita (vt existimaverunt *probabile* Diana, Ioannes Sanchez, & Remigius) non solum singulis quinquenijs (vt tribuitur Azor, & Tambur.) vel cum tenemur iustificari; Sed frequentius, etiam intra annum elicere tenemur actus charitatis; quia per illam, vt finem, & vt impellentem, ac moventem vincuntur difficultates mediorum, nempè aliorum præceptorum, servantur mandata, & adquiritur vita. Vnde 1. Petri 4. *Mutuam in vobis metipsis charitatem continuam* (ideſt non interruptam, ait S. Thom. ibi.) *habentes; quia charitas* (nempè supernaturalis) *operit multitudinem peccatorum.*

Cæterum Articulus temporis quo per se actus charitatis obliguet, non tam affirmativè, quam negativè assignari potest; sicut in præcepto restitutionis dicitur obligare ad non multum differendam restitutionem, licèt non possit assignari primum instans restitutionis (vt ait Suarez cum D. Thom. de eo qui pervenit ad vsum rationis) vnde non multo tempore differendum horum actuum repetitionem, licèt quantum futurum sit hoc tempus, prudenti sit relinquendum. Placet tamen quod Alvarez de Paz ex grauissimis Theologis affert, nempè aliquando intra quamlibet annum obligare, aut cum grave periculum imminet, & tenemur gravia peccata vitare, aut ipse instat articulus mortis.

* 10 Propositio 8. *Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Damnata. Quia ex D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2. Secundum appetitum sensitivum qui est in animalibus, operationes quæruntur propter delectationes: sed intellectus aprehendit vniversalem rationem boni ad cuius consecutionem sequitur delectatio: vnde principalius intendit bonum, quam delectationem; & inde est quod divinus Intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes: Ergo à creatura rationali non sunt per se expedibiles, sed ratione

boni

boni honesti cuius sunt illecebra, & veluti condimentum. *Et 2.2.q.141.art.6.cum D.Aug.* Temperantia accipit necessitatem huius vitæ, sicut regulam delectabilium quibus vtitur, vt scilicet tantum eis vtatur, quantum necessitas huius vitæ requirit: Ergo intemperantia est quod damnata ait. Et Gula *ex ipso q.148.art.6.* Gula propriè consistit circa inmoderatam delectationem, quæ est in cibis, & potibus. *Et art.4 ex S.Greg.* Cum in ipsa quantitate sumendi mensura excedit̃r. Verum quidem est quod querere delectationem ad vitæ sustentationem non est pecatum. Vide Tr.5. Ex.3. n.4. Tr.3, Ex.3. n.7.

* 11 Propositio 9. *Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum omni pœnitus caret culpa, ac defectu veniali.* Damnata. *Quia ex D.Tho.in Addit.q.48.art.2.* cum Mag: Tria sunt bona matrimonij, *scilicet fides, proles, & Sacramentum*, vt nempè sibi fidem, & iustitiam servent; vt prolem intendant ad fideles & Dei gloriam propagandam; vt charitate vnit̃, le, & bona, indissolubiliter communicent. Unde si aliud solùm, & nõ ad dicta bona ordinatum intendatur, culpa ad minus veniali, nõ caret. Adde ex S.Aug.lib. de *bono coniug.* cap. 6. Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiæ verò faciendæ, sed tamẽ cum cõiuge propter fidem thori, venialẽ habet culpam. Vide prop. antecedentẽ, & Tr.16.E.1.n.8.

* 12 Propositio 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* Damnata. *Quia ex D.Tho.2.2.q.44.art.2. & 7.* Mandatum est, ex 1.Ioan.4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt diligat fratrem suum; scilicèt proximum, ait D.Thom. Et *Matth.22.* Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum; non sibi æqualiter, sed similiter sibi, ait D.Tho. Unde sicut Deum actu interno, & nosmetipsos, & proximum tenemur diligere. Et op.61. de dilectione Dei & proximi ait: Præcepta primæ necessitatis sunt sine quibus Dei similitudo nõ salvatur, quæ à principio naturaliter obligant, & in generali, & in speciali.

Sed dic: Quando obligat & quando impletur hoc præceptum? *Dico cum D.Tho.q.28.art.8.& 9.* quod in generali, & in præparatione animi semper, & pro semper obligat, quod homo sit paratus ad diligendum proximum, compatiendum, & succurrendum, quãdo, vbi, & quomodo tenebitur; & nulla inimicitia: quæ præparatio est in omni charitatem habente.

In speciali autem, & quo ad actum dilectionis, signa, & effectus, solùm obligat in articulo necessitatis: nempè cum ad vincendam tentationem odij necessarius est actus dilectionis; vel cum videtur proximus in necessitate corporali, vel spirituali tuo auxilio, & solatio egere, vel corporali, vel spirituali; & aliquãdo in anno ait Illust. Tapia lib. 3.q.2.art.3. Impletur autem dilectione Dei non excludendo proximum, vel ei succurrendo propter Deum; quia quanto aliquis magis diligit Deum, tãto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nulla inimicitia impediente; sicut si aliquis diligeret hominem amore ipsius filios eius amaret, etiam inimicos, ait D.Tho. art.8. Vide prop.5, & hìc similiter applica. Et Tr.7. Ex.5. à n.9. & seq.

* 13 Propositio 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solus actus externos.* Damnata. *Hanc vt* deductam ex antecedenti habuerunt Fagundez, Gaspar Hurtado, Arriaga, Ioann Sanchez, & alij apud Lumbier hìc; eo quod solum actus externos cognoscit proximus. Sed reijciuntur doctrina præcedenti; quia tenemur proximum diligere propter Dominum, qui scrutator est cordium.

* 14 Propositio 12. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Damnata. *Quia ex D.Tho.2.2.q.32.art.5.* Dare eleemosynam de superfluo est in præcepto. *Et q.118.art.4.ad 2.* Alliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel propter superfluitatem habitorum. Unde, vt ait S. Aug. in Psal.147. *Multa superflua habemus si non nisi necessaria teneamus; nam si inania queramus, nihil sufficit.* Inde infer Cajet. quod non solum est cõtra liberalitatem, sed contra iustitiam legalem, & ex suo genere mortale indivitibus non dispergere superflua pauperibus. *Et patet ex S.Greg.Hom.33 in Evang.* Et de Cura *Pastor.p.3. ad mon.22.* eo quod Christus dixerit: Attendite ne iustitiam vestrã faciatis coram hominibus, &c. Et Psalmista: dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculũ sæculi. Unde malè Layman ait: confessarium nõ facile debere negare absolutionem diviti eo quod communes pauperum miserias sublevare monitus recusset; quia semper aliquã causam præfert, nempè *nihil habeo superflui.* Et similiter reijciẽdi sunt Dian. Conich, Palao, Rodrig. apud Filgeira hìc, & Vazq. in op. de eleemosyna cap.3. disp.3. n.26. & cap.4 n.14. Vide Tr.7 Ex.6.n.2. & seq.

* 15 Propositio 13. *Si cũ debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alterius tristari, & illius morte naturali gaudere, illã ineficaci affectu petere, & desiderari non quidem ex displicencia personæ, sed ob aliquod temporale emolumẽtum.* Damnata. Prop.14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortẽ Patris, non quidẽ vt malũ Patris, sed vt bonum cupientis; quia nimirũ ei obventura est pinguis hereditas* Damnata. Propos̃it.15 *Licitũ est filio gaudere de Parricidio parẽtis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditatis consecutas.* Damnata.

Harum primam tenuit cũ Mend. Moya tom.1. disp.6. de char. q.5. dicens esse solùm venialẽ. Secundam, Pal. tom.1. Tr.6. q.4. punct.1. n.11. dicẽs: probabilẽ, & tutã in praxi. De tertia idẽ ait Tamb. l.5.c.1.§.3. Sed damnãtur omnes quia ex *D.Tho.2.2.q.76 art.3* Velle autẽ, vel imperio movere ad malum alterius secundũ se repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius, & ira

ſecundum ſuum genus eſt peccatũ mortale,& tantogravius,quanto perſonã cui maldicimus(*vel optamus malũ*) magis amare, & reuereri tenemur.

Unde optare ſibi, vel alteri mortem, quæ eſt terribilium omnium terribiliorum, ex affectu ad temporalia,ſecundum ſe eſt mortale,& in filio reſpectu Patris gravis,& in duplici ſpecie,cõtra charitatem nempè, & pietatem.Et dictæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ; quia in materia lubrica vbi excecat cupiditas,laqueum parant.Ideo *D.Thom.q.41. art.1.ex illoPauli 1.adThim.1.*Dicitur *finis præcepti eſt charitatis* de corde puro,nam cor impurũ à Dei dilectione abſtrahitur propter paſſionem inclinantem ad terrena.Vide Tract.7.E.7.n.7 & T. 10.E.3.n.58.& ſeq.

Nota ex eodem*D.Tho.in 3.diſt.30.art.1.ad 4.* loquente de bonis temporalibus, ad quæ charitas per accidens attendit, & quæ ſe invicem poſſunt impedire,hæc verba:Quia charitas ordinem habet & plus debet diligere quiſque ſe,quam alium, & propinquos quam extraneos,& amicos,quam inimicos,& bonum commune multorum, quam bonum privatum vnius;poteſt aliquis ſalva charitate optare malum tẽporale alterius,& gaudere ſi contingit,non in quãtum eſt malum illius,ſed in quãtum eſt impedimentũmalorum alterius, quę plus tenetur diligere,vel communitatis,aut Eccleſiæ.Similiter de malo etiã eius,qui in malum temporale incidit, ſecundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ.

Ubi Theologus advertat ne indamnatas cum aliquibus deceptus incidat,& zoilis ſcandalum præbeat)D.Th.non loqui abſolutè,materialitèr,& ſpecificativè, ſed formaliſſime, & reduplicativè, vt denotant ly *in quantum*, & ly *ſecundum quod*, vt dixit David Pſ.118.*Iniquos odio habui*,id eſt *iniquitatem* vt antea expreſsit.Et alibi: *perfecto odio oderam illos*, non materialiter & ſpecificativè vt proximos,ſed formaliter, & reduplicativè,vt iniquos,& nocentes. Sicut cum aliquis appetit dulce *in quantum* dulce,vel *ſecundũ quod* dulce,dulcedinem,non ſubiectum vel materiam appetit, vel ſi ſubiectum, præciſè in quantũ dulce.

Id magis declarat ibi *D. Thom.* In bonis ſpiritualibus ſubiungens: Sed bona gratiæ mutuo ſe non impediunt, quia ſpiritualia bona à pluribus poſſideri poſſunt,& ideo quantum ad hoc nullus ſalva charitate poteſt malum alteri optare, vel de malo gaudere,niſi in quantum in malo culpæ,vel damnationis alicuius relucet Divina iuſtitia,quod plus tenetur diligere,quam aliquem hominem;ſed hoc non eſt per ſe de malo gaudere, ſed de bono quod adiunctum eſt malo. Inde alt idem 2.2. cit. art.1.quod tunc per accidens erit maledictio;quia principalis intentio dicentis non ferrur ad malum ſed ad bonum;& ſic Iudex, & Eccleſia, (& Profetæ in Sacra Scriptura) maledixerunt.

* 15 Propoſitio 16. *Fides non cenſetur cadere ſub præcepto ſpeciali & ſecundum ſe.* Damnata.Propoſitio 17.*Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.* Damnata. *Vide* prop.1. Alexandri, & 5. 6.& 7. Innocentij,vbi conſtat per ſe obligare, & multoties præceptum fidei; quia fides eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem.

* 16 Propoſit. 18.*Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, & Deo,& fidei gloriosũ cõſulto tacere vt peccaminoſum per ſe non damno.* Damnata. *Plures* opiniones Theologorum diſtinguentes inter perſonam privatam, & publicam interrogantem,circa hoc dantur.Sed omnes regulantur *his D.Thom. verbis 2.2.q.3. art.2.*Sic enim confiteri fidem non ſemper, neque in quolibet loco eſt de neceſsitate ſalutis, ſed in aliquo loco,& tempore,quando ſcilicèt per dimiſſionem huius cõfeſsionis ſubtraheretur honor debitus Deo,& etiam vtilitas proximi impendenda, puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur,vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera,vel alij per eius taciturnitatẽ averterentur à fide.In huiuſmodi enim caſibus confeſsio fidei eſt de neceſsitate ſalutis,VbiCaietanus:*Si tacendo creditur non Chriſtianus, ſubtrahit Deo debitum tunc honorem.* Unde ſive publicè,ſive privatè interrogetur,modo dicto, cõfeſſio non ſolùm eſt conſiliũ;ſed præceptum, & taciturnitas per ſe mortale peccatũ.Vid.T.7.E.2.n.21.

* 17 Propoſitio 19.*Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.*Damnata.Propoſitio20.*Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum,quem haberet ſupernaturalem.*Damnata *Quia Rom.*10. dicitur: *Corde creditur ad iuſtitiam*,id eſt voluntate movente,&applicante ad credẽdum,vt explicat ibiD. Thom.Et ex Trid.ſeſſ.6.c.4.*libere movẽtur in Deũ credẽtes vera eſſe quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.*Et *D.Thom.2.2 q.2.art.*10.Cum aliquis,aut tantùm haberet voluntatem,aut non haberet voluntatem promptam ad credendum,niſi ratio humana induceretur;ſic ratio humana inducta diminuit meritũ fidei.*Quia vt dixit ar.*1.Actus noſtri ſunt meritorij in quantum procedentes à libero arbitrio moto à Deo per gratiam:ipſum autem credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati divinę ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam. Et ad 2 ait:Quod rationes demonſtrativę inducũtur ad ea quæ ſunt fidei præambula,non tamen ad articulos fidei.

Inde ſententia Thomiſtarum contra Durandum, Scotum,& alios,requirit plam monitionem voluntatis ad aſſenſum fidei;quia veritates fidei ſemper manent in ſe ipſis obſcuræ vt dicitur Hebreor.11. non neceſsitantes intellectũ, qui eſt potentia neceſſaria,& ſolũ libera vt ſubiacens volũtati; & hinc pendent meritũ fidei,& certitudo aſſenſus ex Dei authoritate. Alias, pia affectio invtilis eſſet,quod ſaltem mediatè eſt contra fidem. Et ex damnatis infertur quod fides non haberet certitudinem, vel ſolum eſſet naturalis, quæ omnia abſurda in fide ſunt.Et vt ait Filgeira ſecunda propoſitio hereticа;

vel

vel saltem erronea in materia fidei, & imprudentissima est. Vide T.7. E.1.n.20.

* 18 Propositio 20. *Assensus fidei supernaturalis & vtilis ad salutem fiat cum notitia solùm probabili revelationis; immo cum formidine, quo quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Damnata. *Quia ex D.Thom.2.2. q.1. art.4.* Non erit fides, sed opinio, ait enim: Cum intellectus assentit alicui non quia sufficienter movetur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in vnam partem magis, quam in aliam, & si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio si autem sit cum certitudine, absque tali formidine, erit fides. *Et q.4. art.8. Fides est certior scientia, & alijs virtutibus intellectualibus.* 1. Thessal. 2. *quia initur veritati Divinæ.* Inde docet sententia Thomistarum, misteria fidei esse evidèter credibilia, iuxta illud Psalmi: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ex dãnata autem sequeretur assensum fidei esse formidolosum, quod est erroneum. Vide T.7.E.1.n.18.

* 19 Propositio 22. *Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita remuneratoris.* Damnata. Quia contra Paulum Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.* Unde sicut vnum, ita & aliud necessitate medij est necessarium. Vide D.Thom.loc.cit.

* 20 Propositio 23. *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similivè motivo ad iustificationem sufficit.* Damnata. *Huic* occasionem dedit Ripalda, de fide disp.15. distinguens duplicem fidẽ supernaturalem; aliam *strictam* nixam veritati Divinę; aliã *latam* nixam testimonio creaturarũ v.g. *Cœli enarrant, &c.* Sed hanc non esse fidem supernam, nec sufficientem ad iustificationem declarat hic Papa. Et patet ex D.Tho supra cit. Cum nõ habeat obiectum fidei quod est veritas prima, & divinum testimonium. *Et 2.2. q.4. art.1.* vbi explicat diffinitionem Apostoli: *Fides est substantia sperãdarum rerum, argumẽtum non apparentium.* Quã vide T.7. n.2. Et patet ex Simbolo S. Athanasij: *Hæc est fides catholica, &c.*

* 21 Propositio 24. *Vocare Deum in testem mendatij levis non est tanta irreverentia, propter quam veltit, aut possit damnare hominem.* Damnata. *Quia est* peccatum mortale, & quanto levius mendatium, *quantum ad aliquid magis auget divinam irreverentiã* ait D.Tho.2.2. q.98. a.2. eũ Deus summa, & maxima veritas adducatur ad confirmandum mendatiũ. Vid.T.10.E.4.n.11. & seq.

* 22 Prop. 25. *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Damnata. Hanc tenui Tamb.lib.3.c.3.§.2. & probabilem Palaus, Moya, & Ioannes Sanchez. Sed falsa; Quia ex *D.Tho.2.2.q.89. art.7. ad 4.* cum S Isidoro: *Talis dupliciter reus fit, quod & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Vide T.10. prox. citat.

Deinde quia contra naturam iuramenti ex originę qua introductum ad infallibilitatem veritatis. Et contra finem, quo ad iustificandum homines, & ad finiendũ controversias adducitur ex Paulo Hebr. 6. & S.Tho art.2. Unde si verum iurat eo modo, peccatum veniale erit; si falsum mortale; si promissorum, non obligat ex vi iuramenti, quia invalidũ, & materiale, nisi fortè scandalo, aut gravi damno, aut turpidice fiat.

* 23 Prop.26. *Si quis, vel solus, vel corã alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non feciſſe aliquid quod re vera fecit, intelligẽdo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.* Damnata. Prop.27. *Causa iusta vtendi his amphibologijs est; quoties id necessariũ, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quẽlibet alium virtutis actũ, ita vt veritatis occultatio censeatur tũc expediens, & studiosa.* Damnata.

Has in pluribus invenies vt Thom. Sanchez lib.3. in Decal.c.6.n.15. Bonnacin. Dian. Trull. Palao, & alijs gravissimis. Damnatas tamen; quia sic ex D.Tho.2.2.q.110.a.1. Mentitur nam contra mentem loquitur, & vox menti loquentis non est conformis, & intentio fallendi. Et fit periurium ait *D. Tho.q.98.ar.1.* quod nulla causa est licitum. *Notã* vero hic damnari restrictiones mẽtales, & amphibologias; formales nempè, purè mentales, & internas, quæ verè sunt mendacia; non vero materiales, & externas, ex verbis equivocis, signis, circunstantijs, & figuris retoricis, quibus cum causa iusta, potest celari, & dissimulari veritas, vt latè S.Raymũdus In summa lib.1. tit. de mendacio pluribus exẽplis sacris demonstrat, de quo latè supr. T.10. E.4. num.27. & 29.

* 24 *Oppono*: Propositione 27. declaratur nullã esse iustam causam his amphibologijs veritatẽ occultandi, & contrarium damnatur vt scandalosum: ergo, & ibi dictum *Si dicas* cum Corella, Lumbier, & Torrecilla quod propositione 27. damnatur asserere esse causam iustam vtendi *his amphybologijs*, nempè purè internis de quibus loquitur propositio 26. antecedẽs, non verò externis. *Instо*: ergo Papa in propositione 27. nihil facit, declarat, aut damnat illis verbis: *causa, &c.* cum hæc causa iusta, per vos, iam extrahat amphibologiam à linea interna, & mendacij. & eam faciat externam. Unde

*Resp.*1. Quod infra causa occultandi veritatem non extrahit amphybologiã ab esse mendacij, quãdo aliquis eam profert, *intelligẽdo intra se aliquid aliud quod revera fecit, &c.* Ut ait propositio 26. & hoc est quod propositione 27. declaratur, & vt mendatiũ condemnatur, quod nulla causa est licitũ. Quando verò quis eam profert non intelligẽdo intra se aliquid aliud ab eo quod fecit, aut debet intelligere, sed re vera intelligẽdo vt res est & debet, iuxta aliquẽ sensum verborũ, ex se ipsis, signis, circunstantijs, aut causa, vel saltem intelligendo generaliter id quod tunc est licitum iuxta veritatẽ,

& veram doctrinam Theologorum (præsertim si mulier , aut homo rusticus sit) tunc non est mendacium , nec periurium , nec illicitum cum causa , nec damnatum.

Resp. 2. Hic damnari etiam generalem , & inordinatum vsum restrictionum , & amphybologiarum etiam materialium, & externarum. *Tum* quia non indirectè, & prout cuilibet videtur , sed vt medicina eis vtendum est. *Tum etiam* quia sine vlla causa eis vti illicitum est; non quia mendacia sint , sed quia sunt contra præceptum affirmativum manifestandi veritatem (quando non est causa iusta occultandi , & contra ipsam veritatem. Et Christum Dominum Matth. 5. præcipientem: *Sit sermo vester est, est, non, non.* Vide *D. Thom. ibi & locis cit.*

* 25 Propositio 28. *Qui mediante commendatione , vel munere ad Magistratum , vel officium publicum promotus est , poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum , quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Damnata. 1. *Quia* est mendacium , vt antea diximus 2. *Quia* ex dolo iurantis, contra sanum intellectum interrogantis fit, quod illicitum est ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 4. vt tract. 10. Ex. 4. n. 11. dictum est. 3. *Quia* obligatio est fatendi crimen occultum, quando Iudex (vt hic) veritatem, secundum formam iuris , exigit , ait *D. Thom. q.* 69. *art.* 1. Vide Tr. 9. E. 5. n. 10.

* 26 Propositio 29. *Vrgens metus gravis est causa iusta , sacramentorum administrationem simulandi.* Damnata. *Quia ex D. Thom.* 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. Non refert vtrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto, vt supradictum est. Unde cum omne mendacium , sit peccatum, vt supradictum est , consequens est etiam quod omnis simulatio est etiam peccatum. Ac per consequens grave , in administratione Sacramenti. Quod non excusat metus gravis. Unde tàm simulatio formalis (nempè ex intentione fallendi saltem virtuali,) quàm materialis (nempè cum præter intentionem administrantis decipiuntur fideles) in hoc est illicita (sicut reverentia externa exhibita idolo) sacrilegium ; ob gravem Irreverentiam Sacramenti , vt patet ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 99. *art.* 3. Ex quo infero.

1. *Ministrare.*, & communicare simulate ostiam non consecratam , pro consecrata, illicitum est, etiam ad evitandum scandalum , vel gravem metum. Unde Innocentius III. in cap. *de homine de celebrat. Miss.* respondit sic : Presbytero , qui ne in mortali communicaret, ita simulate celebravit ad vitandum scandalum : Cum falsa sint abijcienda remedia quæ versis sunt periculis graviora , licèt is qui pro suis criminis conscientia reputat indignum , peccet graviter, si se ingerit irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere (*nota verba*) qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare: cum ille in solius misericordie Dei manum incidat; iste verò non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit se adstringat. Ex quibus rursus infero.

2. *Sic* ministrantem peccatori , etiam consentienti , peccare lethaliter; quia Deo illudit, Sacramentum despicit , & populum decipit. 3. Gravius peccare sic simulate communicantem ; quàm indigne sumentem ; ob idem. 4. *Contra* Ioannem Sanch. etiam peccare, & subiacere huic damnationi, qui metu gravi inductus ab heretico , vt omnem panem in platea venditionis expositum consecraret , verba consecrationis sine intentione proferret ; quia in hoc stat simulatio Sacramenti. Si verò talis Sacerdos non proferret verba consecrationis , sed alia (v. g. orationem Dominicam) simulatione formali peccaret , sicut qui diceret iste panis iam est consecratus ; non verò si esset simulatio materialis , non intendendo , sed permittendo deceptionem ; quia hoc non est simulare administrationem Sacramenti , cum non sint verba à Christo ad consecrandum instituta.

Idem dic , ob eandem rationem , de eo qui super peccatorem indispositum , non verba absolutionis , sed aliquam orationem dicit dans benedictionem , ad evitandum scandalum , & sigillum servandum , & ipsum peccatorem (de hoc admonitum) corrigendum ; vt est commune cum *D. Thom. in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *&* 2.

5. Qui simulate accedit ad confessionem animo solicitandi ad malum , vel iniurandi confessorem; vel animo tractandi aliquod negotium, simulatione formali, & intentione decipiendi, vt circunstantes putent illum Sacramentaliter confiteri , reus est mendatij , & gravis irreverentiæ Sacramenti, vt patet ex supradictis D. Thom verbis, Virtualiterque subiacet huic damnationi. *Si verò* solùm materiali simulatione , nempè ad tractandum pium , vel in indifferens negotium , non intentione decipiendi , sed solatium recipiendi ; non peccat , nec subiacet damnationi; quia ex communi vt frequenti vsu illa actio , & signum externum non est determinata ad significandam confessionem , aut Sacramenti administrationem. Vide Cardenas hic.

6. *Qui ob* metum gravem iniuste illatum simularet matrimonium in ratione Sacramenti , volens matrimonium sine intentione Sacramenti, peccaret lethaliter , & subiaceret damnationi , ob dicta , & irreverentiam Sacramenti. Non verò simulans in eo casu cõtractum, & consensum materiali simulatione ; quia tunc non est materia, neque forma Sacramenti ; sed irritus contractus. & à iure nullus. Si verò metus sit iuste illatus (in foro externo) & habet occultum impedimentum, idem dicendum iuxta ante dicta de amphybologia. Si non habet impedimentum , nec rationem excusantem à mendacio, peccaret mentiendo; sed non subiaceret damnationi , ob datam rationem.

* 27 Propositio 30. *Fas est viro honorato occi-*

occidere invaſorem, qui nititur calumniâ inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poteſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat. Damnata. Vide dicta ex D. Thom. prop. 17. & 18. Alexandri, & hic applica; quia non eſt medium vnicum ſe defendendi, & recuperandi honorem; & ideo damnatur prima pars propoſitionis, quàm tenuit Leander, cum Leſio, Diana, Villal. Moya, & alij: Et ſecunda, nempè *idem dic, &c.* Quàm tenuit idem Leander, & probabile Diana. Villal. & alij apud Filgueiram damnatur; quia ille non eſt actualis invaſor, ſicut eſſet (vt illi arguunt) qui ablata magna quantitate cum ea fugeret.

Et tota propoſitio damnatur; quia contra ius certum quod habet homo ad vitam propriam, non valet ius Incertum, dubium, vel probabile ita ſe deffendendi. Vide T. 9. Ex. 2. n. 35.

* 28 Propoſitio 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione vnius aurei.* Damnata. *Hanc Molina* Bonacina, Regin. & alij apud Dian. part. 5. tract. 4. reſol. 18. tenent probabilem; ſed practicè improbabilem declarat hic Papa; quia vim levioris momenti (nempè vnius aurei, quod Hiſpanice viginti regalibus plus minuſve equivaleat) non licèt tam magna vi occiſionis reppellere, vnde non eſt moderamine inculpatæ tutellæ. Ipſaque rario naturalis dictat abſurdum eſſe occidere hominem propter modicum detrimentum. Vide loco ſupra citato.

Sed pro quanto valore conſervando, aut defendendo poſſet quis vti occiſione deffenſiva. Iudicio prudentis cenſendum docent communiter DD. Cardenas hic triplicem diſtingui valorem; nempè *parvum*, v. g. centum argenteos, vulgo diez libras; *magnum* v. g. quadringentos; *mediocrem* v. g. infra quadringentos: & ait valorem magnum reputandum eſſe talem abſolutè; parvum verò, & mediocrem reputandum eſſe ſufficientem pro defenſione occiſiva non abſolutè, ſed reſpectivè; ſcilicèt attenta neceſſitate qua dominus indiget illa pro ſuſtentatione, & conſervatione ſtatus ſui, & ſuorum; quia ſi detrimentum in his eſt maximum, ſufficiens valor erit ad hniuſmodi deffenſionem; ſecus ſi non. Vide T. 9. E. 2. n. 33.

* 29. Propoſitio 32. *Non ſolum licitum eſt deffendere deffenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed itiam ad quæ ius incoatum habemus, & quæ nos poſſeſuros ſperamus.* Damnata. Propoſitio 33. *Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter deffendere, ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.* Damnata. *Has P. Amico* tribuit Filgueira. *Sed non ſolum eſt doctrina falſa, ſed etiam toti Reipublicæ, & generi humano perniciosa.*, ait Academia Lovanienſis quæ per harum, & aliarum damnatione ſupplicavit. Innocentium XI. eorum quæ falſitas patet ex dictis prop. 30. & locis ibi cit.

* 30 Propoſitio 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Damnata. *Hanc probabilem* iudicant Trull. Leander, & alijs apud Filgueiram. Sed falſa, & ſcandaloſa eſt; quia ex D. Thom. in 4. diſt. 31. expoſit. text. *Hoc peccatum (aborſus) grave, & inter maleficia computandum, & contra naturam; quia etiam beſtiæ fœtus expectant.* Unde nulla ex dictis cauſis poteſt cohoneſtari.

Tum etiam quia licet in ipſo (etiam violento & à Dæmone) congreſu, ſemen ſit agreſſor violentus caſtitatis, & ideo honoris; non tamen poſtquam converſum eſt in fœtum. *Tum denique*; quia tunc iam non eſt tempus deffenſionis violatæ caſtitatis, & ob eam, honoris in ſua radice; cum ad præteritum non ſit potentia. Unde aborſus dictus, eſt peccatum gravius polutione, quia propinquus naturæ humanę, ſemen expellitur geminum, & elaboratum. *Inde improbabiles* practicè, atque hic damnatæ erunt opiniones adductæ hic à Lumbier, de Moniali quæ ob honorem communitatis ſervandum, medicamine vult emittere fœtum inanimatum; & de Virgine à Dæmone ſuccubo, & incubo violenter Impreguata, idem attentante.

* 31 Propoſitio 35. *Videtur probabile omnem fœtum: quandiu in vtero eſt carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium commiti.* Damnata. *Hæc fuit* opinio, ſeu potius delirium cuiuſdam Medici Poloni (vt ait Hozes hic) contra Sacram Scripturam, Theologiam, & Philoſophiam, vt dictum eſt Tract. 9. n. 36. Maſculus die quadrageſima, Fœmina octuageſima animatur. Adde ex D. *Tho. in 3. diſt. 3. q. 5. art. 2. in corp. hæc*: Sed In completione corporis maſculi videtur Auginus ſuper addere ſex dies, qui ſic diſtinguntur ſecundum eum in Epiſt. ad Heron. Semen primis ſex diebus habet quaſi lactis ſimilitudinem, novem diebus vertitur in ſanguinem, deinde duodecim diebus ſolidatur, octodecim diebus formatur vſque ad perfecta membrorum lineamenta; & hinc iam reliquo tempore vſque ad tempus magnitudine augetur: Unde verſus.

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine terni.
Biſſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

* 32 Propoſitio 36. *Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Damnata. *Quam probabilem* Bonacina, Trull. & alij apud Dian. part. 12. Tract. 17. reſol. 29. putant damnat Papa; quia contra iuſtitiam, charitatem, & humanam ſocietatem *vnde manifeſtum eſt quod omne furtum eſt peccatum*, ait D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 5. Inde DD. Lovanienſes hanc propoſitionem SS. Innoc. proponentes aiunt: *Furari in nullo caſu permiſſum eſt, quia intrinſecè malum.* Nec in gravi neceſſitate licèt

à divite necessaria subripere; quia ius eius læditur, ait enim *D. Thom. art.* 7. Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subveniat necessitatem patientibus.

Idem dicendum de Principibus, & eorum Ministris indebite extorquentibus per violentiam à subditis; quia ex D. Thom. art. 8. ad 3. *rapina est, sicut & latrocinium.* Unde dicit Aug. in 4. de Civit. Dei: *Remota iustitia quid sunt Regna, nisi magna latrocinia, quia & latrocinia quid sunt nisi parva Regna?*

In grauissima tamen & extrema (seu quasi) necessitate ea subripere non est furtum. Ait enim D. Thom. art. 5. Si tamen adeo sit euidens, & vrgens necessitati de rebus occurrentibus esse subueniendum, puta cum immineat personæ periculum, & aliter subueniri non potest, tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subuenire, siue manifestè, siue occultè subtaris, nec hoc proprièhabet rationem furti, vel rapinæ. Et ad 3. ait: In casu similis necessitatis etiam potest aliquis occulte rem alienam accipere, vt subueniat proximo sic indigenti. Unde Respublica, vel eius nomine Magistratus, in extrema vnius, & in magna necessitate Reipublicæ potest superflua diuitum auferre, & necessitati subuenire. Imò diuites tenentur etiam ad hoc de his quæ ad decentiam sui status pertinent, vt cum D. Thom. q. 32. art. 6. Cajet. ibi, Tapia, & alijs tenet hic Cardenas.

* 33 Propositio 37. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.* Damnata. *Quia ex D. Thom. q. 66. art. 5. ad* 3. Etiam ille qui furtim accipit rem suam apud alium iniustè detentam peccat contra communem Iustitiam dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso: Unde neque famulis illud licebit iuris ordine prætermisso.

Si enim debitum non est liquidum, & certum; vt requiritur ad compensationem (& *dictum est tract.* 8. *Ex. 6. n.* 38.) tenebuntur illi ad restitutionem, quia contra ius certum, & possessionem domini non valet ius existimatum illorum, aut probabile, & multo minus ob rationes dubias. Hoc autem intelligitur non solùm de strictè famulis; sed & de omnibus, qui pro munere sibi commisso salarium accipiunt; nam propositio damnata generaliter loquitur, vt bene notat hic Cardenas.

Nota tamen quod si fuerit euidens iniustitia (non quando probabilis) lege aut consuetudine, poterunt dicti, & dictæ non ex proprio iudicio, sed ex confessarij docti (non mediocris) prudentis, ac pij consilio, sibi compensari, vt aiunt hic meliores Interpretes, quibus addo cum Cajet. loco D. Thom. cit. In casu quo non potest via Iudicis ob defectum probationum, aut propter maius damnum amicitiæ, pacis, vel rerum, aut huiusmodi suum, vel sibi debitum recuperare, & quod non sit scandalum, periculum, & offensa alicuius. Sed, vt cum Villalob. ait Lumbier non facilè credendum est in hoc famulis dicentibus salarium non peruenire ad infimum præcium; cum multoties, vt merces vitroneę, minus valeant. Sicut econtra.

* 34 Propositio 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Damnata. Vide dict. Tr. 9. Ex. 3. n. 9. & *D. Thom. art. 6. ad* 3. Quomodo in minimis potest esse peccatum mortale furti. In hoc enim casu peccatum est mortale cum obligatione gravi restituendi ob iniustitiam gravem, & talem damnificationem resultantem, & coalescentem ex pluribus obligationibus parvis ad magnam peruenientem. Et hoc verum est etiam si immemor præcedentium leuium furtorum vltimo furetur aduertens summam totalem, & magnam quantitatem iam esse ablatam; quia tunc revera res ablata, & damnum illatum magnum est, & obnoxium restitutioni, sicut diximus de Ieiunio n. 25. Et hoc etiam si ab vno, vel à pluribus furentur; quia aliter magnum sequitur inconueniens contra bonum publicum, & indemnitatem singulorum; semper enim accipitur invito Domino. Ita Cardenas cum Thoma Sanchez, & Lugo contra Verdurium, Bauni, Dian. & Sà. Et propositio damnata est vniuersaliter contra omnes istos.

* 35 Propositio 39. *Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Damnata. *Quia* contra D. Paulum, & Thomam, & communem versum *iussio, consilium*, &c. Vide Tr. 8. Ex. 6. num. 11. Sed aduerte solerti iudicio (ne cum aliquibus, decipiaris) verba illa *D. Th. q. 62. art. 7.* In alijs autem casibus enumeratis, non semper obligatur aliquis ad restituendum; non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid huiusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc solùm tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex huiusmodi causa fuerit iniusta acceptio subsecuta. *Non ergo* (cum deceptis) inferas vniuersaliter nunquam teneri; sed *non semper*, nempè quando non mouet, & inducit ad damnum, v.g. quando damnificans iam erat omnino determinatus ad illud inferendum. Quando enim mouet, probabiliter timeri potest suo consilio, vel adulatione esse factum.

* 36 Propositio 40 *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.* Damnata. *Mohatra* vulgo *baratas*, est emptio rei credito, summo præcio; & venditio eiusdem numerata pecunia infimo præcio, & respectu eiusdem personæ. Quomodo in propositione damnata sit vsura. Vide Tr. 9. Ex. 8. n. 31.

Adde ex D. Thom. op. 75. de vsuris cap. 8.

Anti-

Antiquus hostis superseminata humanæ naturæ zizania cupiditatis, & avaritiæ, vsuræ vitium produxit, non tantum in mutuis, quæ luce divinæ veritatis in Sacra Scriptura manifestè condemnata eradicatur, sed etiam in alijs contractibus diffundit, in quibus sub specie æquitatis, & iustitiæ humanæ, quasi abscondita foeneratur.

Hoc patet in mohatra eo circuitu, & fraudulentia emptionis, & retrovenditionis paliata vsura. Cum illud pactum tacitum, vel expressum de retrovendendo viliori prætio, iniquum, & contra æqualitatem, quam iure naturali expetit justitia, sit. Est enim velle obligare ad detrimentum alterius, ad proprium lucrum, & commodum. Immò omne pactum recipiendi aliquid præcio æstimabile vltra sortem est injustum ex D. *Thom.* 2.2. *q.* 77. *art.* 2. in sed contra cum Ezechiele 18.

Dicitur tamen in damnatione: respectu *eiusdem personæ*; quia si quis emat à Ioanne summo præcio, & alijs vendat infimo, non est mohatra. Dicitur etiam *cum contractu retrovenditionis, &c.* Quia nullo explicito, aut implicito intervenienti pacto, emere eadem merces infimo prætio, intra limites iusti, non est contra iustitiam; alij enim eas sic emere possunt; raro tamen excusabitur scandalum, spes lucri, vel mentalis vsura. Dicitur tandem cum *intentione lucri*, quia tale pactum ordinatur ad lucrum, & manifestat zizania.

* 37 Propositio 41. *Cum numerata pecunia præciosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo absque vsura excusari.* Damnata. *Hanc* Caramuel lib. 2. Theol. intent. disp. 14. n. 799. & Theol. fundat. 60. n. 1793. ait esse evidentem, & pro 1. p. plures, sed non verè, adducit. Sed *D. Thom. op.* 67. *ait*: Non est dubium vsurarium esse contractum, cum expectatio temporis sub prætio cadat. *Et op.* 73. *de vsuris cap.* 8. Quia illud sorti accidit sine iusto titulo, quia ipse facit suum per fraudem, scilicet vendendo tempus, quod Dei est, & datum communiter omnibus. Et in Canone dicitur turpe lucrum 14. 4. q. cap. *si quis*, & cap. *quæcumque*, quia ratione temporis accidit, vel ratione finis. Idem ait *cap.* 3. *&* 2. 2 *q.* 78. *art.* 2.

In mutuo igitur pecunia numerata non valet amplius; quia posset esse in scrinio; & ex sola necessitate mutuatarij non est vilior. Et dato quod valeret magis, hoc iam compensatur, quando mutuatius eam solvit; quia tunc iam est numerata pecunia: ergo non potest eo titulo accipi vltra sortem.

* 38 Propositio 42. *Vsura non est dum vltra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tamquam ex iustitia debitum.* Damnata. *Quia* contra Divinum Christi præceptum Luc. 6. *Date mutuum nihil inde sperantes.* Ubi licèt *date* sit consilium, tamen *nihil inde sperantes* est præceptum ex *D. Thom.* 2.2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 4. *& q.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 3. Unde gratitudo affectus, non effectus, cordis, non operis; non lucrum, sed gratitudinis signum sperari potest. Quidquid enim prætio æstimabile vltra sortem speratur, vsura est mentalis; & si in pactum deducitur, realis: & dicere quod est titulo gratitudinis, est ludere verbis, & illudere animabus. Ex D. Thom. ibi.

Et op. 73. *cap.* 3. *dicente*: Licèt accipiens mutuo libenter det ei aliquod incrementum, vel dare vellit, tamen ex parte accipientis, vel sperantis huiusmodi incrementum tollitur ratio gratiæ, & liberalitatis (*vnde non excusatur ab vsuræ labe*) eo quod vsurarium vocamus eum qui non mutuat gratis, sed pro spe alicuius incrementi. Non verò si absque omni spe, & pacto detur, & accipiatur. Vide Tr. 9. Ex. 8. n. 7. & Ill. Tapia tom. 2 lib. 5. q. 17. art. 7.

* 39 Propositio 43. *Quid ni non nisi venialè sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?* Damnata. Prop. 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.* Damnata. *Quia D. Thom. quærens* 2 2. *q.* 69. *art.* 2. Vtrum accusato liceat calumniosè se defendere? *inter alia dicit*: Falsitatem tamen proponere in nullo casu licèt alicui, neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere; quia fraus, & dolus vim mendacij habent: & hoc est calumniosè se defendere: Ergo in materia gravi, erit mendacium graviter pernicioſum, & infamatorium, quo non licèt defendere innocentem. Sicque evidenter mortale, & damnatur hic vt escandalosum velle contrarium sustinere probabile. Et hoc tàm in iudicio, quàm extra; quia vniversaliter loquitur damnatio.

Deinde quia quando homo non habet ius ad alium infamandum, & ei nocendum, peccat contra iustitiam commutativam, sed hic tale ius non habet; cum id solum habet homo ad defendendam suam vitam, vel famam cum damno alterius quando hoc fit cum moderamine inculpatæ tutellæ, & est vnicum, & proportionatum medium, & non intrinsecè malum, nec Iuri, & Reipublicæ iniuriosum: Ergo non solum contra charitatem, iustitiam legalem, & alias virtutes, sed etiam contra iustitiam commutativam, & privatam iniusti accusatoris hic homo peccat: vt ait Cardenas contra Cardinalem de Lugo, & patet ex D. Thom. cit. qui illam quæstionem proponit *de peccatis contra iustitiam.*

Sed dic: Si calumnia esset in materia levi, esset semper mortale? Caietanus loco cit. ex D. Thom. ait: Semper esse mortale mendacium etiam levissimum in iudicio; ob vim & iniuriam iuri, iudici, & Reipublicæ illatas. *Illus. Tapia* tom. 2. lib. 5. q. 12. art. 7. & 14. ait: quod in actu præcipuo licèt calum-

calumnia falsa semper sit mortale in iudicio ; quia graviter nociva, & quia ibi debet probari testibus, & tunc falsis. Si tamen daretur casus in quo leviter esset nociva (quod practicè ferè impossibile) & sine iuramento, & reus obiecto tali crimine defenderet suam innocentiam probabile est, ait, esse veniale; quia *D. Thom. q.* 70. *art.* 4. solum ait: testimonium falsum ex parte violatæ iustitiæ esse mortale ex genere: Ergo licèt ex obiecto sit mortale, non tamen in omni individuo, alioquin dixisset semper. Extra iudicium autem cum possit esse aliquando leviter nociva, poterit esse veniale peccatum, si non adsit iuramentum.

* 40 Propositio 45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum, conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale fit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.* Damnata Prop. 46. *Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* Damnata.

Quia ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 5. in diffinitione simoniæ cum dicitur : Studiosa voluntas emendi, vel vendendi, &c. nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. *Et art* 2. *ad* 2. Simoniacum est per pecuniam parare sibi viam ad spirituale obtinendum. *Et ad* 5. Simoniacum esse adversantium obstacula pecunia redimere, sic enim pecunia pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Actor. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

Et in 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *incorp.* Emptio, autem vel venditio non solùm consistit in datione, vel acceptione pecuniæ ; sed omnium rerum quarum potest prætium numismate mensurari. Omnis autem temporalis comodi prætium potest numismate mensurari. Et ideò quicumque pro aliquo temporali comodo, dat aliquid spirituale, vel spirituali annexum, simoniam committit.

Et ibi ad 1. licèt in parvis muneribus Ecclesia non iudicet simoniam in Iudice spirituali; quia non est probabile eis flecti, & Ecclesiæ iudicium est quantum ad exteriora Sed apud Deum qui cor videt simonia est, & in parvis, & in magnis muneribus, si animus Iudicis ex eis flectatur. Et ad 4. Si princip liter moveatur favore præcum, vel timore rogantis, quantum ad Iudicium Divinum simoniam committit, & rogatus, & rogans si hoc intendat.

Ex quibus colligitur ratio damnationis, & quod ad simoniam non requiritur formalis, & directa intentio dandi temporale vt prætium spiritualis, vel econtra ; sed sufficit virtualis, & interpretativa, vt hic contingit, vbi temporale est compensatio, motivum, & finis rei spiritualis super aurum, & lapidem prætiosum desiderabilis, & inestimabilis.

Unde non solùm manent damnatæ dictæ propositiones Valentiæ, & aliorum; sed etiam opinio Dian. & aliorum apud Ipsum dicentium : posse in pactum deduci vt detur temporale ex gratitudine. Et similiter cum hac intentione dicitur : *Spero te fore gratum, vel ero tibi gratus.* Et similiter refutata manet sententia Scobarij dicentis : Simoniacum non esse, qui promissa, sine intentione solvendi pecunia ad Sacerdotium pervenit. Esse enim simonia quia per pecuniam pararet sibi viam vt ait D. Thomas.

Colligitur etiam hoc esse verum, tàm in simonia de Iure Divino, quàm de Iure humano ; quia hæc distinctio licèt à gravissimis Theologis tradatur, ad id tamen nihil refert, cum vtraque habeat eandem naturam. Vide Tr. 10. Ex. 3. resp. 3.

* 41 Propositio 47. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles, ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc dignioris non aliud significare velle, nisi dignitate eligendorum, sumpto comparativo propositivo ; vel secundò, locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Damnata.

Quad tres partes damnatur ; quia Concilium determinavit illud sess 24. de ref. c. 1. in ordine ad *bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos* eligendos esse digniores, & patet hoc comparativè debere intelligi ; quia esse de iure naturæ, & foro conscientiæ debitum patet ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. Et vide suprà Tr. 9. Ex. 1. n. 2.

Et hoc etiam si non fiat concursus; & intelligitur tàm in Cardinalibus, quàm Episcopis, quàm alijs ad beneficia Curam animarum habentia eligendis, & etiam Patronis laicis præsentandis; quia omnes sunt Pastores, & Ecclesiam gubernaturi; & pro omnibus ait Concilium : Alienis peccatis communicantes moraliter peccare omnes verè, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant. Et licèt cap. 18. dicat: Parrochos à patronis laicis præsentandos *Idoneos* approbandos ; hoc ait ad vitandas lites. In foro tamen conscientiæ magis Idoneos debere esse, ait D. Thom. loc. cit. ad 2. & latè probat hic Cardenas contra plures tenentes hic, damnatas, & alias latas.

* 42 Propositio 48. *Tàm clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, vt contrarium omninò rationi disonum videatur.* Damnata *Hanc in terminis* tenet Caramu. tom. 1. Theol. fund. 12. n. 541. citans se ipsum lib. 3. Theol. moral. n. 160. & Theol. intent. n. 1904. contra D. Tho. & eius discipulos. Sed damnatur vt scandalosa, & improbabilis, vt probat *D. Tho.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. Quia repugnat iure naturali, & ratio-

rationi; & quia propter matrimonium exiſtens eſt contra bonum prolis educandæ.

Et in 4. diſt. 33. q. 1. art. 3. q. 2. & ad Anib. *diſt. 33. art. 2. ait*: Dicendum quod cum concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit, non eſt dubium quod fornicatio ſimplex de ſui ratione eſt peccatú mortale, etiam ſi lex ſcripta non eſſet. *Id etiam* probat quatuor rationibus Sancti Pauli 1. Corinth. 6. lec. 3. Ubi inter alia hæc habet cum Gloſa, & S. Aug. Quia anima eius totaliter carni illo actu ſubijcitur, ita quod non poſsit aliud ibi cogitare. Unde in Pſalm. dicitur: Nolite fieri ſicut equus, & mulus quibus non eſt intellectus. Vide Tr. 5. Ex. 2. num. 15. 29. & 31. & prop. ſeq.

Opponit Caramuel, antiquam Martini de Magiſtris Crambem recoquens: Sæpè contingere prolem fornicarie conceptam bene enutriri, ac educari, imò melius quam alias multas ex Matrimonio: Ergo ratio D. Tho. nihil valet. *Sed iam* D. Tho. 2.2. cit prævenit argumentum dicens: Nec obſtat ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione; quia id quod cadit ſub legis determinatione, iudicatur ſecundum quod communiter accidit, & non ſecundum id quod in aliquo caſu poteſt accidere. Et Sotus: Actus exiſtimendus eſt ex natura, & non ex accidente. Adde quod ſemper & per ſe eſt periculum mali, contra bonum prolis, licèt per accidens aliquando ceſſet.

* 43 Propoſitio 49. *Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Damnata. *Hanc tenuit* cit. Caram. Theol. moral. n. 603. Sed contra eſt S. Thom. 2. 2. cit. art. 12. incorpore aſſerens, eſſe *grauiſsimum, & turpiſsimum peccatum*, quia contra ea quæ ſunt ſecundum naturam determinata. Sicut error in ſpeculativis, circa ea quorum cognitio eſt homini naturaliter indita. Et ad 1. oſtendens in peccatis contra naturam in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fieri iniuriam ipſi Deo ordinatori naturæ, vtitur text. S. Aug lib. 3. Conf. cap 8. Inſerto in Iure Canon. Violatur quippè ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cuius ille author eſt, libidinis perverſitate polluitur. Et ad Rom. 1 lect. 8. Manifeſtum eſt quod ſecundum naturæ intentionem comixtio ſexum in animalibus ordinatur ad actum generationis. Unde omnis comixtionis modus ex quo generatio ſequi non poteſt eſt contra naturam hominis in quantum eſt animal. Vide ibi quare vocetur ab Apoſtolo immunditia, actio contumelioſa, & paſſio ignominiæ, & contra naturam. Et Theſal. 4. lect. 1.

Opponit Caramuel: quod homo pro ſanitate, & vita poteſt amputare, & eijcicere manum, digitum, vel aliud membrum, ſanguinem, lac, &c. Ergo, & ſemen. *Sed Reſp.* ex verbis D. Aug. & Tho. ſupra citatis, quod in hac maxima, & luxurioſa delectatione, qua ratio abſorvetur, homo ſit ſicut equus, & mulus, non verò in illis. Unde ſolùm ob bonum, commune, & ſpeciei rationalis, & rationalium multiplicationem modo debito & à Deo authore naturæ ordinatum, & non aliter honeſtari poteſt. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 153. per totam, & 154. *præcipuè art.* 5. de cecitate mentis ex hoc peccato.

* 44 Propoſitio 50. *Copula cum coniugata conſentiente marito, non eſt adulterium, ideoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.* Damnata. *Hanc nouis* caſuiſtis Tribuit Gonet n. 120. & Moya ait: illos ſecutum Caramuelem; ſed in editione Lugdunenſi iam non inveniri, ait Cardenas *Sed* contra eſt *D. Tho.* 2.2 *q.* 154. *art.* 8. *in ſed* contra ex S. Leone Papa: Adulterium committitur, cum contra peccatum cõiugale concubitur. Et in corpor. Adulterium ſicut ipſum nomen ſonat eſt acceſſus ad alienum thorum. Et ad 1. Semper eſt adulterium; quia contra fidem matrimonij. Idem patet Rom. 7. Matth 19. & Gen. 2. *Erunt duo in carne vna.* Contra hanc, & fidem iure naturæ debitam operando. *Et in cap.* 7. Epiſt. ad Rom. *lect.* 1. *ait*: Hæc quidem inſeparabilitas matrimonij præcipuè cauſatur in quantum eſt Sacramentum conjunctionis indiſolubilis Chriſti, & Eccleſiæ, vel Verbi, & humanæ naturæ in perſona Chriſti. Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum*, &c.

Ex quibus infero, quod præter communem malitiam luxuriæ habet dictum peccatum in omnibus illas malitias, contra fidem, & prolem; & in Chriſtianis hanc tertiam, irreligioſitatis contra Sacramentum. Et poteſt habere alias ſpecies ſecundum diverſas conditiones mulierum, vt ait S. Thom. ad 1. Et contra honorificentiam parentibus, & alijs conſanguineis, vt ait *D. Tho. art.* 9, nempè contra pietatem, quando eſt inceſtus.

Et licèt Leſius, Lugo, & Moya admittant circunſtantiam privatę iniuſtitiæ, quæ fit ipſi viro, & quo conſentiente deficiat. Tamen probabilius eſt, quod Cajet. art. 6. ex D. Thom. ait: Cum enim dicitur ſcienti, & volenti non fit iniuria intelligendum eſt tantùm in illis bonis quorum homo eſt Dominus ſecundum libitum ſuæ voluntatis: non in his, quæ etſi noſtra ſint, non tamen poſſumus, vt volumus de illis ordinare; vt patet in naturalibus v. g. vita. Et idem ait de virginitate, & vxore.

Quod Confir. ex D. Tho. q. 59. art. 3 dicente: Iniuſtum per ſe, & formaliter, nullus poteſt facere niſi volens. Per accidens autem, & quaſi materialiter loquendo poteſt aliquis id, pati volens, ſicut cum aliquis plus alteri dat ſua voluntate quam debet. Nempè in his quæ cadunt ſub dominio. Unde illa tertia ſpecies contra fidem Matrimonij eſt, & iniuria Mariti ſivè conſentiat, ſivè non.

* 45 Prop. 51. *Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter e lauat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtrupãdum virginem & multoties eidem*

subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Damnata. *Quia ex D. Tho 2.2. art.4* Est peccatum mortale quasi habens cum impactione ruinam, puta, cum aliquis ex inordinato dicto, vel facto alterius procedit vsque ad peccatum mortale. In hoc igitur est scandalum passivum, in altero activum, *ita D. Thom. art. 1. ad 4.* Unde non excusatur per metum dictum.

Sed quia multæ actiones ex dictis in propositione (& aliæ similes) secundum se, & physicè sunt indifferentes; sed ex circumstantijs proximè iuvant ad peccatum, & iam moraliter non sunt indifferentes; Ideo *AA.* magna varietate in diversas sententias vsque ad hanc damnatam abire. Unde gratias habere debemus, vt ait Cardenas, SS. D. Innocentio XI. qui hìc declaravit quid illicitum sit in his circumstantijs scienter adiuvando, ad turpitudinem. Et similiter dicendum de eo, qui defert concubinam, vel ad domum vocat, aut cubile, aut scienter defert litteras provocatorias. Ita vt neque metu mutillationis id liceat, ait Cardenas, quia in dubio practico tutior via est eligenda, nisi aliud determinet Sedes Apostolica. Vide Tr.7.Ex. 3.num.7.

* 46 Propositio 52. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.* Damnata. *Quia ex D. Thom. 2.2.q.122. art 4. ad 4.* Hoc præceptum succedit præcepto Legis Divinæ de sanctificatione Sabbati: *Ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine Populi Christiani.* Unde evidenter obligat, vt *ait Trid. sess. 13. c. 1.* loquendo de confessione ante communionem, dum ait: sufficientem obligationem *Ecclesiæ consuetudo declarat*, Ideo citra scandalum, & contemptum, eius fractio est mortale peccatum.

Inde reijcienda est opinio Tambur. in Dec. lib. 3.c.3.§.8.n.12 dicentis: Leges Ecclesiasticas non multum frequenter sub mortali obligari. Et Caramuel Theol.reg.d.102. dicentis: Quinque Ecclesiæ præcepta sub pœna, & non culpa obligare. Favent enim damnatæ. Vide Tr. 10. Ex. 5. n. 67. & prop.23. Alex.

* 47 Propositio 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas eius partes, imò quatuor, simul à diversis celebrãtibus audit.* Damnata *Vide D.Tho.op.64. de* exposit Missæ. *Et 3.p. q.83.art. 4.& 5.* Ubi partes successivas Missæ, & earum profundas causas, rationes, & misteria explicat. In quibus patet quod Missa est totum essentialiter, & integraliter successivum; vnde eius partes non possunt simul compleri, nec diversis sic præceptum audiendi integram Missam impleri. Vide Tr.10. Ex.5. n. 67.

Ex quibus manet solutum quod ex Bonacina, Diana, & alijs adduci solet nempè licitum est audire simul duas Missas in Altaribus coniunctis, etiam si vna obliguet ex precepto & alia ex voto: ergo duas partes; quia sicut se habet totũ ad totũ, ita pars ad partem. Permisso enim antecedenti quãdo ex devotione; distingo consequentiæ prob. Ita *pars* vnius totius ad *partem* alterius, *concedo*; ad partem eiusdem *nego*. Et patet æquivocatio in motu solis vnius horæ, coexistenti motui orologij, non coexistente parte, toti motui horæ.

* 48 Propositio 54. *Qui non potest recitare matutinum, & laudes; potest autem reliquas horas; ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad se minorem.* Damnata. *Hæc fere* communis erat apud Palaum, & Salm. Tr.16.de Hor.can.c.3.punct. 6. §.2. Thom. Hurtado media via tenuit: Beneficiatos qui ex iustitia tenentur restituere fructus singulis horis correspondantes, teneri; non verò Regulares, qui ex virtute Religionis. *Sed*; quia damnata vniversaliter loquitur, & Papa cuius est condere legem, ita eam declarat, de omnibus dicendum est, teneri ad partem quam possunt. Tum quia *D.Tho. quodlib.5. art.* 28. dicens materiam huius præcepti esse, dividuam in matutinis dicendis, vel quibuscumque horis canonicis, ait; quod quis propter necessitatem licitam, & honestam occupationum potest de sero dicere matutinas, & in alijs horis canonicis tempus prævenire; non tamen absque peccato, & voluptati vacet: Ergo materia præcepti divisibiliter obligat, & suo tempore. *Et quodlib.3 art 29.ait*: Et qui omnisit officiũ non esse iniungendum quod idem repetat; quia esset absurdum incongruens tempori; Sed quod repetat aliquid ad divinas laudes pertinens, puta dicat septem Psalmos, vel vnum Psalterium, vel aliquid amplius secundum quantitatem delicti: Ergo hoc præceptum secundum quãtitatem, qua potsit, debet impleri: sicut qui debet septem aureos, sivè ex iustitia, sivè ex voto, & Religione, & non potest omnes solvere, tenetur ad partem quam potest, quia materia est divisibilis; secus si individua esset

Verum quidem est, quod infirmi non sunt in hoc scrupulis gravendi. *Tum* quia excusatio illorum ex se indefinita æquivalet vniversali. *Tum etiam*, quia in dubio periculi nocumenti, & anxietatis conscientiæ inducente, præceptum piæ Matris Ecclesiæ non obligat, & cum Suarez, Thom. Hurtad. & Sanchez, ait hìc Cardenas.

Probabilius tamen idem iudicat eos qui ob aliud impedimentum non possunt recitare totum matutinum, sed vnum nocturnum, vel laudes, & in die Feriæ Psalmos, vel maiorem partem, vnius horæ formam habentem teneri graviter; si minorem, leviter; quia in materia dividua laus Dei præcepta in parte illa extat; & in dubijs ex varietate opinionum, opinio favorabilior Religioni, & cultui Divino est probabilor.

* 49 Prop.55. *Præcepto cõmunionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini mãducationẽ.* Damnat.

Plu-

Plurimi, qui confessione nulla voluntatiè, non impleri præceptum alebant, vt diximus prop. 14. Alex. Impleri tamen communione sacrilega affirmabant; quia hic recipitur verum Sacramentum; non verò ibi. Sed iam Papa declarat de substancia præcepti (quod modificatio est Divini) non solum esse recipere Sacramentum; sed debitá dispositione recipere; quia cum in cap. omnes vtriusque sex. dicitur *suscipientes reverenter* intelligitur, vt explicat Trid. sess. 13. c. 7. Cavere ille debet ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat. Et *S. Thom. 3. p. q. 80. art. 10.* Cum magna devotione, & reverentia, ait debere accedere. Et *op. 58. cap. 15. ait*: Grana ad statum in quo sunt in ostia per hunc modum sunt deducta. 1. *Contrita* est eorum duricies per molam, & in minimas partes redacta. 2. *Afurfure* sunt mundata. 3. *Comixta* est farina ad invicem per aquam, & per ignem decocta, & in panem solidata: Sic peccator qui dignus erit summere corpus Domini, debet se per tria, quæ in his significantur præparare per cordis contritionem, per oris confessionem, per proximi dilectionem. Vide Tr. 12. E. 2. n. 12.

* 50 Propositio 56. *Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt est nota prædestinationis.* Damnata. *Ad hanc* scandalosam sententiam pervenit nimia impia, & irreligiosa pietas pertinaciter propugnantium omnibus non habentibus actuale mortale, quotidianam communionem præbendum. *Sed contra Sedem Petri*, ipsumque Epist. 2. cap. 1. dicentem: Qua propter fratres magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. *Vbi D. Tho.* non certitudine scientiæ sed conjecturæ, neque certitudine rei, sed spei, quatenus ex nostris bonis operibus conijci potest, & sperari quod sumus de numero prædestinatorum. Bona ergo opera, & bene perseverare signum est prædestinationis. Gentiliter autem vivere signum potius reprobationis est.

Sed pro quotidiana. & frequenti communione vide regulam Angelici, & Eucharistici Doct. supra T. 12. E. 4. n. 47. & pondera emphasim illorum verborum: *Sic vive, vt quotidie merearis accipere.* Vbi simul hortatur ad frequentem, & ad magnam *devotionem*, & *reverentia* communionem. Quod idem fecit novissimè ad tollendos abusus Innocent. XI. Decreto ibi n. 53. notato, & conformante verbis *D. Tho. loco cit.* Et *in 4. dist. 12. q. 3. art. 2.* vt videre est apud Cardenas 3. p. disp. 66.

Adverte insuper verba Decreti: Inconiugatis autem hoc amplius animadvertent, (nempe Episcopi, & PP. Spirituales) cum B. Apostol. nolit eos invicem fraudari, ni forte ex consensu ad tempus, vt vacent orationi, eos serio admoneant tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandam; puriorique mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum.

S. Franciscus Salesius considerans dicta Pauli verba (1. *Cor. 7. v. 5.*) & quod in primitiva Ecclesia omnes quotidie communicabant hæc pro coniugatis habet *p. 2. introd. c. 20.* verba in latinum fideliter versa: In lege antiqua Deus malum inveniebat, vt creditores diebus festis debitum peterent; sed non malim inveniebat vt debitores solverent, & redderent debita. Res indecens est (& si non grave peccatum) solicitare debitum nuptiale in die communionis, sed non est res male sonans, immò potius meritoria illud adimplere. *Et tom. 1. Epist. lib. 3. Epist. 3.* idem repetens ait: Esse veniale levissimum in die communionis, si pars qui communicavit debitum petat.

* 51 Propositio 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Damnata. *Quia ex D. Tho. 1. p. q. 12. art. 5.* Omne quod elevatur ad aliquid quod excedit suam naturam oportet quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra naturam. *Et q. 28. de verit. art 8. Et 3. p. q. 7. art. 13. ad 2. Et 63. art. 4. ad 1.* Et alibi frequenter docet cum Philosopho, quod dispositio proxima ad formam est ejusdem ordinis cum forma; sicut calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens á forma ignis præexistentis; vnde cum gratia sit ordinis supernaturalis, etiam attritio in Sacramento ad eam disponens debet esse supernaturalis. Et patet ex Trid. sess. 10. c. 4. vocans eam donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum.

Nec obstat in plurium sententia Sacramenta esse causam moralem gratiæ, & sic posse in diverso ordine esse. In sententia enim *D. Tho.* sunt causæ instrumentales physicæ. Deinde; quia attritio non est causa, sed dispositio, & sic debet esse in eodem ordine. Unde non sufficit naturalis, quæ ex motivo naturali, & mali ab hominibus inferendi oriatur; sed requiritur supernaturalis, nempè quæ per fidem ex apprehentione mali imminentis secundum Divinum Iudicium procedit, *ita D. Thom. 2. 2 q. 7. art. 1.*

Adverte, quod si propositio damnata loquatur de sufficientia ad iustificationem extra Sacramentum, est hæresis Pelagiana, & Massiliensium dicentium hominem per sua naturalia posse ad iustificationem disponi. Si loquatur de Sacramento valido, & informi, licèt probabilius sit non esse damnatam, probabilius etiam est ad illud non esse sufficientem ob verba Concilij, & D. Thom. dicta. Et quando *D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4.* admittit illud Sacramentum validum, & informe, intelligitur de supernaturali attritione, vt dictum est Tr. 13. Ex. 6. n. 3.

* 52 Propositio 58. *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.* Damnata. *Hanc ex* professo tenuit Ioann. Sanchez disp. 9. á n. 6. asserens, posse etiam æquivocatione negari. Alij absolutè dixerunt consuetudinem esse semper confitendam. Alij nunquam. Sed pro maiori intelligentia nota tria concurrere ad consuetudinem, nempè actuum repetitio, habitus aut facilitas ex ea re-

relictus, & aliquando voluntas actualis, & expressa eam retinendi, aut virtualis, & interpretativa, vt cum debens, & sciens non vult ei resistere. Ex his, hæ duæ voluntates vt distincta peccata cõfitenda sunt à consuetudine. Consuetudo autem non est habitus, aut facilitas existens in voluntate, prout hìc sumitur; sed repetitio, aut reincidentia actuum. *Nec facile* potest dari regula ad sciendum quando hæc sufficiat ad consuetudinem. Communiter tamen admittitur quod bis, aut ter reincidere in anno aut mense non erit consuetudo; erit tamen si sic in qualibet septimana reincidatur.

Nunc contra damnatam, *D.Tho.2.2.q. 69. art. 1.dicens*: Pertinet ad debitum iustitiæ, quod aliquis obediat suo superiori in his ad quæ ius prælationis se extendit.. & ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam iuris exigit; & ideo si confiteri nolluerit veritatem, vel si eam mendaciter negaverit mortaliter peccat: Ergo idem dicendum in iudicio confessionis. *Et in 4.dist.22.q.1. art.3.* Ex hac opinione videretur relinqui, quod non possit plenarie resdivantis morbo remedium adheri: multa enim expediunt ad spiritualem salutem resdivanti, quæ non sunt necessaria innocenti... vt scilicet circa eum maior cautela adhibeatur. Inde resolvit quod reincidentia *directe*, tanquam quid absolvendum licèt non debeat confiteri; debet tamen indirecte sicut illud sine quo sciri non potest debitus satisfaciendi modus.

Unde Confessor quando prudenter dubitat, vt Iudex de statu pœnitentis, & vt Medicus de vanitate propositi, & vt Doctor de veritate dicti, propter consuetudinem, habet ius ad hanc interrogandum, & pœnitens (licèt alias bene dispositus coram Deo) tenetur tunc ad eam confitendum: sicut multoties potest esse obligatus ad confitendum bis idem peccatum: *v. g.* vt innotescat impedimentum; incestus; scandalum ex persuasione; dilatio culpabilis restitutionis, &c. *Intellige* hoc de consuetudine actuali (præsertim si est causa vel occasio relapsus, & retentionis cum sic etiam non interrogatus teneatur confiteri, eo quod peccatum distinctum, & moraliter non coniunctam cum actu) non vero de præterita, & aliquo modo iam interrupta.

Dices: Ergo semper consuetudo debet confiteri; quia quidquid pœnitens tenetur à Iudice interrogatus fateri; tenetur etiam sua sponte. *Neg.* sequelam & *disg.* probationem: quidquid pertinet ad integritatem confessionis, *nd.* ad certitudinem propositi, & dispositionis. *nego.*

Pater Moya cum alijs tenet pœnitentem doctum interrogatum non teneri ad eam confitendum. Sed hoc non est absolutè tenendum; tum quia in damnata est aliqualiter tactum; tum etiam quia docti multoties secuti sunt laxas opiniones, & prudentes apud semetipsos solent aliquando excecari passione. Potest tamen illud admitti quando Confessor ex rationibus, statu, & alijs circunstantijs efficaciter suadetur, & prudenter iudicat verum habere propositum. Vide Tr.5.Ex.2.n.58. & pro consuetudine venialium, infra *prop.60.*

* 53 Propositio 59. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tãtum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, aut Indulgentiæ.* Damnata. *Quia ex D.Thom.in 4.dist. 17.q. 3 art. 4. qla. 2.* De necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur quæ in memoria habet, quod si non facit non est cõfessio, sed confessionis simulatio. Inde, & ex *Trid.sess.14. c.5.* colligunt Theologi præceptum Divinum de integritate materiali confessionis obligare dum non est impossibile physicè, vel moraliter impleri; & omnes casus in quibus Theologi dicunt posse dimidiari confessionem ad illas impossibilitates reducunt. De quo Tr.15. Ex. 6.n.4. *Cum autem* ratione magni concursus non sit talis impossibilitas in illis diebus, & alias nulla detur obligatio tunc confitendi, etiam ex charitate, nec vrgens vitæ periculum, non potest dimidiari confessio, *Oppono*: Præceptum Divinum de Integritate non obligat contra præceptum charitatis. *Resp.* supponis falsum tunc dari in eo charitatis præceptum.

* 54 Propositio 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ. & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Damnata. *Observa* 1. dicta hìc n.52. *Observa* 2.ne cum pluribus confundas consuetudinem, cum occasione proxima; quia licèt plerumque coincidant, tamen distinguntur in eo quod illa ab intrinseco, hæc ab extrinseco proveniant. Et ex hac, & sequenti propositione distinctio patet. *Contra damnatam* sunt verba *D. Tho. supra n. 69.* Et *Trid.sess.14. cap.* 8. de confessario, dicentis: Medentur quoque peccatorum reliquijs. Et Lateranensis in cap. *Omnes utriusque sexus* dicentis: Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati. Prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, cuiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis vtendo ad salvandum ægrotum.

Verba sunt valdè ponderanda, cum quibus magna prudentia, & discretione, in hoc procedendum. Ne statim absolutio negetur; nam plurimi ex hoc in peius, & desperationem abeunt, nec statim indiscrete absolutio detur; & occasio perseverandi in peccato ex consuetudine. Nam multoties remedio negare, aut dilatæ absolutionis mala consuetudo amputatur, & conscientia medetur. *Vnde debet* Medicus Spiritualis advertere, vbi solent esse peccati consuetudines: nempè in Iuramentis, fractionibus festivitatum, dehonoratione Parentum, inimicitijs, impudicitijs, furtis, mendatijs, murmurationibus, &c. Et in his, consuetudinem interrogare; cum autem eam invenit, pœnitentem semel, & iterum (si non est ad-

admonitus) admonere, & minari negationem absolutionis, declarando ei ineficaciam propositi, & periculum sacrilegij, ac præbare ei remedia contra consuetudinem.

Si ter, aut quater admonitus, nullatenus fuit correctus, ei differat (fieri potest eius consensu) absolutionem; vel neget, sicut solet facere cum infirmo, medicus. Quod maximè observandum in frequentantibus ex consuetudine confessionem, & in annua adimpletione præcepti. *Si verò* iam aliqualiter consuetudo est interrupta, minorque reincidentia, potest spes emendationis concipi, & absolutio, cum remedijs) impendi; sicut etiam in confessionibus ex motivo alicuius missionis, vel specialis, ex aliquo casu, supernaturalis motionis. Hoc idem debet facere Confessor ex officio Iudicis, & Doctoris. *Tum* quia non potest dare absolutionem pœnitenti indisposito, & non habenti verum propositum, vt prudenter iudicatur, & solet esse in consuetudinario. *Tum etiam* quia hoc multis fructuosius solet esse, quam ipsa absolutio. Per quod solvitur fundamentum Ioann. Sanchez. Nec credendum facile pœnitenti, dum signa contraria apparent. Nec iudicandum secundum id quod metaphysicè possibile, sed moraliter. Vide Contenson de pœnit. cap. 2. specul. 3. & Cardenas hic.

Quid dices de frequentibus, consuetudine, venialium confessionibus? *Dico* 1. Si venialia de quibus est consuetudo sunt materia totalis confessionis idem, quod de alijs dictum est.

Unde Contenson *cap.* 1. *corol.* 3. *ait*: Sine contritione (vel attritione) quæ & affectum, & complacentiam impiorum excludit, & eorum detestationem adiunctam habet, qui sola peccata venialia, nullum eorum detestatus aperiret, non solum gratiam, ex opere operato non reciperet, sed in grande sacrilegium incurreret, vt potè Sacramentum pœnitentiæ mutilans, eique materiam debitam non ministrans. Et licèt materia sit voluntaria, dolor, & propositum sunt necessaria. *Hoc valdè* advertendum in venialibus ex deliberatione comissis, & ob levitatem quasi despectis. In his autem, quæ ex infirmitate, indeliberatione, & subreptione accidunt non cum tanto rigore est iudicandum, cum possit esse verum propositum, licèt frequenter, ob multam occasionem, & humanam infirmitatem incurrantur.

Sed nota *D. Tho. verba in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. qla. 2. ad 2.* Venialia autem, & si singula vitari possint, non tamen omnia; ideo in contritione de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortalibus; sed quod displiceat ei, & peccatum præteritum, & infirmitas, quo ad peccatum veniale inclinatur, quamvis ab eo omnino esse non possit immunis. *Et 3. p. q. 87. art. 1. ad 1.* Debet tamen habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset periculum deficiendi, cum desereret apetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia. Inde.

Dico 2. Si cum venialibus ex consuetudine, & sine dolore, aut proposito confessis, alia venialia, vel mortalia præsentis, aut præteritæ vitæ confiteantur cum dolore, & proposito requisitis, potest, immò & debet dari absolutio; quia omnia requisita pœnitens aponit, & Sacramentum frustrationi non exponit.

Alia autem venialia tunc confessa possunt esse materia erubescentiæ, humilitatis, & aliarum virtutum, & fructuosè confiteri sicut laudabilitèr aliquoties confitentur tentationes, passiones, & non correspondere divinis inspirationibus. Ita Gonet disp. 7. art. 4. n. 76. asserens contrariam sententiam dicentium mortaliter peccati, aut venialiter, nimis rigidam, & improbabilem. *Convenit* tamen aliquando frequentantibus Sacramenta cum illa consuetudine differre absolutionem, & communionem, vt in levibus etiam consuetudo mala amputetur, & maior reverentia, devotio, & perfectio Sacramentis adhibeatur, vt colligitur ex *D. Tho. hìc n. 52.* & alt Natalis Alexander. de *pœnit. cap. 5. art. 8. reg. 12.*

Oppono: Qui offiam ordeaceam simul cum triticea confecrandam apponeret graviter peccaret: Sicut etiam qui Missam ex devotione irreverenter voluntariè audiret: ergo etiam qui venialia sine debito dolore, cum alijs, & vero dolore confitetur, etiam si id faciat ex devotione. *Nego consequentiam*, quia illa hostia ordeacea, & illa Missæ auditio, nec materia consecrationis, nec virtuti sunt, immò irreverencia Sacramenti, cum materia ibi solù ad transubstantiationē apponi, & Missa reverenter audire debeant. Ad venialia illa, & si non sint materia absolutionis, sunt tamen materia pœnitentiæ; & aliarum virtutum ad quæ ordinatur hoc Sacramentum. Vide Tr. 10. Ex. 1. n. 15.

✱ 55 Propositio 61. *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quàm potest, & non vult omittere, quinimo directè, & expositivo querit, aut ei se ingerit.* Damnata. Prop. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* Damnata. Propositio 63. *Licitum est querere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Damnata.

Contra has sunt illa verba D. Tho. in 4. dist. 22. q. 1. art. 3. *Occasio præscindatur.* Et 2. 2. q. 189. art. 10. cum S. Hieron. *Funem magis præscinde quàm solve*, & Christi Domini Matth. 5. & 18. *Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & proijce abste: & si manus tua vel pes tuus scandalizet te abcinde eum, & proijce abste*, per quæ S. Aug. & communiter PP. intelligunt ocasionem fugiendam, & præscindendam, etiam si necessaria sit, quasi oculus manus vel pes.

Et *D. Tho. quodl. 1. art. 9.* in sed contra ex S. Anselmo ait: Aliquis debet magis eligere esse in infer-

inferno sine culpa, quam in paradyso cum culpa: quia innocens in inferno non sentiret pœnam, & peccator in paradyso non gauderet de gloria. Ex quibus colligitur peccatum, & eius occasionem proximam quæ peccatum est maximè fugiendum, & qui in illa versatur peius quam in inferno esse. Unde non absolvendum.

Et horum ratio est: quia occasio proxima est periculum formale peccati, est status peccati, prohibetur præcepto negativo obligante pro semper, *noli retinere*: Est ex se & per se causa moralis peccati, influens moraliter in eum, & sic peccatum; quia in moralibus eiusdem malitiæ est constituere se voluntariè in morali, & proximo peccati periculo, ac committere illud. Unde infero.

1. *Contra Ioann. Sanchez* (& alios qui 1. damnatam tenuerunt, & contra Hozes, Torrecilla, & Lumbier post eam) non posse absolvi nec quater, nec ter, nec bis, nec semel qui in ea est, & non relinquit cum possit, aut non vult. Sola enim impossibilitas physica vel moralis potest excusare, vt sic cum proposito absolvatur. Si autem impossibilitas moralis in hoc consistat quod occasio non possit dimitti, nisi emittatur vita ob defectum alimenti, prius vita debet amitti, nec illa impossibilitas admitti. Quando occasio est in voluntaria, quia nempè non est in manu propria eam abijcere, aut relinquere, debet sicut de consuetudine dictum est propositione antecedenti cum ea iudicari.

2. *Contra Ioann. Sanchez*, & alios 2. & 3. tenentes, nunquam ob bonum temporale, vel spirituale posse directè quæri. Ait enim Christus Dom. Matth. 16. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*. Et *D. Tho.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. cum dixisset non esse prohibendum cum infidelibus communicare ob bonum eorum spirituale: *Et maximè si necessitas urget* addidit: Si autem sint simplices, & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ad infidelium communicatione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate communicent.

Præ omnibus, occasio luxuriæ est maximè fugienda; quia ex S. Isidoro apud *S. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 3. *ad* 1. Magis per carnis luxuriam humanum genus subditur Diabolo quam per aliquid aliud; quia scilicet difficilius est vincere vehementiam huiusmodi passionis. Et Idem *S. Thom. in illud* 1. *Corinth.* 6. Fugite fornicationem, ait. Cætera vitia vincuntur resistendo.. Sed vitium fornicationis non vincitur resistendo; quia quanto magis homo ibi cogitat particulare, tanto magis incenditur; sed vincitur fugiendo, id est totaliter vitando cogitationes immundas, & quas libet occasiones. Vide Tr. 5. Ex. 2. n. 46. & 53. & prop. 41. Alex.

* 56 Propositio 64. *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. Iesu Christi.* Damnata.

Hanc Academia Lovanienſis dignam gravissima censura censuit, & Genet tribuens illam casuistis vt etroneam refutat art. 3. n. 158. Et contra eam est *D. Thom.* 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. docens: omnes fideles necessitate præcepti teneri explicite credere omnes articulos fidei in Symbolo Apostolorum contentos. Et necessitate medij ad gloriam mysteria Trinitatis, & Incarnationis ex eodem loco cit. *art.* 7. *& in* 3. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *qla.* 2. *ad* 2. *quia* in nomine Trinitatis intramus in Ecclesiam per portam Baptismi, & Doctrinæ, & Christus est via, veritas, & vita & Deus trinus & vnus terminus in visione beata.

Unde qui hæc ignorat peccat, & non est gratiæ capax, aut absolutionis. Et vt ait Ill. Tapia tom. 2. lib. 1. q. 2. art. 9. ex D. Thom. 1. ad Corinth. 11. lect. 4. nusquam, vel raro admitenda est inter fideles ignorantia invincibilis eorum quæ explicite credere tenentur sive necessitate medij, sive præcepti; quia hæc frequentissimè celebrantur in Ecclesia, & prædicantur, & sic inotescit aliqua notitia, qua obligantur ad explicitam quærendam iuxta illud Deuteron. 32. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.*

Confessor igitur inveniens pœnitentem hæc ignorantem, instruat eum si potest de his quæ necessitate medij, & explicite habet obligationem, & advertat negligentiam culpabilem eorum quæ de necessitate præcepti tenetur scire, & si cum dolore verè proponit hæc addicere, & spes appareat, poterit eum absolvere.

* 57 Propositio 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.* Damnata. *Quia* vt cum D. Tho. diximus prop. 1. Alex. & hic prop. 5. 6. 7. & 17. multoties tenetur homo actus fidei, præsertim horum duorum misteriorum, cum sint media præcipua ad vtramque salutem elicere. *Iustus* enim vt ait Paul. Heb. 10. *Ex fide vivit.* Utinam ita vivamus omnes vnum in Christo Domino, & Deo trino, & vno.

MOLINOS DAMNATUS.

* 58 Ex dictis colligitur quare in tot mala, & errores irruit Heresiarcha, *sed tandem prope vitæ finem pœnitens*, Michael de Molinos, qui larvato prætextu contemplationis fidei, Animam vnico actu in Dei sola essentia defixam, vnitam, & anichilatam relinquebat, & corporeis sensibus per sua oblectamenta, sine remorsu conscientiæ laxabant accenas; & sic quærebat, & permitebat lascivas occasiones, in conventiculis vtriusque sexus, & polutiones, & alias turpes furias; blasfemeque aiebat has habuisse Sanctos, Job, Jeremiam, Davidem, & Apostolum Paulum; & sic errores addens irruit in cœnum Massilianorum, Beguardorum,

Illue

Illuminatorum, Quietistarum, & aliorum Hereticorum.

Et sic, exterminans virtutum exercitia, infamabat veram orationem fidei, quietis, illuminationis, unionis, & mortem spiritualem, veramque Animæ anichilationem quam Dei casta, & fortis, vt mors dilectio facit, & de qua S. Gregor. Hom. 11. in Evang. *Vt nihil iam quod caro blanditur libeat; nihil quod carnalem vitam trucidat spiritus perhorrescat.*

Ideo ab eodem Innocentio XI. die 19. Februarij 1688. fuit damnatus cum omnibus suis libris, & operibus quocumque loco, & Idiomate Impressis, & omnibus manuscriptis. Et 68. eius propositiones hæreticæ, &c. Ita prohibitæ: Ut de eisdem, & similibus omnibus, & singulis post hac quoquo modo loquendi facultatem interdixerit. Ideò eas hic omittimus. Videatur Porter secuio 17. cap. 5. §. 6. pag. 652.

Et contra eas Cherubin Paradysi opiniones locis à n. 62. & 72. cit. & op. 18. cap. 9. dicentem: Impeditur enim animus hominis ne libere possit Deo vacare non solùm ex amore exteriorum, sed multo magis ex interiorum passionum impulsu, inter omnes autem interiores passiones maximè rationem absorbet concupiscentia carnis, & venereorum vsus. Idque confirmat verbis S. Aug. Apostoli Pauli ex Christi Domini Matth. 19. *Et 2.2.q.188. art.4. ad 1.* ex S. Greg. Sine contemplativa vita intrare possunt ad Cœlestem Patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt; sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari, quæ possunt.

EXAMEN IV.

De Alexand. VIII. Decretis, & propositionibus ab eo damnatis.

1. IN Belgio contentiones ardebant ex plerisque Thesibus, & libris hinc inde sparsis, proscriptas olim Michaelis Bay & Iancenitarum novitates redolentibus, quare ab anno 1676. vsque ad annum 1690. Prælati, & viri zelo ardentes vnà cum Imperatore, & Rege Catholico apud Sanctam Sedem instantes pro declaratione veritatis, & pace Ecclesiæ, prodijt hoc Decretum. Ut refert P. Franciscus Porter (huius causæ procurator) in system. Decret. secul. 17. cap. 6. §. 3.

DECRETUM.

SAnctissimi D.N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. prædictus; pro Pastorali cura ovium à Christo Domino sibi commissarum, de earum salute solicitus, vt in offenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimirum pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, vnius supra triginta propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentiss. & Reverendiss. D. D. Cardinalibus contra hereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedula, ac pluris incumbentes, super vnaquaque ipsarum sua suffragia sanctitati suæ sigillatim detulerunt.

Hic referuntur 31. propositiones & concluditur Decretum sic:

Quique maturis consideratis idem SS. statuit, & decrevit 31. supradictas propositiones tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hereticas respectivè esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ita vt quicumque illas, aut coniunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit; nisi forsan impugnando ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque, etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus, cuiuscumque conditionis dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas sua per hoc Decretum alias propositiones in maiore numero vltra supradictas 31. iam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas, approbare. Hoc Decretum fuit Romæ more solito publicatum anno 1690. die 20 Decembris, cuius propositiones sunt sequentes.

* 2 Propositio 1. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale. & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Damnata. *Quia ex D. Thom. in 2. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. Oportet quod secundam hoc quod aliquid rationem culpæ habet, secundum hoc ratio voluntarij in ipso reperiatur. Sicum autem est quoddam bonum, quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam; ita etiam est quædam culpa naturæ, & quædam personæ. Unde ad culpa personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali; quæ per actum personæ committitur. Ad culpam verò naturæ (nempè ori-

originale peccatum nō requiritur nisi voluntas in natura illa: Ergo licèt ad peccatum originale quod ex Adamo contrahimus sufficiat illa libertas, & voluntas, non verò ad nostra actualia, quæ ex nostris actibus sunt.

Adde, quod hæc propositio damnata iam à Tridentino, vt hæretica *sess. 6. c. 4. 5. & 6.* & à S. Pio V. contra Baium, & Innoc. X contra Iancenium; *non* solùm contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis: Si enim non sit liberum aliquid in nobis: tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus, & vituperium, alt. *D. Tho. q. 6. de malo. art. vn. ex Regl. 3. Ethic.*

Oppono: Actus externi, & si non sint in se formaliter liberi, sunt demeritorij, & pœna digni, si mali: Ergo etiam actus nostri ob libertatem Adami. *Nego* consequentiam, quia illi sunt in nostra potestate, & à voluntate liber se determinante; non verò isti.

* 3 Propositio 2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Damnata. *Hæc est radix* errorum Iansenismi dicentis ignorantiam invincibilem iuris naturæ esse pœnam originalis peccati, & non excusare à culpa. Sed ex propositione antecedenti patet non esse nobis voluntariam, & sic excusare. *Tum* etiam ex *D. Thom. 1. 2. q. 76. art. 3. & q. 3. de malo art. 8. & q. 11. de verit. art. 4. ad 5. dicente*: Si talis sit ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sivè quia est invincibilis; sivè quia est eius, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.

Oppono: Christus Lucæ 12. ait: Servus qui scit voluntatem Domini, & non facit, vapulavit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis vapulabit paucis: Ergo ignorantia non omninò excusat. Ideo David Psal. 24. *Ignorantias meas ne memineris.* Et Heb. 9. dicitur: quod Pontifex offerebat *pro sua, & populi ignorantia. Resp.* cum D. Tho. in cath. aur. ad illud locum: *Servus punitur ignorans quia cum ipse potuisset, noluit. sed pigritans ipse fuit ignorantiæ causa.* Unde textus loquuntur de ignorātia vincibili, & culpabili. Vide Tract. 6. n. 17. circa ignorantiam invincibilem Iuris naturalis.

* 4 Propositio 3. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabiliorem.* Damnata. *Hæc incidit* in Syllam cupiens vitare Charibdim. Potest enim sequi opinio probabilior, vt diximus prop. 3. Innoc. Et D. Thom. in cap. 1. lib. Ethic. ait: *Materia moralis talis est, quod nō est ei conveniens certitudo.* Nempè Mathematica, & perfecta, sicut est in physicis, & Methaphysicis; sed moralis vt explicat Gonet cum Ill. Marinis.

* 5 Propositio 4. *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.* Damnata. *Quia D. Thom. 3. p. q. 46. art. 4.* probat convenientissimam fuisse Christi mortem crucis hac quinta ratione: Quia hoc competit vniversali salvationi totius mundi. Unde Greg. Nicenus dicit: Quod figura crucis à medio contactu in quatuor extrema partita significat virtutem, & providentiam eius, qui in ea pependit vbique diffusam. Chrisost. etiam dicit: Quod in Cruce expansis manibus moritur, vt altera manu veterem populum, altera eos qui ex gentibus sunt trahat. *Idem* patet 2. Corinth. 5. *Vnus pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. Thimot. 2. dedit semetipsum redemptionem *pro omnibus.* Et 1. Ioann. 2. *Pro totius mundi peccatis.* Unde quoad sufficientiam pro omnibus quoad efficaciam, verò fructum, & effectum pro illis, qui eius gratia, & Sacramentis vtuntur oblatus est.

Oppono: Matth. 26. Hic est sanguinis meus noui testamēti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Resp.* D. Tho. ibidem: Et pro multis, & pro omnibus: quia si consideretur sufficientia 1. Ioann. 2 ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi. Sed si consideremus efficatiam, non habet effectum, nisi in his qui salvantur, & hoc ex culpa hominum. Inde *Trident. sess. 6. cap. 3.* Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt.

* 6 Propositio 5. *Pagini, Iudæi, Hæretici, aliique huius generis nullum omninò accipiunt, à Iesu Christo influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficiente.* Damnata. *Error* huius patet ex immediatè dictis; Et quia ex *D. Thom. 3. contra Gent. cap. 159.* Illi soli gratia privantur qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant; sicut sole mundum illuminante in culpam imputantur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licèt videre non possit nisi lumine solis præveniatur.

* 7 Propositio 6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam vtilis, quàm perniciosa est sic vt proinde meritò possimus petere, à gratia sufficienti libera nos Domine.* Damnata. *Pro intelligentia Nota*, quod gratia seu auxilium sufficiens (vt volunt aliqui Thomistæ cum Lemos) dicitur quæ verè, & simplicitèr quantum est de se, & ex parte Dei sufficit ad bene operandum, in eaque offert Deus auxilium quod requiritur efficax ad operandum, quodque infalibiliter tribuitur adeò nisi homo resistat, & impedimentum ponat. Vel, vt alij volunt dicitur ex efficacia quàm ex se habet, ita vt ex parte actus primi, sivè potentiæ nihil præter ipsam requiratur ad operandum; datur quæ non solùm ad posse, sed agere, licèt ad hoc ex parte actus secundi requiratur efficax.

Inde benè ait Petrus de Ledesma: Omne auxilium sufficiens ex comparatione vnius actus semper est efficax respectu alterius. V. g. sufficiens ad perfectum actum fidei est efficax ad producendum pias cogitationes: Et sufficiens ad contritionem

est

est efficax ad attritionem, & alios actus imperfectos regulariter eam antecedentes.

Nunc cōtra damnatam *D. Tho. 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2.* Si quis post acceptam gratiam novi testamēti peccaverit, maiori pœna est dignus, tamquam maioribus beneficijs ingratus, & auxilio sibi dato non vtens; nec tamen propter hoc dicitur quod lex nova iram operatur; quia quantum est de se auxilium sufficiens dat, ad non peccandum. *Et q. 102. art. 2. ait*: quod Proverb. 16. & alibi ideo dicitur: Hominis est præparare animam, & à Deo voluntas hominis præparatur, & à Deo gressus hominis dirigi; quia ipse bonus motus liberi arbitrij quo quis præparatur ad bonum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo.

Unde sicut liberum arbitrium optimum est homini bonum, eo quod ad hoc possit eo vti, licèt multoties non eo benè vtatur; ita, & gratia seu auxilium sufficiens optimum homini sunt bonum vtile, conceptum, delectabile, & magnum beneficium pro quo, & amplioribus, & efficatioribus auxilijs Deum debeat exorare, & quod eum liberet à non vsu, vel resistentia, quæ solùm culpa hominis accidit. *Ianseniſta ergo*, qui propter hoc petit à gratia sufficienti liberari, poterit etiam petere à libero arbitrio, à gratia Christi mediatoris, à sanctis spirationibus liberari; erit quæ ex illis, qui cum Iuda, & impijs dicunt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Job 21.

* 8 Propositio 7. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est: mala est.* Damnata. *Quia ex D. Tho. 1. 2. q. 3. art. 3. ad 3. & art. 4. Et q. 11. art. 2. & art. 6. ad 3.* loquendo de fine intermedio, & de vltimo: Non oportet vt semper aliquis cogitet de vltimo fine, quandocumque aliquid agit vel operatur, sicut non oportet, quod qui vadit per viam in quolibet passu cogitet de fine. *Et 2. 2. q. 10. art. 4. ad 2.* fides dirigit intentionē respectu finis vltimus supernaturalis; sed lumē naturale, rationis respectu alicuius boni connaturalis potest etiam dirigere.

Unde non omnis actio deliberata quæ non est charitas Dei est mala, quia plures possunt esse bonæ, & virtuosæ, nempè opera iustitiæ, pœnitentiæ & aliorum virtutum moralium, & fidei, & Spei, & Religionis propter bonitatem earum. Quæ in habentibus charitatem meritoriæ erunt, in peccatoribus verò, & si non meritoriæ, erunt tamen bonæ. Et contrarium damnatum est à Trident. & S. Pio V. contra Baium.

Oppono: 1. Corinth. 10. præceptum est: *Omnia in gloriam Dei facite*: Ergo quod sic non fit, malè fit: vel à Domino nullus erit actus indifferens. *Resp.* (ait ibi D. Tho.) *Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur, vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solùm in bonis, sed etiam in indifferentibus.* Vel loquitur in actu exercito, nō in actu signato, ideſt actus secundum speciem indifferentes sunt in individuo deliberati, & in actu signato referibiles in Deum saltem relatione habituali implicita, & interpretatione ex aliquo fine honesto. Boni verò in actu exercito ex sua specie, & obiecto referuntur, quamvis hoc actu homo non cogitet, sed eos faciat ob bonitatem obiectivam eorum.

Exhis refutata manet nova quædam opinio Iansenistarum, & aliorum rigidiorum asserentium omnem actionem humanam ne mala sit, debere dirigi actualiter ad Deum, contra quos latè, & eruditè Card. Aguirre tom. 3. Theol. Tr. 7. disp. 130

* 9 Propositio 8. *Necesse est Infidelem in omni opere peccare.* Damnata. *Quia D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4.* ex professo cōtrarium probat dicens: *Non omnis actio infidelium est peccatum, licèt non possit meritoriè operari.* Et in 2. dist. 27 q. 1. art. 4. *Frequenter, vt Greg. dicit Deus in hoc mundo remunerat eum quæ præmium futuræ gloriæ non meretur, vt si nullum bonum irremuneratum inveniatur.* Et lib. 3. de regim. Princip. à cap. 4. ait cum S. Aug. Antiquos Gentiles Romanos meruisse (de congruo) dominium vniversi Orbis ob singularem pietatem, zelum Iustitiæ, & alias similes virtutes morales. Et D. Heron. cōtra Iovinian. ait: Quod Sybillæ gentiles receperunt donum Profeciæ in præmium suæ virginitatis. Et in Scriptura Sacra opera bona laudantur Cyri, Darij, Asueri, Nabuco Donosoris, Ninivitarum, Reginæ Saba, & aliorum Gentilium.

Oppono: Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est*, quod de vera, & Christiana fide intelligunt S. Aug. & Bern. vel de conscientia hac fide directa, vt Theologi cum D. Tho. *Resp. S. Thom. ibi let.* 3. Sic est intelligendum: omne quod est contra fidem, vel contra conscientiam peccatum est, & si ex genere suo bonum videatur. Puta si Paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel elemosynam det, hoc ipso peccat, quia omnis infidelitèr vivens, vel agens vehementer pecat. Idem habet *art. 4. cit. ad 1.* Unde ly *non ex fide* debet summi, vt sit peccatum non solum negativè, sed etiam contrariè.

* 10. Propositio 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine vllo ad Deum offensum respectu.* Damnata. *Quia ex D. Tho. in 4. dist. 17. q. 2. art. 3. qla. 1. ad 4.* Quia homo debet magis Deum, quam se ipsum diligere, ideo plus debet adisse culpam in quantum est offensa Dei, quam in quantū est nosciva sibi: Ergo quo ad vtramque partem debet odio haberi, & est actus virtutis pœnitentiæ illud odium, vt patet ex ipso ibi art. 1. & 4. cōtra Gent. c. 72 & in Addit. q. 4. art. 1. *Dolor non solùm de culpa est in quantum habet turpitudinem, sed etiam in quantum habet nocumentum adnexum.* Idem ait Trid. sess. 14. cap. 4.

* 11 Prop. 10. *Intentio, qua quis detestatur malū, & prosequitur bonū, merè vt cœleste obtineat gloriā, nō est recta, nec Deo placens.* Damnat.

Quia est actus præceptus virtutis spei ex *D. Thom. 2.2.q.22. art.1. in sed contra* ex S. Aug. De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe? *Et in corp.* Præcepta de actu fidei, & spei sunt præambula ad legem, & post primam legis promulgationem in Sacra Scriptura multipliciter inducuntur homines ad sperandum etiam per modum admonitionis, vel præcepti. sicut patet Psal. 61. sperate in eo, &c. Et in multis alijs scripturæ locis. *Inde Trid. sess. 6. cap.* 8. Idem ait, & *can.* 31. Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit. Ideo benè cum David Psalm. 118. dicitur in Ecclesia: Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Hoc enim ex Paulo Hebr. 10. Magnam habet remunerationem. Vide prop. Alex. VII.

* 12 Propositio 11. *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatū est.* Damnata. Vide prop. 8. Prop. 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiam si videantur credere, non est fides divina, sed humana.* Damnata. *Quia D. Tho. 2.2.q.4.art.2. in corp.* probat contrarium. & *ad 3. ait*: Per hoc quod fides formata fit informis (defectu nempè amoris) non mutatur ipsa fides, sed mutatur subiectum fidei, quod est Anima; quod quandoque quidem habet fidem sine charitate. quandoque autem cum charitate. Et Trid. sess. 6. can. 18. Si quis dixerit amissa per peccatum gratia simul fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licèt non sit viva, aut eum qui fidem sine charitatē habet non esse Christianum, anathma sit.

* 13 Propositio 13. *Quisquis etiam æterna mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.* Damnata. *Vide* prop. 10. Et *S. Thom. 2.2.q. 17.art.6. dicentem*: Via generationis spes est prior charitate. Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipso puniri cessat à peccato, vt Aug. dicit super 1. can. Ioan. Ita etiam spes introducit ad charitatem in quantum aliquis esperans remunerari à Deo accenditur ad amandum Deum, & servandum præcepta eius. Et ad 2. Non omnis spes provenit à charitate, sed motus solùm spei formatæ. Unde etiam qui charitate caruerit potest elicere actus virtutis spei Theologicæ.

* 14 Propositio 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Damnata. Prop. 15. *Attritio, quæ gehennæ, & penarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei, propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Damnata. *Nota* 1. *ex D. Thom. 2.2. q.19.art.5. & 11.* quod timor *servilis* est, quo quis timet pœnam, quam habet pro obiecto; *filialis* verò, & castus offensam Domini, & Patris, & separationem ab eo, seu non subiectionem, cum quadam reverentia, quæ est primarius eius actus. *Nota* 2. ex eodem, & Bancel in curs. Theol. tom. 7. *Tract. 4. q. 3. art. 1.* quod *servilis* potest dupliciter considerari, nempè *in quantum servilis*, seu vt *purè servilis*, ita vt solùm timeat pœnam, & nullo modo ametiustitiam; vel *quoad substantiam* aut habens aliquid admixtum de filiali, ita vt timeat culpam ab eaque abstineat ratione pœnæ, intendens saltem inefficaciter obtinere gratiam, & charitatem, qua Deum diligat. Hoc notato.

Rosolvit *D. Tho. art.* 4. Quod *timor servilis*, (qualis est timor gehennæ, & attritionis) in quantum servilis, est charitati contrarius, & malus quia servitus libertati opponitur, sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis; sicut nec informitas ad speciem fidei informis; species enim moralis habitus, vel actus ex obiecto accipitur... Et ideo timor servilis secundum suam substanciam bonus est.

Et q.22.art.2. ait: de timori filiali dari præceptum, sicut de dilectione. De servili verò esse præceptum inclusum alijs Decalogi, & in secundarijs legis præceptis: Et de hoc ait Christus Matth. 10. *Timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.* Et Angel. Apocalipsis 14. *Timete Dominum, &c.* Unde bonus, honestus, à Deo hortatus, & præceptus est. Et ideo timor gehennæ, vt est contritio, etiam sine dilectione benevolentiæ, donum Dei, Spiritus Sancti impulsus, supernaturalis est ex, Trident. sess. 14. cap. 4.

Oppono: 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et S. Aug ibi, & Rom. 8. *Qui timore aliquid facit, & si bonum sit, quod facit; non tamen benè facit.* Idem alibi repetit, sicut alij SS. PP. 2 *Ex D. Tho. cit. art. 6.* timor servilis ex amore sui causatur; sed hic est malus: ergo, &c. 3. *Quia* opponitur charitati, sicut amor mercenarius qui est malus.

Ad 1. *Resp. D. Tho. art.* 4. *ad* 1. Intelligendum est de eo qui facit aliquid timore servili, in quantū servilis est, vt diximus, non verò quoad substantiā, vel mixto. Ad 2. ex D. Tho. ibi: Amor sui tripliciter se potest habere ad charitatem: vno enim modo contrariatur charitati secundum quod aliquis in amore proprij boni, finem constituit. Alio verò modo in charitate includitur, secundum quod homo se propter Deum, & in Deo diligit. Tertio modo à charitate distinguitur, sed charitati non contrariatur, puta cum aliquis diligit se ipsum secūdum rationem proprij boni, ita tamen quod in hoc proprio bono non constituat finem. Et sic timor pœnæ potest esse cum charitate. *Ad* 3. *Resp.* Cum D. Tho. *art.4. ad* 3. Amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona temporalia, quod secundum se charitati contrariatur; & ideo semper est malus; sed timor servilis secundum substantiam non importat nisi timorē pœnæ. Vide T. 13. E. 3. n. 7. 8. 9. & 10. Prop. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ: sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei, id ipsā quodāmodo dictante.* Damnata.

Pro-

Propoſitio 17. *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.* Damnata Propoſitio 18. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiam ſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* Damnata.

Harum AA. dicebant: Satisfactionem, & emendationem vitæ debere præcedere abſolutionem. Sed contra eſt *D. Thom. 3. p. q. 90. art. 3.* de partibus pœnitentiæ contritione, confeſsione, & ſatisfactione dicens: *Et habent ordinem virtutis, ſicut partes animalis, quarum prima virtus eſt cor, & aliæ quodam ordine virtutis dependent ab invicem, ſicut partes temporis, & motus.* Unde omnes Theologi aſſerunt: confeſsionem, & contritionem, ac ſatisfactionem in voto, eſſe materiam proximam; ſed hanc in executione, eſſe partem integrantem, & complentem, non quoad remiſsionē culpæ; ſed tēporalis pœnæ. Vide T. 13. E. 8. n. 6.

Et Trident. ſeſſ. 14. c. 3. & can. 14. ait eſſe partem integralem, *quatenus ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſsionem* (quoad pœnam nempè) *ex Domini inſtitutione requiritur.* Et cap. 4. & 5. vbi de diſpoſitione agit, nunquam præcedentem ſatisfactionem requirit. *Et cap.* 8. de ſatisfactione agens, numquam dicit requiri per modum diſpoſitionis. Et idem dicendum de emendatione vitæ, *ex cap. 4.*

* 16 Propoſitio 19. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* Damnata. *Quia ex D. Tho. 3. p. q. 85. art. 1. Pœnitere eſt de aliquio prius à ſe facto dolere.* Unde neque pœnitentia virtus, neque Sacramentum poteſt eſſe peccato originali, quod neque propria voluntate commiſsum, nec retractabile, nec ſatisfactibile eſt. Et ex Trid ſeſſ. 14. cap. 2. de eo *per baptiſmum plenam, & integram remiſsionem conſecuti ſumus*

* 17 Prop. 20. *Confeſsiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.* Damnata. Propoſitio 21. *Parrochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidij temporalis.* Damnata. *Quia ex D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. in ſed contra* S. Dionyſius cap. 5. de cel. & Eccl. Hier. attribuit perfectionem Epiſcopis tanquam perfectoribus, & *cap.* 6. attribuit perfectionem Religioſis, quos vocant Monachos, vel Triapentas, ideſt Deo famulantes, tamquam perfectis. *Et art. 8. ad 5.* Quantum ad perpetuam obligationem, quæ requiritur ad ſtatum perfectionis ſimiliores ſunt Epiſcopo Religioſi. Unde blaſfema, & temeraria iniuria de illis, qui omnia propter Deum reliquerunt eſt dicere, quæ propoſitiones iſtæ aſſerunt. *Tum* quia ab Eccleſia Iure Canonico, & Pontificijs Bullis quoadjutores Epiſcoporum dicuntur, & innumeris privilegijs remunerantur. Et circa confeſsionem nunc adhuc habent ſequentia.

1. *Abſolvendi* à reſervatis etiam Papæ, vt dictum eſt Tr. 14. Ex. 2. num. 27. 2. *Regulares* approbati ab ordinario (non repugnantibus ſuis Prelatis) poſſunt in loco ſuæ delegationis diſpenſare in omnibus irregularitatibus, quæ poſſunt Epiſcopi, & in omnibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, à *Sixto IV.* & *Iulio II.* conceſsum. De quo Anton. à Spirit. S. *Tr. 2. du. 3. q. 2.* & Salmant. *tom 2. Tr. 10. c. 7. punct. 4. n. 73.* & c. 8. n. 6. & tom. 4. Tract. 18. cap. 4. punct. 2. §. 11. num. 135. 3. *Poſſunt* diſpenſare in omnibus votis, exceptis illis quinque, caſtitatis, Religionis, & tres peregrinationis ad Ieruſalem, Romam, & S. Iacobum. Ab Eugenio IV. & Iulio II. conceſsum; & pœnitentem ad hoc non egere Bulla aſſerunt *Sanchez* in Decal. lib. 4. cap. 54. num. 62. *Dian.* p. 1. tract. 1. reſol. 10. *Lugo* de Pœnit. diſp. 20. ſect. 8. n. 145. *Salm.* tom. 4. tract. 18. cap. 2. punct. 3. n. 31. & nos infra Tr. 18. Ex. 5. n. 2.

4. Poſſunt diſpenſare in impedimento petitionis debiti ob inceſtum, vel ſimplex caſtitatis votum, cum licentia ſeu commiſsione ſuorum Prelatorum Ex. 3. n. 4. & à Iulio II. & Martino V. conceſſum, aſſerunt cum Sanch. & Rodrig. Salmant. tom. 2. tract. 9. cap. 14. punct. 1. n. 16. Sed advertit Trull. lib. 2. in Decal. c. 2. dub. 39. n. 20. & 21. Intelligi de voto facto ante Matrimonium, non de abſoluto per modum contractus ex communi conſenſu factum.

* 18 Propoſitio 22. *Sacrilegi ſunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam pretendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.* Damnata. Vide in hoc Ex. n. 15. Propoſitio 23. *Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum in eſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.* Damnata. *In hac*, vt in prop. 7. 10. 13. 14. & 15. apparet magis error exiſtimantium, quod omne quod deliberate actualiter fit, ſi non eſt ex puriſſima Dei dilectione eſt peccatum. Sed contra eſt *D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 8.* vbi quærens: Vtrum charitas in hac vita poſsit eſſe perfecta. *In corp. reſolvit ita:* Ex parte diligentis, tunc eſt charitas perfecta, quando diligit tantum, quantum poteſt quod quidem contingit tripliciter. Uno modo ſic, quod totum cor hominis actualiter ſemper feratur in Deum, & hæc eſt perfectio charitatis Patriæ, quæ non eſt poſsibilis in hac vita, in qua impoſsibile eſt, propter humanæ vitæ infirmitatem, ſemper actu cogitare de Deo & moveri dilectione ad ipſum.

Alio modo, vt homo ſtudium ſuum deputet ad vacandum Deo, & rebus divinis, prætermiſsis alijs, niſi quantum neceſsitas præſentis vitæ requirit. Et iſta eſt perfectio charitatis, quæ eſt poſsibilis in hac vita, non tamen eſt communis omnibus habentibus charitatem. *Tertio* modo ita, quod habitualiter aliquis totum cor ſuum ponat in Deo, ita ſcilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod Divinæ dilectioni ſit contrarium. Et

hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

Et art. 9. distinguit tres gradus charitatis nempè, *incipiens*, *proficiens*, & perfecta *assimilans* corporali hominis augmento. *Et ad 3. ait*: Quod perfecti etiam in charitate proficiunt; sed tamen non est ad hoc principalis eorum cura, sed iam eorum studium circa hoc maximè versatur, vt Deo inhæreant, & quamvis hoc etiam querant incipientes, & proficientes, tamen sentiunt circa alia suam solicitudinem, *incipientes* quidem de vitatione peccatorum, *proficientes* verò de profectu virtutum.

In his igitur omnibus, est charitas perfecta, licèt solùm in perfectis sit in statu perfecto. In omnibus est perfecta essentialitèr, in perfectis etiam accidentalitèr, & vt ait ipse D Tho. q. 19. art. 8. *Charitas perfecta, & imperfecta non differunt secundum essentiam, sed secundum statum*, sicut infans, & adultus. *Vnde in* omnibus illis præter actus dilectionis purissimæ, reperiuntur actus aliarum virtutum, & meditationem, & omnes actus qui non contrariantur charitati, non sunt mali. Ideo nec sunt sacrilegi, nec à communione arcendi, sed ea reficiendi.

* 19 Propositio 24. *Oblatio in Templo, quæ fiebat à B.V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbrarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quo filius qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.* Damnata. *Contra* hanc hereticam, & blasfemam stat D. Thom. 3. p. q. 37. art. 4. *Quærens, vtrum Mater Dei conveniens ter ad Templum purganda accesserit?* Et in corp. dicens: *Respondeo* dicendum, quod sicut plenitudo gratiæ à Christo derivatur in Matrem, ita decuit vt Mater humilitati filij conformaretur; humilibus enim Deus dat gratiam, vt dicitur Iacobi 4. & ideo sicut Christus licèt non esset legi obnoxius, voluit tamen circuncisionem, & alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis, & obedientiæ exemplum: & vt approbaret legem, & vt calumniæ occasionem Iudæis tolleret; propter eandem rationem voluit, & Matrem suam implere legis observantias, quibus non erat obnoxia. *Hæc S. D.*

* 20 Propositio 25. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.* Damnata. *Contra* est D. Thom. 3. p. q. 25. art. 3. *ad 1. dicente*: *Quia in novo testamento Deus factus est homo, potest in sua Imagine corporali adorari*: Ergo sicut per Christi humanitatem, & eius Imaginem ascendimus ad eius divinitatem adorandam; ita per Dei Patris Imaginem possumus adorare Deum Patrem. *Et ad 3. ait*: Quod Imago Trinitatis, quæ est in anima rationali non potest latria in ea adorari; quia animæ per se debetur reverentia, & posset esset occasio erroris; potest tamen in Imagine sculpta, & depicta, in qua hoc non contingit, adorari. Unde infert Calet. & constat, ex *D. Tho. ibi ad 4.* quod stat vsus Ecclesiæ ex traditione Apostolorum pingendi, & adorandi Imagines non solùm filij, sed & Patris, & Spiritus Sancti.

Oppono: Exod. 20. & alibi in Scriptura Sacra prohibetur Dei sculpta Imago. *Deinde* ex S. Damasceno apud S. Tho. *Insipientiæ summæ est, & impietatis figurare quod est divinum.* 2. *Quia* hoc est proprium Gentilium, vt dicitur Rom. 1. *Ad 1. Resp.* D. Tho. cit. ad 1. *Ibi intelligitur prohiberi adoratio Imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem Deorum suorum, id est Dæmonum.* Non verò iuxta Ecclesiæ vsum, & traditionem. *Ad 2. Resp.* Ex Trid. *Non propterea divinitatem figurari quasi corporeis oculis cõspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit, vel in figuris sit virtus, aut divinitas.* Hoc enim est insipientia; Sed depingi, & adorari, vt in Sacra Scriptura dicitur apparuisse, vel tanquam signa imperfectissima, & similitudines, quibus ex corporeis, & sensibilibus ad incorporea, & insensibilia, & ex figuris ad infigurabilia eodem motu veneretionis, & adorationis ascendamus; quia proprium est homini per sensibilia discere insensibilia. Et picturæ codices sunt populorum, sicut libri ad intelligibilia contemplanda propter eruditos sunt, vt ait ibi Caiet. *Ex quo ad 3. sicut ad 1.*

Unde Pater Eternus potest figurari (& in Imagine adorari adoratione latriæ) ad instar antiqui dierum; quia sic ostensus fuit Danieli, & Ioanni in Apocalip. vel ad denotandum, ab æterno esse Patrem, & principium sine principio divinarum processionum, & personarum. *Vide Trid sess. 25. decret. de invocat. & vener. SS.* Et P. Porter secul. 8. cap. 1. contra Hæreticos Iconoclastas damnatos septima Synodo impugnantes cultum Sanctarum Imaginum, pro qua Sancto Ioanni Damasceno dextera manus fuit crudeliter amputata; sed coram Deiparæ Imagine ei mirabiliter restituta.

* 21 Propositio 26 *Laus quæ defertur Mariæ, vt Mariæ, vana est.* Damnata. *Contra* hanc D. Tho. 3. p. q. 37. art. 4. probat cum S. Aug. Quod Sancta Virgo Maria per Sanctificationem in vtero Matris obtinuit, nec veniale vnquam habuerit, vt inventa esset idonea Mater Dei, secundum quod Angelus ad eam dixit: *Invenisti gratiam apud Deum.* Et vt impleretur quod dicitur Cant. 4. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.*

Et art. 5. probat ab eadem Sanctificatione obtinuisse plenitudinem omnium gratiarum (in sed contra) ex eo quod *Angelus ad eam dixit Lucæ 1. Ave gratia plena, quod exponens Hier. in Ser. de Ass. dicit*: *Bene gratia plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò se tota simul infundit gratiæ plenitudo.* Et in corp. ex S. Dion. ex eo quod propinquissima fuit Christo principio, & fonti omnium gratiarum: *Et ideo præ cæteris maiorem debuit à Christo plenitudinem obtinere.*

Nunc sic: Virgo Maria, vt Maria (præcisivè à

Ma-

Maternitate) præcæteris obtinuit plenitudinem omnium gratiarum, nunquam defuit gratiæ Dei, nec in ea vllum inſtans vacua fuit; ſed ſemper manens operata eſt ſecundum totam plenitudinem, & ita totam in omni actu inveniens multiplicatam. V.g. ſi in primo inſtanti gratiam vt *decem* in ſecundo operans ſecundum eam invenit duplicatam, vt *viginti*, in tertio, vt *quadraginta*, & ſic in infinitum promeruit vſque ad vltimum vitæ terminum: Ergo tunc promeruit laudem, & gloriam præ omnibus Sanctis & Angelis etiam collectivè ſumptis, vt cum SS. PP. probant graviſſimi Thæologi.

* 22 Propoſitio 27 *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. præterniſſis illis: Ego te baptizo.* Damnata. *Nam ex D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5.* Oportet quod in forma baptiſmi exprimatur cauſa baptiſmi: Eſt autem duplex cauſa, *vna* quidem principalis, à qua virtutem habet, quæ eſt Sancta Trinitas; *alia* autem inſtrumentalis, ſcilicèt Miniſter, qui tradit exterius Sacramentum; & ideo oportet in forma baptiſmi de vtraque fieri mentionem. Miniſter autem tangitur, cum dicitur Ego te baptizo, cauſa autem principalis cum dicitur: *In nomine Patris, &c.*

* 23 Propoſitio 28. *Valet baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obſervat intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere quod facit Eccleſia.* Damnata. *Quia D. Tho. q. 64. art. 8. ad 1. ait:* Inſtrumentum animatum, non ſolùm movetur, ſed etiam quodammodo movet ſe ipſum, in quantum ſua voluntate movet membra ad operandum; & ideo requiritur eius intentio, qua ſe ſubijciat principali agenti, vt ſcilicet intendat facere, quod facit Chriſtus, & Eccleſia. *Cum autem in corp. ait:* Hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur, puta cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. *Advertit Caiet.* Non intendit Author quod hæc ſufficiant ad perfectionem Sacramenti ſimplicitèr; ſed ad perfectionem eius ſecundum humanam certitudinem. Id eſt non quod abſque intentione interna, vel cum intentione contraria Eccleſiæ, (vt volunt contrarij) fiat Sacramentum ſola intentione expreſſa in verbis; Sed ad quietandas conſcientias, vel quia non requiritur intentio explicita, cum ſufficiat implicita, aut virtualis.

* 24 Propoſitio 29. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium OEcumenicum authoritate, atque in fidei quæſtionibus diſcernendis infalibilitate.* Damnata *Quia D. Thom. ait:* Sicut poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Simbolum, à priori Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explicationem; ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua authoritate poteſt; cuius authoritate ſola Synodus congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent in geſtis Calcedonenſis Synodi. Hæc *S. Thom. q. 10. de potent. art. 4. ad 13.* Et *1. p. q. 36. art. 2. ad 2. & 2. 2. q. 1. art. 10. ad 2.* Ex quibus patet quare Authoritas Papæ eſt ſupra Synodum, aut OEcumenicum Concilium, & in quæſtionibus fidei diſcernendis infallibilis.

* 25 Propoſitio 30. *Vbi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad vllam Pontificis Bullam.* Damnata. *Ait enim D. Thom. 2. 2. q. 11. art. 3. ad 3.* Authoritas vniverſalis Eccleſiæ circa doctrinam principaliter reſidet in Summo Pontifice: Dicitur *enim 24. q. 1.* quoties fidei ratio ventillatur, arbitror omnes Fratres noſtros, & Coepiſcopos, non niſi ad Petrum id eſt ad ſui nominis, & honoris Authorem (nempè ad Sedem Pontificiam Petri) referre debere. Contra eius authoritatem, nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit. Et ipſe Auguſtinus *lib. contra Epiſt. fundam. cap. 4. ait:* Tenet me in Eccleſia Catholica, ab ipſa Sede Petri Apoſtoli cui paſcendas oves ſuas Chriſtus comendavit, vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſsio Sacerdotum Pontificum nempè, quorum ſucceſsio à tempore Auguſtini vſque ad præſentem Papam omnes tenere debent. *Quid* amplius dicturus ſum (ait idem Sanctus in Epiſt. Ioann. *Et ego cum eo in præſenti*) quam cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt.

* 26 Propoſitio 31. *Bulla Vrbani VIII. In eminenti, eſt ſubrepticia.* Damnata. *Quia hæc* Bulla autentica fuit adverſus Auguſtinum Cornelij Ianſenij; & per publicam editionem anno 1641. id iam conteſtatum, præmiſſo, eorum quæ in ea contra errores *Bay* continentur, longo examine trium Pontificum, S. Pij V. Greg. XIII. & Vrbani VIII. *Et præterea* anno 1644. coram depuratis Academiæ Lovanienſis Sinichio, & Papio, Romæ ex matrice Actorum dicta Bulla tranſcripta, & collationata fuit, eiuſdem quæ impreſſum exemplum conſignatum die 29. Iulij, ex Decreto Vrbani VIII. die 16. Iunij dato. Vide Porter ſecul. 17. cap. 1. §. 1. & 2.

Propoſitiones Miſticæ damnatæ contra Franciſcum de Salinac Fenelon Archiepiſcopum Ducem de Cambray, Decreto Innocentij XII. Romæ more ſolito publicato. anno 1699. die 13. Martij.

* 27 Propoſitio 1. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine vlla admixtione motivi proprij intereſſe... Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Propoſit. 2. *In ſtatu vitæ con-*

contemplativæ, seu unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei. Prop. 3. *Id quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquàm ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo; quod adeò durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeò potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.* Prop. 4. *In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suæ interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ, fideliter non cooperatur.* Prop 5. *In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.* Prop. 6. *In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.*

Prop. 7. *Derelictio non est nisi abnegatio seu sui ipsius renunciatio, quam Iesus Christus à nobis in Evangelio, requirit, postquàm externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quod interesse proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu suipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.* Prop. 8. *Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quàm maximè desinteressatis circa earum æternam beatitudinem sunt conditionalia.. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquod modo absolutum.*

Prop. 9. *In extremis probationibus potest animæ invencibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus se iustè reprobatam esse à Deo.* Prop. 10. *Tunc anima divisa à semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens:* Deus, Deus meus! ut quid dereliquisti me? *In hac involuntaria impressione desperationis efficit sacrificium absolutum sui interesse proprij quoad æternitatem.* Prop. 11. *In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprij interesse, sed nunquàm amittit in parte superiori, ideſt in suis actibus directis & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.*

Propositio 12. *Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat iacturæ sui proprij interesse, & iustæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.* Prop. 13. *Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.* Prop. 14. *In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca, & involuntaria perturbacione; nam totum quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris.*

Propositio 15. *Meditatio constat discursivis actibus qui à se invicem facilè distinguuntur... Ista compositia actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.* Prop. 16. *Datur status contemplationis adeò sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, eiusque actus methodicos.* Prop. 17. *Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Iesu Christi, duobus temporibus diversis... Primò: in fervore nascente earum contemplationis... Secundò, anima amittit intuitum Iesu Christi in extremis probationibus.* Propos. 18. *In statu passivo... exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes... In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult; & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquàm sit adeò virtute præditus, quàm cùm virtuti amplius affixus non est.*

Propositio 19. *Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & desinteressata, nec ipsum amorem vult amplius quatenùs est sua perfectio, & sua felicitas, sed solùm quatenus est id quod Deus à nobis vult.* Propositio 20. *In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem, sed ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.* Prop. 21. *Sancti Mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.* Prop. 22. *Quamvis hæc doctrina (esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditone designata, antiqui pastores non proponebant passim multitudini iustorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata* Propos. 23. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorij sunt.*

* 28 Omnes supradictæ 23. propositiones, ut temerarias scandalosas malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi pernitiosas, ac etiam erroneas, respectivè damnat Pontifex. Et contra eas in quantum similes lanceniſtis, patent supradictæ, & sequentes rationes ex D. Tho. 1. *Quia*, ut adstruant puram charitatem, destruunt timorem san-

ſanctum,& à Deo ſanctam,& præceptam ſpem, vt patet ex 10.2.8.9.& 10. propoſitionibus, contra quas. Vide n. 14.& 18. hic. 2. *Quia*, vt purum Dei amorem oſtẽdant,cæteras eius virtutes occultant,& infamant, quaſi eum impurum reddentes, & earum exercitia exulant;appetitumque cœleſtis theſauri virtutum, & meritorum, vt malum intereſſe vocant; ſic patet à prima, vſque ad vltimam quo per aliud extremum in errorem Moliniſtarum, & aliorum hæreticorum incidunt, de quibus Ex.3.num.58.

3. Quia, vt perfectionem doceant, charitatem ab alijs virtutibus, & earum obiecto,& fine exterminant; vt patet in ferè omnibus; Sed charitas ex Apoſtolo,virtutum,& perfectionis vinculum eſt; Et Regina à dextris Chriſti clamide amoris aurea veſtita, & gemmis, omnium virtutum varietate circundata, ex Coloſ.3.& Pſal. 18. SS. PP. & D. Tho.ibi. *Et 2 2.q.23. art. 8. dicente*: Quod eſt forma virtutum; quia per eam ordinantur ad vltimum finem: Et quod eſt fundamentum radix,& finis earum: Et inſuper *Mater*; *quia ex appetitus finis vltimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipſos.*

4. Quia deſperationem ſacrificium nominant; eam Chriſto in Cruce concedunt; Chriſto Involuntariam perturbationem tribuunt in paſſione; Et in parte inferiori animæ voluntatem negant, vt patet à 10.ad 14.quod eſt contra Philoſophiam, Theologiam, & Fidem. Et *D. Tho.3.p.q.47.art. 1.dicentem*: quod in ipſa Chriſtus paſſus fuit: Quantum ipſe voluit: ideo Ioan. 10. dixit: nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam. Et art.3. dicentem Rom.8. dici, quod Pater pro nobis tradidit illum. 2. In quantum Inſpiravit ei voluntatem paciendi pro nobis infundendo ei charitatem. Unde Iſaiæ 53. Oblatus eſt,quia ipſe voluit. 3. Non protegendo eum à paſſione. Unde dicebat: Deus, Deus meus, &c.

5. Quia amorem ſpei, & ſanctæ concupiſcentiæ Dei, virtutum, meritorum,& gloriæ vocat intereſſatum, quaſi malum; cum ſit valdè bonus, & à Deo præceptus, vt ex D. Thom. iam diximus. Et patet amplius 2. 2. q. 17. art. 8. Et q. 23. art. 7. & latiſsimè op. 61. c. 2. & 4. Et ex illo Pſal. 118. *Concupivit anima mea,&c. Adheſit anima mea poteſt te,&c.* Et Pſal.72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo meo ſpem meam.* Et Iſaiæ: *Anima mea deſideravit te in nocte* Et alibi paſsim in Sacra Scriptura hæc deſideria laudantur.

6. Quia charitatem (ac Dei amorem) duram faciunt, & triſtem; & ab ea omnẽ gaudium, & lætitiam ſpiritualem excludunt; Sed ex *D.Tho.2.2. q.28.art.1.* Eius effectus proprius eſt gaudium ſpirituale, & immutable. *Et q.82 art. 4.* Devotio primò & per ſe gaudium, & lætitiam ſpiritualem cauſat. Unde infert ibi Raphael de la Torre, quod ita naturaliter; vt qui devotionem habeat, non poſsit eſſe triſtis, niſi per miraculum. *Et Caiet. ibi*: Non ſunt devotæ perſonæ, quæ communiter triſtes, ac ſilveſtres neſciunt converſari cum alijs, niſi perturbentur, aut diſſolvantur. Et quamvis ad purgationem animæ, & ſpiritus multoties anima, Deo diſponente, id non percipiat, in ea tamen eſt;ita vt ex Aug.ibi: *Doleat,& de dolore gaudeat.*

Tandem; quia Deum totius conſolationis,dulcedinis, ac delectationis fontem,ac plenitudinem: durum, aridum, & horridum in vita contemplati oſtendunt; quod eſt contra *D.Tho.2.2.q.180.art. 7. dicentem.* Quia ergo vita contemplativa, præcipuè conſiſtit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas, vt dictum eſt; inde eſt quod in vita contemplativa non ſolùm eſt delectatio ratione ipſius contemplationis; ſed etiam ratione ipſius divini amoris. Et quantum ad vtrumque eius delectatio omnem delectationem humanam excedit. Nam delectatio ſpiritualis potior eſt quàm carnalis; & ipſe amor quo ex charitate Deus diligitur omnem amorẽ excedit. Unde in Pſalm.33.dicitur: Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.

Et *op. 61. cap. 4.* latè & erudite probans ex Sac.Scriptura,& SS.PP. Præceptum de amore Dei eſſe, tam de delectione amicitiæ quam concupiſcentiæ, ait: Deus igitur ſicut præcellit omne concupiſcibile: ſic delectat præ omni delectabili, & hoc tripliciter: quia *generaliùs: intimius: durabilius.* Unde Aug. ibi: Cum inhæſero tibi ex omni mente mea, nuſquam erit labor,& dolor, ſed tota erit vita mea, tota plena in te.

Ex his colligitur 1. Reijciendas eſſe quaſdas ſtrophas Hiſpanas titulo: *Oye coraçon, y te dirè que es amor*, in quibus paſsim concluditur: quod *non eſt amor* vbi vult, guſtat, vel impletur Dei conſolationibus; vel vbi non eſt conſtans, ſine vlla inquietudine, & tepiditate, &c. Amor enim eſſentialiter perfectus cum his omnibus poteſt eſſe, vt ex dictis patet. 2. *Diſcrete* procedendum eſſe in afectibus dilectionis, & contritionis; ne ſupradictæ ſanctæ affectiones excludantur: V.g. dum in proſa Hiſpana nomine S.Franciſci Xaverij dicitur: *No me mueve mi Dios para quererte, el Cielo que me tienes prometido, ni me mueve el Infierno tan temido, para dexar por eſſo de ofenderte.* Caute inquam procedendum ne ſpes, & timor ſanctus excludantur. Melius enim diceretur: *Mas me mueve mi Dios para quererte, el amor, que no el Cielo prometido; mas,y mas que el Infierno tan temido, para dexar por eſſo de ofenderte,&c.*

Tandem,ne in extrema laxantium, & opprimẽtium incidas, *Nota* hæc S. Alberti Magni verba in compendio *Theolog. verit. cap.* 52. Cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta; nam prima,generat præſuptionem, ſecunda, deſperationem; item prima ſæpè dicit malum, bonum; Secunda econtra, bonum, malum: Item,prima ſæpè ſalvat damnandum;ſecunda econtra, damnat ſalvandum. *Decretum* Innocentij XII. damnans opinionem affirmantem poſſe per Bullam Cruciatæ vbique abſolvi. Vide T.18.E.2.n.31.

EXA-

EXAMEN V.

De pœnitentia, & Indulgentijs, Notis alijs, & Decretis.

1 NOta 1. circa dicta Tr. 13. Ex. 3. n. 10. de amore Dei requisito in attritione ad Sacramentum pœnitentiæ, dum alij affirmant, alij negant; prodijsse Decretum ab Alexandro VII. anno 1667. die 5. Maij cunctis fidelibus præcipiens: Non audeant alicuius Theologicæ censuræ, alteriusque iniuriæ, aut contumeliæ noxa taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem, dictæ dilectionis necessitatem; donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re diffinitum. *Adverte tamen*, in vtraque sententia requiri propositum, & voluntatem efficacem, & emendationis vitæ spem, omnem malam consuetudinem excludentem. De quo Tr. 17. Ex. 3. n. 52. & 54.

Nota 2. Decretum Clementis X. pro pace, & vnione inter Regulares, & Episcopos circa illorum licentias prædicand., & confitendi, de quo Tr. 13. Ex. 5. n. 21. Et Tr. 17. Ex. 3. n. 139. In Hispania publicatum, & admissum esse, patique æquivocationem *AA.* asserentes non admissum, sed suplicatum esse à Rege Catholico, vt patet in Epistola inciclyca Reginæ tunc Hispaniæ Gubernatricis, omnes eius Episcopos de hoc admonente, & prudenter eos in hoc procedendum, iuxta decorem debitum Religionibus demandante; quam latè, & autenticè affert Cardenas tom. 4. disert. 2. cap. 6. art. 7. q. 2. §. 2.

Nota 3. Revocatas fuisse à S. Pio V. anno 1567. die 8. Februarij Bulla *Et si Dominici* 30. in Bullario magno. *Indulgentias quæstuarias*, nempè, quæ publicantur pro eleemosynis, vel ad quas lucrandas eleemosynæ necessariæ sunt, certis personis, & locis concessæ. *Nota* 4. Quod Alexander VII. anno 1657. die 6. Februarij Decreto, revocavit indulgentias concessas vsque ad ipsum, numismatibus, Imaginibus, &c. Et declaravid quod coronæ, Rosaria, grana, numismata, & Imagines Sancti Caroli Borromæi; vel quinque coronatorum per Gregorium XV. & omnes aliæ per suos predecessores benedictæ, & etiam à sua Sanctitate concessæ, non transeãt ad alias personas ab ea cui prima vice fuerint distributa; & quod non possint commodari, neque vna deperdita possit alia loco eius subrogari; quod si fiat, careant Indulgentijs concessis. *Non obstante in contrarium qualibet concessione, quamvis de illa deberet fieri specialis mentio.*

Hinc, Indulg. concessæ à Paulo V. pro Marquione de Villena granis, numismatibus, &c. & eis attactis, & aliæ illis similes diversis granis concessæ, vt dicitur *Miliari* ab Urbano VIII. pro Comite de Monte-Rey, sunt revocatæ. Vide Mag. Sanchez Exam. Indulg. Tract. 3. cap. 8. & 9. Idem fecerunt sequentes Pontifices, & novissimè Innocentius XI. sequenti Decreto.

Decretum Innocentij XI. de Indulgentijs.

1 DElatæ sæpius fuere ad Sacram Congregationem, Indulgentijs, sacrisque Reliquijs, præpositam, Indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falsæ, quæ per diversas orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt, vel apochryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quòd datum eis tempus præterlijsset: quarum quidem plurimæ cum non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ, frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia, colligi, & in Indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, vti asserunt, concessæ à Ioanne II. & Sixto IV recitantibus orationem charitati Iesu Christi Domini nostri: *Præcor te, pijssime Domine, &c.* Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, vt vulgo dicit solet, Compagnolæ, & S. Victoriæ. Ab Eugenio III. revelationi de plaga in humero Iesu Christi factæ S. Bernardo. Ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis. A Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in eius die festo. A Ioanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis. Ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ vulgo dictæ Laghetti. A Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras Confratres Archiconfraternitatis cordigerorum S. Francisci) Recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum horologij, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cuius pedibus Luna subiecta est. A Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum. A Clemente VIII. dicentibus Orationem: O Magnum Mysterium, &c. & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impressæ. Tum aliæ pro Animabus Christi fidelium defunctorum, impressæ Martiñ 20. Julij 1606. A Paulo V. cantantibus Hymnum: Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c. vel si die Sabbati intererint, dum idem canitur, & Coronis, Rosarijs, Imaginibus, Numismatibus, quæ *Medallas* appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromeo supplicante

cante anno 1611. dum Ecclesiæ Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur. Et ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, *sia lodato il Santissimo Sacramento*: laus Sanctissimo Sacramento. Ab Urbano VIII. in honorem eiusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Missa dicentibus: Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filia, &c. A Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac vespere consuetam Antiphonam: Angelus Domini, &c. & in fine Deo gratias, & Mariæ. Ac demum aliæ à nonullis Romanis Pontificibus tributæ, vt aiunt, Coronis Misteriorum Passionis Domini nostri Iesu Christi prece magni Ducis Etruriæ.

* 3 Talis Indulgencia sodalitatis S. Nicolai, qua, repetita quinquies oratione Dominica, & salutatione Angelica, vnam liberari Animam quolibet die à Purgatorij pœnis, affimant. Tales aliæ Perusij Confraternitates Sanctorum Sebastiani, & Rochi, & Romæ societatis S. Bernardi, ad Columnam Traiani; Tales demum aliæ Cruce signatorum S. Eustorgij Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Eius generis sunt, & illæ concessæ, vt aiunt Capellæ Rosarij in Ecclesia S. Antonij de Robigo, seu Rodigij, vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todomi in die Festo Inventionis Sanctæ Crucis: vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B.V. vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam: O passio magna, &c. in memoriam Passionis Iesu, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut Orationem, quæ impressa cum Imagine S. Annæ circumferri solet: Ave gratia plena, &c. (quo oratio prohibetur) Aut Officium Conceptionis B. V. Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse; Aut orationem: Deus qui nobis in sancta Sindone, &c. (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam: Ave filia, &c post communionem recitandam; vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti nomen. Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, prodicentibus Orationem illam veræ piam: Deus qui pro redemptione mundi, &c. tumquæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo: Somario delle Indulgence concesse dalla Santita di nostro sig. Papa Leone X. al' Imagine della Conceptione della Gloriosa Virginæ Maria; vel Pisauri sub nomine B. Ioannæ anno 1608. Vulgaræ, vel Barletæ, seu Barauli à recitantibus quasdam, non sanè malas Orationes, lucrandæ, vel Parmæ à visitantibus per quadragesimæ dies Ecclesias Tertij Ordinis S. Francisci. Vel Pistorij, & Vastallæ, à recitantibus orationem: Ave Sanctiss. Maria Mater Dei, Regina Cœli, &c. Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.

* 4 His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur; vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precarijs constat, vel granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ; vel Mensuræ altitudinis Iesu Christi Dmini nostri; vel Imagine, aut mensuræ vulneris lateri eius inflicti; vel orationi, vt aiunt in Sepulchro Domini nostri repertæ. Et Indulgentiæ, vt aiunt, innixæ revelationi factæ Sanctis Birgittæ, Methildi, & Elisabeth, vel B. Ioannæ de Cruce, & concessæ, vt asserunt granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Observantiæ S. Francisci Fratrum Minorum.

Omnes verò, & singulas iam dictas Indulgētias Sacra Cōgregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas quæ nemini suffragari possunt, easque in futurū vllo in loco, vt veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi verat; foliaque, & libros, vbi sic proponūtur, seu asseruntur, omninò præcipit aboleri; nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult, alias, quas hoc Decretum nō continet, pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.

* 5 Ac demum omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Ianuarij 1597. Coronis, Rosarijs, granis, seu calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris; Vel ante breve Pauli V. quod incipit, Romanus Pontifex, &c. editum 23. Maij anno 1606. personis Regularibus quarumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante constitutionem 115. Clementis VIII. cuius initium: Quæcumque, &c. Et 68. Pauli V. incipientem: Quæ salubriter, &c. habitas per aggregationem; vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate vlla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Iesu, Capitulo, vel cœtu quocumque; vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel eius mentio specialis, & individua facienda esset; nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ; nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

* 6 Porro, Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarij, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

* 7 Indulgentias verò stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, Ordinibus, aut Personis, diebus tantùm stationum in Missali Romano descriptis, suffragare posse declarat: semel autem duntaxat in die, plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus petagentibus lucri heri.

* 8 Ex quibus *Nota* 1. Hoc Decretum esse revocativum, & declarativum, & dimmanare immediatè ab ipso Innocentio XI. & obligare vt diximus num. 1. 2. *Omnes* Indulgentias, vsque ad num. 74. inclusivè contentas nullas esse, & abolendas. *Orationes* verò illas pias: *Ave filia, &c.* vulgo de la *Savana Santa*, & alias non esse prohibitas immò frequentandas ob meritum, licèt non habeant Indulgentias. Oratio verò quæ num. 3. refertur vulgo *Ave Maria de S. Ana* prohibita est. Rosarium autem S. Andreæ, non approbatum. Illud Officium Conceptionis, licèt non hic, tamen in Expurgatorio Hispano prohibitum est; sicut etiam oratio quæ dicitur inventa in Sepulcro Domini, & hic n. 4. refertur de quo Lumbier n. 1000.

3. Indulgentia plenaria quæ num. 2. declaratur nulla; est, quæ concessa dicitur à Clemente X. recitantibus mane, meridie, & vespere Antiph. *Angelus Domini, &c.* & in fine *Deo gratias, & Mariæ.* Sed hæc non est quæ à Lezana tom. 2. verb. Indulg. num. 20. ex ceremoniali sui Ordinis refertur concessa à Paulo III. ea recitantibus genuflexe (etiam tempore Paschali, exceptis Dominicis diebus, à primis vesperis) cum oratione *Gratiam tuam, &c.* Cum non dicatur concessa à Clemente X. nec in fine *Deo gratias, &c.* Unde adhuc videtur stare, vt ait Lumbier n. 1156.

Idem potius dici potest (vt plures Moderni asserunt) de Indulgentia plenaria, quæ ex Vera Cruz, & tabella apud Minoritas, à Rodr. tom. 2. qq. Regul. q. 87. art. 12. Et Diana p. 4. Resol. 24. & alijs. refertur concessa ab Adriano VI. recitantibus ter *Ave Maria* cum illis versiculis *Angelus Domini*, *&c.* ad tria signa cāpanæ post Solis occasum; quia hæc, nec à Clemente, nec mane, meridie, & vesperi, nec in fine cum *Deo gratias, &c.* dicitur concessa.

* 9 4. *Decreta* n. 5. allegata erant revocatoria Indulgentiarum præcipuè per agregationem, & communicationem concessarum, & hic confirmantur; Decretum enim Clementis VIII. anni 1597. revocavit omnes Indulgentias vsque ad ipsum cōcessas Coronis, Rosarijs Numismatibus, &c. Pauli V. constitutio *Romanus Pontifex, &c.* quæ tom. 3. Bullar novissi. fol. 201. extat, revocavit Indulgentias Regularibus concessas, de quibus iam diximus Tr. 17. Ex. 1. n. 37. *Vnde si post hanc* Pauli constitutionem Religiones non habent confirmatas à Sede Apostolica Bullas communicationis, quoad Indulgentias, iam non datur in eis, quoad hoc. privilegium communicationis de vna ad aliā Religinem, Provinciam, Ecclesiam, Domum, &c. de quo Tr. 18. Ex 2. num. 18.

Ordo S. Francisci habet novam confirmationē Innocentij XI. (vt diximus n. 29.) qua Tertarij participant Indulgētias Religionis, ac si essent Religiosi. An autem hoc sufficiat, vt aliæ Religiones habeant cōfirmatum privilegium communicationis, iudicent docti. Melius ergo esset, vt omnes confirmationem peterent; & terminis Bullæ communicationis starent; quia hoc Decreto Indulgentiæ per communicationem, nisi de novo à Sede Apostolica confirmentur, nullæ declarantur.

Constitutio Clementis VIII. *quecumque, &c.* tom. 3. Bull. fol. 160. & Pauli V. *Quæ salubriter, &c.* tom. 3. Bull. fol. 257. sunt circa formā erigēdi Confraternitates, & aggregandi, vel communicādi eis Indulgentias; & hic declaratur omnes Indulgētias habitas illis per aggregationē, ante dictos Pōtifices, & post hoc Decretum, nisi de novo sint cōfirmatæ esse nullius roboris, vel momenti. Hanc tamen communicationē iam habent Confraternitates SS. Rosarij, ob specialem confirmationem eiusdem Innocentij XI. anno 1679. die 31. Iunij.

Inde Confraternitates non erectæ iuxta dictam constitutionē Clementis VIII. nullius momēti sunt. Nisi de novo sint revalidatæ, vt pro Confraternitatibus SS Rosarij factum fuit ab eodem Innocentio, anno 1679. die 15. Junij, revalidante, & suplente omnes earū defectus, vsque ad illud diem etiā si nō cōstaret de canonica Confraternitatis institutionē.

* 10 5. Summaria Indulgentiarum n. 6. addicta, nisi de novo recognita à Sacra Congregatione, non permittuntur à Sede Apostolica: Credo tamen post hoc Decretum iam omnes dictas Confraternitates suas confirmationes habere; si tamen contigerit, aliquam non habere; etiam si de indulgentijs cōstaret per Bullas antiquas. nō possent in summario poni, nisi post hoc Decretū fuerint recognitæ.

6. Declaratur n. 7. quod eadem Indulgētia plenaria eadem concessione, & ob idem pius opus concessa, iam non potest toties quoties lucrari, sed semel tantū in die; nisi post hoc Decretum fuerit de hoc expressa concessio; vt pro Cōfratribus Rosarij in die Assumptionis, à primis vesperis factū fuisse, dicemus Tr. 18 Ex. 2. n. 25. Et quod Indulg. stationum, solū diebus in Missali Romano expressis lucrantur. Ut ibid. dicemus eodem Tr. Ex. 2. n. 22.

7. Licèt de certo non constet dari excommunicationem ipso facto contra publicantes falsas Indulgencias; datur tamen præceptum in Iure Canonico, & maledictio contra prædicātes indiscretas, vt diximus n. 26 Insuper à S. Pio V. const. 99. *quam plenum sit, &c.* principaliter loquente de Indulgentijs quæstuarijs lata fuit excommunicatio ipso facto. quæ §. 1. ad Indulgētias: *quocūque prætextu huc vsque emanarunt* extenditur. Et, iuxta Lumbier n. 1167. ad omnes prædicātes Indulgentias falsas.

Ait enim ibi S. Pius: *Quibus, & aliis licentijs prædictis, nō pauci fluctuantes, & infirmi, veniæ facilitate inducti ad peccādum proclíviores fiunt.* Et tandem S. Tho. in 4. dist. 20. q. 2. art. 3. in corp. *Indulgentiæ simpliciter tantum valent quantum prædicantur dummodo ex parte dantis sit authoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas, quæ cōprehendit honorem Dei, & proximi vtilitatē. Si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicuius authoritatis ad reprobandam fidem.* Utinam huc vsque dicta ad hoc deserviant honorem Dei, ac proximi vtilitatem.

TRA-

TRACTATUS XVIII.

APPENDIX II.

De Sanctæ Cruciatæ Bulla.

Ponens in thesauris Abyssos Dominus Iesus, Abyssos reposuit bonitatis, & gratiæ in thesauris Ecclesiæ suæ, *Quorum æstimatio est infiniti valoris*, vt ait Angelicus Doctor. Abyssus, ergo, Abyssum invocat, *ideſt Thomas Abyssus, Deum Abyssum summæ infinitæ bonitatis ad se vocat*, (ait S. Antoninus) vt cum ipso, Angelico Magistro, de thesauris Bullæ Cruciatæ pro Hispanis ample concessis Tractatus hic appendatur, quem Mag. Vvigandt pœnitus omisit, eo quod in Germania scripsit. Unde sit.

EXAMEN I.

De nomine, origine, essentia, divisione, subjecto, & duratione Bullæ Cruciatæ.

* 1 QUÆRO I. Unde nomen, origo, & concessio Bullæ Cruciatæ? *Resp.* 1. Bullæ nomen à Græco nomine *bule*, & antiquo Romanorum more dictũ est. *Cruciatæ* verò, quia contra inimicos Fidei, Crucem ferentibus, concessa. *Ratio* 1. *p.* Quia ex D. Thom. 2. 2. q. 51. art. 1. *Bule*, est *Consilium*; & cum litteræ Apostolicæ ab Ecclesiæ capite magno Consilio procedant, dicuntur Bullæ. Ita Nota margin. novissi. ad locum D. Thom. *Ratio* 2. *p.* Quia Romæ Patriciorum filij insigne aureum rotundum, in cuius medio cordis figura insculpta erat, collo appensum gestabant, vt à plebeis distinguerentur, quod & orbiculata sigilla in quibus Imperatorum effigies insculpta erat, eorum Chirographis appensa vocabantur *Bulla*. Et tandem sigillum rotundum in materia cerea, vel plumbea impressum, litterisque Apostolicis appensum, ipsæque litteræ ab eo Bullæ vocantur; & cum in materia plumbea est sigilum, dicitur *Bulla plumbea*, vt ea cuius textu hìc vtimur.

Ratio 3. *p.* Quia inter alios Pius IV. in Bulla concessa anno 1559. ita ait: *Quodque ad bellum proficiscentibus, in eorum vestibus vivificæ Crucis, pro qua propugnaturi sunt, signum imponant, vt ab alijs cognoscantur, & discernantur.* Undè Crucem rubeam in pectore gestabant milites, quibus erat concessa. Modò autem in vexillis remanet.

* 2 *Resp.* 2. Origo Cruciatæ fuit sub Urbano II. circa annum 1166. *Ratio*, Quia tunc fuit concessa pro expeditione Terræ Sanctæ, eoque anno fœliciter Civitas Hierusalem à Christianis capta. (Sed mirandum valdè, quòd postea, cùm anno 1187. Iterum fuit deperdita,) magna in Cœlo fuit facta festivitas (vt ostensum in visione S. Christianæ virgini refert cum Baronio, Spondan. ibi n. 2. & 7) eo quod salutis occasio hominibus oblata sit, dum pro Christo, & eius recuperatione sanguinem fundentes morti Salvatoris vicem rependerent. Inde, Pontifices similem Bullam concessere *accipientibus Crucem in subsidium Terræ Sanctæ*, ait *D. Thom. quodlib.* 2. *art.* 16. Et simili data occasione Cruciata fuit concessa, vt ab *Innocent. III.* anno 1207. accipientibus Crucem pro sacro bello Albigensi, quorum signifer, & promotor fuit SS. Patriarcha Dominicus, vnà cum sui Tertij Ordinis Sacra militia. De quo Malvenda *ad ann.* 1218.

* 3 *Resp.* 3. In Hispania Bulla Cruciatæ, primò fuit concessa à Iulio II. ab eo vsq; modò continuata. *Ratio*, quia anno 1509. ipsæ eam Pro Hispanis Regnis concessit. Deinde Leo X. anno 1517. vniversis Christi fidelibus, qui sua bona erogarent in expeditionem Turcarum, remissionem peccatorum promulgavit, quæ *Cruzada* vocabatur, cuius prædicatio à Papa comissa Fr. Ioanni de Tetzelio Dominicano, ita offendit Lutherum, vt ipse contra Indulgentias tonare cœperit eodem anno. De quo Genebr. in Chron.

Tandem Regi Catholico Hispaniæ Idem Pontifex Bullam Cruciatæ concessit anno 1519. quæ postea à successoribus continuata est (quorum seriem vide apud Laram in *lib. Trium grat.* Trullench hìc). & à Gregorio XIII. ann. 1573. amplior, & favorabilior cæteris concessa est Philipo II. Dicitur que *Bulla plumbea, seu Latina*, qua vtuntur communiter Expositores; quæque ad præsens durat concessa per Clem. XI. qui hoc anno 1712. sanctissimè, inter tot mala bellorum, Ecclesiam Sanctam gubernat.

* 4 QUÆRO II. Quid est hæc Bulla Cruciatæ: quotuplex? Et qualiter interpretanda. *Resp.* 1. *Est Bulla Pontificis Hispanicarum Regi Catholico concessa in subsidiũ belli contra Infideles, varia,*

esque magna indulta, & privilegia continens. Explicatur diffinitio, seu potius descriptio. Ly *Bulla Pontificia*, loco generis, denotat potestatem concedentis, nempè solius Papæ; quia tam plena, & ampla concessio pro duobus Mundis, & cum Indulgentia plenaria, à solo Christi Vicario fieri potest, qui ex D. Tho. op. 1. cap. 66. & opusc. 20. lib. 3. cap. 10. *In totam Ecclesiam Christi potestatis plenitudinem obtinet. Aliæ* periculæ, tamquam differentia, denotant subiectum in ly *Regi, &c.* Causam, *in subsidium, &c.* Effectum, in ly *indulta &c.* Ex quibus infero.

* 5 1. Episcopus, & Archiepiscopus non posse eam concedere; & si possint in sua Diœcesi iuxta potestatem sibi creditam similem gratiam largire, dummodo pecunia pro ea data in Episcoporum vsus non applicetur, (prohibet enim hoc *Trident. sess.* 25. de reformat. cap. 18.) sed in aliquod piú, & necessarium opus. Sic concesserunt Hispaniæ Episcopi ad Instantiam Regis anno 1571. Et Episcopus de *Siguença* in subsidium belli contra Turcas, & Agarenos Regnum Granatense ocupantes, similem gratiam concessit vocans eam: *Carta, y Bula de hermandad de nuestra Santa Fè Catholica*, prout referunt Enriquez, & Lara. 2. *Absque* labe simoniæ stipendium pro ea dari, & accipi; quia non datur temporali pro spirituale; sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, sicq; spirituale pro spirituali, vt patet ex D. Tho. supra Tr. 14. Ex. 3. q. 6. R. 3.

* 6 *Resp.* 2. Quadruplex est hæc Bulla: nempè *communis vivorum*, communiter vivis concessa: *Lacticiniorum*, pro Sacerdotibus secularibus, & Prælatis: *Defunctorum*, cum Indulgentia pro illis; & *Compositionis*, aliquorum bonorum restitutioni obnoxiorum: Quibus adde, facultates Comissarij Generalis. *Ratio*: Quia, etsi vna solùm sit Bulla, tamen ita in partes divisa distribuitur à Comissario, iuxta facultatem sibi à Papa in ea commissam.

* 7 *Resp* 3. Privilegia Bullæ communiter sunt latè interpretanda. Ita probabilior sententia cum Thomistis *Num. Lud. Lopez, & Raphaele* de la Torre in 2. 2. D. Tho. *q.* 88. *art.* 12. *disp. vlt. n.* 1. *Ratio* 1. Quia sunt beneficium Principis Ecclesiæ, sine alicuius præiudicio, quod latè est interpretandum, cum ab eo non limitatur. Ex cap. *quia circa*, de privileg. cum Glossa, & *D. Tho. in addit. q.* 25. *art.* 1. 2. *Quia* sunt opus liberalitatis, clementiæ, charitatis, &c. 3. *Quia* ordinantur Immediatè ad pleniorem solutionem faciendam: ad bonum publicum totius Ecclesiæ, & ad subveniendum publicæ necessitati.

Oppono 1. Actuali iuris communis dispensatio est strictè interpretanda; quia exorbitat à iure; vt dictum est Tr. 6. Ex. 5. n. 80. Ergo etiam potentia, seu facultates Bullæ ad absolvendum, commutandum, &c. nam potentia est propter actum. 2. *Indulgentiæ* sunt strictè interpretandæ, vt ait Henriquez; quia continet aliquatenus iuris Divini dispensationem; & per illas enervatur aliqualiter pœnitentialis satisfactio, tantòpere vtilis: ergo & Bullæ privilegia.

* 8 *Ad* 1. neg. conseq. quia etsi potentia sit propter actum, latius tamen patet quàm actus, eo quod illa est indifferens, & actus determinatus. Tum etiam, quia est favorabilis bono communi, & ipsi Iuri, & est beneficium Principis in favorem particularium. *Ad* 2. neg. ant. quia ex D. Tho. in 4. dist. 2. q. 1. art. 3. qla. 1. *Suscipiens Indulgentiam non absolvitur simpliciter loquendo à debito pœnæ, sed datur sibi de thesauro Ecclesiæ vnde debitum solvat.* Unde etsi non amplissimè, tamen non strictè, sed largè sunt interpretandæ ait, ex eodem D. Tho. Silvester; quia sunt favor, & gratia, & homines invitant ad bona opera etiam pœnitentialia.

Nota tamen, quod certa, ordinaria, & iuridica Bullæ interpretatio à solo Papa fieri potest; quia eius est talis interpretatio, cuius est Legis, vel privilegij concessio. Ex comissione autem hoc possunt Comissarij Generales Bullæ tamquam Sedis Apostolicæ delegati: & doctrinaliter Theolog. & Iuris Doctores; & cùm omnes in ea conveniunt, humanam certitudinem, & aliquando obligationem inducere potest.

* 9 QUÆRO III. Quibusnam locis, & personis conceditur Bulla? *Resp.* 1. Concedi *Regi Catholico, & omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus in Hispaniarum Regnis, & Insulis adiacentibus, ac etiam Sardiniæ, nec non Siciliæ vltra Pharum; similiter Regnis, Locis, Terris, Oppidis, & Dominijs Terræ firmæ, & maris Occeani, seu alias nuncupatis, eidem Regi tam mediatè, quam immediatè, & alias quomodocumque, & qualitercumque subiectis, consistentibus, & ad illa declinantibus.* Hæc sunt verba Bullæ Latinæ. Ex quibus infero.

1. *Concedi* etiam illis Regnis, & Locis intra, & extra Europam, quæ denuò armis Regis Catholici subiugata fuere, modo arma, vel iura ad talia capescenda Regna, vel loca Hispaniæ nomine, vel adiacentium Insularum, vel Regnorum Siciliæ, vel Sardiniæ inducta sint. Non tamen Locis, quæ sunt domus Austriacæ patrimonium, nec eis, quæ Catholico Regi in fœdere traduntur. Quia ista dicto nomine non comprehenduntur, benè vero illa. 2. *Concedi* etiam omnibus extraneis ad hæc Regna, vel marinos portus advenientibus ad commorandum ibi, vel negotia peragenda, vel ad peregrinandum, vel tantùm causa videndi has Regiones. Ita patet ex illis Bullæ verbis: *Et ad illa declinantibus.*

3. *Concedi* ei qui acepta Bulla in his Locis, tendit ad ea Regna in quibus non conceditur; excepto privilegio vescendi carnibus, ovis, & lacticinijs; quia Bulla in hoc solo privilegio ponit exceptionem dicens in Hispaniæ Regnis posse vesci, *& non extra illa*; sed exceptio firmant regulam in contrarium: Ergo hoc excepto privilegio, alia con-

concedantur. Tum etiam quia Bulla est privilegium personale, & hoc personam sequitur, & extinguitur cum illa. Ita noster *Nuñ. in Addit. ad 3.p. t.2.§. 1. de Bulla.*

Adverte tamen. In extraneis Regnis etiam secretè, & citra scandalum non posse vesci carnibus, ovis, & lactecinijs (vt malè affirmant Rodrig. & Villal.) quia obstat prohibitio Ecclesiæ, & non datur privilegium Bullæ quoad hoc, cùm sit locale posita dicta exceptione, & non explicato motivo scandali.

* 10 *Resp.2.* Bullæ impressæ pro vno Regno, non valent pro alio; v.g. Bullæ impressæ pro Regnis Castellæ nihil valent pro Regnis Aragoniæ, Cathaloniæ, Valentiæ, & Navarræ; & econtra. Ita declaravit, & promulgavit authoritate Apostolica, ad vitandas fraudes, Comissarius Generalis anno 1705. his verbis: *Y assi recíprocamente no aprovechan, ni son de efecto alguno las de vn Reyno para otro.* Quod declaratum iam fuerat pro Regno Valentiæ anno 1679. *Si tamen* aliquis ratione studij, vel negotij esset in alio Regno, etiam pro maiore parte anni, cum animo redeundi ad proprium, benè ei valeret sui Regni Bulla. Quia tunc cessat fraus: Et ratione domicilij in proprio Regno dicitur moraliter, & civiliter habitator illius. *Leg. 1. §. Hæc autem, ff. de his qui deiecerunt.*

Similiter valeret Bulla alterius Regni ei qui data eleemosyna, ad proprium Regnum faceret sibi remitti Bullam; si ob bellorum, vel similium impedimentum, in proprio Regno non posset publicari. Quia tunc fraus cessat; & pro eo Regno concessa est Bulla. Ita declaratum fuit à Theologorum, & Canonistarum cœtu Valentiæ anno 1706. Vide infra Ex. 5. n. 3.

* 11 *Resp.3.* Non concedi Bullam pro Regno, Insula, aut loco ab obedientia Regis Catholici cum rebellione recedenti, & alteri Principi cum iuramento se submittenti; nisi Pontifex pro illis denuo concesserit. Quia ita colligitur ex dictis verbis Bullæ: *Regi subiectis.* Tum etiam quia eleemosyna non esset in subsidium belli in Bulla expressi.

Quid dices, si aliquis ex talibus locis mitteret eleemosynam vt sibi ex parte obedienti, & subiecta Bulla remitteretur? *Dico* si de Provincia recens rebelli, & de cuius reductione agitur, eleemosynam mitteret, ei valeret; quia est in loco cui concessa Bulla, & qui adhuc sui Regis tenetur iure, ac pro eo agitur: & eleemosyna in debitum subsidium deserviret. Si autem ex Provincia, vel locis antiqua rebellione, & vt præscripto iure iam ad alterius ditionem translatis, & vulgo eius nomine appellatis mitteret eleemosynam pro Bulla, non valeret. *Tum* ob rationem datam. *Tum etiam* quia non censetur Pontificem eam concedere pro locis, qui tale subsidium non tribuunt Hispano Regi, vt territorium, & ditio eius. Ita Ibañez, cum Mendo.

* 12 *Resp 4.* Non concedi, nec valere Bullam existente extra Regna Hispaniæ, cùm pro illo hic accipitur Bulla, & ei remittitur. Quia hoc privilegium est personale, & locale simul, dum recipitur. Valeret tamen ei, quando in Hispaniam rediret pro residuo anni; quia privilegium qua parte locale impletur assistentia in Hispania tempore accipiendæ Bullæ, nempè intra annum: & tunc acceptatio non minus valet quam acceptio; sicut valeret in principio si hic adesset. *Ex quo infero*, non valere Bullam extraneo, v.g. ei qui ex Gallia in Hispaniam veniret accipiendæ Bullæ dumtaxat causa, & statim rediret ad Galliam.

Ratio 1. Quia Bulla est privilegium locale, & personale simul; & ille careret vtroque. 2. *Quia* nullum ius habet ad illam, nec ratione Personæ, nec loci, cùm ad Hispaniam non veniat alicuius negotij causa. 3. *Quia* in Bulla dicitur: *Et ad illa declinantibus*; declinare autem est ad morandum, vel negotium ire.

Oppono: Cum Mendo 1. ly *declinantibus* in Bulla Hispana vertitur: *à los que à ellos vinieren*, quin causa exprimatur. 2. *Gallus* ille vtitur iure suo, & non sibi prohibito, absque vlla fraude. 3. *Incola* loci vbi est Tridentinum receptum potest ire ad locum vbi receptum non est ad contrahendum matrimonium sine Parrocho, & testibus. Similiter incola loci vbi Ieiunij obligatio viget, potest se transferre ad locum vbi talis obligatio nō est, & cœnare: & ambo hoc possunt. quia iure suo vtuntur: ergo pariter. *Ad 1. & 2.* Patet solutio ex nostris rationibus. *Ad 3.* neg. cons. quia illi ius habent ad illud, non iste ad Bullam, vt dictum est.

* 13 QUÆRO IV. Cuius cōditionis personis, potest prodesse Bulla? *Resp. 1. Omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus in Hispaniarum Regnis.* Verba sunt Bullæ; ex quibus infero quod possunt gaudere illa. 1. *Pueri* ante vsum rationis, vt sepeliantur tempore interdicti in loco sacro moderata pompa. 2. *Amentes*, fatui, furiosi, ad idem, & ad privilegia, & sacramenta quorum sunt capaces, & ad absolutionem à censuris, si ante amentiam piè vixerunt, & ad Indulgentiam in articulo mortis; & si ad rationem redierint, ad omnia. Quia cum aliquis pro eis Bullam accipit censentur petere, aut acceptare quod sibi prodest.

3. *Qui est* in peccato mortali potest Bullam accipere, & ea gaudere; etiam si Bullæ fidens peccaverit; exceptis Indulgentijs (de quibus postea) & indulto compositionis; nisi graviter per malitiam peccet, Bullæ expeditionem impediens. Quia hæc exceptio ponitur in Bulla, quæ firmat regulam in contrarium. 4. *Qui* ex illicito actu, sed non contra iustitiam commutativam pecuniam acquisivit (v.g. meretrix ex turpi actu, assassinus ex homicidio) potest ex illa dare eleemosynam, & Bulla frui. Quia *ex bonis à Deo collatis, ideſt, proprijs, & iuste possessis*, quamvis ex occasione illicita habitis, eam dat. Non verò vsuratius, &

fur;

furtis quia ex vsura, & furto habita non sunt bona propria. Ita D. Tho, suprà Tr. 7. Ex. 6. n. 9. *Vide ibi.*

5. Excommunicatus potest Bullam accipere, absolvi ab excommunicatione, & frui omnibus gratijs. Si tamen fuerit pertinax non poterit lucrari Indulgentias. Si autem per ipsum non stet quod non absolvatur ab excomunicatione, & per actum contritionis sit in gratia, poterit eis, & omnibus gratijs frui, quia sic credendum est de pia Matre Ecclesia. *Nec obstat* quòd gratiæ impetratæ ab excommunicato sint nullæ ex cap. *de rescrip.* quia Bulla non impetratur immediatè ab eo, sed à Rege.

6. Defuncto, qui adhuc vivens petijt Bullam vivorum, potest illa accipi, vt absolvatur ab excommunicatione, & sepeliatur in loco sacro, & tempore interdicti moderata pompa. Si autem non petijt, non potest ei valere; quia in primo casu permanet eius voluntas virtualiter, sicut in alijs dispositionibus; non verò in secundo, sicque non verificatur impsum dare, & accipere, & ly *por quanto vos disteis, &c.* Sic consiliantur oppositæ sententiæ.

* 14 *Resp.* 2. Religiosi de licentia Prælati habentes pecuniam ad vsum honestum, possunt sumere Bullam; & excepto privilegio vescendi ovis, & lacticinijs, & electionis Confessarij (de quibus postea) omnibus eius frui indultis, quin Prælatus posit ea limitare, nec licentiam negare.

Ratio 1. Quia sic conceditur omnibus Christi fidelibus, & nominatim Religiosis, excepto dicto privilegio, quæ exceptio firmat regulam in contrarium pro omnibus alijs indultis. *Ratio* 2. Prælatus inferior nequit limitare privilegia à superiori concessa, præsertim à Papa, quin ad hoc facultatem ab illo habeat, vt dicitur in Tract. de Leg. *Ratio* 3. Quia concessa licentia ad dictum vsum pecuniæ, nequit dari in Prælato iusta causa negandi licentiam ad Bullam sumendam. Præsertim cùm post revocationem Indulgentiarum à Paulo V. pro Regularibus factam, isti limitatas habeant Indulgentias, & ad alias lucrandas in Confraternitatibus, numismatibus, &c. egeant Bulla. Ex quibus infero.

1. *Si Religioso* detur Bulla ab amico, ea potest quoad dicta frui sine licentia. *Prob.* Tum ob dictam rationem. Tum etiam; quia cùm sit bonum spirituale non opponitur voto paupertatis, quo temporalia bona renuntiantur. Immò, addit Palaus; Prælatum debere hoc consentire, & si non facit, vel sit præceptum, aut regula in contrarium, Papam hoc corrigere. Idem dic si daretur ab amico pecunia ad sumendam Bullam. Immò addit Acosta q. 106. *Mortaliter peccat, qui subditis prohibet Bullæ susceptionem, sine legitima causa; immò, & conscientia prohibentis, sicut, & Reipublicæ scandalum, ita mihi suspecta semper erit. Quin potius si Commissario Generali consiteretur: & Prælatos in huiusmodi prohibitione culpatos inuenerit, deberet contra illos authoritate Apostolica procedere.* An Iesuitæ indigeant superiorum consensu, vt Bulla gaudeant? Affirmat Bardi propter Bullas illi Religioni concessas. Negat Mendo explicans illas Bullas. Vide ipsos si lubet, & iudica.

2. *Ex bonis Conventus*, vel quorum non habet concessum vsum, non potest licitè, nec validè sumere Bullam; quia ex bonis furtivis. Additque bene Palaus, Prælatum non esse obligatum ad hoc consentiendum; cùm non sit obligatus ad erogandum bona Conventus, etiam superflua in vsus pios ad voluntatē subditi. 3. *Novitij* absque licentia, & limitatione possunt omnibus Bullæ frui privilegijs; quia in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum, non in odiosis.

* 15 *Resp.* 3. Hæretici externi, sive publici, sive occulti, nullo possunt privilegio Bullæ gaudere; neque schismatici; neque cathecumeni. *Ratio* 1. *p.* (quæ mihi certa etsi contrà communem recentiorum) 1. Quia non sunt *Christi fideles* ad quos dirigitur Bullæ concessio. Immò sunt *infideles* ex *D. Tho.* 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. contra quos Bulla dirigitur in subsidium belli, vt dicemus. 2. *Quia* ex D. Tho. art. 5. *Ex parte ipsorum est peccatum per quod meruerunt non solùm ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à mundo excludi. dicit namque Hieronimus; & habetur* 24. *q.* 3. *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, &c.* 3. Quia *Gregorius XIII.* cuius est textus Bullæ. in motu proprio *officij nostri partes* anno 1576. *tom* 2. *Bullarij*, diffinivit, In generali concessione absolvendi à censuris, & casibus Bullæ Cœnæ non comprehendi hæresim; idemque constat *ex cap. in Generali, de reg. iur. in* 6. & stylo Curiæ Romanæ, vt ait Mendocius apud *Trull. cap.* 2. *dub.* 7. Ergo multo minus in generali concessione Christi fidelibus, comprehendetur hæreticus externus. *Internus* autem potest frui Bulla; quia Ecclesia eum non iudicat, nec punit occulta.

Similiter, si quis cùm sit baptizatus incidit in hæresim externam, sed deinde ipsum pœniteat, vellitque redire ad fidem, posset frui Bulla; quia iam fidelis tunc actu est, posito quod hæresim abiuret, volendo redire ad fidem. Ita colligitur ex *D. Thom. cit. art.* 4. Ad lucrandas tamen Indulgentias prius deberet ab Inquisitoribus absolvi à censura hæresis, cum non possit per Bullam absolvi, & sic neque à peccatis.

Ratio 2. *p.* Eadem cum prima est, præsertim si schismaticus recedat ab aliquo fidei articulo; si autē non recedit, sed solùm obedientiā Summo Pontifici exterius neget, non est credendum Pontificem ei favere privilegijs velle, qui ab ipso tam manifestè recedit; quia vt arguit D. Tho. q. 39. art. 4. *Per quæ peccat quis, per ea debet puniri.* Sap. 11. *Schismaticus autem peccat separando se à communione membrorum Ecclesiæ.* Si sit ex illis, qui negant hunc esse verum Papam, putans id non esse arti-

articulum fidei, non valet accipere privilegia, quæ à solo verò Papa dimanare possunt; præsertim dum contingit eundem esse Papam, qui Bullam concedit, & qui à schismatico repellitur.

Ratio 3. *p.* Quia Cathecumenus non habet caractetem *Christi fidelis*, cum non sit baptizatus; nec est intra Ecclesiam; nec subditus Papæ vt possint cum eo exerceri actus iurisdictionis, & clavium, ad quos pertinent omnia Bullæ indulta. Ita cum *S. Anton.* 1. *p. tit.* 22. *cap.* 5. *§.* 6. communis, & vera sententia.

* 16 *Oppono* 1. *contra* 1. *&* 2. Illi sunt Christi fideles; nempè baptizati, & Papæ subditi: ergo eis prodest Bulla. 2. *contra* 3. Novitij gaudent favoribus Religiosorum: ergo Cathecumeni Christi fidelium; quia sicut illi ad Religionem, isti ad fidem probantur, & instruuntur. 3. *Missæ* sacrificium potest pro eis offerri, & prodesse ex opere operato quoad satisfactionem, & impetrationem: ergo etiam Bulla; quia sicut ibi applicantur merita Christi, ita & hic.

Ad 1. *neg. ant.* in sensu formali loquendo; vt dictum est cum D. Thom. *Ad* 2. *neg. conseq.* quia Novitij sunt intra Religionem, & eius subditi, quod non habent Cathecumeni respectu Ecclesiæ. *Ad* 3. *neg. conseq.* 1. Quia in Missa iam constat de applicatione celebrantis, non verò in Bulla de intentione concedentis, imò constat contrarium ex vsu Ecclesiæ. 2. *Quia* ad illud non est incapacitas in eis, cum non sit actus iurisdictionis, & clavium; bene verò ad istud. *Et Nota* falaciam, & æquivocationem arguentium: ex quo possit prodesse ei sacrificium pro ipsis applicatum, inferre posse prodesse Bulla pro Christi fidelibus cõcessa. Et retorquo argumentum: Missa pro Christi fidelibus applicata Cathecumenis, non prodest: Ego nec Bulla.

* 17 QUÆRO V. Euntes, vel mittentes ad bellum qualiter Bulla fruuntur? *Resp.* 1. Pontifices *Primò concedunt prædicto Regi huic expeditioni, & defensioni contra Turcas, & Infideles assidua cura, & diligentia incumbenti, nec non omnibus* (suprà huc vsque dictis) *qui intra annũ, à die publicationis præsentium, in singulis locis prædictis faciendæ, inchoandam, fidei zelo moti, ad exercitum prædicti Serenissimi Regis Hispaniarum, contra Turcas, & alios Infideles in illos pugnaturi, aut aliud genus seruitij gratis facturi accesserint, & ibidem vsque in finem expeditionis eiusdem anni permanserint, plenam omnium suorum peccatorum* (*si de illis corde contriti, & ore confessi fuerint, aut non valentes confiteri, id corde desideraverint*) *Indulgentiam, & remissionem, quæ proficiscentibus ad recuperationẽ Terræ Sanctæ, quæque in anno Iubilæi concedi consuevit.* Hæc Bulla. Ex quibus infero.

1. *Cum D. Thom.* 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. per *alios Infideles* contra quos hoc bellum, intelligi Paganos, Judæos, Hæreticos, & Schismaticos, qui sunt species Infidelium, & *nullum schisma est, quod non sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur*, ait *D. Tho. q.* 39. *art.* 1. *ad* 3. 2. *Indulgentiam* plenariam hic concessam posse lucrari in articulo mortis, & in vita quando contriti, vel attriti, & ore confessi fuerint, aut non valentes confiteri, contriti, cum proposito confitendi, fuerint, durante anno. Quia semel videtur concessa sicut illa quæ infra conceditur, accipientibus Bullam pro semel in vita, & semel in morte. Et hoc conformius est Decreto suprà posito Tractatu præcedenti num. 100.

3. *Militem* accepto stipendio bellum adeuntem si partem Regi remiserit, frui hac indulgentia, & Bulla; quia iam adit bellum, & magis præstat, quam qui duo argentea 4. *Qui* personaliter adeunt bellum (& qui mittunt) etiam, si aliquo alio titulo ad id teneantur: v. g. Proceres, & Equites habitu insigniti, qui lege vel præcepto Regis adeunt, etiam gaudere hac Indulgentia, & Bulla; quia vno actu duplici obligationi potest satisfieri, & insuper quia postulata in Bulla præstant. *Non gaudere* Bulla nisi adeant exercitum Regis Hispaniæ, & nisi in bello contra Infideles, & fidei zelo moti, vt patet ex verbis Bullæ.

* 18 *Resp.* 2. Item declarat *quod eandem Indulgentiam assequantur, qui ante finem expeditionis; aut in itinere ad exercitum, aut in eodem exercitu obierint, & illi qui propter infirmitatem, seu aliam superuenientem* (veram) *necessitatem inde recesserint.*

Item, *qui alios suis expensis miserint; dummodo si mittens fuerit S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Primas, Patriarcha, aut Episcopus, Regis filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes mittat quot homines, vsque ad decem inclusivè, commodè poterit: nec mittat pauciores quatuor, si plures non poterit. Alius verò cuiuscumque sit conditionis, siue Laicus, siue Clericus secularis, vnum mittere teneatur. Quod si tenues adeò fuerint facultates, vt id præstare non possit, eo casu duo, vel tres, aut quatuor stipendium vni persoluant, pro rata facultatum inter eos distribuendum.* Item, *Capitula Ecclesiarum, Monasteria, & Loca etiam Regularium, & Mendicantium tam fœminarum, quam mesculorum, si pro decem personis eorundem capituorum, & locorum, præcedente capitulari, seu conventuali deliberatione vnum miserint.* Item, *eandem Indulgentiam assequantur etiam omnes qui mittentur si pauperes fuerint.* Hæc Bulla. Ex quibus colligo 1. Hanc *eandem Indulgentiam*, cum antecedenti, esse plenissimam in forma Iubilæi.

2. *Si Miles* ab aliquo missus, vel non intrat, vel relinquit bellum culpabiliter, is qui illum mitrit, Indulgentia, & Bulla gaudet; quia postulatum implevit, quantum in se fuit, & suo voto. Ita colligitur ex D. Thom. quodlib. 2. art. 16. 3. *Hanc* Indulgentiam lucrari mittentes, & pauperes missi, eo ipso quod illi mittant, & isti mittantur, si in gratia sunt. 4. *Per Capitula* intelligi etiam Parrochias,

chias, vbi sunt Rector, aut Prior, & Clerici qui *Capitula* celebrant; & per *Monasteria* communitatem Religiosorum vtriusque sexus, quamvis alio nomine appellentur, v.g. Colegij, Domus, &c. quia favor illis, & Regi ampliatur. 5. *Quod* si miles pauper ab alijs nullus, postea ex belli præmijs ditescat, etiam si propijs expensis non se alat, gaudet Indulgentia, & Bulla; quia hæc fortuna per accidens, non tollit quod à principio per se valuit.

* 19 *Resp.* 3. Item, *Clerici sæculares, qui ab Ordinarijs, & Regulares à suis Superioribus habita licencia, verbum Dei in eodem exercitu prædicaverint; confessiones audierint, seu Missas celebraverint; vel alia Ecclesiastica, & pia ministeria exercuerint. Quibus etiam conceditur, vt beneficijs tam sæcularibus, quam regularibus per idoneos Vicarios deservire possint, exceptis Beneficia Curam Animarum habentia obtinentibus.* Item, *Milites in bello occupati, à Ieiunijs votivis, vel Ecclesiæ excusantur; & quod in die festo belli negotij vacare possint, declaratur.* Hæc Bulla. Ex quibus Infero.

1. *Eandem* hic esse Indulgentiam cum antecedenti. 2. *Nomine Clerici* intelligi etiam prima tonsura initiatum, nisi forte privilegia amisserit Clericalia, eo quod mutavit habitum, vel alio casu: & nomine Regularium etiam Laycos, qui pia ministeria ibi exercere possunt; quia Canones in favorabilibus ita illos appellant.

3. In Clericis sufficere licentiam Ordinarij per ratihabitionem, scilicet quod videat, & consentiat; sed non sufficit licentia interpretativa; quia licentia in Bulla petita est approbatio personæ; nullus autem sui potest esse Iudex. *In Regularibus* autem requiritur licentia expressa Prælati, sic enim disciplina Religiosa postulat. *Pro* quibus Nota hæc verba S. Tho. in 4. dist. 20. q. 1. art. 5. qla. 2. ad 2. *Propter Indulgentias non debet dissolvi regularis observantia, quia Religiosi magis merentur Religionem suam servando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quam Indulgentias exquirendo, quamvis minus quantum ad dimissionem pœnæ, quod est minus bonum.*

4. Qui Curam Animarum habent non posse sine licentia Papæ ire ad bellum, vt ait Bulla. Multò ergo minùs Prælatos Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum posse sine dicta licentia. 5. *Non* licere Clericis, & Regularibus pugnare in hoc bello ob irregularitatem; licere tamen eis exortare milites ad prælium, &c. quin illam incurrant; quia hoc vltimum declarat Comissarius in Bulla Hispana, non primum. 6. *Milites*, qui in die festo possunt illis laboribus occupari, non esse exemptos ab obligatione Missæ si locum habeant, quia hoc non exprimitur in Bulla. 7. *Quod* Clerici, & Religiosi non sunt exempti à Ieiunijs; sed solùm milites: qui tamen illis diebus non possunt vesci carnibus; quia hæc dispensatio non ponitur in Bulla, sed solùm illa, & pro solis militibus.

Oppono: Favores sunt ampliandi: ergo tam Ecclesiastici, quam milites sunt excusari à Ieiunio. 1. *Voti* obligatio pendet ab intentione voventis: ergo milites in Ieiunio votivo si non est dies ab Ecclesia prohibitus possunt vesci carnibus, cum sint dispensati à Ieiunio. *Ad* 1. Dico favores esse ampliandos iuxta capacitatem verborum, & dum non obstat præceptum, hic autem hoc obstat, & in verbis Bullæ aliud non constat. *Ad* 2. *dist. conseq.* si ita expressè vovit, *concedo*; si absolutè vovit Ieiunium, *nego*; quia Ieiunium absolutè importat abstinentiam à carnibus, & vnicam comestionem; & quamvis ab illa eximatur, non ab illa.

Ex dictis colligo, Omnes supradictos euntes, vel mittentes ad exercitum, sine Bullæ acceptione gaudere omnibus privilegijs, quibus gaudent accipientes Bullam, tam vivorum, quam mortuorum: Quia ita patet ex Bulla, quæ pro his magis concessa est; hoc tamen non extenditur ad Bullam Compositionis, de qua postea.

* 20 QUÆRO VI. Quid debent facere qui nó ibunt, nec mittent ad bellum, vt Bulla fruantur? *Resp.* 1. *Mandatur, vt summarium hoc per omnes Christi fideles ad prædictum bellum contribuentes, qui huiusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiatur, & retineatur.* Verba sunt Bullæ.

Resp. 2. Omnes debent contribuere stipendium taxarum à Comissario Generali. Sic enim ait Bulla: *Conceditur facultas Comissario eidem, vt dictam subventionis quantitatem à fidelibus. vt prædicitur, pro vivis, & defunctis erogandum, iuxta personarum qualitatem, & bonorum quantitatem arbitrari possit.*

Arbitratum autem, & declaratum stipendium ab ipso (vt ex Lara afferunt *Trull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. & noster Gallego dub. 132.) Hoc modo est. *Declaramos, que los Cardenales, Primados, Patriarcas, Arçobispos, Obispos, Abades, que tienen jurisdiccion Episcopal, Inquisidores, y Dignidades de las Iglesias Cathedrales, Duques, Marqueses, Condes, y Comendadores mayores, Viso-Reyes, Capitanes Generales, Embaxadores, Presidentes, y los demàs Consejeros, y Alcaldes de Corte, y Casa de su Magestad, y Oidores de las Chancillerias, y Audiencias Reales, Alcaldes del Crimen, y Fiscales de los Consejos, y Audiencias Reales, y Contadores de su Magestad de sus Contadurias mayores de Haziendas, Cuentas, y de la Santa Cruzada, Oidores, y Fiscales de ellas, y Secretarios de su Magestad, y Comendadores Encomendados de todas las Ordenes, y Señores de Vasallos, y las mugeres de los seglares de todos los estados yà dichos, viviendo sus maridos, ayan de dar, y dèn de limosna cada vna de las dichas personas ocho reales de plata castellanos por cada Bulla de vivos de Cruzada, que tomaren para sì:*

Y las demàs personas de qualquier estado, y condicion que sean, dèn cada vna de ellas de limosna dos reales de plata castellanos, para ayuda de las guerra contra Infieles; y por la Bula para difuntos

dos reales de plata. Prò Indijs taxam maiorem Vide apud citatos. Ex his omnibus infero.

1. Gaudere Bulla, qui credito illam accipiunt; quia Commissarius iubet distribuentibus credito eas porrigere ijs, qui assignata die promittunt se soluturos. 2. *Qui animo* solvendi eam sumit, & postea factus est impotens potest ea frui; quia privilegium semel ritè obtentum non tollitur ob inculpabilem defectum, & distributor iam resarcit Regi, ita declaratum fuisse à Comissario, ait Tamburinus. *Si cum* animo solvendi sumat, & postea mutet animum, à die qua mutat non potest Bulla gaudere, sicut econtra. Si cum animo non solvendi sumat, & postea mutet animum, à die qua mutat, valebit. Vide infra n. 22. in hoc E.

3. Uxores eorum, qui octo argenteos debent dare, etiam si non habeant bonorum administrationem, tenentur etiam ad octo (idem dic de eorum filijs, cum ratione primogenituræ, vel maioratus dignitatem vel titulum habent Marchionum, Ducum, &c. secus si non (ait Gallego) quia Commissarius solùm attendit ad dignitatem, non ad administrationem, quæ frequenter illis denegatur. Hoc autem intellige *viviendo sus maridos.* Mortuis autem maritis non tenentur, nisi permaneant vsufructuariæ; cum sic permaneant vassallorum Dominæ: & tunc Dominus proprietatis non tenetur dare octo; quia non est Dominus absolutus dum vsufructu caret; nisi fortè gaudeat titulo, & aliquibus præeminentijs, ad quæ taxatione attenditur.

4. Cum duo, vel plures simul pro indiviso sunt Domini eiusdem loci, non singuli, sed omnes simul tenentur dare octo argenteos, dum quilibet adminus det duos; quia non quilibet absolutè dicitur Dominus vassallorum, (sicut etiam si habeant pro diviso determinatas partes) cum Dominus partis in iure non dicatur absolutè Dominus; nisi tanta sit pars, quæ tribuat ei titulum Domini, &c. Sic concilio contrarias sententias.

5. Dum quis gaudet pluribus titulis; v. g. Comitis, Marchionis, &c. non debet pro quolibet dare octo; quia vbi Commissarius non distinguit nec nos distinguere debemus. 6. *Quilibet* ex supradictis, qui pro se vult accipere secundam Bullam, vt duplicatis gaudeat indultis, debet etiam pro secunda dare octo; quia ad Bullam *pro se* acceptam ita determinat Comissarius. Ita benè cum Trull. noster Gallego contra Henriq. 7. *Quilibet* alius gaudens quolibet simili honorifico, si non est inclusus in supra declaratis à Commissario, eo ipso est liber ab obligatione dandi octo, & solum tenetur ad duo, ait bene Gallego. 8. *In Regno* Valentiæ (similiter in alijs extra Castellam) sufficit dare argenteos in moneta Regali illius, quamvis Commissarius dicat *reales de plata*, quia ita consuetudine stabilitum.

Resp. 2. Vt quis Bulla gaudeat debet eam recipere, & prudenti diligentia retinere. *Ratio:* Quia in Bulla dicitur: *Mandatur, vt summarium hoc recipiatur, & retineatur.* Et infrà: *Summarium hoc per eos retinere deberi decrevit.* Et in Bulla Hispana: *Declaramos, que los que tomaren esta Bulla bayan de recibir, y guardar este Sumario, y Bula, que và impresso de molde, y firmado, y sellado de nuestro nombre, porque de otra manera, no ganan; ni gozan de dicha Bulla.* Ita Commissarius. Vide inf. n. 23. Ex quibus infero.

1. Valet Bulla accepta, & retenta à se, vel ab alio pro se, *iuxta reg. Ratihabit. de reg. Iur. in 6. Ratihabitionem retro trahi, & mandatum non est dubium compari.* Nec est necesse eam ferre secum, sed domi, vel alibi custodiri mediocri alia qua diligentia, sicut alia precisa munera. 2. *Potest* quilibet pro se, vel pro alio duas accipere Bullas, & duplicatis frui indultis; quia ita concessum est in ea. 3. *Si quis* pro me accipit Bullam, ante quam mihi eam applicem, possum alteri tradere, mutato nomine, si fortè meo sit scripta; non autem possum postquam mihi eam applicavi; quia ante acceptationem, & applicationem est indeterminata; postea tamen iam, non pendet à mea, vel alterius voluntate. 4. *Si aliquis* pro me accepit Bullam, & ego iam habeo: si vnam solum? non potest ille eam alteri aplicare; quia possum duas habere, & mihi applicare; si vero iam duas habeo; potest eam alteri applicare, nisi habuerit restrictam intentionem pro me solum eam accipiendi. Ita cum Medina, Gallego dub. 178. & Ratio est iam dicta.

* 22 *Quid dices ad hoc:* sufficit tibi certitudo moralis, vt Bulla fruaris? *Dico*, quod si tanta est certitudo, vt non possim dubitare: cum nempè, per litteras, internuntium, vel alias circunstantias certus sum moraliter pro me iam acceptam Bullam, possum ea frui; qua non est necessaria certitudo methaphisica.

Si autem certitudo est solùm ex consuetudine, vel quia quolibet anno à Patre meo pro me summitur, vel quia amicus promisit? non possum ea frui; quia multa est humana contingentia; & in re tam gravi vbi salus perielitatur Animæ, & iurisdictio ad absolvendum, &c. tenet regula Iuris ex D. Augustin. *Tene certum, & dimitte incertum:* Et contra meam aliquam incertitudinem possessionis privilegij, stat certitudo omnimoda, & possessio legis. Sic aliqualiter concilio oppositas sententias.

5. *Si Bulla cum mediocri diligentia servata, sine culpa deperdatur, vel rumpatur, tunc credo quod valet; quia non debet esse maior obligatio in hac parte, quam in alijs rebus*, ait Nuñ. tom. 2. in 3. p. D. Th. §. 14. de Bulla, & cum eo Gall. 6. *Non valet* Bulla si maliciosè rumpatur, deperdatur, vel comburatur; quia in supradictis verbis Bullæ clarè patet necessariam esse conditionem, & præceptum, *vt retineatur*, & non merum consilium; ita Galleg. &c. 7. Non valet accepta ab eo qui furtivas distribuit, etiam si illi eleemosyna detur; quia non serviret in subsidium. Bona

tamen fide durante excusaretur, eam habens, in ellu carnium, &c. & absolveretur indirectè à reservatis. At recognita, directam absolutionem à legitimo confessario deberet obtinere.

8. Non valet intentio eam sumendi, etiam per dies octo; quia intentio non dat iurisdictionem; & privilegium actu non obtentum nullum præstat effectum. Ita Ioannes à S. Thom. contra Henriq. 9. *Non* valet etiam si detur eleemosyna Commissario, & Bulla non accipiatur; ob eandem rationem.

* 23 *Resp.* 3. Bulla sic accepta debet à potestate Collectoris extrahi, & nomine accipientis inscribi. *Ratio utriusque est*; quia ita declaratum, mandatum, ac publicatum fuit à Commissario Generali novissimè anno 1704. addente: *Que ninguna persona buelva, ni pueda bolver al Repartidor, Cogedor, ò Receptor la Bula que una vez huviere recibido, pena de excomunion mayor.* Hanc declarationem, & publicationem autenticè factam adducit P. Montreal in thesaur. Bullæ cap. 2. §. 6. & in prol. illam supra posita n. 10.

Unde, scribere nomen non est merum consilium, vt communiter dicitur, sed debet fieri, ob dictam declarationem ad vitandas fraudes, & vt constet cum opus fuerit; & ne pro minimo omisso, maxima perdantur. Tum etiam quia in Bulla Hispana ait Commissarius: *y por quanto vos disteis, &c. y recibisteis esta dicha Bula escrito en ella vuestro nombre, declaramos, que aveis conseguido, &c.*

* 24 Colligo ex dictis, pauperes, etiam si Religiones Seraphicæ, debere modo dicto Bullam accipere, vt ea fruantur; quia est conditio necessaria, & præceptum.

Oppono 1. Cum Amadeo Guimenio, & alijs apud ipsum in opusculo pro Iesuitis; quod Paulus III. vivæ vocis oraculo 2. Iunij 1535. concesserit Fratribus Minoribus: *Vt possint comedere ova, & lacticinia in diebus Ieiunij, & lucrari omnia quæ conceduntur in Bulla Cruciatæ (excepto quod non possint absolvi à casibus reservatis) modo Fratres Sacerdotes duas Missas celebrent, Choristæ duos Psalmos Pœnitentiales cum suis Lattanijs, & Conversi ducentos Pater noster cum totidem Ave Maria, & quando suspenduntur Bullæ omnia prædicta reiterando.* Oppono 2. Urbanus VIII. Capitulo Generali Capucinorum anni 1633. concesserit idem facientibus gratias, & Indulgentias Bullæ, vt ait Leander de Murcia in *cap. 6. Regulæ q* 20. & 21. ergo supradicti possunt sine Bulla lucrari, &c.

Ad 1. *Resp.* Quod Urbanus VIII. anno 1631. die 20. Decembris revocavit plenissimè hæc, & omnia alia privilegia *vivæ vocis oraculo* concessa Regularibus. Ut latè demonstrat Cardenas *part.* 4. *Crisis Theol. disert.* 2. *n.* 415. deinde *Resp.* quod hæc, & similia privilegia revocantur publicatione Cruciatæ, vt dicemus Ex. 5. Ex quo patet ad 2.

Sed Nota librum illum *Amadei Guimenij* in argumento adductum, *reprobatum, damnatum,* & *prohibitum* fuisse ab Inocent. XI. anno 1680. 16. Septembris, iussumque tradi locorum Ordinarijs, vel Inquisitoribus, & ab his *illico flammis aboleri.* Vide Systema Decret. P. Porter p. 650. §. 4.

QUÆRO VII. Quandiu durant Bulla, & annus eius, gratiæ, & privilegia? *Resp.* 1. Concessio Bullæ pro Regnis Hispaniæ regulariter fit ad Sexennium; gratiæ verò eius per annum integrum à die publicationis durant. *Ratio* 1. *p.* Quia quamvis solùm ad triennium aliqui Pontifices concessere, vt patet ex Bullis Pauli III. ann. 1537. & 1541. & aliorum, vsque ad S. Pium V. Hic tamen Sanctus ann. 1571. ampliavit concessionem ad sexennium, quem modum secutus fuit eius successor Gregorius XIII. ann. 1573. In Bulla amplissima quam successores continuarunt, & qua hìc vtimur. *Rat.* 2. *p.* Quia & si S. Pius V. singulis biennijs iussérit publicari; tamen Gregorius XIII. statuit hoc solùm pro Indijs; in Hispania tamen singulis annis mandavit his verbis: *Intra annum à die publicationis præsentium in singulis locis prædictis faciendæ, inchoandum.* Et infra *durante anno prædicto.* Unde infero.

1. Annum incipere non à die publicationis in Metropoli, sed in quolibet loco. 2. *Publicationem* fieri per solemnem Bullæ processionem (non per Missam, vel sermonem) quia tunc publicatur per locum: sicque optima consuetudine immediatè post processionem iam incipiunt distribui Bullæ, & eius, gratiæ non antè. 3. *Sexennium* concessionis non deberi computari à die datæ Romæ, sed à die publicationis in Hispania: quia Bulla ait: *Annum à die publicationis inchoandum*: ergo, & sexennium. Unde cum dicitur *concedo ad sexennium* facit hunc sensum: *Vt sex annis lucrantur: vt in singulis annis sexenij: vt sexies valeant.* Sicut de Indulgentia ad quinquennium ait Rodriguez tom. 2. qq Reg. q. 98. n. 3. Et cum Iubilæum, vel Indulgentia quadraginta horarum aut Altaris privilegiati conceditur *ad septennium valeturis*, si aliud in Brevi non exprimitur, septennium numerandum non à data Romæ, vel Matriti, sed à die, vel festo pro quo publicatur; numerando annos modo morali, & Ecclesiastico à die, aut festo vnius anni ad festũ alterius; ait cum alijs *Dian. p.* 9. *Tr.* 2. *R.* 11.

* 26 *Resp.* 2. Concessio hæc non cessat morte Pontificis concedentis; nec revocatur per Bullam Cœnæ; nec suspenditur in anno sancto, aut alterius Iubilæi. *Ratio* 1. *p.* Quia est gratia facta, quæ non expirat morte concedentis, vt ait Bonifacius VIII. *cap. si super gratia de offic. & potest. Iud. deleg. in* 6. Vide supra Tr. 6. Ex. 5. n. 83. *Ratio* 2 *p.* Quia Bulla Cœnæ Sixti V. anni 1590. revocans omnia privilegia absolvendi ab eius casibus, ait: *Nisi casus in Bullæ Cœnæ Domini reservati in illis præsentibus litteris exprimãtur*; sed illi in Bulla Cruciatæ exprimũtur, his verbis: *Quamvis sint ex contentis in Bulla Cœnæ Domini &c.* ergo, &c.

Tum etiam; quia hæc Bulla est privilegium remunerativum, & per modũ cõtractus (dantur enim Sedi Apostolicæ pro eo, ad Sancti Petri fabricam, duo-

duodecim millia, & quingenta scuta argentea pro quolibet anno, vt ex Magistro Seraphino de Freitas, ait Mag. Gallego *duo.* 18. Et singuli fideles præbent stipēdium iuxta qualitatem suam in belli subsidium, & Ecclesiæ bonum, ideoque ait Bulla Hispana: *por quanto vos disteis, &c.*) Tale autem privilegium per aliud non revocatur, nisi de eo fiat expressa mentio, iuxta communem Doctorum, quòd est de natura privilegij remunerativi, & per modum contractus.

Si autem ob bonum vniversale aliquando fieret intra annum revocatio, deberet singulis in locis publicari, sicut Bulla; alias ignarus revocationis posset sine culpa vesci ovis, &c. & si absolveretur à reservatis, valida foret absolutio; quia ita præsumitur de mente Pontificis, si aliud non declarat, ne videatur laqueum animabus parare.

Addo cum Silvestro, Etiam ab illo lucrari Indulgentias præstito opere ad eas lucrandas; quia olim Calixtus concessit Indulgentiam, dantibus subsidium, &c. quam successor revocavit, & tamen secundum Doctores illi qui subsidium dederunt medio tempore, scilicet à die revocationis, vsque ad diem notitiæ, illam habuerunt. Hæc Sylvester verb. Indulgentia n. 17. & cum eo Pellizarius *Tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 182.

Ratio 3. *p.* Eadem est. Et ita declararunt suam mentem Gregorius XIII. anno 1578. & Clemens VIII. 1600. cum suspendissent gratias alias absque contractu singularibus personis concessas. Et Vrbanus VIII. anno 1625. & videmus Comissarium Bullæ juventem illam promulgari in ipso anno sancto, Conciliumque Sanctæ Cruciatæ ad maiorem cautelam supplicare Papam pro tali declaratione, quam obtinuit anno 1650. speciali Brevi, ait Gallego. Videatur Gregorius Martinez *in* 1. 2. *D. Tho. q.* 97. *art.* 4. *dub.* 3.

Nota tamen; quod si fortè in aliquo anno sancto suspenderetur Bulla; eo transacto, restituerentur in integrum omnes eius gratiæ, & Indulg. statim ac absolveretur annus sanctus (qui incipit à primis vesperis Vigiliæ Nativitatis, & durat vsque ad eosdem anni sequentis) Quia ita de omnibus alijs Indulgentijs advertunt bene *Filiuc. Tract.* 8. *n.* 253. & ex Navarro Pellizar. *Tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 208.

* 27 *Resp.* 3. Annus durationis Bullæ summitur pro anno naturali, qui à momento in momentum numeratur; nempè pro spacio 165. dierum, & ferè sex horarum, quo Sol Zodiacum permeat. *Ratio*: Quia annus communiter, & absolutè dictus, vt in Bulla in ly *durante anno*, in communi, morali, & naturali intelligentia, summitur pro anno naturali, tam in Bullis Pontificijs, & Concilijs, quam in alijs privilegijs. Hæc oppinio est probabilior ab intrinseco, & antiqua in schola D. Thom. vt videre est in Nuño tom. 2 in 3. p. D. Th. de Bulla §. 6. Gall. dub. 14.

Vnde sententia contraria, etsi ab extrinseco gaudeat plurium probabilitate; ab intrinseco tamen, vt benè ait Nuño citatus: *est improbabilis, quia expressè est contra litteram.* Tum etiam quia potest esse occasio plurium errorum; nam in Provincia Cumana, in Indijs, deficiente Bulla spatio novem annorum, fuerunt qui defendebant adhuc durare Bullam vltimæ publicationis, vsque ad alterius publicationem, vt scribit Magist. Ramos, de Bulla cap. 3. & in Aragoniæ Corona anno 1706. quo Bulla non potuit publicari similiter accidit.

Oppono: Annus propriè sumitur pro Ecclesiastico, vt patet in præcepto confessionis, & communionis, & in Officio Canonico: Ergo etiam potest sic summi in anno Bullæ ab vna ad aliam publicationem; cum hoc sit in re Ecclesiastica, & Commissarius Generalis cum Papa sciat ita practicari, & taceat.

Resp. neg. conseq. quia ibi datur certa, & determinata regula, communisque vsus vniversalis Ecclesiæ, proprièque annus Ecclesiasticus; non verò in Bulla ab vna ad aliam publicationem, cum hoc pendeat à libera particularium dispositione, & impropria anni Ecclesiastici acceptione. Quod autem Papa sciat, & taceat non probat sententiam, sed piam esse Matrem Ecclesiam. Piè tamen potest admitti hæc sententia, si annus sumatur pro Ecclesiastico propriè dicto, nempè ab vna ad aliam septuagesimam; quando nempè finito anno naturali adhuc non publicatur nova Bulla, & non est finitus hic annus Ecclesiasticus. Nam annus naturalis supponitur concedi, etiam si facta sit nova publicatio antequam finiatur, & annus Ecclesiasticus piè creditur concedi. Sicut annua confessio potest fieri intra annum naturalem vel Ecclesiasticum, iuxta comunen sententiam. Inde infero.

1. *Finito anno dicto* modo cessant omnia privilegia Bullæ, vt patet ex dictis verbis; favor enim non est ampliandus vltra significationem verborum. Vnde non benè, & si piè, Mendez, & alij extendunt ad octo dies, in magna Civitate; & malè aliqui apud Trull. & *Tambur. ad* 35. dies, dum alia non publicatur.

2. *Si confessio* fuit incepta, vel commutatio voti petita ante finem anni, potest adhuc finito anno terminari confessio, & absolutio Bullæ dari, etiam à reservatis, & votum commutari: quia causa incepta potest ad finem perduci iuxta communem Doctorum. Idem dic de Jubilæo finito termino.

Si confessio fuit finita ante finem anni, & in ea fuit oblitum peccatum reservatum, vel censura, post finem anni adhuc potest ab illis directè absolvi virtute Bullæ; quia iam indirectè fuit absolutum, & reservatio ablata; non tamen potest commutari votum; quia ad hoc requiritur cognitio causæ, & qualitatis voti secundum confessarij iurisdictionem, quæ iam expiravit. Ita contra Henriq. noster Raphael de la *Torre* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *dub. vlt. num.* 7.

EXAMEN II.

De communi vivorum Bulla, & Bulla lacticiniorum.

§. 1. *De gratijs pro tempore Interdicti, & Oratorijs.*

* 1 QUÆRO I. Quid conceditur tempore interdicti Bullam habentibus? *Resp.* 1. Conceditur vt dicto anno durante, possint, in Ecclesijs, in quibus alias Divina Officia, Interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato Oratorio ad Divinum cultum tantùm deputato (ab Ordinario visitando, & designando) etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit quo minus amoveatur; Et qui facultatem ad id Commissario Generali habuerint, etiam per horam antequam eluceſcat dies, & per horam post meridiem, in sua, ac familiarium, & domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia, Missas, & alia Divina Officia per se ipsos, si Præsbiteri fuerint celebrare, vel per alium celebrare facere; tempore Interdicti divinis interesse.

Eis tamen qui privato Oratorio ad præmissa vti voluerint, quoties id fecerint aliquas preces Deo pro vnione Principum Christianorum contra Infideles eorumque contra eosdem victoria, fundere teneantur, imponitur.

Item, *Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere.* Item, *Mortuorum corpora (nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri.* Hæc Bulla. Ex quibus infero. 1. Per *Ecclesias* hìc intelligi Hospitalia, Oratoria, Capellas, Eremitoria authoritate Episcopi publicè erecta: Et ita esse facta præsumitur, cum habent campanan, ex cap. *patentibus* de privig. Vel cum habent Altare lapideum fixum, non portatile, vt ex Dacian. Farin. & Barbos. ait Lesan. verb. *Orat. n.* 2. 2. Per *familiares* hìc intelligi, ex declaratione Bonif. VIII. in cap. vlt. *de verb. sig. in 6. Qui sine fraude, & fictione verè familiares existunt, & in expensis continue domestici comensales; etiamsi quos ex illis aliquando pro domini negotijs abesse contingat.*

Et etiam hoc modo Servi, Administratores statuum, Procerum, Gubernatores, & Iudices ab eis præfecti, & qui dominum comitantur, & expensis eius viuunt, tam intra quam extra domum, iuxta comunem Expositorum. Advertunt tamen benè nostri Thomistæ Lopez, & Soto, apud Gallego, quod famulæ, & famuli, vulgo *Gentiles hombres*, qui Dominos extra domum diebus festis comitantur, possunt in Ecclesijs cum eis audire Missam, non verò in privato Oratorio.

3. Per *consanguineos* intelligi vsque ad quartum gradum vtriusque lineæ, tam ascendentes, quam descendentes, iuxta communem Iuris acceptionem; virumque respectu vxoris, & vxorem respectu viri, cum sint duo in carne vna; non autem comprehendi affines, licèt in Bulla Hispana dicatur *Parientes*; quia affines non absolutè, sed *Parientes por afinidad* vocantur. 4. *Clericis*, qui à Iure habent posse interesse Divinis, hìc conceditur vt in privato Oratorio, & cum familia possint; Et vt Clericus habens Bullam possit facere celebrare allum non habentem coram se, & sua familia.

5. Omnes prædictos posse audire Missam in loco generaliter Interdicto; non verò in Ecclesia specialiter interdicta; quia Bulla ait: posse audire Missam *in Ecclesijs in quibus alias permissum fuerit celebrare Divina Officia durante Interdicto*; hoc autem non permittitur in Ecclesia specialiter interdicta vbi solum celebratur Missa cum vno Ministro, pro Eucharistiæ renovatione. Ex cap. *Alma Mater*, Covarr. & DD. ibi, & S. Antonin. 3. *p. tit.* 26. *cap.* 1. §. 1.

6. Ob eandem rationem non concedi audire Missam tempore cessationis à Divinis. Et licèt in Clement. I. Interdictum, & cessatio à Divinis æquiparentur, hoc est, quia assimilantur; sed cum in multis differant, indiget speciali expressione in privilegio. Vide *Medin. lib.* 1. *cap.* 11. §. 14. 7. *Familiares*, & consanguineos, absente Domino, non posse sine Bulla audire Missam; quia in Bulla dicitur *in sua, ac familiarium præsentia*, & in Hispana: *En su presencia, y de sus familiares, &c.* & vt ait Barbosa dict. 110. ly, *Et* ex natura sua coniungit, nisi ex contextu necessario constet disiungere. *Nec obstat* quod Dominus in sua etiam solum præsentia possit facere celebrare, vt familia etiam sola possit (vt arguit Palaus) quia privilegium conceditur illis intuitu Domini 8. *Ad vtendum* privato Oratorio debet fieri oratio pro vnione, &c. vt dicemus num. 8. huius E.

* 2 *Resp.* 2. Ad dicendum Missam per horam ante Auroram, & per horam post meridiem virtute huius privilegij, necessaria est etiam licentia Commissarij Generalis, ideòque non ponitur in Bulla Hispana. *Resp.* 3 Eucharistia, & alia Sacramenta, per Bullam tam in Ecclesia, quam in privato Oratorio tunc recipi possunt.

Ratio: Quia licèt hoc privilegium pro Oratorio videatur expriml in Bulla, antea tamen iam fuit expressum pro Ecclesia, pro qua minus est privilegium; minus autem in maiori censetur concessum. Ita declaratum fuisse à Commissario Generali, atq; Canonistis, & Theologis Salmanticensibus (inter quos fuere nostri Primarij moderatores Bannez, & Gallo) ait Henriq. lib. 7. cap. 13. in com. lit. P. Ex quibus infero: Eucharistiam, & Sacramenta debere tunc recipi ab habente licentiam, & facultatem, ea ministrandi; quia hoc privilegium conceditur ad recipiendum, non ad administrandum.

* 3 *Resp.*

* 3 *Resp.* 4. Per Bullam possunt mortuorum corpora tunc sepeliri in loco sacro, moderata pompa; hoc est cum ea, quæ, si non est determinata ab Episcopo, vel eius Vicario, possit determinari à Parrocho, & prudentibus ad medium pompæ alterius temporis. *Ratio*: Quia ex *D. Tho.* 2. 2. *q.* 47. *art.* 7. Attingere medium est finis virtutis moralis; sed qualiter, & per quæ homo in operando attingat medium rationis, pertinet ad rationem prudentiæ. Ex quibus infero.

1. Clericos, qui de Iure communi clausis ianuis, & cum Missa possunt tunc sepeliri (& sine Officio in Ecclesia specialiter interdicta) si ipsi non sint personaliter interdicti, ex cap. *Alma Mater*, & cap. *Quod inter de pœnit. & remiss.* egere tunc Bulla vt sepeliantur cum moderata pompa. Laicos autem (quibus tunc prohibitum est sepeliri in loco sacro) posse virtute Bullæ sepeliri cum moderata pompa (in Interdicto generali, non verò personali, vel in Ecclesia specialiter interdicta.) Et vt addit Palaus, cum Missa, sicut Clerici sine Bulla; quia omnibus aliquid conceditur per Bullam.

2. Bullam defunctorum ad hoc non prodesse sed vivorum in qua hæc gratia conceditur, debet quæ accipi, vel peti in vita, vt dictum est. *Additque* Nuñ. §. 7. *Notandum est quod etiam infantes non possunt admitti ad sepulturam Ecclesiasticam nisi pro illis accipiatur Bulla.* De excomunicato vide hic n. 4. & nota non posse sepeliri, quin prius ab excomunicatione absolvatur.

* 4 *Dic*: Tempore Interdicti omnes, qui possunt per Bullam audire Missam, recipere Sacramenta, & interesse divinis, tenentur ad hoc, tempore ab Ecclesia præcepto? ***Dico*** : Teneri, & etiam famulos, peccabuntque Domini si eos impediant sine vrgente necessitate. Ita probabilius D. Tho. discipuli, cum Ledesma de *Euch. cap.* 22. *dub.* 2. *cl.* 16. & Galleg. *dub.* 28. Ubi notat falso Dianam adducere Ledesmam, & Suarem pro contraria sententia, de qua Suarez *in* 3. *p. D. Thom. tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 6. alt: *Non est practicè probabiles.*

Ratio: Quia Interdictum non tollit Ecclesiæ præceptum, sed privat, prohibet, & impedit adimpletionis actum; vt potè est pœna privans Sacramentis, Divinis Officijs, & Ecclesiæ ingressu: Ergo cum per Bullam tollatur hoc impedimentum, instat, & obligat suo tempore Ecclesiæ præceptum. *Antecedens*, in quo stat æquivocatio contrariorum, patet in natura Interdicti, & his exemplis: Catenæ detinentes vinctum, non tollunt Ecclesiæ præceptum; nec Inopia tollit debitum. Unde catenis ligatus, qui non tenetur audire sacrum pro tunc, tenetur cum liberatur per Privilegium: Et Inops qui non potest solvere, & excusatur pro tunc à debito, tenetur, cum per gratiam sibi factam, datur posse ad solvendum. *Nec privilegium* Bullæ tunc est gravamen; sed emolumentum, quo posito, Ecclesiæ præceptum obligat.

Oppono 1. Nemo tenetur vti privilegio, sed potest non vti, cum vult; ex cap. *si tua de privig.* ne favor in gravamen reddatur *reg.* 61. *de reg. Iur. in* 6. Ergo. 2. *Tunc* est obligatio non audiendi Missam, interdicti præcepto: Ergo non est obligatio audiendi. 3. *Qui vi*; vel ægritudine detinetur domi, non tenetur audire Missam in Oratorio privato: Ergo pariter.

Ad 1. *dist. aut.* absolutè, & præcisè ***concedo***, ex suppositione alicuius præcepti seu obligationis *neg.*, vt patet dictis exemplis: & in Clericis, & Religiosis, qui multories non possunt renunciare privilegio Canonis, & alijs: & in privilegiato ad dicendas duas, vel tres Missas eadem die, qui potest aliqua obligatione, seu præcepto ad id teneri. *Ad* 2. ***Dico***, cum Cenedo, non esse præceptum positivum, sed privationem divinorum. *Ad* 3. Permisso antecedenti *neg. conseq.* quia in illo non tollitur impedimentum excusans, nempè vis, vel infirmitas; benè verò in isto per Bullam. Præterea audire Missam in privato Oratorio est de se odiosum, & præter Canones; cum celebrare in eo sit prohibitum per Trid. ob reverentiam SS. Sacramenti, qua melius quam alia causa excusatur tunc ab audiltione Missæ: *Cum longè melius sit Missam non audire, etiam si dies festus sit, quam celebrare in domo, maximè si crebro fiat, & sine rationabili causa*, ait cum Ledesma, *Trull. §. 3. dub. 6.* conformans Trident. *sess.* 22. *cap.* 9.

QUÆRO II. Ad quid valet Bulla pro Oratorijs? *Nota*: Oratoria, alia esse publica, seu Heremitoria authoritate Episcopi erecta, & publicam portam habentia: Alia privata, & absque publica porta, erecta nempè vel ab Episcopis vbique e fuerint pro seipsis; vel à Regularibus, iuxta sua privilegia sine præiuditio Parrochorum, & non contradicentibus Episcopis. Alia concessa à Papa alicui Prænobili absque vlla limitatione. In his ergo omnibus possunt omnes Missam audire, etiam pro adimplendo Ecclesiæ præcepto; cum hoc non determinet locum, nec obliguet ad audiendum in Ecclesia vel propria Parrochia, vt cum *Delugo*, & *Caiet. Nuño*, declaratione Congregat. *Trid. & Decret. Clem. VIII.* latè probat Busemb. *lib.* 3. *Tr.* 3. *cap.* 1. *dub.* 3. & 4.

Præter hæc sunt alia Oratoria privata concessa per aliquod Breve à Papa, visitanda tamen ab Episcopo, & cum aliquibus limitationibus, nempè vt qui non sunt familiares domus non sint exempti diebus festis ab audienda Missa in propria Ecclesia; vel in aliquibus principalibus solemnitatibus; vel quod solum dicatur vna Missa; vel sub alia limitatione; quæ omnia attendenda sunt in Brevi; quia aliter non implent præceptum Ecclesiæ, cum non faciant vt Papa pro eis disponit, & peccant graviter faciendo contra eius præceptum in re gravi. Hoc notato.

* 6. *Resp.* 1. Per Bullam conceditur supradictis posse in privatis his Oratorijs celebrare vel facere celebrare (præterquam in die Paschatis) Missam audi-

audire, etiam cum adimplectione præcepti, & recipere Sacramenta, omni tempore, absq; prædictis limitationibus. *Ratio*; quia totum hoc in Bulla conceditur sine dictis limitationibus: *etiam tempore Interdicti*, vt patet n. 1. Ergo supponitur concedi alio tempore; cum sit minus odiosum, & ly *etiam* sit propriè ampliativum, etiam in odiosis, vt asserunt *DD.* & declarat Comiss. in Bulla Hispana dicens: *aun en tiempo de Entredicho*. Vnde limitationes Brevium, cessant hoc Privilegio remunerativo Papæ; vt tenet communis DD. & vsus fidelium.

Dixi *præterquam in die Paschatis*; quia eo die nequit ibi per Bullam celebrari, vt contra Mendo ait noster Galleg. eo quod illa exceptio Bullæ refertur ad omne quod antea concesserat, & non solùm ad annuam communionem. Unde in die illo nequit ibi etiam ob devotionem communicari, nisi aliundè licentia, vel privilegium detur celebrādi. Si autem hoc detur, poterit ita fieri; quoniā communio excepta est, quæ fit pro annuo præcepto, cū hęc debeat esse de manu proprij Pastoris suas oves recognoscentis iuxta Sacros Canones, non verò quæ fit ex devotione, sicut solet fieri in Ecclesijs Regularium in die Paschatis. Ita Nuño *in* 3. *p. D. Tho. q.* 82. *art.* 3. Ioann. à Cruce, & alij apud *Gallego hìc dub.* 36.

Nota tamen, maximè necessariam esse discretionem in vsu huius Privilegij, & privati Oratorij, contra plures huius temporis abusus. *Tum*, quia S. Congregat. Concilij ann. 1648. die 14. Novemb. statuit: Privilegium Bullæ non suffragari pro huiusmodi Oratorijs, Altaribus, & Missarum celebratione, vt refert *Diana p.* 9. *Tract.* 1. *resol.* 5. Quamvis verum sit non constare autenticè loqui de his Oratorijs, sed de alijs sine authoritate Papæ, vel privilegio Bullæ erecti; vt ipse ait. *Tum etiam*, quia maximo motivo prohibitum est per Sacr. Canon. *Tum, vt fideles* Ecclesias frequentent, sacramq: doctrinam, & divinum audiant verbum. *Tum ob* reverentiam tanti sacrificij, & SS Sacramenti, qua (vt scribit P. Antonius del Castillo) ipsa Cœli Regina numquam voluit in sua domo celebrari; sed in Ecclesia, quæ nunc extat in monte Sion suæ domui vicina, Missam quotidie audiebat, & Eucharistiam de manu Evāgelistæ Ioannis sumebat: *Magna Christianorum confusio! qui hodie in lecto adhuc iacentes volunt in suo celebrari cubiculo. Forsitam ob hoc castigati sumus à Deo.* Ait prædictus Pater. Vide nostrū Ribera *Hist. SS. Sacram. Tract.* 16. §. 8.

* 7 *Resp.* 2. Per Bullam non conceditur facultas ad erigendum privatum Oratorium; nec ad prolongandum tempus iam finitum, vel numerum personarum (si iam obierunt) pro quibus fuit cōcessum; Nec Commissarius Generalis potest hoc concedere. *Ratio* 1. *p.* Quia Bulla solùm conceditur posse celebrari in Oratorio visitando, & approbando ab Ordinario, quod supponit Oratorium iam erectum; sicut cum conceditur licentia dicendi Missam in Ecclesia, supponit Ecclesiam.

Ratio 2. *p.* Quia approbatio Episcopi cum licentia limitata Papæ, est limitata secundum ordinationem sibi à Papa factam: ergo & facultas celebrandi, & Oratorij vtendi: sicut de confessario limitate approbato dicemus infra, ex novissimo Decreto, non posse per Bullam vltra tempus approbationis eligi. *Ratio* 3. *p.* Quia quamvis cum plurium sententia, Commissarius Generalis antea concesserit talem licentiam; tamen Gregor. XV. ann. 1622. die 20. Maij missa Epistola ad Card. Ludovisium, Illustrissimum Hispaniæ Nuntium mandavit declarari Commissario Generali, non posse, nec potuisse talem licentiam concedere, vt refert P. Moya *Tract.* 2. *de Relig. disp.* 3. *q.* 1. §. 4. *n.* 16. Simulque aliam declarationem à Clem. IX. ann. 1668. die 28. Octobris factam Illustrissimo Domino D. Antonio de Benavides tunc Commissario Generali.

Et nihil mirum, cum talis facultas (extra vrgentem gravem necessitatem) ablata sit Episcopis per Trid. iuxta declarationem Congregationis, vt ait Marcilla supra cit. n. 52. Et Paulus V. eam abstulit Nuntio, & Episcopis vt ait cit. *Moya* §. 3. *n.* 13. Et ab Urbano VIII. etiam reservata fuit soli Papæ Brevi relato à Diana *part.* 9. *Tract.* 1. *res.* 42.

* 8 *Oppono* 1. *contra* 1. *p.* cum Palao, & alijs: Per Bullam conceditur Oratorium, etiam tempore interdicti: ergo, & alio tempore, quod est minus; patet quæ ex eo quod de futuro dicit Bulla: *In Oratorio visitando, & approbando.* 2. *Contra* 2. Ex Thoma Hurtado, & Arana: Approbatione Oratorij facta, Bulla sine restrictione concedit facultatem, vt diximus: *ergo* etiam si licentia sit finita, & tempus iam sit transactum, & personæ mortuæ, manente Oratorio cum eadem decentia, Bulla dat licentiam: Sicut Regularis absolutè approbatus, etiam si licentia Episcopi sit limitata ad tempus, vel personas, potest sine limitatione audire confessiones; quia posita approbatione, Papa dat ei licentiam, & iurisdictionem ob sua privilegia in iure contenta. 3. *Contra* 3. Cum communi RR. Commissarius Generalis multoties dedit licentiam erigendi Oratorium: Ergo potest: Alias illa Oratoria hodie non valerent.

Ad 1. *Resp.* Quod conceditur vsus, & approbatio de futuro, Oratorio erecto per licentiam Papæ; non verò aliter. *Ad* 2. Quod per Bullam conceditur facultas ad vsum Oratorij, per approbationem, iuxta Papæ licentiam, & ordinationem (& Canonum dispositionem) in quibus limitatur, vt supponitur, & dictum est. Non verò in alijs suprādictis; nec in Regularibus, quibus ab inferiori nequit limitari concessum à Superiori, sine limitatione. *Ad* 3. Quod antea potuerunt iuxta communem sententiam, nunc non possunt ob factam Papæ declarationem. Oratoria autem tunc erecta quia Papa non declaravit esse nulla, potest dici tacitè fuisse approbata; vel melius, quod deserviunt ad orationem.

Observa in fine; quod vtens privilegio dicto, quo-

quoties id fecerit debet facere orationem (ad minus *Pater Noster, & Ave*) pro Principum vnione, &c. Et cum voluntariè eam omittit, peccabit venialiter, quia in levi deficit; poterit tamen Missam audire, & eius præcepto satisfacere; quia illa oratio non est conditio necessaria, sed mandatum; vt ex declaratione Commissarij, & Theologorum Salmant. affert Henriq. & ex eo Galleg.

Oratio autem illa etsi pia opinione multorum) possit esse mentalis, quia excellentior; tamen probabilius est debere esse vocalem; quia caput Ecclesiæ visibili orationem petit sensibilem: & quia ex D. Tho. in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. qla. 1. in corp. *Oratio dicitur quasi oris ratio: Vnde ex suo nomine oratio significat expressionem alicuius actus rationis, per effectum oris.*

§. 2. *De privilegio vescendi carnibus, ovis, & lacticinijs.*

* 9 QUÆRO III. Quid cõceditur in Bulla circà hæc? *Resp.* 1. *concedi*: Vt dicto anno durante in omnibus, & singulis Regnis, Insulis, Locis, Terris, Opidis, & Dominijs prædictis (& non extra illa) carnibus de consilio vtriusque medici, temporibus Ieiuniorum totius anni, etiam Quadragesimalibus, vesci; ac pro eorum libito ovis, & lacticinijs; ita quod qui carnes non comederint, servata in cæteris Ieiunij Ecclesiastici forma, dicto Ieiunio satisfecisse censeantur. *Et sub hoc* indulto vescendi carnibus, ovis, & lacticinijs comprehenduntur omnes cuiusvis militiæ Regulares. *Patriarchis verò*, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque inferioribus Prælatis, necnon alijs personis Regularibus, & qui in ordine Præsbyteratus fuerint, Secularibus, id minimè conceditur, nisi sexagenarij fuerint. Hæc Bulla; ex quibus.

* 10 *Resp.* 2. Vesci carnibus de consilio vtriusque medici conceditur, quando vtriusque iudicio necessitas est dubia. *Ratio*: Quia ex *D. Tho.* 2. 2. *q.* 147. Tunc requirebatur iudicium Episcopi; & ideo sine illo posse vesci, conceditur privilegio Bullæ Vnde quærenti quid hic conceditur, cum medici consilio possit quilibet vesci carnibus? ait Nuño in 3. p. D. Tho. tom. 2. de Bulla §. 8. Melius videtur respondere Fr. Ludovicus Lopez in Exp. Bullæ, quod quando dubium est æqualiter probabile, vtrum infirmitas sit sufficiens, vel non sit sufficiens, tunc arbitrandum est in favorem ipsius infirmi habentis Bullam. Vnde si probabilius sit infirmitatem esse sufficientem, non est necessaria Bula. Inde infero.

1. *Hoc indulto* vescendi carnibus, etiam gaudere Prælatos; Sacerdotes, & Regulares; quia licèt in Bulla Latina in exceptione non sit ita clarum; tamen Commissarius Generalis in Bulla Hispana declarat exceptionem solùm esse pro ovis, & lacticinijs his verbis: *Y en este indulto de comer huevos, y cosas de leche à su albedrio no se comprehendent, &c.* fortè quia hoc conceditur sanis; illud autem infirmis.

2. *Per Medicum* spiritualem intelligi quemlibet Confessariorum approbatum etiam si confessiones dispensati numquam audierit, & etiam extra confessionem, quia ità communiter appellatur: Per Medicum verò corporalem, qui corporibus medendis est deputatus; etiam si Chirurgus, & alius, in locis, facultate medendi peritus. 3. *Indulto* Bullæ carnes comedens non lucratur Ieiuni meritum; quia meritum Ieiunij requirit actum Ieiunij, qui ibi non datur; & vt benè ait Soto in 4. dist. 21. q. 2. art. 1. ad 3. *rationem meriti Papa permutare non potest.*

4. *Qui per* Bullam comedens carnes, propter inapetentiam pisces simul cum eis comedit; si parum sit, & ad movendum appetitum, nihil peccat; etiam si in aliqua Diœcesi (vt in Toletana) sit prohibitum sub excommunicatione; quia ius naturale ad illud habet, & prohibitio non ità intelligitur; peccabit tamen venialiter, si prævidens, & volens, liviter saluti officiat. Si autem pisces in magna quantitate ederet; prævidens probabilius salutis nocumentum, peccabit mortaliter, contra temperantiam; quæ prohibet salutis nocumentum; vt ex Thomist. asserunt. Nuño, Lopez, Ioann. à Cruce. In Diœcesi autem vbi est talis Excommunicatio, & præceptum, peccabit contra hoc, & incurret excommunicationem, si fiat diebus prohibitis ab Ecclesia; Pauco Dei timore, & ex contemptu præceptorum Ecclesiæ, (non aliter) vt ex verbis, & motivo illius Synodi notat Ioann. à S. Thoma in Doct. Christ.

5. *Ad effum* carnium per Bullam dispensatus, non tenetur formam Ieiunij servare; sicque potest eas pluries in die comedere, & cenare. Quia ita colligitur ex mente Pontificis in Bulla; dum pro dispensatis in esu ovium, & lacticiniorum expressit formam Ieiunij obseruandam, & non pro illis. *Tum etiam*, quia abstinentia à carnibus est materia, substantia, & pars principalior Ieiunij; qua deficiente non remanet absolutè Ieiunium, nec materia huius præcepti, si aliunde non constet; ideo in Ecclesia illa multoties intra annum præcipitur sine forma Ieiunij, nunquam tamen hæc sine illa.

Oppono 1. In dispensatione generali facta ab Episcopo pro esu carnium, tenentur, qui possunt, servare formam Ieiunij; vt dictum est Tr. 5. Ex. 4. n. 28. ergo etiam per Bullam. 2. *Qui non* potest servare totum præceptum, tenetur ad partem, vt potest; vt de Horis Canonicis, & laborantibus, quì etsi possint cenare, non tamen carnes comedere, ibi dictum est. Ergo idem. 3. *Tempore* Interdicti tenentur audire Missam, qui per Bullam possunt vt diximus: ergo etiam, &c.

Ad 1. *neg. conseq.* Quia ibi ità presumitur de mente dispensantis ob causam in subiecto requisitam; hic verò non ità, vt diximus, eo quod causa non est quæ in subiecto reperitur, sed qua Bulla conceditur, & quæ semper sufficiens subsistit, vt

di-

dictum est *Ex 1. quæst. 21. Ad 2. &*; Neq; similiter *consequentiam*, quia ibi remanet materia præcepti absolutè loquendo, & quæ de principali in eis se habet, nempè Officium Divinum, abstinentia à carnibus, & Missa; non verò hic. Ita hanc sententiam, quæ communior est & discipulorum D. Tho. (vt ait cum Ledesma Gallego) in concordiâ duco, cum adducta Tr. 5. Ex. 4. n. 28.

* 11 *Resp. 3.* Habentes hanc Bullam possunt vesci ovis, & lacticinijs omni tempore Ieiuniorũ, etiam quadragesimalium; non verò Religiosi, neque Sacerdos, & alij in ea excepti etiam in Dominicis Quadragesimæ; neque in eis Seculares sine Bulla, citra consuetudinem.

Ratio 1. p. Patet in textu, solumque *Nota* ovã, & lacticinia non esse prohibita in Ieiunijs extra Quadragesimam, pro tota Ecclesia, vel adminus in Hispania ob consuetudinem, de quo *Palaus hic disp. vnic. punct. 7. §. 2. n. 3. Ratio 2. p.* Quia in clausula Bullæ Latinæ (quæ est concessio Bullæ lacticiniorum) dicitur: *Vt Quadragesimali tempore, &c.* Ubi clarè videtur non pro diebus Ieiuniorum solùm (in quo fallit Mendo (sed pro toto tempore Quadragesimæ fieri exceptionem.

Tum etiam quia Religiosi, & alijs in ea exceptis negatur idem indultum quod alijs ibi conceditur; ait enim Bulla: *Patriarchis, &c. id minimè conceditur*: Ergo sive indultum sit pro diebus *Ieiuniorum*, vt hic ait Bulla, sive *pro Quadragesimali tempore*, vt ait clausula Bullæ lacticiniorũ, vel: *en quanto à los dias de la Quaresma*, vt ait Bulla Hispana hoc indultum illis negatur: ergo in Dominicis Quadragesimæ illis non conceditur.

Ratio 3. p. Quia certum, & evidens est consuetudinem abstinendi ab ovis; & lactecinijs *in Quadragesima obligare*, vt patet ex Decreto Alexandri VII. *prop.* 32. damnante contrarium, eiusq; congruentiam affert *D. Tho. 2. 2. q. 147. art. 8.* Sed Dominicæ Quadragesimæ sunt in Quadragesimæ: Ergo in illis obligato abstinentia ab ovis, & lacticinijs: & consequenter in illis sine Bulla, vel alio indulto non possunt vesci.

Tum etiam quia in Iure cap. *denique* dist. 4. S. Greg. Augustino Angelo Episcopo ait, loquens de Quadragesima: *Per autem est vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ semẽtiram carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis.* Ubi textus, & S. Greg. non ex quo dies Ieunij sit, sed abstinentiæ à carnibus, prohibet ova, & lacticinia: ergo in Dominicis Quadragesimæ.

Unde ita declarasse Commissarium Generalem *ait Rodrig. hic §. 6. n. 8. &* Ioan. Sanct. in select. disp. 51. n. 21. ait se vidisse declarationem Greg. XIII. cuius est textus Bullæ. Et Diana novissimè *p. 10. Tract. 11. ref. 42.* (ex quo afferunt Remig. & Carsi centur. 1. cap. 1.) ait: *Caveant Authores in posterum sententiam affirmantem absolutè tenere, est vel tanquam probabilem admittere: nam Sacra Congreg. Sancti Officij, & Sacræ Congregationis Indicis Librorum prohibitorum, mensibus, elapsis, mandarunt hanc sententiam à quodam libro deleri, & ita factum fuit.* Nec obstat *in Quadrag.* dist. 5. dici: *Quadragesima summa observatione est observanda, vt Ieiunium in ea (præter dies Dominicos, qui de abstinẽtia subtracti sunt) nullatenus solvatur.* Antiquitus enim Dominicæ non erant de abstentia, vt nunc ex consuetudine obligante.

* 12 Dixi *citra consuetudinem*: quia ex cõsuetudine in Hispania stabilita, in Dominicis Quadragesimæ posse vesci ovis, & lacticinijs testantur benè Mendo, *in Ap. disp. 2. cap. 17.* Leander à SS. Sacr. *Tract. 5. disp. 3. q. 9.* Carsi cit. & alij. Et in hac re multum valet consuetudo, vt patet *ex D. Tho. 2. 2. q. 147. art. 4.* Et vt videre est in dictis Authoribus, Mediolani primis diebus Quadragesimæ licitè carnibus vescuntur, & in Lusitania ovis in tota Quadragesima, & alibi alijs diebus; sicut in Castella extremis animalium Sabbato, ob consuetudinem.

Unde, & si benè *Dian. cit.* dixerit sententiam affirmantem non esse absolutè probabilem, non benè tamen dixit esse contra communem sententiam, & consuetudinem totius Ecclesiæ; quia consuetudo contraria est in Hispania; & alibi; Tum etiam, quia sententia affirmans, valdè communis est, & aliqui D. Thom. discipuli eam probabilem admittunt, licèt nostram vt probabiliorem, & tenendam defendant Nuño *dub. 6. Lop. 2. p. instruc. cap. 212. fol.* 714. Ex dictis infero.

1. *Religiosos*, etiam Laicos, & Moniales dicto indulto non gaudere, quia nomine Regularium veniunt; benè vero gaudere Novitios, & vulgo *Beatas*, quæ votum solemne non habent; quia in pœnalibus nomine Regularium non veniunt. 2. *Regulares* Clericos, vulgo *Freyles*, & Moniales Ordinum Militarium dicto indulto non gaudere; quia licèt Bulla Latina dicat gaudere *omnes cuiusvis militiæ regulares*; tamen Comissarius in Bulla Hispana hoc magis explicat dicens: *Los Cavalleros*; cum ly cuiusvis militiæ regulares denoret, intuitu militiæ cui tales sunt obligati, & vt æquites, ac militares ei concedi; non verò vt regulares, quo modo obligantur perfectioni, sicut alij Religiosi.

Unde malè *P. Maya* dixit, falsum esse quod nost. Martinez de Prado dixerat defendens hanc nostram sententiam, quæ (vt videre est in Ramos, & Mendez) probabilior, & tutior est, licèt contraria plurium gaudeat patrocinio, nosterque Gallego asserat eam esse vsu receptam in celebri Conventu S. Mariæ de Monte, Ordinis S. Ioann. in Diœcesi Toletana. Ubi, meo sensu, consuetudo tribuet, quod privilegio deest. 3. *Religiosos* societatis, qui post biennium simplex votum emittunt, dicto indulto non gaudere, quia ex declarat. Greg. XIII. sunt verè Religiosi, & nomine Regularium, veniunt, eorumque votum castitatis dirimit matrimonium.

4. *Per*

4 *Per alios* Prælatos inferiores hic exceptos, intelligi habentes dignitatem cum administratione perpetua, vt alt Cardinalis *c. 1. n. 1. de Elect. & c. 5. de ætate, & qualit.* Et (vt explicat Commissarius in Bulla lacticiniorum) Abbates; non verò Prælati Regulares, vt malè aliqui dicunt, cum isti iam sint nomine Regularium excepti. Neque Cardinales, nisi sint Episcopi, aut Sacerdotes.

5 *Sexagenarius* horum omnium exceptorum gaudere hoc indulto, vt patet ex Bulla. 6. *Pueros* expleto septennio egere Bulla ad essum ovium, & lacticiniorum in Quadragesima; quia ita consuetudine stabilitur, eo quod in ea ætate communiter adveniat vsus rationis, quo illis prohibetur vsus ovorum. *Ita Galleg. dub. 41. cum D. Th. discipulis.* 7. Bullæ indulto comedens ova, & lacticinia potest perficere ieiunium ad Iubilæum requisitum; quia non magis requiritur ad ieiunium Iubilæi, quam ad rigorosum ieiunium Quadragesimæ, in quo ita perfectè adimpletur præceptum, vt alt Bulla. Unde Gallego, & Ledesma asserunt hoc esse commune in discipulis D. Thom. *& Medin. lib. 1. c. 14. §. 11.* ait esse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem.

Oppono cum Ioann. à S. Thom. Iubilæum petit ieiunium Ecclesiasticum rigorosum, tamquam onerosa conditio ad illud; ergo sine ovis, & lacticinijs; Bulla autem etsi in præcepto dispenset, illud tamen non suplet. *Resp.* Quod vbi ius non distinguit nec nos distinguere debemus, Ecclesia autem non distinguit in suis ieiunijs, & Iubilæorum.

De Bulla lacticiniorum.

* 13 QUÆRO IV. quid est hęc Bulla? Quid concedit? & sub quibus conditionibus? *Resp.* 1. Hæc Bulla est extensio, seu pars; & clausula hic addita communi Bullæ vivorum, pro exceptis in ea, ad essum ovorum, & lacticiniorum, per concessionem Urban. VIII. his verbis factam: *Venerabilibus Patribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs inferioribus Prælatis, necnon Presbyteris Secularibus, prædictis dumtaxat, vt Quadragesimali tempore (hebdomada tamen maiori excepta) ovis, similiter, & lacticinijs pro eorum libito vti, & vesci Apostolica authoritate tenore præsentium indulgemus.*

Resp. 2. Ex hac clausula, Comissarius Generalis N. Fr. Anton. de Soto-Mayor, Archiepiscopus Damasci, ac Generalis Inquisitor eduxit, & computavit Bullam lacticiniorum sub hoc titulo: *Bula concedida por la Santidad de Vrbano VIII. y mãdada publicar por N. muy S. P. N. para los Patriarcas, &c.* Hæc quæ adhuc durat. Ex his infero.

1 *Cardinales* si non sint Religiosi, aut Sacerdotes, vel Prælati Ecclesiastici, non indigere hac Bulla; quia in communi Bulla non sunt excepti, vt diximus, & sic cum illa possunt edere ova, & lacticinia. Si sint Religiosi, aut Canonici Regulares qui etiam verè Religiosi sunt) & non habent aliquam ex supradictis dignitatem, nec illa Bulla, nec ista possunt vesci ovis, & lacticinijs; quia in illa sunt excepti, & hæc *conceditur Præsbyteris Secularibus prædictis dumtaxat.* Ratione autem Cardinalatus non sunt absoluti ab obligatione abstinendi ab ovis, & lacticinijs in Quadragesima, quæ ex iure *c. deniq; dist. 4.* omnes fideles obligantur.

2 *Religiosos* habentes aliquam ex supradictis dignitatem, nempè Patriarchatus, Episcopatus, &c. posse hac Bulla gaudere; quia absolutè, & sine exceptione conceditur *Patriarchis, &c.* Non posse tamen si ex ordine Minimorum sint assumpti, vel ex alio capite teneantur, vt isti, ob votum perpetuum abstinentiæ Quadragesimalis, vt benè alt Mendez ex Peirin tom. 3. addit c. 14. concluſ. 2.

3 *Prælatos* Regulares non posse ea guadere; quia nomine Prælatorum Inferiorum hic exprimitur intelligi Abbates (Benedictul, nempè, qui habent Ecclesiasticam iurisditionem) non alij; cum eis idem onus, immò maius exemplum, ac suis inferioribus, incumbat. 4. *Diaconos* in Quadragesima ad Præsbyteratus ordinem ascendentes, iam non posse tunc vesci ovis, & lacticinijs communi Bulla; quia in illa iam sunt excepti ratione Sacerdotij; vnde indigent ista.

5 *Extra loca* Hispaniarum non posse frui hac Bulla; sicut diximus de communi supra n. 9. quia hæc pars illius est. 6. *Dominica* Palmarum non posse hac Bulla vesci ovis, & lacticinijs; quia in ea excipitur maior hebdomada, quæ septem dies includit incipiens à Dominica. Neque communi Bulla posse vesci, citra consuetudinem, dictum est supra n. 11. 7. *Annum* durationis huius Bullæ esse numerandum sicut de alia diximus n. 27. in hoc E.

* 14 *Resp.* 3. Ad fruendum hac Bulla necesse est eam accipere, sicut de communi dictum est, & dare elemosynam taxatam à Comissario Generali sub hac formâ:

Primeramente las Bulas de tassa de à veinte y quatro reales, se han de dàr, y han de servir para los Patriarcas, Primados, Arçobispos, Obispos, y Abades. Item, *las Bulas de tassa de à ocho reales, se han de dàr, y han de seroir para las Dignidades, Canonigos de las Iglesias Catedrales, y Colegiales.* Item, *las Bulas de tassa de à seis reales se han de dàr, y han de servir para los que huvieren Raciones, ò medias Raciones, Curatos, Beneficios simples, ò servidores, cuya renta no baxe de trecientos ducados.* Item, *las Bulas de tassa de à quatro reales se han de dàr, y han de servir para los que tuvieren Beneficios, Capellanias, ò Pensiones, ò renta que no baxe de ducientos ducados.* Item, *las Bulas de tassa de à dos reales se han de dàr, y han de servir para los demàs Clerigos.* Exquibus infero.

1 *Patriarchas*, & alios habentes supradictas dignitates, & Episcopos iam confirmatos à Papa etiã si non habent possessionẽ, vel potestea renuntiaverint Episcopatui, etiamque Episcopos Titulares vulgo de *Anillo*, & etiam Canonicos Cathedr alium, & Colegiatorum, teneri ad dandam elee mosynam

supra taxatam, etiam si redditus non habeant; quia taxa solùm ponitur pro dignitate, & nulla in his fit mentio de redditibus, sicut in alijs Sacerdotibus. Unde si non dant taxatam eleemosynam, etiam si hanc, vel communem Bullam accipiant peccabunt mortaliter vescendo ovis, & lacticinijs; quia nullum habent privilegium, vt benè ait *Galleg. dub. 57.*

2 *Coadjutores* Canonicorum non teneri ad taxam signatam pro Canonicis (idem dic de coadjutoribus dignitatum, quia coadjutor Canonici non est verè Canonicus, etiam si habeat votum in capitulo, & sedem in Choro; sed est Canonicus in spe, & habensius ad rem, sicut filius Regis vivente Patre: Et ita declarasse Paulum V. anno 1606. testatur P. Suarez, seque vidisse Breve, & ex eo Raphael de la Torr. 2.2. *D. Thom. q. 83 post art. 17.* Unde coadjutores, hoc titulo, non tenentur ad Horas Canonicas recitandas; possùt tamè teneri ex alio pacto, vel onere impositò à Papa in Bulla, aut ex ordine sacro, sive beneficio Ecclesiastico.

3 *Redditus* trecentorum ducatorum (idem dic de alijs) intelligendos esse de bonis Ecclesiasticis, & ratione Beneficij Ecclesiastici acquisitis; non verò de bonis Patrimonialibus, & propria industria habitis; quia taxa dicit: *Para los que huvieren Raciones, &c. cuya renta, &c.* Nomineque redditum etiam venire distributiones, præsertim si Beneficium nullos alios redditus habeat, etiamque emolumenta Ecclesiastica ratione Beneficij per se (non per accidens) habita; quia hæc omnia sunt redditus, quamvis non fructus. Non verò computandæ sunt Missarum eleemosynæ, quæ non debentur Beneficio; quia potest per se, vel per alium, vel non celebrare Sacerdos.

4 Summam illam intelligendam esse deductis omnibus oneribus, & expensis illorum Beneficiorum; quia taxa dicitur: *Cuya renta no baxe, &c.* si tamen Beneficiatus det partem alij, qui pro se inserviat Beneficio, hæc pars non deducenda, sed computanda est in redditibus, ac si ipse inservirèt.

5 *Si redditus* non attingant illam summam, etiam si modica sit distantia, non teneri ad taxatam eleemosynam, sed ad minorem; ob eandè rationè.

6 *Non Sacerdotes* (& qui Capellanias Laycales habent, & non tenentur ad officium) non teneri ad hanc Bullam accipiendam; quia in alia non sunt excepti, & sic cum illa possunt vesci ovis, & lacticinijs.

* 15 *Dic*: Quid sentis de privilegio vescendi ovis, & lacticinijs in Ieiunijs Quadragesimæ, speciali Bulla concesso à Leone X. Conventibus de Veles, & Sancti Marci Lugduni, Ordinis Militarium S. Iacobi possunt eo gaudere omnes Regulares? & Conventus eiusdem Ordinis? *Affirmat* Ioann. à Cruce de statu Real. *tib. 1. c. 6. dub. 22. conc. 2. Negat* accerrimè Pat. Moya *Tract. 6. misc. q. 2. n. 10.* Sed vt breviter, & probabilius hanc, & gravissimam dificultatem de communicatione privilegiorum resolvam.

Dico: Non gaudere alias Religiones eo privilegio, neque alios Conventus eiusdem Religionis nisi isti habeant Bullam communicationis privilegiorum, & idè, vel æquivalens motivum concessionis illius privilegij. *Ratio* 1. Quia *in c. Capella de privileg.* decernitur, concessum vni Ecclesiæ, Provinciæ, aut loco, non posse extendi ad alios: quod in Religionibus intelligitur de concesso ob speciales rationes, vel circunstantias singularissimas. 2. *Quia* communicatio privilegiorum non habet locum in exorbitantibus, nec in illis, quæ rarò, aut magna difficultate conceduntur: Et ita multoties declarasse esse à Rota Romana ait Moya, *iuxta reg. 81. de reg. Iur. in 6. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis verosimiliter interrogatus, non esset in specie concessurus.* 3. *Quia idem Leo X.* qui dictum Privilegium concessit, declaravit communicationem privilegiorum non intelligi de concessis particularibus domibus, Conventibus, aut personis, aut ex suplem. Minorum *fol. 59. concess. 157* tradit Moya. Quod intelligo, cum non habent aliam Bullam; & concessio ob singularissimas circunstantias facta est. 4. *Quia* concessum vni Religioni (præsertim Militari) non communicatur alijs si vergat in detrimentum perfectionis, & observantiæ Regularis, vt ex Bulla aurea Sixti IV. & alijs tradit benè Anton. à Spir. Sanct. in *direct. Reg. Tract. 1. disp. unic. sect. 3. 5. Quia* Bulla Cruciatæ excipiens Religiosos, si sexagenarij non sint, denotat illis non communicari hoc privilegiū.

Tandem: quia privilegia concessa vni Religioni, Conventui vel Ecclesiæ ob specificam, & specialem rationem ordinis, Ecclesiæ, vel Monasterij, non communicantur alijs. Neque concessa per Brevia particularia præcedente decreto, vel examine Congregationis; v.g Privilegia alienandi bona, recitandi de aliquo Sancto, vel ponendi in Breviario, &c. Neque privilegia ad tempus; (idem dic de Indulgentijs) quia hæc omnia reputantur inter ea, quę rarò, & difficillimè conceduntur, sunt quæ privilegia localia, & personalia, vt benè Salmant. *tom. 4. Tract. 18. c. 1. p. 7. §. 3.*

Oppono: In Mendicantium Ordinibus, Conventibus, & Individuis, & qui cum eis communicant, certissimè datur communicatio privilegiorum, vt constat ex varijs Bullis, & videre est in cit. Authoribus, & nostro Donato *tom. 1. Tract. 2. q. 4.* Ergo in dicto privilegio datur communicatio.

Resp. Quod dicta communicatio intelligi debet discretè, & verosimiliter, iuxta dicta hoc modo: In quibus datur eadem ratio, similis, vel æquivalens propter quam Pontifex ea concessit, nempè eadem, similia, vel æquipolentia obsequia Dei, aut Ecclesiæ, tunc communicatio currit de Religione ad Religiones; de Communitate, Congregatione, vel Confraternitate ad similes; de Conventu ad Conventus, de Ecclesia ad Ecclesias, de festivitate ad festivitates, de Prælato ad Prælatos; de Religioso, vt pars est (non vt persona particularis, & habens privilegiū personale, & mębrū Congregationis,

nis ad alios Religiosos. Quæliber tamen Religio attendere debet ad suas communicationis Bullas, & earum clausulas non excedere. Videantur *Salmant. cit.*

Ex dictis colligo: habentes privilegium vescendi ovis, & lacticinijs quamvis Regulares, aut Sacerdotes sint, posse communi Bulla, & sine hac lacticiniorum, vesci ovis, & lacticinijs; quia illa Bulla suspendens privilegia, revalidat ea postea accipientibus illam. Similiter cum privilegium extenditur ad omnes discumbentes ad Domini mensam, vel eius expensis, licet vesci etiam Sacerdotibus, & Regularibus; quia non excipiuntur, vt supponitur, in privilegio, & sufficit Dominum, cui concessum est, habere Bullam communem; & vt notat Trull. in Corona Aragoniæ, aliqua familiæ Nobiles sunt habentes tale privilegium.

§. 4. *De Indulgentijs partialibus, & participatione bonorum operum.*

* 16 QUÆRO V. Quid circa hoc concedit Bulla, & quomodo intelligitur?

Resp. 1. Hæc est Bullæ concessio: *Item eroganti es prædicti, qui diebus Ieiunio non suppositis ad implorandum Divinum auxilium, pro vnione, & victoria prædictis, voluntarium ieiunium, vel si ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium arbitrio eorum Confessoris, vel Parrochi assumpserint, & simul preces ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, toties quoties id fecerint, dicto anno durante quindecim anni, & totidem quadragenæ de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxantur. Et insuper omnium præcum, eleemosynarum, peregrinationum, etiam Ierosolimitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniversali Militante Ecclesia, & singulis eius membris fiunt, participes reddantur.* Ex quibus infero.

1 *Ieiunio ex voto*, lucrari hanc gratiam; quia ex *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 6. & 3. contra Gent. c. 138.* magis meritorium est. Alias peioris conditionis esset, qui votum haberet ieiunandi quinque dies in septimana. Patetque etiam ex Bulla Hispana dicente: *Ayunaren voluntariamente por devocion los dias, que no fueren de precepto*, Ecclesiæ nempè, vel Confessoris, ait Nuño extendens hoc etiam ad iucrandum Iubilæum.

2 *Oratio* (sicut, & Ieiunium) debet esse pro victoria, & vnione prædictis. Sufficit tamen intentio virtualis ex D. Thom. & eius discipulis 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. Debet etiam esse totaliter libera à præcepto, vt S. Bonavent. & Silvestro ait *Nuño*; quia debet esse opus super erogationis: & hoc semper, & quando Pontifex requirit aliquid ad lucrandas Indulgentias, si regulariter fieri potest, & patet in Ieiunio, quod ad maiorem explicationem hic in Bulla exprimitur.

3 *Ieiunium* non posse in orationem commutari (vt benè Nuño, & Galleg. contra Rodrig.) quia in Bulla exigitur commutari in aliud opus pium, simul cum oratione, sicque potest commutari in disciplinâ, eleemosynam, vel alia opera misericordiæ.

4 *Quod oratio* (vocalis vt dictum est supra n. 9.) non est sufficiens si brevissima sit ad lucrandam totam huius concessionis gratiam; quia debet esse proportionata, & secundum proportionem, lucrabuntur gratiâ huius concessionis, & bonorũ operum participationem, vt ait *Nuñ. §. 9. dub. 2.* Mendo tamen ait sufficere quinq; Pater noster, & Ave.

* 17 *Resp.* 2. Quindecim anni, & sexcenti dies Indulgentiæ huius, non intelliguntur de tempore Purgatorij; sed pœnitentiæ iniunctæ, vel debitæ in hac vita iuxta Sacros antiquos Canones; in Purgatorio autem, de pœnæ remissione proportionatæ tempori totius illius pœnitentiæ. *Ratio* 1. *p.* Quia in hac concessione relaxantur pœnitentiæ; Purgatorium autem non est locus pœnitentiæ, nec in eo datur propriè satisfactio, sed satisfactio, vt patet ex *D. Thom. in Addit. ad* 3. *p. q.* 4. *art.* 3. *ad* 3. his verbis: *Dicendum quod pœna illa quam Animæ in Purgatorio sustinent non potest propriè dici satisfactio; quia satisfactio opus meritorium requirit; sed largo modo dicitur satisfactio, pœnæ debitæ solutio.*

Ratio 2. *p.* Quia sunt pœnitentiæ in Sacramento impositæ, vel quæ debebant imponi iuxta Sacros antiquos Canones, de quo vide Tract. 14. Exam. 3. n. 17. Ergo de tempore huius vitæ. *Ratio* 3. *p.* Quia per pœnitentiam in Sacramento iniunctam remittuntur pœnæ Purgatorij ad eius proportionem: ergo Indulgentia talis pœnitentiæ remittit pœnam illi proportionatam: ergo Indulgentia totius illius pœnitentiæ, & temporis iuxta Sacros Canones iniunctæ, vel debitæ remittet pœnam illi proportionatam; etiam si quis non habeat illa peccata pro quibus pœnitentia debetur, vtpotè ea satisfacit, & æquivalet.

Hæc est valde notabilis concessio, & non contenenda, nec miranda; quia pro omnibus illis pœnitentijs, & multorũ millium annorum, fortè decem anni Purgatorij correspondent ait *Nuñ. tom. 2. in addit. ad* 3. *p.* D. Thom. *q.* 25. *art.* 3. *dub.* 2. de quo infra dicemus.

* 18 *Resp.* 3. Participatio omnium bonorum operum omnium Christi fidelium Ecclesiæ Militantis, intelligitur hic de omnibus impetrationibus, seu meritis de congruo, & satisfactionibus superabundantibus eorum. *Ratio* Ex *D. Thom. op.* 6. *dicēte*: Sicut in vno corpori naturali, operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali scilicet Ecclesia; & quia omnes fideles sunt vnum corpus, bonum vnius alteri communicatur. Apost. ad Rom. 12. Singuli autem alter alterius membra. Unde inter alia credenda, quæ tradiderunt Apostoli est: quod communio bonorum sit in Ecclesia, quod dicitur Sanctorum communionem.

* 19 Sciendum est tamen, quod non solum

virtus Passionis Christi communicatur nobis, sed etiam meritum vitæ Christi; & quidquid boni fecerunt omnes Sancti communicatur in charitate existentibus: qui omnes vnum sunt. Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te. Et inde est quod qui in charitate vivit particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo: sed tamen specialius illis pro quibus specialius fit aliquod bonum. *Hæc D.* Malè ergo Trull. ex Geneb. intelligit ly *particeps* pro socio, & non pro participante.

Rationem prosequitur D. Tho. Nam vnus potest satisfacere pro alio sicut patet in Beneficijs ad quæ plures Congregationes admittunt alios. Sic ergo per hanc communicationem consequimur duo, vnum scilicet quod meritum Christi communicatur omnibus; aliud, quod bonum vnius communicatur alteri. *Hæc ibi.*

Et 1.2.*q.* 114. *art.* 6. Merito congrui, potest aliquis alteri mereri primam gratiam quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiæ proportionem vt Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius Vide supra Tr 13 Ex. 8. num. 4. ex eodem D Tho. quomodo, qui pro alio meretur sibi magis meretur; qui autem pro alio satisfacit, quamvis pro se non satisfaciat. meretur tamen aliquid maius, nempè vitam æternam. Ex quibus infero.

* 19 1. *Quod* in Ecclesia præter Thesaurum Indulgentiarum congregatum ex meritis, & superabundantibus satisfactionibus Christi, (vt capitis, & causæ primæ, ac principalis) B. que Virginis M. & Sanctorum (vt causarum secundarum, ac subordinatarum) manentibus in divina acceptione, præsentia, & complacentia; datur etiam communio dicta Sanctorum, & huius maior participatio cum specialius aliquibus applicatur, vel pro eis fit aliquod bonum.

2. *Quod* satisfactio statim sortitur suum effectum; vnde si antea, vel cum fit, non applicatur saltim virtuali intentione à satisfaciente, vel ab eius Prælato, iam facta, non potest applicari, quia iam non est in eius potestate (cum nullus possit suorum operum facere thesaurum) sed remanet in thesauro Ecclesiæ. Meritum verò etiam transactum potest repræsentari, & sortiri effectum, quia sic videmus peti à Deo per merita Sanctorum, & per Christum Dominum. Et in humanis, quod solutione facta non potest iam aliquid de novo solvi; per merita verò transacta impetrantur Dignitates, & alia.

3 *Quod* satisfactiones alteri applicatæ, ei prosunt iuxta applicantis intentionem, hic tamen remanet sine illis, nisi alter fuerit incapax, eo quod in peccato, gloria, vel inferno; quia tunc ad ipsum reverturtur, iuxta illud Christi Matth. 10. *Pax vestra ad vos revertetur*, & Psalm. 34. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Si verò ipse non indigeat, remanent in Ecclesiæ thesauro.

4. *Quod Papa* potest applicare omnes superabundantes satisfactiones, & merita dicta omnium Christi Ecclesiæ fidelium (& similiter quilibet Prælatus suorum subditorum, quorum, & voluntatum est Dominus) quia subditi possunt eas applicare: ergo & Papa, qui est caput, Pastor, & Prælatus omnium, cum in hoc nihil eis auferat, immò merita augeat: Et hoc est quod facit in hac concessione, Largiens Indulgentias, & applicans merita.

Notent hanc maximam gratiam, qui ex devotione (aut ex constitutione sine præcepto) ieiunant, vt facta oratione dicta vbique, toties quoties, eam consequantur. Maximè cum dicat Mendo, post adhibita requisita participare illos omnia dicta bona opera toto anno Bullæ durantia, si in gratia perseverent. Quod si amittant gratiam, tunc ea non participant; benè tamen post restitutam gratiam.

Oppono: Potest subditus indigere illis bonis operibus: multa enim sunt quotidiana debita nostra; vel potest nolle ea alteri applicari: ergo tunc nec Prælatus, nec Papa potest hoc facere. *Resp.* In superabundantibus, & meritis nihil ei auferri, vnde etiam si nollit, potest applicatio dicta fieri: In necessarijs autem sibi, non fit talis applicatio; quāvis dicat *Sotus in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 1. posse fieri, & valere contra subditi voluntatem. De quo *Nuñ. apud Galleg. dub.* 66.

§. 5. *De Indulgentijs stationum.*

* 20 QUÆRO V. Quænam? Quando? Et quomodo sunt lucrabiles dictæ Indulgentiæ per Bullam? *Nota* quod *statio*, prout hic, idem est ac processio ex vna ad aliam Ecclesiam vel de vno ad aliud Altare, ad gratiarum actionem, vel auxilium à Deo in necessitatibus impetrandum, vt ait Panvin. *lib. de station. Vrbis Romæ.* S. Greg. Papa stationes in certo numero instituit, eisque Indulgentias concessit, vt ait *D. Tho. in addit. ad* 3. *p. q.* 25. *art.* 2. Quo notato.

* 21 *Resp.* 1. Habentibus Bullam concedit Pontifex has Indulgentias his verbis: *Item, qui dicto anno durante in singulis diebus stationum Almæ Vrbis quinque Ecclesias, seu Altaria, seu in illorum defectum quinquies vnum Altare devotè visitaverint, precesque ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, omnes, & singulas Indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ Vrbis tam pro se, quam per modum suffragij defunctis, pro quibus visitaverint, consequantur. Resp.* 2. Incertum est, Indulgentias stationum esse partiales, vel plenarias; probabilius tamen est nunc plures esse plenarias.

Ratio 1. *p.* Quia ex D. Tho sup. cit. & in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. qla. 2. *Eiusmodi Indulgentiæ (quo pergens ad vnam Ecclesiam habeat septem annos Indulgentiarum) à B. Gregorio in stationibus Romæ institutæ sunt.* Inde Cardina-

lis

lis Toletus ait esse Indulgentias annorum. Passerinus negat ratione stationis esse Indulgentias plenarias, aitque se consuluisse viros doctissimos, & diligentissimos Romæ, omnesque vno sensu dixisse incertum esse quales, & quantæ sint.

Ratio 2.*p.* Quia in Ecclesijs in quibus Romæ fit statio plures sunt plenariæ Indulgentiæ, & ideo summarium Bullæ omnibus diebus ponit Indulgentiam plenariam, & in aliquibus Animam de Purgatorio liberari. Et si Rodrig. credimus *hic §.* 8. *n.* 4. Qui Romæ visitat Ecclesiam stationis, non solùm lucratur Indulgentias eius, sed etiam Indulgentias septem Ecclesiarum capitalium.

* 22 *Resp.* 3. Omnibus diebus non lucrantur per Bullam Indulgentiæ stationum, sed tantùm diebus in Missali Romano descriptis. *Ratio*: Quia ita declaratum est Decreto Apostolico sub Innocencio XI. publicato 7. Martij 1678. his verbis: *Indulgentias verò stationum Vrbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus Locis, Ordinibus, aut Personis, diebus tantum stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat.* Vide Tract. 17. Ex. 5. num. 10.

Conformat Decretum verbis illis Bullæ: *In singulis diebus stationum Almæ Vrbis.* Et infra: *Omnes, & singulas Indulgentias stationum.* Et in fine, vbi Pontifex concedit Comissario facultatem vertendi Bullam Latinam in Hispanam: *Additis etiam nominatim pro singulorum notitia diebus stationum*: Ergo non omnes dies sunt stationum, sed determinati, quique in Summario debeant poni vt sunt in Romano Missali, & consequenter in his solùm lucrantur hæc Indulgentiæ Bullæ.

Oppono 1. In Bullæ Hispanæ Summario præter dies stationum Missalis Romani ponuntur novem festivitates B. Virginis: Ergo. 2. *In fine* Summarij Bullæ ponitur hæc linea: *Todos los demàs dias del año se ganan las Indulgencias que en Roma, por auer cada dia estacion en ella*: Ergo omnibus diebus, &c. 3. *Pater* Casarruvios in hac materia versatissimus, & classicus, in compendio privilegiorum verbo Indulg. stat. n. 19. loquens de Ecclesia S. Petri ait: In ea esse septem Altaria: *In quibus per totum annum integrum sunt stationes: attamen diebus festivitatum tam illorum, quam aliorum Altarium sunt in eis stationes, ac infinitæ aliæ Indulgentiæ*: Ergo. 4. *Quia* Bullæ concessio est per modum oneroſi contractus sicque indiget expressa revocatione, vt de ea intelligatur dictum Decretum: Ergo standum est Summario Bullæ, & non Decreto.

* 23 *Ad* 1. *Dico*: Summarium illud ordinatum fuisse à nostro Illust. Sotomayor (vt ait Gallego) iuxta veriorem, inter varias illius temporis, opiniones; nunc autem standum esse dicto Decreto Apostolico. *Ad* 2. *Idem dico*: Et addo ex nostro Mag. F. Francisco Sanchez Provinciali Philipinarum (viro eruditiss. in hac materia) quod in Bullis quæ distribuuntur in Provincijs Indiarum talis linea non reperitur: Unde ipse in Ex. Indulg. *Tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 8. judicavit fuisse sublatam; Sed postea videns in Bullis Hispaniæ adhuc reperiri, ex impressione, & non ex concessione, quæ pro omnibus vna est, consistere iudicat.

Ad 3. ait cit. Auth se habere compendium editum à P. Casarruvios dum viveret, & in eo talia verba non reperiri, vnde ab alijs addita fuerunt, indeque à pluribus transcripta, & in Bulla posita supradicta linea. Sic quam plures deceptiones in rebus facti, præsertim in materia pia, & Indulgentiarum, viris alias doctissimis subrepunt; ideo Innocent. XI. publicari iussit supradictum Decretum. Vide dictum Sanchez in lib. Rosarij cap. 8.

Ad 4. Quod in Bulla non datur talis concessio, immò contrarium constat vt diximus; Summarium autem non fit à Papa, vnde non debuit de eo fieri expressio. Præterea quia dictum Decretum in illa clausula non est revocatorium, sed declaratorium cui stare omnes debemus.

His adde ex Trull quod Indulgentiæ alio titulo concessæ (præter titulum stationis) aliquibus Altaribus in Ecclesijs stationum, per Bullam non lucrantur, quia non sunt *Indulgentiæ stationum*, quæ hic in Bulla conceduntur.

Dic igitur: Quænam sunt dies stationum in Missali Romano descriptæ in quibus possunt lucrari Indulgentiæ? *Dico* dies stationum esse 87. & stationes 89. hoc modo.

A die Cinerum (in quo fit statio in nostro Conventu S. Sabinæ, ibique Cardinales, & Romanum Senatum de manu Papæ cinerem accipiunt) vsque ad Dominicam in Albis sunt stationes omnibus diebus, sicque..... 54

A Dominica in Albis vsque ad Adventum sunt, die S. Marci, seu in Litanijs maioribus: Tribus diebus Rogationum ante Ascensionem: Et in die Ascensionis: A vigilia Pentecostes vsque ad Sabbatum sequens: Tribus diebus temporarum Septembris sicque..... 16.

Item, in quatuor Dominicis Adventus: Tribus diebus Temporarum Decembris: In vigilia Nativitatis: In die Natalis Domini sunt tres stationes in tribus Missis: In alijs tribus diebus S. Stephani, S. Ioannis, & Innocentium aliæ tres, sicque..... 14

Item in die Circuncisionis: In Epiphania Domini: Et in tribus Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ..... 5.

89.

* 25 *Resp.* 4. Dictæ Indulgentiæ plenariæ semel tantùm in die lucrari possunt. *Ratio*: Quia supradicta clausula Decreti Innocentij XI. sic prosequitur: *Declarat: semel autem duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragen-*

agentibus lucrefieri. Hæcque declaratio fuit antiqua opinio *D. Tho. infra cit.* eiusque discipulorum, *S. Antonini 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 3.* Lopez, Paludani, & aliorum apud Gallego hic, contra opinionem dicentium Indulgentiam absolutè cócessam pro aliqua festivitate, die, vel Jubilæo posse lucrari toties quoties; quod nunc iam non est probabile. Ex quibus infero.

1. *Indulgentias* partiales adhuc posse lucrari in eodem die toties quoties, quando concessio est Indulgentiæ perennis. Quia ex D. Tho. in addit. q. 25. art. 2. ad 4. *Quando Indulgentia ad determinatum tempus datur :: intelligitur semel tantùm; sed si in aliqua Ecclesia sit Indulgentia perennis, sicut in Ecclesia B. Petri quadraginta dierum, tunc quoties aliquis vadit, toties Indulgentiam consequitur.* Declaratio autem suprapositi Decreti solùm de Indulgentia plenaria loquitur.

2. *Posse* lucrari eodem die plures Indulgentias plenarias diversis concessionibus, vel titulis, vel Ecclesijs concessas) si non sint cõfirmationes eiusdem) quia Decretum loquitur de singulari concessione, & hic loquimur quando sunt actiones, & concessiones distinctæ, quæ distinctos debent parere effectus. Tum etiam quia Decretum est declaratorium dubij; non verò revocatorium certo concessi.

Unde habens duas Bullas potest eodem die duplicatas lucrari Indulgentias: & si est Religiosus visitans suam Ecclesiam lucratur etiam has Indulgentias: Et si est Confrater Rosarij, vel alterius Confraternitatis hanc concessionem habentis potest hoc alio titulo eas lucrari; quibus si ipse non indigeat (quod raro sit, nam in multis offendimus omnes, & fortè in vna statione est magis dispositus, quam in alia) potest pro Animabus Purgatorij (si applicabiles sunt, vt istæ) applicare.

3. *Posse* etiam toties quoties lucrari Indulgentiam plenariam quando in concessione exprimitur: Ut in Jubilæo pro Confratribus SS. Rosarij in festo Assumptionis à primis vesperis vsque ad diei occasum Solis; quia dictum Decretum cum sit declaratorium solùm loquitur de iure dubio, & quod erat sub opinione; non de certo, & de quo constat in concessione. *Tum etiam*, quia anno 1679. immediato ad dictum Decretum facta fuit ab eodem Innocentio dicta concessio: Ergo per dictum Decretum nec illa, nec similis concessio enervatur.

4. *Ad lucrandam* toties Indulgentiam requiri (si fieri potest, secus si non, vt in communione) quoties fieri opus iniunctum; quia quælibet concessio sua petit actionem, & quælibet Indulgentia cum suo opere requisito adæquatur; sicut quælibet absolutio cum sua pœnitentia sacramentali, causa cum effectu, & conditio cum eo ad quod requiritur. Sic constat ex D. Thom. in addit. ad 3. p. q. 27. art. 3. in sed cont. dicente: *Remota causa removetur effectus, si ergo aliquis non facit hoc pro quo Indulgentia datur, quod est Indulgentiæ causa, Indulgentiam non consequitur.* Et in corp. *Non existente conditione non consequitur illud quod sub conditione datur.*

* 26 *Oppono*: Opere vno potest satisfieri duplici præcepto, & obligatione: V.g. vno Jeiunio potest fieri satis præcepto diei, & voto; vna Missa diei festo, & Dominicæ: Ergo vno opere iniuncto potest consequi multiplex Indulgentia. *Neg. cons.* quia ibi se habent per modum vnius, & ambo adequantur vno fine, obiecto formali, & causa; hìc autem non, vt dictum est. Et *instò arg.* in pœnitentia, & Officio Canonico.

Nota tamen quod cum opus iniunctum ponitur in recto, debet multiplicari ad lucrandas multiplicatas Indulgentias; si verò vnum ponitur in obliquo, & tamquam de conotato, & aliud in recto, istud solùm debet multiplicari: V. g. cum conceditur Indulgentia ei qui cõfitetur, qui communicat, qui visitat Altare, &c. ista ponuntur in recto; cum autem conceditur ei qui contrito, vel confessio, vel communicato recitat, visitat, &c. contritio, confessio, & communio ponuntur de conotato; & recitatio, visitatio, &c. in recto, quæ solùm debent multiplicari. *Ita Nost. Sanchez lib. Rosarij cap. 5.*

Laudo etiam consuetudinem visitantium quotidie, & multoties Altaria pro Animabus; quia pie credi potest de Matre Ecclesia lucrari semper aliquas Indulgentias; & ad minus meritum, impetratio, & satisfactio maximum illis erit emolumentum. Monitos tamen eos vellim ne quotidie publicent stationum Indulgentias; quia contra Decretum dictum; sed simpliciter dicant: faciamus pro Animabus Purgatorij stationes, secundum Ecclesiæ intentionem.

* 27 *Resp. 5.* Dictæ Indulgentiæ lucrantur visitando quinque Ecclesias, vel Altaria, vel in horum defectum, vnum quinquies, preces ad Deum fundendo pro vnione, & victoria prædictis. Ita patet in verbis Bullæ positis *Resp. 1. Ex quibus infero.*

1. *Posse visitari* quinque Altaria, etiam si in loco sint quinque Ecclesia; quia divisive in Bulla conceditur; non autem posse visitari vnum Altare, vel duo quando sunt quinque; quia in horum defectum conceditur illud. 2. *Quinque* Altaria posse visitari in eadem, vel diversis Ecclesijs; quia in Bulla absolutè conceditur. 3. *Quando* non sunt quinque Altaria, sed duo, vel tres, deberi visitari vnum quinquies (conformius ad verba Bullæ) non verò alia, ait ex Nuñ. Galleg. Sed cum in Brevi Innoc. XI. pro Confratribus Rosarij dicatur posse visitari vnum, vel duo, quolibet modo fiant quinque stationes, lucrabantur Indulgentiæ.

4. *Quando* quinque Altaria visitantur, vel in horum defectum vnum quinquies, debent stationes discontinuari, & melius aliquo signo sensibili; quia alias non sunt quinque stationes, sed vna; nec quinquies visitatur, sed semel; & statio, seu visitatio sensibilis distincta debet esse sensibiliter, vt dica-

dicatur quinquies. Et ità practicatur à viris doctis & timoratis.

5. *Altaria* debere esse approbata ab aliquo Prælato ad id iurisdictionem habente, & destinatu ad celebrandam Missam, quamvis in eis adhuc non sit celebrata; quia hæc nomine Altaris veniunt. Immò addunt Trull & Henriq. etiam si non habeant actualiter Aram ob eandem rationem. Tutius tamen est visitare habentia Aram, si fieri potest; cum Ara propriè sit, & constituat Altare.

6. *Altari* in quo Missam quondam celebrare licuit, sed iam non licet, non sufficere ad lucrandas Indulgentias; quia non est absolutè Altare, cum non sit destinatum, nec aptum ad celebrandum. 7. *Sufficere* visitare Ecclesiam fundatam cum authoritate Episcopi, quamvis non sit benedicta; quia absolutè est, & gaudet privilegio Ecclesiæ. 8. Etiam sufficere ad hoc Ecclesiam Interdictam, violatam, aut polutam; quia hæc non sunt impedimenta orationis, sed celebrationis.

9. *Posse* etiam hæ stationes fieri in Oratorio privato; non quia veniunt nomine Ecclesiæ (vt communiter dicitur) cum in Bulla distinguantur antea illis verbis: *Ecclesijs, vel privato Oratorio*; sed quia possunt fieri visitando quinquies vnum Altare, vt ait Bulla.

10 *Qui potest* visitare quinque Altaria intra Ecclesiam, non sufficere existendo extra Ecclesiã ea visitare; quia non visitat moraliter quinque Altaria; si tamen ob multitudinem gentis (vt in parvo opido) non posset intrare Ecclesiam, sufficeret ea sic vnum in Domino cum alijs visitare; quia moraliter, vt pie creditur, iuxta mentem Pontificis visitat ea; sicut ad Jubilæum ita sufficere moraliter visitare Ecclesiã, ait Nuño, quamvis de Altaribus contrariam teneat sententiam. Et ad Missam audiendam sufficere illam moralem præsentiam, communis est sententia.

11. *Posse* visitationes Ecclesiarum vel Altarium interrumpi, visitando alia vna hora, & alia altera; quia in Bulla non exigitur continuatio horarum, sed absolutè dicitur: *Visitaverint, &c.* Non tamen posse alia hodie, & alia cras visitari ad lucrandas Indulgentias (vt putavit Quintanaduenas) quia in Bulla determinatur dies stationum quibus appropiata est Indulgentia, & visitatio iuxta Missale Romanum. Unde si hodie visitaret vnum Altare, vel Ecclesiam, & cras alia nullas lucraretur Indulgentias.

12. *Posse lucrari* Indulgentias visitando Altaria in qualibet hora diei naturalis, à media in mediam noctem; quia hic non exprimitur vsque ad Solis occasum, vt solet in Jubilæis, sed absolutè dicitur: *Diebus stationum*, qui absolutè stant pro naturalibus diebus.

13. *Orationem* iuxta probabiliorem sententiam debere esse vocalem, vt dictum est supra n. 38. quod hic magis convincit Bulla dicens: *Devotè visitaverint, precesque ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint*, devotio autem quæ necessaria est, debet esse, sicut ad Missam audiendam, vel Divinum Officium recitandum. Qualis, & quanta debeat esse hæc oratio? variant Authores: Opinio Trull. (quæ in praxi est) docens sufficere semel *Pater noster, & Ave*, mihi placet, si addas *Gloria Patri*, & Antiphonam, & orationem alicuius Sancti Altaris visitati, vel aliam brevem orationem. Confratribus SS. Rosarij in antiquis Summarijs iniungebatur quinquies *Pater noster, & Ave*; sed in novissima concessione, & Brevi Innocentij XI. hoc iam non exigitur. Unde sufficiet dicta oratio ad faciendas stationes per concessionem Rosarij, sicut per Bullæ concessionem.

Nota hic verba S. Vincentij Ferr. Domin. 8. post octavam Paschæ: Serm. 1. n. 1. *Oratio ordinata per verum Papam, scilicet Iesum Christum, videlicet oratio, vel supplicatio, quæ est Pater noster, & Deo magis est acceptabilis, & nobis magis meritoria, & utilis, quam omnes aliæ* Idem ait S. Thom. op. 7. Vide ibi.

* 28 *Resp.* 6. Omnes dictæ Indulgentiæ possunt applicari per modum suffragij pro Animabus Purgatorij. Ita patet in verbis Bullæ *Resp.* 1. positis. *Tam pro se; quam per modum suffragij pro defunctis pro quibus visitaverint, consequantur.* Pro quo *Nota* hæc verba D. Tho. in addit. q. 27. art. 3. ad 2: *Opus proprium potest quis applicare per intentionem, cuicumque voluerit; & ideo potest pro quocumque vult satisfacere. Sed Indulgentiam non potest applicare ad aliquem, nisi ex intentione eius qui dat Indulgentiam.* Ex quibus infero.

1. *Quod* quando in concessione exprimitur Indulgentiam posse applicari pro defunctis, vel alijs, potest eis applicari, & prodesse; secus si non; vt est commune. Quia ex D. Tho. *Qui facit opus non dat altari Indulgentiam; sed ille qui Indulgentiam sub tali forma facit*; vt hic facit Pontifex. 2. *Quod tunc* oratio non debet fieri pro se nec pro Animabus Purgatorij, vt lucretur Indulgentia, sed pro vnione, & victoria prædictis; quia ita exegitur in Bulla.

3. *Quod* qui applicat Indulgentias pro Animabus, eas sibi non lucrabitur; quia divisive in Bulla conceditur pro se, vel pro Animabus. 3. *Quod in* diebus illis quibus in Summario notatur erui Anima à Purgatorio (tabellisque ad Januas Ecclesiæ; vel pulsibus campanæ publicatur) conceditur visitatione Altarium erui Animam, sicut Romæ, in stratione illius diei: posseque etiam lucrari Indulgentias alias stationum pro se, vel applicare eas pro alijs Animabus. An autem vna, & eadem visitatione totum hoc lucretur? communis sententia affirmat. Tutius tamen est, iuxta dicta, duplicare stationes.

* 29 *Resp.* 7. Probabilius est iuxta dicta Tr. 14. Ex. 3. n. 17. & 21. requiri statum gratiæ ad lucrandas pro Animabus Purgatorij has Indulgentias, tutiusque elicere actum contritionis ante sta-

stationes. *Ratio*, & Regula generalis ad hoc sumitur ex sequentibus aureis verbis D. Thom. in addit. ad 3. p. q. 71. art. 3. In suffragijs, quæ per malos fiunt duo possunt considerari. Primò ipsum operatum, sicut sacrificium Altaris, & quia Sacramenta nostra ex se ipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam æqualiter explent per quoscumque fiant, quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operans, & sic distinguendum est; quia operatio peccatoris suffragia facientis potest vno modo considerari prout est ejus, & sic nullo modo meritoria esse potest, nec sibi, nec alijs. Alio modo in quantum est alterius, quod dupliciter contingit. Uno modo inquantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiæ, sicut Sacerdos dum dicit in Ecclesia exequias mortuorum, & quia illa intelligitur facere, cuius nomine, vel vice facit, vt patet per Dion. in lib. Eccl. Hier. Inde est quod suffragia talis Sacerdotis, quamvis sit peccator defunctis prosunt.

Alio modo quando agit vt instrumentum alterius; opus enim instrumenti est magis principalis agentis, vnde quamvis ille qui agit vt instrumentum alterius non sit in statu merendi, actio tamen eius potest esse meritoria ratione principalis agentis; sicut si servus in peccato existens quodcumque opus misericordiæ facit ex precepto Domini sui charitatem habentis. Unde si aliquis in charitate existens præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamvis illi per quos fiant in peccato existant, magis tamen valerent si essent in charitate, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent. *Hæc D. Tho.* ex quibus infero.

* 30 1. *Quod* si visitatio Altarium in peccato mortali fiat à persona particulari, vt principaliter, & per se agenti non lucrari Indulgentias, & consequenter non posse applicari pro defunctis. 2. Quod si fiat à Ministro Ecclesiæ, vt tali, & ab alijs simul cum eo, posse ab omnibus lucrari, & applicari. 3. Quod si fiat ex ordinatione, vel præcepto in charitate existentis, vel defuncti ante quam moreretur, etiam posse lucrari, & applicari ab his qui in peccato existunt.

Oppono 1. Ioann. 9. dicitur: *Peccatores Deus non audit.* 2. *ex* S. Gregor. in past. *Cum is qui displicet ad interpellandum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* 3. *Peccator* nihil meretur sibi, & cum eius opera sint mortua Indulgentiam non facit suam: Ergo neque Animabus applicabilem.

Ad 1. *Resp.* cum *D. Tho. cit.* ex Gloss. quod ibi loquitur cæcus, non sicut plenè videns; quia oratio peccatoris, non vt peccatoris, sed vt alterius digna est vt à Deo exaudiatur. *Ad* 2. Eodem modo Resp. *Ad* 3. Quod & si peccator non sibi mereatur, eo quod non est capax, benè verò Animæ in gratia existenti; & opera peccatoris, in quantum alterius charitatem habentis viva sunt. *Hæc ex D. Thom.*

§. 6. *De confessario eligibili, & facultate eligendi per Bullam.*

* 31 Nota clausulam Bullæ: Item quo omnes, & singuli prædicti purius ad Deum preces effundere, & efficatius divinum auxilium implorare possint, conceditur, vt possint eligere Confessorem secularem, vel cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinum Regularem, ex his qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantùm approbati fuerint: & ab eo quorumcumque peccatorum, & censuarum (etiam Sedi Apostolicæ, & in Bulla Cœna Domini reservatorum, & reservatarum) plenariam Indulgentiam, & remissionem semel in vita, & semel in mortis articulo; aliorum verò Sedi Apostolicæ non reservatorum, ac reservatarum, toties quoties confitebuntur absolutionem, & remissionem, mediante salutari pœnitentia, secundum culparum exigentiam obtinere. Modo in casibus in quibus necessaria erit per ipsos, vel dato impedimento per heredes, aut alios satisfactio fiat. Et illis vota omnia (vltramarino, castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium huius expeditionis per eundem Confessorem commutari. *Hæc Bulla.* Circa quæ.

* 32 QUÆRO VII. A quo Ordinario, & qualiter debet esse approbatus confessarius per Bullam eligendus? *Resp.* 1. Ab Ordinario Diœcesis, seu Loci in quo pœnitens degit, vel ad confessionem requirit Confessarium, qui sive secularis, sive Regularis, per Bullam non potest excedere limites suæ approbationis. *Ratio*: Quia ita iam decisa est hæc gravissima (& variè litigantium) quæstio à Sede Apostolica novissimo Decreto: *Cum sicut non sine gravi* ab Innocent. XII. anno 1700. edito, & in Hispania publicato vsque recepto. Ubi Pontifex declarat sequentia.

(1.) *Tenore* præsentium decernimus, & declaramus, Bullam Cruciatæ Sanctæ nihil novi iuris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem Confessariorum contra formam eiusdem Concilij Trident. & prædictarum constitutionum Apostolicarum. (2) Adeo vt confessarij tam Seculares, quam Regulares quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ, à pœnitentibus ad audiendas eorum sacramentales cõfessiones electi, nullatenus confessiones huiusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarij, & Episcopi Diœcesani Loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt. (3) Nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab alijs Ordinarijs aliorum locorum, & Diœcesum obtentam; etiamsi pœnitentes illiorum Ordinaroirum, qui confessarios electos approbassent, subditi forent.

(4) *Confessiones* autem aliter, & contra earundem præsentium, aliarumque Apostolicarum con-

constitutionum formam deinceps faciendas,& excipiendas respectivè,præterquam in casu necessitatis in mortis articulo, nullas forè, irritas, & invalidas. (5) *Et confessarios ipso* iure suspensos esse , & etiam tigidè puniendos ab ipsis Ordinarijs locorum.

(6) *Porrò* quamcumque contrariam opinionem, tamquam falsam temerariam, scandalosam, & in praxi perniciosam, prætenso quovis contrario vsu, contrariaque consuetudine , etiam antiquissima minimè obstantibus , motu, scientia,deliberatione , & potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus , & reprobamus : Contrariumque vsum , ac contrariam consuetudinem huiusmodi pœnitus , & omnino abrogamus , & abolemus. *Hæc Pontifex.* Et supradictam opinionem docentes , tuentes , & ad praxim deducentes subijcit pœne excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Sedi Apostolicæ reservatæ: Ex quibus infero.

* 33 1. *Decretum* hoc n. 1. confirmare Decreta iam antea edita à Paulo V. Urbano VIII. & Clemente X.circa approbationem Confessarij etiã Regularis requisitam;& quia declarativũ, ex Cathedra,& in ordine ad mores, sui sola notitia obligat.Unde Decretum Clementis X. positum Tract. 13.Ex.5.n.35.quoad hoc iam in Hispania viget, quamvis aliqui contrarium oppinati fuissent.

2.*Vi harum* declarationum manere iam improbabiles plures communes opiniones. Unde approbatus cum limitatione temporis,Loci, & Personarum, non potest aliter eligi;nec qui in vna Diœcesi est approbatus, potest per Bullam in alia eligi. Quia , vt Papa declarat, Bulla in approbatione nihil iuris confert,sicque in illa, manet confessarius cum Bulla idem ac sine ea.

3. *Approbatum* pro Secularibus etiam mulieribus,non posse virtute Bullæ eligi pro Monialibus,& approbatum pro vno Conventu non posse pro alio, & approbatum pro tempore , aut extraordinario , finito tempore , & munere non posse eligi: Quia ita iam statutum fuerat à Clemente X. addicidendas dubitationes , & varietates opinionum, occasione privilegiorum,etiam ex contractu oneroso ibi revocatorum , de quo *Cardenas tom.* 4.*disp.6.cap.6.art.* 5. *q.* 4.

4. *Approbatum* pro hominibus tantùm,etiamsi Regularem,& ob defectum etatis, non posse eligi pro mulieribus, quia non est simpliciter approbatus; defectusque etatis potest esse sufficiens causa ad sic limitaram approbationem , quod iam fuisse declaratum à Sacr.Congregatione anno 1595. ait Noster Illustr. Aranjo.

5. *Si approbatus* simpliciter habet iurisdictionem limitaram non ob defectum scientiæ;sed quia Vicarius foraneus , v. g.Matriti , noluit , aut non potuit eam extendere vltra suum territorium;tunc potest per Bullam eligi in tota Diœcesi,v g. Toletana; quia iste iam est simpliciter approbatus , & Bulla,supposita approbatione, dat iurisdictionem.

6. *Approbatum* ab Ordinario,etiam si non exposítum (quod fieri posse docent Ledesma , & Galleg.licèt regulariter simul fiat , cum aliud sit approbare,& aliud dare iurisdictionem vt patet in Parrocho,qui à Iure est approbatus , & tamen sine alio privilegio, vel consuetudine non habet iurisdictionem nisi in suas Oves) posse eligi per Bullam;quia hæc approbato dat iurisdictionem.

7. *Qui parrochiale* beneficium obtinet (etiamsi Regularis) potest vbique terrarum eligi per Bullam;quia cum ad Curatum iudicatur idoneus manet ita à Iure antiquo approbatus (nisi ob defectum scientiæ vel morum sit in hoc Ilmitatus)*Tridentinumque sect.* 23. *cap.* 15. cum ita iudicat approbatum, dum tamquam vniversalius minus vniversali æquiparat cum approbato ab Ordinario , sic : *Nisi aut Parrochiale Beneficium,aut ab Episcopis: approbationem,quæ gratis detur obtineat.* Quod autẽ dicitur de vno æquiparato debet, & dici de alio. *Ex reg.Iur. cp.si post quã de elect. in* 6.Ita cũ pluribusLedesma,& *Galleg.dub.* 83.

Si autem actu non obtineat tale beneficiũ,quia vel renuntiavit , vel permutavit , vel eo privatus fuit, non potest eligi;quia Concilium loquitur de præsenti,sicque non sufficit de præterito obtinuisse: Sufficeret tamen in approbato simpliciter , qui abfuit ab illa Diœcesi,vt cum redit possit eligi (si licentiæ non revocentur) sine nova approbatione, vt asserunt *Cardinal.de Lug.& Mendo.*

8.*Qui titulo* solùm colorato,& apparenti, à verò tamen Prælato Beneficium Parrochiale obtinet (idem dic de Religioso expulso tale Beneficium per concursum obtinente) non potest per Bullam eligi;quia in re non est approbatus, nec verè Parrochus.Et quamvis confessiones cum eo vt Parrocho.& ex Officio factæ essent validæ,quia Ecclesia dat iurisdictionem ob titulum illum apparentem, & errorem communem.*Exe. leg. Barbarius,ff. de officio prætoris,& ex cap.Infamis* 3 *q.* 7. & aljs Juribus;tamen confessiones per Bullam factæ non essent validæ;quia illa petit in re approbationem, vt det iurisdictionem.

9.*Qui vtitur* opinione verè probabili(iudicata nempè probabiliori) circa approbationem, aut iurisdictionem potest eligi per Bullam,& validè absolvere;quia est moraliter certus de Iurisdictione, & approbatione: Cum ita certum sit consuetudinem dare Iurisdictionem, *ex cap. cum contingat. cap.Romana de sentent.excom. in* 6. Et ex Trid. sect. 22.In Decret. de reform. cap. 3. illis verbis: *De Iure , seu consuetudine iurisdictio.* Consuetudo autem, & praxis in Ecclesia est sic operandi. Vide *Cardenas tom.*4.*disert.cap.6.art.6.n.*160.

* 34 *Oppono* 1.Quod sequeretur ex hoc idem posse dici de operante cum opinione minus probabili, in conspectu probabilioris , & etiam cum tenuiter probabili.2.*Quia vt* diximus non sufficit titulus coloratus,& error communis ad confessariũ perBullam eligendum:ergo neque opinio probabilis. 3. *Qui iurisdictione* probabili absolvit

exponit Sacramentum fruſtrationi) ſi coram Deo non ſit vera: & hoc prohiberi ab *Innocent. XI.* propoſitione 1. vt diximus Tract. præcedenti, eo quod Iuriſdictio ſit de Iure Divino requiſita in Sacramento) Sed qui operatur ex opinione probabili etiam vt probabiliore apparente, abſolvit cum Iuriſdictione probabili: ergo, &c.

Ad 1. neg. ſequelam, quia ibi nec datur certa conſuetudo, nec error communis, nec bona fides; cum communiter non teneatur in Eccleſia, immò apud ſapientes contrarium teneatur, & conſcientia cui alia probabilior opinio apparet, vel ſententia tenuiter probabilis, bona fide non gaudeat; benè verò in noſtro caſu.

Ad 2. neg. conſeq. Quia ibi *nõ eſt certitudo* moralis de approbatione, & Iuriſdictione benè verò hìc. Adde quod ibi ob errorem communem, & titulum coloratum datur ab Eccleſia Iuriſdictio ad ea quæ ex officio operatur; non verò ad ea quæ ex privilegio requirẽte alias approbationem certam. Hic verò ob certitudinem moralem, & conſuetudinem etiam quantum ad hoc datur.

Ad 3. diſt. mai. qui ſolùm ita abſolvit *conc. mai.* ſi ex alio capite habeat certitudinem moralem *neg.* & ſub eadem *diſt. neg. min.* Quia, qui ita operatur habet certitudinem moralem de ſua Iuriſdictione, vt dictum eſt. Iuxta hanc explicationem clarius patent dicta, Tr. 2. Ex. 5. n. 26. & Tr. 13. E. 5. n. 94. Ex quibus colliges etiam ſufficere ad Bullam, approbationem per ratihabitationem de præſenti, cum nempè Ordinarius videt confiteri, & tacet. Hoc tamen ſolùm pro illa vice valet, quia ſolùm pro illa tacite approbat.

* 35 *Reſp. 2.* Ordinarius hìc requiſitus ad approbationem eſt qui abſolutè ita dicitur, & habet Epiſcopalem Iuriſdictionem, quia Concilium nomine Epiſcoporum hos comprehendit, vt patet in Sede vacante. *Ita Ledeſm. cap. 13. de pœn. dub. 5.* Ioann. à Cruce q. 5. Suar. in 3. p. D. Tho. & alij cum Galleg. dub. 87. Ex quibus colligo.

1, *Quod poteſt* approbare Epiſcopus electus, & confirmatus quamvis non ſit conſecratus (vbi non eſt conſuetudo vt ſit conſecratus) *ex cap. tranſmiſſ. de elect. 2. Abbates*, & Priores Ordinum Militarium, qui approbant Confeſſores, & ſunt Ordinarij locorum in quibus habent dignitatem quaſi Epiſcopalem, v. g. Priores de Uclès, Legionenſ. & Meridenſ. Ordinis S. Jacobi.

3. *Non poſſe* approbare Epiſcopum titularem vulgo *de Anillo*; quamvis ſit conſecratus, & habeat aliquos fideles in Civitate ſui tituli; quia non eſt Ordinarius actu, cum iſte dicatur per ordinem ad ſubditos actu de nominatione ſupra à maiori parte. Licèt ſit Ordinarius in potentia, eo quod de Iure Divino ſubditi teneantur converti, eique obedire, licèt Eccleſia non poſſit eos compellere. Ita Nuñ. *in addit. ad 3. p. D. Th. q. 8. art. 3. dub. 8. conc. 4.* & Galleg. *hìc dub. 93.*

4. *Neque etiam* Epiſcopus titularis Civitatis hæreticorum, v. g. Genevæ; quia ſuppoſita perverſione, & pertinacia ſupponitur Papam ſolùm velle dare titulum; non verò conſtituere propriè Ordinarium. Ita ijdem.

* 36 *Reſp. 3.* Regulares etiã approbati à ſuis Prælatis debent quoque eſſe approbati ab Ordinarijs locorum, vt per Bullam eligi poſſint etiam à Religioſis. Sufficit tamen ſemel eſſe approbatos in illa Diœceſi vbi confeſſiones audiunt. *Ratio 1. p.* Quia Prælati Regulares non ſunt abſolutè, & ſimpliciter Ordinarij, nec de Iure Divino, ſed ſecundum quid, & de Iure Eccleſiaſtico, quo exempti ſunt à Iuriſdictione Epiſcoporum, & eam habent in proprios ſubditos. *Ita Ledeſm. & Galleg.* hìc cum communi Theolog.

Alij tamen cum Bonacina (loquente de Jubilæo) & Palao hìc contrarium, dicunt, debere præſumi de Pontificis mente, nolente Religioſis ius immutare quo ita poſſunt confiteri, ſive per Bullam, ſive per Jubilæum: Papam quæ eos tunc approbare. Hoc tamen iam non audeo admittere, ob prædictum Decretum.

Nota tamen approbatos à ſuis Prælatis non indigere Ordinarij approbatione ad audiendas confeſſiones ordinarias Religioſorum, aut Monialium Ordini ſubiectarum; conſtitutionemque Gregorij XV. anni 1622. in contrarium ſupra poſitam Tr. 13. n. 70. pro Hiſpaniarum Regnis, ſuſpenſam fuiſſe iuſſu Urbani VIII. Brevique eius Nuntij Apoſtolici tunc in Hiſpania exiſtentis, & poſtea Cardinalis Saccheti 21. April. 1624. ita ſervari iuſſum; & alia privilegia circa confeſſionem, à Religioſis tunc à Sede Apoſtolica in Iudicio contradictorio obtenta. De quo.

Videatur Galleg. hìc dub. 102. & Ledeſma tom. 1. c. 19. n. 35. Declarationeſque Congregationis in contrarium à Barboſa adductas ſolùm vigere pro Italia, & vbi dicta Gregorij conſtitutio viget; ait ipſe tom. 2. cap. 1. n. 19. Unde non benè Cardenas citatus, cap. 6. art. 7. n. 308. (& ex eo. Monreal) cõſtruit in Decreto Clementis X. (dicente Religioſos approbatos ab Epiſcopo egere ſpeciali approbatione: *Ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum*) ly *ſibi* Ide eſt ipſis Religioſis cum debeat conſtrui *ſibi* ideſt ipſi Epiſcopo.

Dixi in 2 p. Reſponſionis ſufficere ſemel eſſe approbatos in illa Diœceſi quia ita conſtat ex illis verbis Bullæ Latinę n. 58. *Quo ad Regulares, qui ſemel tantum approbati fuerint.* Ex quo patet differentia inter Confeſſores Seculares, & Regulares, quia illi facta revocatione generali licentiarum, & etiam ſine cauſa, non poſſunt eligi etiam per Bullam; benè verò iſti, vt patet ex dictis verbis, & Decreto Clementis X. & Urban. VIII. ſupra cit. Ex dictis colligo.

1, Quod Prælati Regulares quamvis ex Officio, & Iure Divino habeant Curã Animarum non poſſunt ex hoc titulo ſine Ordinarij approbatione eligi per Bullam, vt ait Ledeſma contra aliquos antiquos; quia nõ ſunt abſolutè, & ſimpliciter Parrochi, nec ita dicũtur habere Curam Animarum ſicut illi,

ſed

sed Religiosarũ Animarũ; vnde non habent approbationem Tridentini pro obtinentibus Beneficium Parrochiale. Et hoc est conformius dicto Decreto.

2. Quod Religiosi etiam non Mendicantes approbati ab Ordinario possunt eligi per Bullam; quia quamvis Latina dicat *Mendicantium Ordinum*; tamen Hispana ponit absolutè *Regulares*, vel quia omnes communicant in privilegijs, vel quia ly *etiam Mendicantium* ad omnes extendit.

3. Quod Regulares in itinere, aut quomodolibet ex obedientia extra Conventum existentes, qui possunt confiteri simplici Sacerdoti iuxta communem sententiam (sed tutius alias licitè expositò, vt dictum est Tr. 13. Ex. 5. n. 14. cum inter privilegia communiter adducta, à Leone X. concessum; eo quod vivæ vocis oraculo, non existat, vt benè notat Lesana) non possunt ab eo per Bullam absolvi; quia non est approbatus ab Ordinario.

4. *Quod Regulares* Prædicatores, & Confessores, qui ex privilegio Eugenij IV Minoribus, & Gregor. XIII. PP. Societ. concessio his verbis: *Ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis Superioribus ad huiusmodi munus deputati, quandocumque sive mari, sive terra iter faciunt possunt (non repugnantibus tamẽ Curatis Parrochialium Ecclesiarum) Verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christi fidelium confessiones audire, dummodo id non faciant in Opidis in quibus Ordinarij existunt, sine eorum licentia desuper obtenta.* Non tamen possunt per Bullã eligi nisi sint approbati ab Ordinario Diœcesis vbi confessiones audiunt. Ut ex dictis patet.

Nota tamen dictum privilegium, & si non esse per Tridentinum derogatum defendat Cardinalis de Lugo *de pœnit. disp. 21. n. 29.* & cum eo Tambur. *lib. 5 §. 6.* eo quod iam suponitur Religiosum ab Ordinario esse approbatum; advertunt tamen ipsi, ad vtendum eo, non debere esse Vicarium Generalem in illo loco, nec Religiosus se debet ad illum conferre solùm ad talem finem, sed verè iter facere, seu esse in itinere, & transitu. Lezana tamẽ advertit *tom. 1. cap. 19. n. 5.* caute in hoc procedendum ob revocationem Urbani VIII.

5. *Quod Religiosi* Ordinis nostri sine licẽtia sui Prælati ab Episcopo approbati, vel post approbationẽ à suo prælato per sententiã suspensi, non possunt per Bullam eligi; nec valide absolvere; propter Bullam Julij III. Religioni concessam; & quia non sunt approbati iuxta Decreta Apostolica vt dictum est Tr. 13. Ex. 5. n. 8.

Idem dic de alijs Regularibus similem Bullam habentibus, aut in ea nobiscum communicãtibus. Si autem non habeant talem Bullam; quamvis cõfessiones cum illis Religiosis factæ ex natura rei, & bona fide, essent validæ (secus si scienter pœnitens induceret Confessarium, quia peccaret mortaliter) peccarent tamẽ mortaliter Religiosi contra obedientiam in re iusta, & non possent vti ad cõfitendum privilegijs Religionũ; quia non exposiri ab eis, neque operantur cui obedientia suis Prælatis debita.

Contra hoc quidẽ Idiotæ (ait Nuño in addit. ad 3. p. D. Th. q. 8. dub. 7.) *egre ferentes argumentãtur*, quod nõ potest inferior impedire quod à Superiore cõceditur. *Quibus Resp.* Quod à Superiore cõceditur suppositò quod est naturale moraliter iuxta obedientiæ votũ, & Ecclesiæ Decreta; nõ autẽ aliter.

QUÆRO VIII. Religiosi, & Moniales gaudent privilegio Bullæ, vt possint cõfiteri cuilibet approbato ab Ordinario? *Resp.* contra voluntatẽ aut ordinariam dispositionem suorum Prælatorum nec possunt per Bullam confiteri, nec à reservatis absolvi. Hæc sanè est mens clara Apostolicæ Sedis, sana quæ Doctrina, & Sancta, in tanta caligine huius profundæ quæstionis; quia præter declarationes *Julij II. Leonis X. Sixti IV. Alexandri VI. Innocentij VII. Greg. XIII. Clement. VIII. Pauli V. Greg. XV.* adductas à Cardinali de Lugo de pœnit. *disp. 20. sect. 9. n. 153.* extat Decret. Vrban. VIII. anno 1630 hoc declarans his verbis.

In specula militantis Ecclesiæ... motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine concessionem Sanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiã in Bulla Cœnæ Domini contentis, cũ Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorũ, ac aliorum quorumcũque Ordinum... locũ minimè habuisse, neque habere, nec illis ullo modo suffragare potuisse, nec posse... eorũdẽ tenore præsentiũ perpetuo declaramus. Sed nostræ intentionis fuisse, & esse quod ijdem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramenti pœnitentiæ, seu confessionis administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ quoad sibi reservata, subiecti sint. Ex quibus.

1. *Ratio* (destruens præcipuũ, contrariorũ fundamentũ) sic formatur: Quod Pontifex ex Cathedra declarat in doctrina morũ, est mens clara Ecclesiæ, doctrina sana, & sancta; sed Bullã, quoad articulũ confessionis, locũ non habuisse, nec habere in prædictis Fratribus, & Monialibus declarat Pontifex ex Cathedra in doctrina morũ: ergo est mens clara Ecclesiæ, & doctrina sana, & sanct. *Maj.* est certa, quia de fide est Ecclesiã esse sanctã, & iuxta SS. PP. & Theologos hoc magna ex parte est, quia doctrina sic in ea tradita est sana, & sancta. *Min.* est evidens in supradicto Decreto incipiente *In specula Militantis Ecclesiæ*. Et quia ab Urbano VIII. proponitur observandũ ab Universali Ecclesiæ, in principaliori doctrina morũ, & observantiæ Religiosæ, *perpetuo* declarãte. Conseq. est evidẽs. Et roboratur ex D. Th. op. 1. contra errores Græcorũ cap. 68. cũ Sãcto Cyrillo dicẽte: *Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico trono Romanorum Pontificum à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debeamus.*

Si dicas: Papam declarasse ibi suam intentionem; non verò Successorũ, à quibus per concessionẽ novæ Cruciatæ illa revocatur. *Instè*: quia Papa

non solùm suam intentionem ; Sed Ecclesiæ , & veritatem , & Doctrinam in materia morum declarat: vt patet ex illis verbis. *Nec habuisse , nec habere locum , &c.* & ly *perpetuo declaramus.* Quod iam antea Pontifices supradicti declararūt, & Successores Urbani, sic concessionem Cruciatæ continuarunt , vt patet ex titulo Bullæ Innocentij X. apud Galleg. & alios : *Bulla de la Santa Cruzada concedida por N. muy Santo Padre Vrbano VIII. y mandada publicar por N. muy Santo Padre InocencioX.* Et sic continuatur à successoribus.

Dices: Decretum Urbani VIII. non obligare in Hispania, eo quod pro illo fuit suplicatum, & non fuit receptum. *Sed contra*: Quia decretum vt declarativum, & ex Cathedra non indiget acceptatione; sed sola notitia moraliter certa ad sui obligationem; vt diximus Tr. 17. Ex. 1. n. 1. Doctrinam enim Ecclesiæ omnes tenemur amplecti: *Ad quam omnes fines orbis , qui Dominum sincere receperunt , tanquam in Solem respiciūt*, ait D. Th. ibid. ex Maximo.

2. *Ratio* (destruens fundamentum aliorum dicentium Papam solùm loqui copulativè, & de absolutione à reservatis, nō verò divisivè, & ab alijs non reservatis) est: quia Pontifex declarat quoad prædictum articulum confessionis, Bullam *minimè locum habuisse nec habere ; nullo modo suffragari potuisse, nec posse.*

Deinde quia declarat prædictos Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum pœnitentiæ , & Confessionis administrationem *Ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum* subiectos esse debere; hoc enim non est loqui de reservatis , sed de ordinaria Confessione , ex qua maxima pars pendet perfectionis Religiosæ ad quā Pontifex attendit.

Tandem quia Bulla Clementis VIII. anni 1599. (cuius est confirmatio Bulla Urbani , vt patet ex eius principio) sic clarè & absolutè loquitur sine copulatione reservatorum : *Sed nostræ intentionis existere: quod ijdem Fratres, & Moniales quantū ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint.*

Unde ita declaratum fuit à nostro Capitulo Generali Romæ 1601. In quo dicta Bulla fuit acceptata à Religione, vt patet in nostris Constitutionibus dist. 1. c. 14. lit. C, vbi denuntiatur Religionem renuntiasse privilegijs omnibus, quoad illud quod spectat ad Fratrum confessiones audiendas , *Salmanticæ* 1551. *Idem testatur* Cardinalis de Lugo cit. declarasse Cardinalem Maraldo (qui Bullam Urbani composuit) à se consultum , dixisseque hanc esse mentem Pontificis , multumque fuisse miratum , adhuc esse qui de hoc dubitaret.

* 38 *Oppono* 1. Bulla Cruciatæ concedit omnibus eam accipientibus privilegium eligendi Cōfessarium, & absolvendi à reservatis ; estque privilegium personale cuilibet à Papa concessum per modum contractus oneros: ergo etiam conceditur Religiosis, & nō revocatur per illas generales revocationes Clementis & Urbani , immò istæ revocantur per novam Bullæ concessionem , & acceptionem, cuius privilegium non potest impediri ab Inferioribus Prælatis.

2. *Bulla Vrbani* non fuit admissa in Hispania, sed pro eius suspensione suplicatum fuit per Commissarium Generalem nomine Regis Catholici, vt ait *Leander à SS. Sacram.* se audivisse ab Illustriss. Araujo: ergo non obligat. 3. *Vrbanus* solum excipit absolutionem à reservatis illis verbis Decreti copulativè sumptis: *Eligendi Confessarium, & absolvēdi à reservatis*: ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium, à non reservatis possunt per Bullam absolvi, ideòque hæc sententia apparet valdè communis, & probabilis. Immò sententia asserens etiam posse absolvi à reservatis à plurib⁹ etia Thomistis vt probabilis admittitur : Paterque Torrecilla cum maxima Autorum , Legum, & rationum caterva, eam vt securam defendit.

Ad 1. *neg. ant.* quia vt vidimus Regulares in ea sunt excepti quo ad hunc articulum , declaratione Apostolicæ Sedis , sicque non obstat privilegium Bullæ generaliter concessum etiam per modum contractus oneros. *Ad* 2. *neg. ant.* quod enim ait Araujo in select. Tr. 1. q. 8. n. 28. est: *Ex parte Regis Hispaniæ rogatus fuit Vrbanus VIII. ne in sua Bulla* (nempè Cruciatæ) *exprimeret dictam exceptionem Regularium* , & hoc fortè ob pacem , & decorem Religionum , & quia non erat necessarium ; cum ex ipsa Bulla iam constaret satis facultas Superioribus concessa. Adde quod quamvis non esset acceptata obligaret ; quia est declaratio Apostolica.

Ad 3. *neg. ant.* vt vidimus ; & latius videre est in Cardinali *de Lugo cit.* & *ad conf.* Dico nostram sententiam non solùm probabiliorem, sed & certam esse Sedis Apostolicæ declarationem. Sententia autem contraria , præsertim quoad reservata, vt improbabilis à quam plurimis , & gravissimis Theologis reijcitur, vt demostrant de Lugo Lumbier, & *Cardenas cit. art. 7. q. 1. à n.* 178. vbi probat adhuc extrinsecè non esse probabilem; quia fundatur in æquivoco, & contra expressam Sedis Apostolicæ declarationem. Ad minus autem non est secura, vt ait *Ioann. à S. Thom. in Doctr. Christ. p. 2.* quidquid dicat Torrecilla.

* 39 Notanter dixi : *Contra voluntatem, aut dispositionem ordinariam suorum Prælatorum non posse confiteri, &c.* quia si Prælati nihil in cōtrarium disponant, videantque Subditos per Bullā confiteri, & taceant; immò tacitam, ad minus, dent licentiam (ob negligentiam , & nimiam Indulgentiam , in destructionem vitæ regularis quæ ipsorum gravabit conscientias) tunc poterunt confiteri, & à reservatis in Religione absolvi, sed non à reservatis Papæ præsertim in Bulla Cœnæ.

Ratio: Quia Clemens, & Urbanus illud relinquunt dispositioni Prælatorum, istud verò Apostolicæ Sedis dispositioni: ergo cùm Prælati ita se gerunt

runt saltim per consuetudinem, aut ratiabitionem, vel tacitam licentiam validæ erunt, etiam quoad reservata Prælatis, Confessiones; non verò quo ad Papæ reservata, ob contrariam Sedis Apostolicę declarationem. Vide *Tract. 14. Ex. 2. n. 28. & 29.*

§. 6. *De reservatorum absolutione, per Bullam.*

* 40 Recole dicta de reservatis *Tract. 14. Exam. 2.* & pro Episcopalibus n. 24. vtque aliquos ex his intelligas. *Nota* 1. In Archiepiscopatu Valentino hos novem esse reservatos: 1. *Simonia* nempè commissa in rebus sacris, vt Sacramennento, Calice, vestibus sacris, &c. Non autem reservatur commissa in ingressu Religionis, Ordine, aut Beneficio; quia istæ sunt Papæ reservatæ; casus autè Papæ reservati, Episcopo nequeunt reservari, ex Decreto Clementis VIII. Hæc reservatio est sine excommunicatione, vt patet in Synodo Illust. Ayala.

2 *Sacrilegium* nempè furtum Sacrilegum ratione loci, aut rei Sacræ: Violatio loci Sacri effusione seminis, sanguinis, vel homicidio; aut extractione alicuius gaudentis immunitate. 3. *Homicidium* proditorie commissum; & ad id præstans consilium, favorem, aut auxilium, secuto effectu. Excusatur autem homicidium vxoris in adulterio deprehensæ; sicut percutiens inventum cum matre, vxore, vel sorore, ab excommunicatione Canonis excusatur

4 *Incestus vbi est necessaria dispensatio*: Id est incestus per copulam completam commixtione seminum, qua ex *D. Thom. in 4. distinct. 41. q. 1. art. 1 qla. 3.* oritur affinitas, ratione cuius noviter subortæ requiratur dispensatio ad contrahendum cum affine. Incestus etiam vt sit reservatus debet commixtio esse cum effusione intra vas naturale: & inter consanguineos intra quartum gradum; inter affines intra secundum, iuxta declarationem venerabilis DD. Ioann. de Ribera. Unde incestus alio modo comissus, non reservatur; nec inter affines ex Matrimonio rato non consumato; nec inter affines ex copula illicita.

5 *Percussio Parentum*, quæ sit peccatum mortale, fiat quæ manu, pede, vel aliquo instrumento in Parentes iuxta communem vsum loquendi, nempè naturales ascendentes vsque ad tritavum; vitricum, & novercam, & Parentem adoptivum.

6 *Abortus procuratus* consilio, favore, &c. ita vt sit homicidium per insidias, id est fœtu animato, & effectu secuto. 7. *Clandestinè contrahentes*, id est omissis denuntiationibus contrahentes, præterquam in casibus à iure expressis.

8 *Incendium Ecclesiarum*, reservatur iuxta veriorem opinionem dicentium incendiarios non esse ipso facto excomunicatos, donec ab Ordinario declarentur. Nomine Ecclesiarum intelliguntur Cementeria, Hospitalia, & Monasteria, Oratoria quæ publica authoritate Papæ, aut Episcopi erecta; quia est pœna in favorem Ecclesiæ. 9. *Testis falsus iurans in iudicio*; nempè coram Judice iuridice interrogante. Et si est cum præiudicio alterius, seu in alterius damnum est ipso facto excommunicatus, ex Synodo III. Ayala; hæc tamen excommunicatio non est reservata, ait Trull. *tom. de Sacram.* de his latius tractans.

* 41 *Nota* 2. Casus reservari solitos Tribunali Sanctæ Inquisitionis esse sequentes. 1. *Omnes* contenti in primo Canone Bullæ Cœnæ de quibus §. sequenti. 2. *Omnia* peccata mortalia superstitionum, incantationum, maleficiorum, & professitentium artes magicas. 3. *Lectio mortalis* librorum prohibitorum, etiam hæresim continentium (dummodo non sint hæreticorum cum sic ad primum Canonem Bullę Cœnę pertineat) de quibus §. sequenti. 4. *Blasfemia* hæreticalis, quę sit peccatum mortale. 5. *Solicitatio* ad turpia in confessione.

* 42 *Nota* 3. Ex casibus Religiosis reservatis de quibus *tract. 14. E. 2. n. 18.* aliquos reservari ab aliquibus Prælatis, alios ab alijs, & ab alijs, nullos; quando autem reservantur ita intelliguntur, vt in omnibus requiratur materia gravis, opus externum, & peccatum mortale certum, singuli autem ita:

1 *Beneficia, incantationes, & fortilegia*, deliberate, & scienter commissa. 2. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, modo extra cæptu Monasterij, vel Conventus egressio fiat*, & modo sit vere Professus, & à Conventu recedat sine animo redeundi; nam si recedat cum animo redeundi, non est Apostata; sicut nec cum recedit animo transeundi ad aliam Religionem, cuius habitum statim induat. 3. *Nocturna, ac furtiva egressio à Monasterio*, ad quod tria requiruntur, 1. Quod egressio nocte fiat. 2. Quod furtivè, id est abscondite ita vt non videatur nisi à complice. 3. Quod sit extra terminos clausuræ; quolibet enim ex his deficiente, non erit peccatum reservatum.

4 *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale*. Unde etsi sit peccatum contra votum paupertatis, dummodo non sit *proprietas*, hoc est alienatio, aut consumptio, vel acquisitio, aut retentio rei sine expressa, vel adminus rationabiliter præsumpta licentia Prælati, non erit reservatum. 5. *Iuramentum falsum in iudicio Regulari*: nempè cum iudicialiter, & legitimè à Prælato interrogatus, vt reus, vel testis, falso iurat in his, quę interrogatur. Unde si non est legitimè interrogatus quamvis falso iuret non incurret hanc reservationem; sicut nec cum veritatem occultat, aut non respondet, cum non debet iuxta mentem Prælati.

6 *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto*. Si tamen mulier non sumeret potum, aut cibum ad illud ordinatum; aut si ignoran-

fœmina illa acciperet vt redderetur sterilis, aut ad alium finem non incurreretur hæc reservatio. 7. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij, aut Conventus.* Nomine Officialium intelliguntur Generales Provinciales, Comissarij, Priores, Vicarij, Præsidentes, Secretarij, &c.

8 *Furtum de rebus Conventus in quantitate, quæ sufficiat ad peccatum mortale.* Intelligiturque non solum de rebus ad vsum Communitatis, sed etiam ad vsum particularium Religiosorum. Unde furari Religioso manuscripta etiam eo solo fine, vt transcribantur mortale erit, & reservatum. De quo Lumbier *tom.* 3. *n.* 1066.

9 *Lapsus carnis voluntarius opere consumatus*; quo comprehenduntur omnes septem species luxuriæ, dummodo sit opus consumatum; vnde si opus non sit consumatum; v. g. tactus, oscula amplexus libidinosi absque pollutione, non erit peccatum reservatum; benè verò actus per se influens in pollutionem ea secuta, quamvis non intenta. Qui autem pollutionem tactibus, vel aliter interat, si ea non sequatur, non erit peccatum reservatum; sicut nec pollutio in somnis habita, in vigilia attentata, & non secuta. In aliquibus Religionibus peccatum hoc reservatur absolutè vt possum est, in alijs quando committitur cum tertia Persona, in alijs determinata aliqua specie, de quo consulatur pœnitens.

10 *Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personæ*: ita vt si peccatum mortale, vel si in Clericum, talis quæ sufficeret ad excommunicationem Canonis. Incurret etiam hanc reservationem, qui mortaliter, vel mediatè, v. g. mandato, consilio, aut instrumento ad illam concurrit, vel qui se ipsum vulneraret, &c. Non autem, qui vulneraret in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutellæ. 11 *Maliciosum impedimentum; aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab his ad Superiores*; id est, maliciosè cum animo nocendi: non qui inadvertenter, vel in levi ob curiositatem, aut inveniens apertas, vel non aperiens legit. Sed de his latius *Pelizar. tract.* 6. *c.* 1. Anton. à Spir. Sanct. *de pœn. Tract.* 5. *disp.* 14 *sect.* 12.

* 43 QUÆRO IX. A quibus reservatis? Quoties? Et quomodo potest per Bullam obtineri absolutio? *Resp.* 1. Potest per Bullam obtineri absolutio *quorumcumque peccatorum, & censurarum Sedi Apostolicæ reservatorum, & reservatarum (etiam in Bulla Cœnæ Domini, excepta hæresi) semel in vita, & semel in mortis articulo. Aliorum verò Sedi Apostolicæ non reservatorum, ac reservatarum toties quoties confitebuntur*: verba sunt Bullæ; ex quibus infero.

1 Quid in vita non fuit absolutus à casibus Papæ reservatis, potest in mortis articulo, durante anno, bis absolvi, & obtinere Indulgentiam; quia tunc adhuc est in vita, & alias est in mortis articulo, vt cum *Reg. ait Galleg. dub.* 182. 2. *Qui ob ignorantiam*, vel metum gravem, non incurrit censuram in casibus Papæ reservatis (& alijs quibus censura est anexa) potest sine Bulla ab eis absolvi; quia in illis non incurritur reservatio, nisi ratione censuræ, ut dictum est tract. 14. n. 58. In illis verò quibus censura anexa non est, Bulla necessaria est.

3 *Bona fide absolutus* à censura reservata, si postea invenit confessarium non habere iurisdictionem (v. g. absolutus ab hæresi externa, vel pluries à reservatis Papæ) tunc debet quærere absolutionem non solùm à censura, sed etiam à peccato reservato ab eo quo possit directè absolvi; quia cum incurritur censura reservata, etiam peccatum est reservatum, & ab eo non fuerat directè absolutus.

4 *Facultas* absolvendi à reservatis Papæ semel in vita, & semel in morte, non intelligitur ita; vt in diversis confessionibus possit semel absolvi à qualibet specie reservatorum; quia tunc pluries absolveretur, & per Bullam solùm conceditur vna tantùm absolutio in vita, & vna in morte cum Indulgentia plenaria. Alias posset lucrare plures indulgentias, & melioris esset conditionis, qui pluries, immo omnibus speciebus peccaret; quod est contra textum Bullæ, in quo patet posse absolvi semel ab omnibus, vel à quolibet, sed non à quolibet semel. Unde contraria opinio Leandri, & Aranæ vt improbabilis, & absque ratione adhuc apparenti reijcitur à *Castropalao punct.* 8. §. 1. *num.* 5.

5 *Qui* præteritis annis non fuit absolutus per Bullam à reservatis, non potest vti Bullis eorum annorum, vt toties anno currente absolvatur; quia privilegium solum conceditur, *durante anno* (vt ait textus) & eo finito iam est finitum; vnde illæ Bullæ non valent, & si non revocentur; sicque deceptus fuit Leander à SS. Sacram. (vt asserunt Tambur. & Bardi) putans illas Bullas adhuc valere eo quod non sint revocatæ. Et hoc etiam intelligitur de Indulgentia plenaria.

6 A casibus reservatis Tribunali Sanctæ Inquisitionis, etiam si publicis (dummodo non sint excontentis in Bulla Cœnæ) potest per Bullam obtineri absolutio toties quoties confitebuntur; quia non sunt Papæ reservati, vt cum Suarez, & communi tenent *Mendo disp.* 23. *c.* 10. *n.* 94. & 99. Si verò sint excontentis in Bulla Cœnæ, semel tantum (excepta hæresi) vt dicemus statim.

7 A casibus Episcopis reservatis, sive à Iure (si forte sint) sive ab homine, sive in Synodalibus, potest etiam toties quoties obtineri absolutio ob eandem rationem. De reservatis Prælatis Regularibus diximus iam §. *præcedenti* non posse contra voluntatem Prælatorum; benè verò cum ea. 8. *Potest obtineri* absolutio à commissis tàm ante, quàm post acceptionem Bullæ, & etiam, si commissa sint cum eius confidentia; quia pontifex id absolutè concedit, & solùm excipit Indulgentiam de qua §. sequenti) excepto autem firmat

mat regulam in contrarium. 9. *Hæc absolutio* debet fieri satisfacta parte, si opus fuerit, vt dicemus §. *sequenti*.

* 44 *Respondeo* 2. A casibus Papæ reservatis (præsertim in Bulla Cœnæ) etiam si occultis non potest per Bullam absolvi toties quoties. *Ratio*; quia toties quoties solum possunt absolvi peccata Sedi Apostolicæ non reservata; sed illa peccata etiam si occulta, sunt Sedi Apostolicæ reservata: ergo non possunt toties quoties, &c. *Maior* est text. Bullæ. *Minor*, supponitur, & à nullo negari potest: constatque 1. *Quia per se*, & ex natura sua sunt Sedi Apostolicæ reservata, suntque Papales, vt dictum est *Tract.* 14. *Ex.* 2. *n.* 28. quamvis per accidens, & ex permissione, seu concessione Tridentini possint ab Episcopis absolvi (quod de reservatis in Bulla Cœnæ adhuc est sub lite gravi) & dici Episcopales. 2. *Quia ex Decreto Alexander VII. propositione* 3. Dicere illa peccata solum quando publica, esse Papæ reservata, non tolleratur ab Ecclesia. 3. *Quia* vbi non est admissum Tridentinum non possunt ab Episcopis absolvi: ergo sunt Papæ reservata.

Oppono 1. Illi casus dum sunt occulti desinunt esse Papales, & fiunt Episcopales ex *Trident. Sess.* 24. de reformat. *c.* 6. Ergo 2. *per Bullam* potest absolvi toties quoties ab omnibus, quæ possunt Episcopi à Iure absolvere; sed à Iure Tridentini possunt ab illis occultis absolvere: ergo *Ad primum nego antecedens*; in quo stat æquivocatio contrariæ sententiæ, vt visum est, quia numquam desinunt esse quod per se, & ex sua natura sunt; alias etiam Regulares per sua privilegia possent ab illis ita absolvere *Ad secundum* nego *maiorem*; vel distinguo, quæ possunt à Iure ordinariè, & per se, *concedo*: per accidens, & ex concessione, *nego*: & hoc modo possunt per Trident. illis verbis. *Liceat Episcopis absolvere, &c. Sit permissum*, vnde non est ipsis reservatum, quod illis permittitur absolvere.

* 45 *Resp.* 3. Ab hæresi formali externa, etsi occultissima, & nullo præsente (& ab excommunicatione illius) non potest per Bullam absolvi, nihilque Bulla ad eam facit. *Ratio* Quia licet in Bulla latina hæresis non sit excepta; tamen in Bulla Hispana cui fides est adhibenda (eo quod ab eodem Gregorij XIII. motu proprio: *Officij nostri partes* anni 1576. statutum sit, eandem fidem adhibendam esse transumpto per Comissarium facto, ac ipsis originalibus) dicitur: *exceptо el crimen de la heregia*. Tum etiam: quia ex privilegijs concessis Tribunali Sanctæ Inquisitionis ab *Innocent. X. & Alexand. VII.* in Hispania (& vbi est illud Tribunal) solùm Domini Inquisitores possunt, etiam in foro conscientiæ, ab hæresi absolvere, & dare facultatem omnibus Confessarijs cumulativè, & cuilibet privativè, vt referunt *Lumbier n.* 721. & *Salmat. tom.* 2. *tract.* 10. *c.* 2. *n.* 76. & 88. & *c.* 4. *punct.* 4.

Dixi ab hæresi formali externa; quia aliter non est Papæ reservata. Vnde infero. 1. *Purè internam* non esse reservatam, posseque à quolibet Confessario absolvi. Purè autem externam (etiam si blasfemijs, & vocibus Christum, & fidem negantem, Idolumque adorantem) sine errore tamen vel pertinatia, non esse Papæ reservatam; & licet reservata sit Dominis Inquisitoribus posse per Bullam absolvi toties quoties.

2 *Errantem*, vel dubitantem ex ignorantia, etiam culpabili, & crassa (etiam quæ talem errorem, vel dubium exterius manifestantem) circa aliquem articulum fidei; tamen interius dispositum ad credendum, quod Ecclesia, vel fides dicet, si ipse sciret non incurrere illam reservationem; quia non est formaliter hæreticus, nec pertinax.

Nec obstat quod *tract.* 2. *n.* 15. dicitur: dubium de reservatione, non posse absolvi: & *tract.* 7. dubium in fide hæreticum esse; quia ibi primum intelligitur de peccato mortali certo (quod solùm reservatur) dubium verò de reservatione. 2. *De dubio* sciente esse de fide quod dubitat; hic autem nec peccatum mortale hæresis est, nec directè error voluntarius; nec scientia: licet culpa ignorantiæ (& error ex ea) etiam indirectè culpabilis sit, sed non pertinax.

3 *Non esse hæresim* externam, quam qui interius tenet, caput moveret quasi ad reclinandum; vel præcisè diceret: *non est ita*, vel *non credo*, vel disputaret *sola arguendi gratia*: sicut nec si amico diceret se illam habuisse, sed non habere, vel pronuntiaret eam, non vt à se dictam, nec ita iudicatam, sed vt ab alijs relatam; vel præter intentionem per æquivocationem pronuntiaret eam: quia ad hæresim externam duo requiruntur, primo quod verba, vel signa ex se, vel ex circumstantijs determinatè significent illum errorem. *Secundo* quod talia verba, & signa procedant ex interiori errore, & altero ex his deficiente, vt in prædictis, non est hæresis externa.

4 Apostasiam similiter non posse absolvi; quia non differet specie essentiali ab hæresi ex D. Tho. supra tract. 7. n. 51. Idem dic de Schismate si est cum errore intellectus; si autem solum extrinsecum, pertinet ad primum Canonem Bullæ Cœnæ, de quo §. *sequenti*.

Oppono: Hæresis occulta potest ab Episcopis absolvi ex privilegio Trident. cit. Ergo etiam per Bullam, qua possunt absolvi Episcopis reservata. *Resp.* 1. nego *antecedens*: quia in sententia valdè probabili per Bullam Cœnæ illis derogatur. 2. *Quod* vbi est Tribunal Sanctæ Inquisitionis non possunt, vt dictum, ob privilegia Sancto Tribunali concessa. 3. *Nego consequentiam*: ob dicta in probatione, & n. 44.

§. 8. *De absolutione à censuris. Et Indulgentia plenaria semel in vita, & semel in morte concessa.*

* 46 Observa censuras Papæ reservata Tract. 14. Exam. 2. num. 19. 21. & 23. Latamque in procurantes abortum fœtus animati, non esse reservatam; quia Gregorius XIV. sustulit reservationem Sixti V. Latam verò contra duellum exercentes, vel assistentes, &c. reservatam esse; quia Clemens VIII. eam Sedi Apostolicæ reservavit, de qua latè ibi 27. *& Tr.* 7. *Ex.* 7. à num. 38.

Nota etiam 1. Excommunicationem contra Religiosos assistentes agitationi taurorum non esse latam, sed ferendam; peccare tamen eos mortaliter, assistendo ex proposito, & quasi approbativè (non si clam, transeunter, necessitate, vel officio) ita vt videantur approbare *bestialem illam, & diabolicam consuetudinem nostræ Hispaniæ* (vt ait S. Thomàs à Villan. Serm. 2. S. Ioannis) quia frangunt præceptum Pij V. & Clementis VIII. sub pœna gravi, nempè excommunicatione maiori, ita cum Thomistis iure, & S. August. Araujo 1. 2. *S. Thom. tom.* 1. *q.* 97. *disp.* 13. *sect.* 3. *diffic.* 3. quamvis aliqui apud Thomam Urtado dicant solùm peccare venialiter adducentes pro se dictum S. Thomæ; sed S. ipse (præcisa excommunicatione) de omnibus dicit *non sunt omnino tuti à mortali.* Communiter tamen Theologi Hispani excusant à mortali, sæculares. Quia cessat periculum modo quo regulariter fiunt, & ideò ad supplicationem Regis Catholici ablata fuit excommunicatio pro sæcularibus, & Clericis. Sic intellige dict. Tr. 7. Ex. 7. n. 42.

Nota 2. In Bulla Cœnæ præcipi, vt omnes Patriarchæ, Episcopi, Ordinarij Rectores animarum, & Confessarij etiam Regulares transumptum habeant earum litterarum pœnes se, *easque diligenter legere, & percipere studeant.* Unde & si aliqui AA. à culpa mortali excussent Confessarios non habentes transumptum, vel copiam earum, non excusant tamen nescientes earum contentum, de quo *Bonacina tom.* 3. *disp.* 1. Ideo. *Nota* 3. Viginti esse excommunicationes illius Bullæ, sic ex textu littera cursiva expositas.

* 47 *Prima est.* 1. Contra quoscumque à christiana fide apostatas. 2. *In omnes*, & singulos alios hæreticos. 3. *In* eorum *vt talium* credentes, receptatores, *abscondentes, vel hospitio recipientes etiam pro vna vice*, fautores, *omnimodo capiendi, indicandi, custodiendi, cum ad id tenentur; commissione laudando, vel dando auxilium*, defensores, *errorum, vel personarum ob causam hæresis, effectu secuto.* 4. *In* eorum libros, *etiam manu scriptos*, hæresum continentes, *& si de Religione non tractent*, vel de Religione tractantes, *ex professo, nempe de Theologia, sacra Scriptura, Mysterijs, catechismo, licèt hæresim non contineant*, sine authoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes. *nisi parvitas materiæ circa quam variant Authores excuset.* 5. *Aut* retinentes, Imprimentes, *& impressioni proximè cooperantes, tàm dominos, quàm famulos*, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore. 6. *In* schismaticos, *totaliter ab obedientia Papæ subtrahentes*, & eos qui se à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia, *in aliquibus, etsi non in omnibus*, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt; *quamvis solùm externè, vt faciunt Catholici in Anglia existentes, obedientes Principi hæretico, vt Christi Vicario.*

De lectione librorum vide Tr. 7. Ex. 3. n. 21. de hæresi, ibi n. 27. Tr. 7. Ex. 3. n. 39. 47. & hic n. 45. de apostasia de schismate ibi n. 56. *Secunda est.* 1. Lata in omnes, & singulos appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Romanorum Pontificum ad vniversale futurum Concilium, *etiam si mandatum non sit iustum; quia fit iniuria Sedi Apostolicæ, quæ supra Concilium est, ita D. Th. op. contra errores Græcorum, cap.* 63. 2. *In eos* quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit. 3. *Vniversitates*, Collegia, & Capitula, *quia nequeunt excommunicari*, interdicuntur ipso facto.

Tertia est. 1. Lata in omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos discurrentes mare Nostrum, *seu quod alit terras Papæ* præcipuè à monte Argentario vsque ad Terracinam. 2. *In omnes* eorum fautores, receptores, defensores: *Vt sunt Milites, Nautæ, & alij, etiamsi Piratæ nihil actu cœperint dummodo eo animo prædàdi mare illud discurrant; non autem, qui vt Mercatores, vel titulo veri belli, data occasione, inimicos, vel Turcas, Iudæos, & alios infideles expoliant.*

Quarta. Contra surripientes cuiuscumque generis bona Christianorum naufragantium, in cuiuscumque maris regionibus, mari vel litore inventa, *etiam proiecta ad sublevandas Naves; nisi talia bona statim forent peritura, vt saccharum, farina, papyrus, quæ pro derelictis habentur; sicut illa quæ diu in littore maris iacuerunt, vel nisi accipiantur vt verò domino reddantur. Si bona sint infidelium; non incurritur excommunicatio, sed obligat restitutio.*

Quinta est. 1. Lata in omnes qui in terris suis nova pedagia, seu gavellas, præterquam in casibus sibi à iure, *sive à gravi necessitate occurrenti, vt possint facere Civitates*, sive ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, vel, *iniustè*, augent. 2. *In eos* qui imponi, vel augeri prohibita exigunt. *Si tributum sit iustum, sed iniustè generaliter etiam Ecclesiasticos comprehendat postea can.* 18. *excommunicantur.*

Sexta est. 1. Lata in falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationis, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de

de mandato eiusdem signatarum. 2. *In falso* eas fabricantes, *eas autem corrigentes, quia v. g Notarius pro consanguinitate posuerat affinitatem, non incurrere hanc censuram probabile est apud Banac. q. 7. punct. 2. n. 7.*

Septima est. 1. Lata in omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcos, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per Nos, & Sanctæ Sedis sententias expressè, vel nominatim declaratos, *& hæreticos notarios, & si non expressè declaratos, vt ait Fragoso*, deferunt, seu transmittunt equos, arma, bellica instrumenta, *& ad hæc*, materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant, *non autem incurrit Princeps Christianus, qui iustè ab alio vexatus, convocat in sui auxilium hæreticos, & eis in auxilium arma præbet, ait Bonac. Palaus, & alij* 2. *In illos* qui per se, vel per alios de rebus ad statum christianæ Reipublicæ concernentibus in christianorum perniciem, & damnũ ipsos Turcos, *& alios supradictos*, in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt. 3. *In eos*, qui illis auxilium, consilium, *efficax cum effectu tam circa res prohibitas, quàm circa certiores facientes*, vel favorem quomodolibet præstãt: *pugnando pro ipsis, subministrando Milites, Nautas, Ministros, movendo bellum contra Principẽ Christianum eos obsidentem, aut vincentem, vel favendo eis contra Principẽ Christianũ ne fiat potentior alijs inter Christianos, &c. ap. Frag. & alios.*

Octava est. 1. Lata in omnes impedientes, *iniustè*, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria, *& etiam pecuniam ad sũptus itineris, seu ad Officiales Curiæ, seu ad eos, qui pertinent ad Curiam, vel Curiales pertinent ẽ*, adducant. 2. *In eos* qui ne ad Romanã Curiam, *vel vbi Pontifex cum ea residet*, adducãtur, vel afferãtur prohibent, impediunt, seu perturbant. 3. *In eos* qui hæc facientes defendũt per se, vel per alios cuiuscũque fuerint ordinis præeminẽtiæ conditionis, & status, etiã Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Nona est. 1. Lata in omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam, *ad papam nempè vt dominum tẽporalem, vel spiritualem*, venientes, & recedentes ab eadem sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilãt, spoliant, capiunt detinent. 2. In illos omnes qui iurisdictionẽ ordinariam, vel delegatam à nobis, vel nostris Iudicibus nõ habẽtes, illã sibi temere vindicãtes, similia cõtra morãtes in eadem Curia audeãt perpetrare, *vnde non si bona fide, aut ignoranter.*

Decima est. 1. Lata in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depredantes Romipetas, seu peregrinos, ad Vrbẽ, causa devotionis, *principaliter*, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes. 2. *Et In* his dãtes auxilium, consilium, *efficax cum effectu*, vel favorem.

Vndecima est. 1. Lata, in omnes interficiẽtes mutilantes, *nempè membrum non partem membri, vt digitum, dentem, &c.* vulnerantes, percutiẽtes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nũtios, aut eos à suis Diœcesibus, territorijs, terris, seu dominijs ejiciẽtes, *seu in exilium mittentes extra loca suæ iurisdictionis.* 2. *Necnon ea* mandantes, *efficaciter cũ effectu*, vel rata habentes, *suo nomine, vel in eius gratiam facta*, seu præstantes in eis auxilium, consilium, *efficax, vel favorem.*

Duodecima contra offendentes eos, qui recurrunt ad Romanam Curiam pro negotijs *est.* 1. *Lata in omnes* illos, qui per se, vel per alios, Personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadẽ Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumq; gestatores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotijs huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliãt. 2. *Seu qui per se*, vel per alios directè, vel indirecte delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare. 3. Aut eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Decimatertia est. 1. Lata in omnes cuiuscumque Dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationẽ à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, tàm gratiam quàm iustitiã concernentium, & aliorum decretorum à Sede, seu Legatis, Nuntijs, Præsidentibus Palatij, & Cameræ Apostolicę Auditoribus, alijsque Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorũ, aut alias ad Curias sæculares, & laycam potestatem recurũt, & ab ea appellationes huiusmodi, ac litteras, & alia prædicta capi, & retineri faciunt.

2 *In ipsos*, & Magistratus qui ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi litterarũ executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cuius interest, tradere debeãt impediunt, *etiã si solum dicãt, vt ne absque suo beneplacito executioni mãdentur*, vel prohibent, aut etiã partes capiunt, percutiũt, carcerant, detinent in Civitatibus, Locis, & regnis ejiciunt, per se, vel allũ publicè, vel occultè.

3 *In ipsos*, vel alios qui aliàs quibuscumq; personis in genere, vel in specie ne pro quibuscumq; eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt. *Vnde non præsumptivè, sed in casu manifesta iniuria, seu irreparabilis violẽtiæ posse fieri multorum opinio est: sicut etiam Doctores Hispanorum defendenti ũ licitè posse fieri appellationes, quas* tuitivas *vocant ad Tribunal Sæculare, non vt ad superius, sed vt ad vim repellendam: Supremumque Senatum posse litteras Apostolicas detinere cũ intẽtione supplicãdi Summo Pontifici, & examinare nã subreptitiæ*

num conuenientes beno regiminis, & pacis sint. De quo latè Bonac. Palaus, & ex Soto Mayor; Caiet. & alijs. Ant. à Spir. San. Tr. 12. dis. 3. sect. 15.

Decimaquarta est. 1. Lata in omnes, & singulos, qui per se, vel alios quorumcumque exemptionem, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsque Iudicibus Ecclesiasticis avocant, *id est, ab illis extrabunt, & ad se trahunt.* 2. *Illorumque* cursum, & audientiam, ac personas, causas ipsas prosequi volentes, impediunt. 3. *Ac se de* illorum cognitione tamquam Iudices interponunt. 4. *Quive* partes actrices ad revocandum, aut ad faciendum à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt. 5. *Vel executionem* litterarum Apostolicarum, seu executorialium, *& aliarum prædictarum, iudiciaria authoritate*, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, vt dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint; nisi supplicationes ipsas coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant Dignitate, aut Archiepiscopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint. *Cum tamen revera vis, aut iniuria infertur, posse Reges, &c. supplicare pro bono pacis, & regiminis, ex c.* Si quando de rescriptis, *multi tenent, sicut Canone antecedenti diximus.*

Quintadecima est. 1. Lata in eos qui Personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal Concilium, &c. præter Iuris Canonici dispositionem, *vt eum degradantur*, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè, quovis quæsito colore. 2. *Necnon* qui statuta ordinationes, &c. seu quævis alia decreta in genere, vel in specie ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur. 3. *Seu nostris*, & Sedis Apostolicæ, ac quarumcumque Ecclesiarum Iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

Sextadecima est. 1. Lata in eos qui Archiepiscopos Episcopos, aliosq; superiores, & inferiores Prælatos, & Iudices Ecclesiasticos, Ordinarios, quomodolibet hac de causa, *nempè in Canone præcedenti*, directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorũ Agentes, Familiares, consanguineos, & affines, *publica authoritate*, impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vrantur. 2. *In eos* qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum, quorumcumque sententias, & decreta, *non ante ea ait Palaus cum alijs*, ad Cancellarias, & alias Curias Sæculares, recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata Ordinarijs delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant. 3. *Eos quoq;* qui hæc decernit, & executur, seu dant consiliũ, patrocinium, & favorem, in eisdẽ.

Decimaseptima est. 1. Lata in eos, qui iurisdictiones, seu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas Personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vsurpant, *non solum furando, sed etiam accipiẽdo quasi essent propria, vel ad se pertinentia; iuxta Caiet. Navar & alios*, vel etiam quavis occasione, vel casu sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licẽtia sequestrant. *Hæc enim sunt contra Religionem, & iustitiã, lædunt que immunitatem Ecclesiasticã.*

Decimaoctava est. 1. Lata in eos qui collectas decimas, Taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs Personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus huiusmodi, *non verò si bonis temporalibus, quibus alias Ecclesiastici negotiationi seculari incũbunt, vt ait Silvester*, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, *& non datur parvitas materiæ ex quantitate imposita, cum iniuria Ecclesiæ semper sit gravis.* 2. *In eos* qui diversis etiam exquisitis modis exigunt. 3. *Aut* sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. 4. *In eos* qui per se, vel alios directè, vel indirectè, *gravando laycos, ita vt necessario grævamen sentiant Ecclesiastici*, prædicta facere, aut in eisdem consilium, *efficax*, auxilium, vel favorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate. Innovantes decreta, *Sacrorum Canonum*, tam in Lateranensi, quàm alijs Cõciliis Generalibus edita etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis, *de quibus Pal. Bonac. Filiu.*

Decimanona est. 1. Lata in omnes, & singulos Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponẽtes in causis capitalibus, seu criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, illas processando, bannien-do, *id est, eijciendo, vel privando Civitate, aut Patria*, capiendo, seu sententias contra illos ferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, *ad quam reducuntur casus in iure expressi quibus Ecclesiastici capi possunt, cum moderamine assecurando eos, vt Iudici Ecclesiastico præsententur, capti vel in fragrãti delicto, aut turpi actu cũ matre filia, vxore, sorore.* 2. *In eos* qui huiusmodi licentiam ad Personas, & casus non expressos extendunt, vel alias perperam abutuntur; etiam si talia comitentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, aut quovis alio nomine nuncupati.

Vigesima est 1. Lata in omnes qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocumque ti-

titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, &c. Patrimonium Beati Petri Thauria, &c. Civitatesque nostras Bononiam, &c. & alias Civitates, terras, & Loca, vel Iura ad ipsam Romanam Ecclesiã pertinentia, dictæq; Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta.

2 *Necnon* supremam iurisdictionem, *& mixtum Imperium, v. g. ad plectendos etiam vltimo supplicio Ecclesiasticos*, in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, *dolo, vel malitia, etiam Sede vacante. 3. Necnon* adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, *efficax cum effectu*, vel favorem quomodolibet præstantes.

Tandem promulgat derogationem privilegiorum ad has censuras absolvendum, & addit: Quod si fortè aliqui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint eos excommunicationis sententia inodamus. *Vnde qui scienter has censuras absolveret absque speciali privilegio, præterquam quod nihil faceret, excommunicationem latæ sententiæ incurreret, sed hæc non est reservata iuxta communem sententiam.*

QUÆRO X. Quomodo potest per Bullam à censuris absolvi? Et Indulgentia semel in vita, & semel in morte, appli cari?

* 48 *Resp.* 1. Ab omni censura Papæ reservata (lata pro crimine hæresis excepta) potest in foro interiori semel in vita, & semel in mortis articulo absolvi; sed à non reservatis Papæ, toties quoties. *Ratio* patet in verbis Bullæ supra n. 5. Dixi *in foro interiori*, quia pro foro externo dicta absolutio non valet, vt constat ex Bulla, & motu proprio Vrbani VIII. *Innovatio constitutionis, &c.* 19. Iunij 1630. declarante quod hæc Bullæ absolutio: *Non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur.* Hanc Bullam integram affert Diana in edition. novis. *in fine 3. p.*

Vnde quamvis probabilis esset contraria opinio etiam in Schola Thomistarum nunc, stante hac declaratione, iam non est practicè probabilis, vt ait *Galleg. dub.* 114. Et quamvis Arana cum alijs adhuc velit esse probabilem, dicens: hanc clausulam à Bulla Cruciata esse ablatam, patitur tamen æquivocationem; quia illa clausula in alia Bulla, & motu proprio dicto extat. Et dato quod pro foro externo valeret, peccaret tamen qui lite pendente absolveret; quia in præiudicium notabile Iudicis Ecclesiastici cederet; & turbatio Tribunalium sequeretur. Ex his infero.

* 49 1. *Quod* absolutus per Bullam, si est publicè excommunicatus, non potest in humanis, & divinis cum alijs communicare etiam si illis nota sit absolutio & absit scandalum, & pars sit satisfacta: quia Confessario solùm, vt Iudici in foro interiori conceditur facultas absolvendi, & sic pro foro exteriori ad nihil absolutio deservit. *Tum etiam*, quia si in hoc casu valeret in foro exteriori etiam in alijs deberet valere, cum concessio absoluta pro omnibus, vel pro nullis debeat intelligi.

Vnde Iudex Ecclesiasticus posset contra eum procedere; sicut in dispensato à sacra pœnitentiaria occultè impedimento matrimonij, si publicatur impedimentum, potest, & debet procedere contra illum, & declarare matrimonium nullum; quia pro solo foro interiori fuit dispensatum impedimentum.

Placet tamen Palaus dicens: quod si Iudici constaret de absolutione (potest enim hoc esse per schedulam datam à Confessario ad pœnitentis petitionem attestantem absolutionem cum Bulla, & satisfacta parte) potest Iudex *dissimulare*, & mitigare sententiam, vel pœnam ordinariam, leviori inflicta solùm ad satisfaciendum scandalo; eo quod coram Deo pœnitens liber sit à censura. Hoc enim directè non est Bullam valere pro foro exteriori, sed indirectè, cum forum *interius*, multis casibus exteriori proficere possit.

2 *Per Bullam* potest absolvi censura non solum lata à iure, sed etiam ab homine; & etiam si publica, & deducta ad forum contentiosum. Ita Palaus, Tambur. & cum multis *Illust. Araujo* in *Select. tract.* 1. *q.* 8. quia in absolutione Bullæ dicitur: *à iure, vel ab homine.* Deinde; quia excommunicationes Bullæ Cœnæ (quæ possunt absolvi) ab homine sunt, eo quod non in corpore iuris, nec in extravaganti, sed singulis annis publicentur.

Tum etiam, quia est privilegium Principis, & concessio absoluta latè interpretanda: & vbi privilegium (sicuti lex) non distinguit, nec excipit; nec nos debemus. Deinde, quia facultas generalis, & indefinita æquipolet vniversali, ex Glossa *solemnem inc. vt circa de elect. in 6. & c. solitæ, de maioritate. & obedient.* Veritamen est non posse absolvi à pœna, sive cessura comminata, nec à vinculo inobedientiæ, vt cũ aliquis in particulari per comminatorium vocatur (hoc enim probant plurimi textus à contraria sententia adducti) sed data sententia, & declarato excommunicato, satisfactaq; parte.

3 *Quod absolutio* debet fieri prius, *satisfacta parte*, vbi est necessaria ex Iustitia satisfactio; alia, invalida est, quia vt conditio exigitur in Bullas Peccabitque Confessor aliter absolvens, & pœnitens ad hoc inducens: quia ita præcipitur in Bulla deficietque Minister in suo officio in gravi, difficilioremque reddet satisfactionem differendo eam post absolutionem: sicut pœnitens etiam notabiliter eam differens ad quam ex Iustitia tenetur. *Nomine* autem *partis* (vt ait Araujo cum alijs) non intelligitur Iudex, Notarius, vel Fiscus, quibus aliqua pœna applicanda erat. sed persona in cuius favorem fulminata est censura, & cui satisfactio debetur.

4 *Quando* satisfactio iudicatur impossibilis, tàm de præsenti, quàm de futuro, potest absolvi sine ea, adhuc iurata; quia in vanum impossibile petitur, & iuratur. Si autem ob infirmitatem, vel aliud impedimentum, non potest satisfactio

statim fieri, spes tamen eius datur, absolutio debet dari præfita cautione pignorantia, vel fideiussoria, vel iuratoria. Ut enim ait Bulla: *Per ipsos, vel dato completo per oratos, aut alios satisfactio fiat.*

5 *Data* hoc modo absolutione, si pœnitens postea potens non satisfacit, censura non reviviscit; quia de hoc non apparet in Bulla vestigium. 6. *Non* potest Confessor per Bullam absolvere ad reincidentiam; quia ita solùm potest absolvere, qui potest censuram ponere. 7. *Potest* hæc absolutio dari extra Sacramentum; quia absolutio à censuris ex natura sua prævia est ad peccatorum absolutionẽ, potestque sine illis fieri, cum aliud non exprimitur (vt factum fuit à S. Pio V. Iubilæi anno 1568.) In Bulla autem hoc non exprimitur. Immò declaratum fuisse à Comissario Generali posse ita absolvi, testatur Palaus.

Nec obstat, quod in Bulla iungantur confessio, & absolutio. Hoc enim fit propter peccata, quæ non possunt extra Sacramentum absolvi. Quia tamen contraria opinio multorum, tenet idem de censuris. Ideo dictam admitto solùm in casu necessitatis, aut maioris vtilitatis; cum nempè oporteret citò absolvi pœnitentem, non tam citò dispositum ad confitendum.

8 *Possunt* absolvi excommunicatio inter dictum personale, & suspensio; quia istæ sunt tres species censuræ in rigore, *ex c. quærenti de verb. signif.* 9. Potest etiam absolvi à suspensione (idem dic de interdicto personali) non solum medicinali, sed quæ purè sit pœna ob contumatiam posita; quia Bullæ concessio est absoluta, & privilegium Principis (in hoc non contra ius commune) latè interpretandum. Et licèt non sint rigorosè, & propriè censuræ, nec absolvantur, sed dispensentur; tamen communiter ita vocantur, earumque relaxatio dicitur absolutio. *Vide Pal de cens. dis. 4. pun. 9. n. 7.*

* 50 *Resp.* 2. Irregularitas, quæ solùm est pœna delicti potest per Bullam absolvi. Ita probatius D. Th. discipuli. *Ratio*: Quia est pœna Ecclesiastica habens speciem, & modum censuræ, & communiter ita nominatur: Ergo potest per Bullam absolvi, cuius privilegium latè interpretadum ad hæc omnia debet extendi. *Antec. cum consq.* constat in absolutione Bullæ Hispanæ illis verbis: *Yo te absuelvo de toda censura de excomunion mayor, ò menor, suspension, ò entredicho, à iure, vel ab homine; y de todas las otras censuras, y penas en que por qualquiera causa ayas incurrido.* Ergo absolutio Bullæ extenditur ad illas pœnas, quæ nomen censuræ obtinent; huiusmodi est irregularitas dicta.

Si dicas cum Car. tom. 3. Tr. 4. disp. 76. n. 65. *Ea verba sunt sum-marij, quod conficit Minister Commissarii Generalis Cruciatæ. Minister autem non solet esse peritissimus iuris: & ideò non est mirum quod erraverit quoad hoc. Miror* hominẽ cordatum posse hoc dicere: Tú ob iniuriam Commissarij. Tum etiam quia Innoc. X. Iubilæo anni 1648. eisdem verbis publicavit Matriti: *Y de las otras censuras*, &c. Et Paul. V. Iubilæo anni 1605. & Greg. XV. Iubilæo anni 1621. his verbis: *Qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & inter dicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, & censuris à iure, vel ab homine*, &c. Ut test. Gail. hic dub. 139.

Confirm. Quia vt ait Palaus cit. suspensio, quæ est purè pœna potest absolvi per privilegia Iesuitarum, eo quod licèt non sit propriè censura, communiter tamen ita vocatur, eiusque relaxatio dicitur absolutio: Ergo potius irregularitas dicta per Bullæ privilegium

* 51 Dixi *quæ solum est pœna delicti*, quia irregularitas, quæ non est pœna sed ex defectu lenitatis, aut significationis, cum sit mera inhabilitas, & impedimentum non potest per Bullam absolvi. Tũ etiam quia irregularitas ex delicto homicidij non potest per Bullam absolvi, eo quod non solùm est Irregularitas ex delicto, & huius pœna, sed etiam secum affert indecentiam, & defectum lenitatis, & significationis; vide D. Th. sup. Tr. 14. Ex. 1 n. 22. *Solum* ergo potest absolvi per Bullam irregularitas ex delicto commisso in administratione, vel receptione Sacramentorum; quia hæc solùm est pœna Ecclesiastica privans bono spirituali, & habens speciem, modum, & nomen censuræ.

Oppono 1. Innoc. III. *in c. quærent. de verb. sign.* respondit esse tantùm tres species censuræ: nempè *excomunicatio, suspensio, interdictum*: Ergo istæ solùm; & non irregularitas possunt per Bullam absolvi. 2. *Irregularitas* non absolvitur, sed dispensatur; nec est impedimentũ ad orationem, ob quod datur absolutio Bullæ: Ergo, &c. 3. *Mend. Moya, & Card.* cum alijs, *disp. 75. c. 2.* improbabilem reputant hanc sententiam: quia sequeretur per Bullam posse absolvi omnem irregularitatem, & pœnam Ecclesiæ: Ergo est tenuis, & dubiæ probabilitatis, practicèque improbabilis, nostra sententia.

* 52 *Ad 1. Resp.* 1 nego ante. quia ibi Pontifex non diffinit esse tantùm tres; sed quærenti quid significetur per censuras in Pontificijs litteris respondit significari illas tres; non quia communiter non sint aliæ pœnæ Ecclesiasticæ habentes speciem, nomen, & modum censuræ, sed quia Ecclesia solùm consuevit inobedientes, & rebelles compellere, illis tribus, quæ sunt medicinæ, & ordinantur ad correctionem. 2. *Resp.* Dato *ant.* nego *conseq.* quia & si non sit propriè, & rigorosè censura, nec medicina ad correctionem, habet tamẽ modum, & speciem illius, & communiter ita vocatur, quod sufficit vt absolvatur, vt ait Ioann. à S. Thom.

Ad 2. dico: Illud esse verum de irregularitate in tota sua amplitudine, non verò de ea, quæ est pœna dicta; hæc enim absolvitur (sicut de pœna suspensionis dixit Palaus) impeditque quietam, & puram orationem, & celebrationem in eo v. g. qui occultè eam contrahit, & ideò celebrare non potest nisi in casu necessitatis ad vitandum scandalum, in quo discernendo inquietum portabit animum.

Ad 3. Resp. Quod nostra sententia communior, & probabilior est in Schola *D. Th.* defenditurque: cum

cum gravi fundamento, oppositaq; solvendo à gravissimis eius Theologis, qui primarias Cathedras, sedesque Cathedrales Hispaniæ illustrarunt, vt *Cano*, *Alvarez*, *Soto*, *Bañez*, *Medina*, *Ledesma*, cum alijs viginti apud *Galleg hic dub.* 139. & Dianam 1. p. *Tract. de Bulla resol.* 27. & 4. p. *Tr.* 2. *resol.* 81.

Ad sequellam de alijs pœnis *Dico*: Quòd interdictum locale, personale commune, & cessatio à divinis nequeunt per Bullam absolvi, vt est commune cum Palao; quia Bulla est privilegium personale pro foro interno ordinatum ad confessionem, & orationem; illæ autem pœnæ afficiunt loca, & personas in communi & pro foro externo.

Similiter degradatio, depositio, & privatio Beneficij Ecclesiastici non possunt absolvi, vt est certum apud eundem; quia principaliter sunt pro foro externo; & nullo modo habent speciem, & modum censuræ, vel pœnæ privantis hominem bono spirituali. Irregularitas autem dicta habens speciem censuræ, & in foro interno personam afficiens, & privans bono spirituali, pœna est quæ potest absolvi.

* 53 *Dic*: Quid conceditur in Bulla pro articulo mortis? nam ex privilegio Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. tunc quilibet simplex Sacerdos potest ab omnibus dictis absolvere? *Dico* 1. Conceditur, vt etiam præsente proprio Sacerdote, vel qui peccata reservavit, possit absolvi à quolibet approbato ab omnibus illis pœnis, censuris, & peccatis. A simplici autem Sacerdote posse hoc modo fieri per privilegium *Trident.* non est certum apud Theologos. Ita Nuño in 3. p. D. Tho. *tom.* 2. *de Bulla*, §. 11. & Ledesma, cum alijs.

2. Qui sine Bulla absolvitur tunc à reservatis, tenetur ex præcepto Iuris sub excomunicatione maiori latæ sententiæ (cap. eos qui sent. excom. in 6.) si convaluerit se postea præsentare Superiori non vt absolutionem obtineat, sed vt satisfactionem offerat, vt ait *D. Thom.* Qui autem per Bullam absolvitur (vel aliud speciale Pontificis indultum) ad hoc non tenetur. Ita cum Paludano, Ledesma, Medina, & alijs *Galleg. dub.* 103.

3. *Per Bullam* absolutus potest tunc lucrari Indulgentiam plenariam, quam alij non luctantur sine speciali aliquo indulto. Ita ijdem. Adde; absolutione informi reservationem tolli. Vide num. seq.

* 54 *Dic iterum*: Quid per mortis articulū hic intelligitur? *Dico*: Intelligitur non solùm verus articulus mortis, sed prudenter præsumptus iuxta Medicorum dictum, vel apparentes circunstantias. Immò etiam de verò, gravi, & probabiliter vrgenti mortis periculo intelligi.

1. *Pars* est communis in Schola D. Tho. cum Galleg. dub. 104. quia illa verba *in mortis articulo* sine restrictione stant indifferenter pro verò, & reali, aut prudenter præsumpto. 2. *Pars* probabilior est in Schola D. Thom. (quamvis Ledesma contrarium dicat) quia eam tenent S. Antoninus, Silvester, Paludanus, Nuño, Armilla, Mansius à Corp. Christi, Primarius Salmanticensis, Souza, Victoria, Catechismus Pij V. & alij à Galleg. adducti, dub. 105. cum alijs extra Scholam D. Tho. & Canonistis cum Navarro.

Ratio: Quia in Iure Canonico indifferenter pro eodem sumitur mortis articulus, & periculum, vt patet *cap. si quis suadente diabolo*, 17. *q.* 7. vbi Innocentius III. de excommunicato ait: *Nullus illum præsumat absolvere nisi mortis vrgente periculo.* Et in decretalibus *cap. non dubium*, ait de eodem Alexander III. *Nec nisi articulo mortis, &c.* Idem patet in 6. decretal. *cap. eos qui.*

2. *Quia in* mortis periculo obligat confessionis præceptum, vt medium ad salutem necessarium: Ergo etiam necessario ad eum extendi debet iurisdictio, & privilegium 3. *Quia* & si mortis articulus, & periculum Metaphysicè, & Grammaticaliter distinguantur, moraliter tamen quantum ad gratiam absolutionis, & indulgentię in iure pro eo eodem sumuntur, iuxta communem Expositorum, licèt in textu solùm exprimatur articulus mortis.

* 55 *Resp.* 3. Conceditur hic etiam quod simul cum absolutione Indulgentia plenaria lucretur semel in vita, & semel in articulo, vel periculo mortis. *Ratio*: Quia Bulla ait: *Possint eligere* (Confessorem) *& ab eo absolvi, & plenariam Indulgentiam semel in vita, & semel in mortis articulo obtinere.* Ex quibus infero.

1. *Quod* hæc Indulgentia etiam in mortis articulo, non potest applicari nisi à confessario electo, vt patet ex verbis Bullæ. Licèt alioquin sententia plurium sit absolutionē à censuris tunc ab habente primam tonsuram, immò & à sæculari posse obtineri. Hoc tamen non valet in Bulla, vt in dictis verbis patet. 2. *Ad hanc* Indulgentiam lucrandam debet præcedere confessio, vt ibidem patet. Verum quidem est quod postea conceditur (vt dicemus §. 10.) pro mortis articulo, vt à contritis lucretur, cum confiteri non possint, in quo solent Authores æquivocari.

3. *Potest etiam* applicari in periculo mortis iuxta dicta num. præcedenti, (quod inconsequenter negat Diana, vt Trull. Mendo, & Galleg. dub. 106. asserunt.) *Vnde potest* applicari ei qui est in periculo perpetuæ amentiæ, quæ æquivalet mortis periculo: Mulieri in primo, aut periculoso, expetientia, partu: & ingredienti similiter, ob causam, periculosam navigationem. *Qui autem* voluntariè, & sine vrgenti causa periculum ingreditur non potest absolvi, & Indulgentiam lucrare, quia non est rectè dispositus; bene verò iam in eo constitutus, si vitare non valet, pœnitet; quia tunc est in periculo constitutus, & bene dispositus.

4. *Semel in* vita lucratur quando intra annum à Confessario ad petitionem saltem interpretativam pœnitentis applicatur, quia ita patet in verbis Bullæ. Vnde illi, qui sensus amittit potest appli-

applicari; quia de Christiano interpretatur petere quod animæ suæ potest prodesse. Vnde laudabilis est consuetudo Confessariorum applicantium pœnitentibus omnes Indulgentias, quas possunt, vt cum Navarro, Enriq. Mendo, & alijs Trullench. asserit. 5. *Licèt* valde probabile sit (ob dictam rationem) posse applicari Indulgentiam, quin pœnitens sciat; probabilius tamen, & tutius est, ipsi notificari debere; quia potest velle eam pro alio tempore reservare; & ignorans, fortè alia vice faciet eam in vanum sibi applicare.

6. *In mortis* articulo debet applicari non cum infirmus est iamiam in vltimo halitu, sed cum proximus morti, iudicatur amplius non peccaturum; vt per eam evadat Purgatorium. Debetque fieri applicatio (iuxta praxim sapientum) tub conditione saltem mentali: *Si hac vice morieris*; ne postea si convaluerit non possit ei sine nova Bulla applicari, cum tantùm semel concedatur pro mortis articulo. Et quamvis *Trull. lib.* 1. *§.* 7. *cap* 2. *dub.* 19 alijs teneat: Indulgentiam non posse sub conditione applicari, absque expressa de hoc concessione; tamen hic de intentione Papæ, ita debet præsumi, cum vellit eam pro articulo mortis valere, & semel tantùm lucrari.

7. *Potest* applicari ei, qui negligens fuit ex confidentia Bullæ debito tempore confiteri; quia hæc exceptio ponitur solùm pro Indulgentia contritis, non confessis concessa (de qua §. 10.) quæ exceptio firmat regulam in contrarium. 8. *Non est* necesse ad eam applicandam (quamvis sit conveniens) vti verbis formularij Bullæ, cum in Bulla non præcipiatur, sed ad melius ordinetur. Et licèt aliqui dicant posse fieri mentaliter, & sine verbis. Probabilius tamen, & tutius est fieri verbis; quia id quod à capite Ecclesiæ visibili præcipitur, vel disponitur sensibiliter debet fieri. Tum etiam quia hic actus, sicut & absolutio, pertinet ad Ecclesiam visibilem. De quo Palaus *Tract.* 24. *de Indulg. disp. vnic. punct.* 4. Vnde potest fieri his verbis: *Applico tibi Bullæ Cruciatæ Indulgentiam plenariam.* Vel: *Applico tibi omnes Indulgentias, quas applicare possum.* Vel si est necessitas, & periculum sufficiet: *Absolvo te*, cùm intentione dicta. Vt ait cum alijs Trull.

Si opponas cum Palao contra Suarez: quod per *Absolvo te* non sufficienter determinatur forma indifferens ad Indulgentias, & peccata cum sola intentione, quæ non est visibilis in Ecclesiæ. *Resp.* Hoc absolutè probabilius, & tutius esse, Immò & quod verbis explicetur qualitas, & quantitas Indulgentiæ dicendo: *Applico tibi Indulgentiam concessam tali, vel tali indulto*; quia verba practica moraliter quod significant operantur, quod non faciunt circa commune, & indeterminatum; vt de quallbet humana donatione dicitur; tamen in necessitate potest modo dicto fieri.

§. 9. *Devotorum commutatione per Bullam.*

* 56 QVÆRO XI. Quænam vota? Et quomodo per Bullã commutari possint? *Resp.* 1. Verba Bullæ sunt: *Conceditur illis vota omnia (Vltramarino, Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium huius expeditionis per eundem Confessorem commutari.* Vnde infero. 1. Non concedi facultatem dispensandi. Quia ex D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 2. *Minus est votum commutare, quam in votis dispensare.* Cum autem conceditur minus, non conceditur maius. 2. *Probabilius* est in Schola D. Tho non posse commutari in materia minori, sed debere esse in materia moraliter iuxta prudentum iudicium æquali; quia *commutatio dicit æqualitatem rei ad rem*, ex Philos. 5. Ethic. *Tum etiam*, quia si in minori fieret, iam in hoc esset dispensatio, hic non concessa. Ita cum Cajet. Soto, Raf. de la Torr. Silvestro, & alijs *Galleg. dub.* 140.

3. *Probabilius* est etiam in eadem D. Thomæ Schola, commutationem per Bullam debere esse totam in subsidium temporale, & pecuniarium Cruciatæ. Quia ita constat illis verbis Bullæ: *In aliquod subsidium huius expeditionis.* Tum etiam, quia ita declaravit, non semel, authoritate Apostolica Commissarius Generalis. Et declaratio nostri Illustriss. Fr. Antonij de Soto Mayor, affixa fuit in Ecclesijs, & Conventibus Matriti anno 1642. vt omnibus Confessarijs pateret, concludens: *Todas, y qualesquiera comutationes de votos, que los Confessores hizieren, no han de poder aplicar la limosna, ni comutacion à otra obra pia, sino à la dicha Santa Cruzada; y lo que de otra manera se hiziere, serà nulo.* Vide latè apud Galleg. *dub.* 150.

Vnde sententiæ asserens commutationem posse fieri solùm in subsidium spirituale non est tuta ait Rafael de la Torr. 2. 2. D. Thom. q. 88. art. 12. disp. vlt. *Cum de intentione Bullæ dubitari non possit intelligenda de subsidio temporali.* Et nullus sit etiam ex ostiatim petentibus qui aliquid temporale non possit dare. Sententia verò asserens commutationem posse fieri partem in subsidium temporale, & partim in spirituale orationum, &c. potest in pauperibus practicari, dummodo dent, ad minus, duas dragmas (sicut pro acceptione Bullæ) in subsidium eius. Quia (vt ait Bardi *p.* 2. *Tract.* 7. *cap.* 1. *sect.* 11.) iuxta mentem Pontificis potest ita præsumi.

* 57 *Dic* quomodo practicè fiet voti commutatio? *Dico*: Si commutatio fiat per Confessorem Religiosum iuxta eius privilegia, Tract. 10. Ex. 3. n. 46. dicta, vel per aliud privilegium, aut Jubilæum, fiet iuxta regulas ibi traditas *n.* 45. Quibus adde Sic à Sede Apostolica normam, *cap. magne, de voto, & voti relax.* tradi,

Tibi

Tibi pro te, & famulis tuis licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, vt expensas, quas fueras in eundo, morando (nota verba) *& redundo facturus alicui Religioso committas in necessarios vsus terræ illius, sine diminutione qualibet transferendas, laborem etiam laboribus recompenses, solicitus instando vigilijs, devotius vacans orationibus, & in ieiunijs fortiùs te exercens.*

Si votum non fuerit peregrinationis (seu visitandi aliquod Sanctuarium) relictis expensis, modo dicto proporcionaliter commutabitur ad iudicium boni viri, & moralem æqualitatem.

Si commutatio fiat per Bullam, opera, & omnes illæ expensæ debent in subsidium Cruciatæ esse, quod in gazophilatium mitti debet: *Echarse en el cepillo, que para esto suele estàr en las Iglesias Cathedrales.* Plura de commutatione pro diversitate materiæ, vide apud Mendez hic n. 158. & N. Mag. Fr. Ioan. de Pace Regent. Manilæ, *consult. 57. pag. 157. à num. 358.*

* 58 *Resp. 2.* Vota in Bulla suprà excepta, & Papæ reservata sunt quando absoluta, perpetua, totalia, & perfecta sunt. Est generalis Doctorum regula. *Ratio:* Quia reservatio, & pro ea exceptio, est res odiosa, & ita restringenda ad vota (sicut & peccata) stricte & modo dicto sumpta. Unde infero.

1. *Vota* dicta, quando sunt *pœnalia conditionata*: v.g. votum non Ludendi sub pœna ingrediendi Religionem, &c. posse per Bullam commutari, quia non sunt absoluta, & perfecta cum non eligantur ex amore, sed vt terrore detineant. Ita probabilius in Schola D. Tho. Nuño tom. 2. in 3. p. de Bulla, §. 11. Medina, Ledesma, Lopez, Cano, La-Torre *in 2. 2. D. Thom. q. 88. art. 12. disp. 3.* Galleg. hic dub. 168.

Dixi *conditionata*, quia si pœnale sit absolutum, v. g. qui vovit eo quod perdidit Cathedram, &c. votum non potest commutari; quia in his, si non ex amore, tamen directè consensus in rem fertur perfectè, & absolutè; imperfectio autem est ab extrinseco, & in motivo; non in consensu, & intrinseco actus, sicut in illis. Ita Galleg. cum alijs cit.

2. Vota *purè conditionalia de futuro contingenti*, etiam impleta conditione posse commutari tenent probabilius in Schola D. Thom. cit. AA. quia quamvis implera conditione transeant in absoluta, semper tamen retinent illam imperfectionem, nempe quia non fuerunt facta ex amore, & affectu ad Religionem, &c. sed ex alia affectione.

Dixi *purè conditionalia*, quia multoties ly *si*, non facit purè, & verè conditionalem, sed idem ac *postea*, v. g. filius ex affectu, & amore ad Religionem dicens: *Voveo Religionem si Pater moriatur.* Tunc promissio est absoluta, & directè fertur ad Religionem. Igitur vt sit condicionalis ly *si*, debet suspendere consensum, qui non directè fertur ad rem quam vovit, sed ad illud quod de futuro desiderat, & pro quo ponit conditionem. Ita ex Ledesma, & La-Torre notat Galleg. dub. 169.

Dixi etiam *de futuro contingenti*, quia conditionata de præsenti, præterito, aut futuro necessariò nequeunt commutari, quia in re sunt absoluta, vt ait Palaus cum communi *disp. 1. de voto, punct. 17. n. 1.*

Vota de conditione impossibili non obligare tenet cum Bonac. & alijs Palaus cit. quia quamvis hæc conditio non annullet contractus, nec vltimas voluntates, hoc est, quia leges humanæ ita disponunt, quod non tenet in votis. Et dato quod obligarent, possent commutari, ob sui imperfectionem.

Vota de cõditione turpi regulariter sunt nulla, quia induunt finis malitiam. Si autem purè conditionaliter, & quasi in pœnam fiant: v. g. *Si mulierem turpiter attigero* (quod non desidero) *voveo Religionem* sunt valida; quia tunc malitia supponitur, & non vt medium assumitur; poterunt tamen commutari, ob dicta.

3. *Vota* illa facta propter metum etiam levem ab extrinseco, posse commutari, valdè est probabile apud Bonac. de *leg. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n. 17. ex* Lesio, Navarro, Diana *p. 1. Tract. 12. resol. 73.* quia non sunt simpliciter perfecta; sed aliquo modo coacta.

4. *Vota* illa emissa à filio ante pubertatem, aut à servo, vel ab alio potestati alienæ subiecto, licèt possint irritari à Patre, vel Domino, non tamen possunt per Bullam commutari (nec ab Episcopo dispensari, vt minus bene affirmat Gutierrez) quia diversæ sunt potestates, & Papa per reservationem non intendit de rogare potestati dominativæ, bene verò commutativæ à se concessæ. Ita cum communi Sanchez de *Matrim. libr. 8. disp. 9. num. 4.*

5. *Nequeunt* vota generaliter commutari: v. g. *Cummuto tibi omnia vota, quæ deinceps feceris*; vel sub conditione quod illa facias intra tempus durationis Bullæ; quia obligatio, quæ non est, commutari nequit, vt est commune *contra Trull.*

* 59 *Resp. 3.* Votum castitatis reservatum, & hic exceptum debet esse totale, & perfectum, ac perpetuum ob dicta in hoc Ex. n. 58. sicque aliter factum potest commutari. Unde infero. 1. *Votum* non nubendi posse commutari; quia non est castitatis simpliciter, & qui cum eo fornicaret contra votum castitatis non peccaret. Nec æquivalet voto castitatis; cum istud tam ad castitatem ex consilio, quàm ex præcepto, illud verò solum ad castitatem ex consilio extendatur. Unde etiam potest ab Episcopo dispensari, vt probabilius in Schola D. Thom. cum S. Anton. Silvestro, Nuño, Ledesma, Soto, & alijs *tenet Galleg. dub. 157.* quamvis Caietanus contrarium dixerit. *Si autem fieret* in favorem tertij: v. g. Conjugis petentis, vt eius amor, honor, & nomen conservetur, & filijs, sit bene; non posse commutari, nisi coniux re-

remittat, ait bene *Sanch. disp. 9. n. 12.* quia gratia non conceditur in præiudicium tertij.

2. *Votum virginitatis* cum intentione solùm servandi virginitatem, non verò absolutè castitatem potest commutari; quia non est absolutè castitatis, sed abstinendi se à primo luxuriæ actu, & servandi integritatem. Secus autem si absolutè fiat intelligendo omnimodam castitatem. 3. *Votum* non fornicandi: votum non tenendi certam mulierem: votum non polluendi: votum non petendi debitum (etiam si vterque coniux communi consensu voveat, nec petere, nec reddere) possunt commutari, quia non sunt vota totalia castitatis.

4. *Votum castitatis* coniugalis potest commutari ob eandem rationem; secus autem si sit solemne, & approbatum à Sede Apostolica, vt est votum æquitum Ordinum Militarium; ita cum communi tenet *Galleg. dub. 152. 5. Votum* emissum ab altero coniuge (matrimonio consummato) & inscio alio, potest commutari durante matrimonio; quia non est totalis castitatis, & tenetur reddere debitum, soluto verò matrimonio teneretur ad castitatem, nisi antea fuerit commutatum, vel postea à Papa obtineat dispensationem; si autem fiat vtriusque consensu, nequit comutari; quia tunc iam est perfectum. 6. *Votum* emissum pro tempore limitato, potest commutari; quia non est perpetuum, & perfectum. Secus autem si fiat ad centum annos; quia supposita vitæ brevitate censetur perpetuum, vt *ait Nuño cit.* cum alijs.

7. *Votum assumendi Ordinem Sacrum* (idem dic de voto vovendi castitatem, & promittendi Religionem, &c.) potest commutari; quia non est directè castitatis, sed assumendi statum cui est annexa. Unde posse Episcopum dispensare tenet cum Rafael de la Torre, Ledesma, Candido, & alijs Thomistis *Galleg. dub. 155.* licèt Sotus illud sumat pro voto castitatis.

8. *Votum disiunctionum*, si altera pars non est reservata: v.g. *Voveo castitatem, aut perpetuum Sabbati ieiunium*, potest commutari; quia non est absolutum, & simpliciter, & pœnitens potest eligere partem non reservatam, & commutabilem; ex Regula 60. de regul. iur. in 6. *In alternativis debitoris est delectio, & sufficit alterum adimpleri.* Electa iam parte reservata non posse commutari, probabilius est; quia semel electa, non est in sua manu, etiamsi pœniteat, non esse materiam, & votum reservatum.

9. *Nequit* commutari votum perfectum, vt qui cum eo contraxit petat debitum; quia licèt in casu necessitatis possit Episcopus in hoc (& in alijs casibus Papæ reservatis) dispensare; tamen hoc non facit Iure Ordinario, sed Iure speciali, ex consuetudine.

* 60 *Resp. 4.* Votum Religionis vt sit Papæ reservatum, & hic exceptum debet esse Religionis approbatæ, & strictè dictæ, propter rationem *Ex. 2. n. 58.* datam. Unde infero. 1. *Per Bullam* potest commutari votum Religionis non approbatæ: vel vitæ eremiticæ, aut ingrediendi domum vbi existunt personæ Deo dicatæ. 2. *Posse* commutari votum Religionis æquitum Militarium; quia dubium est, an sint strictè, & propriè Religiones. Excipe voventes esse *Freyles*, vel Moniales dictarum Religionem; vel voventes Religionem S. Ioannis Melitensis, ob contrariam rationem.

3. *Votum* perseverandi in Religione non potest per Bullam commutari; quia ex *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4.* Quamvis absolutè vovens Religionem ingredi, non teneatur perpetuo in ea manere: *Si vero vovens intendit se obligare non solùm ad ingressum Religionis, sed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere.* Unde iuxta *D. Tho.* votum permanendi in Religione ex parte obiecti non est distinctum à voto Religionis, sed fortiùs, & perfectiùs; nec est qualitas, sed substantialius voti Religionis.

4. *Potest* per Bullam commutari (sicut etiam potest Episcopus dispensare, vt *ait Sanchez disp. n. 76.*) qualitas voti Religionis, v.g. in eo qui vovit intra annum ingredi, potest commutari vt differatur; quia substantia voti est quæ reservatur. Et potest etiam ob eandem rationem commutari votum ingrediendi Religionem arctiorem, vt laxiorem ingrediatur, dummodo in hac substantialia Religionis serventur. Et votum ingrediendi determinatam Religionem, aut domum, vt in alijs ingrediatur servando semper æqualitatem in commutatione, piorum operum additione.

* 61 *Resp. 5.* Votum vltramarinum Papæ reservatum, & in Bulla exceptum est solùm votum peregrinationis in Ierusalem devotionis causa. *Ratio*: Quia de stricta peregrinatione vltramarina (quæ est in Ierusalem) debet intelligi, vt *Raphael de la Torre 2. 2. D. Th. q. 88. art. 12. disp. vlt.* ait cum communi; colliguntque ex iure, *cap. ex multa, de voto, cum Glos.* vbi solùm istud dicitur vltramarinum, eo quod Ierusalem sita est in Asia ex alia parte maris nostri Mediterranei. Et in *Extravag. & si Dominici*, reservantur Papæ vota peregrinationis solùm cum fiunt devotionis causa. Unde infero.

1. *Vota* peregrinationis ad visitanda Limina Apostolorum, aut S. Jacobum in Compostella licèt sint Papæ reservata, & nequeat in illis Episcopus dispensare, posse per Bullam commutari; quia non sunt in ea excepta.

2. *Votum* visitandi Domum Lauretanam Sanctæ Mariæ Virg. posse per Bullam commutari. *Tum* quia non est Papæ reservatum, vt ait Raphael de la Torre contra Navarr. (licèt enim Papa Leo X. illud reservarit, vt historia illius Domus refert; tamen non est in vsu, vt ait cum communi Galleg. dub. 167. *Tum etiam*, quia dato quod esset reservatum, non est in Bulla exceptum. Idem dic de voto assumendi Crucem in quamlibet Papæ expeditionem, vt est commune contra Hostiensem, ob eandem rationem.

* 62 *Res-*

* 62 *Resp.* 6. Cæterā omnia vota etiam iuramento firmata possunt per Bullam commutari, & etiam iuramenta. *Ratio* 1. *p.* Patet in verbis Bullæ Latinæ dictis, & Hispanæ dicentis: *Podrà conmutarles qualesquier votos, aunque sean hechos cō juramento. Ratio* 2. *p.* Quia iuramenta, sive fiant independenter à voto, sive concomittanter, sive in confirmationem, solum inducunt obligationem Religionis; sicut in voto, æquiparantur q; moraliter in ordine ad Deum, & virtutem Religionis. Et iuxta reg. iuris: Quod disponitur in vna de duabus rebus æquiparatis iustum est disponi in alia.

Nec obstat quod votum, & iuramentum sint vincula specie distincta; quia hoc solum est speculativè, seu extensivè; non verò extensivè, seu moraliter in ordine ad Deum, & Religionem. Ex quibus infero.

1 *Vota*, & iuramenta emissa in favorem tertij v.g. dandi eleemosynam pauperi, vel Ca iedem alicui Ecclesiæ si non sunt acceptata à paupere, vel à Superiori Ecclesiæ posse per Bullam commutari (sicut potest Episcopus dispensare, vt Dei creditor, & Minister) quia nullum ius illis tribunt. Si autem sint acceptata nequeunt commutari (sicut nec alia promissa aceptata) quia sic iam dant ius ad rem, & licèt Pontifex possit ea relaxare; non tamen concedit indulta in præiudicium tertij. Ita cum *Raph. de la Torr.* 2. 2. *D. Tho. q.* 88. *art.* 12. *dub.* 2. quamvis alij Thomist. licèt aliqui etiam sine data limitatione teneant.

Si autem iuramentum fiat homini, aut in eius favorem, metu tamen iniusto, aut iniustè extortum, aut sic coactum, potest commutari etiamsi sit acceptatum, vt ait Ledesm. de Matrim. dub. 13. & colligitur ex D. Th. 22. q. 90. art. 7. ad 3. dicente: *Ille qui vim intulit hoc meretur, vt ei promissum non servetur.*

2 *Licèt votum* dubium non obligare probabilius in Schola D. Th. defendant Sot. Medin. Lud. Lop. Ledesm. Raph. de la Torr. Alvar. Ioann. à Cruce, Candid. Ioann. à S. Th. & alij *ap. Galleg. hic dub.* 171. quia tamen contrarium alij iudicant, vt supra dictum est, infero (sicut de peccato reservato dixi) posse per Bullam commutari, quia in ea solum votum certum, & perfectum est reservatum, & exceptum.

3 *Potest commutari* votum præstandi aliquid, & non petendi commutationem voti; tum quia non reservatum; tum etiam quia vovens nequit derogare potestati superioris facultatem commutandi dantis. Peccabit tamen petens commutationē, quia frangit votum, vt ait *Gall. dub.* 144. *Idem dic de voto* emisso cum intentione reservandi illud Papæ; & faciendi indispensabile, & incommutabile: quia voti reservatio pendet à potestate, & voluntate reservantis, non vero ab intentione voventis quæ nec in hoc aliquid facit, nec potest illi præiudicare.

4 *Possunt* commutari vota emissa tam ante, quā post publicationem, & acceptionem Bullæ durante anno (eidem dic de tempore Iubilæi) quia Bulla loquitur indefinitè, & absolutè, estque favor non restringendus. Sicut diximus de absolutione reservatorum, quia *verba concessionis indefinita extenduntur ad ea quæ ante, & post concessionem contingerunt*, ex *Gloss. in c. quia circa de privileg.* 5. Possunt etiam commutari vota emissa sub spe Bullæ, vel Iubilæi) sicut diximus de absolutione, & Indulgentia. 6. *Potest* commutari votum non peccandi, quia non est reservatum, & dato quod esset, non est exceptum, vt latè Mendo cum alijs.

7 *Potest* commutari materia à Papā iam commutata, si non est reservata, sicut etiam quælibet alia materia subrogata in qua fuit votum reservatum ab alijs commutatum (sicut potest Episcopus in hoc dispensare Iure Ordinario) vt cum Raphaele de la Torr. cit. dub. 5. Silvestro, & alijs ait *Gall. dub.* 164. quia per commutationem extinguitur prius votū, & eius materia. *Nec obstat*, quod subrogatum sapiat naturam eius cuius subrogetur; quia hoc tenet in favorabilibus, non in odiosis, vt cum pluribus tenet Mendo.

8 Potest etiam commutari pœna incursa ob voti fractionem; quia per viam voti debetur, ab eo originatur, & integrè ab eo non contradistinguitur, immò dicit ordinem essentialem ad illud; nec debetur ex iustitia, sed Religione, vt cum Raphaele de la Torr. cit. dub. vlt. Ioann à Cruce, & alijs ait *Gall dub.* 143. contra Navarr. & alios.

6 *Peccabit* Confessor electus nolens commutare; quia est Iudex delegatus in favorem pœnitentis non fideliter segerens: sicut Episcopus dicitur infidelis negans subdito dispensationem *iusta* causa petitam. *cap. quanto*, 2. *q.* 5. Ita Galleg. cum alijs. 10. *Commutatio* debet fieri per Confessarium approbatum, à pœnitente electo, etiamsi cum eo numquam fuerit confessus, potestque fieri extra confessionem, quia non est eadem ratio, ac de absolutione, valetque solum pro foro interiori sicut dictum est de absolutione, vt cum communi tenent Mendez, & Galleg.

11 *Facta* commutatione omitens hæc opera præstare licèt peccet, non ob id reincidet in prius votum (quidquid dicat Rodriguez in contrarium) quia per commutationem verè fuit extincta obligatio prioris, sicque contra illam non peccat. Ità cum communi Trull. 12. *Potest hæc* commutatio fieri totie s quoties factum fuerit votum, quia absolutè est concessa, & sine exceptione; & exceptio, quæ ponitur in absolutione firmat regulam in contrarium, vt cum Thom. Sanchez *Galleg.*

13 *Ad commutationem* nulla alia causa requiritur præter eam qua Bulla conceditur, & stipendium datur, maiorem effectum voventis ad hanc quam ad illam materiam, vt ait cum commun. Galleg.

14 Omnes istæ commutationes possunt, & debent fieri intra annum publicationis, vt dict. est Ex. 1. n. 27. Si autem intra annum Confessor occupatus dicat *ex tunc commuto in materiam*

riam postea designandam, vel pœnitens illud petijt, Confessor autem, vt attentius rem consideret tempus distulit, poterit transacto anno adhuc fieri commutatio; nam actus iurisdictionis tempore legitimo fuit, & causa incepta; sed tamen quousque designentur materia, prior obligatio non cessat. Si autem non petijt, vel causa non fuit incepta, trasacto anno non potest votum etiam oblitum commutari, vt ibi est dictum.

* 63 *Oppono*: Per Bullam (vel Iubilæum) Confessus si reservatorum fuit oblitus; vel si ea cõfessus, in formis fuit confessio defectu integritatis, vel doloris potest, transacto termino Iubilei & anno, absolvi ab eis per quemlibet Confessarium, quia reservatio fuit ablata, vt probabilius in Schola D. Thom. cum Cajet. & alijs tenet Galleg. dub. 111. & 112. Ergo idem valet in voto? *Nego conseq.* Quia vt diximus n. 27. ab oblitis iam fuit indirectè absolutus; de alijs iam fuit cognitum, vel indicarum ante Tribunal cui erant reservata. Hoc autem non reperitur in voto, quia de illo nihil fuit tractatum.

§. 10 *De vltima gratia pro vivis, & mortuis hac communi Bulla concessa.*

* 64 QUÆRO XII. Quid in Bulla conceditur morientibus sine confessione? & probina Bullæ acceptione? *Resp.* 1. Conceditur: *Item si dicto anno durante contingat ob repentinam mortem, vel Confessorum absentiam sine confessione decedere (modo contriti decesserint, & prius statuto tempore confessi fuerint, neque in huius concessionis fiducia negligentiores fuerint) plenariã, vt supr. remissionem consequantur.* Hæc Bulla Latina, cui addit Hispana: *Y que à sus cuerpos se pueda dàr ecclesiastica sepultura, sino huvieren muerto descomulgados, no obstante el Entredicho.* ex quibus infero.

1 *Hanc Indulgentiam* plenariã solùm negatam fuisse illis qui negligentiores fuerunt confiteri tẽpore statuto ab Ecclesia ob confidentiam positivam Bullæ; id est, prœoculis habendo hanc concessionẽ; non autem si ob fiduciam quasi negativam ordinaria fuit negligẽtia, vt illorum qui ob fragilitatem, vel malitiam propriam ommittũt confiteri habentes generalem, & ordinariam peccantium fiduciã. Quia ita patet in verbis Bullæ: Si attentius considerentur, vt communiter Authores intelligunt.

2 *Repente* moriens cũ solis peccatis venialibus nõ tenetur ad contritionem, vt hanc Indulgentiam lucretur; quia contritio exigitur vt dispositio ad Indulgentiam, quam iam habet qui est in gratia, qui & dicitur contritus ad hunc effectum, de quo latè *Trull.* cum commun. *lib.* 1. *§.* 7. *c.* 2. *dub.* 20. *n.* 2. & Mend. *n.* 178.

3 *Sepultura* tẽpore interdicti omnibus habentibus Bullã cõceditur, vt dictum est T. 18. E. 2. n. 10. mortuus tamen excommunicatus non potest per Bullam absolvi, sed à Iudice, vel Superiori, quæ propriè non est absolutio, sed declaratio, quod sic qui cõtritionis signis est mortuus non obijt in mortali, nec cum pertinacia, & inobedientia.

* 65 *Resp.* 2. Conceditur: *At etiam omnes Christi fideles non tantum semel, sed bis singulo quoque anno, servatis thenore, & forma prædictis, quibus eodem anno idem summarium sumpserint tam pro se quã per modum suffragij, pro animabus in purgatorio detentis, Indulgentias, gratias, & indulta prædicta, vti, & potiri, & gaudere, ac dictorũ honorũ spiritualiũ participes fieri valeãt, in Domino misericorditer cõcedimus, & elargimur.* Hæc Bulla ex quibus infero. 1. *Hic concedi* duplicatas posse lucrari Indulgentias, & gratias in Bulla solum pro vna vice concessas ab accipientibus duplicem Bullam. 2. Non posse sumi nisi duas Bullas eodem anno. Si autem Bulla multoties deperdatur, multoties posse accipi iuxta commun. Doct. quia semper vna reputabitur in ordine ad fruitionem gratiarum, & privilegiorum. *De suspensione* Indulgentiarum, & alijs Commissarij facultatibus Ex. *y.* dicemus.

EXAMEN III.

De Bulla defunctorum, eorumque suffragijs.

* 1. QÆRO I. Quid est hæc Bulla, quomodo, & quibus concedatur? *Ante responsion. Nota*, de fide esse dari Purgatorium, sive locũ in quo aliquæ defunctorum animę satis patiuntur pro peccatis pro quibus in hac vita nõ plenè satisfecerunt. Ita definitum est (contra Hæreticos tum antiquos, tum recentes vsque ad Lutherum eiusque sectas) ab Ecclesia in variis Concilijs, præcipuè Florentino sess. vlt. in Decreto fidei; & in *Trident. sess.* 6. *Can.* 30. & *sess.* 25. Decret. de Purgat. ostenditurque ex variis Scripturæ locis à *D. Th. in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *qq.* 2. & alijs Ecclesiæ PP. & DD. præcipuè *Bell. lib.* 1. *de Purg. c.* 2.

Resp. 1. Bulla defunctorum est: *Bulla de indulgencia plenaria, concedida para las animas de los fieles difuntos, por las Santidades de Paul. V. y Vrbano VIII. de felice recordacion, y mandada publicar por N. muy S. P. N. Nuestro muy S. P. Paul. V. y de felice recordacion, cõcediò esta presente Bulla, è indulgencia plenaria, y la manda publicar N. muy S. P. N. Y por quanto vos N. distes dos reales de plata, que es lo que està tassado, y declado por Nos N. Comissario Apostolico General de la Santa Cruzada en todos los Reynos, y Señorios de su Magestad para esta santa expedicion, y empressa, en favor del anima de N. y recibistes en vos esta Bulla, le es otorgada la Induigencia sobredicha &c.* Sic then. Bull. ap. Méd. dis. 1. c. 2. Vnde infero.

1 *Hæc*

1 *Hæc Indulgentia est* plenaria, & totalis per quam anima cui Bulla applicatur de pœnis Purgatorij liberatur; quia Indulgentia plenaria per modum suffragij adæquat omnes pœnas, quas anima erat luitura in purgatorio, Nec inde inferas non posse duas, aut plures Bullas sumi pro eadem anima, immò posse duas eodem anno sumi (ait textus num. præcedenti) & plures diversis annis, patet; quia non est infalibile, nec methaphysicè certum, Indulgentias pro defunctis habere ita effectum in anima cui applicantur. Nam ex S. Augustin. *Hæc eis prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse meruerunt.* Et D. Thom. in addit. ad 3. p. q. 71. art. 2. ad 1. colligit idem ex illo Pauli 2. Cor. 5. *Prout gessit. Et ad* 3. Quia pendet à divina acceptatione, & à capacitate animæ, prout in via meruit, & ab exequête vel imperante opus.

2 Quod hæc Bulla (sicut de alia dictum est) debet accipi, vt effectum habeat; quem habebit quando eam applicavit pro anima; quodque tutius fiet quando moraliter iudicat esse in gratia, qui eã applicat. Sicut, & dispositio testamenti. 3. *Quod* non potest vna Bulla accipi pro pluribus animabus, vel pro illis, quas Deus vellit; sed pro vna determinatè. Quia ita cõstat ex *text. Bullæ*, & ex communi praxi Ecclesiæ, vt benè cõtra Mẽd. *notãt Trull. & Bar.*

4 *Quod* si hæc Bulla non accipitur, quamvis pro defuncto elee mosyna detur, vel alia communis Bulla accipiatur, Indulgentia pro anima non lucratur; quia quamvis hæc Indulgentia in communi Bulla contineatur, vult tamen Pontifex vt lucretur, quod eleemosyna iuxta taxationem, & dispositionem Commissarij Generalis detur; Commissarius autem hoc fieri disponit accipiendo hanc Bullã seorsum.

5 *Hanc Bullam* possunt accipere, qui aliam communem vivorum, vt patet in textu communis Bullæ. Unde Italus, Gallus, &c. venientes ad Hispaniam possunt eam accipere pro suis defunctis.

6 *Eleemosyna* taxata à Commissario pro hac Bulla sunt duo argentei, *dos reales de plata*, sine distinctione personarum, vt patet in Bulla. Licèt pro Indis alia sit taxa, de qua *Mend. disp. 36. n. 6.*

* 2 QVÆROII. Quomodo his, & alijs suffragijs mortui possunt iuvari? *Nota* 1. Certum esse Papam posse cum sufficienti causa (vt est in Bulla) Indulgentias pro mortuis concedere; contrariumque est erroneum, damnatumque videri à Leone X. in epist. missa ad Caietanum, contra errores Lutheri. Episcopos verò non posse, nisi ex speciali Papæ commissione, vt patet ex cap. *Quod autem*, & cap. *Cum eo de pœnitent. & remiss. Nota* 2 De fide esse Purgatorij animas posse fidelium suffragijs adiuvari vt definitum est in *Trident. Sess.* 25. decret. *de Purgat.* Non verò animas damnatorum, & quæ in Lymbo, aut Cœlo. De quo D. Thom. *in addit. q.* 71. *art.* 5. *& seq.*

* 2 *Resp.* 1. Hæc, & aliæ Indulgentiæ valent defunctis per modum suffragij, seu vt ait D. Thom. secundario, & indirectè; non verò per modum absolutionis, principaliter, & directè, sicut vivis. *Rat io*: Quia defuncti non sunt Papæ subditi, nec ab eo possum ligari: Ergo non possunt per modum absolutionis, sicut vivi, sed solum per modum suffragij offerendo Deo pretium æquivalens, à pœnis liberari, sicut cum amicus solvit centum pro amico in carcere detento ob tale debitum, liberat eum; non sicut Iudex, qui authoritative hoc facit.

* 4 *Resp.* 2. Licèt Papa absolutè, & speculativè loquendo possit pro suo libito evacuare Purgatorium omnes animas per Indulgentias liberando; non tamen potest licitè, practicè, & moraliter loquendo. Ita Cum D. Thom. & Silvestro conciliantur oppositæ sententiæ. *Ratio* 1. *p.* Quia sicut mediante Thesauro Ecclesiæ potest liberare omnes qui sunt in mundo à peccatorum pœna, si faciant quod mandat; ita omnes, qui in purgatorio, si pro eis fiat quod iubet Indulgentias plenarias concedendo, ait Silvester verbo Papa, §. 6. *quæritur*; & verbo Indulg. §. 3. ait ex D. Thom. *Inordinatè faciens Indulgentias peccat: & nihilominus quis plenam Indulgentiam consequitur. Ratio* 2. *p.* Quia ibid. §. 7. ait D. Th. *Non potest Papa ad libitum evacuare purgatorium; quia hoc esset in discretum, & irrationabile.*

* 5 *Resp.* 3. Triplici genere Indulgentiarum possunt per Bullam mortui iuvari. *Ratio*: Quia primò in illa conceditur euntibus ad bellum Indulgentia plenaria: *Item eadem Indulgentia suffragabitur per modum suffragij, etiã animabus defunctorum pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit.* Secundo, hac Bulla defunctorum. Tertio Indulgentia stationum.

* 6 *Resp.* 4 Hæc suffragia non de condigno & ex iustitia à Deo acceptari, sed ex gratia, & misericordia. Ita probabilius in Schola D. Th. Et cum *Caiet. tom.* 1. *Op. Tract.* 16. *q.* 5. Cano, Soto, & alijs, contra Suarem, Navarro, & alios *tenet Trull. lib.* 4. *dub.* 6. *Ratio*: Quia Deus offensus, non tenetur acceptare satisfactionem ab alio exhibitam, sed habet semper ius exigendi eam ab offendente. Deinde, quia nulla extat in sacris litteris de hoc promissio, vel pactum. Illud autem Joan. 11. & 16. *Quidquid petieritis, &c.* intelligitur in ordine ad salutem propriam, vt ex D. Aug. *ait S. Thom.* 2. 2. *q.* 84. *art.* 15. *ad* 2.

Vnde probabilius est suffragia per modum meriti de congruo, & impetrationis, & non solùm per modum satisfactionis prodesse defunctis, vt dictum est, & patet ex oratione Ecclesiæ: *Fidelium Deus, &c.* & communi Theologorum dicentium: Sanctos in Patria orare pro animabus pro quibus iam non possunt satisfacere, de quo *Trull. lib.* 4. *dub.* 6. cum Lugo de pœnit. *disp.* 24. *sect.* 1. *& alijs.*

* 7 *Resp.* 5. Licèt cæteris paribus, & absolutè magis prosit defunctis Missa in Altari privilegiato, quàm hæc Bulla, ob valorem sacrificij, & orationum; tamen multories magis proderit Bulla; quia magis certa Indulgentia, & causa

concessionis in ea. Sed *Nota* 1. *ex D. Th. in addit. q. 71. art. 10. ad 5.* quod ex parte sacrificij oblati Missa æqualiter prodest defuncto de quocumque dicatur; sed ex parte orationum magis prodest illa in qua fiunt orationes ad hoc determinatæ: *Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem, vel eius qui dicit Missam, vel eius qui iubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cuius suffragium in illa Missa implora-tur.* Ait S. Thom.

2 *Suffragia*, quæ fiunt pro vno defuncto, in quantum satisfactoria, & ad solutionem, ac demissionem pœnæ magis, immò soli ipsi prosunt; quia sic comparantur solutioni: Sed in quantum ex charitate procedunt, & important quandam consolationem interiorem, pœnæ diminutionem, & delectationem de bonis alterius, sic magis valent ei, qui magis charitate est plenus, quamvis specialiter pro eo non fiant; quia sic comparantur lumini, quod etiam deservit ei pro quo non accenditur, immò magis illi qui melioribus oculis polet. Ita ex *D. Th. art.* 12. conciliante oppositas sententias.

Similiter suffragia facta pro vno, vel paucis magis prosunt, quam si pro multis fiant, vt satisfactiones; non vt ex charitate fiunt, *quia charitas non minuitur, si distribuatur affectus in multos, immò magis augetur, sicut gaudiū*, ait ex Aug. S. Th. a. 13.

3 *Quod licèt* divites quantum ad aliquid possint esse melioris conditionis, quam pauperes, scilicet quantum ad expiationem pœnæ, quia plura suffragia pro eis fiunt; sed hoc quasi nihil est comparatū possessioni Regni in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur. Luc. 6. *Hæc D. Thom. art.* 12. *ad* 3. Adde ex eodem cum *Mag. Sent. & Damasc.* quod ex communibus suffragijs pauperes iuvantur; & credibile esse quod per divinam misericordiam si aliquid de specialibus suffragijs supersit his pro quibus fiunt, dispensetur his pro quibus nō fiunt. *Ita art.* 14. *ad* 2.

* 8 Adverte obiter, quòd licèt Eucharistia, vt Sacramentum directè non prosit defunctis; tamen indirectè etiam ex opere operato est præcipuum eorum suffragium; pijssimaque, & laudabilis est cōsuetudo pro mortuis communicantiū. *Ratio* 1. *p.* est D. Th. 3. p. q. 79. art. 7. quia Eucharistia sic (vt alia Sacramenta) solùm suscipientibus prodest, cum solùm eos sanctificet: sicut cibus solis manducantibus, & medicina solùm sumentibus prosunt.

Ratio 2. *p.* est D. Thom. in add. ad 3. p. q. 71. art. 9. ad 3. dicentis: *Eucharistia est signum Ecclesiasticæ vnionis, & ideò ex ipso opere operato eius efficacia in alterum transire potest, quod non contingit in alijs Sacramentis.* Et in corp. ait: *Quod est charitatis origo, vinculum, & præcipuum eleemosynarum opus.* Et q. 79. art. 5. ait: *Quod in ea per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ.* Deinde, quia ex opere operantis Communio est eximium christianæ pietatis opus, Religionis professio, pœnitentiæ laborum fructus, virtutum omnium coronis, quæ omnia maximè prosunt suscipienti, & quibus ab eo communicantur. Unde meritò Sacra Congregatio authoritate Apostolica condemnavit librum Theophyli Rainaudi communionem pro mortuis, tanquam errorem populi refellentem, vt scribit *Contenson lib. 11. p. 2. dissert. 3. c. 2. specul. 3.* videndus.

* 9 *Resp. 6.* De fide est animas plenissimè purgatas, aut meritis plenas, mox in Cœlum recipi. *Ratio*: Quia ita definitum in Florent. sess. vlt. & in Extravag. Benedicti XII. *Benedictus Deus*, apud Castro de *Hæresib. tom. 1. verb.* Beat. *hæres.* 16. Quod D. Tho. 1. 2. q. 4. art. 5. 2. contr. Gent. c. 9. & in addit. q. 69. art. 2. Et 2. Corinth. 25. probat dicens: quòd sicut lævitate corpus non impeditum fertur in altum ad locum suum, & terminum motus, ita merito anima in Cœlum; ob cuius veritatis defensionem (antequam definiretur) nostra Religio magnas passa calamitates, acclamari meruit *Ordo veritatis.*

* 10 QUÆRO III. Quanta est obligatio, & meritum erga defunctos? *Resp.* 1. Executores testamentorum, & animarum debitores gravissimè peccant, sunt in malo statu, & non possunt absolvi, si cum possunt debita non solvunt. *Ratio*: Quia *c. qui oblationes*, & duobus sequentibus 13. *q.* 2. dicuntur Egentium necatores, & ab Ecclesia ejiciendi. Tum etiam, quia peccant contra iustitiam, charitatem, fidelitatem, & quodammodo contra Religionem, vt possint dici sacrilegi, *si enim illa auferre*, & retinere esset sacrilegium? ita etiam non restituere, cum sint eiusdem speciei. Videantur Soto, Navarro, Carrillo, Cenedo, & alij *ap. Trull. hic dub.* 8. Deinde quia earum necessitas est extrema, & pœna maxima, excedens omne malum huius vitæ, sicut gloria Beatorum excedit omne bonum. Ex *D. Thom 3. p. q. 46. art. 6. ad* 3.

* 11 *Resp.* 2. Dilatio suffragij potest nocere animabus; non quia pro ea puniantur, sed quia eis non adhibetur remedium; & licèt negligentia vnius non imputetur alteri ad pœnam, potest tamen in illum redundare ob defectum remedij. Ita D. Th. quolib. 6. q. 8. art. 13. & in addit q. 71. art. 7. ad 4. dicens: *Quantum ad hoc fraudabitur fructu suffragiorum, quod redundabit in illos quorum culpa defraudatur: non est enim inconveniens, quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus.*

* 12 *Resp.* 3. Meritom, & gratia animabus Purgatorij suffragantium est maximum inter opera charitatis in proximum. *Ratio*: Quia ex D. Th. in addit. ad 3. p. q. 71. art. 4. in corp. *Opus suffragij in quantum est meritorium vitæ æternæ, quod habet in quantum procedit à radice charitatis, non solùm prodest ei pro quo fit, sed facienti magis.* Quod in Sed. cont. probat ex illo Ps. 34. *Orstio mea in sinu meo convertetur.* Et ex illo Damasc. *Quemadmodum vnguento, vel oleo sancto circum linire volens infirmum primo participat vntionem, &c.*

* 13 In-

* 13. Inde Contenon loc. citat. in reflex. ait: *Sicut nihil tam secundùm naturam est, quàm iuvare consortem naturæ, vt lib. de Officijs scribit Ambrosius; ita nihil tam secundùm gratiam, & charitatem est, quàm calamitosis ijsque Dei amicis opem, & supecias afferre, oleum quippe pietatis, & miserationis vnguentum quanto copiòsius in fraternas necessitates effunditur, tanto donis potioribus augmentatur.* Vnde concludit: *Christi adiutor sis, & quæ*, vt loquitur Palaus, *desunt Passioni Christi, ipse adimpleas. Hoc modo Deum tibi totum deuincies. Præclare alicubi Marcilius Fisicus: Venalis est Deus; at quo nummo? quo te emit, charitate.*

* 14 Confirmatur hoc exemplo V. P. Bertrandi Garriga, socius S. P. N. Dominici, cum igne sui P. pro zelo pereuntium ardens, magis pro peccatorum conversione, quàm pro animabus Purgatorij celebrare (putans hoc Deo gratius, eo quod illi in periculo sint æternæ damnationis, istæ verò securæ de sua salute.) Defunctus quidam, Deo disponente, ei apparuit aspectu formidabilis, & irato vultu portans in manibus feretrum; decieseque in ipsum irruens, intentans mortem, ita illum terruit, ac correxit, vt deinceps continuè, multa cum pietate, & lacrymis, pro mortuis celebrarit.

EXAMEN IV.

De Bulla Compositionis.

* 1. QUÆRO I. Quid? à quo? & quibus est hæc Bulla? *Resp.* 1. Titulus huius Bullæ est: *Bula de composicion sobre bienes mal avidos, de cuyos proprios dueños no consta, concedida por la Santidad de N. muy Santo Padre, &c.* Vnde sic potest definiri: Bulla qua bona quædam malè habita, & debita possunt componi, & sana conscientia retineri.

Ratio: Quia Papa (& Comissarius Generalis eius authoritate) ita illam concedit ad exonerandas conscientias fidelium, componendo debita, & conscientias, ideoque dicitur Bulla compositionis. Hoc autem cum causa facere potest Papa. Tum quia dispositio illorum bonorum, quæ in vsus pios cedunt, ad Papam pertinet; & aliqua bona, nempè fructus Ecclesiastici malè percepti ipsi cedunt. Tum etiam, quia dum concedit: *Instar sacrilegij est de potestate Principis dubitare, leg. Sacril. Cod. de diverf.*

* 2 *Resp.* 2. Hæc gratia compositionis ita in Bulla Latina conceditur: *Ac super illicitè habitis: necnon super medietatem Legatorum omnium, quæ propter malè ablata facta sunt, si Legatarij per annum in exactione negligentes fuerint; ac super illis, quæ facta erunt, & quæ dicto anno durante fient, si Legatarij inveniri non poterunt. Necnon super malè ablatis, & per vsurariam pravitatem, aut aliter malè acquisitis: si in omnibus præmissis (præterquam dictæ annalis negligentiæ) personæ quibus restitutio, seu solutio facienda est, præstito per restituentem iuramento, de diligentia per eum facta pro inveniendo Legatorio, seu Creditore, & minimè invento, non reperiantur, componere, & ita debitores liberari possint.*

Item, etiam datur facultas eidem Commissario componendi cum his, qui ad restitutionem fructuum ex omissione horarum Canonicarum tenentur: *Ita vt quantitas compositionis, pro medietate Ecclesijs, vel alijs locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in subventionem huius negotij detur.* Vnde infero.

1 *Diligentia debita*, & hic petita pro inveniendo vero domino, debet esse prudens, & quam quilibet pro sua re invenienda apponeret; & maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem rei valorem; quia Papa non vult Dominum suo iure privare; nec contra eius voluntatem bona eius etiam pio operi applicare; cum ex voluntate interpretativa Domini hanc faciat compositionem. 2. *Iuramentum* hic petitum de facta diligentia solùm requiri quando compositio fit cum Commissario; non verò cum per Bulam fit, quia ita explicat Commissarius, vt videbimus. Nec requiritur hæc diligentia in secundo, & tertio casu Bullæ infra ponendis.

3 *Cum Creditor* ita est absens, vt non sit spes eum inveniendi, nec hæredem, aut Creditorem relinquit; & cum debitor non tenetur proprijs expensis rem mittere (iuxta dicta Tr. 8. E. 6. n. 14. Resp. 3.) aut cum expensæ excedunt valorem rei, tunc potest fieri compositio; quia moraliter idem est non posse fieri restitutionem Creditori cognito, ac si non esset cognitus. *Ita Palaus hic n.* 2.

4 *Bona ex iustitia* debita Regi, Reipublicæ, Ecclesiæ alicui, Communitati, Confraternitati, pio loco, aut pauperibus, componi non possunt; quia tunc Creditor est certus; & bona, quæ ex iustitia debentur pauperibus, vel alijs dictis non possunt componi; sed quæ eis applicari possunt defectu certi Creditoris. *Vide Tract. 8. cit. 5. Stipendia Missarum* etiam si ignoretur Dominus componi non possunt; quia ex iustitia debentur, & coram Deo, vbi fit applicatio, Creditor est certus.

* 3 *Resp.* 3. Hæc Bulla conceditur omnibus, quibus communis Bulla vivorum; nisi malè habuerint bona in confidentia positiva huius Bullæ. *Ratio* 1. *p.* Quia hæc est pars, & extensio illius. *Ratio* 2. *p.* Quia ita in Bulla præcavetur à Commissario; de quo infra n. 123. Vnde infero.

1 *Quod valet amentibus*, fatuis, pupillis cum pro illis sumitur, excommunicatis, alienigenis ad hæc Regna declinantibus, Religiosis, Monialibus, & alijs, de quibus *Ex. q.* 1. 3. & 4. non vero cathecumenis, & infidelibus. 2. *Licèt valeat* defuncto, qui adhuc vivens pro se accipi mandavit; tutius tamen est ante mortem accipi; quia dubium

est

est an post mortem possit; in dubijs autem in illo transitu tutior via est eligenda; & bona quantorius sunt restituenda; hæres tamen semper poterit nomine proprio eam accipere, & quilibet alius cui testator onus restituendi imposuit.

3 *Qui dubitat* an possit componi, dum consulit Theologos, vel Commissarium pro compositione adire parat, non est in malo statu, sed potest illa bona retinere (non tamen expendere) cum animo restituendi, si non possit componi; quia ius habet, & est in possessione: sicut qui malè contraxit matrimonium, potest sic permanere (non eo vtendo) dum dispensatio impetratur. Ita, & non aliter, quæ *Trall. ait* admitto. 4. *Post* compositionem Domino non comparente compositus manet in conscientia tutus, & eorum bonorum Dominus, quia ita à Papa benè disponitur.

* 4 *Resp.* 4. Si post compositionem compareat rei Dominus, debet res permanens illi restitui, vel re consumpta, id in quo quis ex ea factus est ditior (nisi legitima præscriptio iam adsit) deductis tamen expensis compositionis. Ita probabilior sententia cum Nuño *in* 3. *p. D. Thom. tom.* 2. *q.* 29. *Ioann. à Cruce, Bardi*, & alijs apud *Mendez hic n.* 2.

Ratio 1. *p.* Patet ex titulo Bullæ, & verbis Latine supra positis; quibus conceditur compositio conditionatè Domino non comparente: *Tum etiã*, quia Papa compositionem facit ex præsumpta Domini voluntate. Dominus insuper dominium non amisit eo quod rem perdidit, vel iniustè ab eo ablata fuit; nisi cum iam adest (vt hic) titulus sufficiens ad præscriptionem, & tempus requisitum de quo *Tr.* 8. *Ex.* 4. *Ratio* 2. *p.* Quia expensæ factæ fuerunt in gratia m, & vtilitatem spiritualem veri Domini, & authoritate Papæ veri tunc Administratoris.

* 5 *Oppono* 1. Si illa bona iam data essent pauperibus, non deberent restitui Domino comparenti: Ergo nec facta compositione, quod idem est. Ut asserunt Soto, & Bañez. 2. *Ad præscriptionem* requiritur quod res absolutè possideatur, vt propria; sed compositio non absolutè, sed conditionatè fit, vt diximus: Ergo in ea non valet præscriptio. 3. *Res inventa* debet restitui Domino comparenti, quin locum habeat præscriptio, vt contra Mendo probat *Tamburinus hic c.* 18. §. 1. eo quod qui eam habebat non possidebat absolutè, vt propriam, sed conditionatè: Ergo idem.

Ad 1. *Resp.* 1. *neg. cons.* Quia vt ait Nuño bona data pauperibus censentur consumpta; non verò bona composita. 2. *Cum Ioanne* à Cruce quod data pauperibus, illi tenentur restituere, si habeant illa, aut id in quo facti sunt ditiores ex illis.

Ad 2. *dist. maior.* Absolutè, id est, absque conditione auferente verum titulum, & bonam fidem, *concedo*; absque omni implicita conditione, *nego*; & sub eadem, *dist. minor.* & nego *cons.* quia hic datur quidquid ad præscriptionem requiritur, & ad possidendam rem, vt propriam per dominium datum à Papa; quin obstet illa implicita conditio, sicut non obstat in omni legitima præscriptione ante tempus præscriptum à Lege (*de quo Tract.* 8. *Ex.* 4.) cum semper intelligatur si non compareat Dominus, vel si à Iudice non præcipiatur restitutio in integrum.

Ad 3. Admissa illa sententia (quamvis contraria communis etiam sit apud Thomistas) *nego cons.* quia ante compositionem non datur in re inventa sufficiens titulus ad præscriptionem, sicut post compositionem. *Vnde colligo*: quod compositio pro foro exteriori tarò valere potest; quia non potest plenè de ea constare. Vnde Iudex posset Domino comparente pro eo sententiam ferre, & compositus ei deberet obedire, & restituere (etiam stando contrariæ opinioni, vt ait Palaus) quia sententia Iudicis iusta est, & non fundatur in falsa præsumptione, sed in probabili, immò probabiliori opinione.

* 6 QVÆRO II. Quantum valet? & pro quanto? hæc Bullas?

Resp. 1. Pro qualibet Bulla (datis duabus dragmis) possunt componi quinquaginta & octo dragmæ, & viginti octo oboli (*maravedis*) monetæ Castellæ, vulgo de *vellon*, non verò argenteæ vt asserit communis error Scriptorum. *Ratio*: Quia textus Bullæ ait: posse componi pro qualibet Bulla duo mille oboli; (*dos mil maravedis*) sed illi summam illam constituunt monetæ Castellæ, vulgo *de vellon*, non verò argenteæ; cum triginta quatuor oboli dragmam vnam *de vellon* faciant: Ergo.

Dic igitur quomodo pro argenteâ moneta, & pro alijs Regnis computabitur hæc quantitas? *Dico* debet perpendi valor argentei (*real de à ocho*) iuxta ascensum, vel descensum monetæ. Modo autem sic: Octo argentei (*vn real de à ocho*) valent quindecim dragmas monetæ *de vellon*, & duo oboli; decem verò monetæ Valentinæ: Ergo duo mille oboli (*maravedis*) sunt quinquaginta & octo dragmæ, & viginti octo oboli monetæ *de vellon*: & triginta & vna dragma argentea, & sexdecim oboli: & triginta & novem dragmæ, & vnam obolum (*dinero*) & dimidium monetæ Valentinæ. Et hæc sunt quæ possunt per vnam Bullam componi.

* 7 *Resp* 2. Durante anno Bullæ possunt accipi quinquaginta Bullæ, & componi centum mille oboli (*cien mil maravedis*) qui faciunt 2941. dragmam, & sex oboli monetæ *de vellon*: & 1562. dragmas & 32. obolos monetæ argenteæ & 1953. dragmas & 3. obolos monetæ Valentinæ. *Ratio*: Quia ita à Commissario in Bulla conceditur, & hæc summa constituitur. Unde infero.

Por vna Bula se componen 58. *reales, y* 28. *maravedis de vellon. Pero de plata* 31. *real, y* 16. *maravedis: y de ramillos Valencianos* 39. *reales y* 1. *dinero y medio; valiendo oy el real de à ocho* 15. *reales de vellon, y vn ochavo; ocho de plata; y diez de ramillos: y assi se computarà en lo-*

los demàs Reynos, segun el valor del real de à ocho, y los tiempos.

* 8 *Resp.* 3. Hæc Bulla (sicut de communi diximus *Exam.* 1.) debet accipi, & apotestate Commissarij extrahi; nomineque accipientis inscribi, vel ad minus linea quædam in spatio ad hoc relicto duci, vt constet esse applicatam. *Ratio:* Quia ita declaratum fuit à Commissario Generali *anno* 1704. & testatur P. Monteal hic *regula* 6. Unde infero.

1. *Qui maiorem* quantitatem supradicta componendam habet, Commissarium pro compositione adire debet; quia ita declarat in Bulla, & ad hoc authoritatem Apostolicam amplam habet.

2. Qui pro minori quantitate componenda, v. g. triginta argenteorum accepit Bullam, & postea contraxit debitum viginti aureorum v. g. istam iam non potest per illam Bullam componere, sed aliam debet accipere; quia illæ duæ quantitates simul poterant per vnam Bullam componi, sed non separatim; Bulla enim componit, quod invenit, non quod venit

3. *Qui vno anno* iam accepit quinquaginta Bullas, & adhuc habet quantitatem componendam, hæc iam non potest per Bullas componi, sed per Commissarium; quia facultas Bullæ ita per Commissarium limitata est, & illa residua quantitas iam à compositione per Bullas est exclusa; alt enim Commissarius: *Hasta en suma, y cantidad de cien mil maravedis, y no mas; porque desde ai arriba ha de venir, ò embiar ante Nos.*

4. *Neque anno* sequenti potest componi illa residua quantitas, sive bona, sive mala fide, sive culpabiliter, sive inculpabiliter restitutio dilata sit; quia illa quantitas excluſa est à compositione per Bullas pro anno præsenti, vt vitum est: Ergo magis pro anno sequenti, cum melius foret componi præsenti anno.

* 9 *Oppono:* Durante anno potest componi quantitas quæ in confidentia Bullæ non est ablata; sed illa in confidentia Bullę non est ablata, sed dilata: Ergo potest componi. *Resp. dist. mai.* Si non est exclusa à Bulla, *conc.* si est exclusa, vt visum est, *neg.* Unde malè Ibañez cum Mendo apud Baum ait posse componi eo quod non abstulit, sed distulit in confidentia Bullæ; hoc enim licèt valeat pro prima compositione; non tamen pro quantitate residua, pro qua Commissarius mandat ante eum fieri. Bene ergo *P. Ramos hic n.* 10. non audet admittere, vt probabilem hanc opinionem.

* 10 QUÆRO III. Quinam sunt casus huius Bullæ? *Resp.* Ita à Commissario in Bulla poni; & ita intelligi possunt.

Casus 1. *de Vsura &c., malè habitis.*

Primeramente, se pueden componer sobre lo mal ganado, y avido; sobre lo mal llevado, y adquirido por logros, vsuras, ò otra qualquier manera, no constando de los dueños à quien se debe hazer la ligitima restitucion, hecha la devida deligencia.

Hic casus patet in suprà positis verbis Bullæ Ex. 4. n. 2 & ex illis: *Aut aliàs melè acquisitis.* Inforo comprehendi non solùm casus similes, sed dissimiles lucro, & vsuris. Unde præter casus infrà positos possunt componi malè habita furto, rapina, & quolibet iniquo contractu, aut fraude, etiam ablata his, qui ea non possunt alienare, & damna quomodolibet illata; modo in casu dicto.

Casus 2. *de fructibus, & redditibus Ecclesiasticis.*

Item: *Se pueden componer sobre los frutos de los Beneficios, y otras rentas Ecclesiasticas mal avidas, y llevadas por defeto de no aver rezado las Horas Canonicas; con que demàs, y allende de los dos reales, que se ha de dàr de limosna por la composicion de los dichos dos mil maravedis, aya de dàr la persona que assi se compusiere de los dichos frutos, otros dos reales à la fabrica de la Iglesia donde fuere el tal Beneficio porque hiziere la composicion: y al mismo respeto de lo que mas se compusiere, y por la orden susodicha, y declarada.*

Constat etiam hic casus in suprà positis verbis Bullæ Latinæ Ex. 4. n. 2. Et pro intelligentia supponо ex Thoma Sanchez *tom.* 1. *conc. lib.* 2. *cap.* 2. Mendo hic dub. 34. cap. 2. & alij communiter: Episcopos non recitantes debere restituere quintam partem reddituum; Cannonicos, Dignitates, & Parrochos, quartam partem; Beneficiatos, Capellanos, & Pensionarios, tertiam; alias verò partes posse retineri propter onus, vel titulum. Dignitates verò, vel Canonicos non obligatos ad assistentiam in Choro, debere restituere tertiam partem. Quæ debent restitui etiam ante Iudicis sententiam, pro rata iuxta dicta T. 10. Ex 4. n. 32. Unde infero.

1. *Possunt componi* modo dicto datis tot argenteis Ecclesiæ frabicæ, quot in subsidium Bullæ, etiam si compositio fiat per Commissarium. Si autem quis in diversis Ecclesijs Beneficia habeat, pars correspondens fabricæ debet illis Ecclesijs iuxta proportionе distribuere, data maiori parte Ecclesiæ vbi maiores redditus habet Pensionarius antè debet illam dare Ecclesiæ vbi est Dignitas, vel Beneficium impositæ pensionis; si autem pensio est super Episcopatum, debet dari fabricæ Cathedralis, vel Ecclesiæ vbi Episcopus sufficientes redditus habet ad solvendam pensionem. Si redditus pertinent alicui Eremitorio, Hospitali, Capellæ, aut Confraternitati, debet illa pars dari illis locis. Ita Mendo cum communi.

2. *Cum primis* sex mensibus post possessionem

rem Beneficij, non teneatur ad restitutionem (quamvis peccet (neque compositione indiget iuxta commun. DD. 3. *Qui ob* excommunicationem, suspensionem, vel irregularitatem fructus non suos perceperunt, posse etiam componi (data etiam parte fabricæ) asserent Palaus, Card. de Lug. & alij; quia in Bulla hæc compositio conceditur; tum propter identitatem rationis cum non recitandis; tum ob clausulas generales Bullæ.

4 *Pensionarij* non recitantes Officium Parvum (iuxta **Decretum** S. Pij V.) etiam posse componi; ob identitatem rationis, & communem Expositorum sententiam ait Mendo. 2. *Hæres Clerici* (sicut alij obnoxij restitutioni) potest Bullas summere, vel per Commissarium componi; quia non est gratia privativè concessa ei, qui debitum contraxit; sed eis qui habent bona obnoxia restitutioni. Tum etiam, quia *subrogatum sapit naturam illius cui subrogatur*, in favorabilibus; dum aliud in contrarium non disponitur.

Unde benè Ramos ex Bardi, & alijs ita arguit ad hominem contra Card. de Lug.: Per te bona, quæ possunt, & debent restitui pauperibus, vel pio operi possunt componi; quia Creditor non est certus, sed illa possunt restitui Ecclesiæ, vel pauperibus: Ergo.

6 *Clericus* qui omisit Officium, etiam si diebus sequentibus suppleat illud recitando (vel Rosarium, aut Missas dicendo, vt Diana dixit) non excusatur ab obligatione restituendi pro rata; quia recitatio est onus diei alligatum, sicque non potest alio die suppleri (quod non contingit in Missa in qua principaliter fructus attenditur à dante eleemosynam) & obligatio restitutionis contracta fuit per omissionem. Insuper iuxta Ecclesiæ dispositionem non potest suppleri nisi per restitutionem, aut huius Bullæ compositionem.

7 *Non possunt* componi distributiones receptæ à non assistentibus Divinis Officijs; quia dominum certum habent; cum alijs accrescant, & Bulla nequeat in aliorum præiudicium concedi. Idemque dicendum de la *grueſa*. Et defructibus vbi assignantur assistentibus, vt cum commun. DD. ait Palaus.

8 *Nec possunt componi Episcopi*, & Parochi non residentes vltra tempus à Concilio (*sess. 23. de reformat. cap. 2.*) concessum pro fructibus tali tempore correspondentibus; quia ita per Concilium prohibitum est. Et licèt de alijs Beneficijs residentiam poscentibus sententia plurium sit posse componi, eo quod exceptio solùm est pro Episcopis, & Parochis; tamen probabilius est neque illos posse componi; quia Concilium sess. 6. cap. 2. ait: *Nullo indulto posse suos facere fructus*. Ita cum Ludovico à Cruce Ramos.

9 *Habentem Beneficia* incompatibilia (licèt plurium sententia possit componi residens in aliquo sicut de excommunicato, suspenso, & irregulare dictum est) ait Ludovicus à Cruce Commissarium respondisse non posse concedere pro illo compositionem; quia ex Concilio Tridentino non potest residere; & ex eodem non residens nullo indulto suos potest facere fructus.

10 *Fructus vacantium* Beneficiorum (Idem die de Sede vacante) non possunt componi ab eo qui eos fecit, vel aliter malè habuit; quia creditor est certus moraliter, licèt non metaphisicè; vtpotè pertinent Ecclesiæ, vel reservantur successori citò futuro secundum ius, vel consuetudinem. *Sicut cum quis* moritur relicto hærede iustituto absente, ante huius acceptationem bona illa sunt sine domino, & in terminis Iuris communis dicitur *hæreditas iacens* (idem dicitur de hærede ab intestato antequam bona, vt legitimus successor adeat) tamen quia cito illa bona dominum habebunt, qui illa furatus esset non posset componi iuxta communem sententiam.

* 12 *Oppono*: Papa de potestate absoluta potest de fructibus vacantium disponere: Ergo illa possunt per Bullam componi. *Nego conseq.* Quia Bulla non conceditur iuxta id quod Papa ex plenitudine potestatis, sed quod de potestate ordinaria disponere potest; hac autem de illis bonis disponere non potest, cum à lege, vel consuetudine successori adiudicentur: sicut non potest cum alicui Ecclesiæ legitimè iam sunt adiudicata.

Unde benè *P. Ramos hic n. 17.* miratur Trull. Mendo, & ex eis Tamburinum ita groſso modo contrariam sententiam tenentes discutisse; cum sequantur plura absurda. 1. *Quod qui* vsurpasset bona superflua Episcoporum, Canonicorum, & aliorum, quæ pauperibus dari debebant posset componi cum de plenitudine potestatis de illis Papa posset disponere, & de facto disponat Episcopos non posse testari, nec Clericos in Italia. 2 *Quod qui* vsurpasset bona Sedium vacantium, quæ legitimè Regibus (vt in Episcopatibus Indiarum Occidentalium) vel Cameræ Apostolicæ pertinent, posit componi quæ absurda sunt.

Casus 3. & 4. de Legatis benè, vel malè habitis.

* 13 Item: *Se pueda componer sobre la mitad de los legados que fueren hechos en descargo de lo mal llevado, siendo las personas à quien se huvieren hecho las mandas negligentes por vn año en la cobrança, aunque se sepa quien son los tales Legatarios, y personas.*

Hic casus in Bulla Latina supra Exam. 4. num. 2. conceditur; quia in hoc nulli fit iniuria; cum ius quod Legatarius à morte testatoris acquisivit, non sit omnino perfectum, sed revocabile à Papa ob causam, scilicet negligentiam, ob quam solet à legibus imponi illa pœna.

Adverte tamen 1. vt possit componi deberi no-

notificari Legatario legatum; annumque negligẽtiæ deberi computari à die qua denuntiatum fuit illi legatum; quia ab ea solum incipit esse negligentiæ reus. 2. *Quod* illa bona non sint debita ex iustitia Legatario certo.

3 *Quod* non sint malè habita ex confidẽtia positiva Bullæ. 4. *Quod hæres* non sit iniustè negligens in solvendo ob confidentiam Bullæ. 5. *Si legata* fuerint relicta alicui Ecclesiæ, vel pio loco, & habita notitia ab eo, qui ex iustitia tenetur ea bona colligere, iste fuerit neglens, tenetur iste ea restituere, non verò si solum ex charitate sit obligatus.

6 *Quod si* legati medietas excedat summam quæ est componibilis per Bullas, excessus ille potest componi per Commissarium, à quo ita fuisse declaratum ex Garcia, & Villalobos affert Mend.

Item: *Se pueden componer sobre los legados hechos antes de aora, ò en el tiempo de la publicacion de esta Bulla se hizieren, cuyos Legatarios no se hallan, hecha la debida diligencia.* Casus hic etiam patet illis verbis Bullæ n. cit. *Et quæ dicto anno durante fient, si Legatari inveniri non potuerint.* Unde infero.

1 Ly *en el tiempo de la publicacion*, esse idem, *ac durante anno.* 2. Quod si facta compositione Legatarius compareat, & apud Iudicem legatum exigat, illi persolvi debet; quia hæc compositio solum fit pro foro interno ait Mend. & hæc bona sunt sicut incerta inventa. 3. *Quod dicit* de legatis intellige de fidei commissis; quia æquiparantur *leg. à tito, & leg. illud*, & vt ait Silvester: *Fidei commissum est legatum quod fidei hæredis commissum est*, vt alteri ab eo præstetur, id etiam extendit Mend. ad donationes causa mortis cum donatarius non comparet.

Casus 5. 6. 7 8. & 9. de Iudicibus, & Ministris.

* 14 Item: *Si algun Juez Ordinario, ò Delegado, ò Assessor huviere recibido algun dinero, ò otra cosa por dàr mala, ò injusta sentencia, ò dilatar la causa en perjuizio de la parte, ò por hazer algun agravio, ò otra cosa que no deban; en tal caso se pueden, y deben componer de lo que assi recibieren, quedando salvo el daño que la parte recibiò para que se satisfaga.*

Item: *Si algun Abogado recibiò alguna cosa por abogar en causa injusta, sabiendolo su parte, se puede de ello componer; pero à la parte à quien perjudicò, se ha de hazer satisfacion del daño.*

Item: *Si algun testigo por testificar falso, ò algũ fiscal, ò acusador por acusar alguno falsamẽte, ò dexarle de acusar, siẽdo obligado de acusarle, recibiò alguna cosa, se puede componer de lo que assi recibiò, y ha de satisfacer à la parte à quien perjudicò.*

Item: *Los Oficiales, Escrivanos, Notarios, ò Secretarios, que por hazer algo injustamente en su Oficio recibieron alguna cosa, se puedan de ello componer; pero à las partes à quien perjudicaron, han de hazer satisfacion de el daño.*

Casus isti (& sequentes) includunt in illo verbo generali Bullæ: *ac super malè ablatis*, & ponuntur à Commissario iuxta tutiorem sententiam dicentium acceptam ob iniustam causam, vel actionem debere restitui pauperibus ante Iudicis sẽtentiam; quia dans privatur Iure petendi; post sententiam autem debentur pauperibus, vel fisco, vel cui Iudex applicaverit. Intelliguntque de Iudice etiam Ecclesiastico, sive Ordinario, sive Delegato, & de omni causa; quia Bulla absolutè loquitur.

Excipitur tamen causa *Simoniæ*; quia sic accepta (cuicumque debeat fieri restitutio iuxta varias sententias) prohibet Pontifex Commissario componere, sicut, & dispensare cum tali Irregularitate, vt dicemus *Ex. 5. q. 2.* & ex Enriq. Trull. & alijs tradit *Mendez hic n. 25.* quidquid in cõtrarium dicat novissimè P. Moral. *Bona autem data* ab ignorante causam esse iniustam, vel testimonium falsum, non possunt componi; sed danti debent restitui; quia non participavit in turpitudine. Semperque præoculis habendum, damnum illatum parti non posse componi, vt ait Bulla; quia iniustè, quia dominus est certus.

* 15 Item: *Se pueden componer todos los Juezes Seculares, y los Eclesiasticos en causas temporales, de lo que por razon de administrar la justicia que debian à las partes, conforme à su derecho, huvieren recibido, assi en dinero como en otra especie.*

Casus hic includitur in dictis verbis. Pro quo Nata, quod acceptum ob causam honestam, quam ex iustitia commutativa facere quis tenetur, aut ommitere, ante sententiam Iudicis debet restitui danti; vt est communis sententia; quia datum coactè ad vitandam iniuriam, vel ob metum iniustitiæ, vel ad redimendam vexationem, & dans non cooperatur turpitudini Iudicis, etiam cum donans existimat se ad id teneri; vnde pro his non est compositio nisi postea creditor ignoretur.

Post sententiam autem si dentur aliqua munuscula (maximè esculenta, & poculenta) omnino vltroneę, licèt à lege pœnali prohibeatur acceptio, dominium tamen non prohibetur, sicque pro his non est necessaria compositio.

Casus autem hic positus à Commissario, iuxta probabilem sententiam est: Cum quis pecuniam, vel munus dat Iudici putans causam esse dubiam, vel iniustam, vt pro se ferat sententiam, etiam si sententia iusta sit; quia tunc illud restituendum est pauperibus eo quod dans nequit repetere; quia leges privant eum dominio, & iure præsumentes ad sobornandum Iudicem dedisse, participatque in turpitudine causæ cum Iudice malè ea recipente.

Iudex Ecclesiasticus in causis solum temporalibus potest modo dicto componi, ideo Bullæ ait: *En las causas temporales*; in spiritualibus enim, cum adsit simonia non potest componi, vt dictum est. Alias superflua foret restrictio ad temporales, vt asserunt Trull. Ludov. à Cruc. & alij cont. Pal.

Advertitque *Medez, n.* 34. cum Villalobos cont. Enriq. causas spirituales non solum intelligi in Ordine, vel Beneficio, sed omnes in quibus potest simonia committi; quia Bulla, absolutè, & generaliter loquitur.

Cum vterque litigans habet pro se opinionem æquè probabilem, id quod Iudex accepit pro sententia data in favorem vnius pro alio, non potest componi; nisi creditor ignoretur; quia contra iustitiam commutativam accipit, quod debet parti restitui iuxta propositionem datam ab Alexandro VII. n. 26. vt diximus ibi.

Casus 10. & 11. *de Officialibus Iustitiæ, & eam impedientibus.*

* 16 Item: *Se pueden componer los Escrivanos, Notarios, y Secretarios, y los otros Oficiales de Justicia, que huvieren recibido, y llevado derechos demasiados por razon de sus Oficios, contra las Leyes, y Ordenanças que les están dadas, no sabiendo las personas à quien se debe restituir.*

Pro casu isto nota *leg. vnic. tit.* 27. *lib.* 4. *rec.* designantem stipendia pro instrumentis Tabellionum obligare in conscientia in communiori, & tutiori sententia, pro qua ponitur hic casus. Quicumque, autem, stipendia accipiunt supra id quod Legibus, aut Pragmaticis statuitur tenentur restituere excessum, quia iniustè accipiunt: sicut etiam si non sit taxatum, tamen nolunt suum gerere munus nisi pretium vltra rationabiliter debitum accipiant, & his in casibus, si dominus non compareat potest fieri compositio: quod etiam extendit Mendo ad alios Officiales, & Artifices suas operas, cum dicto excessu locantes, aut vendentes.

* 17 Item: *Si alguno injusta, ò indebidamente por rogar, y favorecer que no se haga justicia, ò que suelten à aquel que justamente está preso por delitos, llevò dinero, ò otras cosas algunas, se podrà componer en lo que assi llevò, satisfaciendo el daño de la parte à quien se hizo el agravio.*

In hoc casu cum detur ob turpem causam idem dicendum, ac in quinto, sexto, & septimo. Si autem detur ad redimendam vexationem, vt in casu nono ait Mendo.

Casus 12. *de ludo habitis.*

* 18 Item: *Se pueden componer de lo que por juegos fueren obligados à restituir à pobres; pero aviendo intervenido engaño en ellos, ò ganado à personas que no pudiessen enagenar lo que perdieren, no se pueden componer; y sabiendo à quien lo ganaron son obligados à se lo restituir; y no lo sabiendo, se pueden componer en este caso.*

Qui per fraudes iuxta leges ludi (non permissas) lucratur aliquid, debet restituere amittenti, quo non comparente debetur pauperibus, & sic potest componi. *Si amittens* fuit servus, filius familias, vel Religiosus, debet restitui Domino, Patri, Monasterio, &c. & his non comparentibus, vel dari pauperibus, vel componi.

Quod lucratur per dolum lege prohibitum licèt non debeat restitui iuxta communem sententiam, eo quod leges illæ pœnales non impediant domini traslationem; tamen iuxta tutiorem sententiam debet, & potest modo dicto componi, nisi fortè sit aliqua lex impediens dominij translationem, vt de legibus Castellæ in quodam genere ludi testatur *Rodriguez hic n.* 44. quia tunc non est locus compositioni, nisi temporis lapsu noa cõpareat dominus. Idem dic de eo qui alium inventè ad ludum traxit, iuxta sententiam dicentium debere restitui.

Qui ludens cum Ecclesiasticis lucratus est bona superflua illorum, iuxta sententiam Silvestri verbo ludus, & aliorum dicentium Ecclesiasticos non habere dominium talium bonorum, se pauperibus, vel pio operi deberi; potest per Bullam componi.

Casus 13. *de acceptis ob simulationem.*

* 19 Item: *Si alguno dissimulando en si lo que no ay en èl, ò otra cosa semejante; de lo que con este color huviere recibido, se podrà cõponer; y el que pide limosna fingiendo ser pobre, no lo siendo, de lo que por esta causa huviere recibido se puede componer, no sabiendo en ambos de estos casos à quien, como dicho es, se debe restituir.*

Nota 1. Qui fingens consanguinitatem, quæ dans movetur, accipit dona; non comparente domino, potest componi; quia peccavit, & debuit restituere; nisi parvitas materiæ excuset, vt ait Diana, & de ostiatim petentibus ait Sotus. *In eo qui fingens* paupertatem ea accepit, in varietate opinionum Commissarius hic secutus est sententiam Caietani, Soti, Medinæ, Victoriæ, & aliorum dicentium debere restitui domino comparenti, & eo non comparente pauperibus. Plurium tamen sententia est semper deberi pauperibus, & posse componi; eo quod intentio dantis fuit sublevare miseriam pauperis ob Dei amorem, & Christi dicentis: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

3 *Posse etiam* componi fingentes sanctitatem; vt eleemosynas capiant; ob eandem rationem. Advertit tamen cum Lesio Ramos hic, quod si tales aliàs sint pauperes, & dans ob paupertatem moveatur non teneri ad restitutionem, vel compositionem; quia donatio fuit valida; quamvis possit revocari à dante cum error circa sanctitatem fuit causa dandi.

Idem dic de Prælatis, vel Monialibus fingentibus modo dicto sanctitatem subditorum, vt eleemosynas capiant. Dicuntur tamen fingere sanctitatem illi qui exercitia sancta quæ non faciunt, revelationes, aut aparitiones, aut miracula ficta narrant. Non verò, qui exterius sanctè apparent in his quæ iuxta professionem catholicam, vel religiosam debent

(licèt interiùs mali sint, & finem captandi eleemosynam habeant) quia faciunt exterius quod debent, & bonum exemplum præbent iuxta vulgare dictum S. Bernardi: *Vtinam hypocritæ fuissent fratres, &c.*

4 *Qui* per hypocresim Beneficium obtinet, si dignè illud administret potest illud retinere, vt cum Soto tenent Trull. Bard. Mend. & alij, quia istæ dignitates absolutè dantur, & dum dignè exercentur, obtinetur finis principalis: si autem idoneus non sit, tenetur beneficium resignare: & præter morale peccatum retentionis, tenetur ad fructuum restitutionem, & non potest per Bullas componi. Idem ait Mendez cum Mendo de eo qui per simulatam scientiam munus, vel dignitatem etiam laycam obtinuit.

5 Qui obtenta iusta licentia à Prælato petendi eleemosynam per aliquod tempus, ius alteri locaret, non tenetur ad restitutionem, nec compositionem, vt contra Rodrig. asserunt *Enirq. Trull. Mendo, Mendez*, & alij; quia nullo iure expresso id ei prohibetur, nec ad precium locationis fit inhabilis.

Casus 14. de rebus inventis.

* 20 Item: *En todas las cosas que alguno huviere hallado, hecho primero suficiente diligencia, no pareciendo sus dueños, ni à quien competen ser restituidas, se puede componer.*

Commissarius hic tutiorem sequitur opinionẽ dicentium res perditas, sic inventas, in pauperes convertendas. In opinione tamen valdè probabili in Schola D. Thom. Soti, Medinæ, Ludovici, Lopez, Salon, cum alijs 2. 2. q. 66. art. 5. contra 1. & aliorum cum Navarro dicentium res inventas esse inventoris, & fieri primo occupantis domino non comparente; non egent compositione. Domino tamen comparente deberi restitui; nisi legitimè præscripta sint per vsucaptionem, vt ait Mendez cum communi. *Bona* dicta *mostrencos* nempe animata, seu loco se moventia deperdita, iure naturæ sunt inventoris, & iuxta dicta non indigent compositione, vt ait Salon cum alijs citatis.

In Regno verò Castellæ (& idem dic de alio vbi fuerit lex) lege præcipitur manifestari Iudici, qui intra quatuordecim menses publicè ea proponat, quibus transactis domino non cõparente, dẽtur cui ex privilegio cõpetunt. Habentq; hoc privilegium à Papa confirmatum Commissarius Generalis Sanctæ Cruciatæ in Bullæ subsidium, & Religiones Santissimæ Trinitatis, & Sanctæ Mariæ de Mercede in redemptionem Captivorum. Hæc lex in probabiliori sententia Salon, & aliorũ obligat in conscientia anteludicis sententiam. Vnde pro his non est compositio, cum habeant Dominum certum. Dictique Religiosi ita prædicant, & fulminatis censuris ea exigunt.

Bona naufragantium inventa, probabilius est non posse componi; quia iure Civili, & Canonico prohibentur accipi, afflicto enim non est adenda afflictio. Sed debitâ diligentia non invento domino Ordinario loci tradenda, vt de eis disponat asserunt cum Soto: Salon cit. Navarro, Covar. Trull. Bardi, & alij apud Mendez hic Contra ea vsurpantes excomunicatio est in Bulla Cœnæ, vt diximus *Ex. 2.* En in iure, *c. excommunicationi de raptoribus*, alia est excommunicatio non reservata contra retinentes, ea propria authoritate.

In rebus autem parvi momenti, & multo tempore deperditis potest admitti opinio contraria P. Mendo, & aliorum asserentium esse primi occupãtis, Tutius tamen est per Bullas componi, quia in his non incurritur excommunicatio, nec obligatio deferendi ad Ordinarium, vt ait Trull.

Bona in cendio domus proiecta, domino domus sunt tradenda: & cũ plures domus, vel tota Civitas incenduntur, domino quæsito, & non comparente possunt componi modo dicto de alijs rebus inventis. Idem dico de rebus inundatione fluviorũ aliò delatis; quę si talis conditionis sint vt iudicetur dominum non habere; v. g. arbores, & similia habendę sunt pro derelictis.

Illa bona quæ núquã fuerunt sub alicuius dominio; v. g. mineralia, gemmæ, lapides pretiosi in litori maris inventi, & Insulæ numquam habitæ, iure communi sunt primi occupantis, & non indigẽt compositione: Lege verò Castellæ sunt Regis, & absque eius licentia, vel privilegio non licet ea quærerere, aut fodere. *Idẽ dic* si in alis Regnis, vel Reipublicis ob bonũ comune de illis sit dispositũ.

De thesauris occultis temporis diuturnitate sub nullius dominio manentibus, idem dicendum. Lege tamen Castellæ Regi stabiliuntur servata quarta parte inventori (etiam si in proprio loco inveniantur) seu domino loci. Quæ leges obligare in conscientia tenet Salon cit. & alij; quia potest Rex iustè id facere, sicut, & condere legem, vt quilibet ex proprio labore partis, tributum iuxta exigentiã boni communis solvat. Silvester tamen verbo *invẽtum* n. 13. Sot. Lesio, & alij hanc legem ita generaliter non obligare in conscientia, tenent.

Casus 15. & 16. de iniustè possessis, & malis factis.

* 21 Item: *El que tuviere algunas, ò algunas cosas en su poder de persona, ò personas que no pueden ser avidas para restituirselo, haciendose para ello hecho la debida diligencia, se podrà componer de lo que aquello montare.* Hic casus intelligitur de eo qui deposito, mutuo, pignore, vel alio contractu non transferente dominium aliquid possidet, si dominus, vel hæres non comparent.

* 22 Item: *Se puede componer de los daños que han hecho andando à caza, con sus ganados, ò de otra manera, assi en los panes, y viñas, como en otros qualesquier heredamientos, no sabiendo à quien se hu-*

viere hecho el dallo. Damnum, vel pars, certo domino restituenda sunt; incerto, componenda; facta prius diligentia domini damnificati, quæ si fiat, rarò ignorabitur dominus.

Casus 17. de turpi actu habitis.

* 23 Item: *Todas las mugeres, que no son publicamente deshoneſtas, ſe pueden componer de qualquier dinero, ò joyas, que por cauſa fea huvieren recibido; y los hombres, ſi de mugeres que no tienen marido, ſe pueden componer por la miſma razon.*

Hoc casu Commissarius sequitur opinionem S. Antonini, & aliorum dicentium, mulierem occultè impudicam debere pauperibus erogare accepta propter actu. Probabilius tamen est in Schola *D. Thom.* tàm occultè, quàm publicè impudicas posse ipsa retinere, & compositione non egere; nisi accipiat ab his qui non possunt alienare, vel aliquid excelsivum, vel per fraudem, aut vim; quia tunc verò domino debent restitui. Idem dic de viro, nisi accipiat à muliere nupta bona non paraphernalia, de quibus non potest illa disponere.

Casus 18. de fraude contractuum habitis.

* 24 Item: *Si alguno ha vendido vino aguado por puro, ò medido con falſas medidas, ò huviere vendido otra coſa alguna con menores peſos, ò medidas, ò vendido una coſa por otra, ò mezclado, ò peſado, ò mal medido, no ſabiendo à quien ſe huviere vendido, ſe pueda de ello componer.* In hoc casu etiam in parvo oppido posse componi modo dicto, contra Villalobos asserunt *Trull. & Mendo*; quia Commissarius hic supponit vinum omnibus communiter exponi venale (& idem dic de alijs) & hoc non obstari non ait parvo oppido debere restitui, sed generaliter ait posse componi.

Casus 19. ultimus, & generalis.

* 25 Item: *Generalmente ſe pueden componer de qualquier genero de hazienda illicita, y malamente avida mal ganada y adquirida, aſsi por uſura, ò logro, como en otra qualquier forma, ò manera, Oficio, ò trato, que ſea, ò ſer pueda; no ſabiendo el dueño à quien legitimamente ſe pueda, y deba hazer la reſtitucion, con tanto que el que aſsi ſe huviere de componer, no aya avido las coſas, ò quantìa de que aquello compuſiere, en confiança de eſta compoſicion, porque entonces ſerà obligado à lo reſtituir enteramente à la Santa Cruzada, para ayuda à los dichos gaſtos de la guerra contra Infieles.*

Commissarius hic de primo ad ultimum regulam generalem tradit pro omnibus malè habitis, vt possint componi cum hac exceptione. & Lege præoculis semper habenda, nempe quod non sint male habita in confidentia Bullæ, quod intelligitur de cõfidẽtia antecedẽti, & positiva, nempe cũ illa movet principaliter ad malè habẽdũ; non verò de confidentia concomitanti, & negativa cum nempe ex motivo avaritiæ, vel alio motus ad furandum, vel malè habendum confidens per Bullam posse componi, gaudet posse habere hoc remedium; quia hæc confidentia non est prava, immò diminuit culpam: sicut peccare sub spe veniæ cum proposito abstinendi à peccato diminuit peccatum, ex *D. Thom. 2. 2. q. 21. art. 2. ad 3.* Unde infero.

1. *Quod bona* habita in confidentia positiva Bullæ, nec possunt per Bullam componi, nec dari pauperibus, sed lege hic posita in subsidium Cruciatæ debent applicari. Si tamen alicubi esset cõtraria consuetudo possunt iuxta eam pauperibus, vel pio operi applicari. Circa consuetudinem verò nec licitè, nec validè, quia prævalet hæc lex qua domino certo applicata sunt. 2. *Quod hæc* lex obligat sub gravi, quia præcipit restitutionem in materia gravi, & certo domino nempe Cruciatæ, vt ait Ramos contra Tamb. & Bardi.

3. *Quod si quis* Commissarium adeat cum bonis hoc modo habitis, potest confidere quod aliquid remittet, immo, & quod potest componere; quia exceptio hæc, & lex ab ipso est posita (non à Bulla Latina) vnde, & potest in ea dispensare.

In fine Bullæ Commissarius sub excommunicatione maiori latæ sententiæ prohibet aliter fieri à quolibet compositionem, & si fiat, declarat nullam. Tandem declarat suam facultatem esse generaliter amplam, & Confessarios, vt Medicos spirituales posse plures casus hic non expressos, iuxta generales regulas resolvere, pro animarum levamine. Unde omnes debent huius Bullæ exactam notitiam habere, & animabus aliàs insanis, & insanabilibus hoc suavi medicamine mederi; & quæ plagis impositis invenient, non semivivo relicto transire, sed oleo, & vino infuso eius vulnera aligare, & sanitati restituere.

EXAMEN V.

De facultatibus Commissarij Generalis S. Cruciatæ

* 1. QUÆRO I. Quando? vbi? & quomodo potest Indulgentias, & privilegia suspendere, & revalidare? *Resp.* 1. Authoritate Apostolica in locis vbi, & quando publicatur Bulla suspendit omnes Indulgentias, & privilegia similia his quæ sunt in Bulla, & iterum ea revalidat, vt accipientes Bullam, & non aliter eis possint gaudere.

Ratio: Quia in Bulla Latina à Papa id ei conceditur, ne expeditio Bullæ impediatur, sed iuvetur his verbis: *tem prædicto Commiſſario datur facultas, vt ſuſpendere poſsit, dicto anno durante, omnes ſimiles, aut diſsimiles Indulgentias, & fa-*

& facultates ab eisdem, & Sede Apostolica, vel eius authoritate quibusvis Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus; pijs locis Vniversitatibus; Confraternitatibus, & singularibus personis; &c. Ita vt interim neque publicari, neque prædicari possint, neque publicatæ cuivis hominum communiter vel divisim suffragentur; exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres tantum.

Item: *Dicto Commissario etiam conceditur facultas vt ipse per se, vel alium, seu alios, quando, & quoties sibi videbitur Indulgentias, & alias gratias per eum suspensas, revalidare possit.*

Inde In Bula Hispana ait Commissarius: *Para que tan santa obra no se impida, ni cesse por otras Indulgencias, suspendemos, durante el año de la publicacion, y predicacion de ella todas, y qualesquiera gracias, Indulgencias y facultades semejantes, ù diferentes concedidas por su Santidad... en todos los dichos Reynos*, &c. Et infrà: *Y en favor de esta dicha Bulla, por la misma autoridad Apostolica declaramos, que los que tomaren esta presente Bula puedan gozar, y gozen de todas las gracias, facultades, Indulgencias, Jubileos, y perdones, que les aya sido concedidas por nuestro muy Santo Padre N. comprehendidas en la dicha suspension: las quales, en virtud de la dicha comission Apostolica, revalidamos*, &c. Unde infero.

* 2 Quod hæc suspensio solùm habet vim in locis vbi Bulla publicatur, & facta publicatione quolibet anno, vt cum communi supponunt Mendez, Mendo, & alij apud Monteal; quia in alijs locis Commissarius ad id nullam habet authoritatem, vt patet ex verbis Bullæ suprà positis. Unde cum occasione bellorum (vel simili) in aliquo Regno, vel loco Bulla non publicatur, ibi aliæ Indulgentiæ, & gratiæ non suspenduntur, sed sine Bulla lucrari possunt, vt declaratum Valentiæ anno 1706. diximus Exam. 1.

2. *Quod cum* hæc suspensio fiat publicatione Bullæ, & pro quolibet anno, durat tantùm durante anno publicationis, seu anno Bullæ, vt patet ex eius verbis: Unde finito anno naturali, vel Ecclesiastico (iuxta dicta Exam. 1.) fiadhuc restant aliqui dies vsque ad aliam publicationem, possunt illis diebus aliæ Indulgentiæ, & gratiæ lucrari sine Bulla.

3 *Suspenduntur* Indulgentiæ, & gratiæ similes his quæ sunt in Bulla; nempè: Indulgentiæ pro articulo mortis, Calculis Numismatibus, Templis, Altaribus, Monasterijs Confraternitatibus, & singularibus personis concessæ; & privilegia vescendi ovis, carnibus; absolvendi à reservatis, commutandi vota, &c. assistendi divinis Officijs, vel sepeliendi in loco sacro tempore Interdicti, &c. quia sunt contraria expeditioni Bullæ.

4. *Non suspenduntur* Indulgentiæ plenariæ pro animabus Purgatorij in Altaribus privilegiatis; quia hìc solùm suspenduntur Indulgentiæ concessæ locis, & personis; anima autem separata non est persona. *Tum* etiam, quia in generali revocatione non suspenduntur Indulgentiæ defunctorum, vt dictum est de anno Sancto *Exam.* 3. Ita Galleg. *dub.* 175. & Ramos cum Trull. & alijs. Stando tamen contrariæ opinioni, sufficit habere Bullam, vel qui celebrat, vel qui celebrare facit; quia vterque potest Indulgentiam applicare, vt ait apud Mendez Bardi.

5. *Non suspenduntur* Indulgentiæ, & gratiæ diversæ in substantia à Bullæ indultis; quia litteræ Apostolicæ revocatoriæ solùm derogant sibi contraria, vt asserunt Felin. & Barthol. Hæc autem nó contrariantur Bullæ expeditioni. Cum autem Bulla ait suspendi similes, *vel dissimiles, ù diferentes*, intelligitur de diferentibus quoad modum, & in substantia convenientibus.

Unde non suspenduntur privilegia dispensandi in votis, & impediment. ingrediendi Monasteria; celebrandi in Altari portatili: testandi, &c. quæ Vniversitatibus, & Religionibus concessa sunt in materia diversa. Nec suspenduntur facultates dispensandi in irregularitate, affinitate, & petitione debiti; quia licèt hæc habeat Commissarius Generalis, non tamen publicat eas in Bulla.

6. *Non suspenduntur* facultates, & privilegia in corpore Iuris contenta; & quæ legitima consuetudine sunt introducta; quia ad horum revocationem requiritur expressa de eis mentio, & clausula *non obstantibus*, &c. quæ hìc non reperiuntur. Unde Minoribus initiati possunt sine Bulla divinis tempore interdicti interesse; & Prælati Regulares dare *cartas de hermandad*; quia à iure est illis concessum.

7. *Non suspenduntur* facultates dispensandi, & commutandi, quas à iure habent Episcopi; neque illasque à iure extraordinario habent, vt delegati Sedis Apostolicæ, quando est delegatio generalis, & per modum statuti; quia hæ non fiunt singulari personæ, sed Dignitati.

8. *Non suspenditur* Jubilæum duplicis hebdomadæ à Papa pro tota Ecclesia concessi solitum; quia his amplissimis gratijs nullam vult Papa privari. Et ita declaratum pro Jubilæis anno 1645. & 1648. ab Innocentio X. asserunt Galleg. Mendez, Mendo, & alij. *Tum etiam*, quia non conceditur locis, aut determinatis personis, sed omnibus totius Orbis. & vt ait Galleg. nunquam Commissarius publicavit contrarium.

3 * *Resp.* 2. Privilegia, Indulgentiæ, & facultates concessa Ordinibus Mendicantium quoad suos fratres, non suspenduntur per Bullam; bene verò concessa Religiosis vt singularibus personis. *Ratio*: Quia in Bulla dicitur suprà, suspendi concessa *singularibus personis, exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres tantùm.* Unde infero.

1. *Quod* etiam si in concessione non fiat mentio Superiorum, sed Ordinum, non suspendantur; quia quamvis Bulla dicat *concessa Superioribus*, non restringit, vt præcisè fiat mentio Superiorum,

sed

sed vt denotet concessa Religionibus per superiores descendere ad inferiores, & quia specialia sunt privilegia concessa Superioribus. Ita cum Mendo, & Mendez tenet Monreal. 2. *Quod.* Ordinis Mendicantium sunt Ordo Prædicatorum, S. Francisci, S. Augustini, & Carmelitarum: & ex nova concessione Ordo S. Francisci de Paula, Iesuitarum, & servitarum in Italia.

3. *Probabilius esse* Ordinis non Mendicantium habentes Bullas communicationis cum Mendicantibus habere iuxta eas hanc gratiam, vt asserunt Palaus, Mendo, Bardi, Ramos, Monreal, & alij; quia hunc effectum habent tales Bullæ; suasque debet attentè videre quælibet Religio.

* 4. *Oppono*: Ergo superflua videtur expressio Mendicantium posita in Bulla; cum non Mendicantes etiam gaudeant? *Nego conseq.* quia possunt non habere Bullam, seu privilegium communicationis; deinde quia hoc est per accidens. Unde Mendez ait fortasse in dictis Religionibus ita practicari.

4. *Dictorum Ordinum* Fratres; Moniales, & Novitios posse sine Bulla gratijs, & Indulgentijs Religionum frui; quia non suspenduntur pro illis, cum in favorabilibus omnes veniant nomine Fratrum.

5. *Possunt dicti* sine Bulla gaudere Indulgentijs, & gratijs concessis Religioni, vel Provinciæ, vel Monasterio, Collegio in quo habitant, vel propriæ ipsorum Ecclesiæ, vel loco ipsorum proprio, vel concessæ prædicantibus, docentibus, vel aliud pium ministerium exercentibus ante, vel post Bullæ publicationem; ob eandem rationem, vt cum Mendo, & alijs ait Monreal.

6. *Possunt* etiam frui Indulgentijs concessis à Paulo V. pro Regularibus; quin obstet esse concessas motu proprio (vt objcit Ramos) quia vt possint lucrari non requiritur concedi ad instantiam Prælatorum; sed concedi Religioni, vt dictum est ex Palao, & Tanb. cum Monreal.

9. *Possunt* etiam frui concessis Monasterijs, & Ecclesijs Religionum cum quibus habent communicationem privilegiorum: & etiam concessis specialiter ipsis Religionibus, licèt simul possint eis gaudere sæculares. Ut cum Palao, & alijs ait Monreal; ob eandem rationem.

10. *Non indigent* Bulla ad Indulgentiam Altaris privilegiati ratione Religionis, vel Conventus vbi habitant, nunc sit personale ratione cuiuslibet Altaris, nunc locale, & determinatum, nunc celebret pro Fratre sui, vel alterius Ordinis, vel pro sæculari, ob eandem rationem vt cum Mendo, & Lumbier ait Monreal.

11. *Tertiarios* in Communitate viventes, & tria vota emittentes, & quamvis in Communitate non vivant, dummodo tria vota in manibus Prælati emittant, & sub eius obedientia vivant, non indigere Bulla vt dictis privilegijs, & Indulgentijs gaudeant, asserunt cum Ioann. à Cruce, Rodrig. Mendo, & Mendez, & alijs, Monreal; quia gaudent privilegijs Religionum per Bullas S. Pij. V. & Gregori XIII. & vt addit Ioann. à Cruce *lib. 2. de Privil. cap. 3. dub. 5. ex Sum. Constit.* Tertiarior. Ordin. Prædicatorum, Congregatio Cardinalium declatavit Tertiarios voti simplicis (vulgo dicimus *Beatas*) etiam in proprijs domibus habitantes, iuxta declarationem Leonis X. potiri dictis privilegijs.

* 5 *Oppono*: In Bulla dicitur suspendi Indulgentias, & privilegia concessa Monasterijs, & singularibus personis: Ergo pro omnibus dictis manet suspensa, vt non possint sine Bulla lucrari. *Resp. dist. antec.* Ut singularibus personis illis cõcessa, *concedo*, Ut concessa nomine Religionis, *nego*. Unde omnes dicti indigent Bulla ad lucrandas Indulgentias concessas numismatibus, Confraternitatibus, & pijs locis; nisi fortè sint cõcessa intuitu Superiorum, vel ad instantiam eorum, vel ratione alicuius Officij Religionum.

Similiter alij Tertiarij vtriusque sexus, & oblati, vulgo *Donados*, etiam si in Communitatibus vivant, dummodo non sint Novitij, indigent Bulla, vt gratijs, & Indulgentijs possint frui; sicut, & Confratres Cinguli S. Francisci, Cortigiæ, &c. quia non gaudent dicto privilegio, cum non veniant nomine Fratrum.

Et tutius est omnes supradictos sumere Bullam, tum ob speciales eius Indulgentias, & gratias; tum etiam, quia licèt plures ex dictis opinionibus sint probabiliores, & probabilius etiam sit operantem cum opinione probabili, certo Indulgentiam lucrari, contrarium tamen tenent plures Theologi.

Similiter licèt opinio Bardi, & Quintanaduenas asserat pro summè pauperibus non suspendi Indulgentias, posseque eos sine Bulla eas lucrare; cum hoc non sit contra Bullæ expeditionem, & ita credendum sit de intentione Papæ; tamen probabilius, tutius, & conformius textui Bullæ, & veritati est contrarium, vt diximus *Exam.* 1.

* 6 *Resp.* 3. Probabilius privilegia concessa Regularibus quoad sæculares non suspendi per Bullam; vnde possunt eos à reservatis absolvere, dispensare eorum vota, & commutare, iusta sua privilegia, sine Bulla. Ita Ioan. à Cruce cit. dub. 8. & cum Palao, Ludovico à Cruce, & alijs Ramos; & cum Mendo 15. Authoribus, & Lumbier, P. Monreal.

Ratio: Quia hic solùm suspenduntur privilegia concessa pijs locis, Monasterijs, &c. & singularibus personis, non verò concessa Religionibus ob eorum merita in eorum favorem, & authoritatem. *Tum etiam*, quia nullus vocat Religionem S. Dominici v. g. illis nominibus Monasterij, pij loci, &c. Unde Tambur. ait: Sine scrupulo ita practicari, hancque practicam potuisse introducere legitimam consuetudinem.

* 7 *Oppono*: Bulla solùm excepit à suspensione privilegia concessa Superioribus Mendicantium, quoad suos Fratres tantùm: Ergo quoad sæculares revocata manent. *Resp.* 1. *dist. antecd.* cum Ioann.

à Cruce, & Palao: In privilegijs conceſsis Religionibus in communi ratione ſtatus, & ſuorum meritorum, *nego*. In conceſsis pijs locis, v. g. Monaſterijs, & ſingularibus perſonis viſitantibus eorum Eccleſias, *concedo*.

* 5 *Reſp.* 2. cum Monteal *diſt. anteced.* conceſſa etiam ſæcularibus immediatè, *conced.* mediatè, *nego. anteced.* & *conſeq.* eodem modo; quia in is quæ directè, & mediatè conceſſa ſunt Regularibus etiam ſi mediatè redundent in ſæculares, non fit ſuſpenſio; ſed in alijs quæ immediatè, & æqualiter eis conceduntur, vt in Jubileæis, pijs locis, &c. ſtando tamen contrariæ opinioni ſufficit habere Bullam, vel Confeſſarium, vel pœnitentem; quia quælibet Bulla revalidat privilegia, dato quod ſint ſuſpenſa, vt bene ait cum Palao Ramos.

* 8 QUÆRO II. Quid Poteſt in diſpenſationibus? *Reſp.* 1. In Bulla Latina ſic dicitur: *Item, ſimiliter conceditur facultas dicto Commiſſario diſpenſandi, & componendi ſuper irregularitate cum his, qui, quibuſcumque Eccleſiaſticijs cenſuris ligati Miſſas, & divina Officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverunt, ſeu alia ſe immiſcuerunt: & ſuper alia ilis qualibet irregularitate (præterquam ratione homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ à fide, vt hæreſi, vel propter malam Ordinum ſuſceptionem contractam) cum retentione Beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis ex inde provenientis abolitione, & executione Ordinum non malè ſuſceptorum.*

Nota ex D. Thom. 2. 2. *q.* 86. *art.* 3. *ad* 3. illum peccare in contemptum clavium (eique negari hanc diſpenſationem) qui non vult ſe ſubjicere poteſtati Eccleſiæ, quàm intollerabilem reputat. Et infero.

1. *Negari etiam* hanc facultatem diſpenſandi in Irregularitate, quæ ex homicidio voluntario, & ea quæ ex hæreſi, vel apoſtaſia, & ea quæ ex ſimonia contrahitur, in ſententia probabiliori (quam hìc ſequitur Pontifex) aſſerentium in his omnibus incurri: ſicut etiam in ſimonia, ob malam ordinum ſuſceptionem; in quibus omnibus negatur facultas ad diſpenſationem, & compoſitionem, quæ ſimul cum ea hìc debet eſſe.

2. *Quod neque* per Commiſſarium, neque per Bullam poteſt qui ſimonia perfecta, & reali obtinuit Beneficium diſpenſari in irregularitate, nec componi ſuper fructibus malè habitis; nec poteſt ei revalidari titulus Beneficij; quia totum hoc pertinet ad Papam, qui ſibi hoc reſervat, vt patet ex dictis verbis, & aſſerunt Villalob Rodrig. Mendez, Mendo, Trull. & communiter DD. 3. *Concedi* facultatem diſpenſandi in irregularitate ex delicto (non in alijs, vt notat Mendez) etiam publico, & pro vtroque foro; quia non reſtrictè conceditur; & denotat ly *qualibet alia, &c.*

* 9 *Reſp.* 2. In impedimento affinitatis ex copula illicita, quo matrimonium fuit contractum poteſt 1. diſpenſare cum his conditionibus in ipſa Bulla poſitis.

(1.) *Dummodo poſt Concilium Trident. illius formam ſervaverint.* (2.) *Ac impedimenta huiuſmodi penitus occulta ſint.* (3.) *Et alter contrahentium tempore contracti matrimonij impedimenti ignarus extiterit.* (4.) *Et altero, ita vt prædicitur, impedimentum ignorante de nullitate prioris conſenſus certificato, tacitaque (ſi videbitur ad evitanda ſcandala) cauſa nullitatis matrimonium inter ſe, etiam ſecreto de novo contrahere poſſint.* (5.) *In foro conſcientiæ dumtaxat.* (6.) *Si ad evitanda gravia ſcandala diſpenſandum iudicaverit.*

2. Poteſt *prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam ex inde legitimam deſcernere.* Quæ legitimatio deſervit vt poſſint ſuſcipere Beneficia, & Ordines, & hæreditatem, etiam ſi mala fide concepti ſint; vt Trull. & Mendez. 3. Poteſt: *Necnon etiam in ſuperveniente ſimili affinitatis impedimento ſimiliter diſpenſare, vt debitum petere poſſint.*

* 9 QUÆRO III. Quænam ſunt aliæ facultates? *Reſp.* (Omniſsis alijs quæ ex Apoſtolicis & Regijs Decretis ei conceduntur, & ad hos Tribunal non expectant, poſſuntque videri in Lara, & Monteal) In Bulla Latina ſequentes continentur.

1. *Vt poſsit Bullæ ſummarium de Latino idiomate in vulgari lingua iuxta ritus Provintiarum, non mutata illius ſubſtantia, ac premiſſo aliquo conveniente, ac pro præſentium temporum conditione idoneo proœmio, convertere.*

2. *Ponendi* in eo dies ſtationum; ſed iuxta Miſſale Romanum, vt ex noviſsimo Decreto diximus Exam. 2. 3. *Concedendi* perſonis nobilibus, & qualificatis, vt Miſſam per horam ante lucem, & poſt meridiem, audire, & celebrare facere valant.

4. *Vt poſsint* ſuſpendere Interdictum ad Bullæ publicationem; Et ſuſpendere, & revalidare alias Indulgentias, & gratias, vt dictum eſt: & examinare eas, & impedire earum impreſsionem, & publicationem abſque ſua, vel ſui delegati licentia.

5. *Vt poſsit* decidere, declarare, & interpretare Bullam iuxta proprietatem verborum, & difficultates circa eius privilegia, aut Indulgentias: cui deciſioni ſtare debent non ſolùm privatæ perſonæ, ſed & Iudices, Auditores Curiæ Apoſtolicæ, & Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cuius Tribunali omnia dicta humili animo ſubijcio.

FINIS.

IN-

INDEX
NOMINVM, ET VERBORVM:

Prior Numerus, *Paginam*, Secundus, *Numerum* Paginæ cum iſto Aſteriſco * deſignat.

A

Abbatiſſa, vel Prioriſſa, quid poſsit circa ſpiritualia? 125. num. 6.

Abſolutio non eſt valida, cum ſola licentia præſumpta. 423. num. 40.

Accedia, quid, & quantum peccatum, & quas habeat filias? 106. num. 5. & ſeqq. *Quis*, & de quibus poſsit abſolvere in articulo mortis? 424. num. 46.

Acceptio perſonarum, quid; & quantum peccatum, & quomodo attendenda in conferendis Beneficijs? 261. num. 1.

Accuſatio quomodo differat, à denuntiatione, & quomodo ſub obligatione cadit? 274. num. 1. & ſeqq.

Actus Humanus non datur in individuo indifferens, benè tamen ſecundum ſpeciem. 37. numer. 5. & ſeqq. *Actus Humanus* vnus, & idem, poteſt habere duplicem ſpeciem bonitatis, & malitiæ moralis. 29. num. 12. *Bonitas, & Malitia* in actu interno, quomodo, & in quo gradu ſint? 40. num. 19. & ſeqq.

Advocatus, quam ſententiam ſalva conſciencia poteſt tueri? 23. num. 40. *Quantam* ſcientiam debet habere? 278. num. 7. & ſeqq.

Agitationes Taurorum an licitæ? 198. num. 42. & ſeqq.

Apoſtaſia, quid, & quotuplex? 166. num. 39. & ſeqq. *Quid* poſsint Prælati Regulares ſuper Apoſtatas? 167. num. 47.

Apoſtaſia à Clericatu, ſive Sacro Ordine. 168. num. 50. & ſeqq.

Archiepiſcopatus quid? 517. num. 31.

Avaritia, quid, & quantum peccatum? 80. num. 1.

B

Baptiſmus, quid, & quando inſtitutus? 364. n. 1. *Quando* obligavit? 365. n. 2. *Quæ* eius materia, quæ forma, & quis eius Miniſter? 365. n. 6. & ſeq. *Quanta* eius neceſsitas? 366. n. 15. *Quis* effectus eius? 367. n. 22. *Quomodo* poterunt baptizari, pueri infidelium, furioſi, amentes, & dormientes? 368. n. 25. & ſeqq. *De loco*, & tempore Baptiſmi, de Nomine imponendo, & Patrinis. 369. n. 28. & ſeqq. *An* debeat rebaptizari proles, ab obſtetrice baptizata? 370. n. 35. *Quomodo* ſe debeat gerere mulier, ex illicito concubitu pariens? 370. n. 36. *Quotuplex* eſt Baptiſmus, & quomodo cauſet gratiam? 370. n. 39. & ſeqq.

Bellum, quid, & quotuplex, qua ratione licitum? Et ea, quæ accidere ſolent in illo, declarantur. 192. n. 15. & ſeqq.

Beneficiatus obligat reſtitutio à Pio V. impoſita, antè ſententiam declarativam Iudicis. 591. num. 20. *Habens* Capellaniam ſi ſtudio vacet, etiam ſi alius reciter pro ipſo, non ſatisfacit. 591. numer. 21. *Eſt contra iuſtitiam* Beneficia Eccleſiaſtica, non conferre, gratis. 591. num. 22. *Per eleemoſynas* antea factas, non ſatisfacit Beneficiarius obligatus ad reſtitutionem fructuum. 593. num. 33. & 34. *Vnico officio*, nequit ſatisfacere duplici præcepto, ibi, num. 35. *Dominium* Clericorum erga ſua, quomodo intelligendum? 221. num. 29. & ſeq.

Blaſphemia, quid, & quotuplex? 169. num. 60. & ſeqq.

Biblia, Sacra Scriptura, ſeu Verbum Dei, eſt ſola Iudex controverſiarum fidei. 152. num. 30. *Carent* Acatholici legitima Biblia, ibi, num. 41.

Bigamia, quid, & quotuplex? 449. num. 56.

Bulla Cruciatæ, quid, quotuplex, & qualiter interpretanda? 627. num. 1. & ſeqq. *Quibus* locis, perſonis, & cui prodeſſe poteſt? 628. num. 9. & ſeqq. *Euntes*, vel mittentes ad bellum, & quid debent facere, qui non eunt, vt Bulla fruantur? 631. num. 17. & ſeqq. *Quandiu* durat Bulla, & annus eius, gratiæ, & privilegia? 634. num. 25. & ſeqq. *Quid* conceditur tempore interdicti, habentibus Bullam? 636. num. 1. & ſeqq. *Ad quid* valet Bulla pro Oratoriis? 637. num. 5. *Quid* conceditur in privilegio veſcendi ovis, & lacticinijs? 639. num. 9. & ſeqq.

Explicatur Bulla,lacticiniorum.641.num. 13. *Indulgentia* partiales, & participatio bonorum operum.643. num. 16.& seqq. *Indulgentiæ* stationum,quomodo lucrandę, & applicandę? 644.num.20.& seqq. *Qualitas* Confessarij eligibilis perBullam.648. num. 31. & seqq. *Quomodo* Religiosi, & Moniales gaudeant privillegioBullę?651. num. 5. & seqq. *Quomodo*, & quoties, & à quibus, possit absolvi per Bullam? 653. n. 40. *De absolutione* à censuris, & de Indulgentia semel in vita, & semel in morte. 659.num.48.& seqq. *Quænam vota*,& quomodo per Bullam commutari possunt? 662.num.56. & seqq. *Quid* in Bulla conceditur morientibus, sine confessione, & pro Bullę bina acceptione ? 666.num.64. *Quid* Bulla Defunctorum quomodo, & quibus conceditur? 666. n. 1. *Bulla* compositionis, quid, à quo, & quibus prodest? 669.num.1. *Quantum* valet, & pro quanto? 670.num.6. *Quæ* possint componi, & non componi, hac Bulla? 671.num.10.& seqq. *De facultate* Comissarij Bullę Cruciatæ? 676.num.1.& seqq.

Bulla Cœnæ, eiusque casus declarantur.556. num.46.& seqq.

C

Quid sentis de cambio? 290.num.2. & seqq.

Cardinalatus,quid? 516.num.28.

Christianismus, & Christianus, quid, & quod signum eius? 368.num.23.

Cessatio à Divinis, quid? 447.num.45.

Cœlibatus an sit de iure Divino, ijs qui in Sacris sunt constituti? 517.num.32. & seqq.

Charitas, quid, quod obiectum eius, ac præceptum? 175.num.1. *Est omnium* virtutum præstantissima, & aliarum forma,ibi,n.5. *Amittitur* per peccatum.176.num.8. *Quem ordinem* servet charitas inter diligendos? 177. num. 9. & seqq. *Quomodo* teneamur diligere proximum? 181.num.24.& seqq. Quis effectus charitatis? 183.num.1.

Chorea, oscula, amplexus,tactus litteræ amatoriæ,munera. 88.num.50.& seqq.

Clavis eius definitio,& quotuplex? 3. num.9. Quare in plurali dicuntur *Claves*? ib.n.10.

Censura, quid, & quotuplex, & quis potest eam ferre? 439.num.1.& seqq.

Circunstantia humanorum actuum, quid, & quot? 31. num. 2. *Circunstantiæ* mutantes speciem, notabiliter aggravantes, & notabiliter diminuentes, necessario sunt confitendę. 31.num.3. & seqq. Quæ sunt iste? 33. num. 7.& seqq. *Septem* sunt circunstantiæ peccatorum.34.n.10. & seqq.

Concupiscentia, quid,& quotuplex?29.n.25.& seqq.

Concubinatus in diversis personis eiusque pœna. 87.num.46.& seqq.

Confessarius. Eius definitio. 2.num.8. *Quatuor* conditiones in eo requisitæ. 3.num.11. *In quo* gradu? 4. num. 12. *Peccant* si sine sufficiente scientia confessiones audiunt. 5.n. 13. Tria munera Confessarij,& quomodo circa illa ? 5. n. 16. *Debet* omnia peccata audire. 6. num. 18. *Quod* iuditium debet formare de peccatis? 6.num.18. *Examinare* tenetur pœnitentem, & quomodo? 6. num.20. *Quomodo* se debeat gerere in confessione mulierum? 7.num.24.& 25. *Tribuens* cartam pœnitenti, in qua ad venerem solicitat, est denuntiandus. 588. n.6. *Etiamsi* solicitatus cum solicitante confiteatur. ibi, num. 7. *Debet* habere potestatem iurisdictionis. 416. num. 2. *Confessarius*, vnus delegatus, & alter Ordinarius. ibi, num. 4. *A quo* debet esse approbatus, & de Confessario Papæ ? 417. num. 5. & seqq. *Quid* de Confessoribus Regularibus? ibi, num. 8. & seqq. *Quid* de Confessario Monialium? 418.num.13.& seqq. *Quid* de Confessario Regularium? 421.num.29.& seqq. *Quantam* pœnitentiam debet iniungere? 436. n.12. & seqq. *Confessarius*, quid sit, & quis potestas eius? 416.num.1. *Quomodo* se debeat habere cum recidivis? 425. numer. 54. *Quid* facier, quando in confessione commisit errorem ? 426. numer. 59.

Confessio. Eius definitio. 2. num. 8. *Quid* sit auricularis? 413. n. 1. De sigillo confessionis.429.n.1.& seqq. *Qua* eius materia? ibi, n.2. *Quomodo* intelligatur præceptum confessionis ? 414. n. 8. *Quomodo* computetur annus confessionis? ibi, n.12. *An sit* distinctum præceptum,à præcepto communionis.415.n.15. *Quomodo* quis debeat, & teneatur confiteri? ibi, n.17. *Quid* de peccatis omissis? 416. n. 20. *Confessio* debet fieri proprio Sacerdoti.420.n.21.& seqq. *Qualitas* confessionis explicatur latę.427.n.1. & seqq.

Confessionalia in qua dispositione? 7.n.8.

Consuetudo peccandi. 91.n.58.

Consuetudo potest abrogare, aut inducere legem? 139.n.70.& seqq.

Conscientia. Eius definitio.7.n.3. *Manet* in dormiente.8.n.5. *Conscientia* ex parte *obiecti* dividitur in *bonam*, *veram*, & *rectam*, & in *malam*, falsam, & *erroneam*. Ex parte *assensus*, in *certam probabilem*, seu *oppinativam*,& in *dubiam*, ac *scrupulosam*. 8. n.6. *Quid* sint istæ,& quomodo sequendæ,& reijciendę? ibi, n.7.& seqq.per totum Exam. *Conscientia*, seu *sententia* probabilis, quid, & quotuplex? 13.n.1. *Quis* faciat *sententiam* probabilem? 15.n.8.

Sequela sententiæ probabilis, concurrente probabiliori, an licite sit, necne? 15.n.9.& seqq.
Correctio fraterna, quid, quis eius finis,& an sit in præcepto,& quando? 187.n.20. *Quomodo* obliget? 187.n.22. *Est servandus* ordo in correctione fraterna. 188.n.24.
Confirmationis Sacramentum quid? Vbi institutu? Quæ eius materia, & forma? Et quod eius subiectum, Minister, & efectus? 373. n. 1.& seqq.
Conformari se voluptati Divinæ, non tenetur homo in omni volito materiali, bene vero formali. 40.n.18.
Contentio, quid,& quando peccatũ est? 192.n.14.
Contractus, quid,& quotuplex? 278.n. 1. & seqq. *Quid* de contractu societatis? 290. n. 3. *Quid* de conductione,& locatione. ibi,n.4. de alijs Contractibus, vide ibidem.
Contritio, quid, & quotuplex, & cuius virtutis actus? 409.n.1. *In quo* conveniant,& differant contritio,& attritio? 410.n.4. *Attritio* ex metu gehenę, an sit actus honestus? 411.n.7. *Quomodo* sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ? 411. n. 9. *Sufficit* ne vna contritio pro omnibus peccatis? 412.n.12. *Quando* quis obligatur ad contritionem? ibi.n.16.

D

Decreta Pontificia, quibus aliquę Propositiones damnantur, sunt leges declarative ex Cathedra, ficque, non possunt suspendi, supplicatione Regis, vel Regni, obligantque sola publicatione Romę facta. 585. n. 1. *Licet* non sint Articuli fidei, sunt Definitiones Doctrinæ, & sic ea despiciens, licet non sit hereticus, est tamen errori proximus. 586. n. 2. *Non sunt* stricte interpretanda, sed ample, vt amabilia amplectenda. 586.n. 3. *Decretum* Innoc. XI. revocativum, & declarativum Indulgentiarum. 624.n.1.& seqq.
Desperatio, quid,& quod eius obiectum? 171.n.5. *Potest* esse cum fide. ib.n.6. *In Damnatis* non est peccatum. 172.n.7. *Vna Desperatio* est gravior altera. ibi.n.8. Revelata Ioanni *v. g.* sua damnatio, tenetur sperare. ibi.n.9.& seqq.
Degradatio, quid, & quotuplex,& quomodo fit? 447.n.43.
Delectatio morosa. 66. n. 61. *Quomodo* liceat oblectari prohibitis? 66.n.65. *Quæ media*, & remedia contra delectationem morosam? 67.n.73. *Quæ* causę delectationis? 68.n.76.
Denuntiare teneris Petrum, si tibi constet esse hereticum, etiam si probare, non possis, 588. num.5.
Discordia, quid,& quando peccatum? 191.n.13.
Dominicani Religiosi, ter tenentur se Examini sistere, nisi Lectores. 2.n.7.
Dominium, quid, quotuplex? 214.n.1. *Quid est* Titulus, Vsus, Vsusfructus, Emphiteusis, Feudum, Superficies, Possessio? 214.n.3.& seqq. *Quinam* sint capaces Dominij. 216.n.12. *Quæ* cadunt sub Dominio hominis? 225. n.38. & seqq. *Dominium Animalium*, quid, quomodo, & de quibus? 225.n.1.& seqq. *Modus* acquirendi Dominium, per *Præscriptionem*, *Promissionem*, *Donationem*, *Testamentum*, *Ludum*,& *Spontanem*. 230.n.1.& seqq.
Donatio, quid, & quotuplex, & quinam donare possint? 233.n.12.& seqq.
Dubia, quomodo sint interpretanda? 213. n.26. & seqq.
Duellum, quid,& quotuplex, & an licitum? 196. n.38. & seqq. *Duellum* nullus acceptare potest, 587.n.2.

E

Ebrietas, quid, & quomodo peccatum? explicatur latæ. 93. n.11.& seqq. *An liceat* bibere, in sanitatem aliorum? 96.n.36. per totum Exam.
Ecclesia, quid est, & quot sunt characteres veræ Ecclesiæ? 149.n.28. *Ecclesia* est infallibilis regula fidei. ibi. n. 29. & seqq. *Quis* Ecclesiam pollutam potest reconciliare? 494. n. 26. & seqq.
In Ecclesia est vera Hierarchia ad quam spectant Episcopi. 507.n.1.
Eleemosyna, quomodo,& quando sit in præcepto? 183.n.2.& seqq. *Quomodo* possit fieri, ex iniuste acquisitis? 185.n.9. *Quomodo* fictus pauper peccet, accipiendo eleemosynam? ib. n. 11. *Quomodo* possit facere eleemosynam, qui est sub alterius potestate? 185.n.12.
Emptio, quid,& quomodo exercenda? 279. n. 44. & seqq.
Episcopus quas conditiones debet habere, vt promoveatur? 508.n.2. *Quid* sit Episcopatus,& an Ordo à Præsbyteratu distinctus? 508. n.4. & seqq. *Quod* eius officium,& quæ sit observanda? 510.n.8. *Quis, vel qui* Ministri Ordinationis Episcopalis? 512. n. 13. *Quomodo* liceat Episcopatum desiderare, recusare, abdicare? 512. n. 14. *De* Residentia eorum in propijs Diœcesibus. 514.n.18. *An liceat* Episcopo possidere proprium? 514.n.20. *Quomodo* Religiosi ad Episcopatum assumpti, teneantur ad observantias Regulares? 515.n.21. *An in gratia* debeant exercere proprios actus? 515. n. 23. *Quid* possit in suà Diœcesi? 515.num.24. *Quomodo* Episcopi eliguuntur? 516. num. 25. *Quando* teneantur ad eleemosynas? 184. n.85.
Eucharistia, quid, & an sit vnum Sacramentum, & quomodo de necessitate salutis,& an conveniès fuerit eius institutio? 375.n.1.& seqq. *Quæ* eius materia, quanta,& qualiter prefensa? 377.n.1. & seqq. *Quid* de aqua Calici admixta? 379. n.10.& seqq. *Licet* vna species, possit sine alia consecrari valide, non tamen licite. 379.n. 12.& seqq. *Christus* vere est in hoc Sacramẽto,& quomodo? 381. n.1.& seqq. *Quid* remaneat de pane, & vino? 382.n.3. *Quid* vir-

tute verborum ponitur in hoc Sacramento, & quid per concomitantiam? 382.num.5.& seqq. *Quenam* verba sint de essentia formæ consecrationis? 383.n.1. *Quomodo* proferantur verba, & quæ vis in eis? 385.n.3.& seqq. *Effectus* Eucharistiæ quis, & an possit applicari non sumentibus? 386.n.13.& seqq. *Cui* concedenda, & *cui* deneganda? 388.n.20.& seqq. *Quæ* impediunt sumptionem huius Sacramenti? 389.n.28.& seqq. *Quo* ætatis anno, & quo tempore anni obligat sumptio huius Sacramenti? 390. n. 35. & seqq. *Quotidiana* Communio. 392. n. 47. *An Christus* suum corpus sumpserit? 392.n.51.& seqq. *Quis* Minister, & quomodo debeat hoc Sacramentum dispensare? 393.n.55.& seqq. *Quoties* in anno tenetur Sacerdos celebrare? 394. n. 58. *Quid* de Missa boni, & mali Sacerdotis? 394.num.62. *Quomodo* Eucharistia est sacrificium? 395. n. 1.& seqq. *In qua* actione consistat? 396. n. 5. *An sit* infiniti valoris? 397.n.8. & seqq. *Quid* prodest oblata pro pluribus, & quos effectus habeat ex opere operato? 398. n.11. & seqq.

Excommunicatio, quid, & quotuplex? eius effectus. 441. n.12. & seqq. *An liget* eos qui morantur extra territorium vbi est lata? 455.n.11.

Extremæ-Vnctio. An sit vere Sacramentum novæ legis, & quando institutum? 467.n.1.& seqq. *Quæ* eius materia, & forma? ib.n.4. *Quæ* partes inungendæ, & quomodo? 467. n. 5. & seqq. *Eius* forma. 468. n. 8. *Eius* effectus, ibi. n.10. *Quodnam* sit subiectum capax Extremæ-Vnctionis? 469.n.12. *Quis* eius Minister? 470.n. 15. *Quanta* sit necessitas eius? ibi. n. 17. *Quomodo* ministrandū tempore pestis? 471. n.21.

F

Festum, quid, cur, & à quo institutum, quando incipit? 320.n.63.& seqq. *Quænam* opera, in Festo, ex præcepto sunt facienda? 320. n. 67. & seqq. *Quomodo* Missa sit audienda, & quæ partes possunt omitti, & quid ab auditione excuset? 321.n.68.& seqq. *A quibus*, ex præcepto, abstinendum in Festo? 322. n.76. & seqq. *Quænam* sunt legitimæ causæ, excusantes à celebratione Festorum, seu ob quas, laborare licet in illis? 322.n.79.& seqq. *Festum* ligatne, extra territorium, & itinerantes? 323.& 324. n.80.

Fides, quid, & quotuplex sit? 144. n.12. & seqq. *Quando* tenetur homo elicere actum fidei? 587. n.1. *Eius* obiectum formale. 145.n.10. *Ad fidem* Divinam non sufficit revelatio Dei privata. 145. n. 12. *Assensus* fidei vltimate resolvitur, in sola Dei authoritate. 146. n. 14. *Fidei* Theologicæ, nequit subesse falsum. 147. n. 26. *Misteria* nostræ fidei sunt evidenter credibilia. 147.n.28. & seqq. *Cum fide* insusa, stat evidentia in attestante. 148.n.21. *Articuli fidei* non creverunt decursu temporis. 149.n. 24. *Quid*, & quotuplex sit simbolum, & Regula Fidei? 149.n.25.& 26. *Quomodo* traditiones sint Regulæ Fidei? & an in Ecclesia admittendæ? 153.n.42.& seqq. *Quomodo* fides sit necessaria ad salutem? 154.n.1. *Sola fides* adultos non iustificat. ibi. n. 2. *Tenetur* homo sub mortali, in primo instanti vsus rationis, se convertere ad Deum per actum dilectionis, & fidei? 155. n.6.& seqq. *Quænam* sint necessario, explicite, vel implicite, credenda? 158. n. 14. & seqq. *Quando* obligat præceptū credendi? 159.n.19. *Qui* negat vnum Articulum, perdit totam fidem. 159.n.20.& seqq. *Quomodo* exterior confessio Fidei, sit ad salutem necessaria? 159.n.21.& seqq.

Finis vltimus hominis, est aeterna Beatitudo, quę consistit in actu intellectus. 24.n.2. *Nulla* res creata, vel creabilis, potest esse vltimus finis hominis, qui nequit appetere duos vltimos fines totales, & adequatos. 24. num. 4. & 5.

Finis vltimus hominis mortaliter peccantis, est ipse *homo*. Venialiter autem peccantis, *homo* solum est finis vltimus secundū quid. 25.n.6.

Furtum, quid, & quantum peccatum, & quomodo differt à rapina? 269.n.1. *Qua quantitas* sufficiat, vt furtum sit peccatum mortale? 269. n.6.& seqq. *Vbi* fuse agitur de omnibus casibus, quę possunt accidere in furto.

G

Gulla, quid? 92.n.4. *Quæ* eius species? ibi. n. 5.& seq.

H

Hasthiludium, quid, & an licitum? 198.n.42.

Hæresis, quid, & quotuplex? 164. n.27. & seqq. *An dubius* in fide sit Hæreticus? 165.n.35. *Quomodo* Hæretici tollerandi? ibi.n.36.

Horæ Canonicæ, quid, & quot, quo iure institutæ, quo tempore, loco Ordine ac situ corporis, persolvendæ? 313. n.1. & seqq. *Omittere* vnicam horā, est ne mortale? 313.n.11.& seqq. *Dominicani*, quomodo teneatur, ad Offic.B.V. *Defunctorum*, & *Psalm.Graduales*? 314. n.15. & seqq. *Quinam*, & quo, ac quotuplici titulo, teneantur dicere Horas Canonicas? 314. n.19. *Quando* qui Horas omittunt, tenentur restituere? 316.n.20.& seqq. *Obligatio* comparendi in Coro, sive in Religiosis, sive in Canonis. 218.n.44. & seqq. *Quæ* intentio, & attentio, requiritur ad Horas? 317. n. 39. & seqq. *Quo* Breviario, vtendum, & quomodo diversi teneantur, vel non teneantur, & quę causę, excusent? 319.n.53.& seq.

I

Infidelitas, quid, & quotuplex? 160. num. 1. *Infideles*, quomodo teneantur inquirere de vera fide? 160.n.2. *Quot*, & quę sunt species infidelitatis? 161.n.6. *Quomodo* liceat cum infidelibus

bus communicare? 162.n.13.& ſeqq. *Infidelibus*, quid poſsit vendi? 163.n.24:

Infirmus, clamans,& conquerens, propter dolores ſuæ infirmitatis,an peccet? 191.n.10.

Ieiunium, illud frangens, etiamſi non ſit ex contemptu,peccat mortaliter. 591.n.23: *Qui* ſæpius modicum quid commedit,illud frangit. 592.n.29. *Iter* agentes æquitando,ab illo non excuſantur. 592.n.31: *De ovis* in die ieiunij vide 592. n.32. *Ieiunium*, quid; & cuius virtutis actus? 99.n.1. *Qui* teneatur,& non teneantur ad ieiunium? 99. n. 4. *Quæ cauſæ* à ieiunio excuſent? 100.n.11. *Qua*,& quot requiſita ad ieiunium ? 101. n. 15. *Quomodo* diſpenſatus ad eſſum carnium,teneatur ad ieiunium? 102.n. 28. *Quomodo* ieiunandum Feria 6. & Sabbato? 103.n.31. *Quomodo* teneatur ad ieiunium defeſſus ex labore,propter recreationē aſſumpto? 104.n.40. & ſeqq. *Vbi* plura invenies de ieiunio.

Ignorantia quotuplex,& quænam excuſet à peccato? 30.n.29.& ſeqq.

Inimici quomodo diligendi, & quę dilectionis ſigna, eis exhibenda? 178. n.17. & ſeqq. *Quis modus* reconciliandi inimicos? 180. n.20. *An ſit* magis meritorium ; diligere inimicum, quam amicum? 180.n.21.

Involuntarij cauſæ, ſunt quatuor, ſcilicet *Violentia*, *Metus*, *Concupiſcentia*,& *Ignorantia*. 27.n.12.

Inanis gloria quid,eiuſque filię? 78.n.17.& ſeqq.

Indulgentia quid? 461. *Quis* poteſt eam concedere? 462.n.3. *Quotuplex* ſit? ibi.n.6.& ſeqq. *Quid* requiratur ad conceſsionem Indulgentiarū? 464.n.15.& ſeqq. *Quæ* conditiones in lucrante Indulgentias? 465.n.17. *Qua*, & quomodo applicanda Defunctis? ibi.n.21. *An* translato Feſto, transferatur Indulgentia? 466.n.26.

Interdictum, quid,& quotuplex? 447.n.45.

Invidia. 91.num.1.

Intentio, quid, & quotuplex in Miniſtro Sacramenti requiſita ? 357. numer. 11. & ſeqq. *Intentio* ſolum introducendi novū ritum non invalidat Sacramentum. 360.n.18. *Qualis* intentio requiratur in ſuſcipiente Sacramentum. 360.n.19.& ſeqq.

Iudex, quam ſententiam teneatur ſequi ? 20. n. 32. *Nequit* pro ferenda ſententia accipere munera. 592.n.26. *Quomodo* iudicare debeat, & in caſibus diverſis, ſe gerere? 272. n. 1. & ſeqq.

Iuditium temerarium. 210.n.19.& ſeqq. *Iuditium* vſurpatum quid? 214.n.29.

Ira quid? an peccatum, & quantum. 105. n. 1. *Quæ* eius filię? ibi.n.4.

Irregularitas, quid, & quotuplex ? 448. n. 51. & ſeqq. *Quis* in ea poſsit diſpenſare? 453.n.75.& ſeqq.

Iuriſdictio dubia, & probabilis, quid valet? 424. num.44.

Iubileum? quid? 463.n.11.

Iuſtitia qualis virtus,& quę eius ſpecies? 206. n. 7.& ſeqq. *Differentia* inter iuſtitiam commutativam,& diſtributivam. 209.n.14: *De iuſtitia* legali: ibi.n.15. *Indicare* quomodo ſit actus iuſtitiæ? 210.n.17.

Ius, quomodo ſit obiectum iuſtitiæ, & quotuplex? 205. n.2. *Differentia* inter ius naturæ,& gentium. 206.n.5.

Iuramentum quid; cuius virtutis actus, & quotuplex, ac quanta obligatio eſt? 306.num. 1. *In quibus* caſibus iuramentum non obligat? 307. n.10. *Quomodo* obligat iuramentum in re parva? 308. n. 13. *Plura* de iuramento; & periurio. ibi.n.16.& ſeqq.

L

Lex, quid,& quotuplex? 108.n.2. & ſeqq. *Datur* lex æterna. 110.n.1. *Quid* ſit;& an omni creaturæ rationali data? ib. n. 3. *Legi* æternę ſubduntur omnes creaturæ vniverſi. 111. n. 6. *Lex* naturalis quid? 111.n.8. *Omnia* Decalogi præcepta expectant ad legem naturę. 112. n. 12.& ſeqq. *Non* poteſt dari invincibilis ignorantia legis naturę. 114.n.17. *Quis* poteſt cōdere legem humanam? 125. n. 7. *Quanta* debet eſſe promulgatio legis,vt obliget? 126.n. 8.&. ſeqq. *Efficacia* legis non dependet ab acceptatione populi. 126.n.11. *Lex* nequit præcipere actus internos. 127.n.13. *Quomodo* finis legis cadat ſub præcepto ? 127. n. 16: *An lex* humana habeat vim obligandi in conſcientia? 128.n.21. *An* obliget ſub peccato mortali,vel veniali? 128. n. 24. & ſeqq. *Quando* lex humana obligat cum periculo vitæ ? 132. n. 32. *Lex* tributorum,& vectigalium; quomodo intelligitur? 136. n.54: *An* ipſe Legislator teneatur legi humanæ ? 137. n. 60. *Quomodo* alij teneantur? 138.n.62.& ſeqq. *An*, & quis, poſsit diſpenſare,in lege humana? 140. n.75. & ſeqq.

Libri hæretici quomodo legendi ? 163. n. 21.& ſeqq.

Lupanaria quomodo permiſſa? 68.n.41. Vbi fuſe de *Meretricibus*.

Luxuria. Molities,ſodomia,& beſtialitas,debent declarari in confeſsione. 191. *Habens* copulā cum ſoluta, debet hoc confiteri. 591. n. 25. *Luxuria*,quid;& quotuplex? 80. n.4. & ſeqq. *Species* luxurię quot? Explicantur late. 82. n. 15.& ſeqq.

Ludus,quid,quotuplex,& quomodo licitus? 240. n.43: *Qui* ludo veteri fuit lucratus,quomodo teneatur ad reſtitutionem? 241.n.47: *Alii* ludo videantur: ibi n.49.& ſeqq.

M

Maledictio. quid, & quale peccatum? 312. n. 38.

Marius in nullo caſu poteſt occidere propriam vxorem. 590.n.19.

Matrimonium quid, ſeclusa ratione Sacramenti

ci. 519.n.2. & seqq. *Quomodo* sit in præcepto? 520.n. 4. *Quomodo* vsus Matrimonij sit meritorius? 522.n.8.& seqq. *Quomodo* sit Sacramẽtum, quæ eius materia, forma, & Minister? 523.n.10.& seqq. *Nequeunt* fideles contrahere Matrimonium secluſa ratione Sacramenti. 525. n. 13. *Quid* de Matrimonio inter absentes? 525. n. 15. & seqq. *Quis* consensus requiratur ad Matrimonium? 532.n.1. *Quomodo* Matrimonia coacta, sint valida? 533. num. 6. *Matrimonium* ratione metus, quo iure invalidum? 535.n.13. *De Matrimonio* facto, per consensum conditionatum. 536. n. 15. *Quid* valeat, factum sub conditione turpi? 537. n.19. & seq. *Quodnam* est obiectum, consensus Matrimonialis? 538.n.1.& seqq. *Quomodo* Matrimonium sit indissolubile quoad vinculum, & quomodo non? 540.n.3.& seqq. *Quid*, & *quot* sint impedimenta impedientia, & dirimentia Matrimonij. 545.n.1.& seqq. *Quomodo* Matrimonium propter impedimenta invalidum, fiat validum. 547. n. 5. & seqq. *Quid scitis* de impedimento *erroris*? 551.& 552.n.1.& seqq. per totum. *Quando*, & *Quomodo* liceat, vel non liceat, dimittere vxorem? 575.& 576. n. 1. & seqq. *Quæ* peccata possunt committi in vsu coniugij? 579.& 580.n.8.& seqq.

Medicus, & Chirurgus, quã sententiam teneantur sequi, in cura ægroti? 20.n.31.

Metus, quid, & quotuplex? 27. n.13. *Quid* de iuramentis, votis, Matrimonijs, promissionibus, ex gravi metu factis? 28.n.20. *Quid* annullet metus levis? 29.n.23.

Minister Sacramenti, quam sententiam teneatur sequi in confectione eius? 20. n. 30. *Qualis* dispositio requiratur in Ministro Sacramentum conficiente? 361.n.24.& seqq.

Missa quid, vnde dicta, quid de Missa sicca? 489. n. 1.& seqq. *Pro quibus* potest offerri? 489.n.4. & seqq. *Mos* celebrandi de *Requiem*. 490. n.9. *Tempus* celebrationis. 490.n.10. *Quomodo* celebrari debet in Cœna Domini, Paraſceve, & Sabbato Sancto? 491.n.14. *Cui*, & quando liceat in vno die, pluries celebrare? 491. n. 16. *Locus* celebrationis, & an possit celebrari in Ecclesia violata, seu polluta? 492. num. 17.& seq. *Vestes*, *Sacra* vasa, & alia ad Missam necessaria. 495.n.29. & seqq. *Qualitas* Missæ legendæ. 396.n.31. & seqq. *De Missa* abruptione, interpollatione, & partium omissione. 498.n.1.& seqq. *Cæremoniæ*, & quę leguntur in Missa, quid significant? 499.n. 8. & seqq. *Solvuntur*, quæ Canoni videntur opponi? 504.n. 32. *Occurritur* defectibus, qui possunt accidere in Missa. 505.n.33.& seqq.

Molinus damnatus. 614.n.58.

Monacha, vel Monialis defiorata, an possit consecrari? 81.n.10.& seqq. *Quomodo*, & quid intelligitur per Clausuram Monialium? 132.n. 34. & seqq. *Quis* potest dare licentiam, non servandi legem Clausuræ? 134.n.44. *Quis* potest Clausuram visitare? 135.n.46.

Mons pietatis, quid? 290.n.1.

Moralitas actuum humanorum quid, & in quo consistat? 35.n.1.

Morum Regulæ, & principia Moralitatis. 36. n. 2. *Moralitatis* species. 36.n.3.

Mortuis, quomodo succurrendum, & quanta obligatio vivorum, erga illos? 668.n.10.

Motus primo primi, quomodo sint, vel non sint peccatum, & quomodo confitendum de illis? 64.n.51.& seqq.

Mendacium, quid, & quotuplex, quantum, & an in omni casu peccatum. 309. n. 20. & seqq *Num* teneamur semper dicere veritatem, 309.n.25.& seqq. *De Propositionibus* circa hoc, ab Innoc. XI. Damnatis. 311. n.29. & seqq.

N

Novitatum Præsumptio, & eius filię. 78. n.21. & 22.

O

Occasio, & periculum peccandi. 89.n.53. *Occasio*, & periculum familiaritatis fœminarum. 89. n.57.& seqq.

Occidere calumniatorem, nemo potest. 590. n. 17. *Occidere* se, & alios quomodo licitum? 264.n.1.& seqq.

Odium, quid, & quotuplex? 189. n. 1. *Quomodo* odium Dei sit peccatum? 190.n.2. *Odium* proximi, est ne gravius, cæteris peccatis in proximum, commissis? 190.n.4. *Quomodo* liceat de alterius malo, gaudere, & de bono dolere? 190. n. 6. *Quomodo* liceat, procurare malum proximo? 191.n.7. *An* liceat sibi optare mortem? 191.n.8. *Quomodo* liceat, optare, alterius mortem? 191.n.9.

Ordo datur in Ecclesia, & est vere Sacramẽtũ. 474. n. 1. *A Christo* institutum in vltima Cœna. 475.n.4. *Septem* sunt in Ecclesia Ordines. 475.n.5.& seqq. *Distinguuntur* per Sacros, & non Sacros, & non constituunt septem Sacramenta, sed vnum totale. 475.n.6. *Materia*, & forma Ordinis, & quis eius contactus. 476.n. 7. *Quodnam* est subiectũ capax Ordinis? 476. n.10. & seqq. *Solus Episcopus* est Minister Ordinum. 479.n.16. *Quis Episcopus*? 479.n.18.& seqq. *Tempora*, *Interstitia* ac locus Ordinationis. 480.n.22. & seqq. *Ordines* Minores, quid, & quot sunt? 481. n. 1. & seqq. *De Ordinibus* Subdiaconatus, & Diaconatus. 483. n. 1. & seqq. *De Ordine* Presbyteratus, eius materia, forma, Officio, & alijs. 486.n.1.& seqq.

Ornatus Mulierum, & de fuco. 79.n.23.& seqq.

P

Papa est infalibilis Regula fidei, etiam sine Concilio. 150.n.32. *In quibus* possit errare? 151. n. 33. *Est* supra totam Ecclesiam, & super Concilium

cilium Generale. 151. n. 34. & seqq. *Nequit* alteri committere iuditium supra se. 151. n. 37. *Quid* fiendam si Papa fieret hæreticus, vel si non constaret de sui legitima electione, vel caderet in amentiam, vel detineretur captivus? 152. n. 38. & 39.
Papa, quomodo eligatur? 516. n. 25.
patriarchatus quid? 517. n. 29.
pœnitētia virtus, an specialis, & qualis? 402. n. 13 & seq.
pœnitentia Sacramentum, quid? eius partes, materia, & forma. 400. n. 2. & seqq. *Sensus* genuinus, verborū absolutionis. 401. n. 11. *Quomodo* sit de necessitate salutis? 402. n. 12. *Eius* effectus. 403. n. 1. *An peccatum* mortale possit remitti, sine omni pœnitentia? 404. n. 4. *Nequit* vnum peccatum remitti sine alio. 405. n. 7. *Per* Pœnitentiam, ita extinguuntur peccata, vt non redeant. 408. n. 18. *Per* Pœnitentiā reviviscūt merita, per peccatū mortificata. 409. n. 22
Peccatum in Spiritum Sanctum, quid, & quotuplex? 106. n. 10. & seqq. *Differentia* inter *peccatum*, & *vitium*. 48. n. 1. & seqq. *Quid* sit peccatum? 49. n. 5. *Quæ* eius species? 49. n. 8. & seqq. *Quodnam* est constitutivum peccati commissionis? 50. num. 9. & seqq. *A quo* habent peccata, suam speciem? 56. n. 27. *An* differant specie, peccatum commissionis, & omissionis? 57. n. 28. & seqq. *Vnde* desumatur pluralitas numerica, peccatorum? 58. n. 35. & seq. *Vnde* desumatur æqualitas, & inæqualitas eorum? 59. n. 38. *Quomodo* peccatum opponatur virtuti? 59. n. 39. *Quid* de peccato spirituali? 60. n. 40. & seqq. *Aggravatur* peccatum, ex conditione personæ in quam peccatur. 61. n. 44. *Subiectum* proximū peccati. 61. n. 45. & seqq. *Quomodo* appetitus sit illius subiectum? 62. n. 49. *Quomodo* confitenda complacentia peccati, motus catus, &c.? 64. n. 58. *Causa* peccati, quæ? 68. n. 82. & seqq. *Peccatum* mortale, & veniale, in quo differant? 71. n. 102. & seqq. *Effectus* peccati, qui sint? 73. n. 111. & seqq. *De peccatis* capitalibus. 75. n. 1. & 2. *Peccata* venialia, quomodo remittantur? 406. n. 9. & seq. *Peccata* plurium Iterum in particulari, fuse ponuntur. 118. n. 1. & seq.
Pœnitens peccat, quærens imperitum Confessarium. 5. n. 15. *Quando* non peccat? ibi. *Si sit* Sacerdos, confiteatur antequam Sacras vestes induat, si sit gladiatus, gladium deponat. 6. n. 22. *Si sit* homo rudis, vel puella rustica, sufficit consulere Parochum, vel Confessarium, vt bene operentur. 14. n. 4. & 5. *Peccata* in vna confessione oblita, teneris in alia cōfiteri. 589. n. 11. *Non* satisfacit præcepto confessionis, qui cōfitetur iniuste reprobato ab Episcopo. 589. n. 13. *Nec* qui facit confessionem voluntarie *nullam*. 589. n. 14. *Nec* potest alium substituere, vt adimpleat pœnitentiam. 590. n. 15. *Quomodo* confitebitur, cœcus, & mutus? 425. num. 50. *Quomodo* obligatur ad pœnitentiam iniunctam? 438. n. 18.
Prædicatur, etiam Regularis, nequit in Conventu suo prædicare, contradicente Episcopo. 2. n. 5.
Præcepta Decalogi, & quomodo possit quis, ea transgredi, declaratur fuse. 115. n. 1. & seqq.
Poligamia, seu pluralitas vxorum an sit contra legem naturæ? 521. n. 6. & seqq.
Politicus, & eius Maximæ, rescinduntur, 40. n. 15.
Primatus quid? 517. n. 29.
Probabilem sententiam non facit liber, alicuius iuridici. 592. n. 27.
Præsumptio, quid, & an peccatum?
Prælati etiam Regulares, non possunt absolvere ab hæresi occulta.
Privilegium, quid, & quotuplex? 142. n. 82.
Propositiones damnatæ ab Alexandri VII. 587. n. 1. & seqq. *Damnatæ* ab Innoc. XI. 596. num. 1. & seqq. *Damnatæ* ab Alexandro VIII. 615. num. 1. & seqq. *Propositiones Mysticæ* damnatæ contra Franciscum de *Salinac*. 621. n. 27.

R

Religio, quid, & quod eius obiectum? 292. n. 2. *Quomodo* sit vna virtus specie infima? 293. n. 4. *Quomodo* sit distincta ab alijs virtutibus? 293. num. 6. & seqq. *Quos* actus habet sui proprios? 294. n. 1. *Explicantur* omnes actus. 294. n. 2. & seqq.
Religiosi, etiam Mendicantes, nequeunt absolvere à reservatis Episcopo. 589. n. 12. *Nequeunt* vti privilegijs suis, per Concilium revocatis. 593. n. 36. *Indulgentiæ* concessæ Regularibus, hodie non sunt revalidatæ. 593. n. 37. *Quæ* sunt Indulgentiæ revocatæ? 594. n. 38. *Quænam* sunt Indulgentiæ, de novo eis concessæ? 595. num. 39. *An* teneantur manibus operati? 186. n. 15. *An liceat* eis vivere ex eleemosynis? 186. n. 16. *An liceat* eis mendicare? 187. n. 18. *Dominium* Religiosorum, quid, & quomodo intelligi debeat? 217. n. 13. & seqq.
Repetalia, quid, & an licitæ? 196. n. 37.
Reservatio, quid, & quotuplex? 454. n. 1. *Quis* potest reservare? ibi. *An sit* necessaria scientia reservationis ad eam incurrendam? 454. n. 6. *Quomodo* agendum cum illo, qui transit cum reservatis, ad territorium vbi reservata non sunt? 455. n. 8. *An* reservatio cessat post mortem reservantis? 456. n. 12. *Quomodo* superior debeat dare licentiam, ad absolvendum à reservatis? 456. n. 13. & seqq. *Quos* casus possunt sibi reservari, Superiores Regularium? 457. n. 18. & seqq. *Casus* reservati Papales. 457. n. 20. & seqq. *Casus* reservati Episcopales. 459. n. 24. *Quis* potest absolvere à reservatis? 459. n. 25. & seqq.
Restitutio, quid, & quot eius radices, seu capita. 242. n. 1. & seqq. *Quomodo* restituet, qui alium damnificavit in bonis spiritualibus? 443. n. 3. *Quomodo* restituet, qui alium damnificavit in bonis corporis? 244. n. 9. & seqq. *Quomodo* restituet, qui alium damnificavit per iniuriā stupri? 245. n. 20. & seqq. *Et quomodo*, ex iniuria adulterij? 246. n. 23. & seqq. *Quomodo* restituet, qui alium damnificavit, in bonis famæ, & honoris? 247. n. 30. & seqq. *An* restituendū sit plusquam ablatum est? 251. n. 1. & seqq. *Quid* facient possidēs rem furtivā, bona, vel mala fide? 252. n. 5. & seqq. *Quid* de fructu rei furtivæ? 253. n. 10. *Quomodo* cooperantes teneatur restituere? 253. n. 11. & seqq. *Quo* ordine, restituendum est creditoribus? 255. n. 17. & seqq. *Quæ* culpa requiritur ad obligationem restituendi? 256. n. 26. & seqq. *Quæ* causæ excusant à restitutione? 258. n. 34. & seqq.
Reus, seu accusatus, quando teneatur fateri crimen, & quomodo liceat se defendere, vel fugere? 175. n. 104. & seqq.
Rex, siue Princeps, quam sententiam teneatur sequi in bello

bello, in impoſitione tributi, in admonitione monere, & aliorum onerum? 22.n.37. *Populus* debet parere legibus Principis. 592. n. 28. *Licet* ne Principi in ſuis Provintijs, permittere libertatem conſcientiæ? 161.n.7. *Quomodo* liceat Principi Chriſtiano, vocare infideles in auxilium belli? 163.n.26. *Quomodo* teneatur Princeps iudicare? 213.n.28.

Ira, quid ſit, & quantum peccatum? 198.n.44.

S

Sacramentum, quid? 343.n.2. *Tria* ſignificat. ib.n.4. *Quæ eſt* materia eorum, & forma, & quomodo illud componat? 344.n.6. *Poſſibilia* ſunt Sacramenta inviſibilia reſpectu hominis. 344.n.9. *Non eſt*, eorum materia determinata à Chriſto. 345. n. 12. & 13. *Mutatio* materiæ eſſentialis, annullat Sacramentum 345.n.14.& ſeqq. *Quomodo* fuerũt homini in omni ſtatu neceſſaria. 346.num.17.& ſeqq. *Quomodo* cauſabant gratiam Sacramenta veteris legis? 347. n. 1. & ſeqq. *Quomodo* illam cauſent Sacramenta novæ legis? 348.n.5.& ſeqq. *Quando* Sacramenta cauſant gratiam? 350.n.11.& ſeqq. *Quam* gratiam cauſant? 351.n.16.& ſeq. *Quantam* gratiã cauſant? 352. n. 18. & ſeqq. *Quæ*, & quomodo imprimant characterẽ? 353.n.1.& ſeqq. *Character* quid? 354. n.2.& ſeqq. *Quomodo* imprimitur, & in qua potentia? 354.n.5.& ſeqq. *Sacramenta* novæ legis, omnia ſunt à Chriſto Domino inſtituta. 355. n. 1. & ſeqq. *Quinam* ſint Sacramentorum Miniſtri? 357. n.6.& ſeqq. *Quare* non ſint, niſi ſeptem Sacramenta? 363.n.40.& ſeqq.

Sacerdos habens collatum Beneficiũ curatum, non indiget alio examine ad audientiam confeſsionum. 1. n.1. *Cæteri* omnes, etiam Regulares, cuiuſcumque gradus, & conditionis, ſiſtere ſe debent Examini coram Epiſcopo. 1.n.2.& 3. *Et* ab Epiſcopo ſucceſſore examinari poterunt? 2.n.3. *Nequit* accipere duplicatum ſtipendium pro vna Miſſa. 588.n.8. *Nec* ſatisfacit dans minorem eleemoſynam alio Sacerdoti. 589.n.9. *Damnatur* ſententia dicens, *hoc non eſſe contra* iuſtitiam. 589.n.10.

Sacrilegium, quid, quotuplex, & quantum peccatum? 311.n.54.& ſeqq.

Satisfactio eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, & quomodo? 433.n.1.& ſeqq.

Scandalum, quid, & quotuplex, & quale peccatum? 199.n.46.& ſeqq. per totum Examen.

Seditio, quid, & quantum peccatum? 199.n.45.

Scrupulus, quid, & quotuplex? 12.n.1. *Scrupulus*, non eſt idem quod conſcientia. ibi. *Licet* agere contra ſcrupulos, ſed non contra conſcientiam ſcrupuloſam 12.n.2. *Cauſa* ſcrupulorum, & ſigna. 12.n.3. *Quomodo* ſunt reprimendi? 13.n.4.& ſeqq.

Simonia, quid, quotuplex, quantum peccatum, quæ eius materia, & quodnam pretium in ea? 331. & 332.n.1.& ſeqq. *Qua ratione* licite accipitur pretium, pro adminiſtratione Sacramentorũ, pro Miſſa, precibus, Benedictionibus, actu iuriſdictionis ſpiritualis, ſepulturis ingreſſu Religionis, &c.? 333. & 334.n.8.& ſeqq. *Quomodo* committitur ſimonia in Beneficijs? 335.& 336. n. 2.& ſeqq. *Quid* cenſes de iure Patronatus? 337.& 338.n.29. *Papa*, poteſt ne incurre ſimoniam? ibi. n.30. *Eſtne* ſimonia dare pecuniam pro Miſſa? vel pro Decimis? 339. & 340. n. 31. *Eſtne* ſimonia, accipere pecuniam pro doctione Theologiæ, & alijs ibi. n.32. *Quænam* eſt ſimoniacorum obligatio ad reſtituendum, & quæ pœnæ? 339.& 340.n.44.& ſeqq.

Spes Theologica, quid, & quotuplex? quod obiectum eius, & ſubiectum? 170.n.1. *Quando* obligat præceptum ſpei? 174.n.13 & ſeqq.

Sponſalia, quid ſint, & quomodo obligant? 526. n.1. *In qua* ætate, poſſint contrahi? ib. n.2. *Quam* obligationem pariunt? 527.n.5. *Quando* nulla, vel ſolubilia? 528. n. 7. & ſeqq. *Quæ* conditiones poſſunt apponere, illa contrahentes? 531.n.25.

Superbia, quid, & an peccatũ mortale? 75.n.5. & ſeq. *Quot* gradus ſuperbiæ? 76.n.11. *Eius* filiæ. 77.n.12.

Suſpenſio, quid, & quotuplex? & quis eam poteſt ferre? 455.n.37. & ſeqq. *Quænam* ſint communiones ſuſpenſiones à iure? 446.n.42.& ſeqq.

Superſtitio, quid, & quæ ſpecies eius, & quid ſint? 323.& 324 n.1. & ſeqq. *Quid* cenſes de vana obſervantia? 327.& 328.n.12.& ſeqq. *An liceat* Maleficium, maleficio tollere? 329.& 330. n. 19. & ſeqq. *Tentatio* Dei, quid, & in quo caſu fiat? ibi. n. 21. & ſeqq.

Subditus quam ſententiam teneatur ſequi, quando Prælatus præcipit aliquid, de quo ſunt contrariæ opiniones? 22.n.38.

Suſpicio, quid, & quomodo peccatũ? 211.n.23.& ſeq.

T

Teſtamentum, quid, quotuplex, quas conditiones requirit, & an revocabile? 236.n.23.& ſeqq.

Teſtes quas cõditiones debent habere? 277.n.1.& ſeq.

Timor, quid, & quotuplex? 171.n.4.

Tonſura. Quæ calitates requirantur in ſubiecto tonſurando? 472.n.1.& ſeqq. *Quid* eſt prima tõſura, quę eius materia, forma, & ſubiectum, eiuſque Miniſter? 473.n.4 & ſeqq. *Quid* eſt Clericus, vel Clericatus, quæ eis licita? & quæ prohibita? 474.n.8.& ſeqq.

Torneamenta, quid, & an licita? 198.n.42.

V

Venditio quomo licita, vel illicita? 280. n.11.& ſeqq.

Violentum, non eſt idem quod neceſſarium. 27.n.12.

Virtutis quatuor definitiones. 42. n. 2. & ſeqq. *Eius* ſubiectum. 42.n.7.& ſeqq. *Eius* diviſio. 44. n.16. & ſeqq. *Quot*, & quantæ ſint in homine 45.n.19.& ſeqq. *Eius* proprietates. 45.n. 22. & ſeqq. *Virtutes* Morales conſiſtunt in medio, per accidens. 46.num. 25. *De connexione* virtutum. 47.n.27.& ſeqq.

Voluntarium, quid, & an ſit in brutis? 26.n.9. *Voluntarium*, & liberum, non ſunt formaliter idẽ. 27.n.10. *Pluribus* modis dicitur aliquid voluntarii. 27.n.11.

Votum, quid, & quotuplex, & quæ requiſita ad eius obligationem? 298.n.1.& ſeqq. *Quomodo* vota ex ignorantia, vel metu facta, ſint valida? 300.n 8. *Qua* eſt materia, ſeu res capax voti? 300. n. 13. *Quando* eſt obligatio voti, & quid ſentiendum in caſu quo quis dubitat, an voverit? 301.n.19. *Ad* quid teneatur qui vovit ingredi Religionem? 302.n.25. *Quid* faciendum illi, cui votum, ex toto, vel ex parte factum eſt impoſsibile? 302.n.35. *Quid* de voto Peregrinationis, & quot modis cellat? 303.n.38.& ſeqq. *Quid* poteſt Papa circa vota ſolemnia? 305.n.48. & ſeq.